1851




6.
40/N
14



GLOSSA
IN TOTAM
S.SCRIPTURAM.
TOMUS PRIMUS.

A.R.P. BARTHOLOMÆI DE BARBERIIS A CASTRO-VETRO

PROVINCIÆ CAPUCCINORUM Lombardiæ Definitoris, & S. Theologiæ Lectoris,

GLOSSA SEV



SUMMA EX OMNIBUS S. BONAVENTURÆ expositionibus in Sacram Scripturam exactè collecta, & in facilem usum Studiosis, ac Concionatoribus secundùm ordinem biblicum concinnata.


TOMUS PRIMUS.

Continens Libros Genesis, Exodi, Levitic, Numerorum, Deuteronomij Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, & Job.





LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, & JOAN. POSUEL.
M. DC. LXXXI.
CUM APPROBATIONE SUPERIORUM





DE PRÆSTANTIA
S. SCRIPTURÆ,
ET INTENTIONE AUTHORIS.
PROLOGUS OPERIS.



N humanissime Lector post enavigatos fluvios Philosophici Cursus, quem tibi ad Mentem Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ anno elapso veluti Paradisum inferiorem proposui: post degustatos flores, & fructus Tabulæ generalis, seu summæ Operum ejusdem Seraphici Doct. quam veluti Paradisum terrestrem omnibus arboribus, floribus, & fructibus refertum tibi exposui, nunc ad altiora, & sublimiora te invito, nempè relictis hisce terrenis, & inferioribus rebus ad ingressum in Sacræ Scripturæ Paradisum cælestem à Seraphico Doctore toti Ecclesiæ expositum, quam Op Princ. S.Scrip. *meritò nomine Paradisi cælestis, imo supracælestis appello: Quia Sacra Scriptura Paradisus est (ait S. Damascen.* lib.4. de fide orth cap.18.) *Paradisus inquam odoriferus, & speciosissimus, qui intellectualium volucrum cantibus amœnissimus circumsonat aures nostras, qui tangit corda nostra, & mentem nostram contristatam consolatur, sicut Columba deargentata, cujus posteriora in pallore auri. Quarè meritò viri illuminati, dum Sacram Scripturam audiunt, tunc Litteras de patria nostra cælesti* Serm.3. Dom.1. *recipere putant. Hujus Paradisi cælestis ortum, progressum, felicitatem,* Adv. *statum, fructumque volens D. Joannes Apostolus exprimere, in hac verba prorupit.* Ostendit mihi Dominus fluvium aquæ vivæ splen- Apoc. didum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni: In c.22. medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim: *In quibus verbis (ait Seraph. Doct.* op. Princ. S. Script.) *comparat Sacram Scripturam sex rebus sublimissimis, nempè solio, & sedi Dei, & agni, quo nihil eminentius; fluvio cælesti, quo nihil affluentius; aqua viva, & chrystallo, quo nihil translucentius, & clarius; ligno vitæ, quo nihil virtuosius, & efficacius; splendori cæli,*

quo nihil speciosius; medio item plateæ, quo nihil communius: primum importat authoritatem inviolabilem: Secundum profunditatem imperscrutabilem: Tertium certitudinem inconfutabilem: Quartum impretiabilem valetudinem: Quintum incontaminabilem pulchritudinem: sextum incoarctabilem amplitudinem diffusionis perennis: Idem licet diversis terminis, intendit S. Paulus Apost. in Ep. ad Ephes. cap. 3. *ubi latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profunditatem hujus Paradisi, simulque ortum, progressum, & fructum proponit. In quibus verbis insinuant nobis isti duo Apostoli ortum debere attendi secundùm influentiam Beatissimæ Trinitatis, progressum secundùm exigentiam humanæ capacitatis, statum, & fructum secundùm superabundantiam superplenissimæ felicitatis. Hæc eadem & ego in hoc Opere ante omnia propono, & breviori stylo, quo possum, expendo, ut aliqualem notitiam sublimissimæ præstantiæ Sacræ Scripturæ Menti humanæ ingeram.*

Ephes. c. 3. Op. Brevil. in proœm.

Et primò quoad ortum docet non esse per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quæ fluit à sede Dei, & agni, scilicet Iesu Christi, seu, ut ait Apostolus, *à Patre luminum, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, à quo per filium ejus Jesum Christum manat in nos Spiritus Sanctus, & per Spiritum Sanctum dividentem, & distribuentem dona singulis, sicut vult, datur fides, & per fidem habitat Christus in cordibus nostris. Hæc est notitia Jesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas, & intelligentia totius Sacræ Scripturæ: quarè dicitur procedere de sede Dei, & agni? quia per Verbum increatum est edita, & instituta: per Verbum inspiratum recitata: per Verbum incarnatum consummata: per Verbum authenticatum promulgata: dicitur enim verbum Dei verbum verbi incarnati, verbum veritatis, & sapientiæ, verbum virtutis, & potentiæ, verbum vitæ, & verbum gratiæ: Undè fides Christi infusa est lucerna, janua, & fundamentum totius Scripturæ, nempè est fundamentum omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu peregrinamur à Domino, & fundamentum stabiliens totam Ecclesiam: est lucerna dirigens, & janua introducens, & per consequens mensura mensurans omnem notitiam nobis divinitus datam; ideo hac fide mediante datur nobis notitia Sacræ Scripturæ secundùm influentiam beatissimæ Trinitatis: Et hinc quo vivacior est Christiani fides, quo intensior, quo clarior; eò etiam major, lucidior, & clarior est notitia mysteriorum Sacræ Scripturæ.*

Ephes. c. 3.

Secundo loco proponitur progressus, seu processus, seu forma Sacræ scripturæ, quæ est secundùm stylum Spiritus Sancti, qui est calamus scribæ velociter scribentis: Progressus igitur Sacræ Scripturæ non est coarctatus ad leges ratiocinationum, divisionum, & definitionum more aliarum scientiarum, quæ sunt determinatæ, & restrictæ ad aliquam

Psalm. 44.

partem

partem veritatis: sed sicut Empyreum continet intra suam capacitatem omnes alios orbes, sic & Scriptura Sacra est veluti Empyreum continens universum Orbem: Cum enim secundùm lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam eorum, quæ sunt necessaria ad salutem, partim per plana, partim per mystica verba describit totius universi continentiam quasi in quadam summa, in qua attenditur latitudo ejus: continet & decursum temporum, in quo attenditur longitudo; continet & excellentiam finaliter salvandorum, in qua attenditur sublimitas; continet & miseriam damnandorum, in qua attenditur profunditas & universi, & divini Judicii; In hoc progressu elucet mirabiliter divina sapientia, pietas, & providentia in nos miseros: Nam cum Sacra Scriptura contineat veritates increatas, excellentißimas, & aciem mentis humanæ excedentes, ne obtunderetur, voluit divina sapientia, ut faciliter possemus spatiari in hoc Paradiso supercælesti, hanc lucem contemperare obtutibus nostris luce creata sensibili, nempè manuductione rerum naturalium sensibilium nobis ipsas divinas veritates notificando: Vide igitur hic, quanta sit divina largitas in nos; cum enim mundus inserviat homini quantum ad corpus, magis quantum ad animam, & vitam, & maximè quantum ad sapientiam: & cum in statu innocentiæ homo haberet cognitionem perfectam creaturarum, per quam sine obstaculo ferebatur in Deum, ad ipsum laudandum, venerandum, & amandum; ad hoc enim facta sunt creaturæ à Deo, ut in ipsum reducerent animam: cadente autem homine, cum amiserit cognitionem, non erat, qui reduceret in Deum; undè iste liber, scilicet Mundus erat veluti mortuus, & deletus in anima hominis facta est tabula rasa; stante autem homine in hoc miserrimo statu, vide quid operatus est Deus misericors: Ecce quod providit nobis alium librum, seu speculum, quo illuminaretur mens nostra ad accipiendum, seu utendum metaphoris rerum. Hic autem est liber Sacræ Scripturæ, qui continet, & ponit similitudines, proprietates, & metaphoras rerum in libro Mundi scriptarum; Undè liber Sacræ Scripturæ est reparativus totius Mundi ad Deum cognoscendum, laudandum, & amandum; Et ideo voluit Deus, ut omnes illuminationes naturales spectantes sive ad artes mechanicas, sive ad scientias intellectuales subordinarentur veluti ancillæ ipsi Sacræ Scripturæ, & in ejus cognitione haberent statum, & veluti complementum.

Serm. 13. Hexaem.

Op. de red. art. & Præfat. in Psalm.

Est autem advertendum, quod hoc discrimen potißimum est inter cæteras scientias, & doctrinam Sacræ Scripturæ: quod cæteræ scientiæ sunt contentæ sub uno sensu, & in his solæ voces significant res, quia unaquæque est determinata per signa sibi convenientia: At in Sacra Scriptura est multiplex, & multiformis sensus, significatque & voces & res: & ratio est, quia Deus est causa animarum, & vocum, & rerum, quarum sunt voces: & ideo non tantum loquitur per voces

Serm. 13. Hexaem.

ces, sed etiam per facta, quia ipsius dicere est facere, & omnia creata tanquàm Dei effectus innuunt suam causam; Ideo in Sacra Scriptura & verba, & facta, & res ordinata sunt ad exprimendas veritates increatas. Hinc pro vocibus, & nominibus assignavit Deus litteralem sensum, & qualiter verba exterius sonant: & pro rebus assignavit triplicem sensum, nempè quia Deus se manifestat in qualibet creatura tripliciter, scilicet secundùm substantiam, virtutem, & operationem, ideo omnis creatura repræsentat eum, qui Trinitas est, & in Trinitatem conducit, per substantiam in Patrem, per virtutem in Filium, & per operationem in Spiritum-Sanctum: Et quia per fidem, spem, & charitatem pervenitur ad Deum; ideo omnis creatura insinuat, quid credendum de divinitate, & humanitate Christi per sensum allegoricum: quid operandum per tropologicum: & quid expectandum per anagogicum. Meritò igitur nos invitat Apostolus ad comprehendendam latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profunditatem hujus mystici Paradisi Sacræ Scripturæ, ut tandem pervenire possimus ad percipiendum optatissimum, & dulcissimum fructum ipsius. Si autem quæratur, quæ sit latitudo Sacræ Scripturæ. Respondet Seraphic. Doctor, quod consistit in multitudine suarum partium, quarum primæ sunt vetus, & novum testamentum: primum continet libros legales, historiales, sapientiales, & prophetales: secundum habet & alios consimiles veteribus correspondentes: nam legalibus correspondent Evangelia: historialibus Actus Apostolorum: Sapientialibus Epistolæ Apostolorum, præcipuè Pauli: & Prophetalibus liber Apocalypsis, ut sic sit inter utrumque testamentum mira conformitas, non solùm in continentia sensuum, sed & in quadriformitate partium: Et hoc est, quod vidit Ezechiel in cœlo, nempè rotam quatuor facierum, & rotam in medio rotæ, quia vetus est in novo, & è converso: nam in libris legalibus, & Evangelicis est facies Leonis propter magnificentiam, & excellentiam authoritatis: in historialibus est facies Bovis propter exempla virtutum: in Sapientialibus est facies Hominis propter prudentiam sagacem, & in Prophetalibus est facies Aquilæ propter intelligentiam perspicacem: Rota etiam hæc quatuor facierum ordinatur ad quadruplicem sensum Sacræ Scripturæ: nam facies Hominis indicat litteralem sensum, facies Leonis allegoricum, facies Bovis tropologicum, & facies Aquilæ anagogicum.

Op. Brevil. Proœm.

Cap. 1.

Sed cur Sacra Scriptura dividitur in vetus, & novum testamentum: & non potius in theoricam, & practicam, sicut Philosophia? Respond. quod in Philosophia Theorica est separabilis, imo separata à practica: illa agit de vero nuda speculatione considerato, ista de veritate, & directione morum: A Sacra Scriptura, quia fundatur super cognitionem fidei, quæ est fundamentum morum, & totius vitæ

rectæ,

rectæ, ideò notitia ejus est notitia illuminans quidem mentem, sed simul movens voluntatem ad bonum, & revocans à malo, & hoc per timorem, & amorem; ideò non potest in ea sequestrari notitia credendorum, & morum; & hinc dividitur in vetus testamentum, in quo principaliter incutitur timor, & in novum, in quo relucet principaliter amor. Et quia quadrupliciter quis potest revocari à malo, & moveri ad bonum, nempè vel per præcepta potentissimæ Majestatis: vel per documenta sapientissimæ veritatis: vel per exempla, & beneficia innocentissimæ bonitatis, vel ex his omnibus in unum collectis; ideò tam in veteri, quàm in novo testamento sunt quadriformiter traditi libri continentes totam Sacram Scripturam secundùm correspondentiam ad quatuor præmissa: nam libri legales movent per præcepta: historiales per exempla: sapientiales per documenta: prophetales ex omnium prædictorum aggregatione, quia sunt compendium totius legis, sapientiæ & doctrinæ Sacræ Scripturæ: Vide igitur, quomodò verificata est illa prophetia Esther cap. 10. *de fonte parvo, qui crevit in fluvium maximum, & deindè in lucem, solemque conversus est redundans in aquas plurimas illuminationum, & influentiarum.* Esther. cap. 10. *Nam Sacra Scriptura primò apparuit fons parvus in libris legalibus, & in legis datione: post crevit in fluvium magnum in libro Josue, Judicum, Regum, Esdræ, Judith, Tobiæ, Esther, & Machabæorum: Et post conversus est in lucem maximam Prophetarum, & deindè in solem doctrinæ Evangelicæ revelatæ à Deo per os carnis Christi prolatæ, per Evangelistas conscriptæ, & per sanctos Apostolos divulgatæ: & tandem in aquas plurimas redundavit, quia doctrinæ Evangelicæ addita sunt documenta, quæ Spiritus sanctus super Apostolos veniens docuit nos per eos, ut sic omnem veritatem per Spiritum sanctum juxta promissum divinum edocti, omnis veritatis doctrinam Christi Ecclesiæ darent, & Sacram Scripturam consummando, veritatis notitiam dilatarent: Ecce quanta, & qualis latitudo Sacræ Scripturæ: Post latitudinem proponit Apostolus Sacræ Scripturæ longitudinem, quæ consistit in descriptione tam temporum, quàm ætatum à principio, scilicèt mundi usque ad diem judicii: describit enim per tria tempora mundum decurrere, scilicet per tempus legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ; & in istis tribus temporibus septem distinguit ætates correspondentes septem ætatibus hominis, & diebus, quibus completus est mundus, de quorum correspondentia agetur in expositione Genesis; & sic Scriptura est longissima, quia in tractando incipit à mundi, & temporis exordio in principio Genesis, & pervenit usque ad finem, scilicèt in fine Apocalypsis: Et in*

hoc mirabiliter elucet divina ſapientia, & bonitas, quia cum mundus per decurſum temporis, varietatem, & multiplicitatem, & æquitatem, ordinem, rectitudinem, & pulchritudinem multorum divinorum judiciorum procedentium à ſapientia Dei gubernante mundum repræſentet veluti pulcherrimum carmen, & ſicut nullus poteſt videre pulchritudinem carminis, niſi aſpectus ejus feratur ſuper totum verſum, ſic nullus videt pulchritudinem ordinationis, & regiminis, niſi eam totam ſpeculetur; & quia homo nullus tam longæ vitæ eſt, quod totam poſſit videre oculis carnis ſuæ, nec futura per ſe poteſt prævidere, hinc providit Spiritus ſanctus librum Scripturæ Sacræ, cujus longitudo commetitur ſe decurſui regiminis univerſi &c. in quo clarè noſcit præterita, contemplatur præſentia, & prævidet futura.

Tertiò loco proponitur ab Apoſtolo ſublimitas Sacræ Scripturæ, quæ conſiſtit in deſcriptione Hierarchiarum gradatim ordinatarum, ſuntque Eccleſiaſtica, Angelica, ſeu cæleſtis, & divina ſeu ſupercæleſtis, ita quod primam patenter deſcribit: ſecundam aliquantulum magis occultè: tertiam adhuc magis occultè: Ex deſcriptione primæ Hierarchiæ Scriptura Sacra eſt alta: ex deſcriptione ſecundæ eſt altior, & ex deſcriptione tertiæ eſt altiſſima: Unde Sacra Scriptura veluti ſcalam myſticam Jacob nobis erigit, quæ in ſui infimo tangit terram ſubſternendo ſibi philoſophicam cognitionem, & aſſumendo de naturis rerum, quantum ſibi opus eſt ad fabricandum ſpeculum, per quod fiat repræſentatio divinorum, & in ſuo cacumine intrat Cælum, & hoc totum per illum unum Hierarcham Jeſum-Chriſtum, qui non tantùm ratione naturæ humanæ aſſumptæ eſt Hierarcha in Eccleſia militante, verùm etiam in Angelica Hierarchia, & eſt media perſona in illa ſupercæleſti beatiſſimæ Trinitatis, ita quod per ipſum à ſummo capite Deo deſcendit unctionis gratia non ſolùm in barbam, ſcilicèt in Jeruſalem cæleſtem, ſed etiam in oram veſtimenti, ſcilicèt in militantem: Vide igitur, quomodò Sacra Scriptura habet altiſſimam materiam, per quam in altum, imò in Cælum levat intelligentiam mentis, & ſimul cum ſit venuſtiſſima, miro modo intellectum noſtrum delectat, & ſic magis, ac magis delectando aſſuefacit ad divinorum ſpectaculorum contuitus, & anagogias. Et hæc eſt ratio, quare Scriptura Sacra explicitè tantùm tradit conditionem hujus corporalis machinæ innuens ſolùm diſtinctionem orbium, nihilque explicitè tradens de motibus, virtutibus eorumdem corporum, & multò minùs de conditione ſuperiorum ſpirituum; quia cùm primum principium reddat ſe nobis cognoſcibile & per ſcripturam, & per creaturam, per librum creaturæ ſe manifeſtat ut principium effectivum, & per librum ſcripturæ ut reparativum; & cum hoc non poſſit cognoſci, niſi cognoſcatur effectivum, ideò Sacra Scriptura licèt principaliùs agat

Opuſc. Brevil. p. 2. c. 5.

de

de operibus Redemptionis, & reparationis, debet tamen prius agere de operibus conditionis, in quantum tamen ducit in cognitionem principii efficientis, & reficientis; & hac est ratio, quare Sacra Scriptura incipit suam narrationem à creatione mundi; & hinc in nobis resultat cognitio sublimis, & salutaris; sublimis, quia est de primo principio effectivo, & docet ipsum esse omnium creatorem, & ens primum, & summum, à quo omnia alia dependent, & ad hoc sufficiebat descriptio creationis in quadam generalitate, & secundùm dispositionem, & influentiam quoad naturam luminosam, opacam, & per viam, scilicèt cœlestem aqueam, & terream per quem ordinem naturæ rerum, scilicèt in summo, medio, & infimo insinuatur ordo Sanctissimæ Trinitatis: est & hæc doctrina salutaris, quia est de primo principio reparativo, scilicet de Christò salvatore, & mediatore, & ideò non tractat de opere conditionis nisi propter opus reparationis; ideò tacetur secundùm litteram exteriorem Angelorum conditio, & lapsus, & glorificatio: sed quia sublimitas Sacræ Scripturæ non permittebat ista omnia reticeri, ideò spiritualiter intellecta ordinatur ad describendam Ecclesiasticam, & Angelicam Hierarchiam, quæ in illis tribus naturis in Genesi expressis spiritualiter continetur, scilicèt in nomine Cœli Angelica, in natura terræ Ecclesiastica, & in nomine aquæ, quæ est intermedia gratia, per quam utraque irrigatur: vel nomine Cœli insinuatur Hierarchia divinarum personarum; nomine aquæ Angelica: & nomine terræ Ecclesiastica: Igitur sublimissima, & altissima est notitia Sacræ Scripturæ. Ad hæc consequitur quarto loco profunditas Sacræ Scripturæ, hacque consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum, quæ abundè pascitur mens intrantis in hunc Paradisum: nam præter litteralem sensum habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicèt allegoricè, tropologicè, & anagogicè, ut suprà innuimus: Allegoria autem est quandò per unum factum indicatur aliud, quod credendum est: Tropologia, quandò per id, quod factum est, datur intelligi aliud, quod faciendum est: Anagogia, idest sursum ductio, quandò datur per aliud intelligi illud, quod desiderandum est, scilicèt æterna felicitas: Rectissimè autem hic triplex sensus competit Sacræ Scripturæ subjecto, Auditori, Origini, & fini: nam subjectum radicale sacræ Scripturæ est Deus, integrale est Christus, universale est credibile: Deus autem est unus in substãtia, & trinus in personis, ergo rectè in unitate litteræ continet Scriptura informitatem intelligentiæ: Christus est unum verbũ, per quod omnia facta dicũtur, & in ipso relucẽt, ergo in una sapientia rectè est multiformitas intelligentiarũ: Christus itẽ ut Redemptor, cũ sit unus multa opera ad reparationem nostrã patravit; ideò Sacra Script. cum sit multiplex ad unam Christi oblationẽ habet aspectum. Credibile item di- Lib. 1. quæst. 1. in proœm. & Brevil. in proœm.

versimodè relucet secundùm diversum statum credentium , ergo rectè scriptura , cum sit una secundùm litteram , multiformem parit intelligentiam secundùm diversitatem statuum credentium. Competit & auditori , qui debet esse humilis , mundus , fidelis , & studiosus : ideò sub cortice littera apertè occultatur mystica , & profunda intelligentia ad comprimendam superbiam , ut ipsius profunditate in humilitate littera & superbi contemnantur , & immundi repellantur , & fraudulenti declinentur , & negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Addimus : Et quia auditores hujus sacra doctrina non sunt omnes ejusdem generis , & qualitatis , & omnes salvandos oportet de ipsa scire , ideò ipsa multiformem habet intelligentiam , ut sic omnem intellectum capiat , omni intellectui condescendat , & omnem intellectum superexcedat , & omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis sua pariter illuminet , & inflammet : undè licèt abyssalis profunditas ejus nobis inscrutabilis sit , dispensativè tamen à Spiritu sancto actum est , ut in hoc fluvio maximo civitatis Dei Agnus peditet , ut Elephas natet , ut dicit Sanctus Gregorius ; *Competit & principio ; à quo est , quia est à Deo per Christum , & Spiritum sanctum loquentem per ora Prophetarum , & aliorum , qui hanc doctrinam scripserunt , & quia loquitur nobis non solùm per verba , sed , & per facta , ideò in ipsa recondidit multiplicem intelligentiam. Et cùm Christus doctor esset humilis in carne , & altus in deitate , hinc decebat ipsum , & ejus doctrinam habere humilitatem in cortice , & sermone cum profunditate sententia ; ut sicut Christus fuit panniculis involutus , ita sapientia Dei in scriptura figuris quibusdam involveretur : Et cum Spiritus sanctus diversimodè illustraret corda Prophetarum , ipsum etiam nullus latere potest intellectus , qui missus erat docere omnem veritatem , ideò in uno sermone competebat , ut contineret multiplices intelligentias : Competit & fini : quia scriptura data est , ut per ipsam dirigatur homo in cognoscendis , & agendis , ut tandem perveniat ad optata : & quia omnes creatura ad hoc facta sunt , ut serviant homini tendenti ad supernam patriam ; ideò scriptura assumit ipsarum creaturarum species diversas , ut sic per eas doceat nos sapientiam dirigentem ad aterna credendo, operando, & desiderando per fidem, spem, & charitatem , ut tandem perveniamus ad bravium superna felicitatis.*

Opusc. Princ. S.Script.

Brevil. in proœm.

Dubitabit hic aliquis insipiens , cur Sacra Scriptura utatur rebus tam humilibus , ut jugulatione pecorum , lepra domorum , vel vestium , contextione genealogiarum, aliisque consimilibus , qua parùm , aut nihil ad sapientiam , vel bonitatem conferre videantur , cùm tam ars , quàm virtus consistant circa arduum , & difficile ? Item cur verbis

bis tam humilibus , & simplicibus utatur , & omni ornatu Rethorico incultis? Item cur ad modum aliarum scientiarum non traditur, quæ procedunt secundùm artem per modum quæstionis,responsionis,oppositionis , solutionis nunc definiens , nunc dividens , nunc arguens, nunc concludens ? In hos errores ceciderunt Augustinus ante suam conversionem , & Hieronymus , antequam ad meliorem frugem reduceretur , qui fatentur id evenisse , quia cùm in cæcitate immersi, & obtenebrati essent , lumen cæcis oculis non videbant , putantes non oculorum , sed solis culpam esse ; sed illucescente posteà luce cælesti aperti sunt oculi amborum ad videndum sublimitatem hujus sacræ doctrinæ. Respond. ergo primò , quod cum Sacra Scriptura sit de Deo tamquam de subjecto nobilissimo , & arduissimo , ideò in ea omne genus veritatis , & sapientiæ reperire contingit , quia quicquid extra Sacram Scripturam homo didicerit , si noxium est, ibi damnatur , si utile est, ibi reperitur utilius , & abundantius: nam Sacra Scriptura multis modis genera suæ locutionis exercet, definitionibus succincta , schematibus decora , verborum proprietatibus signata , syllogismorum complexionibus expedita , disciplinis rutilans : omnibus scientiis humanis tamquam ancillis , & pedissequis utens : Hæc propriè in Scriptura relucent, & à Sanctis usurpantur , ut cunctis appareat prius ad exprimendam veritatem justis mentibus datum , quod posteà gentiles humanæ sapientiæ aptandum putaverunt : Unde litterarum sacrarum Authores ita sacras litteras tradidere , ut nihil sapientius , nihil eloquentius videri , & inveniri potest transcendens absque ulla comparatione omnem scientiam , atque doctrinam : Vide , quàm sit hoc verum : nam vera prædicat , ad cælestem patriam vocat , à terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat : dictis obscurioribus exercet fortes , parvulis humili sermone blanditur : nec sic est clausa ut pavesci debeat,nec sic aperta,ut vilescat,usu fastidium tollit , legentis animum humilibus verbis adjuvat , sublimibus sensibus levat,cum legentibus crescit,ita quod à rudibus lectoribus semper quasi vetus recognoscitur;doctis tamen semper nova reperitur : scientias item omnes ipso etiã locutionis more transcendit,quia uno, eodemq; sermone, dum narrat textum, prodit mysterium, & sic scit præterita dicere, ut eo ipso noverit futura prædicere : ergo sic scriptura loquitur , ut altitudine sua superbos irrideat , profunditate attentos terreat , veritate magnos pascat , & affabilitate parvulos nutriat. Secundò Respond. quod præter illum modum scientialem tractandi , habet Scriptura Sacra etiam proprium sibi, qui est communissimus, & autenticus : intra quem

Op. Princip. S.Scrip. & Brevil. in procem.

Opusc. Princ. S.Script. & Op. Brevil. Procem.

 continetur

continetur modus narrativus, praeceptorius, prohibitivus, exhortativus, praedictivus, comminatorius, promissivus, deprecatorius, & laudativus: qui modus potiùs ad legem pertinet, quàm ad artem: Ratio autem, quare hic modus à Deo assignatus est in traditione Sacrae Scripturae, est, quia haec doctrina est ut boni fiamus, & salvemur, & hoc non fit per nudam considerationem, sed potiùs per inclinationem voluntatis; ideò eo modo debuit tradi, quo modo magis possemus inclinari, & quia magis movetur per exempla, quam per argumenta, magis per promissiones, quàm per ratiocinationes, magis per devotiones, quàm per definitiones, ideò non debuit tradi per modum aliarum scientiarum probando passiones de aliquo subjecto per ratiocinationes &c. Sed oportuit, quod haberet modos proprios secundùm varias inclinationes animorum diversimodè animos inclinantes; ut si quis non movetur per praecepta, saltē moveatur per exempla narrata: si quis per haec non movetur, moveatur per beneficia, vel per monitiones, promissiones, comminationes &c. ut sic saltem excitetur ad devotionē, & Dei laudē, in qua percipiat gratiā, per quam dirigatur circa opera virtuosa: quoniam igitur hi modi narrativi non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt; ideò ne sacra Scriptura tamquam dubia vacillaret, ac per hoc minùs moveret loco certitudinis rationum, providit Deus ipsi certitudinem authoritatis. Et quia non est certa authoritas ejus, qui potest fallere, & falli, nec sit ullus, qui falli non possit, vel fallere, nisi Deus, & Spiritus sanctus, hinc est, quod authoritas revelantis Sacram Scripturam, & eam tradentis adeò magna est, quod omnem perspicuitatem humani ingenii superexcellit, & ideò cum non sit per humanam investigationem tradita, sed per divinam revelationem est perfectè autentica: & ideò nihil in ipsa contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum pro eo, quod Spiritus Sanctus ejus author perfectissimus nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum, & propterea Caelum, & terra transibunt, verba autem Scripturae Sacrae non praeteribunt, donec impleantur, quia ubique in Sacra Scriptura & in sententiis, & in dictionibus, & in verbis, & in syllabis, & in iota, & in apice, & in ordine, & in numeris, & in juncturis, ubiq; inquam regnat in eis veritas, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura: ergo qui solverit ea, & docuerit sic homines hic minimus vocabitur in regno Caelorum; qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Caelorum. Ex quibus omnibus patet, quàm verus, quàm certus, quàm securus, quàm copiosus sit fructus, & utilitas Sacrae Scripturae toti Ecclesiae Dei, & nobis miseris

positis

positis in hac miseriarum valle, quibus providit Deus misericors hunc Paradisum: & ideò rectè assimilatur illi flumini, cujus impetus lætificat civitatem Dei: est enim fluvius voluptuosissimus propter dulcores suavissimarum delectationum: luminosissimus propter fulgores limpidissimarum speculationum: ignitissimus propter fervores ardentissimarum inflammationum: impetuosissimus propter vigores sublimissimarum elevationum; & ideò dicitur fluvius voluptatis, fluvius veritatis, fluvius charitatis, & fluvius rapidus: Fluvius inquam, qui egreditur de loco voluptatis, scilicet de corde Dei ad irrigandam Ecclesiam, & fidelem animam: qui dividitur in quatuor rivos, & capita, scilicèt historiarum, anagogiarum, allegoriarum, & tropologiarum: Rivi historiarum retrahunt animam à terrestribus: Rivi anagogiarum refovent animam in cœlestibus: Rivi allegoriarum dirigunt animam in credendis: Rivi tropologiarum ordinant animam in agibilibus, ergo rectissimè appellatur Sacra Scriptura Paradisus Cœlestis, in quo mensa parata est epularum æternarum, in qua panis est habens in se omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem, in qua anima inebriatur ubertate domus Dei, in qua est alimentum perfectum pro omnibus indigentiam adimplens, infirmum curans, reflorere faciens, & renovans bonum, affectum donans, à tristitia liberans, & lætitiam largiens: Et hinc meritò verba Sacræ Scripturæ dicuntur verba vitæ æternæ, quæ ideò scripta sunt non solùm, ut credamus, sed ut credentes vitam habeamus æternam, in qua videbimus, amabimus, & per supereminentem scientiæ charitatem omnia desideria nostra implebuntur. Psal. 45. Opusc. Princ. S. Script.

Hoc igitur fine, hac intentione Sacra Scriptura perscrutanda, docenda, & audienda, hoc est, ut cum vera fide ad Patrem luminum accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per filium suum in Spiritu sancto det nobis veram notitiam Jesu-Christi, & cum notitia amorem ipsius, ut sic ipsum cognoscentes, & amantes ad complementum desideriorum nostrorum perveniamus.

Hic igitur est scopus principalis, in quem collimant omnes expositiones à Seraphico Doctore Sancto Bonaventura traditæ, hic est finis (humanissime lector) laborum meorum, ut legentes hanc Sacræ Scripturæ copiosam Glossam Seraphicam accensi eodem ardore, & amore, quo cor hujus Seraphim ardebat in Deum, & in salutem animarum intrare conentur in hunc cælestem Paradisum odoriferum, & suavissimum, in ipsoque delibare possint tam pro sui, quàm pro aliorum salute partem illius dulcedinis, quæ abundantissima est in Cœlis nobis reservata, quamque in hac Biblica serie uberrimam invenient. Et quia Sacra Scriptura tegit

Opusc. Brevil. in proœm. ad finem. *sub una littera multiplicem intelligentiam, & multiformitatem mysteriorum (ut dictum est) hinc ejus expositor* (ait Seraph. Doct.) *debet abscondita in lucem producere, expendendo textus, eosque non semper eodem modo explicare, sed modò ad sensum litteralem, modò ad allegoriam, modò ad tropologiam, modò ad anagogiam, prout qualitas textus exiget se trãsferre: quod & plenissimè, & exactissimè, & sublimissimè facit hic Seraphicus Doctor, ut patebit percurrenti hanc Glossam Seraphicam.*

In qua tamen diligenter est advertendum, quod cùm S. Doctor ex professo solùm Psalmos, librum Ecclesiastes, Sapientia, Threnorum, Evangeliorum SS. Luca, & Joannis exposuerit: cæteros autem textus solùm sparsim, prout materia, quam in suis scriptis exigebat, digessit, ideò ut plurimùm tantùm in medium protulit sensus mysticos: Quæ omnia maximo, improboque labore evoluendo, & percurrendo majori diligentia, qua potui, omnia Seraph. Doct. scripta excerpta collegi, & ordinavi secundùm ordinem librorum Bibliæ, & ad sua loca, tamquam Margaritas cælestes transtuli, & aptavi: Quibus tamen licèt rarò, aliquando sententias ejusdem Seraphici Doct. ad alíud propositum relatas, applicando transtuli, quippe quæ omnino conformes eidem textui inveni, ut sic copiosior Sacræ Scripturæ expositio in lucem proderet, uberiorque materia Prædicatoribus pararetur, & pateret, quàm diligens, quàm doctus, quàm accuratus, quàm sublimis intelligentiæ, quàm illuminatus à Spiritu sancto, quàm Cherubicus, quàm Seraphicus fuerit iste vir verè Seraphicus, quod etiam magis patefiet in cursu Theologico, quem expeditum, & nunc in scholis usitatum, & brevem quatuor annorum curriculum ordinatum ad mentem ejusdem S. Doctoris pro facilitate, & utilitate professorum sacræ Theologiæ, ad gloriam Dei, & Seraph. Doctoris spero citò lucem aspecturum.

Sequuntur aliquot regulæ observandæ ab expositoribus Sacræ Scripturæ.

QUia Sacra Scriptura habet specialem modum procedendi, & diversum ab aliarum facultatum modo etiam suo modo speciali intelligi, & exponi debet: ideò ut id observetur, accipe sequentes regulas traditas, & à S. Doct. adnotatas.

Primò, quia sub una littera Sacra Scriptura tegit multiplicem intelligentiam, debet expositor abscondita producere in lucem, & aliquando illam eductam per aliam Scripturam magis patentem manifestare, verbi gratiâ, si velit explicare illum textum. Ps. 54. Apprehende arma, & scutum, & exurge &c. *ut patefiat, quid intelligat per arma, & scutum, potest recurri ad alium* Ps. 5. & 90. *ubi dicitur;* scuto bonæ voluntatis

tatis tuæ coronasti nos: & scuto circumdabit te veritas ejus: *per quod patet, quod nomine armorum, & scuti divini venit ejus veritas, & bona voluntas: qui modus exponendi est dignissimus, sublimis, securus, & ab eodem Christo etiam, & Apostolis sæpe usitatus.*

Secundò. Ad usum talis modi, & ut quis possit faciliter explicare textum Sacræ Scripturæ alio textu, requiritur magna assuefactio lectionis Sacræ Scripturæ, imò & oportet memoriæ commendare textum, & litteram Bibliæ, vel saltem habere maximam, & continuam practicam ipsius: alioquin in expositione Sacræ Scripturæ erit valdè deficiens: Verum tamen est, quod huic difficultati à Sanctis, & Doctoribus aliqualiter provisum fuit ad commoditatem subsequentium expositorum, & hoc inventione concordantiarum Bibliæ: in qua primus inventor fuit S. Antonius de Padua, qui, ut patet in ejus operibus, collegit per ordinem loca principalia Bibliæ, & ad omnia capita rerum prædicabilium ea applicavit: deinde post D. Antonium S. Bonaventura composuit opusculum cum titulo, (Biblia pauperum,) *qui fusiùs, & majori ordine idem fecit; parans mensam optimè refectam omnibus materiis prædicabilibus non solùm concionatoribus, sed & toti Ecclesiæ: Et quia facile est inventis addere, post hos sanctos Doctores Ugo Cardinalis composuit perfectam concordantiam Bibliæ, eamque digessit ordine Alphabetico: opus quidem dignissimum, & super omnia, quæ hucusque in Ecclesia prodierunt, utilissimum; Quare usu talis concordantiæ poterit expositor facillimè conferre, & exponere textum alio textu Sacræ Scripturæ.*

Tertiò, quod non ubique est requirenda allegoria, nec omnia sunt mysticè exponenda: nam in aliquibus textibus non sequestratur sensus litteralis à mystico, ut est in illo apologo arborum in Judic. cap. 9. *qui constituerunt super se Regem Ramnum: Item & illi Textus, qui nudis verbis significant ea, quæ pertinent ad nostram salutem quantum ad fidem, vel mores: In aliis verò, in quibus significatur aliquis actus particularis, verbi gratiâ, creatio mundi, hominis, tunc adest sensus litteralis significans primò illam rem, vel actiones, qui sejunctus est à sensu mystico, qui secundariò attenditur in dictis verbis.*

Quartò, quando aliqua scriptura habet aliquem intellectum litteralem, & spiritualem, debet discuti, utrum illa attributio conveniat historico, an spirituali significato: si utrique competit, tunc debet assignari, & exprimi uterque sensus, ut in creatione, verbi gratiâ, mundi, hominis &c. ut dictum est, si verò verificari potest tantùm spirituali modo, litteralis sensus est relinquendus: ut quando dicitur Sabbatum legis esse perpetuum, Sacerdotium æternum, possessionem terræ æternam, pactum

circumcisionis

circumcisionis æternum: quæ omnia ad spiritualem sensum tantùm sunt referenda: Hæc notantur à Seraphico Doctore in fine proœm. Brevil. qui alias regulas intelligendi Sacram Scripturam desiderat, adeat Sacros expositores &c.

Prologus in Genesim.

INter quinque libros à Moyse Spiritu sancto dictante conscriptos, qui communi vocabulo appellantur nomine Pentateuchi: primo loco collocatur Genesis liber, qui ab Hebræis dicitur Beresith, idest in principio; in quo in primis adverte (humanissime lector) quod cùm tibi proposuerim hanc Scripturæ Sacræ Glossam Seraphicam, veluti Paradisum cælestem, si tibi ad primum aspectum occurret Paradisus non cælestis, sed terrestris diversis arboribus, & fructibus, & præcipuè ligno vitæ consitus, & in eo primus homo collocatus, ne tibi aliquis scrupulus animo ingeratur, quod eventus sit contrarius promissis: sed siste gradum, & oculos fige in vestibulo ingressus in hujus Paradisi Custodem Cherubicum Seraphim, nempè in Seraphicum Doctorem S. Bonaventuram, qui gladio versatili igneo, scilicèt ardore suæ charitatis, & gladio doctrinæ Seraphicæ tibi viam parabit ad ingressum ex hoc terrestri in Paradisum cælestem promissum; & ut hæc rectè percipias, nota verba, signa mysteria: Libri Genesis materia est duplex, historica, & mystica: historica continet res præteritas, nempè narrationem creationis hujus mundi, & omnium rerum factarum à Deo, ornatum, & voluptates, quibus repletus est Paradisus terrestris, conditionem primi hominis in hoc Paradiso collocati, propagationem ex ipso omnium hominum, virtutes, & exempla tot SS. Patriarcharum. Mystica continet res futuras, nempè delicias Paradisi cælestis præfiguratas in illo terrestri, nempè Verbi Incarnationem, Conceptionem in utero Virginis, ejus Nativitatem, propagationem spiritualem tot filiorum regeneratorum ex ipso, virtutes, & exempla, & alia tot bona nobis à Christo præparata: Nam in hoc libro Genesis ostenditur nobis Deus omnium conditor: Christus præfiguratus in Paradiso terrestri, in ligno vitæ, in primo homine ex virginea terra condito, & in eodem Paradiso collocato, in Abel, in Noe, in Abraham, & cæteris Patriarchis ita quòd animæ percurrenti hunc Paradisum occurrunt infinita bona, quibus pasci potest, & delitiari veluti in Paradiso, ut patebit in decursu expositionis hujus libri. Intra igitur (ò homo) libenti animo in hunc Paradisum, & humili, devotoque corde attende ad ea, quæ nunc tibi meditanda, & degustanda ostendit Seraphicus iste ductor, & Doctor Sanctus Bonaventura.

S.Bonav. in Op. Princip. S.Scrip. & Op. Brevil. l.2.serm. 14. Hexaem.

PERMISSIO

PERMISSIO A. R. P. GENERALIS.

NOs F. Bernardus à Portu Mauritio totius ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum S. Francisci Generalis Minister (licèt immeritus) opus cui titulus est *Glossa, seu summa omnium expositionum Sacræ Scripturæ*, quibus Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura sua scripta respersit, & ditavit: Authore Patre Bartholomæo à Castro Vetro Theologo, definitore Provinciæ Capuccinorum Lombardiæ à quibusdam Theologis dicti nostri Ordinis, quibus id commisimus relectum, & approbatum, ut typis mandari possit, servatis servandis tenore præsentium facultatem concedimus. In quorum fidem his solito nostro sigillo firmatis manu propria subscripsimus. Datum Parmæ, die tertia Novembris 1679.

F. Bernardus
Minister. Generalis.

APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

IUssa exequens A. R. P. Bernardi à Portu Mauritio Fratrum Minorum Capuccinorum S. Francisci dignissimi Ministri Generalis; Ego subscriptus vidi librum, cui titulus est *Glossa, seu summa omnium expositionum Sacræ Scripturæ* compositum ab A. R. P. Bartholomæo à Castro Vetro Provinciæ Lombardiæ lectore celebertimo, & definitore, quibus Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura sua scripta respersit, & nihil inveni dissonum fidei, atque bonis moribus, imò omnia observavi adeò conducentia ad fidem operatricem, atque ad Christianos mores excolendos, ut omnes, præcipuè concionatores Verbi Dei ex hoc mystico Paradiso poterunt colligere, non solùm quæ ipsis inservient ad intelligentiam sacrarum Scripturarum juxta profundas Seraphici Doctoris expositiones, sed etiam ea, quæ excitare valebunt auditores ad compunctionem cordis; quarè tale opus non sine magno labore confectum, censui typis dignum ad utilitatem omnium atque decus totius nostræ Seraphicæ Religionis; in quorum fidem hæc mea propria manu subscripsi.
Datum Cremonæ, die 18. Octobris 1678.



F. Ignatius à Cremona Guardianus, olim Philosophiæ, atque sacræ Theologiæ lector.

Jussu

IUſſu A. R. P. Bernardi à Portu Mauritio Ordinis Fratrum minorum Capuccinorum Miniſtri Generalis vidi ego infra ſcriptus opus, cujus titulus eſt, (Gloſſa, ſeù ſumma omnium expoſitionum, quibus Seraphicus Doctor S. Bonaventura ſua ſcripta reſperſit) & cum nihil in eo invenerim Catholicæ Fidei contrarium, aut bonis moribus repugnans: dignum cenſeo quod publicæ pietati, ac præcipuè concionatorum utilitati typis donatum honorificè in lucem prodeat.

Datum Saxolii, die 30. Septembris 1679.

F. CHERUBINUS à Corrigio Capuccinorum
Saxolii Guardianus, olim Philoſophiæ,
ac ſacræ Theologiæ lector.

SUMMA



SVMMA EXPOSITIONVM OMNIVM EX D. BONAVENTURA IN SACRAM SCRIPTURAM

EXACTE' COLLECT'A, ET CONCINNATA AB ADMODUM REVERENDO PATRE BARTHOLOMÆO A CASTRO VETRO CAPUCCINO.

GENESIS CAPUT PRIMUM.

In Principio creavit Deus Cælum, & Terram.

1. *A Deo, non ab alio principio, nec etiam ab Angelis Mundus conditus est.*



IN *Principio creavit.* Quæritur, pro quo supponat ille terminus, (*in principio,*) an pro creato, an pro increato.

Respondetur, quod in hoc verbo apparet, multos textus Sacræ Scripturæ admittere plures sensus litterales; Dicitur igitur, (*in principio*) involuendo purè ordinem, unde idem est dicere in principio, ac ante alia, connotando privationem respectu alicujus temporalis prioris, & simul præpositionem posterioris; & per hoc eliditur error Antiquorum Philosophantium, qui dicebant Mundum esse factum ex tempore, sed mediante Intelligentia, scilicet Deum fecisse primò Angelos, & cum illis, vel mediantibus ipsis condidisse Mundum: Si enim Deus in principio conditionis creasset Mundum:ergo non primò Angelos, vel Intelligentias.*l.2.d.1.p.1.dub.2.*

2. *A Deo in principio temporis, non ab æterno conditus est Mundus.*

In Principio creavit. Quæritur, utrum quid aliud significet hæc particula (*in principio.*)

Respondetur, per hoc nomen importari habitudinem mensuræ; unde idem est in principio, ac in primo instauti temporis: per hoc eliditur error Aristotelicorum, qui dixerunt Mundum conditum ab æterno: si enim in principio temporis factus est ex nihilo, non ergo fuit sine principio: qui error ortum habuit ex hoc quod non potuerunt videre, qualiter Mundus inceperit, & quarè tunc, & non ante: vide ergo, quomodò sine auxilio Fidei deficit scientia humana.*l.2.d.1.p.1.dub.2.& op.Princip. S.Scrip.*

3. *A Patre per filium Mundus conditus est.*

In Principio. Quæritur, an alium sensum contineat hoc nomen. Respondetur, per hoc nomen (*in principio,*) importari habitudinem causæ, ita quod sensus est, in principio, id est in Filio, quia notatur causa non solùm efficiens, sed exemplaris increata: omnia enim in sapientia fecit Deus *Ps.*103. Et per hoc eliditur error Platonicorum, qui dixerunt, principia Mundi tria esse, scilicet Deum, Materiam, & exemplar creatum: si enim Deus in Filio, sicut per exemplar æternum condidit Mundum ex nihilo, non ergo requiritur secundum principium, quod est exemplar: nec tertium, quod sit materia; qui error ortum habuit ex hoc, quod non potuerunt intelligere omninò, quomodò aliquid fieret ex nihilo. *l.2.d.1.p.1.dub.2.& art.1.q.1.*

4. *Unus Deus omnium conditor indicatur in principio Sacræ Scripturæ.*

In principio creavit Deus. Quæritur, an alium sensum admittat hoc nomen? Respondetur, nobis indicari unum Deum principium omnium rerum, simulque ordinem, decoremque Universi, bonitatemque, & potestatem Dei Creatoris: per hoc elidi-

tur error omnium abominabilior, ſcilicet Manichæorum, qui ponebant duo principia effectiva; unum bonorum, aliud malorum. *l.2.d.1.p.1.dub.2. & a.1.qu.1.& art.2.quæſt.1.*

5. *A Chriſto Domino initium dicendi, & ſcribendi ſumit Sacra Scriptura, & nos idem facere debemus in omnibus noſtris operibus.*

In principio : Quarè Deus voluit, ut exordium potius Sacræ Scripturæ ab illo nomine (*in principio*) ſumeretur, cum aliquid elegantiùs uſurpari poſſet ab eruditiſſimo, & omnium Theologorum facilè Principe Moyſe? Sed nota, quod per principium hic intelligitur propriè Filius Dei, per quem facta ſunt omnia: & ideò non ſine magno myſterio duo illi maximi Prophetæ inceperũt, ſcilicet Moyſes Divinæ Sapientiæ inchoator, & Joannes ejuſdem Divinæ Sapientiæ terminator, ſcilicet dictando Incarnationem Verbi: Moyſes dixit: *in principio*, id eſt in Filio creavit Cælum, & terram: Joannes intonuit: *In principio erat Verbum; omnia per ipſum facta ſunt; & Verbum caro factum eſt*: Per hoc intellige, quod ſicut ad notitiam Creatoris omnium conditoris pervenire non poteſt, niſi per id, quod factum eſt, ſic neceſſe eſt, ut ante omnia verbum verax præcedat ſe: quia ſine ipſo factum eſt nihil: *Serm.1.Hexaem, & in Pſal.1.* Ante omnia gitur ſemper confugiendum eſt ad Chriſtum, tanquàm ad omnium bonorum factorem, & Authorem.

6. *Tota Sacra Scriptura eſt de Domino Ieſu Chriſto.*

In principio creavit. Cur dicitur Filius Dei principium, & non potiùs Pater? Quia per Verbum omnia facta ſunt, tanquàm per cauſam efficientem, & exemplarem. Ex hoc intelligendum, quod tota Sacra Scriptura eſt de Domino Jeſu-Chriſto: de ipſo enim ut incarnando eſt vetus Teſtamentum: de eodem ut incarnato eſt novum. *Op.Princip.Sacræ Script.*

7. *Chriſtus Ieſus in veteri Teſtamento ubique præfiguratus, præmonſtratus, promiſſus, & prophetatus.*

In principio. Cur non dixit apertè, In Filio creavit Deus Cœlum? Quia in veteri Teſtamento ſub figurarum velamine proponebatur; præmonſtrabatur; promittebatur; prædocebatur; & prophetabatur incarnandus. Et hinc ſub nomine principij in exordio Geneſis proponitur; deindè figuris remotiſſimis præfiguratur in hoc eodem libro, quoad ortum, occaſum, triumphum, & cultum: ortus figuratur in ligno vitæ: occaſus in Abel paſſione: triumphus reſurrectionis in Noë: & cultus pietatis in Abraham. *Op.Princip.S.Script.*

8. *Creatio eſt ex nihilo, & Dei potentiam infinitam demonſtrat.*

In principio creavit. Cur non dixit, In principio fecit Deus, ſed creavit? Quia creare eſt producere res ex nihilo; facere verò propriè eſt producere ex præſuppoſita materia: unde per tale verbum indicatur Dei potentia infinita. *Op.comp.Theol.lib.2. c.1.*

9. *Per nomen Deus, exprimitur ejus dignitas eminentiſſima.*

In principio creavit Deus. Cur non dixit creavit Dominus, ſed Deus? Nota: non dixit Dominus, Sed Deus: Dominus enim eſt nomen poteſtatis, & commune etiam Creaturis; Deus verò ſumitur à Theio, vel theaſte, quod eſt facere, videre, & urere; unde ſignificatur Deus creator, rector, & conſervator, ſimulque ſapientia, potentia, & bonitas divina; indicaturque, quod ſicut ſolius Dei proprium eſt creare res, ita & ipſas regere. *l.1.d.2.dub.3. & l.2.d.2.p.1.dub.2. & Op.Principium S. Script. & in ſap.c.15.& ſer.1.in Rogation.*

10. *Idem conceptus confirmatur.*

In principio creavit Deus. In his primis verbis ſignificatur ſuperexcellentia authoritatis Divinæ Eſſentiæ tria comprehendens: Primò primitatem inaccibilem, & imprincipiabilem tam in eſſendo, quàm in dominando: Secundò poteſtatem illimitabilem includentem univerſitatem creatorum, & excludentem omnem terminum durationis. Tertiò æquitatem inobliquabilem. *Op. Principium S. Scrip.*

11. *Creatio Angelorum, materia prima, & omnium elementorum innuitur.*

In principio creavit Deus Cælum, & Terram. Nota: per Cælum, & Terram poteſt intelligi primò una, & eadem materia, ex qua omnia corporalia facta ſunt: Secundò nomine Cæli ſpiritualis ſubſtantia. Tertiò Empireum; Per terram verò intelligitur, vel materia prima, & corporalis Creatura, vel Terra elementaris creata in principio, tanquam fundamentum omnium formarum, vel elementorum; vel per terram omnia viſibilia citra Empireum *l.2.d.2.dub.1.& d.12.dub.1.& art.1. qu.3.a.2.qu.1.& in Pſalm.102.*

12. *Mundi creatio facta eſt per Verbum, & itidem ejuſdem recreatio, & reſtauratio.*

In principio creavit Deus Cælum, & Terram. Cur in principio Sacræ Scripturæ ponitur in medium Verbum, Filiuſque Dei ſub nomine principij, cum etiam Pater, & Spiritus Sanctus fuerit principium efficiens Mundi? Reſpondetur, id factum eſſe ex myſterio maximo; nam ſicut per Verbum omnia facta ſunt, ſic per ipſum incarnatum omnia reſtaurata, & recreata ſunt: & omnia, quæ dicuntur in veteri Teſtamento, ad Chriſtum, vel litteraliter, vel myſticè ordinata ſunt: unde ſicut in principio Deus creavit Cælum, & Terram per Verbum, ſic etiam per Chriſtum crucifixum reſtauravit Cælum, ſcilicet naturam Angelicam, & animam, & terram, ſcilicet humanam naturam, & corpus humanum: & hinc edocemur, quod Jeſus, qui ſub nomine principij proponitur in principio Sacræ Scripturæ, eſt initium noſtræ ſalutis. *In Pſal.134. & Op.ſimul p.1.c.3.& in Lucam cap.3. in fine.*

13. *Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis proponitur in principio Sacræ Scripturæ.*

In principio creavit Deus. Cur nomine principij exprimitur Filius, & non potius Pater, cum ipſe ſit prima Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, & principium omnium proviſionum? Sed obſerva, quod cum nomen principij competat tribus Perſonis

Divinis

Divinis in ordine ad creaturas, tamen hîc ponitur secunda Persona sub hoc nomine principij in obliquo, quia vt dictum est, per verbum tanquàm per exemplar omnia facta sunt; unde in Hebræo textu legitur propter, seu per principium; talisque modus à scriptura vsurpatus est, ot innueret tres Personas Divinas, nempè sub nomine Dei, Patrem, sub nomine principij, Filius; & deindè subdit Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut innueret tertiam Personam: *Breuil.p.2.c.5.* In cujus rei significationem in Hebræo ly, *Deus*, legitur in plurali *Heloim*, id est, Dij, per quod indicatur pluralitas Personarum.

14. *Creatio mundi fuit figura mirabilis recreationis, quam continuè facit Deus in sacrificio missæ.*

In principio creavit Deus Cælum, & Terram: In his, & sequentibus verbis exprimitur creatio facta à Deo hujus Mundi, & deindè subditur, quod Deus requievit ab universo opere: si requievit, & cessavit ab opere Creationis, quomodò dicitur in Missæ Canone à sacerdote, quod per Christum Dominum hæc omnia bona creat, vivificat, & benedicit, quæ omnia in principio Mundi itidem fecit? Sed jam dictum est, hoc fuisse figuram eorum, quæ à Christo patranda erant in recreatione Mundi minoris, scilicet Hominis: idque præcipuè in sacrificio Missæ, in qua veluti de novo creat Cælum, & terram, scilicet panem, & vinum, quæ à sacerdote, simulque à tota Trinitate per Christum veluti creantur, vivificantur, & benedicuntur per transubstantiationem in corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. *op.expos. Missæ c.4.*

15. *Christus in recreatione Mundi Terram fecit Calum, scilicet Hominem de terra inani, & vacua transtulit in Firmamentum.*

In principio creavit Deus Calum, & Terram: Si Christus veluti novam creationem Mundi fecit in redemptione, quodnam est hoc Cælum, & Terra nova à Christo facta?

Nota, quod Christus dicit in Isaia *c.45. Ego facio nova:* & *c. 65. Ecce ereo novos Calos, & terram novam:* quinam sunt isti Cæli novi, & nova Terra? Sed nota, quod Deus priùs Cælum fabricavit, & postea Terram: in recreatione verò opposito modo processit; nam Terram renovavit ipsam transformando in Cælum, scilicet Hominem, qui ante Christi Redemptionem dicebatur Terra inanis, & vacua, post assumptionem humanitatis factus est Cælum novum, & Firmamentum mysticum. *op.de Ecclesia.Hier.p.4.cap.6.*

16. *Christus Iesus initium, & finis, quiesque omnium Creaturarum.*

In principio creavit Deus: Cur in primis proponitur Verbum tanquam omnium principium, & non potiùs Pater? Quia cum tota sacra scriptura ordinetur ad Christi Redemptoris ostensionem: Per hoc voluit nobis insinuare quod Christus Iesus, sicut est initium, seu principium omnium rerum, sic est finis reparans, promovens, & finiens eas: unde dicit de se ipso: *Ego sum Alpha, & omega.op.lignum vita in fine.*

17. *Beata Virgo Maria figurata fuit in hoc Calo ante omnia condito.*

In principio creavit Deus Calum, & Terram. Cur potiùs Cælum, postea terram? Cur cùm Deus processerit in cæteris creaturis ab imperfectioribus ad perfectiora, etiam eundem ordinem hîc non servavit?

Nota, quod per Cælum hic intelligitur ad litteram Empyreum. Sed cur Empyreum ante omnia voluit fabricare, quod est cæteris nobilius, & perfectius? Sed vide mirabilem Dei dispositionem, cum enim, ut dictum est, hæc creatio materialis fuerit figura spiritualis recreationis faciendæ à Christo Reparatore: voluit nobis indicare, quod ad hanc recreationem faciendam, priùs formandum erat mysticum Empyreum tanquam summatium, & veluti compendium omnium aliarum perfectionum, nempe Beatissimam Virginem Mariam: Ad hanc enim Deus primò respexit tanquàm Empyreum creatione purum (scilicet sine mixtione alicujus impuritatis) situ altissimum, omnium perfectionum contentivum, nulli motui imperfectionis subjectum, sed summè quietum, & per totum vniformiter luminosum: unde Beatissima Virgine nihil pulchrius, nihil sublimius, nihil vtilius, nihil communius, nihil perfectius inter creaturas, & ideò divinæ sapientiæ penetravit abyssum. *op.de Eccles.Hier.p.4.cap.7.& serm. 1. de B. Virg.*

Sed quid dico? Beata Virgo fuit sublimior Empyreo; quia eius venter continet, quod Cæli non possunt continere. *op.stimul.p.3.c.19.*

18. *Deus in creatione horum inferiorum ab imperfectioribus ad perfectiora processit ad nostram instructionem, ut homo procedat ab imperfectiori statu ad perfectiora.*

Terra autem erat inanis & vacua. Quænam erat hæc Terra? & quomodò dicatur inanis, cum esset vera substantia?

Nota, quod per terram intelligitur hîc materia prima, quæ creata fuit veluti incomposita, & ad modum Embrionis, & cum inclinatione naturali ad compleri per formam, idque fecit Deus, ut erudiretur homo, se debere procedere ab imperfectioribus ad perfectiora, & ad gratiam perfectiorem adspiraret. *l.2.d.12.a.1.qu.2.& 3.& dub.1.*

19. *Homo in statu peccati debet ad Deum clamare in oratione, ut per gratiam informetur.*

Terra erat inanis, & vacua. Si Deus poterat omnia perfectissimè in unico instanti creare, cur voluit incipere à substantia imperfectissima materiæ? Vt erudiretur homo, quod sicut materia prima per se ipsam informis existit, solùm à Deo formarum creatore poterat formari: sic & anima non poterit se ipsa formari, nisi Deus gratiam suam impendat. Et sicut illa prima materia existens in illo abysso imperfectionis clamabat quodammodò ad Deum, ut vlterioribus formis formaretur perfectis: sic talis anima debet ex abysso peccati ad Deum clamare, ut forma gratiæ efficiatur. *l.2.d.12. a.1.qu.2.*

20. *Homo à gratia Dei separatus est terra inanis, & vacua.*

Terra erat inanis, & vacua: Cur erat inanis, &

vacua? Nonne fuit illa materia creata cum aliqua forma? Verum est creatam fuisse cum aliquali forma imperfecta; attamen erat inanis, & vacua omni fructu, quia ei deficiebant formæ ad id necessariæ: ut intelligeret Homo, quod sine gratia Dei est terra inanis, & vacua sine fructu meritorum. *In Psal.66. & serm.3.de B Virg.*

21. *Homo sine Christo Iesu est terra inanis, & vacua: per Christum verò fit Cælum.*

Cur inanis, & vacua? Vt Indicaretur status miserabilia hominis per peccatum; erat enim veluti terra inanis, & vacua, sed sicut ex hac materia formati sunt cæli: sic & per Christum homo transformatur in Cælum.*op.Eccles.Hier.p.4.c.6.*

22. *Homo terra inhærens totus terrenus.*

Terra erat inanis, & vacua. Si hic intelligitur materia prima, ex qua formata sunt corpora cælestia, & elementaria pulcherrima; cur nomine terræ exprimitur, cum terra sit elementum omnium imperfectissimum? Quia illa materia tunc erat in statu vilissimo, ob idque nomine terræ, tenebrarumque appellabatur, ut intelligeremus, quod Homo mundo adhærens, & terrenis se immergens, relinquendo fructum vitæ, & venam aquarum viventium paludibusque turbidis se satians, est terra fætida, omniumque creaturarum vilissima.*op.Comp.Theol.l.3.c.7.* vide igitur quo saltu anima ex statu altissimo gratiæ peccando se præcipitatit in profundum miseriæ, & utilitatis statum: Deoque super omnes creaturas exosa fit.

23. *Homo, nisi separetur ab aquis voluptatum, sterilis permanet.*

Terra erat inanis, & vacua. Cur vacua, & cur sterilis tunc erat? Nisi quia erat cooperta aquis, sed ab aquis sepatata dedit fructum suum. *Psal.65. & 102.* Sic & homo quousque immersus vivit in aquis voluptatum mundanarum, non potest dare fructum bonorum operum, nec Deo placere. *Ibidem, & Comp. Theol.l.3.c.7.*

24. *Spiritus Sanctus proponitur in principio mundi.*

Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Quia est iste Spiritus Dei? Nota, quod litteraliter indicatur, Deum suo spiritu, & virtute excitasse vim seminariam existentem in illa materia rudi, ut indè ordinatè educerentur formæ omnes completæ rerum corporalium, simulque omnea distingerentur secundùm suas species. *l.2.d.14.p.1.a.1. qu.1. & d.18.a.1.qu.2.ad 5.& in Psal.101.*

Sed quare utitor hoc vocabulo, *Spiritus?* Ut innueretur concursus tertiæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis simul cum concursu Patris, & Filij, ut jam dictum est. *Breuil.p.2.c.5.*

25. *Ex Spiritus Sancti adventu in Ecclesiam complementum Fabrica, & omnis pulchritudo Ecclesiæ.*

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Cur non innuitur simul cùm Filio tertia persona Trinitatis, quando dictum est: *In principio creavit Deus Cælum, & terram*, sed tantùm quando edocendæ erant formæ specificæ ad complementum, & ornatum Mundi? Nota: Jam suprà dictum est hanc creationem fuisse figuram recreationis faciendæ à Verbo incarnato: Sed tamen ad complementum fabricæ Ecclesiæ debuit advenire spiritus sanctus? sicut enim ad Ædificium requiritur primò dispositio in mente Artificis: Secundò electio lapidum: Tertiò fundamentum: Quartò erectio parietum, scilicet tectum: sic in Ædificatione spirituali Ecclesiæ Spiritus Sanctus ferebatur super aquas, scilicet adveniens in Mundum sua omnipotenti virtute primò disposuit: secundò elegit lapides vivos, nempè sanctos: tertiò cònstituendo fundamentum per adventum, & mortem Christi: quartò erigendo, & copulando parietes vocatione Iudæorum, & Gentium: & tandem tectum erigendo, & complementum superaddendo per insti ficationem continuam electorum ad numerum prædestinatorum complendum, quæ omnia facta sunt, & exposita præcipuè in die Pentecostes post resurrectionem, & ascensionem Christi Iesu. *In Ps.5.* sic S.Ambros. *l.de Spiritu S.c.5.* Hinc intellige spiritum sanctum omnium creatorem, & omnem venustatem, & pulchritudinem in Ecclesia imbuentem.

26. *Spiritus sanctus assistit materia sacramentorum, ipsam elevanda, & vivificando:*

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Cur dicit super aquam, & non super materiam primam nomine aquæ expressâ? Vt innueretur in figura, quid operaturus esset Spiritus S. super aquam Baptismi, nempè cum Minister utitur tali materia in ministrando hoc sacramentum: tunc Spiritus sanctus concurrit ad mundandam animam, & infundendo sua dona. *Psal. 76.* Idem & intellige in cæteria Sacramentis: Spiritus enim sanctus elevat materiam, & formam Sacramentorum ad statum, & virtutem supernaturalem.

27. *Lachrymarum efficacia ex adventu Spiritus sancti.*

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Cur super aquas dicitur ferri, & non potiùs super terram? Quia illæ aquæ figurabant aquam lachrymarum, & pœnitentiæ, quæ per adventum Spiritus sancti virtutem habent animam ad Deum formandi, & Deo copulandi. *Psal. 76.* statim enim ac apparet hæc aqua, advenit tunc Spiritus sanctus elevans, & vivificans animam.

28. *Spiritus sanctus videtur mobilis, & inquietus quousque requiescit super humilem: unde anima humilis dicitur requies Spiritus sancti.*

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Quæritur, quomodò Spiritus sanctus, qui est immobilis, dicatur moveri? Respondetur, ut requiescat in anima humili. *In Luc.c.10.v.6.* quæris igitur requiem Spiritus sanctus in te ô anima, dum tot inspirationibus, & motionibus te excitat, & vocat ad bonam frugem.

29. *Spiritus Sanctus descendit ad fovendum bonos, & puniendum ingratos.*

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Cur super aquas dicitur superferri? Nota, quod hæc dicuntur ad

ad litteram, ut indicetur concursus generalis Dei, ut secundùm variam cujusque rei naturam educerentur formæ: mysticè datur intelligi; quod spiritus sanctus descendit non solùm ad fovendos bonos, ut suprà dictum est, sed etiam super malos: idcòque notanter dicitur, *super aquas*; aquæ enim signant populos fluentes aqua concupiscentiæ, super quos spiritus Dei fertur in morte ad ipsorum punitionem. *Psal.76.*

30. *Verbi Divini productio, & omnium rerum à Deo facta, simulque eius Divina omnipotentia exprimitur per verbum (dixit & fiat.)*

Dixit Deus fiat lux. Quid est hoc dicere Dei? forsan usus est verbo vocali in productione rerum? minimè sed per hoc verbum altissimè exprimit sacra scriptura productionem æternam verbi, & temporalem rerum; dicere enim in Deo est verbum gignere; & quia Deus dicendo facit, hinc dicitur Deus ab æterno produxisse verbum, & in ipso omnia disposuisse in temporeque produxisse, *l.2.d.3.dub.3.& serm.3.Hexaem.*

31. *Dei facilitas in producendo tot Creaturas.*

Dixit Deus fiat lux, & facta est lux. Cur addit sacer scriptor ad fiat, & facta est lux? Certum enim est Dei dicere esse idem, ac producere, ut dictum est; unde videtur frustratoria hæc additio? Sed nota mirabile mysterium horum verborum; nam per illud verbum, *dixit*, importatur ipsa actio in se, & per aliud, *fiat*, importatur ipsius effectus manifestatio: idò præmittitur verbum dicendi verbo faciendi, ut in hoc ostendat, quod Deus maxima facilitate produxit singula absque eo, quod aliqua vox creata rerum productionem præcesserit, *l.2.d.13.dub.3.*

32. *Dicere in sacra scriptura multiplicem sensum admittit.*

Dixit Deus. Quid est hoc dicere in Deo? Sed notandum, quod dicere aliquando connotat effectum in actu, idemque est ac effectum producere, in quo Deus dicens se expressit: & in hoc sensu producendo creaturam se declarat Deus, vel inspirando aliquid animæ voluntatem suam manifestat: sic pluries in scripturæ sumitur hoc verbum dicendi in Deo: aliquando dicere importat actum quasi exterius relatum ad interius verbum conceptum, per quod dicens se, & omnia loquitur, quod *in Psal.* 61. dicitur: *semel locutus est Deus*, id est Filium genuit, per quem omnia disposuit: & hoc pacto dicere connotat effectum in habitu, & dispositione: aliquando dicere importat actum intrinsecum, & absolutum, scilicet dicere est videndo intueri: sic quælibet Persona Divina dicit se, & aliam, & huic dicere non respondet verbum conceptum; quælibet enim Persona seipsam videt, & seipsam intuetur: unde dicere non connotat effectum nec habitu, nec actu; sed in his verbis Genesis, *Dixit Deus*, sumi potest primo, & secundo, non tertio modo, cum connotetur effectus vel in habitu, vel in actu: *l.2.d.13.dub.3.*

33. *Lux facta in principio erat substantia lucida suo motu faciens diem, & noctem, licèt imperfectam.*

Dixit Deus, fiat lux. Quæritur, quid sit ista lux? Respondetur, quod ad litteram intelligitur productio lucis corporalis, scilicet substantiæ lucidæ cum aliqua opacitate, ex qua facta sunt Luminaria Cæli, inter quæ principatum tenet Sol: *l.2.d.13.dub.2.& a.p.qu p.& 2.*

Hæc autem substantia lucida erat ad modum nubis lucidæ, quæ secundùm Aliquos facta est in meridie, & post sex horas, quando fuit creata materia prima, quibus computatis completa est dies viginti quatuor horarum. Probabiliùs tamen dicitur fuisse factam in principio creationis Cæli, & Terræ in Oriente, suaque revolutione perfecta fecisse diem, & Noctem: sicque præcesserunt tres dies ad productionem Solis, Lunæ &c. *l.2.d.13.dub.2.& a.1.q.2.per tot.*

34. *In prima die facta est substantia Angelica ante omnem corporalem.*

Dixit Deus fiat lux. Per hanc lucem intelligitur litteraliter quidem substantia lucida corporea, ut dictum est, sed allegoricè substantia Angelica facta in prima die. *l.2.d.13.a.1.qu.1. & Brevil.p.2.c.2.& op.Eccles.Hierarch.p.2.cap.3.*

Angeli verò dicũtur rectè lux propter irradiationem à superna luce secundùm statum naturæ, & secundùm plenitudinem gloriæ, *l.2. d.14.a.3.qu.1*

35. *Angeli sunt lux quia illuminant bonos, & relinquunt malos in sua improbitate.*

Fiat lux. Cur nomine lucis voluit Deus indicare Angelos? Quia sicut lux transparentia, & diaphana perfectè manifestat; terrestria verò propter crassitiem sibi resistentem non penetrat, nec immorat: sic Angeli sunt lumina per se apta illuminare Homines; sed tamen modo peculiari sibi appropinquantes per bona opera perfectiùs illuminant, & illustrant, & ubi inveniunt obstaculum improbæ voluntatis, se non diffundunt, *op. Eccles.Hierarch.p.3.cap.3.*

36. *Angeli facti à Deo ut lux, vel lumina nos illuminantia.*

Fiat lux: id est Angelica substantia: Angeli ergo rectè dicuntur lux: sicut enim lux seipsam manifestat, & alia manifestate facit: sic Angeli in seipsis sunt lumina intrà se nitentia: animam verò nostram etiam illuminando, non quidem quoad infusionem lucis in portione superiori animæ; hoc enim spectat ad solum Deum; sed in portione inferiori, suggerendo, & excitando bonas cogitationes (loquendo de bonis Angelis), & malas, loquendo de malis: & consequenter etiam excitando, & adjuvando ad inflammandum affectum, *l.2.d.13.a.2.qu.1. & 2.* De custodia Angelorum vide, *l.2.d.10.per totum, & d.11.*

37. *Angeli non æqualiter custodiunt bonos, & malos.*

Fiat lux: idest Angelica substantia. Cum dictum sit Angelos esse lucem, & se non diffundere ad improbos: Quæritur, an Angeli desinant custo-

dire aliquando obstinatos. Respondetur, quod respectu corporis Angeli boni nunquam deserunt Hominem quantùmcumque malum, non patientes ipsum à Dæmonibus opprimi, vel occidi, nisi quando Divina sententia aliter exigit fieri: respectu verò animæ, nunquam Angelus deserit Hominem etiam pessimum quantùm ad actum custodiæ, qui respicit malum, quia semper retrahit, quantùm est in se, hominem, ne labatur in peius: quantùm verò ad bonum obstinatos deserunt; ideò ex hac parte Antichristum non custodient, videntes se frustrà exerceri circa obstinatos, & excæcatos, qui non recipiunt instructionem, nec exhortationem. *l. 2. d. 11. a. 2. qu. 1.*

38. *Angelorum custodia effectus duodecim.*

Fiat Lux. id est substantia Angelica &c. Si Angeli sunt lumina nos illuminantia, & inflammantia. Quæritur, in quibus ista exerceant? Respondetur, Angelos primò Hominem pro delictis increpare (ut habetur *Iudic. c. 2. v. 1.*) Secundò à vinculis peccatorum absoluere (ut habetur *Act. Ap. 12. v. 7.*) Tertiò est auferre impedimentia ad bonum (ut habetur *Exod. c. 12.*) Quartò est Dæmones arcere (ut habetur *Tob. ult.*) Quinto est docere (ut habetur *Daniel. c. 10.* Sextò est secreta revelare (ut habetur *Gen. c. 18.*) Septimò est consolari (ut habetur *Iob. 5.*) Octavò est in via Dei confortari (ut habetur 3. *Reg. c. 19.* (Nonò est in via deducere, & conducere (ut habetur *Tob. 5.*) Decimò est Hostes deijcere, (ut habetur *Isa. 37.*) Undecimò est tentationes mitigare (ut habetur *in Genes. c. 32.*) Duodecimò est orare, & orationes Deo offerre (ut habetur *Tob. cap. 12.*) sic *l. 2. dist. 11. a. 2. qu. 1.*

39. *Quomodò facti sint Angeli.*

Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: Nota, quod in formatione aliarum creaturarum dicitur, fiat, fecit, & factum est: in productione verò lucis, & substantiæ Angelicæ dicitur tantùm, fiat, & factum est, vel facta est: quia cæteræ creaturæ habent triplicem modum essendi, scilicet in causa producente, & in mente rationali, seu idæali, & in corporali materia, seu mundo sensibili, à quo eductæ fuerunt; de quibus ideò dicitur, & fecit, scilicet eas in materia: & factum est, scilicet completæ sunt in se: at Angelica substantia significata in hac luce habuit tantùm duplex esse, scilicet in verbo, quod significatur per fiat; & in se ipsa, quod significatur per factum est: non enim educta fuit à materia corporea. *l. 2. d. 12. a. 1. qu. 1. corp. & serm. 1. Hexaem.*

40. *Quarè in scriptura expressè non traditur formatio Angelorum.*

Fiat lux: scilicet substantia Angelica. Quæritur, quarè non expressè, sed tantùm allegoricè explicatur creatio, & lapsus Angelorum, scilicet creatio in his verbis, *fiat lux*; lapsus verò in malis, & statio in bonis in his verbis *& divisit lucem à tenebris*? Respondetur; quia principaliter intendit sacra scriptura agere de operibus reparationis humanæ, ideò expressè tantùm tradit formationem corporalium, Hominis, & ipsius lapsum; tum etiam quia scriptura primariò tradita est genti rudi, quæ tota intenta erat ad sensibilia (per quæ tamen poterat intellectus illustratus lumine fidei manuduci ad spiritualia intelligenda) unde non indoctè per formationem lucis intelligi potest formatio lucis Angelicæ, principaliùs tamen corporeæ. *l. 2. d. 13. a. 1. qu. 1 ad 2.*

41. *Beata Virgo Maria lux, & ante omnem Creaturam excellentia, & dignitate à Deo ordinata.*

Fiat lux. Cur primâ die facta est lux, & non alia Creatura? Quia lux figurabat Beatam Virginem, quæ luci comparata sive Angelicæ, sive corporeæ, prior, potior, dignior, & purior invenitur. *op. spec. B. Virg. lect. 3.*

42. *Lux Christus in Nativitate.*

Fiat lux: Quis unquam vidit solem oriri media nocte? Orta est lux in principio Mundi in media nocte tenebrarum: ortus est Christus lux, imò sol post quinque millia annorum eodem die, in quo dixit Deus: *fiat lux in medio noctis cursu*, scilicet in profundo ignorantiæ, & peccatorum mundo obtenebrato lux venit in Mundum, sed (proh dolor) dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; ideò etiam media nocte veniet ad judicium. *serm. 2. in Dom. 3. Advent.*

43. *Lux Christus in Cruce.*

Fiat lux: Scilicet Christus in mundi recreatione Christus in Cruce fuit lux, expellens omnes peccatorum tenebras, per sui præsentiam faciens diem, & per absentiam noctem. *op. stim Div. am. p. 1. cap. 7.*

44. *Lux fides, quæ dividit lucem veritatis à tenebris ignorantiæ.*

Fiat lux: Scilicet fides adveniens intellectui obstinato ipsum irradians ad cognoscendam veritatem supernam. *serm. 4. & seq. Hexaem.* nam fides illuminat interiorem partem animæ, per quam cognoscitur veritas, & Deus immittit consolationes ipsi animæ. *In Psalm. 118. cap. 4. v. 8.* Per hanc enim Deus divisit lucem à tenebris ignorantiæ, in quas involuti erant Philosophi gentiles. *serm. 7. Hexaem. & in Lucam. c. 2. v. 21.*

45. *Cognitia creaturæ, nisi ordinetur in laudem, & dilectionem Creatoris magis obscurat, quàm illuminet.*

Fiat lux: Ad quid facta est ista lux? Sed iam dictũ est, quod per istam lucem factum est vespere, & mane: suitque figura eorum, quæ homini spiritualiter contingunt: nam hæc lux est interior mentis illuminatio. *Psal. 118. c. 4. v. 8.* Per hanc lucem vespere, scilicet habetur cognitio creaturæ in seipsa, quæ in seipsa advesperascit: & mane, quando anima consurgit ex tali cognitione in laudem, & dilectionem Creatoris; hæc enim in noctem non vergitur, nisi cum Creator amore creaturæ relinquitur. *l. 2. d. 4. a. 3. qu. 2.*

46. *Videre Dei est se manifestare, & approbare.*

Vidit lucem: Quomodò nunc dicitur Deus videre? Nonne prius videbat? Id dicitur ad manifestationem nostram: Videre enim Dei est intelligentibus manifestare bonitatem suam, simolque approbare obiectum visum. *op. de Invisibilit. Dei.*

Lux

47. Lux est decor totius Mundi corporei, nobiliorque qualicunque alia forma corporea.

Vidit lucem, quod esset bona: Quomodò dicitur bona, & non potius pulchra, cum pulchritudo, non bonitas sit objectum visus? Nonna aliæ formæ, resque producendæ erant bonæ? Sed notandum, quod in sensu Hebræo nomen, Tob, idem est ac bonum, pulchrum, decorum, & beneplacens: dicitur igitur lux bona, pulchra, decora, & beneplacens; quia inter alias formas hæc creata fuit perfectissima, cum alia corpora à luce recaptura essent decorem, bonitatem, & pulchritudinem. *l.2.d.13.dub.2.& art.2.per totum.*

48. Deus in Animam primò infundit lumen innatum ipsam dirigens in iis, quæ sunt de dictamine legis naturalis.

Vidit Deus lucem, quod esset bona: Cur primò creavit lucem, & non aliud corpus, vel substantiam? & cur primò à Deo approbata? Quia cum per cælum figuretur anima, & per terram corpus Hominis, qui est Mundus minor; idcò in medium apposuit primò lucem; quia hoc est donum primum innatum, quod Deus animæ infundit, irradiando in nobis lucem veritatis rerum, signorum, & morum, per quam homo dirigitur in ordine ad principia universalia, tum in cognoscibilibus, tum in operabilibus, quæ spectant ad dictamen legis naturæ. *serm.4.& 5.Hexaem & l.2.d.39.a.1.qu.2.*

49. Beata Virgo Maria lux purissima ante omnem creaturam à Deo approbata.

Vidit lucem, quod esset bona, & divisit lucem à tenebris; Cur primò ante cætera lux à Deo approbata, & tunc à tenebris divisa? Cur non primò fuit divisa à tenebris, & postea laudata? Nota, quod hoc totum factum est in eodem instanti: Ad creationem enim lucis tenebræ exularunt. Sed quodnam mysterium hic invenitur? Sed nota,

Hæc lux fuit figura Beatæ Virginis, ut suprà dictum est, diciturque prior cæteris creaturis, non tempore, sed dignitate, ad quam primò respexit Deus: Ipsa enim fuit statim carens fuligine culpæ, cæterisque præbens lumen; ideò prior omnium à Deo approbata. *op spec.B.Virg.lect.3.& in op.Laus B.Virg.fig.12.*

50. Bonorum, & Malorum simul societatem Deus prohibet: Peccatumque non potest stare cum gratia.

Et divisit lucem à tenebris: Quomodò facta est hæc divisio, si tenebræ sunt pura privatio, imò nihil? Nota, quod hîc innuitur divisio facta à Deo inter Angelos bonos, & malos, inter quos prælium factum est magnum in cælo. *l.2. d.13.a.1. q.1.d.4.& op. spec.B. Virg.lect.3.* ut videas quàm sit necessaria separatio bonorum ab impiis, quia eorum societas est pessima, & facilè inficiens etiam Angelos.

51. *Quid dies, & quid nox.*

Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: si Deus hoc nomen expressit diei, & noctis, quibus personis id expressit? & ad quid tunc hoc expressit? sed id refertur ad hominem, in cujus notitiam Deus voluit, ut posteà adveniret, quid esset Dies, & quid nox: dies inquam per claritatem lucis, & nox per occultationem eiusdem lucis. *l.2.d.13.a.1.qu.2.ad 4.*

52. Quo ordine dierum Deus in creatione rerum processerit.

Et factum est vespere, & mane dies unus: Vespere, & mane sunt media inter diem, & noctem secundùm accessum, & regressum: mane autem per accessum solis ad nostrum hemisphærium: vespere per declinationem solis ad occasum. Hîc autem quæritur, quarè cùm priùs sit mane, posteà vespere, primo loco ponitur vespere, & secundo mane, ordine præpostero?

Respondetur, quod ratio litteralis est; quia prima dies non habuit noctem præcedentem, sed statim lux incepit secundùm suam totam potestatem illuminare ac si esset in meridie; ideò non dicitur fecisse mane, sed priùs vespere, quod est finis diei, & postmodùm mane, quod est finis noctis: quia priùs fecit diem, & posteà noctem. Alij dicunt probabiliter, quod illa dies non habuit mane, quia incepit in meridie, & posteà mane; cùm priùs rediret ad occasum, quàm rediret ad ortum; sic hæc prima dies copulatur nocti sequenti constituens spatium viginti quatuor horarum. *l.2.d.13. dub.1.& a.1.qu.2.ad ult.*

53. Ratio mystica ordinis Diei, scilicet à vespere ad mane, & inde ad vesperam.

Et factum est vespere. Respondetur, talem ordinem servare sacram scripturam, ut indicaretur per copulationem Diei, seu illius plenæ lucis cum nocte sequenti lapsus futurus à luce gratiæ in tenebras culpæ: In cæteris diebus fit computatio à vespera ad vesperam, scilicet noctis præcedentis cum die sequenti, & practicatur ab Ecclesia in observantia solemnitatum ad significandum, quod eramus aliquando tenebræ per peccatum, nunc lux rediit nobis per Christum: Computatur autem dies à vespera, prout est principium noctis præcedentis ad vesperam, prout est finis diei sequentis. *l.2.d.13.dub.1.*

54. Differentia qualis dierum apud Hebræos, Græcos, Astronomos, & Ecclesiam.

Factum est vespere, & mane dies unus. Cur tali ordine fit computatio dierum, quæ non servatur ab Ecclesia, nec ab omnibus gentibus? Respondetur, quod talis computationis ordo ab Hebræis servatur, quia persistunt in cortice litteræ: Græci verò computant diem à mane ad mane, quia tunc primò apparet sol: Astronomi à meridie ad meridiem, quia tunc sol est in maiori virtute: sancta Ecclesia à media nocte ad mediam noctem, quia tunc natus est sol Christus Iesus: ne autem videatur omninò reiicere ordinem hic positum, in celebrando solemnitates incipit à vespera, & procedit ad vesperam. *l.2.d.13.dub.1.*

55. Quarè primus dies dicitur unus, & non primus.

Factum est vespere, & mane dies unus. Nota: dicitur dies unus, non primus: sicut dicitur de cæteris dies secundus, tertius &c. & hoc quia sicut unitate numeratur omnis numerus; sic hoc motu omnia

motus,

motus,& omne tempus, & ſicut unitas eſt principium omnium numerorum; ſic hic dies dicitur unus; quia fuit principium omnium aliorum dierum, figurabatque diem Dominicam reſurrectionis,quæ fuit principium omnium illuminationum: unde in illo die, in quo primò facta eſt lux, reſurrexit Chriſtus de tenebris mortis, & Inferni ad lucem vitæ. *In Pſal.*118.*c.* 6. *v.*11. *& Luc.c.*24. *verſ.*1.

56. *Privilegia dominici diei.*

Et factum eſt veſpere,& mane dies unus: Iſta dies appellatur Dominica ab Eccleſia, & ſuper omnes alias privilegiata:primò, quia fuit prima: ſecundò erit ultima: tertiò, quia nox illam non præceſſit, nec nox illi ſucceſſit: quartò, quia in illa creata fuerunt Cælum,& terra; quintò in ea Angeli converſi ſunt ad Deum: ſextò in ea fuerunt data mandata filijs Iſraël: ſeptimò in ea Chriſtus natus eſt, & reſurrexit, & deſcendit ſpiritus ſanctus in Apoſtolos: octavò in ea omnes reſurgemus,& iudicabimur: nonò, quia in ea abſque tenebris ſuccedentibus perpetuò electi continuabunt in laude Dei.*Opuſc.Comp.Theol.l.*2.*c.*10.

57.*In via perfectionis ſemper eſt progrediendum,nunquam quieſcendum.*

Factum eſt veſpere, & mane dies unus: Nota per (*veſpere*) ſignificatur perſeverantia in opere virtutis: per (*mane*) inchoatio virtutis *in Pſ.*29. ut videas,quod in via Dei nunquam debes quieſcere: ſed ex conſummatione operis ad inchoationem novi itineris debes procedere uſque ad finem: debemus igitur eſſe perſeverantes,ut imago Dei in nobis deformata per peccatum, reformetur per perfectionem operum. *Pſal.*129.

58. *Hæc vita eſt mixta ex tribulationibus,& proſperitatibus, & nihil purè triſte vel lætum in mundo.*

Factum eſt veſpere,& mane dies unus: In veſpere ſignificatur adverſitas,in mane proſperitas. *Pſ.*29. ſignificaturque,quod ſi in Inferno eſt nox ſine die, in patria dies ſine nocte, in hac vita tamen eſt dies cum nocte, ſcilicet proſperitas eum adverſitate; quia humana felicitas varijs amaritudinibus eſt reſperſa, quæ nobis faciunt unum Diem. *Pſal.*129.

59. *A lacrymis, & ab exercitio pænitentiæ fit tranſitus ad lætitiam* (*ad veſperum demoratur fletus,& ad matutinum lætitia*) *Pſal.*29.

Factum eſt veſpere, & mane dies unus: In veſpere ſignificatur adverſitas: in mane proſperitas: prius eſt tribulatio, poſteà exultatio. *Pſal.* 29. *&* 129.*&* 142. Hic enim eſt ordo à Deo inſtitutus: à triſtitia ad lætitiam, à pœnitentia ad gloriam.

60.*Reſurrectio à peccato per pœnitentiam priſtinam innocentiam reſtituit.*

Factum eſt veſpere, & mane dies unus; Per veſpere ſignificatur peccatum, vel vita in peccato: per mane virtus,vel exercitium virtutis, & pœnitentiæ. *Pſ.*29. *& l.*3.*d.*31.*a.*1.*qu.*3. *arg.*3. Et hinc rectè deducitur, quod iuſtorum caſus, ſi fiat reſurrectio per pœnitentiam, non ei imputatur, Deuſque oblivioni tradit peccata, quaſi nulla nox interfuerit inter veſperam lapſus, & mane reſipiſcentiæ,*ſic & Steph.Cantuar.in allegor.Filman.*

61. *In Chriſto veſpere, & mane factus eſt dies unus: in nobis factum eſt veſpere, ſed expectamus mane, ſcilicet reſurrectionem.*

Factum eſt veſpere, & mane dies unus: Quarè hic dies, quo lux facta eſt, dicitur unus, & non primus,ſicut reliqui dicuntur ſecundus,tertius,&c. Iam ſupra dictum eſt hunc diem fuiſſe nominatum dominicum; quia in eo facta eſt reſurrectio Chriſti, futuraque eſt reſurrectio mortuorum, & adeptio futuræ felicitatis, in qua unus erit perpetuus dies ſine noctis viciſſitudine. *In Luc.c.*24.*v.*1.

Dicitur igitur, unus, non primus ſine ordine ad ſecundum; quia eſt dies perennis, ſic autem celebramus ſolemnitates Chriſti, ſcilicet Natalis, Paſchæ, & Pentecoſtes abſque die Octaua; quia reſurrectio Chriſti, & glorificatio iam præceſſit, nec eam expectamus: celebramus autem ſolemnitates ſanctorum, quia non adhuc eſt perfecta hæc dies; quia expectamus eorum octavam, ſcilicet glorificationem perfectam in corpore, & anima, ſcilicet tres dies per ordinem ad animam, ejuſque potentias, & quatuor ad corpus propter quatuor elementares qualitates: unde in Chriſto eſt unus dies completus,in nobis expectamus mane,& complementum.*Pſal.*29.*&* 119.

62. *Peccatum facit veſpere: charitas mane.*

Factum eſt veſpere,& mane dies unus,Per veſperam peccatum,in quo quis cecidit: per mane charitas, in qua,& per quam reſurgit Homo: rectéque comparatur charitas luci matutinæ propter novitatem (renovat enim animam) & propter ordinem,quia per eam anima creſcit ad meridiem. *l.*3.*d.*31.*a.*1. *qu.*3.*ad* 3.

63. *Cognitio creaturarum ordinata in Deum facit diem perfectum animæ.*

Factum eſt veſpere,& mane dies unus: Cur à veſpere ad mane procedit ſacer textus, & non è converſò? Nota quòd iſte dies nobis inſinuat creationem inchoatam rerum;& eum primò ſe offerat lux, & hinc aliæ creaturæ poſtea creatæ, datur nobis intelligi,quod lux condita in anima à Deo, ſi ſiſtit in cognitione creaturæ facit veſperam: ſi ad Deum ordinat cognitionem creatoræ, facit mane, cognitionemque matutinam vergentem ad perfectionem, & meridiem ingerit.*l.*2.*d.*4.*a.*3.*qu.*2.*& d.*39.*a.*1.*qu.*2.Creaturarum igitur cognitio manuducere nos debet in notitiâ,& amorem creatoris.

64. *Chriſtus per motum ſalutarem gratiæ præceſſit omnes dies; eſt enim lux vera; ideò non dicitur primus, nec ſecundus, ſed unus, ſcilicet in quo præceſſerunt mirabilia.*

Factum eſt veſpere, & mane dies unus: Quarè non dicitur primus, ſed unus? Dicitur unus, quia fuit principium omnium aliorum per motum circularem:myſticè; quia fuit dies gratiæ per motum ſalutarem verbi Dei.*Pſal.*118.*c.*6.*v.*11.

65.*Hæc*

65. *Hæc lux facit cognoscere Deum primam veritatem; ita ut non possit cogitari non esse.*

Factum est vespere, & mane dies unus. Nota ad exortum lucis à Deo productæ, factus est dies integer sine tenebris: sic lux spiritualis à Deo animæ indita (de qua dicit *Psal. 4. signatum est super nos lumen vultus tui*) taliter irradiat animam, ut faciat diem nescientem occasû, scilicet cognitionem de Deo, ut etiam non possit cognosci non esse, nec exprimi, quin homo sibi contradicat. *serm. 4. Hexaem. in Princ. & l. 1. d. 8. p. 1. a. 1. qu. 2.*

66. *Hic dies dicitur unus; quia fuit principium omnium dierum, & veluti dies dierum: sic commendatur unitas tanquam principium omnis boni.*

Factum est vespere, & mane dies unus: Quarè dicitur unus, & non primus? Respondetur, ad commendandam unitatem, & concordiam. *l. 2. d. 14. p. 1. dub. 1.* ut hinc discas, quod unitas, & concordia est principium radix omnium bonorum. *op. de Eccl. Hier. p. 4. cap. 4.*

67. *Timor Domini fundamentum primum omnium bonorum spiritualium Animæ.*

Factum est vespere, & mane dies unus. Cur reticetur meridies? quia subintelligitur. Sed adverte, quod necessariò inter mane, & vesperam intercedit meridies: septem autem dies exprimuntur in Sacra Scriptura ob mysterium; nam figurabant septem dona Spiritus Sancti, quibus Anima præparatur ad illud grande convivium Patriæ: hinc primus dies est eorum qui timore Domini permanent in sæculum sæculi: hujus diei mane oritur, quando per gratiam Anima rigatur, oritur meridies per charitatem: & quando à labore requiescit, & spiritualiter anima reficitur, tunc vesperascit. *Op. de septem donis cap. 1. & de dono timor. cap. 3.*

68. *Hic primus dies fuit figura primi status hominis.*

Et factum est vespere &c. dies unus. Nota quod sicut Deus sex diebus Mundum fecit, & in septimo requievit, ita Corpus Christi mysticum sex habet ætates; quarum prima signat primum tempus, quo datur Homini lux, & cognitio, & hæc est infantia, quæ oblivione deletur: sic quicquid actum est usque ad tempus, quo per diluvium deletum est omne animal, præter illa, quæ fuerunt in Arca Noë. *serm. 15. Hexaem.*

69. *Gratia à Christo ab initio nobis præparata.*

Et factum est &c. dies unus. Cur à luce voluit Deus incipere cursum dierum? Nota: formatio lucis in hac die facta est, quæ fuit seminarium, & origo formationis Naturæ, figurabatque tempus mysticum collationis gratiæ factæ à Christo seipso, & per Apostolos, aliosque ministros primitivæ Ecclesiæ. *serm. 16. Hexaem.*

70. *Firmamentum sumitur pluribus modis.*

Fiat firmamentum. Nota, firmamentum aliquando sumi largè pro Cælo continente omnes Cælos, ut hic sumitur: aliquando strictè pro octava sphæra, in qua positæ sunt stellæ, ut infra ad 81. Firmamentum autem largè sumptum dividit aquas elementares à cælestibus, scilicet à Cælo chrystallino: hinc & continet septem Orbes Planetarum, qui inter se distinguuntur non per discontinuationem, sed per diversitatem motuum. *l. 2. d. 14. p. 1 in dub. 1. & art. 1. qu. 1. & 2. & p. 2. a. 1. per totum, & Centil. p. 3. sect. 11. & 12. & Brevil. p. 2. c. 3. & serm. 3. de B. Virg.*

71. *Cælum Chrystallinum in quo sensu dicitur in Sacra Scriptura aqueum, vel aqua.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Quæritur, an aquæ superiores sint ejusdem naturæ cum inferioribus? Respondetur negativè: Aquæ superiores propriè dicuntur de Cælo chrystallino, quod dicitur aqua, non quod sit ejusdem naturæ formaliter, sed ob similitudinem in perspicuitate, & quatenus dicitur habere frigiditatem, & gravitatem virtualiter tantùm, & effectivè. *l. 2. d. 14. p. 1. a. 1. qu. 1. Brevil. p. 2. c. 5.*

72. *Firmamentum quomodò dicitur firmum, simulque mobile.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Nota dicitur firmamentum hoc Cælum continens septem orbes, non quod sit immotum, cum pateat ad sensum ipsum moveri: sed dicitur, quia inter aquas superiores, & inferiores, quas dividit, uniformiter se habet, & semper incedit, nec unquam à suo statu mutatur. *serm. 1. de B. Virg.*

73. *Firmamentum differt à cæteris Cælis, ejusque nobilitas qualis.*

Fiat firmamentum. Hoc firmamentum differt ab Empyreo, & à chrystallino Cælo; nam firmamentum est mobile, & Empyreum immobile, & uniforme: chrystallinum est mobile, & simul uniforme: firmamentum verò est difforme, subjectumque variis motibus, quibus Cæli Planetarum moventur. *Brevil. p. 2. c. 3. & op. Eccles. Hier. p. 4. cap. 6.*

Nota etiam: Empyreum factum est prima die cum luce, & in eadem die: in secundo instanti firmamentum cum cæteris stellis factum ex lucida substantia non subjecta qualitatibus contrariis. *l. 2. d. 14. p. 2. dub. 2. & 3. & a. 2. q. 1. & d. 12. a. 2. qu. 2. & d. 2. p. 2. dub. 2.*

74. *Figura Incarnationis Divini Verbi nobis à principio mundi manifestatur.*

Fiat Firmamentum in medio aquarum. Nota: in prima die creavit Deus Empyreum, quod nobis est invisibile: in secunda die firmamentum nobis visibile; aquam verò, scilicet Cælum chrystallinum posuit inter utrumque: Quarè hoc?

Respondetur, quod hoc mysticè factum fuit, quando verbum assumpsit naturam humanam; in Christo enim est Divinitas nobis invisibilis, & humana visibilis media incarnatione: Christus autem ut homo dicitur firmamentum primò ratione fixæ, & firmæ unionis cum verbo: secundò, quia est firmum fundamentum totius ædificij spiritualis Ecclesiæ: tertiò quia est mediator Dei, & hominum, nunc dividens merita bonorum, & malorum, superiorum, & inferiorum, postea in judicio divisurus præmia, & flagella: quartò quia continet intra signum suæ potestatis prædestinatos, & præscitos, illos reservans ad gloriam, istos ad gehen- *Christus firmamentum Ecclesiæ, & animarum.*

nam : quintò quia est singulare divinitatis habitaculum, in quo Deus hominem per ipsum tanquam propitiatorium, audit, & condescendit: sextò quia motum circularem fecit, nempe de sinu patris in Virginis uterum, & deinde per lymbum, & mundum progrediens reversus est ad Patrem: septimò quia est lux vera illuminans omnem hominem: octavò quia inflammat sibi conjunctos spiritualiter: nonò quia mutabilitatem non patitur, non valens humana perversitas ejus bonitatem superare, vel alterare: decimò quia sicut firmamentum apparenter videtur conjungi cum nostro Horizonte: sic Christus in terra visus est cum homine conversana nihil differte à cæteris mortalibus. *Op.Eccles.Hier.p.4.c.6.*

75. *Christus in Cruce factus est firmamentum in medio aquarum.*

Fiat firmamentum in medio aquarum, &c. Hic est Christus in Cruce dividens consolationes temporales ab æternis: vel aquas sapientiæ humanæ ab aquis Divinæ sapientiæ: vel dividens aquas vitiorum ab aquis gratiarum: vel aquas tribulationum ab aquis divinarum consolationum. Item in Christo crucifixo congregatæ sunt aquæ, quæ sub Cælo erant, quia Deus posuit in eo omnes iniquitates nostras, scilicet pœnas pro nostris iniquitatibus debitas, & in eo facta est congregatio aquarum, quia in eo fuit diluvium passionum, amaritudinum, & opprobriorum, & ideò gratia sui terra apparuit arida; qui enim pro peccatis nostris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati sumus merito passionis suæ. *Op. serm. div. am.p.1.c.7.*

76. *Christus ut Iudex est firmamentum dijudicans inter bonos, & malos.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Hoc firmamentum est Christus timentibus se, in medio Populorum stans, & dijudicans bonos, & malos. *ser.1. fer.3.Pasc.*

77. *Beata Virgo in passione Christi fuit firmamentum in medio aquarum.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Hoc firmamentum mysticè est Beata Virgo, dividens aquas superiores ab inferioribus, scilicet in ea vires sensitivæ fortiter fuerunt concussæ in passione Filij sui; pars tamen superior non fuit à pace, & quiete permota. *serm.1.de B.Virg.& op.Eccl.Hier.p.4.c.7.*

78. *Prælati Ecclesiæ debent esse firmamentum in medio aquarum: eorumque obligationes quales.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Hoc firmamentum mysticè significabat Prælatos Ecclesiæ, qui fidei firmitate, & fortitudinis robore contemplativos quasi aquas superiores sursum tenent, ne labantur ad inferiora, & sæcularibus negotiis se implicent; sæculares verò implicatos quasi aquas inferiores coërcent per correctionem: Eorum vita etiam inter contemplationem, & actionem in medio confirmata, & quasi ex utraque compacta; ideò eorum diligentia se medij debent interponere inter mundi Principes Tyrannos, & pauperes, infirmosque, ne Divitum violentia opprimat pauperes; & è contra ne fraus, insolentiaque pauperum transeat in contemptum, & damnum Dominorum. *Op.Eccles.Hierarch.p.4. cap.3.*

79. *Fides & spes sunt firmamentum sublime, stabile, & speciosum.*

Fiat firmamentum, &c. Sicut hoc cælum est sublime quoad situm, stabile quoad formam, & spectabile quoad claritatē: sic visio fidei, seu fides Theologica, scilicet sublimis reddens animam sublimatam super omnia creata: stabilia excludens omnem dubitationem, & spectabilis quoad moltiplicem claritatem: & sicut duplex est altitudo firmamenti; altera respiciens suprema; altera infima: sic fides facit Deum cognoscere, & trinum unum: spes item est firmamentum: est enim anchora, & firmitas animæ in iis, quæ sunt Christi. *In Lucam c.2. v.2.serm.8.Hexaem.*

80. *Doctores, & Prædicatores, Iustique sunt firmamentum Ecclesiæ.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. Mysticè hoc firmamentum significat justos, præcipuèque Pastores, & Prædicatores, qui ita sunt firmi, & constantes per omnimodam patientiam, quod de nullius contrarij motus impetu possunt dissolui, & sicut firmamentum non deprimitur à superioribus aquis, nec elevatur ab inferioribus: sic Justus non deprimitur per pusillanimitatem in adversis, nec erigitur in prosperis. *op.de Eccles.Hier.p.4.c.5.*

81. *Natura, & proprietates firmamenti enarrantur.*

Et vocavit Deus firmamentum Cælum. Nota hîc, quod licèt ab Aliquibus hîc pro firmamento sumatur Cælum largè sumptum continens omnes Cælos Planetarum, igneam, & aëream spheram, de quo S.Bon. *l.2.d.14 p.2.a.1.qu.3.in corp.* & sic dicitur Cælum quasi Cavum, significans naturam passivam, contentivamque: vide *l.2 d.14.p.2.dub.3.& p.1.a.1.qu.1.2.& 3.*

Attamen probabiliùs Cælum dicitur à cælando, & stat pro octava sphæra, & Cælo stellato quasi sculpto luminaribus, & stellis. In hac autē sphæra posuit Deus plurimas stellas, sicut in inferioribus unicam tantùm; & hoc quia octava sphæra maximè est causa vitæ inferiorum præ cæteris sphæris, & hoc non potest esse, nisi per diversum lumen in diversis stellis: secundò quia Natura temperavit, ut daret inferioribus sphæris, quæ plures habent motus, stellam unam, & superiori, quæ habet pauciores, daret stellas multas: tertiò quia motus influit à superioribus orbibus in inferiores; ideò ob prædominantiam superioris in inferiores, debebat præcellere inferioribus, quos movet, abundareque in corporum luminarium multiformitate. *l.2. d.14. p.2.a.1.qu.1.ad ult.*

82. *Angeli, Sancti, Prælati, justi, & divina judicia nomine Cæli significantur in Sacra Scriptura.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Nomine Cæli in Sacra Scriptura intelligitur, vel puritas Angelorum: vel dignitas Sanctorum: vel potestas Ecclesiastica: vel conversatio Justorum: vel occultatio Divinorum judiciorum. *op.Eccles.Hier.p.4.c.1.*

83. *Beata Virgo Maria Cælum, & firmamentum mysticum.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Hoc Cælum est mysticè Beata Virgo uniformem semper habens motum per patientiæ firmitatem, & Cælum est sydereum, seu stelliferum per omnium donorum, & gratiarum copiositatem; sicut enim Cælum non est porosum, sed solidum, sic pia Mater Dei nullo modo fuit porosa, vel vacua, sed solida, quia omni gratia fuit plena, cujus admirabilis soliditas tunc maximè claruit, quando prædulcem Filium mori conspexit: & licèt aquæ inferiores tunc fuissent conturbatæ, scilicet vel pars ejus inferior: vel Ecclesia primitivorum in fidei deficientia: tamen ejus pars superior immota permansit in patientia ex fide. *serm.1.de B.Virg.& op.Eccles. Hier.p.4.c.7.& serm. 1.de B.Virg.& op.Psalt.min.in quinq.2.quat.19.*

84. *Apostoli sunt Cæli.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Hoc firmamentū sunt Apostoli, per quorum ministerium descendit ignis Spiritus Sancti in homines consumens peccata, & carnalia, & tanquam sydetei refulserunt in miraculis, & prodigiis. *op.Eccl. Hier.p.4.c.2.*

85. *Angeli sunt Cæli.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Nota hoc nomen Cæli datum est non solùm octavæ sphetæ, sed etiam aliis orbibus: unde per Cælos significantur Angeli, tum ob naturæ suæ puritatem: tum ob perspicacem subtilitatem intelligendi: tum ob naturæ suæ stabilem perpetuitatem: tum ob magnitudinem virtutis, quoad præceptorum Divinorum altissimam impletionem, latitudinem charitatis, & profunditatem quoad secretorum cognitionem: tum ob scientiæ claritatem: tum ob diffusionem lucis in inferiora: tum ob supereminentiam supet omnes alias Creaturas: tum quia cum sint in se ordinatissimi, aliorum sunt ordinativi. *Op.de Eccles.Hier.p.4.c.1.*

86. *Christi Humanitas est firmamentum Ecclesiæ.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Hoc mysticè dicitur de humanitate Christi, quæ cum esset priùs terra subjecta pœnis, & doloribus, assumpta à Verbo conversa est in firmamentum, & super Angelos sublevata in statum incorruptibilitatis. *Op. Eccles.Hier.p.4.cap.6.*

87. *Prælati sunt Cæli.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Cæli sunt Prælati boni ob luciditatem bonæ conscientiæ in se, & diffusionem luminis spiritualis in alios: velocissimi in omnibus motibus spiritualibus, & regulativi motuum subditorum. *Opusc.de Eccl.Hier.p.4.c.3.*

Et sicut firmamentum voluitur ab Oriente in occidentem, & iterum redit ab occidente ad orientem: sic & viri perfecti à quiete contemplationis procedunt ad laborem prædicationis, & ab hoc iterum ad orationem redeunt. *ibid.*

88. *Religiosi, & contemplativi sunt Cæli.*

Et vocavit firmamentum Cælum. Cæli sunt Contemplativi, & Religiosi, scilicet remotià mundanis, veloces in exercitio obedientiæ, concordes in operando, humiles per occultationem Divinorum, diffusivi in alios. *Op.Eccles.Hier.p.4.c.4.*

89. *Beata Virgo Maria Cælum.*

Cælum item est Beata Virgo Maria, quia ipsa nihil purios, sublimius, polchrius, utilius, communius, velocius, perfectius, durabilius. *Op.Eccl.Hier. p.4.c.7.*

90. *Peccatum omne, sed maximè discordia summè Deo exosum, & homini pernitiosum.*

Et factum est vespere, & mane dies secundus. Quæritur, quarè cum in omnibus cæteris diebus, & operibus addatur. *Et vidit Deus, quod esset bonum:* in hac secunda die reticetur hæc laus? Duplex ratio assignari potest: alia litteralis; alia allegorica: Prima est, quia in secunda die inchoata fuit divisio aquarum, sed non consummata, nisi in tertio die, & cum divina Scriptura signet approbationem post perfectionem, hinc reticetur illa laus: alia scilicet allegorica, quia binarius numerus est primum principium alteritatis, & divisionis, primusque recessus ab unitate, & per consequens etiam à perfectione, hioc ratis approbatio reticetur. *l.2. d.14. p.1. dub.3.* Vide Ugonem à S. Vict. *lib.de Sacram. p.1.*

Addit hic Ugo Cardin. Hujus diei non adhibetur benedictio, quia prævidit lapsum hac die futurum: Vnde hac die Ecclesia celebrat missam de Angelis ad honorem Sanctorum Angelorum. Vide igitur quàm Deo sit exosum peccatum, maximéque discordia etiam in sola umbra figuræ: & quàm perniciosa homini, quia ob illam Deus privat creaturas suis benedictionibus.

91. *Dies Spiritualis Animæ fit per Donum timoris.*

Et factum est vespere, & mane dies secundus. Donum pietatis facit hunc diem mysticè: initiat autem per inclinationem, & veram compassionem quantùm ad seipsum influit lumen meridiani fervoris menti in ordine ad Divinum cultum; lumenque tandem vespertinum in mente terminat, dum inclinat ipsam per misericordiam in proximum. *op.de Dono piet.cap.2.*

92. *Diluvij, baptismatis, & secundæ ætatis Hominis præfiguratio.*

Et factum est vespere, & mane dies secundus. Nota, quod hic dies respondet tempori secundæ ætatis Hominis, & Mundi; nam sicut in hac secunda die factum est firmamentum in medio aquarum, dividens aquas ab aquis: sic in secunda ætate, quæ durat à Noe usque ad Abraham, divisæ sunt linguæ, & fœdus factum est, ne homines perirent per aquas inferiores: & in pueritia homines discunt loqui & loquuntur. *serm.15. Hexaem.* Figurabat item tēpus purgationis culpæ in lege gratiæ per baptismum sanguinis, flaminis, & fluminis. *ser. 16. Hexaem.*

93. *Divisio Elementorum traditur.*

Congregentur Aquæ, &c. Hic nota, quod Deus in hac die separando aquā à terra, loca propria disposuit elementis: nec fit mentio de aëre, & igne, quia per illa duo, scilicet aquam, & terram, quæ sunt maximè sensibilia, & tractabilia, subintelligitur aëris, & ignis distinctio, quæ sunt minùs sensibus nostris manifesta: nota etiam, quod terram, & aquam conjunxit, ut terra germinare posset, arefecit enim sic superficiem terræ, ut tamen ipsius radicē aqua impleret, & per decursum fluviorum eam irrigaret:

 appellat

appellat autem terram nomine ſingulari, & aquas plurali, quia humidum indiget termino alieno, ut terminari poſsit, & ob multiplicitatem terminorũ etiam videtur ipſa multiplicari: terra verò propriè terminat ſeipſam non termino alieno. *l.2.d.12.a.1. qu.3.ad 1.& diſt.14.p.2.dub.1.*

Nota etiam priùs terram appellari aridam, poſtea terram; primò enim indicatur ejus proprietas, ſcilicet ſiccitas: poſtea ejus uſus,& utilitas ex cõmixtione aquæ, ut poſſit coli, ideò dicitur terra quaſi tiria, & hinc hæc terra,quam colimus, non eſt purum elementum, ſed mixtum. *l.2.d.14. ibid.*

94. *Maris natura explicatur.*

Congregationes aquarum appellavit maria. Scilicet aqua amara,nõ quod prima qualitas aquę ſit amaritudo,ſed quia conſequitur aquam in ſua congregatione propter craſſitiem patrium,quæ remanent ſobtilioribus elevatis ſurſum, vel penetrantibus in terræ profundo; dolces ſunt autem aquæ ex ſubtilizatione ipſarum. Nota etiam, quod Hebræi quamlibet congregationem aquarum appellabant mare,ut patet de Stagno Genezareth. *l.2.d.14.p.1. dub.1.& Luc.c.5.v.1.*

95. Eccleſiaeſt hoc mare: item Sacra Scriptura, quæ habet alveos,ſcilicet profunda ænigmata Prophetarum, ſenſuſque latentes, fluvioſque, & fontes diverſorum ſenſuum ſactorum.

96. *Chriſtus præfiguratus in mari.*

*Congregentur Aquæ &c.*Hoc myſticè fecit Chriſtus in ædificatione Eccleſiæ; congregavit enim in Sacra Scriptura, ut in mari magno univerſalitatem Intelligentiarum ſpiritualium, tanquam fluminum trahentium originem à Sacra Scriptura, nempè anagogiam, allegoriam, tropologiam, & litteralem, quæ habent multiplicem faciem. *ſerm. 13.Hexaem.*

97. *Chriſtus in Cruce eſt mare figuratum,in quo congregatæ ſunt aquæ peccatorum noſtrorum & dolorum.*

*Congregentur Aquæ in locum unum.*Iſte locus fuit Chriſtus, in quo Deus congregavit omnes aquas, quæ ſub Cælo ſunt, nempe iniquitates noſtras, & diluvium paſſionum, & amaritudinum totius mundi: & ideo gratia ſui terra noſtra apparuit arida, ſcilicet nos, qui digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati ſumus merito paſſionis ſuæ. *Op. ſtim.div.am.p.1.cap.7.*

98. *Maria Virgo mare plenum omnibus gratiis.*

Congregationes aquarum appellavit maria. Locus iſte in quo congregatæ ſunt aquæ, myſticè eſt B. Virgo Maria, in qua omnia chariſmata gratiarum Sanctorum, & Angelorum intraverunt. *Op. ſpec. B.Virg. lect.3.& 7.*

99. *Maria in Paſſione fuit mare amarum.*

Congregationes aquarum appellavit maria. Maria in paſſione ſui Filij fuit mare amarum, quia ipſius cor gladius pertranſivit, & ideò pluſquam martyr fuit: imò majorem dolorem habuit, quàm ſalvator, qui tot ſuſtiouit: & in Cruce cor Virginis cum Filio pendebat. *Op.ſtim.div.am.p.1.c.15. in fine op.officium de compaſſione B. Virg.In Luc.c.2. v.35.& in Ioan.c.19.v.26.*

Nota, quod dicitur de Maria, quod majorem dolorem paſſa eſt,quam Chriſtus;intellige ob duo: primò, quia Chriſtus tantùm paſſus eſt in parte animæ inferioris;Maria in utraque: ſecundò,quia Maria per amorem hoſpitabatur in corde Chriſti, tanquam ejus anima, ideo omnes pœnæ eam pertranſibant.

100. *Idem conceptus.*

Congregationes aquarum. Nota, quod Mare eſt congregatio aquarum, quæ in eo dulcedinem vertunt in amaritudinem; ſic Maria in paſſione Fili ſui fuit amarum mare, in qua omnis dulcedo converſa eſt in amaritudinem: onde, ſic in Annunciatione Angelus ei dixit, Ave gratia plena: tunc erat amaritudine plena: ſi Dominus tecum: tunc erat ſine Filio jam in tumulo jacente:ſi benedicta inter mulieres:tunc hæc benedictio ſibi fuit contraria propter mortem Chriſti. *Op. Officium de Compaſſ. B. Virginis lect.3.*

101. *Idem conceptus.*

Congregationes. Maria amarum mare fuit; quia cor Virginis in corde filij tanquam in mari magno, & ſpatioſo intravetat in paſſione ipſius. *Op. ſtim. div.am.p.1.c.15.*

102. *Maria mare amarum, terribileque Dæmonibus.*

*Congregentur &c.& appellavit maria.*Maria mare amarum fuit Dæmonibus; eſt enim ignis terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. *Op. ſpec. B. Vir. lect.3.*

103 *Vocis Domini efficacia.*

Congregentur aquæ &c. Sicut ad vocem Domini ſeparatæ ſunt aquæ à terra: ſic ad vocem Domini, quæ eſt efficax remedium contra fluctuationem mentis, & carnis, ſeparatur anima a fluxu vitiorum; vox enim Chriſti eſt confringens ſuperbiam, & incentiva carnis. *In Pſal.28.*

104. *Niſi anima à terrenis affectibus ſeparetur, non dabit fructum ſuum.*

Congregentur Aquæ &c. Nota, quod ſicut terra quandiù fuit mixta aquæ erat ſterilis, ſed ſeparata dedit fructum ſuum:ſic nos qui ſumus terra,quandiu ſumus in aqua, ſcilicet in fluxu vitiorum, non facimus fructum; at ſejuncti à vitiis, fructificare poterimus. *In Pſal.65.*

105. *Iuſtus à terrenis rebus ſeparetur.*

Congregentur. Per id datur intelligere, quod in progreſſu virtutis requiritur purificatio à terrenis affectibus, & rebus. *Op.de dec.prac. ſerm.4.*

106. *Non niſi rebus perfectis Deus imponit nomen.*

Vocavit Deus aridam terram, & congregationes. Nota Sacram Scripturam non approbare res niſi poſt perfectionem: ideò ſolùm ſeparationem terræ ab aqua ea approbavit. *l.2.d.14.p.1.dub.3.*

107. *Homo, dum nihil operatur, nullique indigentia Hominum ſuccurrit, arida terra vocatur.*

Vocavit Deus aridam terram. Nota primò vocari aridam, poſtea terram: primò enim erat ſterilis, &

& sicca; sed postea ex commixtione aquæ ejus radicem irrigantis facta est fœcunda:ut videas quod nisi opera fructifera produxeris tibi & proximo, proficua eris,velut terra sterilis.*l.2.d.14.p.2.dub.1.*

108. *Concordia est fundamentum profectus spiritualis.*

Congregentur aquæ. Nota ,quod ut dictum est, ex hac congregatione aquarum orta est fœcunditas terræ , spiritualiter significatur , quod ubi deficit concordia,ibi nullus bonus fructus produci potest: contra verò ubi est unitas ,& concordia in anima, ibi est profectus spiritualis. *Op.comp. Theol.l.2.c.2.*

109. *Terra, & omnes aliæ res naturales ex Imperio divino faciunt opera naturæ.*

Germinet Terra. Per hoc patet Divina Institutio ordinatissima, secundùm quam est limitatio in naturis rerum , secundùm legem , quam ei ab initio condidit : unde dixit , *germinet terra herbam virentem* , non quod germinaret Hominem. *l.2. d.8.p.1.a.2.qu.1.corp.*

Sic patet, quod herbæ, & ligna crescunt, non ex humano imperio , sed divino dato ipsi terræ à principio : & hæc est ratio , quarè ars non possit æquare opera naturæ. *In Luc.c.12.v.27.*

110. *Deus vult cognosci conditor rerum.*

Germinet Terra. Nota:Deus ordinatissime fecit, dum terra eo die , quo producta est, ex ea herbas, & ligna prodire fecit:idque primò propter erroris remotionem,scilicet ne crederetur,quod Sol esset causa principalis terræ nascentium ; terrà enim est mater Plantarum ,& Sol Pater:secundò quia plantæ, & herbæ sunt quasi connaturales terræ , dum ei sunt radicitùs affixæ trahendo ex ipsa fomentum,& originem. *l.2.d.14.p.2.dub.2.*

111. *Omnes creaturæ ordinatæ sunt ad hominis utilitatem.*

Germinet terra. Hic quæritur,an tunc terra produxerit spinas, & tribulos?Respondetur affirmativè , quia tunc perfecta fœcunditas terræ data est, nec est ulla herba tam vilis , quæ non sit alicujus virtutis, & utilitatis : & licèt in Genesi *c.3.* dicatur produci spinas post maledictionem terræ in pœnam peccati : id tamen est dictum,quia in pœnam peccati producuntur spinæ, ubi seminatur frumentum.*l.2.d.14.p.2.dub.2.*

112. *Mineralia etiam continentur in virtute collata à Deo ipsi terræ.*

Germinet. Hic quæritur , quarè cùm mineralia sint ex terra sicut ligna , & herbæ, de illis non est facta mentio ? Respondetur , quod virtualiter continentur mineralia in virtute propagativa terræ, de illisque non est specialis mentio facta , quia recedunt à natura terræ, latentque sub terra.*l.2.d.14. p.2.dub.2.*

113. *Seminarium formarum inditum est in materia prima.*

*Germinet terra &c.cujus semen:*Id est seminariam virtutem propagativam habeat : ex quo infertur, quod in uno semine sint seminaliter sylvæ sylvarum , &infinita semina.*serm.13.& 14. Hexaem. l.2.d.15.a.1.q.1.*

114. *Quarè dicitur herba virens,non vivens, sicut dicitur anima vivens.*

Germinet Terra herbam virentem. Nota , non dixit herbam viventem , sed virentem , ut dicitur infrà *producat terra animam viventem* ; quia licèt vegetabilia habeant animam viventem ,propriè tamen vita exprimitur per sensum , & motum,quo carent herbæ. *l.2.d.15.dub.1.*

115. *Ecclesia, vel anima est terra, cui præcipitur germinare opera virtutum.*

Germinet Terra herbam virentem. Mysticè Terra hæc est Ecclesia , vel anima , & sicut terra ornata fuit tot herbis,& plantis : sic & Ecclesia , vel anima exigit ornatum, & productionem omnium virtutum,ut approbatur à Deo.*In sap.cap.1.& Psal.95.*

116. *Beata Maria Virgo terra mystica.*

*Germinet Terra &c.& protulit terra herbam.*Nota, quod in primis verbis indita fuit terræ virtus propagativa ; & deindè exequutivè protulit herbam,& ligna,&c.absque eo quod colerétur:mysticè hæc terra est B. Virgo Maria, quæ primò rorem Spiritus Sancti suscepit : deinde fructum , scilicet Iesum Christum protulit absque opere virili, sed inculta tantùm , & mundata per Spiritum Sanctum. *In Psal.66. & Op. Comp. Theol.l.4. c.12. & ser.4.in Dom.Sexages.*

117. *Idem.*

Germinet Terra. Terra hæc veluti hortus voluptatis fuit B.Virgo Maria inculta, sed fœcunda , in qua sunt herbæ omnium virtutum,& flores exemplorum,& dedit fructum,scilicet Christum Iesum. *Serm.4. in Dom. Sexages. & opuscul. Comp. Theol. l.4.c.11.& op.spec.B.Virg.lect.5.*

118. *Maria Terra benedicta, quæ peperit fructum vitæ.*

Germinet Terra &c. & protulit terra. Cur priùs terra,quàm Cælum ornatur.Nonne priùs Cælom, tanquam corpus nobilius exigebat primo loco ornatum suum ? Notandum ,quod plenitudo , & perfectio terræ consistit in fructibus : Terra autem figurabat Mariam , quæ Christum peperit : Terra igitur priùs ornata fuit, & benedicta, in qua Deus posuit totius boni plenitudinem, cujus fructus sunt opera, mores,exempla, & diversa merita ejus sanctissimæ vitæ, & ab ipsa ortus est Christus lignum vitæ. *Op.spec.B.Virg.lect.5.& 7.*

119. *Lignum Crucis magis nobis necessarium, & utile, quàm Luminaria, & quodlibet aliud creatum.*

Germinet Terra &c.& protulit terra herbam virentē, & lignum. Quæritur, quarè dictum est terræ , *germinet &c.*antequàm Sol,Luna,Stellæ,& animantia producerentur ? Terra hæc est Ecclesia , & B. Virgo, cui dictum est : *germinet Terra herbam , & lignum &c.* ut suprà *n.7.& seq.* Hoc lignum figurabat Christum in Cruce : cujus radix irrigabatur fonte scaturitionis perpetuæ excrescente in fluviū vivum, & magnum , quatuor scilicet capitum ad

irrigandum Eccleſiæ Paradiſum.Porrò ex hujus arboris ſtipite multi rami frondibus,floribus,fructibuſque adornati conſurgunt, ſicque folium eius contra omne genus morbi medicamentum efficaciſſimum tam præſervans, quàm reparans, pro eo quod verbum Crucis, virtus eſt Dei in ſalutem omni credenti,*ex ep.ad Rom. c.1.*Flos ejus eſt omnis coloris formoſitate decoros, omniſque odoris ſuavitate repletus, qui deſiderantium corda reficillet, & attrahat: fructus autem eſt habens in ſe omne delectameotum, & omnis ſapotis ſuavitatem, qui ſic Domeſticis Dei ad deguſtandum proponitur, ut ſemper eo ſatientur edentes,& tamen nunquam faſtidiant: Et hic fructus eſt,qui de virginali utero traxit originem, & in ligno Crucis ad maturitatem ſaporoſam, per æterni ſolis calorem meridianum, Chriſti videlicet charitatem, pervenit, & in horto cæleſtis paradiſi, in Eccleſia videlicet Dei deſiderantibus ipſum proponitur deguſtandus, *op.lignum vita in præfat.* Vide igitur, quod lignum Crucis eſt magis neceſſarium hominibus, & utile, quàm luminaria, & quodcumque aliud creatum. Vide etiam, quomodò ab initio mundi fuit præfigurata Incarnatio verbi Dei, & Redemptio.

120. *Anima noſtra quaſi terra, quomodò fructificare poſſit virtute charitatis.*

Et protulit terra herbam &c. Ecce, quomodò terra ab aqua ſeparata ſtatim ad vocem verbi Dei protulit flores, & fructus: ſic & anima ſeparata a fluxu vitiorum,& terrenorum ad vocem Domini profert ſuos fructus.*In Pſ.18.& 65.*Hinc tunc anima germinat,quando habet virtutem ſeminariam bonorum operum,ſcilicet,charitatem, ſine qua nihil viriditatis habet opus. *In Lucam c.2. v.21.*

121. *Quales fructus parturit peccatum, & quomodò eſt cauſa malorum.*

Et protulit terra herbam virentem &c. Terra etiam protulit ſpinas, & tribulos, habent eoim ſuam virtutem, & utilitatem: ſed quare dictum eſt poſteà, poſt peccatum ſpinas, & tribulos germinabit tibi; Reſpondetur id dictum eſſe in pœnam peccati, nempè ut ſpinæ, & tribuli germinarentur, ubi ſeminatur frumentum, ut in pœnam peccati homo plus crucietur, unde deberet habere, onde ſuſtentetur, *l.2.d.14.p.2.dub.2.*

122. *Verbum Dei receptum in terra cordis noſtri eſt ſemen virtuoſiſſimum.*

Germinet Terra &c. Hoc ſemen myſticè eſt verbum Dei increatum, ut inſpiratum,ut incarnatum, ut prædicatum, & ut exemplatum,quod receptum in corde bono, & optimo habet rationem principij activi,propagativi, & multiplicativi fructuum optimorum.*In Luc.c.8.v.16.& v.17.*

123. *Sacra ſcriptura eſt iſta myſtica Terra &c. ejuſque mirabilis virtus quanta.*

Germinet Terra &c. Hæc Terra myſticè eſt Sacra Scriptura habens figuras tanquam ſemina, multipliciter germinantes, & producentes pullulationes intelligentiarum in anima: eſt enim vivida, ubertima, venuſta, & vigorem mirabilem habens: tradita eſt autem primò ad commeodandam, & cognoſcendam gratiam ſpiritus ſancti:ſecundò ad introducendam fidem:tertiò ad referandam ſapientiam, quæ ſolùm eſt in iſto ſemine: quartò ad reſtaurandam ſalutem, quæ in hac ſola invenitur, non verò in aliis ſcientiis,*ſerm.14. & 17. Hexaem.*

124. *Seminarium bonorum operum quomodò germinet: Deſidia in operando quàm noxia.*

Germinet Terra &c. Sicut quælibet herba, & lignum habet virtutem in ſe gignendi ſemen, & quodlibet ſemen aliam herbam,& lignum: ſic bona opera ſi debita diligentia fiant, debitoque vigore vitraot, habent ſemen ſui generis in ſe, accendunt enim deſiderium alterius boni,quod quaſi germen pullulat ex priore: ſi autem ex deſidia elangueant, etiam ſemen ipſorum infructuoſum manebit, tædiumque afferet in ordine ad aliud bonum ob defectum affectus devotionis. *Op. de prof. religioſ.l.2.c.14.* Ex quibus claret facilè multum proficere illum,qui cum affectu devotionis arripit quodcumque opus bonum etiam minimum & vile, & è contra maximum afferre damnum deſidioſè arripere opera bona.

125. *Donum ſcientiæ ſpiritus ſancti qualem diem anima producat.*

Et factum eſt veſpere, & mane dies tertius. Nota iſte tertius dies myſticè advenit animæ per donum ſcientiæ Spiritus ſancti, cuius mane eſt lumen ſcientiarum acquiſitarum per ſtudium, & doctrinam, ob id etiam cum aliqua obſcuritate: meridies eſt lumen Sacræ Scripturæ;illuminat enim mirabiliter mentem, & inflammat affectum, veſpere verò eſt lumen ſcientiæ moralis,& agibilium, in quo quieſcit. *Op.de Dono ſcientiæ c.2.* unde infertur quod omne ſtudium ſcientiarum debet dirigi ad benè operandum.

126. *Mirabilis eſt ordo Dei in ſuis operibus.*

Et factum eſt &c.dies tertius. Nota, hæc tertia dies figurabat tertiam ætatem Mundi, & hominis; nam ſicut in hac tertia die terra germinavit, & in tertia ætate, quæ durat ab Abraham uſque ad David, cæpit ſynagoga in Abraham, & per circumciſionem factam in carne florere: & in tertia ætate, ſcilicet adoleſcentia homo poteſt generare. *ſerm. 15.Hexaem.*

127. *Idem.*

Et factum &c. dies tertius. Hæc dies fuit terræ fæcundatæ, & figurabat in lege gratiæ tempus gentis electæ, & normæ fidei catholicæ, ſecundùm quam ſuccedunt fideles fidelibus, & fuit à Sylveſtro uſque ad Leonem primum. *ſerm. 16. Hexaem.*

128. *Quid ſint luminaria in firmamento Cæli, & quarè creata à Deo.*

Fiant luminaria in firmamento Cæli. Nota, primò nomine firmamenti hic ſumi non ſolùm octavam ſphæram, ſed totum Cælum continens cælos Planetarum.Nota ſecundò ſtellas dici luminaria; vel quia recipiunt lumē à ſole,licèt aliquale lumen in ſe habeant;vel quia communicant lumen exteris corporibus, ut eſt ſol. Nota tertiò luminaria facta eſſe ex materia lucida, de qua formati ſunt Cæli: ſunt autem lucidiora Cælis, quia ipſa ſunt

aggre

aggregatum majus lucis. *l.2.d.14.p.2.dub.3. & a 2. qu.1.& ferm.1.2.& 3.de Apostol.*

129. *Idem.*

Fecit duo luminaria magna: Scilicet solem, & Lunam: sol est luminare majus, Luna minus, quæ dicuntur posita in firmamento largè sumpto, nempè in proprijs orbibus. *l.2.d. 14.p.2.dub.3. & 1.3.d.14.dub.3.& ferm.20.Hexaem.*

130. *Idem.*

Fecit duo luminaria,ut praeessent diei,& nocti, &c. Nota hæc fuisse principaliùs ad complementum,& decorem vniversi: minùs principaliter, ut præsint diei,& nocti.*l.4.dist.48.dub.5.*

131. *Idem.*

*Fecit & stellas, easque posuit in firmamento;*id est, in octavo orbe stellato, ut lucerent super terram, scilicet, ut per lucem lucendo etiam influerent morum, & sensum in hæc inferiora. *l.2.d.14.p.2. a.2.& per totum Comp.Theol.l.2.c.5.& seq.& ferm.1. & 6. Hexaem.*

132. *Omnia luminaria patiuntur Ecclypsim.*

Nota etiam, quod ita locent, quod etiam Ecclypsantur.*Op.Comp.Theol.l.2.c.5.* Magis autem apparet Ecclypsis Lunæ ob vicinitatem ad nos.*fer.13. Hexaem.*

133. *Quomodò luminaria sint in signa, & tempora,& dies,& annos.*

Vt sint in signa, & tempora. Nota primò ista luminaria esse posita à Deo ad signandum; signant enim futura,scilicet imbres, ventos & aëris variationem; item sunt signa temporum anni; item dierum, noctiumque & annorum. Adverte tamen esse signa in ordine ad naturalia non libera, pendentia à libero arbitrio: secundò ad distinguendum: dividunt enim diem dupliciter, nempè secundùm motum irrationalem, quem habent ex motu vltimæ sphæræ super polos principales ab oriente per occidentem in uno die naturali:distinguunt etiam diem secundùm augmentum,& decrementum per motum quē habent proprium in obliquo circulo, vel zodiaco per ordinem ad solstitium, & æquinoctium: distinguunt item & tempora per motum solis in zodiaco provt ad nos accedit, uel recedit, causando quatuor Anni tempora, scilicet, ver, æstatem, autumnum, & hyemem: item & Annum secundùm motum eiusdem solis in zodiaco. Nota secundò Lunam esse in distinctionem temporum, & dierum, & annorum apud Iudæos, & maximè quantùm ad solemnitates. Apud Christianos verò sol est in distinctionem dierum quoad solemnitates, excepto festo Paschatis, & Pentecostes;Ratio autem est, quia Iudæi in tenebris ambulabant; Christiani verò in lumine veri solis. Pascha verò, & Pentecostes ordinatur secundùm motum Lunæ, ut faciebant Iudæi; quia non solùm celebratur à Christianis in memoriam præteriti mysterij; sed etiam in præfigurationem resurrectionis, & gloriæ futuræ, respectu cujus ambulamus adhuc in tenebris. *l.2.d.14.p.2. dub.4. op.comp.Theol.l.2.cap.4.Brevil.p.2.c.4.& Centil.p.3. sect.11.Eccles.cap.1.*

134. *In sole figuratur vnitas, & Trinitas Personarum.*

Fiant duo luminaria, &c. Nota: sol habet substantiam, splendorem,& calorem: sic Deus habet principium originans, scilicet Patrem, splendorem, scilicet Filium, & calorem,scilicet Spiritum Sanctum: Idem sol in Cælo quantùm ad substantiam, idem in oculo quantùm ad lumen, idem in corpore quantùm ad calorem: sic figuratur Trinitas, & unitas Personarum Divinarum. *ferm. 13. Hexaem.& ferm.4.Dom.Trinit.*

Hoc luminare exposuit Deus in Ecclesia, & sacra scriptura.*ferm.13.Hexaem.*

135. *Anima est Firmamentum,in qua Deus posuit Solem,Lunam,& Stellas.*

Fecit duo Luminaria, &c. In anima per contemplationem suspensa, ponit Deus Solem, Lunam, & Stellas, ut in firmamento: Solem, scilicet intelligentiam de Sole æterno Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; cognoscit enim,quod sicut Sol est summè vigens,summè fulgens,& summè calens,& tamen unus Sol: sic Pater lux vigens omnia vivificans,summè fulgens,cuncta illustrans, & summè calens cuncta calefaciens: sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & tamen est unus Deus: & sicut vigor in sole est splendens,& calens; & splendor est vigens,& calens, & calor vigens, & splendens: sic Pater est in se ipso, & in Filio, & Spiritu Sancto, & filius in Patre, in se, & Spiritu Sancto; & Spiritus Sanctus in Patre, & Filio, & in se ipso secundùm rationem circumincessionis, quæ notat identitatem cum distinctione.*ferm.22.Hexaem.*

136. *Christus est luminare majus: Anima,& Ecclesia luminare minus.*

Fecit Duo luminaria, &c. Luminare majus est Christus, qui ortus est in nativitate, & occidit in morte,&c.*ferm.13.& 14.& 23. Hexaem.* luminare minus est Ecclesia, uel anima.*ibid.*

137. *Christus & Maria Virgo est luminare majus illuminans diem,& noctem,scilicet iustos,& peccatores.*

Fecit duo luminaria magna,&c. Luminare majus est Christus, & minus est B. Virgo posita in Firmamento Ecclesiæ ad ipsam illuminandam.

De Sole Christo vide *Psal.118.v.130.In sap.c.5. In luc.c.4.v.40.In Ioan.c.8.v.12.& c.12.v.46.& c.1. v.8.& ferm.1.fer.3.Pasch.& ferm.1.Dom.22.Pentec. & op.Eccles.Hier.p.4.c.6.*

Maria Luna suscipiens lumen supernum. vide *op.spec.B.Virg.lect.7. & ferm.1.de B.Virg.& fer.15. Hexaem.*

Maria item Sol illuminans per omnia, in quo Deus posuit tabernaculum suum.*ferm.15. Hexaem. & op.spec.B.Virg.lect.3.& 11.& 13.*

Estque Sol in charitate: Luna in humilitate, & aurora in virginitate.*op.spec.B.Virg.lect.11.& 13.*

138. *Ecclesia triumphans, & militans est luminare &c.*

*Fecit duo luminaria magna, &c.*Luminare majus est Ecclesia triumphans:& minus est militans,hæcque recipit, ut Luna à Sole, lumen ab illa.*ferm.13. & 20.& 22.Hexaem.*

Testament

139. *Testamentum novum, & vetus luminare majus, & minus.*

Fecit duo luminaria, &c. Luminare majus mysticè est testamentum novum, & minus est testamentum vetus, quod recipit lumen à novo, quia sine ipso non potest intelligi. *serm.* 13. *&* 14. *Hexaem.*

140. *Deus posuit luminare minus, ut nocti praeesset, ut esset homini utilior, & mundus perfectior.*

Fecit duo Luminaria &c. ut praeessent diei, & nocti, &c. Hoc factum est à Deo principaliter ad complementum, & decorem universi; talis enim vicissitudo mundum reddit pulchriorem. *l.* 4. *d.* 48. *dub.* 5.

Hic nota, quod quando dicitur Lunam factam esse, ut præesset nocti, non assignatur ratio productionis substantiæ, sed paucitatis luminis; secundùm substantiam verò facta est ob perfectionem universi, ideò post diem Judicij non erit nox, sed dies perfecta, & tunc dabitur Lunæ luminositas competens diei, qualis est luminositas Solis, Solisque luminositas crescet usque ad perfectum diem. *l.* 4. *d.* 48. *ibid.* lux enim solis crescet septempliciter (ait Isaias *c.* 30.) sicut lux septem dierum. *Comp. The. l.* 7. *c.* 28.

141. *Luminare minus est Anima: majus gratia Dei, à qua omnis Lux. Item spiritualis vita luminare majus communicans Animæ totam lucem.*

Fecit duo luminaria &c. Mysticè luminare minus est Anima nostra: majus est gratia Dei, à qua omnis illustratio superna provenit.

Vel luminare majus est spiritualis vita contra tenebras erroris, & vitiorum. *serm.* 13. *Hexaem.* Hinc inferre licet, quod anima sine Dei gratia est tota in tenebris invuluta.

142. *Prælatus debet in se exercere munus utriusque luminaris.*

Fecit duo Luminaria magna, &c. Nota, quod Prælatus debet esse Luminare majus quantum ad documenta virtutis: & luminare minus quantùm ad exemplar, & opera virtuosa. *serm.* 13. *Hexaem.*

143. *Ecclesia militans illustratur à Deo paulatim, & processu temporum.*

Fecit duo luminaria &c. Nota: Luna est filia Solis, & recipit lumen ab eo: sic Ecclesia militans recipit lumen à Sole æterno: & sicut Luna paulatim recipit lumen à Sole, quousque veniat ad complementum: sic Ecclesia militans paulatim recipit lumen, & notitiam mysteriorum cælestium. *serm.* 22. *Hexaem.*

144. *Anima Luna dum versatur in contemplatione, & actione.*

Fecit duo luminaria &c. Luna illuminatur à Sole plus, & minùs: sic anima, quando vacat contemplationi, summè illuminatur fulgoribus cælestibus: quando vacat actioni, tunc minùs illuminatur. *serm.* 20. *Hexaem.*

145. *Anima Christo unita est mysticum firmamentum Solem, Lunam, & Stellas continens.*

Fiant Luminaria in firmamento, &c. Cur Deus voluit collocare in eodem corpore continuo tantam varietatem stellarum? Ut præcederet figura mirabilium, quæ in potiori parte mūdi minoris, id est, hominis volebat describere, nempe ut animam Christo unitam tanquam nobile firmamentum exponeret: Hoc firmamentum igitur est anima habens gratiam contemplationis: in hac collocat Deus Solem, Lunam, & Stellas: Sol est fulgor puritatis, limpiditatis, charitatisque, & inflammationis: Luna est cognitio symbolica Sacramentorum, & figurarum: Stellæ manentes in cursu suo sunt firma fixio, refulgentia, & radiatio virtutum. *serm.* 20. *Hexaem.*

146. *Anima fit Sol percurrens considerationem mysteriorum fidei.*

Fecit duo luminaria, & posuit in firmamento. In hoc firmamento Sol per 12. constellationes percurrit: & Anima iusta percurrere debet in zodiaco Sacræ Scripturæ per varias considerationes mysteriorum fidei, quæ in 12. articulis symboli continentur. *serm.* 22. *Hexaem.*

147. *Gratia Dei facit Animam lucidam. Eclypsis spiritualis Animæ quomodò fiat.*

Fiant luminaria, &c. & posuit in firmamento, ut lucerent, &c. Ista luminaria lucent per diem, & noctem, dummodò non Eclypsentur per interpositionem alicujus corporis opaci: sic & gratia Dei est lux Animæ die, ac nocte eam illuminans, dummodò non Eclypsetur per interpositionem peccati. *serm.* 11. *&* 22. *Hexaem. & serm.* 3. *de Apostol. & in Ioan. c.* 13. *v.* 30. *& op. myst. Theol. c.* 2. *p.* 1.

148. *Sol est summus Pontifex: Luna est Imperator: sicut etiam Ordo Lectoratus, Subdiaconatus, & Diaconatus sunt veluti Luminaria Ecclesiæ.*

Fiant Luminaria &c. ut Luceant, &c. Nota, quod Luminaria illuminantia Mundum posita in firmamento Ecclesiæ sunt omnes Clerici ordinibus instructi, sed præcipue sunt Acolithi, Subdiaconi, & Diaconi. Primi portant cereos: Secundi legunt Epistolas: Tertij Evangelium: Primi debent lucere per exempla exteriora: Secundi per documenta mediocria: & tertij per documenta altissima: Hi omnes veluti luminaria in Mundo verba vitæ continentes debent lucere, & illuminare Fideles. *serm.* 22. *Hexaem. op. apol. paup. resp.* 1. *c.* 2.

149. *Luminaria in Cælo Ecclesiæ sunt Sancti Confessores.*

Fiant Luminaria &c. ut Luceant, &c. Sancti Confessores positi sunt à Deo in Firmamento Ecclesiæ veluti luminaria Mundi: illuminant enim splendore honestatis, inflammant fervore charitatis, & superant alios, ut Sol Terram, quantitate virtutis. *Diet. Salut. tit.* 10. *c.* 6.

150. *Lumi*

150. *Luminare majus est anima, & minus corpus in gloria translatum.*

Posuit luminare majus, ut praeesset diei, &c. Post diem Judicij non erit nox: & Luna lucebit, ut Sol: sic post diem Judicij, non solùm Anima, sed & Corpus Beatorum erit veluti Sol expromens splendorem Solis per dotem claritatis: per perpetuitatem per dotem impassibilitatis: virtutem activam per dotem subtilitatis: & claritatem, velocitatemque per dotem agilitatis. *serm.5.de Resurr.*

151. *Anima sine gratia est sine Sole, & Stellis.*

Fiant luminaria, &c. Considera, si modò non esset Sol, & Luna, & Stellæ in firmamento, quid esset Mundus, nisi quædam massa tenebrosa, horribilisque: sic est de Anima non habente gratiam, scilicet firmamentum sine luminaribus; sed quæ habet gratiam, est firmamentum luminibus repletum: unde talis Anima differt à non habente gratiam, sicut Angelus à bestia. *serm.20. Hexaem.* Justus item est dies divisus à nocte peccati. *Psal.18.*

152. *Homo est Mundus, in quo Anima est luminare majus, & corpus luminare minus.*

Et posuit eas in firmamento, &c. Homo est Microcosmus, estque Cælum quantùm ad Animam, & terra quantùm ad Corpus: in anima justa sunt Sol, Luna, & Stellæ, scilicet Sol Charitatis, Luna continentiæ, & Stellæ virtutum. *In Psal.134.*

153. *Luminaria firmamenti ante diem Iudicij erunt signa indicantia rigorem per sui obscuritatem.*

Vt sint in signa, &c. Nota, quod ista Luminaria sunt posita à Deo in firmamento, ut per sui illuminationem sint in signa diei, & noctis: In fine mundi erunt signa judicij per sui obscuritatem. *In Luc.c.21.v.25.*

154. *Quarta hac dies respondet quarta atati mundi.*

Fiant luminaria, &c. Nota; hæc fuere facta quarta die, quæ respondet quartæ ætati mundi, & Hominis; nam in hac die facta sunt luminaria Cæli, & adornatum est Cælum: sic in quarta ætate mundi, quæ durat à David usque ad transmigrationem Babilonis, viguit, & floruit regnum, & sacerdotium quasi duo luminaria, & stellæ fuerunt Prophetæ, & in quarta ætate, scilicet in juventute homo aptus est ad sapientiam. *serm.15. Hexaem.*

155. *Quarta hac dies fuit figura legis scripta.*

Facta sunt luminaria, &c. ut praeessent, & dividerent lucem, & tenebras, & factum est Vespere, &c. dies quartus. Nota, hunc diem lucis sydereæ figuram fuisse in lege gratiæ, temporis legis statutæ, & novæ justitiæ? Lex enim fuit in ordine ad cultum Dei per Solem, Lunam, & Stellas, scilicet per præcepta cæremonialia, judicialia, & moralia: sic lex gratiæ in Canones Pontificios: in leges Imperiales, & Monasticas. *ser.16 Hexaem.*

156. *Dies quartus mysticè fit Anima per donum fortitudinis Spiritus Sancti.*

Et factum est vespere, & mane dies quartus. Hunc diem facit Spiritus Sancti donum fortitudinis: cujus mane est fortitudo politica mentem erigens super metum periculi, solùm turpia formidans, & donans mentis serenitatem: meridies est virtus purgatoria erigens animam per fervorem charitatis ad fermentandum passiones pro Christo lætantes: Vespera est virtus purgati animi, erigens animam ad immunitatem sensus passionum, &c. *Op de dono fortitud.cap.2.*

157. *Luminare majus est Sacerdos: minus est Princeps temporalis.*

Facta sunt luminaria, &c. Luminare majus, &c. Patet ad sensum Solem esse luminare majus, & Lunam minus: ad quid apposuit diversitatem majoris, & minoris? Adsuit ad declarandum discrimen inter duo luminaria mundi mystici, nempè Sacerdotij, & regni temporalis: Per solem intelligitur Sacerdotium, per Lunam Regnum. *serm.15. Hexaem.* Vide igitur, quantùm distet Sacerdotium à Regno.

158. *Explicatur sensus litteralis hujus infrà scripti textus.*

Producant Aqua reptile anima viventis, & volatile super terram sub firmamento Cali. Circa Textum litteræ nota primò in hac quinta die explicari productionem Animantium, quæ moventur vel tractu, & dicuntur reptilia, suntque multiplicis generis, tum in terra, tum in aqua: & eorum, quæ moventur impulsu, suntque gressibilia, vel pedibus, vel alis. *l.2. d.15. dub.1. & 2.* Nota secundò quod dixit Deus, *producant aqua:* idest ex seminario omnium formarum viventium concreato in materia, & simul cum materia prima, à qua educta fuerunt animantia ad complementum in hac quinta die. *l.2.d.15.a.1.qu.1.* Nota tertiò nomine aquæ venire compositum ex quatuor elementis, in quo prædominabatur aqua. *l.2. d.15.a.1.qu.2.* Nota quartò quod dicit animæ viventis ad differentiam Plantarum, quæ cum non habeant motum, & sensum, per quæ manifestatur potissimè vita, ideò plantæ dicuntur vitentes, non viventes, licèt habeant vitam vegetantem. *L.2. d.15. dub.2.* Nota quintò differre propriè bestias à Jumentis; nam Jumenta ordinata sunt ad hominis juvamentum; bestiæ verò dicuntur quasi vastiæ ad devastationem, quasi ad hominis exercitium post peccatum. *l.2. d.15. dub.2.*

159. *Cur in quinta die formati Pisces.*

Producant Aqua reptile, &c. Cete grandia, &c. Nota; In hac quinta die primò enarratur formatio piscium, quæ respondet quintæ ætati mundi, & hominis: nam in quinta ætate est senectus, & deficientia caloris, & ætas mundi fuit à transmigratione Babylonis usque ad Christum, in quo Synagoga cæpit deficere, & senuit, & perdidit authoritatem. *serm.15. Hexaem.*

160. *Quid figurabat dies quintus in ordine ad legem gratia.*

Producant Aqua, &c. Nota; hic dies fuit vitæ motivæ, cui respondet in lege gratiæ tempus regalis gloriæ, & sublimis cathedræ: sicut enim una pars vitæ motivæ fuit repentium, altera volatilium: sic in Ecclesia una pars est Regum, & Pontificum, alia subditorum; unde in tempore a Gregorio magno usque ad Adrianum mutatum est Imperium, & divisum in Constantinopolim; & Carolus in Ecclesia occidentali fuit primus Imperator, & Rex Italiæ. *serm.16 Hexaem.*

161. *Ab imperfectioribus ad perfectiora in via Dei est progrediendum.*

Producant Aqua, &c. Quæritur, quare primo loco creantur imperfecta animantia, & ultimo loco perfecta? Respondetur, quod Deus omnia ordinatissimè fecit ad hominis instructionem, & ut Hominem non solùm verbo, sed etiam opere erudiret. *l.2.dist.15.dub.5.* nempè procedendo à minùs perfecto ad perfectius; sic enim ordinatè proceditur. *l.2.d.15.a.2.q.2.*

162. *Bonitas Dei omnia ordinavit ad nostram utilitatem.*

Producat Terra animam viventem. Quæritur, quarè Deus produxerit animalia noxia? Respondetur, quod omnium rerum finis fuit Homo; ideò omnia animalia facta sunt propter hominem, & ad ejus utilitatem: ideò alia animalia sunt à Deo facta ad hominis juvamentum, & levamen, suntque Jumenta: alia sunt ad hominis patientiæ exercitium: In statu verò innocentiæ ista erant apta ad meliùs cognoscendam perfectissimam Dei ordinationem; in statu culpæ actu eruditur homo per exercitium actuale. *l.2.d.15.dub.2. & a.2. qu.1. ad* 1. Quis ergo omnia temporalia, & naturalia Divinæ dilectionis beneficia enumerare valet, quæ nobis de Cælo, de aëre, de aquis, de terra exhibentur. *serm.1.fer.2.Pentec.* Patet ergo bonitas Dei in nos in naturalibus bonis, nempè in inanimatis, in vegetabilibus, magis in sensibilibus, & maximè in rationalibus, si quis diligenter in singulis contemplatur Dei sapientiam. *ser.11. in die Pentec.*

163. *Finis creationis animalium mortalitati subjectorum quis. A Creaturis instruimur in Dei cognitione, & amore.*

Producant Aqua, &c. Quæritur, an Animalia homine stante inservissent homini? Respondetur, quod inservissent: primò ad manifestandum hominis imperium super omnes bestias, dum ei per omnia obedirent: secundò ad decorandum hominis habitaculum; tertiò ad excitandum hominis sensum ad considerationem multiformitatis sapientiæ Conditoris: quartò ad moderandum ejus affectum, dum videret Animalia secundùm rectitudinem suæ naturæ operari, & amare illud, ad quod naturaliter sunt facta, sicque excitaretur ad amandum Deum. *l.2.d.15.a 2.qu.1.*

164. *Animalia facta sunt mortalitati subjecta; homo creatus est ad immortalitatem.*

Producant Aqua, &c. Quæritur, an homine stante fuisset corruptio, & mors Animalium? Respondetur, quod Animalia sicut sua vita habitationem hominis decorant: sic etiam morte sua ex successione reddunt Universum tanquàm pulcherrimum Carmen, in quo syllaba syllabæ succedit. *l.2.d.15.a.2.q.1.ad 4.*

165. *Quarè ultimo loco Animalia terrestria fuerint creata.*

Producant Aqua, &c. Quæritur, quarè in quinta die priùs facta sint Volatilia, & Aquatilia, & posteà in sexto die terrestria Animalia? Respondetur ad servandum rectum ordinem; nam sicut priùs ornavit naturam cælestem stellis: sic consequenter ornavit naturam perspicuam, scilicet aërem, & aquam, & postremò terram, quæ est ultimum elementum. *l.2.d.15.a.2.q.2.*

166. *Benedixit eis, & ait, crescite, &c.* Nota, quod hæc fuit simplex benedictio, & ordinatio appetitus in Animantibus ad multiplicationem: at quando id dictum est homini, tunc fuit idem positum ut præceptum morale, & Sacramentale. *l.4. d.26. dub.2.*

167. *Benedixit eis, &c.* Ex hoc patet, quod etiam homine stante fuisset secuta multiplicatio, mors, & corruptio Animalium. *l.2.d.19.a.1.qu.2.*

168. *Verbum Dei efficacissimum: Dei enim dicere est tam efficax, ut sit etiam benefacere.*

Benedixit eis, &c. Nota, quod benedicere Dei est benefacere; creator enim creaturam benedicit, vel augendo numero, vel merito. *Psal.27. & hic cap.9. vers.16.*

169. *Deus contemperat suam iram, & misericordiam nobiscum; ad patientiam nos inducit Deus.*

Producat Terra jumenta, reptilia, & bestias terra. Cur diversas species distinxit, cum posset unico verbo comprehendere. Respondetur, quod Deus omnia hæc ad hominis utilitatem produxit; ideò bestias, & reptilia noxia creavit in pœnam futuri peccati, & ut per ea exerceremur in virtute patientiæ: Jumenta verò ad hominis levamen, ut suprà dictum est ex *l.2. d.15. dub.2. & a.2.qu.1.* ex quo addiscere debemus Deum nos in aliquo propter peccata nostra punire, in alio ex misericordia sublevare.

170. *Dei Providentia maxima, etiam circa infima.*

Fecit Deus bestias terra, &c. Nota, quod animantia terrestria: alia sunt imperfecta tam in organizatione, quàm in duratione: alia sunt perfecta in utroque. Prima facillimè producuntur etiam operatione agentis diversi speciei: secunda verò exigunt agens ejusdem speciei. Quæritur ergo, quarè Deus cum tanta differentia animantia creaverit? Respondet S. Doctor, quod voluit, ut prima, sicut & secunda perpetuentur in esse: si ergo non impertitus esset tantam facilitatem in productione imperfectorum, defecissent aliquando in mundo. *l.2.d.8.p.1.a.2.qu.1.* Ex quibus vide quàm exactam providentiam exerceat Deus etiam circa vilissima animalcula.

Peccatum

171 *Peccatum, & maximè discordia, sicut & societas malorum privat homines Dei benedictione.*

Fecit Deus bestias terræ &c. Quæritur, quarè volatilibus Cæli dederit benedictionem, non verò bestiis Terræ? Legitur enim quod Deus benedixerit volucribus cæli,& piscibus aquæ,postea creavit bestias? Per bestias terræ intelliguntur homines bestialiter viventes. *Sap.c.1.in princ.* Suprà dictum est,quod benedictio Dei est multiplicare merita: hinc peccatores removentur ab hac benedictione divina. Vide Theophil. *hic.* Adde, quod potest etiam inferri omnes bestias privatas esse benedictione cæteris creaturis communi ex societate Serpentis, quem Dominus maledicturus erat: ut videas, quàm nocivs sit societas malorum, & maximè serpentum, scilicet scindentium vinculum unitatis, & charitatis. Vide infrà *ad cap.3.* Detractor enim,& bilingois verè est serpens. *op.diet. sal.tit.3.c.7.*

172. *Explicatur sensus litteralis textus infra scripti.*

Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Circa textum litteræ. Primò: Nota, quod Deus ordinatissimè processit in productione rerum, scilicet ab imperfecto ad opus perfectum, quod est homo tanquam finis, & complementum aliorum. *op.Brevil p.4.cap.4.*

Secundò: Nota, quod in cæteris operibus Deus solo verbo, (*fiat*) usus est; sed in productione hominis dixit, *faciamus hominem*, adhibendo majorem cogitationem, & deliberationem, ut indicaretur hominem esse opus nobilius, capax sapientiæ creatæ. *In sap.c.9.in princ.*

Tertiò: Nota, quando dixit Deus, *faciamus hominem*, non esse tunc locutum cum Angelis, ut falsò dixerunt Aliqui sustinentes Mundum à Deo factum mediantibus intelligentiis: sed est verbum Dei Patris ad Filium & ad Spiritum Sanctum,quod patet ex illo verbo, *ad imaginem nostram*, non verò Angelorum, ut indicaret per ly (*faciamus*) tres Personas divinas, & per ly (*ad imaginem*) in singulari unitatem essentiæ. *l.2.d.1.p.1.dub.2. & Brevil.p.2.c.9.& p.4.c.4.& comp. Theol.l.1.c.10.*

Quartò: Nota de solo Homine dictum esse *faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; quia cæteræ creaturæ solùm continent vestigium creationis, scilicet unitatem, veritatem,& bonitatem Creatoris; quia respiciunt Deum tantùm in ratione causæ efficientis, formalis, & finalis: at homo continet imaginem, scilicet repræsentationem Trinitatis Personarum per tres potentias Animæ, scilicet penes memoriam, intelligentiam, & voluntatem, ideò respicit Deum in ratione objecti intelligibilis, & amabilis. *l.1.d.3.p.1.a.1.qu.2.ad ult.& op.Declar.termin.Theol.*

Quintò: Nota, quod eadem die facta sunt Animalia terrestria, & Homo; sed diverso modo exprimitur productio utrorumque, ut indicaretur ipsorum differentia. *l.2.d.16.dub.1. & a.1.qu.3.& d.19.a.1.qu.2.*

173. *Homo non dicitur factus ad exemplar, sed ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis.*

Faciamus Hominem ad imaginem, &c. Quæritur, quarè non dicatur ad exemplar, sed ad imaginem, & quid importet hoc nomen Imaginis? Respondetur, quod exemplar dicit expressionem exemplati per modum activi; Imago verò expressionem per modum passivi, scilicet quod alterum exprimit, & imitatur, hæcque attenditur in Anima, & in tribus potentiis in comparatione ad unitatem essentiæ, & pluralitatem actuum, in quibus est distinctio, & ordo, & origo: mens enim, prout est informata speciebus, disponit ad intelligendum, & intelligentia ad amandum. *l.1.d.2.dub.5.& d.3.p.2.a.1.qu.1.& a.2.qu.1. & 2. & d.31.a.1.qu.1. & l.2.d.16.a.1.qu.2.* Sic & Scotus. *l.1.d.3.*

174. *Quarè homo dicitur ad imaginem, non imago.*

Faciamus hominem ad imaginem. Quæritur, quarè non dictum est faciamus Hominem imaginem nostram, sed ad imaginem, & hoc de solo homine? Respondetur hanc imaginem consistere in Anima, & ideò solùm potest dici homo abstractivè ad imaginem, impropriè verò, & solùm concretivè imago, quia residet in potentiis animæ; quia non de eadem natura Dei. Filius verò Dei dicitur abstractivè imago secundùm se totum, & connaturaliter, quia est de eadem substantia Patris: dicitur autem de solo Homine, ut appareat mysterium Trinitatis occultari creaturæ irrationali; manifestari autem solum rationali. *l.2.d.16.dub.3. & a.1.qu.1.& 2.& op.Comp.Theol.l.1.c.6.& l.2.c.30. & Psal.48.& op. Amatorium post principium, & Psal. 118.vers.72.& serm.3.Domin.Trinit.* Hinc infertur, quod in productione hominis manifestatus expressè mysterium Sanctissimæ Trinitatis, in cæteris verò tantùm à longè innuitur: per quod homo excitatur ad Dei cognitionem & amorem.

175. *Quomodò differant esse ad imaginem, & ad similitudinem.*

Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem &c. Quæritur, quæ differentia sit inter imaginē, & similitudinem? Responderi potest primò imaginem dicere ordinem ad configurationem trium potentiarum, scilicet. ad tres Personas: similitudinem verò ad unitatem Personarum: secundò magis propriè ad imaginem quoad naturalia, ad similitudinem quoad gratuita; imago enim dicit configurationem trium Personarum in naturalibus; similitudo dicit convenientiam in qualitate, scilicet gratiâ Dei,& de hac dicitur, *Psal. 4. signatum est super nos Lumen vultus tui, Domine:* tertiò potest dici imaginem referri ad potentiam cognoscitivam, similitudinem ad affectivam. *l.2. d.16.a.1. qu.2.in corp. & q.ultim.& dist.3.p.2.a.1 qu.1. ad 5.& Psal.70.* Et hinc additur ad imaginem similitudo, ut pateat, quod gratia Spiritus Sancti illustrat in homine imaginem Dei.

176. *Solus homo est capax Dei super cæteras creaturas, magisque debet Deo, &c.*

Faciamus Hominem ad imaginem, &c. Cur non dixit idem de aliis creaturis? Nota, hoc solùm dici de Creatura rationali, quia sola est capax Dei, scilicet cognitionis summæ veritatis, & amoris summæ bonitatis Dei: & secundùm hanc capacitatem Sola Creatura rationalis nata est configurari Deo imagine similitudinis per tres virtutes Theologicas: & hinc oritur virtus unitiva summæ potestati in operando, talique pacto Deus hominem ad se convertendo sibi assimilavit,

ac per hoc cæteris ipſum præpoſuit. *l.1.d.3.p.2.a.2. qu.1.& l.2.in prolog.& Brevil.p.2.c.11. & op. Amatorium.* Per hoc intelligere debet homo, quantùm ſupra cæteras creaturas ſuo Creatori debeat. *op. Amatorium in princ. & op.de Dono intell.c.3.*

177. *Quanta facilitas in formatione Hominis, & quantus decor in ipſo.*

Faciamus Hominem &c. Cur primò proponit hominem quaſi formatum cum interventu conſilij trium Perſonarum, dicendo, *faciamus Hominem,* & deinde ſubjunxit: *& creavit Hominem?* Ut exprimeretur facilitas in Artifice, & decor in homine facto. *Pſal.89.& op.de 7.itiner.ater.in Prol.d.7.* ſcilicet voluit Deus in primis verbis exprimere nobilitatem hominis, & in ſequentibus facilitatem omnipotentiæ ſuæ.

178. *Solus homo factus eſt capax Dei mediante Verbo Divino.*

Faciamus Hominem &c.ad imaginem,& ſimilitudinem &c. Cur addidit, *ad ſimilitudinem noſtram?* Quia hîc denotatur capacitas, quam habet homo, qui ita factus eſt à Deo propinquus ſibi,ut eſſet informabilis per gratiam mediante Verbo increato in ſtatu innocentiæ, & poſt lapſum per Verbum incarnatum. *ſerm.2.Hexaem.*

179. *Per Chriſtum reparatur Imago, & ſimilitudo Dei in nobis deperdita.*

Faciamus Hominem ad imaginem, & Similitudinem,&c. Cur addidit, *ad ſimilitudinem noſtram,* & cur uſus eſt his nominibus imaginis, & ſimilitudinis? Nota, quod tunc Deus creavit Hominem materialiter, ſed modò eos creat formaliter; nam Chriſtus ut Deus eſt imago Patris: ut homo, quia formatûs eſt ad imaginem Hominis, eſt ad imaginem Dei: unde non ſolùm eſt manibus factus,non ſolùm ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſed & à Verbo reformatus, unitus Verbo, elevatus ſuper Angelos. *Pſal.101.& 118.v.73.* Vide igitur, qualis ſit dignitas hominis.

180. *Chriſtus quo die formavit hominem, eodem tempore venit ad eum reformandum, ut Deo terra uniretur.*

Faciamus Hominem,&c. Nota, hominem in ſexta die fuiſſe factum, & in ſexta hora, & ſexta ætate,& ſexta die Chriſtum eſſe mortuum,ut impleret humanæ reparationis arcanum. *In Luc.c.23. v.44. & 54.* ſicut primus homo ſexta die conditus eſt ad univerſi complementum, ſic in ſexta ætate ſecundus Homo ad totius mundi reparationis complementum factus eſt, ut primum principium connecteretur cum ultimo fine, ſcilicet terra cum Deo. *Brevil.p.4.c.4.*

181. *Imago Dei in homine ipſum inducit ad cognitionem, & amorem Sanctiſſimæ Trinitatis.*

Per peccatũ vitiatur imago Trinitatis: ſitque homo ad ſimilitudinem Diaboli.

Faciamus Hominem, &c. Cur toties replicat hoc nomen imaginis? Quia Imago continet memoriam reſpondentem Patri: item & rationem reſpondentem Filio: item & voluntatem reſpondentem Spiritui Sancto. Per quod patet hominem ſecundùm naturam exprimere myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis: Væ eis ergo, qui hanc imaginem vitiant. *ſerm.3. Domin. Trinit.* ſiunt enim imitatores, & filij Diaboli. *ſerm.2.vigil. Nat.*

182. *Homo majori in pretio eſſe videtur, quàm Angelus.*

Faciamus hominem ad imaginem. Quæritur, quarè non dicitur tanto apparatu factus Angelus ad imaginem Dei, cum certum ſit & ipſum eſſe taliter factum? Reſpondetur Scripturam ſolùm expreſsè determinare creationem hominis in ordine ad reparationem ipſius; ideò implicitè tantùm loquitur de Angelis. *l.2.d.16.a.1. qu.3.ad 1.& 2. & l.2.d.13.a.1.qu.1.ad 2.* Unde patet, quod ratione reparationis humanæ factæ à Redemptore, homo valdè excellit in dignitate Angelum.

183. *Hominis nobilitas an ſit major Angelo.*

Faciamus Hominem, &c. Quæritur, an ratio imaginis ſit æqualiter in Angelo, & in Homine? Reſpondetur, quod ſecundùm eſſentialia eſt æqualis; quoad bene eſſe ſe habet tanquam excedens, & exceſſum. *l.2.d.16.a.2.qu.1.& op.Comp.Theol.l.2. c.62.* Nota hîc, quòd Angelica natura plus Deo eſt proxima in ratione principij: homo verò in ratione finis; eſt enim finis, & complementum Univerſi. *l.1.d.17.a.1.qu.3.ad 1.*

184. *Vir,& Mulier an ſint æquè ad imaginem Dei.*

Faciamus Hominem, &c. Quæritur, an id etiam dicatur de Muliere? Reſpondetur, quod ſecundùm eſſentialia vir, & mulier ſunt paria, quatenus verò imago præponitur aliis, & alia ordinantur in ipſam; imago enim importat ſuperioritatem in alios, principaliùs reſidet in homine *l.2.d.16.a.2. quæſt.2.*

185. *Nihil quod magis ſolicitum Deum reddit, quàm homo; & ideò quaſi conſilio præhabito eum condidit, nempe ad manifeſtationem ſuarum perfectionum.*

Faciamus hominem, &c. Quarè aliarum Creaturarum fuit veluti impræmeditata nativitas; in conditione verò hominis conſilium Deus cæpit dicens, *faciamus &c.* deinde addens, *& creavit hominem ad imaginem ſuam?* Reſpondetur, quod cum Deus univerſa propter ſemetipſum operatus ſit, nempè ad ſui laudem, manifeſtationem, & communicationem, & cum non ſit laus perfecta, niſi adſit, qui approbet, nec perfecta manifeſtatio, niſi adſit qui intelligat, nec perfecta communicatio, niſi adſit, qui bono communicato uti valeat: id autem ſoli homini communicatum fuit, ſcilicet eſſe ad imaginem Dei, per quam poſsit ſe ad Deum convertere per laudem, cognitionem,& uſum aliarum potentiarum ſecundùm imperium voluntatis: hinc ſolus homo maximè exprimit perfectiones divinas. *l.2 d.16.a.1.qu.1.* Hinc agnoſce, ò homo, ex primæ tuæ conditionis honore, quantum tuo conditori debeas. *op.Amatorium.*

186. *Videtur Deus totus occupatus in conferendo bona multiplicia homini.*

Faciamus Hominem, &c. Homo creatus eſt,ut eſſet comple

complementum, & finis totius universi, medians inter purum spiritum, & sensum; & inter naturam lapsam, & gloriosam, potens tamen cadere à tali statu: ideò Deus dedit illi duplex adiutorium, Scilicet naturæ, & gratiæ: primum naturæ fuit rectitudo conscientiæ ad rectè iudicandum: aliud Synderesis ad rectè volendum: primum adiutorium gratiæ fuit illuminatio intellectus ad cognoscendum se ipsum, Deum, & mundum sensibilem, fuitque gratia gratis data: secundum fuit gratiæ gratum facientis habilitantis ipsam ad Deum diligendum super omnia, & proximum sicut se ipsum: unde si cecidit, fuit ex sua culpa. *Brevil. p. 2. cap. 11.*

187. *Imago Dei in homine, Deum in ipso recognoscendum, colendumque ostendit.*

Faciamus Hominem, &c. Cur hominem visibilem ad imaginem suam voluit Deus producere? Respondetur, quia voluit in imagine sua ipse coli, & honorari, per hocque innuitur modus egregius, quo quis possit sine sui detrimento fructificare in Proximo: cum ergo vis pro Proximo orare, ei prædicare, lectionem facere, eius confessionem audire, vel alia facere talia, primò faciem mentis ad æternum lumen converte, conforta spiritu, ut non prævaleat caro, abstine ab exteriori homine quantùm potes, & tanquam à vanitate vilissima ad interiorem te converte, considerans hominem ad imaginem Dei factum, sanguine Christi redemptum, locum spiritus sancti, habitaculum Christi, Dei virtutis, & sapientiæ sedem, & ad æternam beatitudinem possibilem: & videns ista per peccatum conculcari, eius imaginem denigrari, te debes inflammari ad lucrum animarum, & honorem solùm Dei quærendum. *op. stim. diu. am. p. 2. cap. 11.*

188. *Homini præbetur præceptum ordinandi naturalia dona ad supernaturalia.*

Faciamus Hominem, &c. Quia imago consistit in naturalibus, scilicet, in memoria: in intelligentia, & voluntate, & similitudo in motibus: hinc imago ordinatur ad similitudinem, iubemurque ordinari illa tria ad Deum cognoscendum, in memoria semper habendum, & ad ipsum ardenter amandum. *op. Amatorium post princ.*

189. *Invitatur homo ad recognoscendum beneficia à Deo ipsi collata.*

Et vocauit Deus Hominem, &c. Per hæc, homo, invitatis ad cogitandum, quàm bene te fecit Deus, nempè secundùm corpus egregiè formatum: secundùm animam imagine Creatoris insignitam, rationis participem, beatitudinis capacem. *ferm. 2. Dom. 12. post Pentecost.*

190. *Homo compendium perfectionum totius universi.*

Faciamus, &c. & creavit Deus, &c. Et vidit cuncta, quæ fecerat valdè bona. Quæritur, quare solùm post formationem hominis additum est, & *vidit cuncta valdè bona*? iam dictum est hominem factum esse ut complementum, & finem universi, & ut universa veluti in microcosmo compendiarentur in ipso, & in ipso perficerentur, & veluti beatificarentur. *Brevil. p. 2. c. 4. & l. 2. d. 16. a. 1. q. 3. ad 4. & 5.*

191. *In Deo solo est fidendum.*

Faciamus Hominem, &c. Patet ex hoc, quod apud Deum homo est in majori æstimatione, quàm cæteræ creaturæ; & ideò si Deo est cura de minori, multò magis erit de majori: hinc infertur, quod si amicus Dei est, immediatissimè est sub Dei potestate, nec docet ipsum esse de seipso nimis solicitum: sic dixit Abrahæ, *Noli timere, quia protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Genes. cap. 15.* quasi diceret: Noli timere, quia nihil potes pati pro defectu auxilij, & sine retributione. *In Luc. c. 12. v. 7.*

192. *Si dedit Deus homini, quod majus est, multò magis dabit, quod minus est.*

Faciamus Hominem, &c. ad imaginem, &c. & præsit Piscibus, &c. Rectè ex ratione imaginis subiungitur immediatè: *Et præsit, &c.* imago enim importat principatum, & præsidentiam in alia. *l. 2. d. 16. a. 2. qu. 1.* Ex quo infertur, quod omnia fecit Deus propter hominem, & ipsum hominem propter se ipsum, ideò omnem solicitudinem in Deo debet ponere; si enim dedit, quod majus est, etiam dabit, quod minus est. *In Luc. c. 12. v. 23.*

193. *Homo quomodò super cæteras creaturas, est aliquid divinum.*

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Si homo est ad imaginem & similitudinem sanctissimæ Trinitatis, ergo sicut imago est aliquid rei imaginatæ; sic homo est aliquid quodammodò divinum: hinc est, quod in Genealogia Christi primò ponitur Iesus, deinde Adam, & postea Deus; ut videas, quod homo insignitus imagine Dei est aliquid medians inter Iesum Christum, & Deum, nempe super cæteras creaturas Deo propinquior: ob idque per Christum veluti Dei consanguineus, & in Deum veluti in proprium centrum, & quietem omnium laborum tendens. *In Luc. c. 3. in fine.*

194. *Homo similis fiat Deo exercitio virtutum.*

Faciamus hominem ad imaginem, &c. & addit *ad similitudinem nostram.* Nota imaginem consistere in naturalibus, ad hæc addidit Deus *ad similitudinem*, quæ consistit in moralibus, ut dictum est, ut addiscet homo debere fieri similem Deo virtutum exercitio. *op. Amatorium, &c.*

195. *Anima sola Deo potest satiari.*

Faciamus hominem, &c. Ergo quia solus homo habet expressam, & perfectam convenientiam cum Deo; ideò solo Deo potest satiari: cùm delectatio sit convenientis cum convenienti conjunctio; Deus enim solus ratione suæ perfectionis satiat, & explet, & ratione suæ infinitatis, & abundantiæ capacitatem hominis excedit, & quietat: ergo quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram; ista enim terrestria aspersa sunt amaritudinibus: cælestia verò uniunt animam cum Deo, & per unionem eam transformant in Deum. *ferm. 1. in Dom. septuages. & ferm. 1. Dom. 2. post oct. Pentec. & ferm. 4. Dom. 14. post Pentec.*

196. *Anima eſt veluti moneta continens in ſe pretium totius univerſi.*

Faciamus hominem, &c. Quarè vltimo loco factus eſt homo, & ſolus dicitur factus ad imaginem Dei? Reſpondetur, quod homo eſt complementum, & finis totius univerſi, continens in ſe perfectiones (& velnti pretium) omnium aliarum creaturarum; eſt enim microcoſmus, & veluti parvus mundus.*ſerm.16.Hexaem.*

Hinc iure meritò inſignitus eſt imagine ſupremi imperatoris, quaſi numus, ſeu denarius maximi pretij, & ideò figuratur in decima drachma à Chriſto allata. *In Luc.c.15.v.8.& c.20.v.24.& l.c. d.31.p.2.art.1.qu.1.corp.*

197. *In morte Chriſtus examinabit, an Anima habeat imaginem ſuam, an Diaboli.*

Faciamus hominem ad imaginem, &c. Anima eſt veluti numus, in quo inſculpta eſt imago Dei perfecta eum ſimilitudine: Hanc examinabit Chriſtus in morte, ut imaginem ſuam quærat, & videat, an habeat imaginem Diaboli; ut hanc imaginem in tali numo indelebiliter imprimeret, Chriſtus ſervivit plus quàm triginta Annis.*ſerm.2.& 4. Dom.22. poſt Pentec.*

198. *Anima Imago quali nobilitate decorata à Deo.*

Faciamus hominem ad imaginem, &c. Nota hanc imaginem ineſſe ſolùm in anima, unde ſumitur hic totum pro parte: Anima verò, quia eſt principalis pars hominis, eſt numus ſupremi imperatoris imagine inſculptus, quæ imago eſt naturalis, ſpiritualis, & æternalis: ipſius caput eſt ratio, quæ ſicut à Diabolo in Sampſone eſt excæcata, ſic à Diabolo per concupiſcentiam excæcatur: eius venter eſt memoria, in quo non vermes vitiorum, ſed Dominum portare debemus: Pes eſt voluntas conſentiens, vel diſſentiens: hæc imago perficitur primò figura, ſcilicet trium potentiarum: ſecundò colore virtutum ſpiritualium: tertiò in Cælo inſignibus regalibus, nempè amictu ſolari circa ſe, Luna ſub ſe, & duodecim Stellis ſuprà ſe.*ſer.4. Dom 22.poſt Pentec.*

199. *Homo imago ſaluatoris, ad quem de iure ſpectat.*

Et creavit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: Ad imaginem quippe Dei creavit illum, &c. Nota, quòd primò dicitur Homo creatus ad imaginem ſuam, & poſtea additur, *ad imaginem quippe Dei creavit illum:* ad quid hæc replicatio? videtur quidem fruſtratoria? ſed tamen eum maximo myſterio id voluit facere, nam cum primo loco dicatur homo creatus ad imaginem ſuam à Deo, voluit indicare repræſentationem, quam in Anima facit homo in ordine ad Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis. Addit poſtea, *ad imaginem quippe Dei:* voluit indicare aliquid aliud à Deo de novo faciendum, nempè cum ſit dictum ex *l.2 d.16. dub.3. & a.1.qu.1* verbum propriè dici abſtractivè imaginem Dei Patris: ideò dicitur homo factus ad imaginem Chriſti Dei, indicans novam imaginem à Redemptore in homine inſculptam, quia pro ipſa ſculpenda ſervivit pluſquam triginta annis.*ſer. 2. & 4. Dom.22.poſt.Pentec.*

200. *Amicis, & Inimicis benefaciendum.*

Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit eos. Vide iterum quid ſup. additum ſit per Redemptorem, nempè ſimilitudinem Dei: unde ut imago Dei in homine reſplendeat, requirit colores virtutum, & ſimilitudinem Dei: ut autem homo hoc aſſequatur, debet Chriſtum imitari, nempè non ſolum Amicis, ſed & inimicis benefacere, ſentireque in ſe, quod & in Chriſto Ieſu, per exercitia virtutum, in quo ſtat forma huius imitationis. *In Luc.c.6.v.35.36.& 40.*

201. *Imago deturpata per peccatum non agnoſcitur eſſe Dei, ſed Diaboli.*

Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c. Nota, quod ſi imago tegitur, vel deturpatur per colores diverſos, tunc non agnoſcitur: ſic imago in Anima deperditur, & deturpatur à Diabolo per ſuperpoſitionem peccatorum. *ſerm.2. Dom.3.poſt Pentec.* Et ideò vnuſquiſque iudicandus eſt ſecundùm ſuperſcriptionem, quam habet vel virtutum, vel peccatorum. *In Luc. c.20.v.24.*

202. *Deus in homine ſeminavit bonum ſemen: Diabolus ſuperſeminavit Zizania.*

Ad imaginem, & ſimilitudinẽ ſuam creavit eos, &c. Ecce quales fecit Deus primos Parentes: non ſolum enim fecit hominem de terra, ſed in hac terra ſeminauit bonum ſemen in Agro huius Mundi, ſcilicet ſemen ſimilitudinis & iuſtitiæ originalis: ſed cum dormirent per negligentiam, venit Diabolus, & ſuperſeminavit Zizania vitiorum, quod & continuè facit nobiſcum, ut ſuffocet gratiam. *ſerm. in Dom.5.poſt Epiph.*

203. *Imago dicit eſſe naturæ in homine: ſimilitudo bene eſſe, quod perditur per peccatum.*

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: Cur addidit ad imaginem etiam ſimilitudinem? Sed ex hoc patet Dei munificentia in hominem: non enim fuit contentus dare homini eſſe, ſed & voluit addere benè eſſe: eſſe ſubſtantiale, & naturale conſiſtit in imagine: bene eſſe conſiſtit in converſione imaginis, ſcilicet trium potentiarum ad Deum: ut addiſceret homo, quod parum iuvat habere eſſe, ſi caret bene eſſe, quod importat ſimilitudinem cum Deo: undè ſi actualiter convertitur ad Creaturam, perdit ſimilitudinem, & decorem divinum, & cælum.*d.3.p.2.dub.2. & a.1.qu. 2. & l.3.d.36.a.1.qu.4.ad 4.& Brevil.p.3. c.11.*

204. *Imago deturpata quomodò reformari poſſit per gratiam Salvatoris.*

Faciamus hominem, &c. Ad quid notatur hæc communicatio imaginis, & ſimilitudinis divinæ? ut ſciremus quod ſicut opus Dei, nempè hæc imago fuit completè perfecta per ſuperpoſitionem ſimilitudinis, ſcilicet iuſtitiæ originalis, & gratiarum; ſic in nobis quando eſt deformata per peccatum, non poteſt reformari niſi per perfectionem operum ad ſimilitudinem, & imitationem Dei, nempè per ſimplicitatem, humilitatem contra ſuperbiam, per voitatem dilectionis contra diviſionem

nem, & per immobilitatem, perseverantiamque contra instabilitatem. *Psal.* 129.

205. *Imago triplex potest esse in homine iusto: item mysterium Trinitatis tripliciter in homine panditur.*

Faciamus hominem, &c. Dicens *ad imaginem, & similitudinem, &c.* nunquid est una, aut multiplex hæc imago? Notádum, quod in hoc capite ter sacer scriptor replicat hominem esse factum ad imaginem Dei: quale mysterium est hoc? Imago in creatura rationali est, qua repræsentatur expressè Trinitas fabricatrix; & hoc tripliciter. Prima est imago Creationis, estque radicalis, & naturalis, consistens in tribus potentiis, & in unitate substantiæ animæ repræsentantibus Trinitatem Personarum, & vnitatem essentiæ: secunda est imago recreationis consistens in tribus virtutibus Theologicis, in fide repræsentante Filium, in spe Patrem, & in charitate Spiritum Sanctum, & in vnitate gratiæ gratum facientis repræsentantis vnitatem essentiæ: tertia est imago glorificationis, consistens in tribus dotibus gloriosis, scilicet in aperta visione repræsentante Filium, in secura tentione Patrem, & in perfecta dilectione Spiritum Sanctum: vnitas verò gloriæ repræsentat vnitatem essentiæ: Prima imago est animarum à Deo exeuntium per creationem, estque naturæ competens Angelis, & hominibus: secunda est animarum ad Deum redeuntium per iustificationem, estque tantùm Iustorum, non verò Dæmonum, & peccatorum: tertia est ad Deum pervenientium per glorificationem & est Beatorum. *op. Centil. p. 3. sec.* 26.

206. *Nota Deum velle diligi magis, ut Patrem: Nota etiam, quod solus homo potest dici filius Dei, non bestia, nec propriè peccator.*

Faciamus hominem &c. Nota, quod imago importat conformitatem in esse cum Deo; similitudo verò conformitatem in donis gratuitis: hinc de solo homine potest dici, quod sit filius Dei ratione similitudinis, vel creatione, vel adoptione: peccator verò tantùm nuncupatione ob deordinationem voluntatis, & deformitatem cum Deo: ideò nec bestiæ dici possunt filij Dei. *l. 3. d. 10. dub.* 4. Ex quibus inferre possumus, quomodò peccatum tollit filiationem cum Deo, & similitudinem in homine imprimit cum bestijs.

207. *Homo secundùm Animam est ad imaginem Dei: secundùm Corpus ad imaginem Mundi sensibilis: ex hoc videre potes, quantus sit homo.*

Et Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Quæritur, an secundùm corpus sit homo ad imaginem Dei? Respondetur, quod homo secundùm Animam dicitur ad imaginem Dei: secundùm corpus ad imaginem, vel imago mundi, & secundùm hunc respectum dicitur microcosmus; quia in corpore ejus residet in virtute quicquid respersum est per omnes creaturas corporeas. *Ps.* 72. vide igitur quantus sit, & quàm nobilis creatura sit homo.

208. *Homo in gratia fert secum Chyrographum Cælestis gloriæ: in peccato, sicut latro fert secum Chyrographum damnationis.*

Et creavit Deus hominem ad imaginem, &c. Homo creatus ad imaginem Dei quoad naturalia, & ad similitudinē ejus quoad gratuita, si vivit in gratia, semper portat secum hanc imaginem rectè coloratam: sed cadens in peccato ipsam deturpatam fert secum cum Chyrographo, & charactere Diaboli, sicut latro fert insigne contra se. *Ex serm. 4. Dom. 22. post Pentec. & l. 3. d. 19. a. 1. qu. 2. ad* 4.

209. *Conjuges ita debent esse devincti vinculo amoris, ut quod de una dicitur, dictum & de altera intelligatur.*

Et creavit Deus hominem, &c. Quarè, si mulier est creata ad imaginem Dei, sicut Vir, id non explicitè positum est? Respondetur, quod de uno dictum est, de alio dictum intelligi debet, sunt enim in hoc pares quoad substantiam imaginis, & nobilitatis. *l. 2. d. 16. a. 2. qu.* 1. vide qualem conjunctionem, & quasi identitatem exigat Deus in conjugibus.

210. *Matrimonij leges debent esse inviolabiles, amorque utriusque conjugis inseparabilis.*

Masculum, & fæminam fecit eos, &c. Nota, quòd dicit masculum, & fæminam, non masculos, & fæminam, vel masculum, & fæminas: quarè hoc? Quia jus naturale, & Divinum dictat quod solùm una sit unius, & quòd sint duo in carne una, & hoc, ut doceret leges inviolabiles matrimonij contra intemperantiam conjugum: & licèt in hoc aliquando Deus dispensaverit in lege scripta tantùm, id factum est solùm ad multiplicationem cultus & cultuum Dei. *l. 4. d. 33. a. 1. qu. 1. 2. & 3.*

211. *Summo amore nos prosequi ad invicem debemus.*

Masculum, & fæminam creavit eos, &c. Cur non plures viros, & fæminas in principio creavit Deus? Respondetur ad commendandam dilectionem, & charitatem, voluit Deus, quòd nasceremur ex eodem Patre, & matre, quòd redimeremur eodem sanguine Iesu Christi Domini nostri, & eadem mercede præmiaremur: Ierusalem enim ædificatur ut Civitas, cujus participatio ejus in idipsum. *In Luc. c. 10. v. 27. & Ps.* 121.

212. *Occasionem merendi præbet Deus homini.*

Ad imaginem suam creavit eos. Nota Moysem hic non addere similitudinem ad imaginem. Cur reticuit hoc? Dictum est similitudinem consistere in moralibus & exercitio virtutum. *serm. 2. Hexaem.* ut præberet occasionem, & ansam quærendi virtutes, & cumulandi merita, & per hoc adipiscendi per bona opera Dei similitudinem *ap. Amatorium.*

213. *Dicitur totus homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei, quia Deus vult ipsum totum secundùm animam, & corpus, spiritualem.*

Ad imaginem suam creavit illum. Si imaginis, & similitudinis

ſimilitudinis ratio ſolùm in anima conſiſtit, cur attribuitur toti homini continenti corpus, & animam? Quarè non dixit, factus eſt ad imaginem ſecundùm Animam? Reſpondetur, quia vult Deus totum hominem ſpiritualem: tuncque eſt talis, cum ſpiritus eſt ad Deum erectus, & ei coordinatus, & Deo plenus, & corpus ſpiritui non reſiſtit in his, quæ Dei ſunt, ſed pro modo ſuo promptè ſpiritui obtemperat, nec concupiſcendo mala, nec horrendo dura, vel faſtidiendo mala. *op. de prof. Religioſ. l. 2. c. 1.*

Gratia Dei deificat non ſolùm animam ſed & corpus.

Ex quo inferre potes, quod gratia Dei non ſolùm animam deificat, ſed quodammodò etiam corpus. Vide Suarez *in 3. p. tom. 1. d. 18. ſect. 1. pag. 431. col. 1.*

214. *Sine concurſu gratuito Dei, hominis imago ad nihil inſervit.*

Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: Nota imaginem importare tres potentias naturales, & eſſentiam animæ; ſimilitudinem verò gratuita: Addidit igitur, *ad ſimilitudinem ſuam*, ut ſignificaret tres potentias, in quibus conſiſtit Trinitatis imago, in ſe ipſis inanes eſſe, & vacuas bonis, indigereque ornari, & repleri ab illo, & de illo, qui illas fecit, hoc eſt à Deo: Ratio ergo illuminatur à Deo ad cognitionem veri: voluntas accenditur ad amorem boni: & memoria tranquillatur ad inhærendum, & fruendum vero bono. *op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.*

215. *Homo factus eſt veluti alter mundus quoad corpus, & animam per novam creationem.*

Ad imaginem quippe ſuam creauit illum, &c. Quæritur, quarè toties loquens de Homine Moyſes replicet factum eſſe ad imaginem Dei; in hoc capite enim *v. 26. & 27.* ter id replicat: *in cap. 5. v. 3. & c. 9. v. 6.* iterum bis repetit? Quia voluit Deus per hanc multiplicem repetitionem hominem excitare ad ſe ſublevandum ad ſtatum perfectiſſimũ; ipſum enim fecit, ut eſſet veluti alter mundus parvus, ſeu microcoſmus: & ſicuti Deus priùs hanc machinam mondi ex nihilo creavit, poſtea ſex diebus diſtinxit, & ornauit: ſic idem quodammodò facit in formatione hominis; primò enim ipſum format ſecundùm corpus in vtero, deinde animam rationalem infundit, deinde per intervalla ætatum potentiæ Animæ, in quibus imago Trinitatis præfertur, ornantur; intellectus enim ſecundùm actionem creſcit, voluntas movetur, & memoria viget. Et quia additur ad imaginem ſimilitudo, quæ conſiſtit in moralibus, & gratuitis, hioc idem proceſſus fit in via ſpirituali; nam ornatus rationis eſt lucida intelligentia de his, quæ ſunt de Deo, & ad Deum conducunt, verbi gratia intellectus ſacræ ſcripturæ, rationes fidei, & operum Dei, quid ſit beneplacitum Deo, diſcrimen inter virtutes, & vitia, & ſimilia: ſecundò ornatus voluntatis ſunt ſanctæ affectiones, devotio ad Deum, fervor fidei, fiducia ſpei, dulcedo charitatis, & ſimilia: tertiò ornatus memoriæ eſt ſacratum copia cogitationum, affluentia utilium meditationum, & ſimilia: ornatus corporis eſt ſubiectio totalis ſpiritui; ſicque fit veluti nova creatio. *op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.*

216. *Mirabilis dignitas hominis enarratur.*

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem, &c. Vide, quanta ſit dignitas hominis, & quantum debet ſuo Creatori, dum non ſolo iubentis ſermone, ut alia ſex opera dictum, ſed conſilio ſanctiſſimæ Trinitatis, & opere Majeſtatis divinæ creatus eſt; voluit enim Deus, ut tantò ardentiùs amaret conditorem, quantò mirabiliùs ſe ab eo conditum intelligeret; & ſi addas ipſum eſſe factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: videbis, quòd ſuper omnes creaturas privilegium dignitatis ei à Deo collatum eſt. *op. Amatorium.*

217. *Homo repræſentat Deum, & Sanctiſſimam Trinitatem.*

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram. Quæres, in quonam conſiſtat hæc imago, & ſimilitudo: Reſpondeo quod ultra conditiones eſſentiales ſuprà enarratas imaginis, ibidem etiam iſta ad majorem dignitatem hominis continentur, nempè quòd ſicut Deus unus ſemper ubique totus eſt, omnia vivificans, movens, & gubernans: ſic anima in ſuo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans; eſt enim tota in toto, & tota in qualibet parte, & hæc eſt imago unitatis Omnipotentis Dei: eſt & in ea ſimilitudo Trinitatis: licèt enim anima ſit unius naturæ, tres tamen dignitates habet, ſcilicet intellectum, voluntatem, & memoriam: ſicut autem ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita per intellectum veluti generatur voluntas, ex hiſque ambabus procedit memoria: & ex his jubemur diligere Deum, ut in quantùm intelligitur Deus, diligatur, & in quantùm diligitur, ſemper in memoria habeatur: ſimilitudo verò, cum in moribus ſit, in hoc conſiſtit, quod ſicut Deus, qui hominem ad ſimilitudinem ſuam fecit, charitas eſt, juſtus, bonus, patiens, mitis, miſericors, mundus, &c. ita homo creatus eſt, ut haberet charitatem, ut bonus eſſet, &c. quas virtutes quantò plùs quiſque in ſe habet, tantò propior, & ſimilior eſt Deo; ſi verò ab his deviaverit per vitia, & criminum divortia: tunc comparatur, & ſit ſimilis jumentis. *op. Amatorium.*

Similitudo hominis Deum in virtutibus conſiſtit.

Diſſimilitudo Deo reddit hominem ſimilem beſtiis.

218. *Effectus peccati quales.*

Faciamus hominem, &c. Vide quid operatum ſit in homine peccatum? Quia non cogitavit honorem Imaginis divinæ, comparavit honorem ſimilitudinis jumentinæ; quia deſeruit ſimilitudinem divinam additam, factus eſt inutilis demetendo divinam beatitudinem; & quia ſe convertit ad turpitudinem prohibitam, factus eſt abominabilis, maculatus, & deturpatus, ſimileſque iis, ad quæ ſe convertit. *Pſal. 118. c. 6. v. 3.*

219. *In homine perfectiones totius mundi comprehenduntur.*

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Cur cum tanto apparatu fecit hominem, & majori dignitate præditum quam cæteras? Reſpondetur, quia in homine perfectiones totius mũdi voluit comprehendere, ipſumque cõſtituere microcoſmum, ſcilicet terram in corpore: cælum in anima; ut ejus converſatio eſſet in Cælis: ſed quomodò anima dicitur cœlum: in eo collocavit ſolem charitatis, Lunam continentiæ, aſtra aliarum virtutum: & ſicut Luna beneficio Solis illuminat noctem,

Sol, Luna, Stella, quomodò sunt in homine.

ctem: sic absque fervore charitatis meritum continentiæ non valet: & sicot astra ooo in die, sed in nocte lucent: ita virtutes non luceot ita in die, scilicet io prosperitate, sicut in nocte, scilicet adversitatis; in adversitate eoim appatent, qui boni sunt; nam aurum in fornace probatur. *Psal.* 134.

210. *Ex præsidentia hominis super omnes creaturas patet nobilitas ejus.*

Et præsit Piscibus, &c. Quia imago dicit priocipatum, & præsideotiam io alios, ideò jure meritò Deus expressit hanc præsidentiam hominis io omnia corporeas creaturas, ut ejus nobilitatem declararet. *l.2.d.16.a.2.qu.1.& 2.& l.x. in prolog.*

221. *Omnia facta sunt propter hominem, ut in ipso complementum reciperent.*

Et præsit piscibus, &c. Ecce quomodò propter hominem omnia facta sunt, cum sit finis omnium rerum, pateteque, quod homo, cùm sit ad imaginem Dei, ob idque & rationis capax, & libertate arbitrij præditus oatus est dominati omnibus rebus, & qoia per similitudinem natus est in Deum tendere immediatè, ideò omnes creaturæ irrationales ad ipsum ordinantur, ut mediante ipso in finem ultimum perducantur; cum enim in virtute contineaotur in homioe, qui est veluti mundus parvus, etiam in homine ipso quodammodò videntur beatificati. *l.2.d.15.a.2.qu.1.*

222. *Quænam præsidentia est innata Homini.*

Et præsit piscibus, &c. Hic quæritur, ao hæc præsideotia ionata homini sit æqualis io statu innocetiæ, & naturæ lapsæ, & an æqualiter competat viro, & mulieri? Respondetur, quod potestas præsidendi, prout dicit facultatem, vtendi suja rebus ad libitum, est communis omni statui, licèt excellentiori modo fuisset io statu innocentiæ: prout verò dicit excellentiam potestatis in imperando ei, qui est rationis, & præcepti capax: hæc fuisset in statu innocentiæ, & est etiam communis naturæ lapsæ; nam vir potest, & potuisset imperare vxori, & Pater filio, & Angeli superiores inferioribus præsunt: pro ut verò dicit potestatem coercendi subditos, estque propriè dominium, cui respondet servitus, & quædam arctatio libertatis: hæcque est propria naturæ lapsæ, & pœna peccati: & hæc non competit homini secundùm oaturæ suæ ordinem, nec mulier fuit creata cum tali subjectione, sed veluti socia, non ancilla, oec Domina, ideò de latere formata, non de pedibus, vel capite, subjecta tamen viro in pœnam peccati. *l.2.d.44.a.2.qu.2.* Nota etiam, quod in statu naturæ lapsæ non dedit Deus mulieri præsideotiam, ne superbiret; sic plures DD.

223. *Quanti faciat Deus hominem.*

Et præsit piscibus, &c. Vide, quomodò majoris pretij est homo, quàm brutales Creaturæ; homo enim immediatissimè est sub potestate Dei; cæteræ verò Creaturæ subjectæ homioi. *In Luc.c.11. n.7. & 25.*

224. *Servitus homini inducta ob peccatum.*

Et præsit, &c. Homo naturaliter factus est Dominus, vel Rex, sed ob peccatum subdidit se servituti. *l.2.d.44.a.2.qu.2.* vide igitur, in qualem vilitatem inducatur homo per peccatum.

225. *Homo peccator, & bestia propriè non possunt dici filij Dei, sed solùm Iustus.*

Et præsit piscibus, & bestiis terræ. Quia pisces, & bestiæ sunt subjectæ homini, & solus homo habet ratione imaginis, & conformitatis cum Deo præsidentiam in ipsis; ideò de solo homine, & præcipuè de Iusto potest dici, quod sit filius Dei: peccator verò nuncupatioue tantùm, sicut nec Bestiæ possunt diei filij Dei, *l.3.d.10.dub.4.* Hinc vide, quomodò per peccatum deperdit homo hanc potestatem dominij, bestiisque comparatur.

226. *Dominium proprium, & magis intentum à Deo in homine est super peccata, vitia, & passiones.*

Et præsit, &c. bestiis terræ, &c. Nota, quod per bestias mysticè iotelliguntur peccata, & iniquitates: hinc infertur, quod Deus facieos hominem ad imaginem, & propter dona gratuita ad similitudinem suam, voluit ut his bestiis, & vitæ bestiali dominaretur. *In sap.c.1.in prin.& ser.2.fer.3.Paschæ.*

227. *Dominium homini datum est super Dæmonem & homo stultè per peccatum se subijcit voluntariè Diabolo.*

Et præsit piscibus, & bestiis terræ, &c. quænam sunt istæ bestiæ? mysticè sunt Dæmones: igitur Homo à Deo factus est Princeps, & Dominus omnium Creaturarum, & bestiarum, sed peccandò se diabolicæ servituti subdit: se peiorem bestiis facit, animam fætidam, & abomioabilem exhibet, eam super omnem caliginem denigrat, & io tantum eam alterat, ut creatura tam nobilis cognosci non potest. *op.stim.Diuin.am.p.3.c.15.*

228. *Qualis tyrannis exercetur à Diabolo super peccatorem.*

Et præsit bestiis, &c. Bestiæ sunt Dæmones *ser.3. Dom.quinquag.& op.com.Theol.l.2.c.28.* Ergo homo deberet his bestiis dominari; sed (proh dolor) se subdit Diabolo, à quo ducitur ligatus ut porcus, & bos ad macellum, nec stringit eum nimis per adversitatem temporalem, ne clamet per confessionem, vel orationem, & sic liberiùs eum ducat ad macellum Inferni: Imò nec ipse sentit se esse ligatum, oisi quando infelix ducitur ad inferoum. *op. Diæt.sal.tit.1.c.2.*

229. *Vide Dei clementiam, & bonitatem, cum etiam id, quod est pœnale, vertat in commodum, & vtilitatem hominis.*

Et præsit Piscibus, & bestiis terræ. Quæritur, quarè cum hoc domioium ob peccatum fuerit amissum in homine, solùm tamen aliqua animalia sunt homini noxia, non autem omnia? Respondetur, quod, ut pateret magis Dei bonitas in homine, voluit, ut aliqua animalia ioservirent pro hominis levamine, & iovamento: alia verò in pœnam peccati essent homini noxia, & inobedientia, sed tamen etiam ea voluit ad exercitium eius patientiæ, *l.2.d.15.dub.2.& a.2.qu.1.*

230. *Vide, quomodò inobedientia hominis reddidit ei inobedientes creaturas.*

Et præsit Piscibus, &c. Et dominamini, &c. Si Deus dedit hoc absolutum dominium homi-

homini ſuper omnes creaturas corporeas, quarè poſt. à idem ab ipſo abſtulit,& privavit? Reſpondetur id factum eſſe à Deo in pœnam inobedientiæ hominis. *ſer.4. Dom.11. poſt Pentec. & op. Contil. p.2. ſ.1. & op. Amatorium*: unde ſi homo non peccaſſet, nullus eum ignis ureret, nulla aqua ſubmergeret, nulla beſtia noceret: ſed hæc pax per inobedientiam perdita eſt. *ſer.2. fer.3. Paſcha.*

231. *Deus vult omnia homini ſubjecta, ut per ipſa feratur in ſolum Dei amorem.*

Et dominamini, &c. Vide, ô homo, quomodò omnia propter te facta ſunt,ut tibi ſerviant,omnis natura namque ad hũc finem curſum ſuum dirigit, ut obſequiis tuis famuletur, & utilitati tuæ deſerviat,tuiſque oblectamentis pariter,& neceſſitatibus ſecundùm affluentiam indeficientem occurrat: hoc Cælum, hoc Terra, hoc Aër, hoc maria, cum eis, quæ in eis ſunt univerſis,explere non ceſſant: hoc ſervitus temporum annuis innovationibus, & redivivis partubus, antiqua innovans, delapſa reformans, conſumpta reſtaurans, paſtu perpetuo ſubminiſtrat: multò ergo diligendus eſt, qui tantùm dare potuit, & qui tantùm dare voluit, multumque dilexit: Totus mundus tibi ſubjectus eſt, & tu vilem creaturam in ſocietatem tui amoris admittere non aſpernatis: ſicut ſi hæc diligis, ut ſubjecta dilige, ut famulantia dilige, ut munera amici, ut beneficia Domini: ſic tamen, ut ſemper memineris, quod illi debeas: nec iſta pro illo, nec iſta cum illo, ſed iſta propter illum, & per iſta illum, & ſuper iſta illum diligas. *op. Amatorium, & ſap.9. & 10. in princ. & l.2. in prolog. & ſer. 1. Dom.8. poſt Pentec.*

232. *Dominium in ſuperioribus debet potiùs eſſe motivum timoris, non gloriæ, & ſuperbiæ.*

Et dominamini Piſcibus, & beſtiis, &c. Cur non addidit Deus, & dominamini hominibus, ſed beſtiis, & animalibus? Nonne dominium hominis ſuper hominem à Deo fuit inſtitutum? Reſpondetur dominium hominis ſuper hominem eſſe quidem à Deo. *l.2. d.44. a.2. qu.1.* Sed tamen eſt advertendum, quòd ſecundùm ſtatum naturæ inſtitutæ non adeſt dominium in homine ſuper hominem; quia omnes ſunt in hoc æquales, ſed tantùm in tali ſtatu adeſt dominium ſuper Animalia, & alias res, quibus poterat homo uti pro libito: at dominium, prout dicit quandam arctationem libertatis, & reſpectum ad ſervitutem, additum eſt in pœnam peccati,& ut exerceatur juſtitia in bonum ſubditorum. *l 2. d.44. a.2. qu.2.* Ex quo patet in Principatu nihil eſſe gaudendum,vel ſuperbiendum,cum non propriam gloriam, ſed ſubditorum juſtitiam quærere debeant Prælati.

233. *Dominium, quod inſtituit Deus in homine ſuper cæteras corporeas Creaturas, infert obligationem reducendi ipſas in ſuum ultimum finem: peccando ergo non ſolùm offendit Deum, ſed & omnes creaturas.*

Et dominamini, &c. Cur Deus dominium indidit homini ſuper cæteras creaturas? Nonne hoc poterat eſſe occaſio nimis ſe extollendi? Jam dictum eſt tributum fuiſſe ſoli homini dominium hoc; quia ſolus factus eſt ad imaginem Dei, quæ involvit principatum ſuper ipſas: hoc tamen non eſt, cur de hoc principatu ſe extollat, imò potiùs metuere debet divina judicia (ut ait S. Gregor. Naz.) nam cum homo ſit natus in Deum immediatè tendere, ejus munus etiam eſt, ut per ſuam perfectam converſionem in Deum cæteræ Creaturæ, quæ veluti in ipſo, ut in parvo Mundo continentur, in ultimum finem perducantur, & quodammodò beatificentur, & in hoc ſenſu homo in Sacra Scriptura pluries nomine omnis Creaturæ venit. *l.2.d.15.a.2.qu.1.& d.16.a.1. qu.3. ad 5. & lib.3.d.2.a.1.qu.2.& Brevil.p.7.c.4. in fine.* Hinc infertur fundamentaliter; quod homo peccando non ſolùm Deum offendit, ſed & graviſſimè lædit omnes creaturas.

234. *Deus ordinatiſſimè diſpoſuit regere inferiora mediantibus Creaturis rationalibus.*

Et dominamini, &c. Cur Deus non ſibi ſoli, ut ſupremo Domino, gubernationem, & dominium immediatum ſuper omnes Creaturas reſervavit, ſed voluit hoc communicare Creaturæ rationali? R. ſpondetur, quod Deus licèt ita omnibus præſit, ut ab ipſo ſolo accipiunt, quod ſunt & habent, & poſſunt; tamen propinquiores ſibi non loco, ſed ſimilitudine pleniùs accipiunt ab ipſo, quod inferioribus, & ſibi propinquioribus influant, & illa iterum ſuis inferioribus uſque ad infimum, ut inferiora ſuperioribus ſubdita ſint, & ſuperiora inferioribus præſint, & ea regant, ut ſumma mediis, & media præſint imis: ſic Angeli ſuperiores Inferioribus præſunt, & cæleſtia terrenis,& irrationabilibus rationabilia, per quod major pulchritudo Univerſi apparet. *op. de prof. Religioſ. lib.2. c.39.*

235. *Immunitas Eccleſiaſtica in Clericis poſſidentibus bona temporalia innuitur in principio Mundi.*

Et dominamini Piſcibus, reptilibus, Iumentis, &c. Si hoc dominium competebat homini ratione imaginis Dei, in qua creatus eſt, & ob id ei videtur debitum naturaliter, cur poſt peccatum, vel ablatum, vel diminutum eſt? Reſpondetur, quod licèt hæc diminutio advenerit homini in pœnam peccati. *lib.2. d.15. dub.2.& a.2.qu.1.* Tamen renovatum eſt à Deo in Eccleſiaſticis, quibus data eſt poteſtas, & immunitas ſuper bona temporalia. *op. de Eccleſ. Hier. p.2.c.1.*

236. *Obedientia virtus evehit hominem ad recuperationem gratiæ ab Adam in ſtatu innocentiæ amiſſa.*

Et dominamini, &c. Cur Deus voluit, ut homo poſt peccatum ſubderet ſe alteri homini, cum ſecundùm ſtatum naturalem omnes ſint æquales? Sed nota miram Dei providentiam: homo enim ſuperbiendo noluit eſſe ſub Deo, & ſic perdidit Dei gratiam: voluit igitur Deus hominem homini ſubjicere, ut per hanc ſubjectionem ſatisfaciat ipſi Deo, & ita per humilitatis, & obedientiæ meritum gratiam Dei, quam amiſit, recuperet: hinc infertur, quod quanto major, & purior

purior, & promptior fuerit humiliatio, tantò plenior erit gratiæ recuperatio, & gloriæ remuneratio. Nota autem, quod magnitudo humiliationis ostenditur in difficultate injuncti operis, paritas in simplicitate intentionis, & promptitudo in laetitate executionis. *op. de prof. Religios. l. a ap.39.*

237. *Christus recuperavit nobis plenissimè, quæ Adam perdidit.*

Et dominamini,&c. si Adam per peccatum amissurus erat hoc dominium, cur ei datum fuit frustratoriè? Respondetur non ipsi datum fuisse frustrà; quia sicut in sexta die formatus est, & constitutus cum tali dominio, ita in sexta ætate formatus est Christus, ut eveheret hominem ad pristinum statum, recuperaretque dominium amissum super omnes creaturas. *ser.16.Hexaem.& op.com.Theol. lib.4.c.5.*

238. *Homo factus est à Deo Dominus bestiarum, & peccando seipsum fecit veluti bestiam.*

Et dominamini piscibus, & bestiis.&c. Vide malignitatem peccati, & stultitiam hominis, qui factus ad imaginem, & similitudinem Dei convertendo se ad sensualitatem, & ad peccatum factus est similis bestijs, similitudinem hanc horrendam comparando. *l. 2. d.24.p.2.dub.3.& Psal.118.c.6.n.5.*

239. *Deus accumulavit beneficia beneficiis in homine.*

Et benedixit illis Deus, dicens crescite, & multiplicamini,&c. Ad quid ista benedictio, cum Deus creaverit hominē ad imaginē, & similitudinem suā, quo nihil pretiosiùs? Nota, quod dicitur, *benedixit illis*, nec addit, quomodò benedixerit, an dextera, an sinistra? Respondetur, quod benedictio Dei in hominem manu sinistra est largitio bonorum temporalium: benedictio manus dexteræ est largitio gratiæ, & gloriæ: sic *in Psal. 66. & 128.* Dixit igitur, benedixit illis ind finite, ut pateat Deum non contentum hominem formasse ad imaginem suam, sed addidisse benedictionem, scilicet largitionem, & donationem omnium bonorum temporalium, & spiritualium.

240. *Benedictio hominibus data est uberior, quàm collata animantibus.*

Et benedixit illis, dicens crescite, &c. Quodnam privilegium est hoc datum homini, si idem dedit & animalibus? Respondetur, quod animantibus data est benedictio solùm virtutis generativæ: homini verò & benedictio, & præceptum, quod fuit morale, & Sacramentale: morale, scilicet pro loco, & tempore: Sacramentale; quia tunc fuit institura conjunctio Adæ & Evæ, quæ postmodùm secuta est in signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ. *l.4.d.16.dub.2.& ar.1.q.1.fund.2. & qu.3.*

241. *Præceptum datum homini circa conjunctionem Viri, & Mulieris erat pro tempore determinando à Deo.*

Et benedixit illis,&c. Crescite,&c. Hoc fuit præceptum affirmativum obligans semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore, in statuque innocentiæ determinatio fuisset facta à Deo ex revelatione divina, & ideò primi Parentes in statu innocentiæ illud non observarunt. *l.2.d.20.dub.3.*

242. *In primordio erat præceptum nubendi: nunc virginitas præfertur matrimonio.*

Et benedixit illis, & ait crescite, &c. si Deus hoc præceptum dedit primis Parentibus, quarè nunc Virginitas præfertur Matrimonio? Respondetur, quod tunc obligabat, & obligavit post peccatum in illis primis temporibus, ut repleretur mundus hominibus: nunc autem non ampliùs viget, sed virginitas præfertur matrimonio. *l. 2. d.20.dub.3.*

243. *Quarè nunc concurrat majus meritum in cælibatu, quàm fuisset in statu innocentiæ.*

Et benedixit illis,&c. Crescite, &c. Nota, quod in statu innocentiæ non fuisset majus meritum continere, sed nubere; quia tunc non fuisset ulla pruritas, uel incentivum majus, quàm applicare nunc manum ad os, ob idque & fuisset sine immoderatione, & rubore: nunc autem quia virtus generativa exiit propter peccatum, & iustitiæ originalis amissionem rationis imperium, idcò laxatis habenis toto impetu se præcipitat homo in illud delectabile obiectum, non propter virtutis moventis intensionem majorem, sed propter virtutis retardantis defectum. *l.2.d.20.dub.3.& a.1.qu.3.*

Hinc oritur tantum meritum in cælibatu servando. ibid.

244. *In statu innocentiæ nati essent viri, & mulieres in æquali numero, & solùm prædestinati ijdem, qui nunc nascuntur.*

Et benedixit, &c. Crescite. Nota, quod in statu innocentiæ in quacumque conjunctione proles esset generata, & æqualis fuisset marium, & fæminarum generatio; quia vis generativa erat per- *Præsciti*
fectissima, perfectèque subiecta rationi. *l.2.d. 20.* *sunt ex*
a.1.qu.5.& 6. Hinc infertur, quod in statu innocen- *abundan-*
tiæ non plures pervenissent ad gloriam, quàm *ti, & ex-*
nunc; nati enim essent solùm prædestinati: vnde *trà nu-*
mali quasi ex abundanti sunt, nec sunt in compu- *merum,*
tatione. *l.1.d.46 a.1.qu.6.in fine.* vide igitur, qualis *uti sunt*
status sit malorum, isti enim sunt veluti monstra *monstra.*
horrenda inter creaturas.

245. *De virtute in virtutem debet homo progredi merito.*

Et benedixit illis, dicens, crescite, & multiplicamini. Nota, quòd ad benedictionem addidit Deus præceptum crescendi, & multiplicandi: estne in potestate hominis crescere ad libitum, cùm sit opus naturale? minimè: & quare id Deus homini præcepit? Respondetur, hoc præceptū fuisse datum hominibus secundùm litteram, ut crescerent non in magnitudine, sed in numero: spiritualiter verò, ut crescerent in merito; Creator enim Creaturam benedicit rationalem augendo merita: *in Psal.* 27. Iubet Deus homini contemplativo, ut ascensiones ponat in corde suo, nempè ut de virtute in virtutem eat; caveat autem descensiones de vitio in vitium *ser.2.Dom.16.post Pent.& op.stim. Div.am.p.3.c.4.*

Nota etiam, quòd ſicut in augmento corporali naturaliter homo nunquam ceſſat creſcere, donec ad perfectum ſuum ſtatum naturalem perveniat: ſic nec in via ſpirituali unquam eſt ſiſtendum, ſtulti enim ſunt, & quid ſit contemplatio inexperti, qui cauſa reſumendi vires requieſcunt; quia in illa quiete vires non reſumunt, ſed potiùs deperdunt. In aſcenſu igitur montis ſpiritualis, quia ſpiritus promptus eſt, non debet requieſcere, ſed dum fatigatur, tunc aſcendere debet velociùs, currere fortiùs, & recentior fiet, & audior erit ad majora, & ſibi leviùs apparebit, ſuaviùs, & dulciùs gradietur, non quieſcere eligens pro quiete. *op. ſtim. din. am. ibid.*

246. *Benedictio Dei qualis; benedictio Diaboli contraria.*

Et benedixit illis, &c. Scilicet benedictione dexteræ per gratiam, & ſiniſtræ per bona temporalia à Deo homini impertita, ut dictum eſt *ex Pſal. 66. & 128.* quæ benedictiones ordinatæ erant ad ultimatam, & completam, ſcilicet gloriæ. Sed nota, quòd contra hanc benedictionem Divinam, quæ eſt ſecundùm eſſe, Diabolus opponit benedictionem multiplicem, quæ eſt tantùm ſecundùm dici, & apparens, nempè benedictionem, quæ eſt adulatio deceptionis, qua laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & hæc eſt quæ conſecrat peccatores Diabolo, unctioque extrema Peccatorum, qua præparantur igni æterno, ut meliùs ardeant: iſtique à Deo maledicuntur: alia eſt benedictio Diaboli, ſcilicet fortunæ, eſtque vana, quæ plus nocet, quàm proſit, quia hominem à vera beatitudine avertit. *ſer. 4. in Dom. Trinit.*

247. *Creaturæ in homine recipiunt ſui complementum, & ordinem perfectum in mundo.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Nota, quòd ad ſingulas res addidit Sacer ſcriptor, *& vidit Deus quòd eſſet bonum*: non autem ad formationem hominis, ſed omnia unitim colligendo dicit ea valdè bona. Cur hoc omittitur in homine, & ipſo producto addidit ſuperlativum, *valde bona, &c.* Reſpondetur primò, quòd homo eſt veluti finis; & complementum totius univerſi, ut ſuprà dictum eſt, hinc ex productione hominis res videntur acquirere novam perfectionem: ſecundò quòd cùm res ſint ſingulæ bonæ bonitate propria, & naturali, completa univerſitate ipſarum additur bonitas totius mundi ob ordinem, quem habent ſingulæ in conſtitutione Univerſi. *l. 2. d. 13. a. 2. q. 3. ad 1. & op. Comp. Theol. l. 5. c. 3. & in Luc. c. 18. v. 19. & ſerm. 2. de B Virg.*

248. *A Deo eſt bonum, non malum.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Nota ex hoc ſenſu elidi errorem Manichæorum, qui dicebant multas creaturas eſſe de ſe malas, & à Deo malè factas: item & eorum, qui dicunt malum eſſe de complemento Univerſi; ſunt enim omnia valdè bona, ideſt optima, & ſine commixtione mali: unde malum dicitur tantùm de complemento Univerſi per accidens, nempè ratione ſubjecti à Deo ordinati ad divinæ Juſtitiæ manifeſtationem, vel ratione oppoſiti, quod magis elucescit, vel ratione occaſionaliter eliciti. *l. 1. d. 46. a. 1. qu. 6. & l. 2. d. 1. p. 1. a. 2. qu. 1. ad 1.*

249. *Solus Deus ex ſe bonus eſt.*

Vidit cuncta, &c. valde bona. Nota illam connexionem, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat*, ad quam productionem ſequitur, *& erant valde bona*: ergo res ſunt bonæ quia à Deo ſunt factæ, & bonitas à Deo ipſis participata, ergo melior ille eſt, qui ipſas fecit: imò ipſe ſolus bonus eſt, à quo omne bonum. *ſer. 1. Dom. Trinit. & l. 2. d. 41. a. 1. q. 1. ad 2. & l. 3. d. 32. a. 1. q. 2.*

250. *Solus Deus cuncta perfectè cognoſcit.*

Vidit cuncta quæ fecerat, &c. Nota, hoc ſpecialiter eſſe dictum; ſolus enim Deus perfectè cognoſcit bonitatem rerum, cùm ejus cognitio non proveniat à rebus, ſed ab ipſomet Deo, in quo eſt veritas rerum. *l. 1. d. 35. per totum.*

251. *Res creatæ, licèt de ſe ſint valdè bonæ, malis tamen ſunt occaſio mali.*

Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quomodò omnia ſunt valdè bona, ſi multa nobis ſunt venenoſa, & noxia? Reſpondetur à Deo facta fuiſſe nobis bona, & utilia, ſed à nobis per peccatum facta fuiſſe mala: unde ſecundùm ſe ſunt bona, ſed malis occaſionaliter ſunt mala, quia impiis, & peccatoribus convertuntur in malum: & quia ex humana infirmitate bona ſunt occaſio peccati, hinc Deus conſulit paupertatem, & rerum abdicationem. *op. expoſ. regul. S. Franc. c. 6. & Eccleſ. c. 2. & Comp. Theol. l. 5. c. 3.* *Conſulitur abdicatio rerũ temporalium.*

252. *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, &c.* Ideſt optima, & nobis utilia. Quomodò cuncta nobis optima, & utilia, ſi multa ſunt, quæ nobis ſunt noxia; item quia multa ſunt, quæ nullam utilitatem nobis afferre poſſe videntur? Ad quid pſittacus, ad quid ſimiæ catnes nobis inſerviunt? Vide, ô homo, Dei bonitatem in nos: omnia animantia inſerviunt homini, vel ad juvamentum, & ſolamen, vel ad exercitium patientiæ. *l. 2. d. 15. d. 2.* Reſpice univerſum mundum iſtum, & conſidera; ſi aliquid in eo ſit, quod tibi non ſerviat: omnis natura ad hunc finem dirigit curſum ſuum, ut obſequiis tuis famuletur, & utilitati deſerviat, tuiſque oblectamentis pariter, & neceſſitatibus ſecundùm affluentiam indeficientem occurrat: hoc Cælum, hoc Terra, hoc aër, hoc maria cum eis, quæ in eis ſunt univerſis, explera non ceſſant: Conſidera item, quæ beneficia communia cum omnibus, quæ ſpecialia cum paucis, quæ ſingularia tibi impertita ſunt, ergo totum te debes illi, qui tanta tibi conceſſit. *op. Amatorium.* *Deus conſulit noſtræ utilitati, & voluptati etiam.* *Deus vult à nobis amari.*

253. *Deus fecit mundum optimum.*

Vidit cuncta quæ fecerat, &c. valde bona, ideſt optima. Quomodò optima, ſi Deus poterat augere numerum ſpecierum, vel facere multa imperfecta perfecta, vel meliora? Reſpondetur, quod Deus non poterat facere mundum meliorem quoad ordinem partium in toto, & in finem; eſt enim veluti pulcherrimum carmẽ, quod decurrit ſecundùm optimas conſonantias. *l. 1. d. 44. a. 1. q. 3. & In Ecc. c. 3.*

254. *Sine Deo omnia ſunt vanitas.*

Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, &c. Quomodò valdè bona, ſi cuncta ſunt vanitas, ut ait Salomon? Reſpondetur eſſe valdè bona bonitate naturæ, ſed de ſe ſunt tendentia ad non eſſe, ex quo fuerunt creata: Unde ſi non continuo concurſu conſerventur à Deo, in nihilum cedent. *in Eccleſ. proœm. & l. 2. d. 37. a. 1. q. 2. & l. 1. d. 8. p. 1. a. 2. qu. 2.*

Hinc

Hioc eliciendum, quòd sine Deo nihil est stabile, & verum, ideò magna miseria est homines non esse cum Deo, sine quo non potest esse; & è contra plena beatitudo est esse cum illo, in quo simul omnia habentur. *In Ioan.collat.*78.

255. *Dominus morte sua reparator universi in sexta die, sicut fuerat illius creator.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Cur res dicuntur valdè bonæ solùm io sexta die? Nonoè lux, luminaria, &c. erant priùs valdè bona: Nota hanc sextam diem fuisse figuram sextæ ætatis, in qua Christus erat nasciturus: item & sextæ diei, in qua mortuus est, & reparavit totum mundum. *Comp. Theol.l.*4. *cap.*5. *& serm.*16. *Hexaem.in Luc.c.*23.*v.*44.*&* 54. *& Brevil.p.*4.*c.*5. Ideò omnia valdè bona visa sunt à Deo, quia Christi adventus in mundum, & redemptio attulit perfectionem consummatam mundo. *ibid. & l.*3. *d.*1. *a.*2.*qu.*2.

256. *Homo non debet esse contentus bonitate communi cæteris Creaturis, sed ad supernaturalem, ad quam creatus est capax, inhiare.*

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quæritur, cur cùm dictum sit de singulis rebus: *vidit Deus quod esset bonum*, scilicet per acceptationē propriæ naturæ competentem *l.*2.*d.* 29. *art.*1.*qu.*1. *& ep. de essentia Dei*, cur idem reticetur de homine? Nonne homo erat tali laude dignus, cùm sit veluti finis, & complementum universi? Quarè homo privatur tali approbatione?

Nota, quòd, ut etiam dicit Philosophus, omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti: ideò creaturæ sunt creatæ à Deo ita perfectæ, & in numero, pondere, & mensura, ut nihil eis omninò addere possit, vel detrahi qooad esse naturale ipsarum, & io hoc homo etiam communicat cum aliis: Attamen quoad esse morale, & gratuitum, & quoad capacitatem majoris boni supernaturalis homo non fuit creatus à Deo nec bonus, nec malus, sed tamen cum capacitate bonitatis majoris, & minoris: *ferm.* 2. *de Beat.Virg.& l.*2.*d.* 29.*a.*1.*qu.*1.*ad* 1. *& d.*35.*dub.*5. Hinc inferri licet, quòd Deus non dixit de homine: *& vidit quod esset bonum*, cùm ad ulteriorem, & majorem bonitatem deberet tendere, & inhiare.

257. *Post creationem hominis res dicuntur valde bonæ, quia in homine habent totalem suam perfectionem.*

Vidit Deus,&c. & erant valde bona. Quarè creato homine res dicuntur valdè bonæ, cùm priùs tantùm dictæ fuerint bonæ simpliciter? Sed nota, quod homo factus est veluti finis, & complementum totius universi: hinc creato homine dicuntur res valdè bonæ, scilicet bonitate naturæ, fortunæ, gratiæ, & gloriæ.*ep. Diat. sal.sit.*S.c. 2. In homine enim, & per hominem omnis creatura corporalis, & spiritualis unitor suo ultimu fioi, perficitur, & beatificatur. *l.*2.*d.*1.*p.*2.*a.*1.*qu.*2.*ad* 2 *&* 3.*& Brevil.p.*2.*cap.*4.

258. *Beata Virgo Maria fuit complementum mundi in genere naturæ, & gratiæ.*

Vidit cuncta,&c.& erant valde bona: Nota hanc particulam, *valde bona*, ergo cuncta erant bona, & valdè bona, ergo non optima in supremo genere bonitatis, licèt enim unaquæque res in suo genere, quoad ordinem universi essent optima, attamen de se non habebant hanc bonitatem in summo, quia omnia creauit Deus in numero, pondere, & mensura, & cum inæqualitate perfectionis.*ser.de Beat.Virg.* Unde ergo desumere debebant complementum suæ bonitatis, & quarè Deus in numero, pondere, & mensura tunc non ipsas fecerat bonas in summo? Sed hic vide dignitatem Virginis Beatissimæ. Hæc est decus mundi totius, & ejusdem complementum, & conservatrix. *op. Psalt.min.quinque p.quat.*37.*& Psalt.majus in Psalt.* 118. *ad v. defecit, &c.*

259. Beata Virgo Maria fuit complementum mūdi in genere naturæ, & gratiæ. Ut autem id pateat, Notaudum, quòd ad perfectum cujuslibet creaturæ (in qua rationalis est omnium dignissima, & perfecta) requiritur, ut varientur individua, ut se habeant in omnibus tanquam excedentia, & excessa; quia si essent æqualia, frustrà essent omoia; si enim esset sol io natura, omnia sydera Cæli, ubi Luna, ubi cætera luminaria? & ad quid? & pariter si homines omnes essent Reges, & si omoia membra essent oculus, ubi essent, qui imperarent, ubi membra corporis humani? differunt ergo omnia individua non solùm in esse naturæ, sed etiam gratiæ: ita tamen, quòd in uno aliquo conveniant omnia, quæ per partes in cæteris sunt divisa; cùm id sit verissimum in recta Philosophia, quodnam erit illud individuum in rationali natura, quod sit omnium maximum, & veluti complementum, & mensura omnium aliorum? Hoc est Beata Virgo Maria Regina mundi, in qua omnia simul dona tùm naturalia, tùm supernaturalia conveniunt, quæ per partes sunt aliis distributa, ideò inter omnes Creaturas puras est in summo creaturæ perfecta, & in nullo penitùs diminuta, igitur meritò super omnes creaturas in Cælum fuit evecta. *ferm.* 2. *de Beat. Virg.* Vide *l.*1.*d.* 17.*p.*2. *a.*1.*qu.*4. *corp.& l.*1.*d.*44.*dub.*3.*& l.*3.*d.*12.*a.*2.*qu.*1. *& d.*15. *a.*1.*qu.*2. Vide S.Bernardinum *ferm.*6.*de Gloria Beatæ Virginis.*

260. *Concordiâ res parvæ acquirunt bonitatem: discordiâ maxima dilabuntur.*

Vidit,&c.& erant valde bona: Cur nunc dicuntur valdè bona, cùm antecedenter dicta sint tantùm bona; certum enim est aliquæ esse aliis meliora? Ex unione ipsorum inter se dicta sunt meliora; quia concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.*ferm.*2.*in Epiph.*

Quarè ex concordia sequitur multiplicatio multimodi auxilij, consilij, iuvamenti, & solatij, unus enim est virtute multiplex: si unanimes fuerunt duo, vel decem, non adhuc unus est, qui unus est, sed decies multiplicatum, unusquisque eorum fit, & invenies in decem unum, & in uno decem, ò maxima virtus concordiæ, & unitatis. *In Ioan.collat.*77.S. August. *lib. de bo.vid. c.*6. Ubi omnia nominata sunt, additum valdè bona, meliora enim quædam singula, quàm alia singula, sed meliora simul omnia, quàm quælibet singula.

261. *Creaturæ sunt Dei flagellum ad peccatores puniendos.*

Vidit Deus, &c.& erant valde bona. Cur addit

valdè bona? Nonne ſufficerent ipſa eſſe bona bonitate naturæ, quòd etiam voluit indicare novam in eis bonitatem? & quomodò id eſt verum, cùm multa licèt habeant ſuam bonitatem naturalem propriam, nobis ſint valdè noxia, & nociva? ſed nemo incuſare audeat creatorem ob eam rem, quòd multa ſint nobis noxia, iſta enim vltra bonitatem propriam à Deo directa ſunt, ut nobis ſint in exercitium patientiæ, & ut flagellum ſint Dei ad noſtrorum punitionem criminum. *l.2.d.15. dub. 2. & art. 2. qu. 1. ſic & S. Baſil. Hom. 9. in Hexaem.*

262. *Peccatum deturpat, & inficit creaturas.*

Vidit Deus, &c. & erant valde bona. Si Deus ea facit optima, quis ea adulterauit, & redegit ad ſtatus imperfectionem maximam, quòd plura plus nobis nocent, quàm iuvent? Reſpondetur hoc eſſe propter peccatum hominis non proper novam potentiam eis datam, ſed propter dignitatis præſidentiam ab homine amiſſam: vnde ſicut oculus ſanus à ſole non læditur, ſed cum efficitur lippus, ſtatim offenditur non propter mutationem factam in ſole, ſed in oculo. *l.2.d.15.a.2.qu.1.ad 3.* ſicut in propoſito: Peccatũ enim eſt ſicut putredo in pomo, ſicut enim hæc aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & ſaporem; ſic & peccatum aufert animæ vitæ decorem, odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ: Idem & proportionaliter dic de cæteris rebus. *Diet.tit. 1.c.2.* Vide etiam, quòd pax cum beſtijs irrationabilibus perdita eſt per peccatum: & cæteræ creaturæ, quæ, ſi homo non peccaſſet, nobis non nocerent, ob peccatum factæ ſunt nobis noxiæ. *ſerm.2.fer.3. Paſcha.*

263. *Res dicuntur bonæ, non iuſtæ, iuſtitia enim competit actui, non naturæ.*

Vidit Deus, &c. & erant valde bona. Cur etiam non dicuntur iuſta, cùm à Deo ſint, qui eſt ipſamet iuſtitia, ſicut bonitas? Reſpondetur, quòd bonitas eſt conditio operantis, qui reſpicit ipſum ſecundùm naturam, & ideò bonitas communicatur rei productæ, ut rei natura bona, & natura operati bona: Iuſtitia eſt conditio, quæ reſpicit actum operantis, & hæc communicatur non rei productæ, ſed ipſi productioni: ſic Deus eſt iuſtus, & eius actus, ſed ex hoc non infertur, quod effectus ſit iuſtus, ſicut eſt bonus. *l.4.d.46.a.2.qu.1.ad 2.& 3.*

264. *Creaturæ ſunt ſcala aſcendendi ad Dei iuſtitiam, & amorem.*

Vidit Deus, &c. & erant valde bona. Nota, dicitur *vidit*, id eſt approbavit: vel vidit, id eſt videre fecit hæc omnia, *& erant valde bona. op. de inviſibil. Dei*, ſunt enim omnes creaturæ valdè bonæ, id eſt aptæ ad inducendam notitiam creatoris, ſunt enim ſpeculum clarum repræſentans proprietates excellentiſsimas Dei; tùm ſecundùm ordinem ſuæ naturæ in exiſtendo; tùm ordinem ſapientiæ in diſponendo, tùm ordinem bonitatis in influendo. *op. Brevil. p. 2. c. 5. & l.1.d.3.p.1.a.1 per totum, & op. Itiner. mentis per tot.*

265. *Numerus ſenarius perfectiſſimus, ſeptenarius non habet veſperam.*

Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. In hoc die ſexto Deus univerſum perfecit orbem: Cur potiùs ſexto die, quàm ſeptimo? vel ſaltem cur non quinto die? Id non ſine myſterio fuit; numerus enim ſenarius eſt perfectiſsimus, qui ex ſuis partibus conficitur nullo exceſſu, vel defectu animadverſo; quia conſtat ex partibus aliquotis, & non aliquotis, & ideò per ſex dies ſex ætates Mundi præfigurabantur, & ob id in ſexto Die homo eſt formatus veluti complementum mundi, & Chriſtus in ſexto menſe à conceptione Ioannis, in ſexta hora, in ſexta ætate, in feria ſexta Chriſtus eſt crucifixus, ut reparatio reſponderet primæ conditioni & ſignificaretur advenire in plenitudine temporum, & perfectione. *In Luc. c.1. v.26. & cap.23. v.44. & c.13. v.10. & Comp. Theol. l.4. c.5.*

266. *Beatitudo hominis caret labore, & fine.*

Factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. Diximus ſupra *ad verſ. 5.* hanc computationem veſpere, & mane fuiſſe factam, quia prima dies incæpit à veſpera, & completa eſt in mane ſequentis diei. *l.2. d.13. dub. 1. & ar. 1. qu. 2. ad ult.*

Hinc illa additio, *& mane* indicabat initium alterius creaturæ condendæ: cùm autem in veſpera ſextæ diei completa fuerit formatio omnium creaturarum, videtur, quòd deberet dici, factum eſt mane, & veſpere, cùm in ſeptima nihil conditum fuerit, & Deus requieverit ab univerſo opere: cur ergo involvit in hac ſexta die mane ſequentis ſeptimæ diei?

At id dictum eſt ad ſignificandum, quòd ſeptima haberet quidem mane, ſed non veſpere, & finem; ſic & ſeptima ætas non habebit veſpere, & finem. Hinc in die commemorationis defunctorum non cantantur veſperæ ad ſignificandum, quòd vita eorum non eſt habitura finem, qui dicitur veſpera. *In Pſal. 92. & l.2.d.11.a.1.qu.2.* Idem eſt in Auguſt. *l.4. in Gen. c.18.* & S. Anſelm. *in ep. ad Hebr. c.4.* *In feſto Animarum purgatoru nõ cantantur veſpera.*

Nota hîc, quòd hoc competit tantùm Bonis, nam mali nullum ſabathum habere poſſunt, *ſer. 1. in ſab. ſ.*

267. *Meritò homo factus eſt ſexta die.*

Factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. Rectè in hac die formatus eſt homo rationis capax, quia ſexta ætas apta eſt ſuper omnes ad exercitium ſapientiæ, ad remotionem culpæ, ad meritum vitæ æternæ, ad tranſitum de ſtatu miſeriæ ad ſtatum gloriæ. *op. Comp. Theol. l.4. c.5.*

268. *Donum Intellectus ſpiritus S. competit myſticè ſextæ diei.*

Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. Rectè tribuitur hic dies formationi hominis intellectu præditi, qui reſpondet dono intellectus Spiritus Sancti, quòd facit penetrare velamina Sacræ ſcripturæ, & Sacramentorum, naturarum, & ſuo lumine facit menti noſtræ diem perfectum, cuius mane eſt lumen compunctionis abſtergens tenebras peccatorum de lectulo conſcientiæ; meridies eſt claritas fervida in mente pariter illuminans, & inflammans per penetrationem eloquij Divini ad intima cordis; veſpere eſt ſomnus contemplationis, laborem quotidianum terminans, & reficiens. *op. de dono intellect. c.6.*

269. *Perfectio numeri ſenarij indicat indigentiam, quam habet anima adiutorio Dei, & terminum ipſius Animæ, qui eſt gloria adeptio.*

Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. Poterat

Deus

Deus in unico instanti totum mundum perficere, sed ejus sapientia voluit id facere per sex dies; primò ut ostenderetur universi perfectio per numerum senarium: secundò ut erudiretur homo, quòd sicut materia corporea per se ipsam informis existit, & tunc formata est per appositionem formæ ei superadditæ per sex dies: sic anima seipsa formari non potest, nisi Deus gratiam suá infundat, & deindè per senarium huius vitæ percurrat usque ad septenarium gratiæ consummatæ, idróque septenarius non habet vesperam, *l.2.d.12. a.1. qu.2. corp.*

269. *Ascensus ad Deum per exercitia virtutum proponitur in senario conditionis rerum, per quæ fit veluti creatio nova mundi.*

Factum est vespere, & mane dies sextus. Nota per opera sex diebus facta à Deo invitatur homo ad ascendendum gradatim ad culmen virtutis, in prima autem die facta est lux; significaturque circumspectio provida, cognitioque sui, & suorum operum: in secunda die factum est firmamentum dividens aquas, & appellatum Cælum, significaturque intentio recta, per quam homo separet se, & cor à terrenis, & in Deum feratur: in tertia die separata est terra ab aquis, significaturque affectio pura, per quam separetur voluntas à terrenis rebus: in quarta die facta sunt luminaria, significaturque electio iusta, & vera, ut ordinatè fiant opera, quæ debet facere: in quinta die productæ sunt animæ viventes in aquis, & aëre, significaturque prosecutio vigorosa in agendo: in sexta die fecit Deus opera integra superuestita omnibus circunstantiis, fecit enim hominem ad imaginem, & similitudinem suam, significaturque informatio charitatis, quæ est completio omnium virtutum *op. de dec. prac. serm.4.*

270. *Sanctus Franciscus proponit fabricam spiritualem novi mundi in sua Regula.*

Factum est vespere, & mane dies sextus. Seraphicus Pater S.Franciscus videns se à Deo positum loco Christi ad fundandam Religionem veluti mysticum mundum, tradidit senarium virtutum in Regula respondentem senario conditionis rerum, vnde sicut in conditione mundi Deus constituit tria veluti fundamenta, scilicèt Cælum, terram, & lucem, & posteà alia tria addidit ad distinctionem & ornatum, scilicet res insensibiles, sensibiles, & rationales: sic S. Pater Franciscus supposuit tria fundamenta, scilicet tria vota substantialia: alia verò tria ordinavit ut desideranda, veluti complementa, suntque desiderium spiritus Dei, exercitium orationis, humilitas, patientiaque in persecutionibus; & tertiò exercitium charitatis in Proximum: sieque per prima tria vir perfectus crucifigitur Mundo; per alia tria sequentia fit Deo conformis: Tandem Christus hunc ordinem approbavit imprimendo in ejus carne sigillum stigmatum *op. apolog. paup. resp.1.c.3.*

271. *Formatio spiritualis hominis fit per senarium ad exemplum senarij conditionis rerum.*

Factum est vespere, &c. dies sextus. In sex diebus formavit Deus machinam mundi majoris: sic & senario nomero fabricatur mundus parvus, scilicet homo; primò enim format hominem secundùm corpus in vtero: secundò infundit animam rationalem: tertiò lucem Intellectui, & voluntati, & memoriæ infundit: quartò ornat rationem per sapientiam de Deo: quintò voluntatem per bonas affectiones ad Deum: sextò ornat memoriam per sacras cognitiones, & meditationes. *op. de prof. relig. l.2.c.1.*

272. *Dies spiritualis Animæ iustæ est de vespere ad mane: Dies impij est de mane ad vespere.*

Factum est vespere, & mane, &c. Nota, quod qui Christum corde perfectò sequuntur, & de ligno hoc vitæ gustant, faciunt de vespere mane, scilicet illuminantur, & proficiunt: qui verò gustant de ligno scientiæ boni, & mali, faciunt de mane vespere, sicut fecit Lucifer, & Adam cadendo in tenebras errorum. *serm.1. Hexaem.*



CAPUT II.

Igitur perfecti sunt Cæli, & omnis ornatus eorum.

Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit Deus die septimo ab universo opere, quod patrarat.

Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.

273. PRO explicatione textus: Nota primò, quod in sex diebus, in quibus perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum, leguntur viginti duo opera Domini in Creatione, & juxta hunc numerum in Hebræo sunt posita viginti duo elementa, quibus explicantur mirabilia Dei, *Psal.92.*

Nota secundò, quòd hic dicitur, perfecti sunt Cæli, & in principio dicitur, quòd creauit Deus Cælum, &c. quia in principio Deus creavit res ex nihilo, posteà eas distinxit per sex dies: & ideò dicitur, quòd cessavit ab omni opere, quod creaverat, ut faceret, id est vt compleret, & distingueret, sicque omnia sunt simul creata; idest Empyreum, & materiam primam, & in ipsa omnes formas, quas posteà ex materia extraxit ad complementum, *l.2.d.12.a.1. qu.2. ad 2. & d.15.a.2.qu.3. & d.18.a.1.qu.3.*

Nota tertiò optimè dici completos Cælos, & terram, & omnem ornatum eorum, quoad existentiam principiorum, & completum numerum specierum, non quoad individua generabilium, & corruptibilium; ista enim continuè subiacent novæ generationi, & productioni. *l.2.d.15.a.2.qu.3.*

274. *Creaturæ pugnant pro Deo contra Peccatores.*

Igitur perfecti sunt Cæli; & terra, & omnis ornatus eorum. Nota, in Hebræo legi & omnis exercitus eorum. Quomodò Creaturæ dicuntur exercitus Cæli, & terræ? ubi milites, ubi Duces? Sed nota, quòd homo cùm sit per naturam superior omni Creaturæ, peccando subijcit se omni Creaturæ corporali, offenso enim Creatore, offenditur

tur omnis Creatura, per quam tanquam per exercitum suum exardescit adversus injustos ad ultionem inimicorum. *l.1.d.14.a.2.qu.2. ad 5. & in sap. c.5.versus finem.* vide S. Aug. *l.1.de mirab.sac.scrip. cap.19.*

275. *Apostoli sunt Cæli donis cælestibus ornati in die Pentecostes, Et Ecclesia facta est Paradisus Domini.*

Igitur perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Quisnam est iste ornatus Cælorum? Cur solùm dicuntur Cæli ornati; & non etiam terra? Nonne & ipsa fuit ornata variis speciebus? Nota, quòd nomine Cæli significantur Apostoli, de quibus dicitur *Iob.c.26. Spiritus Domini ornavit Cælos.* scilicet Spiritus Sanctus in die Pentecostes ipsos ornauit per virtutum omnium decorem, traducens eus ad vitam cælestem, & conversationem spiritualem contemnendo omnia, quæ sunt in terris, ut suo Regi Christo essent similes. *op. de Eccl.Hier. p.4. cap. 2.* Spiritus Sanctus igitur per adventum suum terram fecit Cælum, Ecclesiam in Paradisum convertendo, ait S.Ioan.Chrisost.

276. *Prædicatores, & Doctores Sancti sunt Cæli ornati Sole, Luna, & Stellis.*

Igitur perfecti sunt Cæli, & omnis ornatus eorum. Cæli mysticè sũt Prædicatores, & Doctores: & sicut ornatus Cælorum provenit ex Sole, Luna, & stellis: sic in eis debet relucere sol ferventis charitatis, Luna misericordiæ, & pietatis, stellæ munditiæ, & castitatis: item constellationes duodecim signorum, scilicet, vestigium vitæ, & conversationis duodecim Apostolorum, item hyades, pleiades, oriona cum interioribus, scilicet virtutes interiores purgati animi, scilicet theologalis ad contemplativam pertinentes, & exteriores, scilicet purgatoriæ, & politicæ, scilicet Cardinales vitam exteriorem quoad activam dirigentes, sed (proh dolor) quia iam in Ecclesiæ Doctoribus vix talia inveniuntur, & ideò tota Ecclesiæ species in tenebram, & deformitatem est mutata, ideò imminent mundo pericula. *op. Eccl. Hier. p.4. c. 5.*

277. *Iusti bona opera perficiunt, ascendendo de virtute in virtutem: Impy è contra descendunt deserentes opera inchoata.*

Igitur perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Cur hic replicat perfectionem mundi, si in præcedenti capitulo id expresserat? Nota priùs dixisse, quòd Deus creavit Cælum, & terram, nunc autem perfecisse Cælum, & terram; quia, ut diximus, creatio est productio ex nihilo, perfectio est ex aliquo præsupposito completo. *l.2. d. 12. supracis.* Invitatur autem ad imitationem Dei, nempè honorandum esse Iesum perseverantibus operibus usque ad consummationem, quæ fiunt per septem dona contra septem vitia. *serm.4. Dom. Palm.* Causa autem, quare pauci attingunt supercilium montis perfectionis, est, quia ferè omnes aliquandò ascendunt per contemplationem ad perfectionem; sed posteà fatigati redeunt ad quiescendum ad locum, unde recesserant, scilicet ad vanitates, & imperfectiones, & hoc est frustrà laborare. Illi verò, qui ad imitationem Dei ita ascendunt, ut semper altiùs procedere nitantur usque ad consummationem, erunt gloriosi coram Deo, & a tota curia cælesti prædilecti. *op. stim. Div. am. p.3. c.4.*

Ex quibus intelligendum est, quod hæc differentia est inter iustos, & impios: quòd iusti ponunt ascensiones ad Cælum non gressibus, sed virtutibus, non corpore, sed corde euntes de virtute in virtutem usque ad videndum Deum: imperfecti verò, & Injusti ponunt descensiones in infernum descendentes de vitio in vitium usque ad profundum Inferni. *serm.2. Dom.16. post Pentec.*

Iusti ascendunt de virtut. in virtutem. Impij descendunt de vitio in vitiũ.

278. *Privilegium, & finis rerum Deo tribuuntur, à quo solo est esse perfectum.*

Igitur perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Cur fit hæc repetitio, cùm hæc omnia satis expressa fuerint in præcedenti capitulo?

Respondetur; quòd necessariò est ordo perfectus, & status in rebus, & ideò omnia reduci debent ad unum principium, quod sit primum, ut det cæteris statum, & perfectissimum omnibus complementum, ideò omnis creatura non solùm constituitur in esse ab efficiente, & conformatur ad exemplar Divinum, sed etiam ordinatur in idem, ut in finem ultimum, & per hoc creatura est una, vera, bona, modificata, speciosa, ordinata, mensurata, discreta, ponderata est, & completa. *op. Brevil. p.2. c.1.* vide, quomodò qui ad Deum non tendit, deficit ab omni perfectione.

279. *Creaturæ ad Dei contemplationem, & amorem nos debent ducere.*

Igitur perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Sicut in principio dictũ est hæc omnia à Deo creata fuere: sic & nunc dicitur fuisse perfectè completa; volt enim Deus, ut animus noster consurgat ad considerandam Dei potentiam ex ipsarum origine: item sapientiam ex distinctione ipsarum: item & bonitatem ex ornatu ipsarum, ut sint veluti scala ducens animam ad Dei cognitionem, & amorem. *opusc. Itinerar. mentis c.1.*

280. *Septimus dies finis septimanæ non habens vesperam, nobis indicat Deum optimum, & perfectissimum factorem Cæli, & terræ.*

Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit, &c. Nota, quòd licèt Deus in sexta die positiva operatione opus suum finierit, tamen die septima finivit per negationem ulterioris operis: sed ad quid notatur hæc septima, si in ipsa nihil Deus operatus est? sed vide Dei optimam ordinationem: dicitur Deus compleuisse sua opera septima die, ut constitueret septimanam, non procedendo ad octavum, & nonum diẽm, sed ut ipsa completa fieret recursus iterum ad primum diem, quia habetur respectus ad primam rerum conditionem, & ideò secundùm hunc numerum dierum semper terminatur septimana, non ob perfectionem numeri, vel temporis, sed divini operis. *l.2.d.15.dub.6. & a.2.qu.3. ad 2.* ut hinc videas quòd Dei perfecta sunt opera.

281. *Quomodò dicitur Deus requievisse.*

Et requievit ab universo opere, &c. Hic quæritur, quomodò dicitur Deus cessasse ab omni opere, cum dicat *Ioann.cap.5. Pater meus operatur usque modò, & ego operor?* Iterum nonne fecit diem septimum differentem à cæteris sex? Ergo videtur falsum, quod requieverit in hac septima die ab omni opere? Respondetur, quòd dicitur quievisse, non quidem quietatione à labore, sed quæ dicit completionem

plectionem operis incepti sine motu, & variatione sui; complevit autem oniversum quoad completam existentiam principiorum, & speciernm, non verò quoad multiplicationem individuorum secundùm esse decurrens, exigens successionem per propagationem: septimus autem dies nou fuit alius a præcedentibus, nisi quod in hoc non notatur vespera: ideò nihil de novo producit, quod non fuerit prius, vel in simili specie, vel in ratione seminali, quæ tunc erant de primaria constitutione universi. *l.2.d.15.dub.4. & a.2.quæst.3.& l.3.d.1.a.2 q.4.& in Eccles.c.3.*

281. *Deus, quod fecit, nunc conservat.*

Et requievit ab universo, &c. Quomodò igitur. *Ioan.c.5. dicitur Pater meus operatur, & ego operor?* Iam dictum est omnia secundùm suas species producta esse in sex diebus: addit verò se, & denuò operari, quia ex sua providentia ea conservat, & mundum gubernat. *In Ioan.c.5.v.17.*

283. *Deus quietus requiescit in hominis corde.*

Et requievit Deus, &c. Nota mysterium in eo, quod dicitur Deus requievisse ab universo opere, postquam creaverat hominem; hominis enim cor purum est requies Dei: ô verè quietus locus, in quo Deus non turbatus ita', nec velut distractus cura perspicitur: sed probatur ejus voluntas bona, beneplacens, & perfecta: hic verè quietus Dominus quiescit. *op.de itiner.ætern.d.55.in proœm.*

284. *Deus requiescit in homine justo per gratiam.*

Et requievit die septimò, &c. Nota, quod creatis bestiis non legitur, quod Deus requieverit; sed tantùm creato homine ad imaginem,& similitudinem suam,scilicet justitia originali, & gratia præditum, & ornatum: Quodnam mysterium est hoc? Datur nobis intelligi, quod Deus solùm delectatur, & quiescit in anima munda, & gratia ornata, unde ait Isaiæ *c.66. super quem requiescet spiritus meus,* nisi super humilem scilicet in prosperis,& quietum scilicet in adversis,& super trementem sermones in præceptis:In his tanquam floribus sicut apes libentet requiescit Spiritus Dei. *fer.1.in fabb.Sancto,& in Luc.c.15.v.14.* Vide Ruper. *l.2. in Gen.c.14. & l.2. Epist.5.* O quàm beata anima,apud quam Deus sibi requiem invenit, negare siquidem ei Cæli requiem non poterit, qui sibi in hac vita requiem præparavit. *Solil.c.1.*

285. *Deus in bestiis scilicet in hominibus malè viventibus non requiescit; peccatum enim expellit ab anima Deum.*

Et requievit, &c. Quare creato homine dicitur Deus requiescere, & non creatis bestiis? Per bestias mysticè intelliguntur homines bestialiter, & in peccato viventes. *Sap.cap.in principio.* Per hominem habentem similitudinem Dei intelligitur homo in gratia existens, ut suprà dictum est. Hinc infertur Deum non requiescere in anima peccato mortali maculata, sed tantùm in gratia existente; peccatum enim transformat hominem in bestiam abominabilem. *l.2.d.24.p.2. dub.3.& Psal.118.c.6. v.3.* Item reddit ipsum Deo inimicum,& abominabilem. *l.2.d.35.a.1.q.3.ad arg. & d.39.dub.1. & l.3. d.22.a.1.q.5. & Brevil.p.5.c.3. & op.comp.Theol l.7. cap.25.& diat.tit.sal.1.cap.1.& 2.& ser.3.Dom.2.post. Pascha.*

286. *In remissione, & condonatione peccatorum Deus requiescit.*

Et requievit, &c. Quarè creato homine dicitur requievisse,& non post creationem bestiarum? Nota, quod soli homini potest Deus parcere, & condonare peccata; salus enim peccatoris, & condonatio peccatorum est requies, refectio Dei, & Sanctorum. *in Luc.c.15.v.24.* Hinc potest inferri, quòd dicitur requievisse creato homine, in quo habuit, cui peccata dimitteret: sic & S.Ambros. *lib.6.Hexaem.cap.1.*

287. *Creaverat Deus hominem, & sibi amicum per gratiam fecerat: igitur in eo dicitur requiescere, quia homo in gratia, & per gratiam requiem invenit; requies enim nostra est requies Dei. O qualem charitatem Dei in nos.*

Et requievit, &c. Quare producto homine dicitur requievisse Deus? Item quomodo dicitur Deus requiescere, qui non defatigatur labore? Dei requies in nobis est nostra requies in ipso: quantùm igitur nos amat Deus, ut quia requiescimus in eo, & in nobis se dicat requiescere, non enim ipse aliquando turbatur. *ferm.2. in fabb. Sancto* sic & S. August. *lib.de Gen.ad litt. cap.8. à S. Bonav.cit.*

288. *Gloria nescit occasum, & finem.*

Et requievit,&c. Nota in septima die dicitur requievisse, nec huic addita est vespera, sed tantùm mane, quarè hoc? Nonne fuit hic dies completus? Nota per septimam diem significari septimam ætatem,quæ non est habitura vesperam, & finem;gloria enim,quam per decursum septem dierum hujus vitæ acquiret, homo nunquam cessabit. *In Psal.92. & ferm.2. in fabb Sancto in fine.*

289. *Christus requievit in septima die in animas spiritualiter,est enim figura sepultura Christi.*

Et requievit ab universo, &c. Hoc figurat, quod Christus laboravit in septimana pœnosa sex diebus & in septima requievit: unde hic dies est sabbati, & requiei, quia in ipso Christus requievit in sepulchro positus in linteo cum aromatibus, & in lapide ad significandum, quod Christus libenter requiescit, ut in sepulcro, in anima munda per pœnitentiam, & gratiam cum aromatibus virtutum, & lapide perseverantiæ. *ferm.2. in fabb. Sancto, & Psal.91.* Dicitur requiescere in anima, quando ipsam amplexatur per gratiam, salus enim ejus est Dei refectio. *In Luc. cap.15. ver.10.& 14.*

290. *Christus dicitur requiescere per requiem, quam confert animæ.*

Et requievit, &c. Requievit, quia Christus per passionem suam requiescere facit animam per septenarium donorum Spiritus Sancti, per quæ præparatur ad requiem æternam; ordinatur enim affectiva per spiritum timoris ad Deum; per spiritum pietatis ad proximum: & per spiritum fortitudinis contra Diabolum, & mundum: Ap-

prehensiva, seu intellectiva ordinatur per spiritum sapientiæ ad superiora: per spiritum scientiæ ad inferiora: per spiritum intellectus ad interiora: & per spiritum consilij ad exteriora. *serm.2. in Sabbat.Sancto.*

291. *Septima dies significat requiem Dei, Christi, Angelorum, & Beatorum.*

Requievit Deus die septimo, &c. In hac die requievit Deus ab operibus creationis: Christus ab operibus redemptionis, & resurrectionis: & in hac Angelus requievit per illuminationum extensionem: & homo requiescit in gloria. *serm. 2. in sabb.Sancto.*

Nota, aliquos Theologos cum Ruperto *l.2.c.15. in Genes.* ducere Angelos in hac die remuneratos fuisse gloriæ præmio.

292. *Boni Sabbatum habent: mali non possunt ipsum habere.*

Requievit Deus, &c. Nota, hunc diem propriè esse tantùm bonorum; nam mali Sabbatum habere non possunt; quia illis conscientia nunquam conquiescit: bonis autem bona conscientia tranquillitas est, & illa tranquillitas Sabbatum est: requies hæc autem solùm haberi potest per decursum septenarium, scilicet per puritatem in cogitatione, per justitiam in operatione, per sinceritatem in locutione, per innocentiam in conversatione, per victoriam in tentatione, per fidelitatem in promissione, & per vacuitatem, & immunitatem ab injusta electione temporalium. *serm.1.in Sabb.S.*

293. *Diabolus requiescit in Peccatore, & Peccator in Diabolo.*

Requievit Deus, &c. Nota, quod Diabolus est Simia Dei: & sicut Deus requiescit in anima per septenarium virtutum, ut dictum est: sic Diabolus requiescit in peccatore, & peccator in Diabolo per septenarium vitiorum, scilicet per superbiam, invidiam, iram, avaritiam, accidiam, gulam, & luxuriam. *serm.1.in Sabb.Sancto* Requies tamen est ista tantùm apparens quia sicut Diabolus, sic peccator nunquam verè requiescit. *op.Diet. sal.tit.3.c.2.*

294. *In Maria Deus requievit.*

Et requievit die septimo, &c. Quarè non sexto die, sed septimo Dominus requievit? Nota per sex dies cæteræ creaturæ factæ sunt, sed hic septimus dies significabat Mariam Virginem, in qua sola requiem invenit; dicit enim ipsa, *Eccles.24. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & Psal.45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. serm.2. in Sabb.Sancto.* Sic & S. Bernard. *serm.de Maria V.* fuit enim Maria Virgo Paradisus Domini deliciosissimus. *op.spec.B.Virginis cap.11.& 14.*

295. *Deus in seipso quiescit, & vult nos in ipso solo quiescere, & sabbatum celebrare laudando, & amando, quia in ipso solo est requies.*

Requievit Deus, &c. Quomodò requievit? Requievit in seipso, & invitans hominem ad quiescendum in ipso: qui autem Sabbatum quiescendo non celebrat, pactum Dei cum homine violat (*fecit enim ipsum ad imaginem, & similitudinem suam*) quia vult hominem perfici in ipso Deo exurgendo ex tot mirabilibus ad Deum laudandum, & in Deo quiescere, & sibi per amorem tenaciter inhærere. *op.de prof.relig.l.2.c.65.*

296. *Benedictio Dei ordinata est ad beneficentiam Creaturarum.*

Et benedixit diei septimo, & Sanctificavit illum; quia cessaverat ab omni opere suo. Quæritur, ad quid tenderet ista benedictio? an ad res iam factas; an ad diem, & si est benedictus, quomodo Paulus *ad Ephes.cap.5.*dicit, *quòd dies mali sunt*? Respondetur hanc benedictionem ordinatam esse ad diem non secundùm se, sed prout est mensura alicujus operationis, in qua est benedictio, & sanctificatio: & in hoc sensu dies dicuntur mali, quatenus sunt mensura actionis malæ: Dicitur autem benedixisse hunc diem, tum ob consummationem perfectam suorum operum, quæ condiderat in sex diebus antecedentibus: tum quia ipse possidet, continet, & conservat, quæ facta sunt. *l.2.d.15.dub.2.& in Io. c.5. v.20. & in Luc. cap. 13. v.10.*

297. *Deus priùs res creavit in principiis ipsarum, postea eas ad actum completum fecit.*

Et benedixit diei septimo, &c. Ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret: Quomodò dicit Deum creasse res, ut eas posteà faceret? si jam creatæ erant, ergo habebant esse, ergo erant factæ? Respondetur quod priùs dicuntur res creatæ, scilicet quoad existentiam principiorum in materia, & posteà factæ sunt distinctæ, & reductæ ad completam existentiam secundùm naturam uniuscujusque. *l.2. d.12. a.2. quæst.2. ad 2. & d.15.a.2.quæst.3.* Ut videat Deum totum occupatum in beneficium Creaturarum.

298. *Benedicere Dei est operari ad utilitatem nostram.*

Benedixit diei septimo, &c. Cur benedixit hunc diem, & non alios dies? Quid alij dies commisere, ut Dei benedictionem septimo diei datam non accipiant? Jam dictum est nihil aliud esse benedicere, & sanctificare, quam diem tali actioni, ut mensuram, deputari: igitur licèt de Deo dictum sit, quod die septima quievit, tamen continuè operatur exercendo suam providentiam, conservando, & continendo continuè res jam factas, ut patet de Sole, Luna, de seminibus, & habitantibus in terra, quæ nutrit, de fluminibus, & his, & tamen non solvit Sabbatum. *In Ioan. c.5.v.17.& l.2.d.15.dub.5.* Ex quibus inferre licet, quòd benedictio Dei est operatio, & cùm in sex diebus operatus fuerit tot Creaturas, id sufficit ad explicandam benedictionem sex dierum. In hac septima die autem exprimit benedictionem, ne quisquam putet Deum cessasse ab hujusmodi benedictione, nempe à conservatione rerum: disce ergo ex hoc diem illum infælicem esse, in quo otiosus fueris.

Dies otiosus dies malus, & benedictione vacuus

299. *Deus benedixit in hac die operibus, quas vult à nobis in sui obsequium.*

Benedixit, & sanctificavit, &c. Dictum est benedictionem fuisse factam tali diei, ut esset mensura actionis faciendæ: Quodnam opus igitur est in sabbato faciendum? si Deus nihil de novo fecit? Respondetur, quod fecit ad instructionem nostram, ut scilicet hominē erudiret non solùm verbo, sed & opere, nempè sicut sex diebus dedit homini licentiā intēndendi rebus inferioribus, & sicut septimo die ab omni opere cessavit, sic voluit quod septimo die homo ab omni opere cessaret, & per contemplationem inhæreret, & inhærendo quiesceret in Deo; & quia in hac inhæsione homo obtinet à Deo ampliationem benedictionis, & sanctitatis, ideò dies septimus dicitur à Deo benedictus, & sanctificatus non ratione sui, sed ratione operum sanctorum, quibus deputavit talem diem. *l.2.d.15. dub.5.*

Festi observentia qualiter facienda.

Vera quies stat in inhæsione, & contemplatione Dei.

300. *Vir iustus semper tendendo, & intendendo contemplationi Sabbatum celebrat, & nunquā abstinere debet ab operibus iustitiæ.*

Benedixit diei septimo, &c. Dictō est hanc benedictionem ordinatam esse operibus sanctis, quas exigit Deus à nobis: ex quo patet, quantùm Deo placet, quod homo sibi soli intendat, & in eo requiescat: hinc frequentissimè iterat Deus in lege inter omnia mandata præceptum de observantia sabbati. *l.2.d.15.dub.2.* Iustus autem semper sabbatum celebrat: impius autem sabbatum habere non potest. *Ser.1 in Sabbato Sancto & op. de prof. relig. l.2.c.65.*

301. *Deus nunquam cessavit, nec cessat benefacere.*

Et benedixit diei septimo, &c. Quæritur, quarē tam frequenter Christus patrabat miracula, Evangelizabat verbum Dei, aliaque multa faciebat in sabbatis, cum esset dies quietis? Sed ad instructionem nostram id faciebat, ut scilicet indè inciperet reparatio nostra, unde terminata est creatio, & conditio nostra; nunquam enim Christus cessavit operari ad nostram salutem, ut dicit *Ioan.c.5.n.17. & Luc.c.13.n.10.*

302. *Otium quantum detestetur, ejus damna enarrantur.*

Benedixit, &c. Quia in ipso cessaverat ab opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. Quid sibi vult illa additio, *quod creavit Deus ut faceret*? Dictum est literaliter debere intelligi de distinctione completa rerum, quas Deus creaverat in seminario materiæ. *l.2.d.12.a.2.qu.2.ad 2.*

Sed cur facit hanc repetitionem, quæ videtur superflua? sed nota mysterium: Multi vertunt, quod fecerat, scilicet ad faciendum, ut hoc verbum referatur ad creaturas, nec cessarent ab operibus propriis, & ne otiosæ essent, sic Lipoman. *hic*, cum aliis. Hicque nota hoc præceptum à Deo unicuique rei in proprio die impositum fuisse scilicet luminaribus, ut non cessarent à lucendo, aquis, terræ, plantis, ut producerent sibi similia, &c. singulariter autem in hac septima die replicatum esse præcipuè propter hominem ad significandum, quātùm abhorrere debeat otium; & meritò, ut scilicet (ait sanctus Doctor) homo addisceret à corporibus inanimatis, v.g. à Sole, & Luna, quæ quotidie surgunt, & perficiunt cursum suum: & ab animatis, ut sunt arbores, & herbæ; quæ licèt in hyeme nudæ sint, tamen virtutem suam servant, & in tempore suo redeunt ad consueta: otium enim maledictionem Dei incurrit, spirituale lucrum negligit, incitamenta vitiorum colligit, locum Diabolo præparat, tentationibus aditum aperit, mores pervertit, receptaculum sordidum cor facit, & ad cælestia currere negligit. *op. comp. Theol l.3.c.18.*

303. *Cur Sabbati dies mutata est in Dominicam diem.*

Et benedixit diei septimo, &c. Quæritur, cur mutata sit observantia huius diei in dominicam diem? Respondetur, quòd in mandato Sabbati erant duo: primum erat cessatio ab opere servili, ut homo Deo liberiùs vacaret: secundum erat significatio diei, & determinatio operum, à quibus erat cessandum: primum erat præceptum morale; Deus enim semper requisivit, ut homo, sibi præpararet habitaculum cordis, & eidem aliquandò vacaret, ut per dilectionem ei adhæreret, & in hoc non tantùm erat morale, sed veluti origo deserviens ad integram impletionem aliorum præceptorum; vacans enim Deo meliùs cognoscit, quid sit faciendum: secundum erat cæremoniale, & figurale, signans à quo cessandum est, scilicet à peccato, & quid credendum, & expectandum sit, nempè quies passionis Christi in sepulcro: & secundùm hanc partem cessavit lex, cùm igitur sabbatum fuerit impletum, ideò successit dies Dominica celebranda; quia iam habentes veritatem diei septimæ per Christi quietem, expectamus resurrectionem, & glorificationem octavæ, quæ jam in capite nostro incboata est, & in nobis consummabitur in generali resurrectione, hinc Dominica dies est instituta ob memoriam beneficij resurrectionis, & præfigurationem futuræ resurrectionis. *l.3.d.37.dub.3. & op. de dec. prac. ser.4. & in Luc.c.27. n.54. & serm.1. in Sabbato Sancto* Vide, quæ dicuntur in Exodo *ad cap.20.* de observantia Sabbati, & aliorum festorum.

304 *Dies septimus figurabat adventum Spiritus Sancti, per quem datur perfecta requies animabus.*

Et benedixit diei septimo. Cur tam privilegiatus fuit hic dies super cæteros. Respondetur, quod in operibus sex dierum figura data fuit nobis de operibus à Christo patratis in sua passione, scilicet traditionis, illusionis, flagellationis, consputationis, occisionis, & resurrectionis: septimus autem dies fuit figura missionis Spiritus Sancti in Apostolos, & Ecclesiam, tunc enim fuit data plena benedictiò, & sanctificatio, & in septem donis perfecta requies. *In Luc.c.18.n.33.*

305. *Dies septimus habuit vesperam, sed non notatur à Sacra Scriptura ad significandum multiplex mysterium, scilicet quietem, & resurrectionem Christi, quietem animarum, statum religionis, & cælestem beatitudinem.*

Et benedixit diei septimo, &c. Cur non subjunxit sicut in cæteris, & factum est vespere, & mane

dies sextus: sed supponitur iam in esse, & tantùm benedicitur à Deo, *& benedixit diei septimo, &c.* Nonne fuit iste dies completus, sicut cæteri? nonne fuit à Deo factus in complementum universi? Respondetur, quòd si dies septimus consideratur litteraliter, non fuit opus novum, & de novo factum, sed quodammodò cum aliis productum, & continuans tempus iam inceptum, & ideò habuit noctem succedentem, quod tamen à Spiritu Sancto non exprimitur ad indicandum maximum mysterium; si enim allegoricè sumitur, figurabat quietem Christi in sepulcro, per quam facta est liberatio animarum, ob id dicitur quies animarum sanctarum: si tropologicè, significabat quietem à perpetratione peccati, otium contemplationis, & statum religionis, quæ sine intermissione ab homine exigit Deus, maximè in aliquo determinato tempore: si anagogicè, figurabat quietem æternæ iucunditatis, quæ nunquam habebit vesperam, & finem. *l. 2. d. 12. a. 1. qu. 2. & d. 15. a. 2. qu. 3. ad 2. & Brevil. p. 2. c. 2. & in Psal. 92. & in Luc. c. 23. n. 54.*

306. *Debet Homo per sex ætates laborare, ut in sexta scilicet in morte quietem habeat.*

Et requievit Deus, &c. Quarè, cum Deus in quolibet die perfecerit aliquod opus, non dicitur: Et requievit Deus à tali opere? Sed tantùm in hoc septimo die dicitur requievisse à patratis iam operibus? Id dicitur ad indicandum, quòd licèt Deus compleverit aliquod opus in singulis diebus, tamen perseveravit in operando usque ad sextum diem inclusivè, & in septimo cessavit: sic & Christus non cessavit operari, & pati usque ad sabbatum quietis, & ad indicandum, quod homo debet per sex ætates operari, & cum Christo contribulari, & crucifigi, ut in morte sua habeat sabbatissimum secundùm oraculum *Iob. c. 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum:* sic significanter dicitur *Luc. c. 23.* quod sabbatum illucescebat, dum nox incipiebat: quia nox illa terminabatur in lucem: sic & mors Iustorum in lucem terminatur. *In Luc. c. 23. n. 54.*

307. *Perseverantia in bono exigitur à Deo, & opere, & sermone à Christo commendatur.*

Complevit Deus die septimo opus quod fecerat, & requievit, &c. Nota, quod hîc datur nobis exemplum perseverantiæ; hæc enim perficit inchoata, impetrat postulata, & stabilit acquisita, & hæc sola inter virtutes coronatur. *op. Diet. sal. tit. 8. c. 2.*

308. *Quarè dies prima denominatur Dominica: secunda dies Lunæ, &c. & quarè Ecclesia numerat per ferias.*

Complevit Deus die septimo opus suum, & requievit, &c. Quæritur, quarè non fit enumeratio dierum in Ecclesia eo modo, quo fit hic in scriptura, v.g. dies lucis, dies firmamenti, sed utitur aliis nominibus? Respondetur, quod licèt in primaria rerum constitutione notetur distinctio dierum septem ad explicandam perfectionem divini operis, & quietis; nunc verò non appropriatur ad aliquem effectum specialem: Gentiles acceperunt numerum penes dominium Planetarum, secundùm quos habet regi, & disponi tempus; & quia Saturnus est primus inter Planetas, dicunt quod dominatur in prima hora diei sabbati, & sequens Planeta in secunda hora, & sic usque ad septem horas: postmodum fit regressus ad principium, & sic est procedendum: & postmodùm ille Planeta, qui dominatur in vigesima quinta hora, ille est principium sequentis diei, qui est Sol, à quo dominatur ille dies: & sic deinceps procedendo denominant septem dies, quasi septem Planetas; & quia in tertia die dominatur Luna in prima hora, sic denominatur dies Lunæ, & sic deinceps: hunc autem nos Christiani modum denominandi dies, nec omninò tenemus, ne videamur elementis mundi servire, nec omninò relinquimus propter consuetudinem: unde dominicum Diem denominamus nos, sabbatum Iudæi, in aliis servamus consuetudinem: Ecclesia verò loco nominum Planetarum ponit secunda feria, tertia feria, &c. & sic deinceps, nempe à feriando, & exercendo se in obsequium Dei. *l. 2. d. 15. dub. 6.* Nota etiam, quod dies prima dicitur Dominica, id est dies Domini; vel quia ea die incæpit creare mundum, tunc enim incæpit esse Creatura, cui dominaretur; vel quia ea die innotuit Dominus scilicet infernorum, vectes ferreos confregit: item mortuorum, quia multa corpora sanctorum surrexerunt: & vivorum, quia prima hora illius diei surrexit. *Psal. 23.*

Dies dominica quare super omnes dicitur esse Domini.

309. *Per septem partes completio habetur mundi majoris, & minoris.*

Complevit Deus die septimo, &c. Cur in septimo, & non in sexto die explicatur completio mundi? Respondetur, quod septenarius numerus est universitatis, significans completionem mundi maioris: constat enim quatuor elementis susceptivis influentiarum cælestium, & tribus orbibus cælestibus influxivis, & motivis omnium inferiorum; significat & completionem minoris mundi scilicet hominis constantis quatuor qualitatibus elementaribus, & tribus potentiis spiritualibus scilicet vegetabili, sensibili, & rationali: illæ respondent quatuor elementis: istæ tribus Cælis, scilicet sydereo, crystallino, & Empyreo. *serm. 16. Hexaem.*

310. *Omnia tempora legis naturæ scriptæ, & gratiæ volvuntur per septenarium.*

Complevit die septimo, &c. Nota, quod sicut Deus septem diebus conclusit tempora originalia conditionis, & completionis omnium Creaturarum: sic & voluit omnia tempora figuralia legis naturæ, scriptæ, & gratiæ revolvi tali similitudine. *serm. 16. Hexaem.*

311. *Hominis vita spiritualis adaptatur seriei creationis rerum.*

Complevit Deus die septimo, &c. Nota, talem ordinem adaptari rerum conditioni, ut insinuaretur idem ordo servandus in complenda perfectione spirituali animæ: nam primæ rerum de nihilo creationi respondet impij iustificatio de nihilo peccati firmamenti productioni, confirmatio boni propositi aquarum congregationi, cordis adunatio, unitas, & concordia Syderum perfectioni, exemplum bonæ operationis piscium, & Avium formationi, flatus actionis, & contemplationis hominis plasmationi, rectitudo intentionis: septima verò dies significat æternitatis requiem, & ecce nova creatio, seu reformatio hominis. *op. com. Theol. l. 2. cap. 2.*

312. Septem

312. *Septem dona Spiritus Sancti faciunt spiritualiter in anima septem dies recreationis mystica.*

Complevit Deus, &c. Hæc conditio rerum figurabat reformationem spiritualem animæ per septem dona Spiritus Sancti, quorum quodlibet habet mane, meridiem, & vesperam, scilicet inchoationem, progressum, & terminum. *op. de 7. don. in princ. c. 2. & 6. & de dono tim. c. 3. & de dono pietatis c. 2. & de dono scientia c. 2. & de dono fortitud. c. 2. & de dono consil. c. 4. & de dono intell. c. 6. & de dono sap. c. 4. & in Luc. c. 2. n. 2.*

313. *Septem hora canonica, & septem petitiones orationis Dominica, & septem dona Spiritus Sancti respondeat septem diebus conditionis machina mundialis.*

Complevit Deus die septimo, &c. Sicut septem diebus Deus complevit totum orbem: septenarius enim numerus significat universitatem: sic & septem horas diei artificialis mancipamus horis canonicis, de quibus dicebat *Psal. 118. septies in die laudem dixi tibi*: item & septem petitiones in oratione dominica facimus, respondentes septiformi servituti, scilicet universitati vitiorum, à qua per tale ministerium sentimus expiari: item septiformi virtutum, scilicet quatuor cardinalium, & trium Theologicarum, quibus illustrari desideramus: item & septiformi charismatum numero, scilicet donorum Spiritus Sancti adversus hostes fortificantium. *Psal. 118. c. 11. n. 4.*

314. *Per septem beatitudines, & perfectiones reducitur ad completum esse hac machina spiritualis anima.*

Complevit die septimo, &c. Nota, quod septem diebus datum est complementum huic mundo: sic & spiritualiter vir religiosus tendere debet ad ultimatam perfectionem: sicut enim tres primi dies pertinent ad distinctionem rerum, alij tres ad ornatum, & posteà secutus est septimus quietis: sic & primò proponitur paupertas ad separationem temporalium; mititas ad abnegationem propriæ voluntatis: & luctus ad fugam carnalium voluptatum: deinde proponitur esuries, & sitis iustitiæ, & misericordia attrahens animam ad piam condescensionem proximi: item munditia cordis, & pax alliciens mentem ad superiora: item & supportatio persecutionum per iustitiam quasi circulum faciens redeundo ad principium, in quo uno summa totius perfectionis completur, & habetur quies secura. *op. apol. paup. resp. 1. c. 3.*

315. *Anima est velati materia prima informis sine Deo, & virtutibus.*

Complevit Deus, &c. Sicut Deus in principio creavit materiam veluti informem, & veluti inhiantem ad formas completas, quas eduxit Deus per cursum dierum sex, & in septimo completa machina declaratur: sic spiritualiter eruditur homo, qui est minor mundus, quod eius anima est veluti informis, indigetque gratia Dei, & virtutibus, ut redigatur ad complementum, eique conceditur tempus vitæ præsentis significatum in sex ætatibus, ut mereri possit, & adipisci tales spirituales formas; posteà ei datur quies gloriæ, quæ non habet vesperam. *l. 2. d. 12. a. 1. q. 2. corp.*

316. *Deus in principio Mundi exposuit in figura totam decursum atatum mundi, & vita hominis.*

Complevitque Deus die septimo, &c. Moyses narrans per revelationem præterita prophetavit de futuris; sicut enim Deus sex diebus Mundum fecit, & in septimo requievit: sic corpus Christi verum, & mysticum sex habet ætates, & septimam, & octavam, quæ currit cum septima: prima ætas hominis est infantia: hæcque in mundo fuit ab Adam usque ad Noe, & sicut in hac die primò facta est lux: sic primò datur lux infantiæ, quæ postea oblivione deletur, sicut per diluvium deletum est omne Animal, præter existentia in Arca: secunda ætas respondet Pueritiæ hominis, & mundi: & sicut factum est firmamentum, divisæque aquæ: sic tunc factum est fœdus per arcum, ne homines delerentur per aquas inferiores, & per arcum, ne ulteriùs deleretur per diluvium, & duravit à Noe usque ad Abraham, & fuerunt divisæ linguæ tunc, sic etiam homo in pueritia discit loqui: tertia ætas est adolescentia hominis & mundi; hæcque fuit ab Abraham ad David: unde sicut in tertia die germinavit terra &c. sic homo in adolescentia est potens generare: & in tertia ætate cæpit synagoga florere in Abraham, & per circuncisionem: quarta ætas est à David ad transmigrationem Babilonis respondens iuventuti, & quartæ diei, in qua facta sunt luminaria Cæli, ideò in quarta ætate mundi floruit regnum, & sacerdotium, quæ sunt duo luminaria: sic & in iuventute floret sapientia: quinta ætas est usque ad Christum, & sicut in quinta die facti sunt Pisces &c. sic synagoga cæpit deficere, sicut homo incipit perdere calorem. Sexta ætas est à Christo usque ad diem iudicij; & sicut in sexta die factus est homo: sic verbum factum est homo, & sicut in hac ætate, quæ est senium hominis, ipse est aptus sapientiæ, & prudentiæ: sic & Christus redemit perfectè hominem: septima ætas est requies animarum, quam sequitur octava, scilicet resurrectio mortuorum. *serm. 15. Hexaem. & Brevil. p. 1. in proœm.*

Et si quæras, quare ista tempora vocantur ætates? Respondetur, quod sicut in homine, sic in Mundo dicuntur ætates; quia sicut homo paulatim proficit in cognitione, sic & mundus; & dicuntur ætates Mundi, non quia fuerint æqualis spatij, sed quia in qualibet aliquid novum, & aliqua renovatio facta est. *l. 4. d. 40. dub. 3.*

317. *Homo in solo Deo quietem invenit, & ad hoc omnes creatura, & opera Dei, invitant.*

Complevitque Deus die septimo, &c. Si Deus in septimo die nihil fecit, quomodò dicitur còplevisse, & perfecisse hac die opera sua? immò potiùs debuit dici: cessavit ab omni opere. Nota perbellum mysterium: Dicitur Deus in hac die requievisse: quomodò requievit? Requievit in seipso: undè cùm per sex dies antecedentes significentur omnia ab ipso creata, ad quæ cætera reducuntur: septimus dies significat ipsum Deum in se ipso operantem, & ab omnibus operibus creatis superelevatum, daturque nobis intelligi, quod omnis Creatura de se imperfecta est, & ipse Deus est omnium operum suorum perfectio, & in ipsum reflectitur omnis creatura, à quo fluit, sicut in primam causam, ex quo omnia per causam formalem, per quem omnia per causam

eſſicientem, in quo omnia per cauſam finalẽ, & hoc fit per glorificationem rationalis Creaturæ, in qua elauduntur omnes aliæ ereaturæ, cùm propter ipſam ſint omnia ereata, & ipſa ſit capax omnium per intellectum, & naturæ ſimilitudinem, & hoc maximè apparet in homine, cui ad ſerviendum omnia iſta viſibilia ſunt ereata: Ex hac autem ſeptuplici ordinatione dictum ſeptuplicem laudis divinæ materiam habemus: primum opus eſt ereatio tot rerum: ſecundum eſt gubernatio: tertium redemptio: quartum iuſtificatio: quintum iuſta retributio meritorum bonis, & malis: ſextum gloria beatorum. In prima autem die exprimitur per creationem Divina omnipotentia: in ſecunda die collocata ſunt Corpora cæleſtia ſuper inferiora, ut influerent in ipſa, per quod exprimitur ejus gubernatio: in tertia die, in qua terra apparuit arida, fructifera exprimitur redemptio: in quarta die facta ſunt luminaria, exprimiturque iuſtificatio Animæ per ſolem charitatis, Lunam fidei, & Stellas virtutum: in quinta die formatione ex aquis natatilium, & volucrum exprimitur depreſſio malorum in aquis infernalibus, & elevatio bonorum per gratiam: in ſexta die formatio hominis exprimit glorificationem: ſeptimus dies non eſt opus, ſed operis impletio per quietem in Deo, qua Deus quieſcit in ſe, & nos in Deo: unde ſabbatum appellatur requies. *op. de prof. religioſ. l. 2. c. 65.*

Iſta ſunt generationes Cæli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Cælum, & terram.

Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret, non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram.

Sed fons aſcendebat de terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ.

318. *Iſta ſunt generationes, &c.* Nota hoc eſſe dictum per recapitulationem, iſtumque terminum (*in die*) confundi, ut teneatur pro diverſis diebus, vel zeugmaticè ut reddatur aliis membris illius recapitulationis.

Nota etiam, illud verbum (*Creata ſunt,*) ſumi hic æquivocè, ſcilicet vel pro creare ex nihilo, vel pro facere, diſtinguere, & complere res. *l. 2. d. 12. a. 1. qu. 2. ad 1. & a. 2. qu. 2. ad 1. & d. 17. a. 1. qu. 3. ad 1.*

319. *Deus ſolus independens, omnia creata à Deo dependent.*

Iſta, &c. in die, quo fecit Dominus Deus. Nota, quod in principio huius hiſtoriæ ponitur Deus ſolùm, hic additur etiam Dominus: quarè formatis omnibus Creaturis additum eſt Deo nomen Domini? Cur expectauit ſacer ſcriptor hoc nomen aperire vſque ad conſummationem totius operis? Reſpondetur nomen Domini importare poteſtatem in ſervos: cùm ergo facta fuit creatura, benè innotuit nomen Domini dominantis omni Creaturæ. *Ex Pſal. 23. & l. 2. d. 2. p. 1. dub. 2.*

Vndè licèt Deus eſſet Dominus, habitu, non actu tamen: at creatis rebus, & præcipue homine, quia Dominus, & ſervus ſunt correlativa, appellatur expreſſo nomine Dominus, quod abſolutè non competit niſi ſoli Deo, cùm ſit independens ab omni creatura, & omnis Creatura ab ipſo dependeat. *Pſal. 82.*

320. *In Dominica die epilogantur opera à Christo facta, & dies Domini dicitur.*

Iſta ſunt generationes, &c. in qua fecit Dominus, &c. Quiſnam iſte dies? ſi per ſex dies condiderat Deus Mundum, cur non dixit in diebus? Nota, quòd ſolùm connectitur huic diei nomen Domini Dei: & licèt Sanctus Aug. aſſerat in unico die fuiſſe creata omnia, diſtinguitq; hanc diem propter diverſam Angelorum cognitionem, tamen communis opinio docet verè per ſex dies creata fuiſſe omnia: ſic. *l. 2. d. 13. a. 1. qu. 1.* Sed cur omnes dies redegit hic ad unum Diem? ſed adverte, quòd hæc omnia præfigurabant adventum, & opera à Christo facienda ad reparationem mundi, quæ omnia in die Dominico epiloganttur: unde iſta dies dicitur Domini propriè; quia in eo innotuit Dominus infernorum, mortuorum, & vivorum. *Pſal. 23.*

321. *Et omne virgultum agri, &c.* Nota hoc nomine ſignificari plantas, & arbores cuiuſcumque ſpeciei. *l. 2. d. 14. p. 2. dub. 2.*

322. *Deus ex ſe, & ſine alieno adiutorio omnia perfecta producit.*

Non enim pluerat Dominus ſuper Terram, nec erat homo, &c. Ad quid fit hæc additio? Certum enim eſt, quod Arbores fuerunt productæ in perfecta magnitudine: tum etiam quia certum eſt, quòd in tertio die adhuc non erat homo, videtur ergo ſuperflua hæc additio? ſed Deus ordinatiſſimè fecit, & ideò iſta notantur propter erroris remotionem, ne ſcilicet videretur, quòd ſol, vel alia cauſa creata fuiſſet cauſa iſtarum rerum. *l. 2. d. 14. p. 2. dub. 2.* creatio enim totius ſubſtantiæ ſecundùm totum fuit ſolius Dei, nec potuit eſſe alterius, ſive per alterum. *l. 2. d. 1. p. 1. a. 1. qu. 2.*

Voluit autem Deus tot creaturas producere à ipſo, & non per alterum ut manifeſtaretur, quòd ſolius Dei, eſt unicè unum principium, ſimpliciſſimum, infinitæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ſummæ. *l. 2. d. 1. p. 2. art. 1. qu. 1.*

323. *Gratiæ neceſſitas ad bona opera quanta, & qualis.*

Non enim pluerat Dominus ſuper terram: nec erat homo, &c. Nota, hanc duplicem rationem ad indicandum, quod iam producta fuere omnia creata ſolo concurſu Dei: moraliter autem datur intelligi, quòd ſicut pluvia infuſa terræ facit eam germinare, donec veniat ad fructum completum: ſic gratia infuſa animæ facit germinare bona opera in agro Animæ. *l. 3. d. 33. a. 2. qu. 5. corp.*

324. *Idem.*

Non enim pluerat Dominus, &c. nec erat homo, &c.
Nota hanc connexionem: ad quid ad deficientiam pluviæ addit, quod non erat homo, qui terram operaretur? Homo enim tunc non erat productus. Sciendum eſt, quòd nullatenùs poteſt homo aliquod opus bonum, & meritoriè colere terram ſui cordis abſque pluvia gratiæ à Deo in animam immiſſæ: hinc videre poteſt quilibet, quàm neceſſaria ſit hæc pluvia gratiæ, &c. *op. de reſurrectione à peccato.*

Patet igitur, quantùm ſit neceſſaria pluvia gratiæ gratis datæ, & gratum facientis: illa quidem diſpoſitiva ad gratiam iuſtificantem, iſta ad

resurgendum à peccato; ad vincendum adversarium, & ad complendum mandata Dei *l.2. d.28. a.2.quæst.ult.*

325. *Quia B. Virgo nobis nondum pluerat Christum, ideò homo, scilicet Christus, nondum apparuerat ad colendam Ecclesiam.*

Non enim pluerat, &c. nec erat homo, &c. B. Virgo fuit nubes, quæ Christum pluit de Cœlo. *op. comp. Theol. l.4. c.11.* Ergo quia nondum apparuerat nubes hæc mystica, dicitur, quod tunc non erat homo colens terram. Cum needum pluisset è Cælo, Deus providit fontem aquarum terræ, ut intelligeremus ipsum non deficere in necessariis.

Sed Fons ascendebat è terra, irrigans Universam superficiem terra. Nota, quod Deus, quando separavit aquam à terra, eam appellavit aridam, tunc enim erat de se sterilis, ideò, ut dictum est, seipso omnia ad completum esse produxit: postea eam appellat terram, scilicet elementum cum aliis elementis, & præcipuè ab aqua ascendente de hoc fonte, ex cujus irrigatione facta est apta, ut posset coli, fructificareque. Hic fons existens in Paradiso irrigabat universam terram, vel saltem majorem partem terræ, ut posset germinare. *l.2. d.14. p.2. dub. 1. & opus. Brevil. p. 6. cap. 5.* Non ergo Deus deficit in necessariis.

326 *Christus fons irrigans Ecclesiam totam.*

Fons ascendebat, &c. Figurabat hic fons Christum fontem aquarum viventium, qui per incarnationem egressus est ad irrigandam Ecclesiam. *ser.3. in Nativitate.*

327. *Christus fons egrediens de B. Virgine, quæ fuit terra benedicta, & ab ipso Verbo irrigata gratiis cælestibus.*

Fons ascendebat, &c. Hic fons ascendebat de terra, & irrigabat terram: quam terram? Et si existebat in visceribus terræ, ad quid hæc irrigatio nova? Erat quidem in visceribus terræ origo hujus fontis, qui egrediens foras irrigabat superficiem terræ, ut posset germinare: sed quodnam est hoc mysterium? Hic fons est Christus, qui egressus est de terra, scilicet de visceribus B. Mariæ Virginis, quæ fuit terra benedicta, de qua formatus est novus Adam, terra, inquam, de qua orta est veritas: terra fluens lacte, & melle, quæ à Christo fonte tota irrigabatur aquis fluentibus gratiarum. *op. comp. Theol. l.4. c.11. & ser.4. in sexag.*

328. *Fons Christus indeficiens, & sitim nostram extinguens.*

Fons ascendebat, &c. Fons est Christus, qui natus de Maria Virgine proponitur indeficiens, & corda reficiens, ut omnes ad ipsum solùm currant ad extinguendam sitim. *op.comp. Theol. l.4. c.11. & serm. 4. sexag.*

329. *Fons est latus Christi apertum ad irrigandam, & fæcundandam Ecclesiam, & animas nostras aquis sacramentorum.*

Fons ascendebat, &c. Fons est latus Christi apertum, ex quo exivit sanguis, & aqua irrigans sacramenta Ecclesiæ, vitam gratiæ animabus conferens, & in corda devota se diffundens, qui fæcundat, & irrigat universam terram animæ nostræ: *op. lignum vitæ, tit. Jesus translanceatus.*

330. *Fons est Baptismus solùm felicitatem salutis tribuens iis, qui intra Ecclesiæ Paradisum manent.*

Fons ascendebat, &c. Nota, quòd hic fons irrigabat non solùm Paradisum, sed & totam terram, sed tamen solùm in Paradiso portabat felicitatem: sic Ecclesia est Paradisus, à qua effluit fons Baptismi etiam ad eos, qui foris sunt, sed tamen felicitatem beatitudinis non potest tribuere nisi intra ipsum Ecclesiæ Paradisum. *opus. Brevil. part.6. c.5.*

331. *Fides est fons irrigans Ecclesiam.*

Fons ascendebat, &c. Hæc Terra est Ecclesia, quæ irrigatur sapientiæ salutaris doctrinæ fidei fonte. *op. principium Sacræ Scripturæ.*

332. *Theologia est fons irrigans universam faciem animæ: non Logica, vel Philosophia.*

Fons ascendebat, &c. Fons est sacra Theologia, quæ irrigat Ecclesiā militantem tanquam Paradisum; facit enim cognoscere secreta, ad quæ nunquam pervenire potest Philosophia Gentilium: docet Diabolo resistere, quod non facit Logica rationalis: docet charitatis exercitiis insudare, quod non facit Philosophia moralis. *op. comp. Theol. in præfat.*

333. *Nota rem mirabilem: à fonte Christo irrigabatur B. Virgo, & à Virgine ortus est fons irrigans Ecclesiam.*

Fons ascendebat, &c. Nota mysteria hujus textus: Quomodò à terra oritur fons, & posteà à fonte irrigatur? Terra Paradisi ab hoc fonte scilicet à Christo irrigata fuit B. Virgo, de qua formatus est novus Adam: orta est veritas fructus terræ sublimis, fluens lacte, & melle, germinans herbam virentem, & de qua mirabiliter oriebatur fons irrigans totam superficiem terræ. *op. Comp. Theol. l.4. c.11. & ser.4. sexages.*

334. *Fons B. Virgo rigans mundum, & fæcundans omnibus bonis.*

Fons ascendebat, &c. Hæc est B. Virgo, de qua sequentes versus.

Rigans Mundum novo rore
Nova prolis novitate
Nova facis, novo more
Cuncta mira charitate,
Ex divina bonitate
Fons ascendens in honore,
Rigans terram charitate,
Dei crescens in amore. op. laus Virgin. fig. 1.

335. *Fons B. Virgo.*

Fons ascendebat, &c. Hic fons est B. Virgo: fons pietatis. *op. laus B. Virginis fig. 12. & stim. Div. am. p.3. c.13.* Item fons, qui crevit in fluvium, in lucem, & in Solem in Incarnatione. *lib.1. in proœm.* Item

Item fons irrigans mundum novo rore, terram ebatitate Dei. *op. laus B. Virginis fig.*1. Item fons plenus auxiliis. *op.laus B.Virg.fig.*15. Item fons misericordiæ. *op.in ſalue, & op.lytania B.Virg.* Item fons ſignatus nunquam violatus. *op.Pſalt.min.* Item fons nectar dulciſſimum orbi propinans. *op. Pſalt. min.* Item fons ſapientiæ clementiæ, & dulcor ſapientiæ. *op.Pſalt.majus B. Virg.in Pſalm.*11.

336. *Lachrymæ ſunt fons irrigans animam.*

Fons aſcendebat,&c. Myſticè ſignificat irriguum lachrymarum oriens à corde compunctò: & idem ebr univerſum irrigans, & fæcundans ad producendum fructus bonorum operum *op.diat.ſal.tit.*7. *cap.*3.

337. *Explicatur litteraliter textus verſus ſeptimi. Formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ: Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentẽ.* Pro explicatione litteræ, Nota primò, quod cum dictum ſit *in cap.primo,faciamus hominem ad imaginem,&c.* & nunc replicet, *formauit Deus hominem de limo terræ*: per hoc datur intelligi, vel quòd primò factus ſit homo quoad animam, & poſtea quoad corpus, idque eſt probabiliter dictum à S Auguſt. & aliis, licèt probabilius ſit dicere, quod totum factum ſit à Deo in unico inſtanti, ideò melius dicendum, quod primum dictum eſt per anticipationem: vel quod hoc ſecundum dictum ſit per recapitulationem replicando, ſcilicet, id, quod in ſexta die factum eſt.*l.2.d.*17.*a.*1. *qu.*3.

Nota ſecundò quòd dicitur homo factus de limo terræ, intelligendum eſt quoad materiam, & corpus, addit enim infuſionem Animæ per inſpirationem vitæ.*l.2.d.* 17.*a.*1.*qu.*1.*& in Pſal.*68.

Nota tertiò per hunc textum refelli errorem Manichæorum aſſerentium corpora facta eſſe à Diabolo, animas verò à Deo,& ex Dei ſubſtantia. *In Luc.c.*11.*n.*40.*& l.* 2.*d.*17.*a.*1.*qu.*1.

338. *Conuenientia qualis in formatione corporis humani ex limo terræ, & præcipue ad exercitium humilitatis.*

Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit, &c. Cur non potiùs hominis inter animantia nobiliſſimi fuit factum corpus ex materia cæleſti, & nobiliori, ſed de luto, quod eſt vilius inter elementa? Sed nota, quòd convenientius fuit datum homini Corpus ex materia elementari, in qua terra prædominaretur, primò,ut poſſet habere notitiam non ſolùm intellectivam cum Angelis, ſed etiam ſenſitivam per ſenſus, ſecundò ut creaturæ inferiores continerentur virtualiter in homine, ut eſſent ei veluti famulæ, & ut in homine quodammodò aliquando beatificarentur, tertiò ut daretur creatura media inter purum ſpiritum, & purum elementum, quartò ut homo cognoſceret ſuam fragilitatem, & per humilitatem ſubiectionis noſcens ſe pulverem aſcenderet merendo, undè per elationem ceciderit. *l.2.d.*17.*a.*2.*qu.*1.*& Pſal.*89.

339. *Vide Dei munificentiam, format enim hominem ex limo terræ inopem, ut habeat, in quo ipſum cumularet beneficiis.*

Formauit Deus hominem de limo terræ & inſpirauit, &c. In his verbis notatur facilitas in Artifice Deo, & in homine fragilitas, ſimulque capacitas reformationis, & eius decor ex parte Animæ ſuſceptivæ donorum Dei.*Pſal.*89.ſic & S.Iren.*l.*4.*adv. hæreſ.c.*38.

340. *Vide quale periculum ſit Mulieris, vel malæ ſocietatis conſortium.*

Formauit Deus hominem, &c. Nota, quòd primus homo uſquequo ſolus fuit in Paradiſo, totaliter ſe cuſtodivit à peccatis: ſed iam facta muliere effectus eſt tranſgreſſor divini præcepti. *In Sap. c.*10.*n.*1. ut videas, quàm noxia ſit malorum, & maxime mulierum ſocietas. *In Luc.c.*17.*n.p.*

341. *Homo denominatur ab humo ad exercitium humilitatis, ut ab homine collocaretur tanquam fundamentum omnium virtutum; vult enim Deus, ut homo ſuæ imperfectionis memoriam perpetuam ante oculos habeat.*

Formauit Deus hominem de luto. Homo conſtat corpore, & anima purè ſpirituali ſimili Angelis: cum id ſit verum, quarè potiùs denominatur ab humo, & luto,& non à nobiliori, ſcilicet ab Anima contra principia Philoſophiæ? Sed attendendum, quod verum eſt, quòd denominatio debet deſumi à nobiliori, quando, ſcilicet, alia ratio urgentior non intervenit. *l.*3.*d.*2. *a.*1.*qu.* 2. *ad* 1. Et quænam urgentior ratio poterat hic occurrere in denominatione hominis ab humo, quàm exhibitio continuæ memoriæ menti humanæ fragilitatis propriæ, & originis,& excitatio perpetua ad exercitium humilitatis, & ſubiectionis Deo debitæ, dum ſe cognoſcit ortum ex pulvere, & luto? ut aſcenderet per humilitatis meritum, unde ceciderat Lucifer ex elationis, & ſuperbiæ tumore. *l.*2. *d.*17.*a.*2.*qu.*1.*in fine corp.* Vide *ſerm.*4.*de vno confeſſ.* Vt quid igitur ſuperbis terra, & cinis? Meritò debet eſſe ſubiectus, qui de terra, quæ omnium pedibus conculcatur, eſt ſumptus. *ſerm.* 4. *Dom. in ſexag.*

342. *Homo ab humo, quia totus in peccatis conceptus.*

Formauit Deus hominem de limo terra,&c. Si Deus formavit hominem de terra, ergone anima erit facta, vel educta de terra, & non creata à Deo? Et ſi à Deo immediatè creata purè ſpiritualis, quomodò dicitur homo totus de terra factus? Sed attende, quod omiſſa ratione ſuperadducta de primo homine, de nobis verè verificatur hoc nomen (*homo*) ideſt de humo totus, ſcilicet per naturam ſecundùm corpus: per infirmitatem, & per culpam, quia totus concipitur in peccato. *In Io. collat.*12.

343. *Homo ab humanitate denominatur, vt aliis prodeſſe debere cognoſcat.*

Formauit Deus hominem de limo terra, &c. Nota, quod licèt Deus ab humo denominauerit hominem ad exercitium humilitatis: voluit tamen, ut cognoſceret ſe ad virtutem humanitatis, & beneficentiæ obligatum; homo enim propriè eſt, quia aliis proficit, cum non ſibi ſoli,ſed aliis ſit natus; quare in hoc ſenſu homo propriè dicitur perfectus.

In Ioan.c.2.v.10. Homo enim est socialitate politicus, benignitate benevolus, largitate munificus, omni virtute magnificus. *In Ioan.collat.54.*

344. *Homo arbor inversa cum capite sursū factus, ut se semper erigat mente ad cælestia.*

Formavit Deus hominem. Nota græcè dici, formavit Deus Antropos, idest arborem inversam: sed cur cum capillis, in superiori, & nō potiùs in inferiori parte, quæ in hac arbore habent rationem radicis. Sed attende, quod solus homo inter animantia factos est cum erecto corpore ad Cœlum: cujus ratio naturalis est, quia in hominis capite non abundat materia terrea deprimens, & deficientia caloris erigentis, ut in cæteris animalibus: Et hoc ut intelligeret se obligatum ad rectitudinem mentis sursum ad cælestia tendentis, solúmque ad ipsa debere aspirari. *op. Compend.Theol.l.2.c.57. & Brevil.p.2. c.10.& Centil.p.3.sect.25.*

345. *Magna hominis dignitas, Deique munificentia in ipsius formatione.*

Formavit Deus hominem, &c. Nota, quod licèt Angeli sint perfectiores, tamen de ipsis non dicitur, sicut de homine. *Manus tuæ Domine, fecerunt me. Iob. 10.* Cur hoc privilegiū contulit Homini super Angelos? Cur manus suas tornatiles plenas hyacinthis, in quibus sunt infiniti thesauri, demittit ad hominis formationem: sed jam dictum intellige ad indicandam magnificentiam, & dignitatem Hominis, Deique largitatem: hominem enim Deus magnificat, quia ratione ipsum ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat. *In Ioan.collat.44.& Psalm.118.v.73.*

346. *In Homine Deus collocavit perfectiones omnium Creaturarum, ideò toto orbe superior.*

Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit, &c. Quando audis hominem de limo terræ factum, ne credas hanc humum fuisse purum elementum, sed mixtum ex quatuor elementis. *l.2.dist. 17.art.2.quæst.1. & 2.* Sed cur non de puro elemento terræ? Quia fecit Deus ipsum quoad corpus Microcosmum, scilicet mundum minorem, continentem in se in virtute, quidquid continetur in omnibus sensibilibus, & quoad animam ad imaginem suam, scilicet ut contineret, quod est perfectionis in Angelis. *Psal.72. & 134.*

Unde homo intelligitur nomine omnis creaturæ. *l.2.d.16.a.1.qu.3.ad 5. & l.3.d.35.dub.1. & Brevil.p.7.c.4.*

347. *Hominis dignitas iterum explicatur ex eo, quod manibus Dei formatus est, & in sua dextera protectione collocatus. Per hominem item maximè manifestatur divina potentia, sapientia, & bonitas.*

Formavit Hominem, &c. & inspiravit, &c. Quarè cæteras Creaturas unico verbo (*fiat*) Deus creavit: hominem verò cum consilio præconcepto, & manibus suis dicens: *faciamus hominem, & formavit,* idest manibus plasmavit quoad corpus, & inspiravit animam ad imaginem suam, &c. Sed vide in hoc dignitatem hominis, quem non solùm jubentis sermone, sed & cōnsilio Trinitatis, & opere, & manibus majestatis divinæ plasmavit, sed in dextera sua collocavit. *Ps.118.v.73.* Ne igitur credas corpus hominis fuisse consimile cæteris animalium; fuit enim plasmatum ita perfectum, quod haberet conformationem, & maximam vicinitatem ad animam rationalem, per quod manifestaretur Conditoris infinita potentia, sapientia, & bonitas. *op.Brevil.p.2.cap.10.*

Homo igitur secundùm corpus, & animam est parvus mundus, in quem per quinque portas sensuū intrat mundus major sensibilis: per visum intrant corpora luminosa, & colorata: per tactum solida, & terrestria: per gustum aquea; per auditum aërea: per odoratum vaporabilia. *op.Itinet.mentis c.2.* Nota id à Deo factum esse, ut homo ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum suo conditori deberet, & ut tantò ardentiùs amaret Conditorem, quanto mirabiliùs se ab eo conditum esse intelligeret. *op. Amatorium.* *Homo minor mundus includit majorem.*

348. *Vide quantam perfectionem Deus in homine conclusit.*

Formavit Deus hominem, &c. Nota, quod dixit, *formavit,* non fecit: quod verbum indicat data fuisse homini omnia, quæ spectant, tum ad essentialem compositionem, tum ad integritatem, tum ad decorem, & ornatum. *l.4.d.44.p.1.a.1.q.1. ad 2.*

349. *Hominis pulchritudo egregia quoad formam exteriorem.*

Formavit Deus, &c. Nota, quod per hoc verbum (*formavit*) denotatur ornatus hominis interior, & exterior: fecit enim Deus hominem perfectissimum, ob idque & pulcherrimum ut sicut per faciem elegantem notificatur, gratificatur, & magnificatur: sic & cognosceretur interior sapientia, & perfectio. *Ps. 118.c.9.v.7.& ser.1.de S.Gregor. & op.amatorium.*

350. *Multiformitas perfectionum hominis indicat in ipso multiformitatem particularium perfectionum, & in Deo infinitatem sapientiæ, potentiæ, & bonitatis.*

Formavit, &c. Vt autem manifestaretur multiformitas potentiæ, sapientiæ, & bonitatis divinæ, data est homini multiformitas partium Corporis. *Brevil. p.2.c.10.* Item & multiformitas facierum, quilibet enim homo habet diversam faciem ab alio saltem in aliqua parte, per quod manifestatur etiam diversitas inclinationum, & affectionum internarum. *l.2. d.3.p.1.a.2.q.1.in fine.*

351. *Homo liber scriptus intus, & foris.*

Formavit Deus hominem, &c. Nota, hoc verbum, (*formavit*) indicare opus artificiale: sed quid artificiale efformavit in homine Deus. Respondetur quod Deus plasmando hominem ipsum efformavit ad similitudinem libri, nempè ut esset liber scriptus intùs, & foris ad differentiā cæterarum creaturarum: nam Angelus fuit liber scriptus intùs tantùm, habens sensum intus ad cognitionem libri interioris, scilicet Dei sapientiæ, & artis: Animalia, & cætera corporalia erant liber scriptus foris tantùm: homo verò utrumque habuit: Hoc maximè fuit in Christo. *op. Brevil.p.1.c.12. & Psal.72.*

352. *Homo, vel est bestia per peccatum, vel Angelus, imò Deo similis per gratiam.*

Formavit igitur Deus hominem, & inspiravit, &c. Nota, Deum formasse similem bestiis, & aliis sensibilibus quoad corpus;

similem Angelis quoad animam : Sed cur fecit sic hominem medium? Ut intelligeret, quod si in peccata labitur, similitudinem Bestiarum se induit : si virtutibus deditus, Angelus, imò & Deo similis apparet; vide ergo, quodnam majus dedecus potest esse, vel turpior miseria, quàm ut hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa, ad informem, & irrationabilem brutorum animalium delabatut similitudinem : quapropter, ô homo, diligentiùs attende ptimæ conditionis tuæ excellentiam, & venetandam Sanctæ Trinitatis imaginem in te ipso cognosce, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus es, uobilitate morum, exercitio virtutum, & dignitate meritorum habere contende, ut quando apparuerit, qualis sit, tune similis ei appareas. *op amatorium.*

Homo licèt sit natura Angelo inferior, per gratiam tamen, & merita potest ei æquiparari, imò superare. l.2.d.9. a.1.qu.5.

353. *Formatio primi hominis fuit figura formationis secundi, scilicet Christi, qui est liber scriptus intus, & foris.*

Formavit Deus hominem, & inspiravit, &c. Dictum est Deum formasse hominem, ut librum scriptum intus, & foris : ut scilicet per intellectum intus ingrederetur, & contemplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur, & contemplaretur opera tam varia sapientiæ Divinæ : intellectum intus illustravit, sensum foras decoravit, ut in utroque refectionem inveniret, intus ad felicitatem, foris ad jucunditatem: sed ne ullam excusationem haberet homo : Deus factus est homo, ut esset homini liber scriptus intus, & foris, ut totum hominem in se beatificaret, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua in factore suo inveniret : pascua foris in carne Salvatoris, pascua intus in divinitate Creatoris, ut tota conversio hominis esset ad ipsum Deum, & tota dilectio esset in illo. *op. Amatorium.*

354. *Vult Deus ab homine haberi perpetuò memoriam mortis; & ut se pulverem reputet.*

Formavit Deus, &c. Quarè Deus notat specialiter hominem esse factum de limo, seu pulvere terræ, cum sit etiam factus ex anima ?

Vult Deus, ut homo se pulvetem, & cinerem reputet, versando in mente memoriam mortis, & suæ incinerationis imminentis : item ex parte animæ; quia sicut cinis est vilis, quantumcumque fuerit de pretiosa materia; sic anima per peccatum fit vilissima. *op. diæt. sal. tit.7. c.1.* Si igitur piè, justè, & castè vivere vis, sic vive, ac si scires propriè, & pro certo te eadem die, vel statim migraturum, vel moriturum. *op. Stim. diu. am. p.2. c.16.*

355. *Beata Virgo Maria fuit terra, ex qua formatus est Christus homo, & ex qua omnia bona habemus.*

Formavit Deus hominem de limo terræ. Nota quòd primus homo formatus est de terra Virginali, & non ab homine, sed tantùm manibus Dei exculta: sic Christus formatus de visceribus B. Virginis Mariæ, quæ fuit terra sine cultura maritali. *serm.3. in Vigil. Nat.*

Unde per terram hanc benè significatur Maria, nam quid terra humilius, quid terra utilius ? Terram omnes sub pedibus habemus, & de terra omnes vitam fovemus, unde & victum, & vestitum, panem, & vinum, lanam, & linum, & hujus vitæ necessaria nisi de terra habemus ? sic quid humilius Beata Virgine, & ipsa quid utilius ? Ipsa namque humilitate sua omnium infima est : ipsa plenitudine sua omniom est utilissima, ex qua habemus vitæ spiritualis omnia necessaria, nempe gratiam, opera mores, exempla, & diversa merita. *op. spec. B. Virg. l.7.*

356. *Christus de terra pura, scilicet de Virgine immaculata factus, ex quo orta est Ecclesia.*

Formavit Deus hominem de limo terræ. Jam dictum est hanc terram puram significasse Mariam, sed Notandum, quod sicut Adam de terra nondum sanguine, idest peccato infecta, factus est : sic & Christus de Virgine non infecta peccato, factus est : & sicut Eva de latere Adæ formata est : sic Ecclesia de latere Christi. *serm.16. Hexaem.* Vide ergo, qualem cooperationem habuit Maria Virgo ad formationem Ecclesiæ.

357. *Facilitas Dei in operando.*

Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, &c. Inspiravit non mediantibus faucibus, sed verbo suo, spiritum, animamque creavit, & creando infudit corpori. *l.2.d.17.a.1. qu.1.*

Ex hoc intellige faciliùs esse Deo operari quodcumque arduum opus, quàm nobis flatum emittere.

358. *Anima rationalis non est producta ex Dei substantia.*

Et inspiravit in faciem ejus, &c. Cum audis Deum insufflantem, ne credas cum Manichæis animam productam de Dei substantia ; licét enim Spiritus Sanctus spiretur de Divina substantia, non sic anima rationalis : nam cum Christus insufflavit in Apostolos dicens, *accipite Spiritum Sanctum*, tunc signabatur processio Spiritus Sancti temporalis in eos : nunc autem dicens, *inspiravit*, idem est, ac spiritum fecit non ex se ipso, ut ex materia, sed creando, & creatum, factumque corpori infudit: ratio est, quia Deus non potest habere rationem materialis ad Creaturas, sed tantùm efficientis, formalis, seu exemplaris, & finalis causæ. *l.2.d.17.a.1. quæst.1.*

359. *Anima, & corpus habent mutuam dependentiam, & inclinationem.*

Insufflavit in faciem, &c. Ex hoc collige, Animam non priùs tempore fuisse creatam ante unionem cum corpore, sed in eodem instanti creationis fuisse infusam corpori : est enim perfectio naturalis corporis, ob idque & naturaliter appetit ei copulari, adeò ut sine illo esse, & ab ipso sequestrari pœna ei esset. *l.2.d.17.a.1.q.3. corp.* Hinc collige mutuam inclinationem, & indigentiam inter Animam, & corpus tanquam inter formam, & materiam. *ibid.* Collige etiam, quemlibet hominem habere singulam, & propriam Animam. *l.2.d.18.a.2.q.1.* Nec ex traduce, sive per generationem, sed per creationem. *Ibid.q.3.*

Omnes Animæ habent esse per creationem.

360. *Unio animæ ad corpus ordinata ad vitam spiritualem, & ad unionem cum Deo.*

Insufflavit in faciem, &c. Cur cum Anima rationalis sit nobilior corpore non ipsam priùs Deus creavit, sed statim simul eam corpori ex luto univit? Sed sciendum est, quod anima rationalis non est tantùm forma corporis, sed & motor : quia sine Anima

Anima corpus esset veluti truncus insensibilis, & inanimatus, & ob id nec posset mereri, vel demereri: unde si esset sine corpore antecedenter creata, puniretur sine pœna. *l.2.d.17.a.1.qu.3.corp.*

Cogita ergo, ô anima; qualem te fecit Deus, quali confœderatione compacta sunt in te caro, & Anima, nempe ut viveres in corpore viveres simul in Deo. *op. amatorium.*

361. *Hominis maxima præstantia.*

Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ. Nota, quod statim ac proposuit Corpus hominis de luto compactum, subiunxit, *& inspiravit in faciem eius animam rationalem:* ut videas, qualis sit iste artifex; quia suo flatu omnipotente terram illam convertit in aliam qualitatem, & quod de se abjectum erat, ipso expurgato aliquid nobilius elicuit; Agnosce igitur, ô homo, dignitatem tuam: agnosce gloriam conditionis tuæ: est tibi de Mundo corpus, sed tibi aliquid sublimius, nec omninò comparandum cæteris creaturis: compacta, & confœderata sunt in te caro, & anima: illa plasmata: hæc inspirata: quis non videat, quantùm Corpori præstat anima: ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus, & sonus vocis, ab anima sensus omnis, & vita, ut per ista anima, & corpus ascendant ad vitam in Deo comparandam per cognitionem, & amorem. *op. Amatorium.*

Terra in Homine ab anima in statū sublimem, & nobilem elevatur.

362. *Homo natus ad cælestia.*

Et inspiravit in faciem eius. Cur in faciem, vel caput; & non in aliam partem vel in reliquum corpus; sed adverte, quod solus homo factus facie, & capite ad Cælum erecto, ut ad Cælum, & cælestia semper tendat, & aspiret. *op. Comp. Theol. l. 2. c. 57. & Brevil. p. 2. c. 10. & Centil p. 3. sect. 25.* item & Glossa interlinearis: ut addiscas animam tuam ad cælum semper debere esse erectam.

363. *Anima nostra quanto in pretio habenda, cum Deus velati ex suis præcordijs eam eduxerit.*

Et inspiravit, &c. Sicut supra dictum est, solo verbo creavit, & non mediantibus faucibus, cur non dixit fiat homo in animam viventem? sed per insufflationem significatur eam creasse, & veluti ex præcordijs eduxisse? Hoc sine dubio fuit, ut homo eam in maximo pretio haberet, eamque semper immaculatam conservaret. *op. Amatorium.*

Cognosce ergo, ô homo, quàm mira, & inæstimabilis dignitas est animæ tuæ; quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps rationis, capax æternæ beatitudinis. *op. solil. c. 1.*

364. *Deus creavit hominem solo verbo: sed recreavit ipsum morte sua, majori ergo in pretio debet habere redemptionem, quàm creationem.*

Inspiravit in faciem, &c. Nota, quòd Deus hominem sexta die inspirando creavit, & Christus in sexta ætate, & die expirando recreavit. *serm. 1. in sabb. S. q. d.* Deus creando hominem veluti respiravit animam inspirando: at in redemptione expiravit, & animam, vitamque ipse nobis perdidit, ut salvaret hominem ingratum: quapropter, ô homo diligentiùs attende, quàm mirabiliter te jam ad similitudinē suā in primo Adam condidit, sed multo mirabiliùs in secundo reformavit: In prima namque conditione gloria præventus es; & honore: in secunda pietate prosecutus es, & amore, ut ingratitudinem tuam erubesceres, & ad conditorem tuum amorem tuum totum converteres. *op. amatorium* (subdit *ibidem*) Memento, & si de nihilo factum non tamen de nihilo redemptum; sex diebus condidit omnia, & te inter omnia, at verò per triginta tres annos operatus est salutem tuam in medio terræ: ut qui te semel tantùm, & solùm dicendo fecit, in reficiendo profectò multa, & gessit mira, & pertulit dira, & indigna. *op. Amatorium.*

Vide igitur, ô homo, quod Deus, qui dives est in misericordia, majori pretio voluit nos redimere, quàm nos valeremus, ut eius liberalitatem circa nos cognoscētes, ex totis præcordijs eidem adhæreremus, et eum diligeremus, ut etiam pretiositatem nostram ex tanti pretij immensitate melius cognosceremos. *l.3.d.32.a.1.qu.5.ad ult.*

365. *Ad triplicem vitam scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ ordinavit Deus hominem.*

Et inspiravit, &c. Et factus est homo in animam viventem. Hebraica lectio habet. *Et inspiravit in faciem eius spiritum vitarum, & factus est homo, &c.* Quot vitæ insunt in homine: Nonne unica est vita formaliter, & eminenter continens vegetantem, & sentientem cum alia superiori, scilicet rationali? sed adverte quod tunc fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, hoc est viventem vita naturali triplici, ut dictum est, & vita spirituali ex gratia proveniente cum alijs donis spiritualibus, per quæ Deum cognoscebat, & diligebat super omnia: meritò igitur dicitur spiritus multiplex vitarum homini à Deo inspiratus.

Triplex igitur homini vita convenit, scilicet vita naturalis, hæc fuit prima indita homini in statu innocentiæ: secunda est vita gratiæ, qua anima vivit Deo, & hæc est nobilior prima: tertia est æternalis gloriæ, sola beata vita pacifica, & secura. *serm. 1. in Invent. S. Crucis: & serm. 52 de plur. Confessoribus.*

366. *Quòd Deus donavit homini, hoc violenter ablatum fuit per peccatum.*

Et factus est homo in animam viventem, Idest habentem animam, qua viveret. Hanc vitam dedit Deus primo homini stabilem & indeficientem; sed per peccatum; & separationem à ligno vitæ facta est brevis, vana, & momentanea, caducaque more vaporis. *ser. 1. in Invent. S. Crucis.* Vide, quod peccatum nobis abstulit pretiosissimam hanc vitæ margaritam, quam Deus tam liberaliter tribuerat. *op. Amatorium.*

367. *Mirabilis potentia, & sapientia Dei conglutinantis lutum, & spiritum in unum.*

Et inspiravit, &c. Ecce qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cuius nutum sic sibi conglutinantur duo tam distantia extrema, limus terræ, & spiritus vitæ, quem cum in hominem inspirasset, dedit ei sensum, & intellectum, ut per sensum lutum sibi associaret, & per intellectum regeret, & ut per intellectū intus ingrederetur, & contemplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur, & contemplaretur opera sapientiæ: Agnosce igitur, ô homo, dignitatem tuam & gloriam conditionis tuæ. *op. Amatorium.*

368. Solus homo poteſt propriè loqui: eius proprium eſt Deum laudare : ex eius ſermonibus cognoſcitur vita.

Et factus eſt homo in animam viventem. Nota, quod Caldæus legit in ſpiritum loquentē : ſed quomodò hæc lectio poteſt ſubſiſtere? Nōne & Pſitaci loquūtur? Quomodò exprimitur natura animæ rationalis per ſpiritum loquentem? Optimè : nam loqui propriè, & in rigore, convenit ſolùm creaturæ rationali; exigit enim inſtrumentorum aptitudinem, virtutem motivam, & directivam, ſcilicet rationem exprimentem conceptum interiorem per vocem externam, quod eſt proprium ſolius hominis. *l.2.d.11.dub.1.& ſerm 4.hom.15.poſt Pentec.*

Cùm igitur locutio propria exigat correſpondentiam cordis, & linguæ, rectè infertur primò loquelam datam homini ad laudandum Deum, & ædificandum proximum, & ad accuſandum ſeipſum. *In Luc. c. 11.v.14.* Secundò, quòd loquela indicat qualitates hominum internas. *ſerm.1. de S. Gregor.& ſerm.de S.Eliſab.& ſerm.1.& 2. de Evangel.& ſerm.1.de uno S.Doctore, & ſerm.1. de S.Barthol. & ſerm.2. de S. Laurentio.* Tertiò, quod loqui benè, & malè operari eſt habere vocem Iacob, & manus Eſau, & hoc eſt ſe condemnare. *Pſal.118. v.34.& in Luc.c.19.v.22.*

369. Amor mutuus in Conjugibus præcipitur à Deo.

Et inſpiravit in faciem, &c. Quæritur, cur hæc dicta ſint tantùm de Viro, & non de Muliere, quādo fuit ædificata ea coſta Adæ. Fuitne mulier ſine anima rationali? Minimè: nam id ſubintelligitur informatione viri propter conjunctionem, & ſimilitudinem mutuam ipſorum. *l.2.d.18.a.2.q.3. ad 1.* Ex quo infers, quod conjunctio Conjugum, eſt inſeparabilis, & veluti unius animæ amborum.

Plantaverat autem Dominus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi lignumque ſcientiæ boni, & mali.

370. Pro explicatione litteræ, Nota primò, quod cum Deus fecerit Paradiſum terreſtrem tertia die, & nunc replicetur; id ſumendum eſt tanquam dictum per recapitulationem. *ſer.17 Hexaem.*

Secundò Nota, quod licèt Aliqui negaverint hunc Paradiſum corporalem, volentque id ſumi tantùm metaphoricè, ſcilicet quatenùs primus Homo habuit perfectam cognitionem, & dilectionem Dei, quæ eſt veluti participatio illius Paradiſi, quē expectabat : Tamen communis Sanctorum ſenſus, & verus eſt hunc Paradiſum fuiſſe ſitualem, & corporalem, nempe locum amœnum Dei manibus plantatum in Eden, ſcilicet in partibus Orientis, univerſæ exultationis, & gaudij promptuarium, qui locus erat valdè eminens juxta æquinoctialem partem in Oriente, quòdammodò vergens ad meridiē, eratque tantæ altitudinis, ut illuc non conſcenderent vapores in aëre elevati, à Luna dominati, & ob id ibi erat aer mundus, & purus, & ſtatui perpetuitatis idoneus, & ob puritatem aeris contemperantia caloris; & quia erat juxta æquinoctialem partem, ibi erat magna temperies temporis. *lib.2. d.17.dub.2.& 3.& comp.Theol. l.2.c.64.& ſerm.4. Dom.12. poſt Pentec.*

Tertiò Nota, quod, quia erat in parte orientali ſub æquinoctiali circulo, habebat ſemper æquinoctium, & ideò etiam duas æſtates, & hyemes. *op. Comp.Theol. ibid.*

Et ſi quæras, an nunc extet iſte Paradiſus? Reſpondetur varias eſſe opiniones Doctorum, ſed probabilior eſt affirmativa, cùm ibi collocaverit Deus Cherubim. *l.2.d.29.dub.3.* Verùm quidem eſt occulto Dei judicio nunc occultari. Et licèt Eden, quæ eſt Provincia in Oriente nunc habitabilis extet, tamen poteſt dici, quod Eden hîc non ſignificet peculiarem regionem, ſed tantùm locum deliciarum nobis ignotum. Vide Damaſc. *l.2.de fide orthod. c.11.* Aug. *l.8.de Gen.ad lit.c.1.* & Pererium fusè in Geneſim de hac re diſſerentem.

Quartò Nota, quòd Deus conſervat hunc locum non fruſtratoriè, ſed ad noſtram eruditionem, & ut occaſionem nobis præbeat requirendæ noſtræ ſalutis. *l.2.d.29.dub.3.*

371. Homo conditus eſt extra Paradiſum, & in eum tranſlatus, ut cognoſceret non deberi ſua natura, vel generis nobilitati, ſed gratia, & ſe eſſe Peregrinum in hoc mundo.

Plantaverat, &c. in quo poſuit hominem, &c. Cur non plantavit hominem in Paradiſo, ſed extra, & poſteà illum tulit, & poſuit in eo? Nonne fuiſſet hoc maius beneficium? Sed Deus intendit in ſuis operibus majorem hominis profectum : formavit igitur Deus hominem extra Paradiſum, ut melius cognoſceret beneficium, dum ſe videret, quaſi aliūde adductum, & ut ſciret, quod ille locus non erat ſua propria regio æternalis, ſed ſe ibi ut Peregrinum habitaturum, & aliquando tranſiturum ad beatam patriam. *l.2.d.17.dub.2.*

Et ſi voluit, ut homo in ſtatu innocentiæ cognoſceret ſe peregrinum; quid erit de nobis habitantibus in hac valle miſeriæ? Verè enim peregrini ſumus tum propter laborem, in quo vivimus, tum propter paupertatem, tum ob defectum permanentiæ, tum propter Patriæ remotionem. *In Pſal.114.*

372. Dei ſingularis eſt erga hominem providentia & benevolentia, dilectioque immenſiſſima, ſtabiliſſima, & communiſſima. ſer.1. fer.2. Pentecoſt.

Plantaverat, &c. Nonne communem locum cum Animalibus potuit habere homo, qui eadem die cum animalibus fuit creatus? Et ad quid inſervire debebat reliqua pars terræ, ſi ipſius locus, & habitatio erat Paradiſus? Adverte Paradiſum locum cōvenientiorem eſſe hominum converſationi ob maximam ipſius aeris ſalubritatem, & temperiem, ſicque ſingularem erga eum providentiam Deus declaravit: & ſi homo ſtetiſſet, alia pars Mūdi nō ſuperflueret, quia beſtiis ſervientibus homini habitaculum præberet, & habitaculum ſua inferioritate excellens oſtenderet, & ſua magnitudine decoraret, ſicut magna platea decorat palatium, & ſicut aula decorat cameram. *l.2 d.17.dub.2.*

373. Attende, quod Dominus dilexit hominem ante omne tempus, per omne tempus, & ad omne tempus vitæ eius. ſer.1. fer.3. Pent.

Plantaverat, &c. in quo poſuit, &c. Cur Deus extra Paradiſum, & de terra extranea plaſmavit hominem? Nonne videtur Paradiſus magis congruus ipſius productioni? Maximà, quia ſi ſtetiſſet, multiplicatio

plicatio hominum fuisset facta in Paradiso? Sed vide Dei providentiam totam utilitati nostræ directã. Produxit Adam extra Paradisum, ut hoc beneficiũ translationis in Paradiso esset ei incentivum permanendi in observantia mandarorum Dei: & quia Deus prævidit lapsum futurum, ejusque de Paradiso futuram ejectionem, ideò de terra ipsum formavit, in quam erat postmodum rediturus, ut per ejus ejectionem de loco voluptatis sensibiliter cognosceret effectus peccati, & quanta bona ob peccatum amiserat, & qualis differentia esset inter eum, qui Domino obedit humiliter, & eum, qui ipsum contemnit. *l.2.d.17.dub.2.*

Attende igitur, quod maligni, & inobedientes ad nihilum rediguntur in conspectu Dei, obedientes verò tanquam Amici exaltantur ad magnificentiam amicitiæ, & amoris in præsenti, & gloriæ in futuro: unde homo, nisi obediat Deo humiliter, nũquam dignus est ab eo honorari: imò pro nihilo tanquam stercus reputari, & rejici: ô amabilis virtus mansuetudo obedientiæ, quæ humiles ad tantam nominis excellentiam sustollit, & ô detestabile vitium arrogantia inobedientiæ, quæ de Angelo facit Diabolum, & de innocente Peccatorem, &c. *serm.1.Dom.8.post Pentec.*

Vide effectus peccati inobedientia & quàm laudabilis obedientia. Deque obara.

374. *Solus Deus Dominus Paradisi: Homo advena, & peregrinus.*

Plantaverat autem Dominus à principio paradisum. Ad quid notatur hæc plantatio à Deo facta? Nonne jam dictum erat in principio Deum creasse Cœlum, & terram, & in prima die etiam ornatam terram hanc? Ideò hoc verbo usus est, ut homo sciret se non esse Dominum hujus Paradisi, sed tantùm Advenam, & peregrinum, solúmque Deum esse legitimum Dominum. *l.2. d.17. dub. 2.* Idem & Rupertus *lib.2. in Gen. c.23.*

375. *Deus hortulanus horti nostri cordis.*

Plantaverat autem Dominus, &c. Cur non dixit, fecerat autem Dominus, &c. sed veluti hortulanum, & hominis ministrum Deum nominat? Nonne id est detrahere excellentiæ, & potentiæ Domini? Sed ex hoc explicatur singularis Dei amor in hominẽ: Verè enim Deus hortulanos est, qui in pectore hominis per amoris sui semina virtutum virentia plantavit. Hortus, & Paradisus est verè cor nostrum, quando est virtutibus floridum, & operibus fœcundũ. *fer.6.in rogat.* Sic & Anast.Synait. *in Hex.*

376. *Adam, & Homo ex amænitate Paradisi invitabantur ad desiderium Patriæ.*

Plantaverat, &c. in quo posuit, &c. Cur posuit Dominus hominem in hoc loco paulo post ejiciendum? Sed providentissimus Deus id fecit, quia fuit figura alterius Paradisi spiritualis Sanctæ Ecclesiæ militantis, in qua ponitur homo, ut in via, & ideò sicut Adam fuit collocatus in Paradiso tanquam advena, sic & homo cognosceret se esse in via, adspiraretque ad patriam, nempè ad Paradisum æternum. *l.2.d.17.dub.2.*

377. *Paradisus spiritualis est anima in gratia existens.*

Plantaverat, &c. in quo posuit hominem, &c. Cur nõ plasmavit Adam in Paradiso? Sed id Deus volnit, ut sciret homo, quod cum post ejus formationem in sua anima induxit plurima donorum, & gratiarum dona, per ipsa factus erat veluti civitas opolenta, pulchra, & decora; & sic amænitas exterioris habitaculi correspondere deliciis interioribus, quales habet anima, quæ est templum Dei, & quales erant in anima ipsius Adæ. *l.2. d.17. dub.2. & serm.4.Dom.12.post Pentec.*

378. *Nota, quod hominis proprium est in publica prodire: fœmina secretis penetralibus recondi.*

Plantaverat, &c. in quo posuit hominem, &c. Cur vir factus est extra Paradisum, mulier in paradiso, cum vir sit nobilior muliere? sane id fuit, ut suum cuique locum Deus daret: nam proprium munus viri est operari, mulieris custodire domum. *Ps. 118.v.146.*

Hinc addiscat mulier eius proprium esse manere, & custodire domum, non cursitare foras.

Hominis proprium est in publico prodire, fœmina secretis penetralibus recondi.

379. *Plantaverat autem Dominus Paradisum à principio, in quo posuit, &c.*

Sed cur in principio notatur factus Paradisus? si solùm in fine creationis omnium creatorum, & hominis productione debebat inservire? & cur non reliquit hominem extra Paradisum ubi fuerat productus.

Totus Deus occupatus in benefaciendo homini.

Vide ex hoc totum Deum propensum, & deditum ad feliciandum hominem, ad cuius utilitatem non solùm produxerat tot creaturas, sed & locum omnibus delicijs præditum ei paravit: Attende quales felicitates Deus homini donavit respectu corporis, & animæ: Nam quoad corpus, in statu Innocentiæ factus est cum maxima perfectione, in illo statu enim animæ totaliter corpus erat subjectum obtemperans sine rebellione, propagabile sine libidine, vegetabile sine mortalitate, proportionabile complexione æquali, & ob id sine pugna rebellionis, sine pronitate libidinis, sine imminutione vigoris, & corruptione mentis, sine pœnalitatibus; natura in eo statu non errasset, conceptio fuisset sine pudore, partus sine dolore, sine indigentia vestium, sine rubore nudus, & tandem vivus ad gloriam translatus esset: Animæ item datum fuit quadruplex adjutorium, scilicet conscientia ad rectè volendum: synderesis ad murmurandum contra malum, & stimulandum ad bonum: scientia illuminans perfectè intellectum, & charitas accendens affectum ad diligendum Deum, & proximum. *Comp. Theol. lib.2.c.62.*

Felicitas Paradisi Terrestris.

380. *Plantaverat, &c. à principio: quomodò à principio solùm Cœlum, & terra leguntur creata?*

Litteraliter ab illo principio quando terram omnem jussit herbas, & ligna producere, ut dictum est: sed mysticè aliud arcanum nobis insinuat: dicitur igitur Paradisus plantatus à principio, idest primus hortus, & hic fuit Ecclesia militans, & triomphans, hæc in Empyreo, illa in terra plantata à Christo à principio omnium rerum, per quem Deus fecit omnia. *l.2.dist.17.dub.2.& in Luc.c.23. v.43. & serm.1.fer.3. Pascha* Sic & D. August. *l.3. de civit. Dei c.21.*

Sicut in Paradiso terrestri collocavit Deus Adam, & lignum vitæ, sic & in Paradiso Ecclesiæ Christum, & in Paradiso Empyreo inhabitat tota Trinitas. *Psalm. 1.*

Ecclesia triumphans, & militans significata per paradisũ terrestrem, in quo posuit Deus lignum vitæ, scil. Christũ, qui etiã fuit ipse ædificator, qui eum plantaverat.

381. *Plantaverat autem D. Paradisum à principio.*

Item hic Paradisus est S. Scriptura, in qua consita sunt ligna suavia, & pulchra, scil. Sacramenta scriptura

Paradi-

Ius Ecclesia est S. Scriptura habens lignum vita in medio scil. Christum Deum, & hominem.

scripturarum, quæ magnam babent pulchritudinem, quorum fixio radicalium virtutum est in Patriarchis, virldantia folia in iostitutione præceptorum, & Sacrificiorum legis: fructus sunt diffusiones charismatum spiritualium factæ per Christum. *serm.14.& 17.Hexaem.& opus.Princip.S.Scrip.& in Luc.c.23.v.43.*

382. *Maria Virgo est Paradisus Domini.*

Plantaverat autem Dominus Paradisum à principio, &c. Paradisus iste est Beata Virgo Maria, quæ est hortus coociusus, fons signatus, cuius emissiones sunt fructus Paradisi: sicut enim Paradisus à se emittit flumina, fontesq; continuè emanantes, herbas & arbores fructificantes, sic mater misericordiæ à se emittit rivulos, & fontes gratiarum, quibus corda arida infunduntur, & imbuuntur, & fructus virtutum, quibus affectiones illorum, qui esuriunt justitiam, fructuosis operibus nutriuntur: ideo signanter per Paradisum voluptatis plantatum à principio, in quo posuit hominem, quem formavit, sigoificatur, quia in Beata Virgine est repositus in Incarnatione homo ille cœlestis, scilcet Christus, non ab homine, sed à solo Deo: Hic hortus ad modū densi nemoria est consitus; quia in ipsa omnia virtutum genera sine mensura, & numero sunt inserta: hæ plantationes non terrenæ, sed propriæ Paradisi, scilicet cælestes, & spirituales sunt insertiones: Et ideò, qui se aridos, vel mortuos in peccatis sentiunt, ad mariam debent festinare; quia in ipsa veluti in Paradiso poterunt invenire omnia desiderabilia. *op.de Eccles.Hier.p.4.c.7. ad finem.*

383. *Maria Virgo Paradisus immunis à serpente peccati.*

Plantaverat autem Dominus Paradisū à principio. Nota mysticè Paradisus verè deliciosus Dei vivi est Beata Virgo, ex qua posuit Deus hominem, scilicet Christum, qui est lignum vitæ, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. *op.spec.B.Virg.sect.14. & op.laus B.Virg.sig.3.*

Nota pro immaculata conceptione B. V.

Nota etiam, quod dicitur à principio plantatus, scilicet ante peccatum, *serm.16.Hexaem.* sic B.Virgo fuit ante peccatum de terra virginea, & purissima ab omni fœce peccati ordinata, & prælecta, ob idq; in mente Dei sejuncta à massa infecta aliorum.

384. *Beata Virginis uterus est Paradisus, item cor, & anima.*

Plantaverat, &c. Hic Paradisus mysticè est uterus Beatæ Virginis, in quo Deus Pater posuit hominem filium suum: Ab hoc Paradiso egressus est fluvius gratiarum ad irrigandam Ecclesiam. *op.laus B.Virg sig.3.& op.spec.B.Virg.l.5.& 14.*

Item Paradisus est Cor, & Anima Beatæ Virginis per gratiam, & dona Spiritus Sancti fructificans diversas species virtutum, &c. *specul.B.Virg.l.14.*

385. *Quarè in oriente positus Paradisus mysticè explicatur.*

Plantaverat, &c. Paradisum: Septuaginta addunt in Eden ad Orientem: sed cur ad orientem, & non in alia mundi parte?

Respondetur, quia Oriens, ubi lux oritur, est melior pars Cæli: & hinc Ecclesia ad orientem orat. Primò quia finis orationis est, ut illuminemur: Secundò quia significat veram lucem solis justitiæ: Tertiò quia adorando quærimus Paradisum: Quartò quia Iudæi adorant versus Orientem: Quintò ascensus Christi in Cælum fuit ad orientem, & adventus eius ad Iudicium erit ex parte Orientis. *In sap.c.16. ad fin.* Hinc elice, quod solùm etiam nomen Paradisi debet nos excitare ad opera per desideria æternorum.

386. *Qui extra Ecclesiam vivunt per fidei, vel gratiæ defectum, sed in stabulo Diaboli per peccatū, non possunt gustare lignū vitæ.*

Plantaverat autem, &c. in quo posuit hominem, &c. Sed cur post concessum homini imperium, adhuc plantat Dominus Paradisum, in quo ipsum conclusit? Cur ipsum non reliquit in sua libertate permanendi, ubi vellet? sed id factum est, ut possit lignum vitæ degustare: & quia Paradisus hic est Ecclesia, Christus in medio positus est lignū vitæ: hinc intellige, quod hoc lignū vitæ non possunt degustare, qui in hoc Paradiso non habitant per mundam vitam, sed potiùs vivunt in stabulo Diaboli per putridam vitam. *serm.1.fer.3.Pascha & spec.B.Virg.lect.14.*

387. *Gratia est Paradisus felicitans animam.*

Plantaverat autem Dominus Paradisum à principio. Quomodò à principio? si in principio legitur creatum Cælum, & terra? sed adverte, quod cum hic paradisus per peccatum futurum non inservire deberet homini, voluit, ut præfigoraret alium Paradisum præparatum à principio homini, ut posset operari, & dona data custodire: quodnam igitur fuit hoc promptuarium plenum delicijs? Hic paradisus est gratia Dei, quæ verè animam delicijs Paradisi replet: gratia enim, ait Ecclesiasticus *c.40.* est sicut Paradisus in benedictionibus: nam animam conformat cum Paradiso; quia ibi serenitas aeris sine nubilo peccati, ibi tranquillitas loci, fertilitas conscientiæ, decor terræ, ubertas vitæ, ipsius temporis congruitas, ibi splendor cognitionis Dei, ardor dilectionis, & ros devotionis. *serm.4.Dom.Trinit.op.Diat.sal.tit.5.c.5.& op.spec.B.Virg.lect.14. & serm.3.Dom.3.post oct.Epiph.In Luc.c.23.v.43.* oh dignus & desiderabilis Paradisus.

388. *Anima iusti est Paradisus.*

Plantaverat, &c. Hic Paradisus mysticè est anima Iusti, quæ est Civitas Dei, & dum Cælestia meditatur, quasi in Paradiso voluptatis delectatur: in hac Civitate totus homo cum tota familia sua spirituali, scilicet potentiarum Animæ, vivit benè ordinata, pacifica, & in qua Deus regnat. *op.de 7.itiner.æternit.itin.7.d.3.*

389. *Ecclesia Paradisus, cuius cultores sunt Prædicatores.*

Plantaverat, &c. Christus fuit, qui Paradisum in Ecclesia ab ipso fundata constituit, & in hoc Paradiso seminavit bonum semen fidei, & sacræ Scripturæ, instituitque Prædicatores, qui hunc Paradisum colerent. *In Luc.c.13.v.19.*

390. *Paradisus est Anima fidelis fide imbuta.*

Plantaverat, &c. Hic Paradisus mysticè est anima fidelis, in qua est plantata fides Sacræ Scripturæ, ex qua pullulant innumerabiles suavitates, & decores. *serm.17.Hexaem.*

391. *Religiosus status est Paradisus.*

Plantaverat, &c. Nota, quod Paradisus erat locus altissimus, ad quem non pervenerunt aquæ diluvij, significatque statum religiosis plantatum à Christo pro fundamento Ecclesiæ in quo Religiosus

vitam

vitam degit eminentem, immunem à submersione peccatorum, producitque lignum pulchrum visu per honestam conversationē, & ad vescendum suave per bonam operationem, & internam devotionem, irrigaturque aquis Divinæ gratiæ, quæ dividuntur in quatuor capita per exercitium virtutum cardinalium. *op. diat. sal. tit. 5. c. 1. & serm. 1. fer. 2. Pascha.*

392. *Christus est Paradisus.*

Plantaverat autem Paradisum, &c. Pater æternus plantavit hunc Paradisum in Ecclesia militante, & triumphante, scilicet, Christum, qui est verè Paradisus, & Paradisum communicans illis, qui secum ambulant, & manent: unde de hac societate loquens dixit Latroni *Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso*: quasi dicat, eris mecum; quia ego sum & vita, & Paradisus; quia ubi Christus est, ibi gaudium, lux, pax, & iucunditas. *serm. 2. de Evangelistis, & opusc. itiner. mentis cap. 7. & op. expos. missæ cap. 4.*

393. *Vita contemplativa est Paradisus animæ.*

Plantaverat autem, &c. in quo posuit hominem. Verè homo totus mente, & affectu raptus in Deum transfertur in Paradisum contemplativæ vitæ, dum per fidem, spem, & charitatem, devotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem, & iubilationem plena conversione vultus aspiciendo ad Christum in Cruce suspensum, transitum cum eo facit à mari rubro huius mundi intrans desertum, ubi gustet manna absconditum, auditque illa verba dicta latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso. op. itiner. mentis c. 7.*

394. *Homo est veluti Paradisus Dei.*

Plantaverat autem Dominus Paradisum à principio. Sed si plantatus fuit Paradisus tertia die; cur solùm nominatur post creationem hominis, & quando refertur homo in ipso collocatus? Sed ex hoc recognosce, quantùm Deus amet cohabitationem cum homine, eius enim deliciæ sunt esse cum filiis hominum: sic Christus libenter cohabitat cum hominibus. *In Luc. c. 7. n. 36. & c. 14. n. 1. & ferm. 4. Domin. 2. Quad.* sic & Ansbertus; & Anast. Syn. *in Hexaem.* exprimitur ergo, & in medium proponitur Paradisus simul cum creatione hominis iusti, & gratia imbuti, quasi sit ipse veluti Dei Paradisus.

395. *Deus in principio edidit seminarium in mundo omnium plantarum ad utilitatem hominis, & ad decorem universi.*

Produxitque Deus de humo omne lignum, &c. Quomodo de humo fuerunt ista ligna producta? Nonne ex nihilo fuerunt producta? sed iam aliàs dictum est, Deum creasse omnia suis in principiis, & postea ex humo omnia ligna fuerunt producta, scilicet de seminario existente in materia, in quo virtualiter continentur infinita semina plantarum. *serm. 13. Hexaem. & lib. 2. d. 15. art. 1. quæst. 1. & d. 18. art. 1. quæst. 2.* Vide, quali providentia Deus ad hominis utilitatem, decoremque universi in creatione rerum processit.

396 *Deus non solùm necessaria, sed etiam iucunda homini præbet.*

Produxitque Deus de humo omne lignum. Vide iterum, qualem providentiam habuerit Deus cum homine, cui non solùm necessaria, sed & iucunda præparavit. Hæc enim universitas lignorum sub tribus differentiis comprehenditur, secundùm quod ordinata sunt ad utilitatem, vel corporis, vel Animæ, vel coniuncti: nam ex parte corporis erant ligna fructifera præbentia corpori alimentum necessarium ad sustentationem: ex parte Animæ erat lignum scientiæ boni, & mali ad obedientiæ hominis probationem: ex parte conjuncti erat lignum vitæ, quod faciebat ad vitæ humanæ perpetuationem. *l. 2. d. 17. dub. 4.*

397. *Deus voluit, ut Adam ex indigentiâ addisceret indigentiam gratiæ in Anima ad opera virtuosa.*

Produxitque omne lignum, &c. Nota, quod Deus providit Adam de omni lignorum fructu, ut posset se nutrire, in quo patefit ejus divina providentia, & simul mysterium: nam quia Adam non poterat per se conservari, ideò indiguit aliquibus, quibus vteretur, scilicet his fructibus, ex qua indigentia, voluit Deus, ut homo ad interiora Animæ penetraret, & disceret; quod Anima non potest per se vivere: nisi reficiatur à Christo, nec similiter per se bona opera facere, nisi fæcundetur ab ipso. *l. 4. d. 26. a. 1. qu. 1. ad ultimum. & l. 2. d. 17. dub. 4.* vult enim Deus, ut per visibilia hæc homo ascendat ad invisibilia, quæ Animæ bonum attingunt.

398. *Lignum vitæ qualem vitam conferat? Et lignum scientiæ ad quid positum in Paradiso?*

Produxit, &c. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi: lignum quoque scientiæ, &c. Quæritur Cur tantum fuerunt nominata hæc duo ligna simul?

Resp. Quod illa duo ligna tantum fuerunt propter speciales effectus: nempe lignum vitæ ab effectu, licèt non secuto, ad quem ordinabatur: ordinatum enim fuit, ut per eius sumptionem reintegraretur substantia per innatum calorem consumpta, sicque reddidisset hominem immortalem; lignum autem scientiæ boni, & mali sic nominatur ab eventu secuto, scilicet, quia post transgressionem Adam cognouit bonum, quod perdidit, & malum, quod incurrit; unde talis nominatio fuit veluti tacita admonitio facta Adæ ad conservandum se in statu Innocentiæ. *l. 2. d. 17. dub. 4. & d. 19. dub. 4. & a. 2. qu. 2. & d. 19. dub. 4. & lib. 4. d. 26. qu. 1. ad argumenta comp. Theol. l. 2. c. 63.*

399. *Amorem cum timore Deus expetit in nobis.*

Lignum vitæ, & scientiæ, &c. Cur ligna hæc posita fuere in medio Paradisi, & non potius in aliquo angulo?

Resp. Quod Dominus unum posuit iuxta alterum, ut ex uno conciperet homo affectum amoris, & ex altero affectum timoris, ut opposita iuxta se posita magis elucescerent; & ut abstinendo se ab uno, habere mereretur refectionem sufficientem ab altero. Hinc collige, quod Deus vult quidem à nobis amari, & confidentiam colloca- *Abstinentia est virtus summè à Deo expetita.*

ti

ri ſemper in eo, ſed ſimul etiam timeri, & ut ſimul addiſcamus, quod per abſtinentiam habetur gradus ad vitam. *l.2.d.17 dub.4.*

400. *Lignum etiam vitæ*, &c. Quæritur An hoc lignum vitæ habeat hanc innatam vim conſervandi vitam immunem à morte?

Reſp. ipſum habuiſſe vim diſpoſitivam tantum, ſed ratione virtutis divinæ aſſiſtentis ipſi tanquam ſacramento verè, & perfectè contuliſſet immortalitatem. *l.2.d.19.dub.4.& a.2.qu.2.*

Vnde patet, quàm beneficus fuerit Deus cum homine, & quot bona præparata ipſi fuerint, ut gratum ſe exhiberet tantæ munificentiæ.

401. *Chriſtus Dominus lignum vitæ in medio Eccleſiæ, & Sacra Scriptura.*

Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, &c. Cur inter tot ligna pulchra viſu, & bona ad eſcam ſolùm in medio Paradiſi collocauit hoc lignum? Iam dictum eſt fuiſſe poſitum hoc lignum in ſacramentum: obidqoe multa myſticè figurabat, ſed præcipuè Chriſtum Dominum lignum inquam plantatum (ait *ſanctus Ioannes in Apoc. c. 22.*) ex utraque parte fluminis, ſcilicet, quia erat finis noui, & veteris Teſtamenti plantatum in medio Paradiſi, nempe Eccleſiæ, & ſacræ ſcripturæ. *op. Principium Sacr. Script. & ſerm.14.Hexam.*

402. *Hoc lignum vitæ poſitum eſt in medio, quia Chriſtus palam oſtenditur in omnibus myſteriis Sacræ Scripturæ promittens bona, comminando mala: ſicut (&) Antichriſtus, & Diabolus: quod & Diabolus ad damnum noſtrum facit.*

Lignum quoque vitæ, &c. & lignum ſcientiæ, &c. Cur hæc duo ligna oppoſita fuerunt à Domino poſita in medio Paradiſi, & ſibi ipſis proxima? Nonne lux ſemota eſt à tenebris? Quæve conventio Chriſti ad Belial? Reſp. Quod hoc factum eſt, ut utrumque magis eluceſceret: unde in omnibus myſteriis Sacræ Scripturæ explicatur Chriſtus cū corpore ſuo myſtico, & etiam Antichriſtus, & Diabolus cum corpore ſuo: Chriſtus quidem promittit ſua bona, & minatur æterna mala homini: è contra Diabolus promittit falſa bona, & confert vera mala: idem in fine mundi faciet Antichriſtus. *ſerm.14.& 15.Hexaem.*

403. *Chriſtus crucifixus lignum vitæ, ſimulque Paradiſus.*

Lignum vitæ, &c. Cur dicit lignum, & non Arbor? nam lignum propriè dicitur, quod ſciſſum eſt. Arbor, quæ in Terra radicata eſt? ſed nota myſterium, quia figurabat Chriſtum crucifixum, qui fuit veluti lignum diſſectum, perforatum in ramis, & in ſtipite manibus, pedibus, & latere: diciturque lignum vitæ, quia per ipſum vivimus, & vivificamur in fructu vitæ. *ſer.1. Hexaem. Idem Theophanes orat.1. in exalt. ſanctæ Cruc. apud Grets tom.2.de Cruce.* Nota etiam, quod Chriſtus lignum vitæ in medio Paradiſi poſitum, quia eſt & Paradiſus, ad quem per portas Plagarum ſemper apertas habetur tutus ingreſſus. *op. ſtim.diu.am.p.1.c.1.*

404. *Chriſtus in medio Eccleſiæ, vel Animæ iuſtæ eſt lignum vitæ.*

Lignum etiam vitæ, &c. Hoc lignum vitæ eſt Chriſtus in medio Eccleſiæ, vel Animæ iuſtæ plantatus vitam gratiæ conferens, & conſervans. Hoc lignum vitæ non deguſtant quicumque vitā degunt io ſtabulo Diaboli per putridam vitam. *ſerm.1.fer.3.Paſcha, & ſer.2.in Pentec.*

405. *Scientia humana ad Chriſtum ordinata cibum vitæ, & lumen veritatis conferunt: è contra in tenebras errorum ſine Chriſto ducunt.*

Lignum vitæ in medio, &c. Hoc lignum vitæ in medio Eccleſiæ eſt Chriſtus Dominus: in medio, ſcilicet medium omnium ſcientiarum, faciens de veſpere mane: ſcilicet illuminans mentem in cognitione Chriſtianæ metaphiſicæ, Phiſicæ, mathematicæ, Logicæ, Ethicæ, Politicæ, & Theologiæ: habens enim Cathedram in Cœlo, docet interius in Anima omnes, qui guſtant de ejus fructibus vitæ: unde omnes ſcientiæ verè illuminant mentem, & ad Chriſtum ordinantur. Si verò è contra guſtatur lignum vetitum, ſcilicet curioſa temeritate metiendo æternalia cum experientia rerum naturalium, Tunc fit de mane veſpere, quia in tenebras errorum præcipitatur Anima *ſerm. 1. Hexaem.*

406. *Chriſtus lignum vitæ influens vitam per ſacramenta in omnia membra: eſtque veluti Imperator, Pontifex, Sol, magiſter in medio ſuorum.*

Lignum etiam vitæ, &c. Chriſtus eſt lignum vitæ in medio Eccleſiæ poſitum influens io omnia membra mediantibus ſacramentis vitam: vnde eſt ſicut Imperator in medio militum, ſicut Pontifex in medio Cardinalium, ſicut ſol in medio Cæli, & ſicut magiſter in medio Diſcipulorum. *ſerm. 1. Hexaem ſer.1.Dom.3. Adu.& in Luc.cap.23.n.31.& in Ioan.c.20.n.27.*

407. *Chriſtus in Cruce ſalutis antidotum confert, ut lignum vitæ hominibus.*

Lignum etiam vitæ, &c Hoc lignum vitæ eſt Chriſtus in Cruce affixus in medio latronum, ibiq. operatus eſt ſalutem in medio Terræ *ſerm.p.Dom.3. Adu.& op.Stim.diu.am.p.1.c.1.*

408. *Crux lignum vitæ.*

Lignum etiam vitæ, &c. Quare in medio Paradiſi poſitum? Sed ad myſterium Crucis indicandum, quaſi prædicens fore aliquando, ut in medio Terræ ſalutifera Crux plantaretur ferens vitæ largitorem ſuſpenſum: hoc lignum igitur eſt ſancta Crux, quæ quatuor fluminibus Evangeliorum irrigatur. *op. expoſ miſſæ c.4. & op.ſpec.B. Virg.lect.18. & ſerm.1. in inventione Sanctæ Crucis, &c.* vide quomodò quatuor Evangelia ordinantur ad myſterium crucis propalandum

409. *Lignum Crucis eſt lignum vitæ, eius folia efficacia contra omnem morbum, fructus eſt Chriſtus ex viſceribus Mariæ Virginis trahens originem, & in ipſa Cruce maturatus.*

Lignum etiam vitæ, &c. Vide qualia folia, & quales fructus hujus arboris: Hoc eſt lignum ſanctæ Crucis: ejus folia ſunt efficaciſſimum remedium

diù,& medicamentum præservans,& reparans contra omnem morbum: Verbum enim Crucis est in salutem omni credenti; ait Apostolus: ejus fructus est omnis coloris formositate decoris, omni suavitate aspersus, & refocillans, attrahensque desiderantium anxia corda, ita ut semper, & sine fastidio satientur edentes. Hic fructus est Christus, qui traxit originem de vtero Virginis, & in ligno Crucis ad maturitatem saporosam per æterni solis calorem meridianum, scilicet charitatem pervenit; in Hortoque Paradisi cælestis, scilicet in Ecclesia Dei desiderantibus proponitur degustandus. *op. lignum vitæ in Præfat. & op. spec. B. Virg. lect.* 18.

410. *Ad degustandum fructum Crucis debet vitari lignum scientiæ.*

Lignum etiam vitæ, &c. Fructus huius ligni est Christus Iesus, qui solùm degustatur ab iis, qui abhorrent exemplum Adæ, qui prætulit lignum scientiæ boni, & mali ligno vitæ: quod vitari non potest, nisi rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, & prudentiæ carnis sacram præferat Crucem, per quam Sancti Spiritus Charitas in cordibus devotis nutritur, & septiformi gratia diffunditur. *op. lignum vitæ in præfatione.*

411. *B. Virgo Maria est lignum vitæ.*

Lignum etiam vitæ. Hoc lignum mysticè est Beata Virgo, cujus vterus est Paradisus, ex quo editus est fructus deliciosus in odore, virtuosus ad curandum, ad multiplicandum, & ad vitam conservandam, vel conferendam omnibus. *op. spec. B. Virg. lect.* 16. & 18. & *op. stim. diu. am. p.* 1. *c.* 7. & *op. Laus B. Virg. fig.* 2. & *op. Psalt. min.*

412. *Verbum Dei lignum vitæ continens omne bonum.*

Lignum etiam vitæ, &c. Nota, quod post exarationem tantarum frugiferarum arborum, apponit descriptionem ligni vitæ, veluti indicans in hac sitam esse in summa virtutem cæterarum aliarum: Et si Paradisus fuit figura Ecclesiæ militantis, in qua sunt apposita tot genera ciborum spiritualium, & Sacramentorum, quodnam erit omnium maximum, & veluti virtualiter cætera continens. Sed attende mysteria fidei nostræ.

Hoc lignum in medio Ecclesiæ plantatum tam virtuosum, pulchrum visu, & ad vescendum suave, est verbum Dei, vel Sacra Scriptura, cujus fructus est panis, & cibus habens in se omne delectamentum suavitatis, est & potus inebrians animas, est alimentum perfectum, indigentiam adimplens, infirmos curans, reflorere faciens, & renovans bonum, affectum donans, à tristitia liberans, lætitiam largiens. *op. Princip. S. Scrip. & ferm.* 17. *Hexaem.*

413. *Fides, & Sacra Scriptura lignum vitæ continens omne bonum.*

Lignum etiam vitæ, &c. Nota, quod Deus præcepit Adæ, ut comederet de ligno vitæ, & caveret à ligno scientiæ: Id figura fuit de fide Christi, quæ in fundatione Ecclesiæ posita fuit ad hoc, ut iustus ex ipsa viveret: propositum fuit lignum scientiæ ad videndum, non ad degustandum, scilicet legem veterem, unde hoc lignum potes videre, non gustare sub pœna mortis, cui subiacent miseri Hebræi, qui ob id ejecti sunt ab Ecclesia, & dispersi sunt, & maledicti in opere suo. *ferm.* 16. *Hexaem.*

414. *Sacramentum Eucharistiæ lignum vitæ in medio Paradisi.*

Lignum etiam vitæ, &c. Hoc lignum vitæ continens in virtute omnia bona cæterarum arborum mysticè est Eucharistia, per quam purgamur, vivificamur, illuminamur, perficimur, & reficimur. *op. comp. Theol. l.* 6. *c.* 15. & *l.* 2. *d.* 19. *dub.* 4. Est lignum habens omne delectamentú, & omnem suavitatem saporis: sine fastidij generatione, desiderij continuatione satiat interiorem gustum immensitate Deitatis, & exteriorem delectatione humanitatis. *ser.* 4. *Dom.* 14. *post Pentec.*

415. *Temperantia lignum vitæ.*

Lignum vitæ, &c. Nota, quod ostensis à Deo ligno vitæ, & ligno scientiæ, illud propositum fuit in cibum, istud prohibitum : ut abstinendo se ab isto reficeretur ab illo: ergo totum innitebatur virtuti temperantiæ; unde hæc potest dici lignum vitæ, quia animam decorat moribus bonis, cumulat meritum, naturam conservat; & ferculis æternis cibat. *op. comp. Theol. l.* 6. *c.* 35.

416. *Crux, in qua Christus pependit, fuit ex ramo ligni vitæ, vel ligni scientiæ secundum alios.*

Lignum etiam vitæ, lignum etiam scientiæ, &c. Hoc lignum litteraliter conservare poterat vitam immunem à morte: mysticè figurabat lignum Sanctæ Crucis, in qua Christus pependit: facta est enim ex ramo ejusdem ligni, vel secundùm alios ligni scientiæ Seth filio Adam tradito à Cherubim, qui plantatus ad caput Adæ iam sepulti creuit in arborem, quæ incisa post varios decursus annorum, fuit posita in piscina Hierusalem, ex cujus virtute sanus fiebat quicumque primus intraret tempore determinato ab Angelo, & in ea fuit affixus Christus Dominus. *ferm.* 1. *Invent. S. Crucis.*

417. *Recordatio frequens pœnæ, & gloria, facit maximè ad observantiam legis Divinæ.*

Lignum etiam vitæ, &c. Cur utrumque lignum Deus in medio posuit? Respondetur, ut homo ad illud semper intueri posset, ut intellectum suo decore reficeret, & affectum suaviiate; ut ad amorem, & timorem excitaret: ut promissiones, & comminationes divinas in memoria semper retineret: ut legis observantiam semper ante oculos haberet. *l.* 2. *d.* 17. *dub.* 4. *sic* & *S. Cirill. l.* 3. *contra Iulian.*

Lex enim Dei præcipit bonum spirituale, & retrahit ab amore fœdo, & carnali, ideò ante oculos semper habenda est, tamquam testimonium fidele sapientiam præstans parvulis. *ferm.* 17. *Hexaem.*

418. *Sacra Scriptura est lignum vitæ plantatum in anima Paradiso, &c. docens quid amplexandum, & quid fugiendum.*

Lignum etiam vitæ, &c. Nota, quod vtrumq; lignú in prospectu hominis posuit, ut per comestionem

ligni vitæ reficeretur, & per abſtinentiam à ligno ſcientiæ vetito caveret inobedientiam: Anima verò fidelis eſt Paradiſus, in qua plantata eſt Scriptura Sacra habens innumerabiles ſuavitates, & decores, ſcilicet, Sacramentalia Myſteria,& ſpirituales intelligentias, quibus reficitur mens.*ſer.17. Hexaem.*

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividebatur in quatuor capita,nomen uni Phiſon,ſecudi Gehon, tertij Tygris,quarti Euphrates.

419. *Providentia Dei, & affluentia qualis ad utilitatem hominis.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ſcilicet vel de medio, vel de qualibet ejus parte,habet que quatuor proprietates perfectiſſimas, ſcilicet perennitatem quoad durationem, extenſionem quoad ſpatioſitatem, per id enim differt à rivulis:motum quoad circulationem, ſcilicet à mari uſque ad mare:& irrigationem, & emundationem, ex quo videri poteſt, quod Deus nihil imperfectum relinquit ad hominis utilitatem.*lib.1.ſent.in proœm.*

420. *Sacra Scriptura eſt locus voluptatis ex quo emanat fluvius ſcilicet Theologiæ.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis. Locus voluptatis eſt Sacra Scriptura, à qua egreditur fluvius Sacræ Theologiæ, quæ dividitur in quatuor capita, quorum primum continet emanationem Divinarum Perſonarum: ſecundum productionem creaturarum: Tertium Incarnationem Filij Dei, & quartum Sacramentorum diſpenſationem.*l.1.proœm.*

421.*Chriſtus fluvius irrigans ex ſuo corpore Eccleſiam.*

Fluvius egrediebatur. Hic eſt Chriſtus Dominus verè locus voluptatis, qui ad irrigandum Paradiſum Eccleſiæ affluentia gratiarum dividitur in quatuor capita, ſcilicet in quatuor humores, qui è ſuo corpore exierunt, ſuntque lachrymæ, ſudor, ſanguis, & aqua de ejus latere, per quæ rigavit totum mundum.*ſerm.3.in Nativit.Domini.*

422. *Chriſtus egreſſus de utero Virginis ipſum irrigabat.*

*Fluvius egrediebatur,&c.*Si iſte fluvius inerat intus in loco voluptatis, ad quid deouò egrediebatur, ut ipſum irrigaret|? Nota, quod mirabiliter egrediebatur de Paradiſo,& ipſum ſimul irrigabat, quia Chriſtus egreſſus de loco voluptatis, ſcilicet de utero Virginis Mariæ ad irrigandum Paradiſum, ſcilicet ipſam Beatam Virginem, & ſimul Eccleſiam.*op.ſpec.B.V.lect.11. & comp.Theol.l.4.c.5.&* 11. Vide S. Bernardinum *tom.*4. unde quodammodo Chriſtus egreſſus eſt è Beata Virgine, & denuò regreſſus eſt per irrigationem, & affluentiam gratiarum.

423. *Fluvius eſt Eccleſia exiens de latere Chriſti.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis. De loco voluptatis,ſcilicet de latere Chriſti exivit Eccleſia, quæ eſt myſticus fluvius.*op.ſtim.Div.am.p.1.c.7.*

424. *Sacra Scriptura mirabilia.*

Fluvius egrediebatur, &c. Myſticè hic fluvius eſt idem,quem vidit Ioannes *in Apoc.c.2.dicens,oſtendit mihi Dominus fluvium aquæ vivæ ſplendidum tamquam chryſtallum procedentem de ſede Dei,& Agni, &c.* & eſt Sacra Scriptura, quæ aſſimilatur fluvio per plenitudinem bonitaris,ſcilicet propter dulcores ſuaviſſimarum delectationum; eſt enim mirabiliter dulcis ſapor divinarum ſcripturarum; deſiderium ad cœleſtia ſemper erigens, ſatietas ſine fine, & eſuries glorioſa bonorum:modò ſiquidem charitatem Dei, & proximi movet, modò ut ſæculi peritora contemnas, inſinuat, modò ut illam patriam recorderis, in qua es perpetuò manſurus, infundit: Patientiam prædicat: ſpem tribuit, humilitatem proficuam laudat: ſuperbiam ſemper ruinoſam accuſat, modò eleemoſinam crebertimè fieri perſuadet: quot ſunt ibi verba, tot præmia, ideò dicitur egredi de loco voluptatis, ſcilicet de Dei ad irrigandum Paradiſum, ſcilicet Eccleſiæ militantis,vel fidelis animæ: & dividitur in quatuor capita, ſcilicet in rivos hiſtoriarum, anagogiarum, allegoriarum, & tropologiarum: primus rivus terrahit animam à terreſtribus,& ſcientiis terrenis: ſecundus refouet animam in cæleſtibus: tertius dirigit animam in credendis: quartus ordinat animam in agendis. *op.princip.S. Script.*oh quot miracola contioet Sacra Scriptura;

425. *Sacra Scriptura charitas, & lumen quale contra flumina ſcientiarum mundanarum.*

Fluvius egrediebatur, &c. Nota qood, ut dictum eſt, Sacra Scriptura elevat animam à terrenis, ideò in quatuor capita dividitor contra impetum quatuor ſcientiarum ethnicarum, ſcilicet contra quatuor ſcientias illicitas, & contra qoatuor licitas: ſcientiæ illicitæ ſunt quatuor comparatæ quatuor fluminibus infernalibus, quæ ſunt primum Stix, quod interpretatur odium, ſcilicet Piromantia:ſecundum Lethes, quod interpretatur oblivio, ſcilicet Hidromantia: Tertium Cocythus, quod interpretatur luctus,ſcilicet Æromantia: Quartũ Phlegeton,quod interpretatur ardens,ſcilicet Geomantia,quæ ſuot non ſcientiæ,ſed inſaniæ ſoperſtitioſæ & ab inferno à Diabolo illatæ in mundũ:Quatuor licitæ ſunt Logica,Phyſica,Ethica,& Mathematica, quæ ſine adiutorio Sacræ Scripturæ,& fidei potiùs involvunt intellectum,& obſcurant,& eatum finis eſt beatitudo creata plena miſeriis,& erroribus, ut manifeſtè viſum eſt in Gentilibus,eas ſine fide profiteotibus.*op.Princip.S. Scrip. &c.* de ſoperſtitioſis, & prohibitis.*Vide Centil.part.1.ſect.29 & op.declar. termin.*

426. *Fluvius Veteris Teſtamenti dividitur in quatuor capita.*

Fluvius egrediebatur, &c. Myſticè hic fluvius eſt vetus Teſtamentum,qood dividitor in quatuor flumina, ſcilicet in libros hiſtoriales, ſeu exemplares, in legales, in prophetales, & ſapientiales. *op.Princip.Sacr.Script.*

427. *Diviſio totius Novi Teſtamenti in quatuor flumina.*

Fluvius egrediebatur,&c. Vel poteſt dici,quod hic fluvius

fl uvius mysticè est historia Evangelica, quæ dividitur in quatuor capita, secundùm quatuor Evangelia ostendentia Christum hominem, regem, sacerdotem, & Deum: Primum præcipuè fit à S. Matthæo: secundum à S. Marco: Tertium à S. Luca: Quartum à Sancto Ioanne.

Vel potest dici, esse Scripturam continentem cæteros libros novi Testamenti, quæ dividitur in quatuor capita: quorum Primum est in Apocalypsi, qui est liber propheticus, in quo agitur de Christo, quoad Iudicij distinctionem, & sempiternam beatificationem: secundum est in canonicis Epistolis continens totius corporis mystici eruditionem universalem: Tertium est in Epistolis D. Pauli continens eruditionem specialem ejusdem corporis mystici: Quartum est in actibus Apostolorum continens corporis mystici Christi tribulationes. *op. princip. S. Script.*

428. *De anima Christi exierunt quatuor flumina lachrymarum: de anima nostra debent similiter egredi.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum. Ergone locus voluptatis differt à Paradiso? nonne idem sunt locus voluptatis, & Paradisus? maximè: & licèt sint unum, & idem, tamen tamquam de diversis locis fit insinuatio, quare hoc? sed nota mysterium: locus voluptatis est Christus, in cuius anima, ultra Divinitatem, beatitudo semper in supremo statu continebatur: ex hoc loco voluptatis egressus est fluvius lachrymarum divisus in quatuor capita ad irrigandum Paradisum totius Ecclesiæ militantis, & animarum nostrarum: flevit enim in infantia: super Hierusalem: super Lazarum: & in Cruce, ut invitaret nos, ut de loco omnium spurcitiarum, scilicet de corde nostro pleno peccatis egredi faceremus talem fluvium lachrymarum. *In Luc. cap. 11. vers. 41.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis. Nota non sine mysterio hunc fluvium dici egredientem de loco voluptatis, & non de Paradiso; nam locus voluptatis indicat aliquid amplius: sed quid? Atende sequentia.

429. *Locus voluptatis est Divinitas: flumen irrigans est gratia divina: quatuor capita sunt quatuor virtutes cardinales per quas ab omni vitio se defendit anima.*

Locus voluptatis est Divinitas, à qua tamquam à fonte perenni egreditur fluvius gratiæ Dei, quæ irrigans animam ipsam transformat in Paradisum: ab hoc flumine derivans quatuor virtutes Cardinales; anima enim per istas ducitur, & fit habitatio Dei, ad possessionem lucis veritatis, bonæ conscientiæ gaudium, & charitatis ordinatæ. *l. 3. d. 33. a. 1. qu. 4. in fund. serm. 7. in Hexaem. & Diat. sal. tit. 5. c. 1. & op. de quat. virt. Cardin.*

Peccatoris anima est infernus & locus Diaboli. Ex opposito nota, quod anima peccatoris, non Paradisus, sed infernus dicitur, nam loco Dei in ea habitat Diabolus: loco gaudij remorsus conscientiæ: loco lucis adsunt tenebræ ignorantiæ: loco charitatis adest ignis concupiscentiæ. *Diat. tit. 5. cap. 1.*

430 *Fluvius lacrymarum ex quatuor capitibus, & motivis.*

Fluvius egrediebatur, &c. Mysticè: anima habens gratiam dicitur locus voluptatis, qui exire debet in fluvium lachrymarum irrigantem Paradisum conscientiæ ex quatuor motivis, scilicet ex compunctione sui, ex compassione proximi, ex incolatu præsentis miseriæ, & ex appetitu æternæ gloriæ. *In Luc. c. 11. n. 41.*

431. *Aqua divina Gratiæ, & cælestium consolationum non admiscetur terræ, & reddit animam Paradisum.*

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis. Quarè non potiùs dicitur de fonte, sed de loco voluptatis? sed nota secundum D. D. quod fluvius ortus à fonte non statim exibat ad alia loca, sed diffundebatur priùs per totum Paradisum, ibi priùs manens, illum fæcundans, & lætificans, & ideò dicitur exire à loco voluptatis, quasi ipsum detineret, & cohiberet, ne alibi abiret. Sed quid mysterij in hoc modo loquendi continetur? Nota, quod talis est aqua divinæ gratiæ, & cælestium consolationum: Hæc aqua exit à loco voluptatis, scilicet à Divinitate, & irrigans Paradisum animæ, vegetat, fæcundat, conservat, abluit, satiat, consolatur, & delectatur, & hinc qui bibit de aqua hac non sitiet ob ejus superabundantiam, efficaciam, & indeficientiam, nec ad aquas concupiscentiæ, & mundanas sinit exire. *In Ioan. 3. colla. 21.*

432. *Maria Virgo fuit fluvius de loco voluptatis emittens Christum.*

Fluvius egrediebatur, &c. Quarè non dicitur fluvius iste egredi de fonte, sed de loco voluptatis, cùm certum sit trahere originem de fonte? sed sciendum est per fontem, & per fluvium significari Beatissimam Virginem, de qua dicitur Hester c. 10. *Parvus rivulus crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est*: quis obsecro est parvus rivulus iste, nisi humillima Virgo? hæc crevit in fluvium, cùm generavit Christum à Patre procedentem, qui non solùm fluvius per abundantiam gratiæ, sed etiam lux sapientiæ, & sol iustitiæ dicitur. *lib. 1. in proœm.*

Ex fonte gratiarum Mariæ viventes aquæ profluunt, & emanant replentes orbem terrarum, & qui hauriet ex fonte ejus, saliet in vitam æternam, nec sitiet unquam. *Psalt. Beatæ Virg. Psalm. 81. 83. & 85. & op. spec. Beatæ Mariæ lect. 15.*

433. *Virgo Maria Paradisus per fluvium gratiarum.*

Fluvius egrediebatur, &c. Fluvius egrediens de loco voluptatis, scilicet de Divinitate fuit gratia Dei, quæ irrigans Mariam, ipsam constituit Paradisum deliciarum Dei, & hominum. *op. spec. B. M. V. lect. 5.*

434. *Maria Virgo irrigat bonos, & malos.*

Fluvius egrediebatur, &c. Hic fluvius aquarum est defluxus cælestium gratiarum, qui à fonte Mariæ exit, se diffundens in bonos, & malos; colligit enim malos à culpa ad Ecclesiam,

mpinguat bonos gratia, & liberat ab inferno univerſos, qui liberantur. *op. ſpec. B. M. V. lect. 5.*

435. *Prius fluvius gratiarum irrigat Mariam, poſtea alios.*

Fluvius egrediebatur, &c. Nota, quòd antequam iſte fluvius ſe per quatuor flumina extenderet ad univerſas terras, priùs irrigabat Paradiſum: quarè non immediatè ſe ſimul extendebat ad cæteras terras ?

At id nobis indicat, quod gratia Dei, antequam ſe diffunderet per univerſum orbem, priùs irrigavit Mariam Virginem: unde dicit Beata Virgo de ſe ipſa: *In plenitudine Sanctorum detentio mea,* ſcilicet in plenitudine gratiarum Sanctorum; & univerſalis Eccleſiæ detenta fuit Maria, quia priùs omnes gratiæ in Maria ſedem habuerunt, & inde diffuſæ in cæteros, unde omnes dicere poſſunt cum S. Ioanne cap. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus. op. ſpec. B Virg. lect. 6. & 7.*

436 *Charitas ordinatè exerceri debet.*

Et fluvius egrediebatur, &c. Nota hunc ordinem: Primò irrigat Paradiſum, & deinde in quatuor capita dividitur ad alias terras: quarè hoc non potiùs inſimul extendebatur ad Paradiſum, & ad cæteras terras ?

Sed hoc debitum tollitur per doctrinam communem circa exercitium charitatis proximi, quæ exigit iure naturali ordinem, ita quod primò homo debet in ſeipſum eam exercere deinde in proximum ſibi conjunctum, & tandem in alienos, qui ordo ſervabitur etiam in patria; unde Apoſtolus dicit: *operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. ſerm. 9. de Apoſtol. & l. 3. d. 29. a. 1. per totum, & d. 33. a. 3. q. 3.*

Cum autem cor ardens amore in Deum, & proximum ſit veluti flumen, ſeu fons, & fundens aquas charitatis tali ordine debet procedere. *Diat. tit. 5. c. 2.*

437. *B. Virgo emittit flumen gratiarum in omnes.*

Et fluvius egrediebatur, &c. qui dividitur in quatuor capita, &c. Quarè hæc aqua non continetur intra Paradiſi mœnia, ſed diffunditur ad alienas terras ? Sed ad memoriam revoca, quod ſupra dictum eſt, Mariam eſſe veluti Paradiſum, ex quo emittuntur flumina gratiarum: ſuit ergo Maria plena gratiarum, & ſuperveniente Spiritu ſancto facta eſt ſuperplena, non tantùm ſibi, ſed nobis, & toti mundo: oh quot gratiæ per hanc venam ad homines defluxerunt. *op. ſpec. B. Virg. lect. 13. & 15.* quarè rectè eleemoſynaria Dei eſt Beata Virgo, quia diſpergit gratias ſuas pauperibus, eſurientes fovet & egenos, & per totum orbem eas effluere facit. *Pſalt. B. Virg. Pſalm. 11. & 53.*

438. *Eleemoſina ad omnes etiam malos extendenda.*

Et fluvius egrediebatur, &c. Quarè etiam ad terras alienas ſe diffundebat hoc flumen? Adverte, quod hic fluvius procedebat ex fonte: ſic eleemoſyna veluti fluvius manat ex fonte pietatis, & ſicut fons per occultos meatus procedit à mari, ſic pietas hominis, unde manat eleemoſyna, per occultam inſpirationem venit ex gratia Dei: & ſicut flumen quandoque exit extra ripas, nec eſt contentum propriis alveis, ita & eleemoſyna aliquando dan da eſt indifferenter bonis, & malis, maximè tempore neceſſitatis, ſicut Deus ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. *Matth. 5. Diat. tit. 2. c. 7.*

439. *Beata Virgo Maria fluvius irrigans totam terram.*

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis. Quarè de loco voluptatis, & non potiùs de fonte ? ſed iam pluries dictum eſt, per hunc fluvium exeuntem de fonte, & de loco voluptatis intelligi Beatam Virginem Mariam, per quam vivus fons emittit aquas ſalutares Chriſtus Ieſus omnium gratiarum ad corda hominum: unde ſalutare quilibet poteſt ipſam his verſibus.

Ave Virgo vena munda
Per te vivi fontis unda.
Mihi ſemper irroretur.
Quo cor meum inebrietur.

op. ſpec. B V. lect. 5. 6. & 7. & op. Pſalter. min. B. Virg. & op. lignum vitæ fig. 1.

440. *Idem confirmatur.*

Et fluvius egrediebatur, &c. Nota, priùs irrigabatur Paradiſus, poſtea reliqua pars terræ: ſic B. Virgo veluti Paradiſus irrigator, & deinde ex hoc Paradiſo totus orbis terrarum, ex qua irrigatione noſtra terra fructum vberiùs emittit, reformaturque in melius. *op. Laus B Virg. fig. 3.*

441. *Sacra Scripturæ inſeruiunt omnes res create, ut ancillæ.*

Nomen uni Phyſon, qui circuit terram Evilath, ibi naſcitur aurum optimum, & bdellium, & lapis onichinus. Nota, quod ad intelligendam ſacram ſcripturam, Deus ordinauit omnia creata tamquam media deducentia intellectum fide illuſtratum ad cognitionem myſteriorum, & arcanorum in ea contentorum: patet ex hoc textu, ubi proponitur productio auri optimi, & lapidum pretioſorum, ut addiſceremus, animam eſſe Paradiſum, in qua plantata eſt, & infuſa Sacra Scriptura, habens innumerabiles ſuavitates, & decores, & ubi ſcaturit fons ſpiritualium emiſſionum, ſcilicet Sacramentalium myſteriorum, & ſpiritualium intelligentiarum, & ad hoc utitur formis cœleſtibus, elementaribus, metheorologicis, mineralibus, aliiſque rebus viſibilibus; unde Theologus modò eſt ut arithmeticus, modò aſtrologus, modò geometer, modò rethor, modò medicus, modo phyloſophus, quia omnes ſcientiæ ſunt ancillæ Sacræ Theologiæ, & Sacræ Scripturæ. *ſerm. 17. Hexaem.*

442. *Phyſon ſignificat productionem Perſonarum Divinarum.*

Nomen uni Phyſon. Phyſon interpretatur oris mutatio, ſeu emanatio: rectè igitur ponitur inter hos quatuor fluvios primo loco, quia per iſtos quatuor fluvios intelliguntur materiæ quatuor librorum ſacræ Theologiæ, inter quas primum locum obtinet materia Diuinarum Productionum: ſicut enim ex ore materiali procedit verbum, & ſpiritus, ſic ex ore Patris procedit Filius, & Spiritus S. *lib. 1. in proœm.*

443 *Phyſon*

443. *Physon significat temper antiam, quæ est prima inter omnes virtutes.*

Nomen uni Physon: Quarè primo loco ponitur istud flumen? & quarè ostatur productio auri, & lapidum pretiosorum?

Respondetur, quòd fluvius egrediens de Paradiso significat virtutem, & gratiam de fonte Divinitatis egredientem, quæ dividitur in quatuor capita, scilicet in quatuor virtutes Cardinales, & principales: inter quas primum locum obtinet temperantia figurata in fluvio Physon; temperantia enim est virius expurgans à culpis, aureamque reddens animam, per castitatem, continentiam, sobrietatem, honestatem *serm.7 Hexaem.& op.Diat.sal.tit. 5.c.1.& op.de quat. virt. Card.sic.S. Ambros. lib.de Parad.c.3.*

444. *Christus Iesus producit aurum omnium bonorum nostrorum.*

Nomen vni Physon, qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum. Physon, ut dictum est, interpretatur, oris mutatio, seu emanatio, significatque productionem Christi æternam, & temporalem.*lib.1.in proæm.* Sed quarè de hoc solo fluvio notatur fæcundatio ipsius, & productio auri, & lapidum pretiosorum, & de aliis tacetur? Immeritò de solo Christo id notatur, quia ipse est solus, qui circuit sua virtute totam terram animarum nostrarum, nos aureos efficiens, & custodiens, & ex ipso solo habent vim merita nostra: si enim consideratur, ut Deus, ipse solus Deus est influens gratias: si verò ut homo, ipse solus est per sua merita nos præparans, & disponens ad bonum gratiæ, & gloriæ. *l.3.d.13.a.2.per totum.*

445. *Maria Virgo circuit omnem terram animæ nostræ, producens aurum omnium bonorum, & lapides pretiosos in se continens.*

Nomen uni Physon: ipse est qui circuit, &c. Quarè huic soli fluvio tribuitur iste circuitus, & productio auri? nonne in aliis locis nascitur aurum? Nascitur quidem, sed non optimum sicut hic.

Physon interpretatur, oris mutatio, potestque intelligi de Maria Virgine dicitur enim in persona ejus in Ecclesiastico *c.24. Ab æterno ordinata sum &c. Ego ex ore altissimi, &c.* scilicet privilegiato modo creata fuit, ut perficeret Cœlum, in quo Deus novo modo resideret: & ut veluti Paradisus emitteret à se rivulos, & fontes gratiarum, quibus corda arida infunduntur, & fructus virtutum, & meritorum, quibus nutriuntur.*op.de Eccl. Hier.p.4.c.7.* Maria est, quæ in ornamentis portat aurum obrizum: in diademate sardium, & Topazium: in dextera Iaspim, & Amethistum: in sinistra Berillum, & Chrysolitum: in pectore Hyacinthum & Achatem: in monilibus carbunculos scintillantes: in manibus myrrham, thus & balsamum: in digitis sapphyrum, & smaragdum. *op. Psalt. B. Virg.Psal.58.De Mysteriis horum lapidum vide Diat. sal.tit.10.c.5.*

446. *Avarus figuratur in Physon, qui sibi retinet totum, nec aliquid aliis communicat.*

Nomen uni Physon, &c. Nascitur aurum optimum, Cur fluvius iste, in terram auri fertilem impingit, eamque circuit nec in alias terras elabi dicitur? sed vide typum avaritiæ, hominisque cupidi auro: nam sicut rota in molendino semper vertitur, & semper in eodem loco invenitur, sic avarus: est enim miser, quia semper laborat, ut divitias acquirat: miserabilis, quia cum timore eas custodit: pauper, quia cum dolore perdit, & nudus remanet: cæcus, quia nihil aliud respicit. *Diat. sal. tit. 1. cap.6.*

Nota, quod sicut hic fluvius impingit tantùm in terram auri fæcundam, sic & avarus auri cupidus, immemorque fit Paradisi, è quo exiit: unde avarus in circuitu curru vehitur, cujus quatuor rotæ sunt inhumanitas, pusillanimitas, contemptus Dei, & oblivio mortis: equi sunt rapacitas, & tenacitas: Auriga est cupiditas habendi. *in Psal.19.*

447. *Differentia qualis inter bona vitæ præsentis, & bona cælestis Patriæ.*

Nomen uni Physon, &c. Physon interpretatur, oris mutatio, ut dictum est; sed cum hic fluvius è Paradiso egrediatur, quarè appellatur mutatio, cum in Paradiso nulla sit mutatio? optimè: quia in Paradiso est plenus omnibus delitiis: extra, Paradisus totus mutatus comparet; quia *temporalis vita æterna vitæ comparata* (ait S. Greg.) *potius mors, quàm vita est dicenda*: recedat ergo amor vitæ præsentis, & accedat ardor vitæ advenientis, ubi nulla adversitas turbat, ubi nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat, ubi vita sine morte, iuventus sine senectute, gaudium sine mæstitia, pax sine discordia, lux sine tenebris, & regnum expers commutationis.*op.solil.c.4.*

448. *Creaturæ comparatæ ad Deum sunt nihil, vel arena.*

Et nomen secundi fluvij Gehon, qui circuit omnem terram Æthiopiæ: Gehon interpretatur Arena: sed quid sibi vult ex Paradiso provenire arena? Respondeo, quod in secundo hoc fluvio significatur productio rerum facta à Deo, & licèt de Paradiso, scilicet à Deo exeant istæ creaturæ, tamen in comparatione suæ originis, consideratæ in se, & ut separatæ à Deo, sunt veluti arena, scilicet veluti nihil. *lib.1. d.8.p.1.dub.6.& 8.& l.1.in proæm.*

449. *Creaturarum multiplicitas exprimit multiformitatem sapientiæ Dei.*

Gehon. Hoc nomen interpretatur, Arena, significatque productionem rerum, quæ arenæ maris comparatur ob multitudinem specierum, & individuorum, per quam manifestatur multiformitas sapientiæ Dei, potentia, & bonitas. *l.1.in proæm.& l.2. d.1.p.2.a.1.qu.2.& Brevil.p.2.c.2.*

450 *Prudentia virtus qualis.*

Gehon, qui circuit terram Æthiopiæ. Mysticè significatur per hoc flumen virtus Prudentiæ, quæ adspicit ad præsentia, ad præterita, & futura, eaque ordinat ad ultimum finem; unde benè dicitur circuire totam terram Æthiopæ, scilicet vitæ nostræ. *serm.7.Hexaem. & op. Diat. sal.tit.5. cap.1. & op.de quat.virt.Cardin.sic & D. Ambros. lib. de Parad.c.3.*

451. *Incarnatio Filij Dei significata in fluvio Tygris.*

Nomen fluminis tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios

Assyrios. Tygris interpretatur sagitta, & per ipsum significatur Filij Dei Incarnatio : sicut enim in sagitta ferrum conjunctum est ligno, sic in Christo fortitudo Divinitatis conjuncta est mollitiei humanitatis : & sicut sagitta ex arcu, & ligno volat ad percutiendum adversarios, sic de Cruce saliens confregit adversarium : hæc est illa sagitta, de qua dicitur *4. Reg. cap. 13. sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. lib. 1. in Proœm.*

452. *Fortitudo qualis virtus.*

Nomen, &c. Tygris Notanter dicitur hic fluvius ire contra Assyrios : quare utitur tali modo loquendi, & non potius dicit, abluit terram Assyriorum? Mysticè hic tertius fluvius significat virtutem Cardinalem fortitudinis, estque contra Assyrios, scilicet contra Adversitates : Ita enim suscipit adversa, & labores, ut nec adversitatis incursu, nec prosperitatis blandimento elevatur, ex hac oritur magnanimitas, fiducia, securitas, patientia, perseverantia, longanimitas, humilitas, mansuetudo, &c. *op. Diat. sal. tit. 5. cap. 1. & op. de virt. Cardin. sic & D. Ambros. lib. de Parad. c. 3.*

453. *Iustitiæ virtutis qualitates expenduntur.*

Fluvius autem quartus Euphrates. Nota differentiam descriptionis fluminis Tygris, & Euphratis, de illo dicitur, quod vadit contra Assyrios : de isto non dicitur abire, vel currere contra aliquem : quarè hoc?

Respondetur, quod in Tygri significatur virtus fortitudinis, quæ contra ictum, & vim adversitatū, & prosperitatum pugnat: at Iustitia nulli adversatur, sed undique extenditur, & suum cuique tribuit, hæcque significatur in Euphrate, quod interpretatur frugifer : iustitia enim est inter omnes pretiosior ordinans hominem ad Deum, ad se ipsum, & ad proximum : est veluti gemma pretiosissima ornans coronam meritorum nostrorum : est veluti stella polaris, circa quam tota vita nostra tute ducitur : est veluti Dea in hoc microcosmo disponens nostra opera in numero, pondere, & mensura, scilicet, ut sit in operibus nostris numerus bonæ operationis, pondus bonæ affectionis, & mensura rectæ intentionis. *op. Diat. sal. tit. 5. cap. 1. & 8. & op. de quat. virt. Cardin. & serm. 7. Hexaem. Idem & S. Ambros. cit.*

454 *Sacramentorum institutionis finis, & fructus.*

Fluvius quartus Euphrates : Euphrates interpretatur frugifer ; ubi nota, quod non dicitur abire ad aliquam regionem peculiarem, nec contra aliquem, quia significabat Sacramentorum dispensationem, & institutionem, ordinatam ad abluendum omnes homines à culpa, & ad eos fæcundandum in gratia. *lib. 1. in Proœm.*

Tulit ergo Dominus Deum hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.

Præcepitque ei dicens, ex omni ligno Paradisi comede.

De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas : in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

455. *Adam creatus extra Paradisum, & in ipsum translatus, ut cognosceret maximum Dei beneficium.*

Tulit Dominus hominem, &c. Per id patet, Adam formatum esse extra Paradisum, & postea translatum in Paradisum, tamquam in altiorem statum, ut meliùs cognosceret Dei beneficium. *l. 2. d. 17. dub. 2.*

456. *Hominis exercitia in statu innocentiæ esse debebant pietatis, & cultus Dei.*

Vt operaretur, & custodiret illum? sed quid operandum ab Adamo erat? forsan positus fuit ad laborandum, & exercendum se in agricultura? minimè : Notandum est autem, quod quando infrà ad *cap. 3. dicitur Adam eiectus de Paradiso,* additur, *ut operaretur terram* : Hic autem solùm dicitur, *ut operaretur, & custodiret* : sciendum autem est; quòd multiplex est exercitium scilicet vel manuale, vel civile, vel spirituale, & secundùm diversitatem statuum homines ad ista tenentur : Adam verò tenebatur ad opera Dei, quæ exercitatio est spiritus ad pietatem. *op. de Paupert. Christi qu. 2. & serm. 19. Hexaem.*

Nota etiam, quod Deus vult, otiositatem caveri in quocunque statu : præcepit enim Adæ in statu innocentiæ, & post lapsum, ut operaretur. *op. Bibl. pauper. c. 115.*

457. *Religiosus status est Paradisus, in quo collocatur homo.*

Tulit eum Dominus, ut operaretur : Videtur, quod Religiosus jure naturali teneatur laborare, & tamen oppositum videtur? Respondetur, quod Religio repræsentatur in Paradiso terrestri, in quo collocatur homo, ut operetur, sicut tenebatur Adam, scilicet opera cultus, & pietatis Dei, & spiritualia exercitia, & præcipue in studio Sacræ Scripturæ. *op. de Paupert. Christi qu. 2. & serm. 19. Hexaem.* *Vide quod ab initio mundi datum est præceptū laborādi.*

Et sicut Adam tenebatur operari actum obedientiæ observando præceptum disciplinæ, & custodire bonum datum per observantiam præcepti naturæ, ut per primum merendo perveniret ad bonum gloriæ promissum, & per secundum custodiret bona sibi collata. *op. Brevil. p. 2. c. 11.* sic & Religiosus positus in hoc Paradiso debet id facere. *op. de Paupert. Christi, & serm. 19. Hexaem. cit.* Religiosus status enim est status cælestis: nobilitate ingenuus, elevatus, lætus, ornatus : unde Religiosi sunt veloti ascendentes per contemplationem Divinitatis Iesu Christi ; & descendentes ad imitationem humilitatis ipsius. *In Ioan. collat. 10. & serm. 16. Hexaem.*

458. *Religiosus transfertur de mundo in Paradisum Religionis.*

Tulit eum Dominus, &c. Ergo alienigena fuit Adam in Paradiso : Alienigena enim est, qui alibi est natus, & alibi vivit : sic & Religiosus natus in mundo transiens ad Religionem, transfertur ad vitam spiritus. *In Luc. cap. 17. vers. 18.*

459. *Ecclesia est Paradisus, in quo collocati sunt fideles. sic & op. spec. B. Virg. lect. 11.*

Tulit eum Dominus in Paradiso, ut operaretur, & custodiret, &c. Hæc sunt exercitia potiora Ecclesiæ. Vnde in principio nascentia Ecclesiæ posita ipsa

fuit

uit in statu Paradisi, in quo Christiani, & sequaces Christi habebant omnia communia, & toti erant in studio Sacræ Scripturæ, & exercitiis cultus Dei, & pietatis, quia amor Christi adhuc recens erat, & multa turba sacerdotum obediebat fidei: Hæc Ecclesia habuit lignum vitæ, scilicet fidem, iustus enim ex fide vivit: & lignum scientiæ, scilicet legem, quæ remansit ad videndum, & legendum, non ad vescendum, scilicet non ad practicandum, vel observandum præcepta ipsius legalia: Hæc Ecclesia cum dicta perfectione modò viget in Religiosis. *serm.16.& 19.Hexaem.*

460. *Beata Virginis mens fuit Paradisus in quem intrauit Deus.*

Tulit eum Dominus in Paradiso. Nota, quòd suprà nominaverat Paradisum nomine loci voluptatis; nunc verò dicit Paradisum voluptatis: nonne sufficiebat dicere in Paradiso eum Paradisus sit locus voluptatis? sed nota mysterium: Ad alium Paradisum multò hoc terrestri feliciorem, & deliciosiorem allusionem intendebat Spiritus Sanctus; & quis est iste felicior Paradisus? Paradisus felicior terrestri fuit primò mens Beatæ Virginis; Secundò ejus vterus: Primus enim locus in quo Maria Dominum suscepit spiritualiter, est mens ejus pacificata, & quietata, de qua Psalmista *Psalm.75.Factus est in pace locus eius & habitatio eius in Sion*, quòd interpretatur speculum, vel speculatio: O quis enarrare, vel etiam cogitare posset in qualibus quotidie speculationibus Sancta illa Sion, Sancta illa mens Mariæ fuerit, dum omnia illa mysteria præ omnibus mortalibus sibi nota ferventissima mente revoluebat *1 op. spec. Beata Virg. lect. 11.* verè Paradisus deliciosissimus fuit mens Beatæ Virginis in benedictionibus multiplicium deliciarum spiritualium. *op. spec B.Virg.lect.5.& 14.*

461. *Beata Virginis vterus fuit Paradisus, in quo positus est à Deo Filius Dei.*

Tulit Deus hominem, &c. Alius Paradisus terrestri felicior fuit Vterus B. Virginis, in quo Deus Pater posuit in Incarnatione Filium suum hominem, eundem Paradisum largiter irrigantem. *op. spec.B.Virg.lect.11.& 14. & op.laus B. Virg.sig.3.& op.de Eccles.Hierar.p.4.c.7.*

461. *Beata Virgo fuit Paradisus, in quo Filius Deus operatus est salutem, & quem ipse custodivit.*

Et posuit eum in Paradiso, ut custodiret illum: Aliqui Doctores referunt illa verba, *ut operaretur, & custodiret illum*, ad Deum; quia Deus sua gratia, & donis perfecit, & custodire eum intendens, donec ad cælestem patriam transmittendus esset.

Hoc optimè fecit Christus positus in vtero Mariæ matris: vnde canitur hic Rithmus.

Casta Virgo te fluuius
Voluptatis irrigauit
Paradisi, dum Filius
Dei corpus habitauit
Tuum terra tunc donauit
Nostra fructum vberius
Et naturam reformauit
Nostram Deus meliùs
In Paradiso posuit
Deus hominem Filium
Suum, custodem posuit
Suum corpus egregium
Per Gabrielem nuncium
Dum visitare voluit
Redemptorem eximium,
Nobis eum exhibuit.

op. laus B.Virg.sig.3.

463. *Sacra Scriptura est Paradisus.*

Tulit, &c. in Paradiso, ut operaretur. Mysticè hic Paradisus est Sacra Scriptura, ad quam Deus invitat hominem, ut ibi operetur, & custodiat illum, nempe exercitando intellectum, & exercendo spiritum ad pietatem. *serm.19. Hex.& in Luc.c.27. vers. 43.* Sacra Scriptura ergo est Paradisus odoriferus, dulcissimus, & speciosissimus, qui intellectualium volucrum cantibus amænissimus circumsonat aures nostras, qui tangit corda nostra, & mentem nostram contristatam consolatur. *op. Princip. Sac. Scriptura.*

464. *Paradisus est Ecclesia: Prædicator est positus in eo, ut per prædicationem operetur, & custodiat fidem.*

Tulit eum Dominus, &c. Per hunc Paradisum intelligitur Ecclesia militans, quæ est hortus voluptatis, in quo crescunt semina virtutum: in quo primò seminandum est semen fidei, sed hoc fit per ministerium hominum, ideò dicitur in figura, Tulit Dominus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum: talis fuit Paulus qui de seipso dicit *Ego plantavi, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit:* hominis enim est prædicare documenta fidei, sed summus Prædicator est Christus, qui seminauit bonum semen, scilicet Doctrinam Evangelij in hoc horto. *In Luc.c.13.vers.19.*

465. *Idem confirmatur.*

Tulit eum Dominus, &c. Nota, quod operarij Paradisi à Deo, non ab hominibus sunt in isto Paradiso collocandi: Tales sunt boni Prædicatores, qui in hoc Paradiso mittuntur, ut operentur in illo, & ipsum custodiant, scilicet non solum ore, sed & manu boni exempli: qui faciunt quod ore dicunt, non tales autem sunt maliciosi: qui seminant zizania falsæ doctrinæ, qui dicunt, & non faciunt. *In Luc.cap.10.vers.2.& cap.13.vers.19.*

466. *Otiositatis mali effectus.*

Tulit eum Dominus, ut operaretur, &c. Sed ad quid talis operatio cum ad victum comparandum non esset necessaria? Respondetur; ut operaretur opera ad cultum pietatis spectantia, ne desidia, & otio gratiam amitteret, quam tanta liberalitate susceperat: ut per operationes bonas perveniret ad gloriam promissam, & custodiret bona sibi collata. *Brevil.p.2.c.11.*

Hinc ad otium vitandum, quod est omnium malorum origo, præceptum datur laborandi, scilicet vel opera manualia, vel civilia, vel spiritualia, secundùm proportionem statuum. *op.de Paupert. Christi qu.2.*

Hæc

Hæc autem ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, & figura facta ſunt noſtri: Diſce igitur, ô homo, vitare otium, quia multam malitiam docuit otioſitas: occupatus autem à Dæmone uno impugnatur, otioſus ab innumeris dæmonibus; & non ſolùm otium eſt vitandum, ſed & otioſa, quæ nullam vtilitatem, vel vtilitatis intentionem habeot. *op. de Prof. religioſ. l.1.cap.39.*

467. *Omnis homo poſitus eſt in mundum ut operetur.*

Tulit eum Dominus, ut operaretur, & custodiret illum, &c. Ad quid iſta operatio, & cuſtodia exigebatur à Deo in primo homine tot virtutibus, & gratiis imbuto? ſed adverte quod, ut dictum eſt, intentio Dei fuit, ut euitaret otium omnis mali radicem, ſicque operando opera Dei ad ſuum finem perveniret: Idem & vult à quolibet homine: natura enim rationalis ad hoc facta eſt, ut operationes proprias operetur, & per hoc mediante gratia finē ſuum ultimū conſequatur. Propter hunc enim finem conditus eſt homo, ut opus, propter quod factus eſt, operetur; & non ſolùm ne à vita aeterna, ſitoque fine excludatur, ſed etiam ne quaſi ſua naturali perfectione privetur. Vnde non ſolùm exercere debet dilectionem in Deum, ſed & in proximum: qui enim non laborat, non manducet, ait Apoſtolus *ſecunda Ad Theſſalon. cap. 3.* ſic primus Angelus, & primus homo non operantes ſecundùm ſacras ordinationes gratiæ propriæ, (otiando à bono opere) deciderunt in corruptionem propriæ perfectionis, in qua creati fuere. *op. de ſeptem Itiner. aetern. itin.7.diſt.2.*

468. *Quomodò anima introduci habeat in Paradiſum voluptatis.*

Tulit, &c. ut operaretur, &c. Ad quid additum eſt, in Paradiſo voluptatis, ut operaretur? nonne ſufficiebat dicere, in Paradiſo, notum enim eſt illum locum eſſe refertum omnibus deliciis? ſed nota myſterium: Poſuit Deus hominem in Paradiſo nō ſolùm localiter, ſed & moraliter, & ſpiritualiter, ſcilicet corpore perfectiſſimo conſtantem, & anima prædita & refecta juſtitia originali, donisque ſpiritualibus, ſicque voluit Deus, ut amænitas Paradiſi exterioris correſponderet deliciis interioribus, quales habet anima, quæ eſt templum Dei, & habebat anima primi hominis. *l.2.d. 17. dub.2.* Et quia noluit operari, & cuſtodire dona data, hinc cecidit à tanta altitudine.

Quod autem amiſſum fuit ab Adam, poteſt à nobis recuperari, operando, & cuſtodiendo, ſcilicet dirigendo totum hominem in Deum cum tota familia potentiarum, ſicque mens noſtra erit Regnum, & Paradiſus Domini, in qua anima deliciabitur. *op. de ſeptem Itiner. ater. itin.7.d.3.*

469. *Gloria non datur ſine operibus bonis.*

Tulit Deus &c. Vide, locum voluptatis datum eſſe à Deo primo homini, non abſolutè, ſed conditionatè, ſcilicet, ut operaretur: Per hoc edocemur, quòd gloria cæleſtis dabitur unicuique ſecundùm opera ſua, dabitur, inquam, merces delicioſa, copioſa, & ſpecioſa iis, qui operati fuerint terram animæ evellendo ſpinas peccatorum per pœnitentiam. *ſerm. 1. Dom. Septuag. op. Brevil. p.2.c.7.*

470. *Paradiſum nobis conſervat gratitudo, tollit ingratitudo.*

Poſuit eum in Paradiſo, ut operaretur, &c. Quarè homo creatus eſt extra Paradiſum, & poſtea poſitus in Paradiſo, ut operaretur? ſed id congruè factum eſt à Deo, ut meliùs homo cognoſcat Dei beneficium. *l. 2. d. 17. dub. 2.* exigebat igitur Deus ab homine, non laborioſum corporis opus, ſed animi gratitudinem, ut ſibi in perpetuum conſervaret Paradiſum.

Multum igitur gloriari poteras, ô Adam, & multùm cuſtodire debueras dona tibi à Deo data, ne ipſa perderes, ne tale ornamentum fœdares, ne tantum decorem corrumperes, & eo amiſſo, vel imminuto ampliùs miſer fieres, quàm, eo non accepto, vel non perfecto miſer fuiſſes: iſtud cuſtodiendum & illud cavendum fuerat, ut iſtud cuſtoditum perſisteret, & illud cautum non eveniret: ſed vide, quid feciſti: Dereliquiſti Deum amatorem tuum, oblitus es Dei creatoris tui, & pro tantis beneficiis condignas gratias non egiſti: oh ingratitudo quàm noxia, & abominabilis! *op. Amatorium.*

Nota, quòd hæc eadem poſſunt dici in confuſionem Religioſi perverſè ambulantis.

471. *Gratitudo beneficij ab homine exigita in quibus conſiſtat.*

Conſiſtit autem gratitudo in cognoſcendo ſe ipſum, ſicut miſerum, & incapacem: ſecundò in cognoſcendo Deum, & hoc gratias ei agendo: Tertiò in cognoſcendo donum, refundendo pulchritudinem doni in Auctorem doni: Quartò in cognoſcendo doni principium, quod ſit non impugnando dantem donum: Quintò in cognoſcendo doni finem vltimum, ſcilicet ad quem finem datur donum. *ſerm. 3. Hexaem.* Adam in his omnibus defecit, ideò cecidit.

472. *Maximum hominis bonum eſt Deo obedire, & ad hoc homo ex natura ſua tenetur: ſic operando cuſtodit bona à Deo ſibi collata.*

Tulit ergo hominem Dominus Deus. Nota ſeriem Scripturæ: à principio uſque ad creationem hominis non nominatur Deus Dominus, ſed tantum Deus, ſed ad creationem, & poſitionem hominis in Paradiſo Dominus nominatur; quarè hoc? Deus importat bonitatem (quam in creatione rerum patefecit) Dominus poteſtatem, & dominium in ſervos: ſic creato homine appellatur Dominus, quia ipſi ut Domino eſt humiliter obediendum, quia talis Dominus eſt omne bonum, & in quo omnia, ſcilicet Paradiſus, & locus totius voluptatis; hinc ei inſeparabiliter adhærendum; & quia verba vitæ habet, ideò audiendus eſt devotè, & diligenter. *In Pſalm. 28. & 82. & in Ioan. collat. 35.*

473. *Ager cordis eſt excolendus, ut ſit locus voluptatis.*

Tulit ut operaretur, &c. Nota, quod etiam in ſtatu innocentiæ poterat homo agriculturam exercere ad moderatum exercitium, ut volunt plures D.D. ſed ad quid impoſita fuit hæc exercitatio, quæ videbatur fruſtratoria? Ut addiſceret, qualiter ager cordis ſit excolendus ad ſuſceptionem ſeminis Divini: Unde dicitur Proverb. *cap. 24. Per agrum hominis*

minis pigri transivi, & per vineam stulti, & ecce totam repleverant urtica: per agrum corpus, per vineam anima designatur, quæ nisi excolatur per sanctam disciplinam, & bonum exercitium, impletur spinis vitiorum, & urticis prurientium desideriorum; Diligenter igitur, ô homo, exerce agrum tuum, ne sterilescat spinis vitiorum. *serm. Domin. 5. post oct. Epiphan.*

474. *Proprium viri operari, mulieris custodire domum.*

Vt operaretur, & custodiret illum. Quid est operari, & custodire? qnodnam munus erat hoc? sed attende, quod primus homo positus est in Paradiso, & data est ei uxor in adjutorium, ut ambo operarentur, & custodirent, scilicet, ut munera propria exercerent: Proprium enim viri est operari, & vxoris, non machinari mortem, sed interiora domus disponere, & custodire. *Pf. 127. & Psalm. 118. vers. 146. & in Ioan. c. 15. vers. 20.*

474. *Omnia fecit ad hominis obsequium, ut operaretur opera Dei.*

Vt operaretur, & custodiret illum, &c. Jam dictum est, Adam positum fuisse in Paradiso, ut operaretur opera Dei: sed quæ opera? & quarè ipsum ad hæc opera posuit in Paradiso? Nota mirabile artificium Dei: qui hominem principem mundi fecit, ei tot beneficia contulit, ut operaretur: Cœlum enim fecit ad dandum ei lucem in die, ut operaretur ibi: tenebras in nocte, ut quiesceret, & ei utilis esset vicissitudo temporum: Aërem, ut præberet ei utilem calorem, & omne avium genus ad suum servitium ministraret: Aquam fecit, ut potum sibi tribueret, & sordes sibi purgaret, & arentia irrigaret, & diversitatem piscium ad suum esum nutriret: Terram fecit, ut eum portaret, pane confortaret, & vino lætificaret: Totus mundus servit homini, ut ipse serviat ei, qui fecit mundum, & hominem. *serm. 1. Dom. 8. post Pentecost.* oh quantum debet homo Deo!

475. *Quarè Adæ impositum fuit duplex præceptum.*

Præcepitque ei dicens; De omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ, ne comedas, &c. Notandum, quod sicut homini in Paradiso collocato datus est duplex sensus, scilicet interior mentis, & exterior carnis; & duplex motus, scilicet imperativus in voluntate, & executivus in corpore: duplex etiam bonum: unum visibile, aliud invisibile; sic & duplex præceptum ei est datum, scilicet naturæ, & disciplinæ: primum naturæ fuit, & ad conservationem speciei per illa verba, *Crescite, &c.* De quibus infrà, & ad conservationem individui, ut hic, *De omni ligno comede, &c.* Aliud disciplinæ per hæc verba, *De ligno autem scientiæ &c.* Dicitur autem hoc præceptum negativum disciplinæ, quia hoc præceptum ex se solo obligat, & non ex alia causa; sic enim per ipsum discitur, quanta sit virtus obedientiæ; unde datum est solùm ad probationem ejusdem obedientiæ: Primum fuit ordinatum ad conservandum bona data: Secundum ad promerendum bonum promissum. *op. Comp. Theol. l. 2. cap. 63. & op. Brevil. p. 2. cap. 11. & Centiloq. p. 3. sect. 26. & 340. l. 2. d. 17. dub. 5. & Psalm. 116. & op. Bibl. paup. cap. 23.*

476. *Deus in suis præceptis ordinat hominem ad Deum, ad seipsum, & proximum.*

Præcepitque ei, &c. Vide qualem ordinem Deus servet in suis decretis; nam per præceptum disciplinæ homo ordinabatur ad Deum colendum: per præceptum de comestione ordinabatur ad ipsum hominem, & præceptum de multiplicatione erat in ordine ad proximum. *l. 2. d. 20. dub. 7.*

477. *Quanti Deus æstimet virtutem obedientiæ, nempè super cæteras omnes.*

Præcepitque ei, &c. Cur voluit Deus, quod Adam inchoaret cursum suæ vitæ ab observantia horum præceptorum? Respondetur, quod jure merito sic Deus ordinavit, ut ostenderet suæ jurisdictionis imperium, & ut homo inchoaret viam ex obedientiæ executione, & merito, & erudiretur, cui deberet esse subjectus. *l. 2. d. 17. dub. 5. & Breviloq. p. 2. cap. 11. & op. Bibl. paup. cap. 25.* Vide igitur quale, & quantum bonum sit obedientia, quæ est melior quam victimæ, & holocausta, & qua nihil Deo gratius exhibetur, & sine qua nemo ad perfectionis semitam currendam fit expeditus. *op. spec. discip. p. 1. cap. 4.* Obedientia mater est, & custos omnium virtutum. *Pharetr. l. 2. cap. 43.* Et quia homo inobediens Deo, ipsique subjectus noluit esse; hinc Deus voluit, ut per lapsum se subjiceret homini per obedientiam, ut per humilitatis meritum gratiam Dei recuperaret, quam amisit. *op. de Profec. Religios. l. 2. c. 39.*

478. *Ex præscientia Deus nullum condemnat.*

Præcepitque ei, &c. Nonne sciebat Deus, primum hominem transgressurum suum præceptum? ad quid ergo posuit ipsum in Paradiso mox ejiciendum? Sed vide ordinem mirabilem divinæ Sapientiæ: Nam Deus in conferendo gratiam non attendit futura peccata, sed idoneitatem, præsentem ad gratiam, sicut patet, cùm confert gratiam præscitis, & eis, quos ab æterno reprobavit, & in utroque eorum commendatur Dei largitas, & sapientia, & arguitur hominis ingratitudo, & injustitia in hoc, quod à tam benefico, & tam benigno se avertit sine causa. *l. 2. d. 39. a. 2. quæst. 1. ad primum.*

Nota hic punctum dignum observationis pro prædestinatione, & reprobatione, hæc enim est ex incuria hominis.

479. *Dei providentia quanta erga hominem in his duobus præceptis Adæ factis.*

Præcepitque ei, &c. de omni ligno, &c. Cur Deus præcepit, ut Adam de omni ligno comederet? videtur hic nimius rigor obligatio comedendi de omni ligno? Respondetur, hoc non fuisse præceprum speciale comedendi, sed fuisse à Deo permissum voluntati ejus, ut ex qualibet aliarum arborum, præter lignum scientiæ boni, & mali, comederet: Unde hoc præceptum naturæ non fuit expressum per verbum, sed tantùm intus inspiratum per naturam; cum id nullo jubente sponte naturæ suæ facturus esset, ratioque

doceret,quod niſi & mederetur,haud dubium moriturus, ob idque graviſſimè peccaturus: Unde hoc præceptum intus per ſenſum, aliud diſciplinæ appoſitum eſt per doctrinam: hinc donum Dei à Deo datum, vel promiſſum non fuiſſet, niſi ad datum apponeretur cuſtodia, ne amitteretur, & ad promiſſum aperiretur via,& inveniretur. *P.ſ.t* 6. *l.2.d.*19.*a.*1.*q.*1.*ad* 4. Vide etiam Dei liberalitatem, qui ab una arbore abſtinere hominem voluit omnium aliarum poteſtatem faciens. *Vid.S.Ioan.Chryſoſt. hom.*14.*in Geneſ.*

480. *In hac vita fruitur Iuſtus Deo, quod Ex parte eſt: in gloria totum, & omne bonum deſiderabile.*

Ex omni ligno Paradiſi comede. Cur non ait, omne lignum Paradiſi comede, ſed de omni comede? ſed nota, quod Adam tunc poſitus erat in via, in quo ſtatu ſolùm poterat cognoſcere, & frui Deum ex parte, quod evacuandum erat poſtea in gloria; Unde dicitur, ex omni ligno, non omne lignum, quia ſolùm reſervabatur in Patria hæc totalitas. Cùm enim venerit (ait Apoſtolus 1.*Cor.*13.) *quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt:* In gloria enim anima habebit omne bonum, & quidquid voluerit, & quod nollet eſſe, non erit: ibi erit pulchritudo,velocitas, fortitudo, libertas, ſatietas longa, & ſalubris,& æterna vita, melodia, munda voluptas, ſapientia,amicitia, concordia, & gaudium plenum. *op.Brevil.p.*7.*cap.*7.

O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto regnant omnes ſancti, ibi non erit alicujus boni carentia: ibi aperientur omnes theſauri æterni Dei, ubi ſunt omnes divitiæ, & deliciæ abſconditæ. *op.ſoliloq.cap.*4.

481. *Obedientia etiam in minimis utiliſſima.*

Ex omni ligno Paradiſi, &c. De ligno autem ſcientiæ ne comedas. Cum homo obſtrictus fuerit duplici præcepto, ſcilicet affirmativo, & negativo: Cur prohibuit eſum unius tantùm ligni? nam per talem obſervantiam ad maxima præmia ordinabatur. Cur tam facile præceptum, & non gravius inditum ei fuit? Jam dictum eſt, id Deum præcepiſſe, ut ex obedientiæ merito homo inchoaret curſum ſuæ vitæ: addidit autem facillimum præceptum, ut nobis inſinuaret, quale meritum ſit obedientia etiam in minimis.

Diſce igitur homo ſemper ſervare illæſam reverentiam devotæ obedientiæ, non ſolùm in magnis, ſed etiam in minimis, non ſolùm majoribus Prælatis, ſed etiam minoribus, imò & omnibus, & in operibus etiam indifferentibus. *op.*25.*memorialia.*

482. *Ieiunium quàm Deo gratum.*

Ab abſtinentia voluit Deus inchoare ſtatum hominis.

De ligno autem ſcientiæ, &c. Cur voluit Deus ſubtrahere eſum ligni ſcientiæ, cum eſſent omnia ordinata ad ſuſtentationem corporis? ſed attende, quod Deus voluit, ut homo inchoaret vitam à jejunio, & merito; nam jejunium eſt opus Deo placitum,quia corporis,& animæ eſt medium reordinativum, ut ſcilicet corpus ſpiritui non repugnet contumaciter,& eidem totaliter ſubjiciatur,ut non crucietur æternaliter, & ut æternaliter glorificetur: Unde licèt cætera ligna ad beneficium corporis fuerint ordinata, abſtinentia tamen à ligno ſcientiæ fuit ordinata ad bonum animæ *l.*4.*d.*15. *p.*2. *art.*2. *queſt.*2. *op. Bibl. paup. cap.*82.

483. *Circumſpectio, & cautela quàm neceſſaria ſervienti Deo.*

De omni ligno, &c. de ligno autem ſcientiæ, &c. Nota, quod Deus tunc poſuit Adam veluti in ſpecula, ei oſtendendo omnia ligna in Paradiſo plantata, per quæ poſſet elevari ad contemplationem æternitatis luminum; & ne haberet ullam excuſationem, appoſuit præceptum de non comedendo ſub pœna mortis, proponendo ei imminens periculum, ut in operibus ſuis circumſpectionem adhiberet neceſſariam ſervienti Deo. *In Thren.cap.*2.

484. *Prælati qua moderatione ſubditis imperare debeant.*

De omni ligno comede, &c. De ligno autem ſcientiæ, &c. Nota quod unum lignum ſolum prohibuit, cætera omnia conceſſit: idque fecit ad erudiendum Prælatos, & imperantes, quali modeſtia, & cautela debeant ſubditos tractare. *op. Diet.ſal.tit.*4.*cap.*2. qui enim ab uno bono ſubjectos vetat, neceſſe eſt ut multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, ſi ab omnibus bonis omninò repulſus jejunat. *Pharet. l.* 2. *cap.*43.

485. *Lex Moſaica poteſt videri, non guſtari: lex Evangelica debet ab anima deguſtari.*

De omni ligno comede, &c. De ligno ſcientiæ ne comedas, &c. In Eccleſia Dei lignum vitæ eſt fides catholica, quam Chriſtus docuit in Evangelio: lex autem Moſaica eſt lignum ſcientiæ: hanc Chriſtus voluit ut aſpiceremus, ſed non guſtaremus, ſcilicet obſervando eam, littera enim occidit. *ſerm.*16.*Hexaem.*

486. *Effectus verus, & realis lignorum Paradiſi qualis.*

De omni ligno, &c. Certum eſt, quod in numero eorum lignorum adnumeratur lignum vitæ: Quæritur, quodnam diſcrimen eſſet inter hoc, & cætera ligna? Reſpondetur lignum vitæ eſſe ad inſtaurandum humidum radicale, cætera ad inſtaurandum humidum nutrimentale: voluit autem Dominus hoc diſcrimen ponere inter hæc ligna, quia lignum vitæ fuit poſitum in Sacramentum: ſignificabat enim interiorem refectionem animæ, quam habuiſſet, ſi ſtetiſſet; Item & Chriſtum Incarnandum. *l.*4. *d.*26. *a.*1. *q.*1. *ad arg.* & *l.*2. *d.*17. *dub.*4.

487. *Ordo Divinæ ſapientiæ manifeſtatur in mandatis ſuis; & ſimul eruditio hominis circa meritum obedientiæ & demeritum inobedientiæ.*

De omni ligno, &c. Si ſciebat Deus, hominem hanc prohibitionem non ſervaturum, ad quid id præcepit? & eo maximè quia omnia condita fuerunt ad utilitatem hominis? Reſpondetur,quòd licèt Deus ſciret caſum hominis futurum,tamen conveniens fuit prohibitus uſus ligni ſcientiæ: Primò, ut erudiretur, quale diſcrimen ſit inter obedientem, & inobedientem Deo: Secundò quia cum

cum totum esset ordinatum ad hominis utilitatem, & meriti augmentum, tamen ob eventum contrarium futurum non debuit Deus dimittere tale mandatum, quia ordo, & decor, qui attenditur in operibus secundùm Regulam divinæ sapientiæ, non debet intermitti propter incommodum specialis creaturæ: Tertiò quia prohibere hunc esum bonum fuit, quia ordinatum fuit ad hominis utilitatem spiritualem. *l.2.d.17.dub.5.*

488. *Deus de malis elicit bona: nec tenetur impedire mala in agente libero.*

De ligno &c. si ex tali prohibitione secuturum erat tantum malum, quale fuit in casu hominis, ergo videtur, quòd inconvenienter facta fuerit hæc prohibitio? Tum quia qui causam mali dat, damnum dedisse videtur? Tum quia imputari potest peccatum ei, qui potest illud impedire, & non impedit?

Sed optimè, & optimo suæ sapientiæ ordine Deus dedit hoc præceptum, etiamsi sciret fore occasionem peccati Adæ: Primò, quia licet decens sit, quod homo proximum suum adiuvet, vel impediat, ne opus malum faciat, maximè quando ex officio tenetur, Deus verò ad id non tenetur, cum offerat suum adiutorium ad bonū, non ad malum, decet enim solem suum oriri super bonos, & malos, æsque ita administrare, ut eas suos proprios motus agere sinat, & maximè in agente libero: secundò, quia ipse scit, & novit inde bonum elicere: sciebat enim ex hoc casu elicitorum esse multò maius bonum, nempè Verbi Incarnationem. *l. 2. d.17.dub.5.& l.2.d.23.a.1.qu.1.corp.& d.29.a.2.qu.1.& d. 37. a.2.qu.1.ad tertium, & l.1.d.40.a.4.qu.2. ad arg. & op. Bibl.pauperum cap.2.*

489. *Mors non est à Deo.*

De ligno &c.in quocunque die ex eo comederis,morte morieris: ideft necessitatem moriendi, nou verò actualem iucurres. *Psalm.17.& in Ioann.c.3. v.18.* Ex hoc patet, quanta fuerit liberalitas Divina in primum hominem,quem perfectissimum ità constituerat, ut stante in innocentia contraria corpus componentia ità erant ad temperiem, & concordiam redacta, ut mutuò non possent pugnare:ergo licet mortalitas inesset homini quoad aptitudinem, non tamen quoad actum, nec ignis cum urere potest,nec aqua mergere,nec aliud noxium ei nocere. *l.2.d.19.a.1.per totum, & art.3.*

490. *Peccatum origo omnium malorum.*

In quacunque die comederis,morte morieris. Vide, quale malum est peccatum, quia in pœnam eius introducta est mors in mundum. *l.2.d.19.a.2.qu.1.* In hoc enim facti sumus similes bestijs, licet postea dissimiles in Resurrectione futura. *l. 4.d.43.a.1.qu.3.corp.*

491. *Duplicem mortem incurrit Adam corporis, & animæ.*

In quocunque die &c. morte morieris Quid est morte morieris? Ad quid hæc reduplicatio mortis? Quia per transgressionem mortalem divini mandati duplicem mortem incurrit: prima est mors corporis quoad necessitatem aliquando actualiter moriendi: secunda est mors animæ, quæ semper per peccatum mortale contrahitur actu, quia facit perdere vitam gratiæ, & Deum, & obligat ad pœnam æternam. *op. de tribus ternar. peccat. cap. 4.*

De prima sine secunda potest dici illud. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, quia scilicet morti subiecti vixerunt benè in Domino: De prima cum secunda dicitur,quod tales mortui in diabolo vivunt, & tandem cum ipso moriuntur. *serm. 1. & 2. Dom. 15. post. Pentecost. & comp. Theolog. l. 3. cap. 7.*

492. *Inobedientia origo omnium malorum.*

Morte moriemini. Iam dictum est, quod hic duplex mors assignatur, scilicet corporis, & animæ, & hæc fuit assignata homini à Deo in pœnam inobedientiæ. Oh quàm detestabile est vitium inobedientiæ, ex qua omnia mala nata sunt. *serm. 1.de sanctis Philip. & Iacobo. & serm.3. Dom. 3. post octav. Epiph.& l.2.d.30.a.1.qu.in princip.corp.*

493. *Idem confirmatur.*

Morte morieris. Cur hoc lignum vetuit sub pœna mortis? Nonne & ipsum bonum erat? vidit enim Deus cuncta valdè bona? Quomodò ex ligno bono degustato potuit oriri tantum malum mortis? Respondetur, comestionem talis ligni non fuisse de se malam, sed factam esse ex præcepto superaddito, scilicet malam, quia prohibitam: mors autem orta non est ex ligno, sed ex inobedientia, ipsamque mortem minatus est Deus, & homo incurrit, ut erudiretur, quale discrimen est inter eum, qui Deo obedit, & eum, qui contemnit mandata eius. *l.2.d.17.dub.5.*

494. *Obedientia mater, & custos virtutum: per ipsam Deo copulamur, & fit homo Dei amicus.*

De omni ligno, &c. De ligno autem scientiæ, &c. Cum in Paradisum introductus est homo, ut Deum coleret meditando, & amando; Cur ei non præcepit aliarum virtutum exercitium, sed solùm observantiam huius præcepti? meritò id fecit Deus: obedientia enim sola virtus est quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit, mater est quodammodò omnium, custosque virtutum: Pax hominis, & Dei est ordinata in fide sub æterna lege obedientia. *op. Pharetr. l. 2.cap.43.* Disce igitur homo, Deo, & maioribus esse subiectus, ut non quod ipse vis, eligas, sed quod scis Deo esse placiturum. *ibidem.*

495. *Per scalam obedientiæ volebat Deus transferre Adam in Cælum; sed per inobedientiam descenditur ad infernum.*

De omni ligno, &c. Certum est, Adam positum esse in Paradiso terrestri, non ut ibi æternaliter permaneret, sed ut tandem ad gloriam absque subiectione aliquando perveniret. *l. 2. d. 20.dub.4.* Sed cur Deus voluit observantiam horum præceptorum ante hanc translationem? sed vide, qualis virtus, & quàm Deo accepta est virtus obedientiæ: hæc enim est scala per quam ascenditur ad Paradisum, simulque clavis ipsum aperiens: sicut è contra inobedientia est scala, per quam descenditur ad infernum, & clavis, quæ claudit Paradisum, & aperit infernum: scalæ obedientiæ gradus sunt septem: Primus

eſt obedire libenter ſine recalcitratione: ſecundus ſimpliciter ſinu ſimulatione: tertius hilariter ſioe murmuratione: quartus velociter ſine procraſtinatiooe: quintus viriliter ſine æſtimatione: ſextus humiliter ſine elatiooe: ſeptimus perſeveranter: Et quia Adam defecit in hoc exercitio, ideò ejectus eſt de Paradiſo. *op. Diat. ſal. tit. 4. cap. 2.*

496. *Obedientia debet eſſe pura.*

De omni ligno, &c. De ligno autem ſcientia nè comedas. Certum eſt quod comeſtio hujus ligni erat de ſe indifferens: Cur ergo Deus prohibuit Adæ hanc comeſtionem, & non potiùs præcepit, ſic enim & hæc fuiſſet meritoria? Reſpondetur ad oſtendendum, qualem obedientiam exigat à nobis, nempè puram abſque alia intentione, præter Deo obtemperare: ſi enim præcepiſſet comeſtionem, quia hæc etiam reſultaſſet ad utilitatem corporalem obedientis, potuiſſet eſſe immixta cum imperfectione: ideò hoc præceptum dicitur diſciplinæ, quia per ipſum diſcitur, quanta, & qualis ſit pura obedientia. *op. Brevil. p. 2. cap. 11. & op. comp. Theol. l. 2. cap. 63. & l. 2. d. 17. dub. 5.*

497. *Memoria mortis efficax ad vitanda peccata.*

In quacumque, &c. morte morieris. Cur non aliam pœnam imponit? Reſpondetur, quod ob id mortem minatus eſt Deus, quia hæc eſt ultimum terribilium, & privatio vitæ, quæ eſt donum ſuper omnia nobiliſſimum: & quia memoria mortis eſt efficax remedium ad vitanda peccata, ad mundum contemnendum, ad ſe ipſum deſpiciendum ad vitam præſentem rectè agendam, ad deſiderandam æternam vitam: hinc talem memoriam voluit Deus imprimere in mente hominis, ſicut & poſt peccatum, quando ei dixit, *Pulvis es, &c. op. Diat. ſal. tit. 7. cap. 1.*

498. *Hæc ſententia fuit interlocutoria, ut expectaret Adam ad pœnitentiam.*

In quacunque, &c. morte morieris. Cur non ſtatim Adam mortuus, ac peccavit? ſi Deus illi comminatus eſt mortem? nunquid ſententia Dei poteſt eſſe fruſtratoria? ſed reſpondetur, hanc ſententiam non fuiſſe definitivam, ſed propter inobedientiam, interlocutoriam, quæ poterat per pœnitentiam ſaltem moderari, vel differri. *l. 4. d. 43. a. 1. qu. 1. ad quint.*

Vide ex hoc, quantam miſericordiam Deus cum homine exercuit & non cum Diabolo. Pœnitentiam enim Deus ſummè deſiderat: ideò dedit homini naturale judicatorium, cui commiſit Regnum animæ judicandum, & libero arbitrio, ut rationi conformatus vindicaret tranſgreſſionem in ſeipſo. Peccator igitur eſt reus, & judex ſimul, & ideò ſeipſum, tamquam furem, ſuſpendit in cruce pœnitentiæ. *l. 4. d. 14. p. 2. dub. 6. & ſerm. 1. Dom. 12. poſt Pentecoſt.*

Nota plures doctores docere, quòd ſi Adam pœnitentiam egiſſet, non ejectus fuiſſet è Paradiſo. Pœnitentia recuperat quod Adam perdidit.

Hinc & aliàs illum locum, quem Adam, ob tranſgreſſionem, & defectum pœnitentiæ, amiſit, per ignem, & aquam, ſcilicet pœnitentiæ recuperavit. *ſerm. 2. Dom. 4. Advent.*

499. *Scientia, quando eſt in damnum animæ, fugienda.*

De ligno ſcientia boni, & mali ne comedas. Cur Deus vetuit uſum hujus ligni? nonnè ſcire bonum, & malum eſt bonum concupiſcendum?

Reſpondetur, eſſe de ſe bonum, ſed malè utenti malum; quia enim Adam voluit nimia delectatione per appetitum immoderatum ſcrutari præcepta Dei, hinc amiſit felicitatem. *ſerm. 1. Hexaem.*

Oh quantos mundi ſapientia maledicta ſupplantat, & conceptum in eis ſpiritum extinguit, quem voluerat Deus vehementer accendi. *op. Pharetr. lib. 3. cap. 32.*

500. *Vir debet eſſe magiſter, & corrector mulieris.*

De ligno, &c. Cur hoc præceptum datum eſt directè viro, & non etiam ſimul uxori cum æquè obligaret utrumque? id factum eſt, quia vir debet eſſe magiſter, doctorque mulieris; unde præceptum Deo fuit Adæ, & per Adam Evæ. *op. Bibl. paup. cap. 89.*

501. *Vita hominis eſt continua mors.*

In quacunque die, &c. morte morieris. Quomodò verificata fuit hæc ſententia Dei, cum ſupervixerit ferè ad mille annos? ſed conſidera ſtatum hominis poſt peccatum, quia continuè moritur, ejuſque vita eſt continua mors, & deperditio vitæ. Unde ait Apoſtolus *ad Rom. cap. 8. Corpus noſtrum eſſe mortuum, ſpiritum vivum.* Mortuum dicitur corpus noſtrum etiam dum vivimus in hac vita, quatenus mortuum ſumitur, non ut participium; ſic enim ſignificaretur, mortem infuiſſe: ſed ſumitur, ut nomen, ſcilicet ſignificans, mortem de præſenti ineſſe, quatenus continuè tendit ad non eſſe, ſic verificatur, quòd quotidie morimur. *l. 2. d. 19. dub. 3. & op. Bibl. paup. cap. 13 & op. ſolil. cap. 3.*

Dixitque Deus: non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.

Pro explicatione litteræ nota primò: hominem, quia eſt animal ſociabile, & quia debebat eſſe ſeminarium generis humani, indiguiſſe muliere ad ſui ſublevamentum, & ad prolem generandam, quæ eſſet ejuſdem naturæ, ſtaturæ, loquelæ, & præcipuè data ad numerum electorum implendum. *l. 2. d. 20. a. 1. qu. 1. & in Eccleſ. cap. 4.*

Ex quo patet, fœminam, non per ſe, ac principaliter, nec primaria Dei intentione eſſe generatam, ſed propter virum, ad finem jam dictum; unde dicitur mas occaſionatus. *l. 2. d. 44. a. 2. qu. 2. ad 1. & l. 2. d. 20. a. 1. qu. 6. ad 1. & l. 3. d. 12. a. 3. qu. 1. in fund. & l. 4. d. 44. p. 1. dub. 2.*

Hinc mulieres incapaces ſunt ordinibus Sacramentalibus, nec poſſunt propriè repræſentare Chriſtum mediatorem, ſed tantùm viri. *l. 4. d. 25. a. 2. qu. 1.* Secundò nota, Adam habuiſſe cognitionem perfectam naturæ & proprietatum omnium animantium, ideò eis nomina propria impoſuit. *l. 2. d. 23. a. 2. qu. 1. in arg. & in proœm. & ſerm. 3. Hexaem.*

Tertiò nota, hanc impoſitionem nominum fuiſſe factam ante mulieris formationem: dicitur enim, inter ipſa animantia nullum fuiſſe inventum aptum ad conſervandam ſpeciem humanam. *l. 2. d. 20. qu. 1. & ſeq.* Quartò nota, ſoporem Adæ non fuiſſe ſomnum naturalem, ſed potius ſoporem contemplationis, & extaſis, abſorptionemque

nemque mentis in Deum ex profunda, ac intensissima contemplatione Dei, ac mysteriorum eius, nempè SS. Trinitatis, Incarnationis Verbi, aliorumque similium. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. & d. 23. dub. 4. & d. 29. a. 2. qu. 1. fund. 3. & l. 4. d. 26. 4. 1. qu. 2. & in Luc. cap. 9. vers. 32.*

Quintò nota, costam ablatam à corpore Adæ non fuisse porum os, sed simul cum aliqua particula carnis, quæ non erat necessaria Adæ ut individuo (sic enim remansisset mancus) sed solùm ad conservationem speciei, scilicet, ut Adam esset principium totius generis humani: & ex hac costa, & carne facta est mulier, non quidem creando novam materiam, vel ab extrinseco desumendo, sed virtute omnipotentis Dei in se ipsa magnificata ex virtute seminaria, quam in se continebat, & secundùm potentiam obedientialem, qua subiecta erat Divinæ omnipotentiæ. *l. 2. d. 18. a. 1. q. 1. & 2. & d. 27. a. 2. qu. 2.*

502. *Mulier æqualis viro.*

Non est bonum hominem esse solum, faciamus, &c. Nota, quod sicut dixit Deus faciamus hominem, sic de muliere faciamus addit, ad declarandum, quod mulier, sicut vir, facta est ad imaginem Dei, & æqualis viro. *l. 2. de 16. a. 2. qu. 2. in fund. & corp.*

503. *Mulier conceptura, & paritura Verbum Dei incarnatum redintegravit damna illata homini.*

Non est bonum hominem esse solum, &c. Quomodò potest dici, quod superaddita muliere homini, tunc sit bonum, & sine ipsa non sit bonum, si causa mulieris ductus est homo in peccatum, & in tot miserias? sed nota, quod ad id, quod futurum in novissimis temporibus hic fit allusio: nam sicut lapsus inchoatus est in muliere, & in viro consummatus: sic in reparatione, hæc primò inchoata est in muliere, & primò incœpit credendo, & concipiendo superare Diabolum in absconditio, & postea filius eo manifesto eum vicit in duello, scilicet in patibulo Crucis. *l. 3. d. 12. a. 3. qu. 2. corp. sic & D. Ambros. lib. de Paradiso cap. 10.*

504. *Maria Virgo adiutorium, & mediatrix inter Deum, & homines.*

Non est bonum hominem esse, &c. faciamus adiutorium, &c. Certum est per hunc hominem figurari Christum, ut suprà dictum est: sed quomodò dicitur Christus indigere adiutorio sibi simili? nonne solus sufficere poterat pro Redemptione hominum? sufficiebat quidem, sed voluit, ut sibi adderetur mulier, idest B. Virgo Maria in adiutorium: sed quale adiutorium? sed nota, quod Maria merito comparatur Auroræ, quæ inter noctem, & solem mediat: sic Maria inter hominem, & Deum est mediatrix, & optima ira Dei refrigeratrix: Unde securum accessum habes ô peccator, ad Deum ubi mediatorem causæ tuæ Verbum hominem habes ante Patrem, & ante Filium matrem: Filius nudato corpore Patri ostendit latus, & vulnera, Mater filio pectus, & ubera: non potest ullo modo fieri repulsa, ubi concurrunt, & perorant tantæ charitatis insignia: Ecce quale adiutorium in Maria. *ep. specul. Beat. Virgin. Lect. 11.*

505. *Maria reintegravit, quod Eva perdidit.*

Non est bonum, &c. faciamus adiutorium simile sibi, &c. Quomodò Eva dicitur adiutorium, & non potiùs scandalum, & ruina hominis, quæ tam infidelem se exhibuit cum Deo, & cum viro suo? sed optimè, nam hoc adiutorium, quod in Eva defecit, in Maria adinventum est: Eva quidem infidelis fuit: Maria fidelis inventa est: Eva infidelissima mediatrix perditionis, Maria fidelissima mediatrix salutis fuit, quæ salutis antidotum viris, & mulieribus propinavit. *spec. Beatæ Virg. lect. 9.* Vide quale adiutorium: Maria sua misericordia colligit ad Ecclesiam malos à culpa, etiam ab alijs derelictos: impinguat bonos gratia filij sui, & liberat universos à morte æterna, qui liberantur. *ep. spec. B. Virgin. lect. 5.*

506. *Maria Virgo sua benedictione maledictionem hominis abstulit: positaque fuit in adiutorium, & ut mediatrix inter Deum, & hominem.*

Non est bonum, &c. faciamus adiutorium, &c. Quale istud adiutorium, si ob societatem mulieris eiectus est homo de Paradiso, & in infinitas penè miserias cecidit? sed, ut dictum est, hæc verba dirigebantur ad Mariam Virginem: hæc enim fuit deliciosissimus Paradisus, non solùm mente, sed & corpore, continens in se lignum vitæ Iesum Christum, ex quo omnium processit vita, ideo dicitur benedicta super omnes mulieres, quia per eam Dominus homini placabilis est, & homo Deo acceptus est, & per eam Diabolus homini superabilis est: Unde ad ipsam, ut ad medium, ut ad aream Dei, ut ad regnum causam, ut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui habitant in Cælo, & in inferno, & qui nos præcesserunt, & qui nos sequuntur: illi, qui habitant in Cælo, ut resarciantur, qui in inferno (idest Purgatorio) ut eripiantur, qui præcesserunt prophetas, ut fideles inveniantur, qui sequuntur, ut glorificentur. *ep. spec B. Virg. lect. 14.*

507. *Maria adiutorium datum Christo exponitur mirabiliter.*

Non est bonum, &c. faciamus adiutorium, &c. Si per istum hominem intelligitur Christus, quodnam adiutorium poterat ab alia creatura expectare, & indigere. A Maria exigebatur hoc adiutorium, ut reparatio mundi per Christum fieret modo congruo, communi, & completo: nam sicut genus humanum lapsum est per diabolicam suggestionem, per consensum mulieris deceptæ & generationem concupiscentialem transfundentem originale peccatum in prolem: sic, ut medicina morbo responderet, congruum fuit, ut in reparatione annunciationis suasio angelica, fides, & consensus Virginis Mariæ in bonum suasum, & charitas spiritus sancti fœcundans Mariam: Item, ut medicamentum esset omnibus commune, decuit ut ad tantum opus concurrerent Angelus, mulier concipiens, & vir, scilicet proles: item & congruum fuit, ut ad completionem reparationis concurreret Virgo Maria ad conceptionem filij Dei absque viro, fœcundante spiritu sancto, sicque per matrem voluit redimere mundum. *Brevil. p. 3. c. 3.*

508. *Ioſeph fuit adiutorium datum Mariæ Virgini & Chriſto, ſimile ipſis.*

Non eſt bonum, &c. faciamus adiutorium ſimile ſibi. Quodnam hoc adiutorium eſt? ſi eſt adiutorium ſimile, ergo mutuum eſt, ſcilicet mulier adiutorium viri, & vir adiutorium mulieris: mutuo enim debent ſibi invicem adiuvare, id exigente obligatione matrimonij: ſed quodnam myſterium nobis indicatur hic? Attende pulchrum arcanum: Iam dictum eſt, per hominem intelligi Chriſtum, per mulierem Beatam Virginem: ſed quodnam adiutorium datum fuit Beatæ Virgini?

Hic fuit ſanctus Ioſeph, cui voluit Dominus Mariam deſponſari, ut eſſet ipſi, & Chriſto filio adiutorium: voluit enim Dominus, Matrem ſuam habere ſponſum, ob multas rationes: nempè ne infamaretur gravida, ut viri adiutorio, miniſterio, & ſocietate frueretur & ut partus Diabolo cælaretur: Ioſeph autem curam ſponſæ maximam habuit, ipſam, & filium Chriſtum ſuis laboribus nutrivit: ideò dicitur ſimile adiutorium ſibi, ſcilicet in caſtitate & in omnibus virtutibus eximius. *l. 4. d. 30. a. 1. qu. 3. op. medit. vita Chriſti cap. 16. op. Comp. Theol. l. 6. cap 38. In Luc. cap. 33. v. 50. & cap. 2. v. 48. & ſerm. 5. Dom. infra oct. Epiph. Vide S. Bernardin Senen. in ſerm. de S. Ioſeph.*

509. *Propter bonum commune, & maximè ob impletionem numeri electorum, creata eſt mulier.*

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, &c. Adiutorium, &c. Ex hoc deducitur, quod mulier aſſociata homini addit bonitatem ipſi homini: ſed quæ eſt iſta bonitas, ſi ipſa fuit principium omnis mali? imò potius addidit malitiam, vel corrupit bonum omne per peccatum? Præterea non poterat Deus, & forſan congruentiùs, multiplicare homines abſque media generatione, omneſque ſimul producere, ſicut produxit Angelos?

Reſpondetur, quod abſque dubio poterat Deus ſine media generatione producere omnes homines: ſed congruentiùs voluit, ut generatio, quæ erat perfectio maxima in homine, haberet uſum, & hoc multiplici ratione: Primò ad complendum numerum electorum (& ad hunc finem præcipue providit hominem uxore) ſecundò propter divinæ gloriæ maiorem manifeſtationem: tertiò propter hominum maiorem coniunctionem, & mutuum amorem: quapropter univerſi maiorem perfectionem, & decorem, qui conſiſtit non ſolùm in permanentia, ſed & in decurſu, & ſucceſſione rerum. *l. 2. d. 20. a. 1. qu. 1.*

510. *Deus mavult plures peccatores ſalvos fieri, quàm unum hominem liberum à culpa.*

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Sed quomodò id eſt verum, dum homo, quouſquè fuit ſolus, fuit liber à culpa: aſſociatus cum muliere factus eſt peccator, & Deo inimicus, quomodò igitur dicitur, quod non eſt bonum, hominem eſſe ſolum? iam dictum eſt, mulierem creatam eſſe ad implendum numerum electorum, & ad complementum, & perfectionem civitatis ſupernæ: ergo Deus mavult, plurimos peccatores ſalvos fieri, quàm unicum hominem liberum à culpa: Et hoc eſt bonum additum homini ex ſocietate mulieris: voluit enim Deus malum permittere, ſed illud poſtea ordinare in bonum generis humani, & ad ipſius ſalutem; meliùs enim iudicavit Deus de malis bona facere, quàm mala nulla permittere, ut declararet magis ſuam ſapientiam. *l. 2. d. 20. a. 1. qu. 1. & d. 23. a. 1. qu. 1. corp. & ad Tert.*

511. *Mulier dicitur bona ex Incarnatione ſubſecutura ex malo perpetrato hominis.*

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, &c. Quomodò addidit bonum productio mulieris, ſi per ipſam homo cecidit in peccatum? Verum hoc quidem eſt, ſed quia ex hoc malo ſecuturum erat bonum ſuper omnia maximum, nempè Incarnatio verbi ex muliere naſcituri: hinc rectè dicitur mulier bonum, ſeu bonum adiutorium additum homini: nam ex hac permiſſione peccati, & traditione unigeniti ad liberationem ſervi magis manifeſtata eſt eius miſericordia infinita. *l. 2. d. 23. a. 1. qu. 1.*

512. *Dei delicia eſſe cum animabus fidelibus.*

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, &c. Sed quid bonitatis addidit mulieris formatio viro? cum iam factus eſſet ad imaginem, & ſimilitudinem Dei? ſed adverte, quod per virum ſignificatur Deus, per mulierem anima: & ſicut mulier à viro traxit originem, ſic & anima quælibet à Deo ſolo: & ſicut ad ſolamen viri creata eſt mulier, ſic quodammodò anima ad ſolamen Dei creatur, nam in animabus requieſcit, & quaſi ſopotatur, dum deliciæ ſuæ ſunt eſſe cum filijs hominum, & rationalis ſpiritus à Divino ſpiritu inhabitante conformatur, & roboratur. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. corp.*

513. *Datum eſt animæ Corpus, vel Caro, ut eſſet ei adiutorium ad ſe elevandum in Deum, & ut eſſet perfectior.*

Non eſt bonum, &c. faciamus adiutorium, &c. Nota per virum ſignificari portionem ſuperiorem animæ, per mulierem patiem inferiorem cum corpore: Additum igitur eſt corpus animæ, & inferior portio ſuperiori, ut eſſet adiutorium, ſcilicet, ut obtemperando ſpiritui fieret perfecta pax ſpiritus. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. & in Pſal. 40.*

Nota etiam, per unionem animæ cum corpore, vel carne addi ipſi animæ bonum, quia ſatisfit eius appetitui, & perficitur perfectione totius naturæ, ſic enim homo habet eſſe cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animantibus, & intelligere cum Angelis; unde in tali unione perficitur appetitus totius naturæ. *l. 2. d. 1. p. 2. a. 3. qu. 2. corp.*

514. *Qua de cauſa voluit providere viro uxorem.*

Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Sed cur non eſt bona hæc ſolitudo? ad quid data eſt mulier ſocia viro? ſed vide Dei providentiam in hominem poſitum in ſtatu innocentiæ, & poſtea eiectum de Paradiſo: Nam in illo ſtatu exigebatur uxor ob duplicem finem. Primò cauſa prolis: ſecundò ad mutuum ſolamen, & adiutorium, coneordiamque: In ſtatu naturæ lapſæ non ſolùm ob dictos fines, ſed ob vitandam incontinentiam. *l. 2. d. 20. qu. 1. & l. 4. d. 2. qu. 1. corp. & d. 26. a. 1. qu. 1. & d. 31. a. 1. qu. 3 ad ult. & in Pſalm. 44.*

515. Chriſtus

515. *Christus Sponsus Animæ.*

Non est bonum, hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi. Ergone mulier sponsa,& uxor viri est similis viro ? nonne fragilior, debilior, mollior, facilior ad deceptionem, & malum ? sed nota arcanum sacræ scripturæ : id fuit figura desponsationis Christi cum Ecclesia,& anima.*l.2.d.18.a.1.qu.1.* mirifica ergo dignatio filij Dei, quod dignatus est assumere animam peccatricem, vilem, ignominiosam, fœdam, deformem, sanctificando eam, ut sit ei sponsa.*in Ioan.cap.3.v.30.& collat.11.*

516. *Ecclesia desponsata, ut esset Christo adiutorium ad prolem augendam numero, & merito.*

Non est bonum,&c. adiutorium simile,&c. Ergone mulier facta est, ut esset adiutorium viri ? nonne causa eius ruinæ fuit ? Respondetur, adiutorium, scilicet ad generandam prolem, & post peccatum ad vitandam incontinentiam:sed si hoc fuit figura coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quomodò Ecclesia potest dici data in adiutorium Christi ? Respondetur, Ecclesiam non posse dici adiutorium Christi in ordine ad incontinentiam, sed tantùm ad generandam prolem, & augendam & numero, & merito. *Psalm.44.*

517. *Ecclesia similis Christo, quoad pulchritudinem, divitias, mores,& genus.*

Faciamus adiutorium simile sibi,&c. Si Christus desponsavit sibi Ecclesiam, quomodò dicitur adiutorium simile Christo, cum esset tota deformis per peccatum ? sed nota, quod hæc desponsatio facta est in utero Virginis per coniunctionem duarum naturarum, in qua natura humana fuit perfectissima,& sublimissimè elevata ad Divinitatem: Unde sicut Christus erat pulcher,dives, bonus, & nobilis, sic & Ecclesia. *Psalm.44.*

518. *Ecclesia præstat adiutorium Christo.*

Faciamus adiutorium simile sibi. Sponsus,& sponsa debent sibi mutuò præstare suffragium in generatione prolis, in gubernatione domus, &c. sic & Christus, & Ecclesia mutuò sibi præstant suffragium in multiplicatione prolis filiorum, & in gubernatione ipsorum. *Psalm.44.*

519. *Quomodò animantia dicuntur facta ex terra, & aqua.*

Formatis igitur Dominus Deus de humo terræ cunctis animantibus &c. Si supra dixit, quod volatilia ex aquis fuerunt formata, quomodò nunc dicitur, formata esse ex terra ? sed adverte, quod supra aliqua animantia dicuntur ex aquis producta, non quod in sui constitutione plus habeant de aqua, quantum ad substantiam;in terra enim magis omnia prædominantur, quoad quantitatem molis, quàm in alijs elementis : terra enim est, quæ præbet alijs stabilitatem, & soliditatem ; sed ideò dicuntur ex aqua, quia in his est maior conformitas naturæ cum aqua, & hoc vel in ratione humoris fluctuantis, ut est in natatilibus, vel in ratione vaporis exhalantis, ut est in volucribus, qui vapor cum sit commixtus aeri, & feratur sursum, hinc volatilia in aera sublevantur quocumque inveniunt aerem humidis exhalationibus pinguescentem. *l.2.d.15.a.1.qu.3.*

520. *Adæ cognitio perfectissima : quæ ipso stante, transfusa esset in posteros.*

Adduxit omnia animantia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Ex hoc, sequitur, quod Adam habuit plenissimam cognitionem omnium naturarum,& proprietatum animantium:Nominare enim aliquem pendet à cognitione rei. *lib.1. d. 22.a.1. qu. 1. corp. & l.2.d.23.a.2.qu.1.in fund.& l.2.d.38. a.2 qu.2.in corp.in princ.*

An autem talis perfectio cognitionis transfusa esset in posteros, si stetisset Adam, probabilius dicendum affirmativè, saltem quantùm ad habitum. *l.2.d.23.a.1.qu.1.*

521. *Homo factus est a Deo Dominus omnium.*

Adduxit ea ad Adam, ut videret &c. Nonne Deus poterat hæc nomina imponere : Cur ergo voluit, ut ab homine imponerentur?id fuit ad magnificandum hominem, & explicandum amorem, quo ipsum Deus prosequutus est : ideò voluit, ut Adam imponeret nomina animantibus, ut perpenderet, quod sicut fuit creatus, & constitutus in medio inter Deum, & creaturas corporeas, dum esset, & se conservaret rectum, conversum, & subditum,cætera ei erant subjecta ; nempe Deum subiecisse omnem veritatem creatam eius intellectui ad iudicandum, omnem bonitatem eius affectui ad utendum,& omnem virtutem eius potestati ad gubernandum, *l.2.in proœm.*

522. *Vult Deus, ut per cognitionem creaturarum feramur in cognitionem sui.*

Adduxit ea ad Adam, ut videret &c. Nota finem adductionis animantium ad Adam, scilicet, ut videret : forsan hæc visio ad solam nominationem terminare debebat ? minimè : Nam per illud verbum, ut videret importat fixam,& internam,& maturam considerationem, non solùm nominum imponendorum, sed & finem talis præeminentiæ ipsi à Deo collatæ : Voluit enim Deus, ut ipsius anima reflecteret se supra se, & deinde supra proprium corpus, & cætera creata, & tandem transcenderet corpus, se, & omnia creata, & elevaretur per ista ad contemplationem Dei, nempe, ut contemplaretur, à quo res oriantur, & qualiter in finem reducantur,& qualiter Deus in eis relocetur: invisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & divinitas.*serm.3.Hexaem.*

523. *Gratitudinem ab homine vult Deus.*

Adæ verò non inveniebatur adiutor similis illi. Nota, quod dictum est, ut videret animantia, & deinde addit,non inventum esse animal simile sibi: ad quid hæc additio? nonne id patens erat?sed iam dictum est, Deum voluisse, ut Adam reflecteret se supra se, & cognosceret suam supra cætera creata excellentiam,& sic in Deum se elevaret, exhibendo debitam gratitudinem. *l. 2. proœm.* Hinc elice omnium rerum creatarum cognitionem ordinandam esse ad gratitudinem cum Deo exercendam.

524. Adam

524. ***Adam raptus ad altiſſimam contemplationem, volens ipſum cumulare novis beneficijs.***

Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam. Ut beneficia beneficijs Deus in homine cumularet: rapuit Adam in altiſſimam extaſim, introduxitque ipſum mentaliter in curiam cæleſtem ad videndum Deum: ex quo patet, in ipſo infuſam fuiſſe gratiam ſanctificantem perfectiſſimam. *l. 2.d.18.a.1.qu.1.& d.23.dub.4.& d.29.a.2.qu.1.fund. 3. in Luc. cap. 9. verſ.32.*

In hac extaſi multa myſteria ipſi fuere revelata, ut patet ex verbis, in quæ poſtmodum prorupit prophetando. *l.2.d.18.cit.*

525. ***Vide mirabiles effectus in Sacramento matrimonij.***

Immiſit Dominus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis eius, & replevit carnem pro ea. Dubium movetur, quarè dormiente Adam Deus abſtulit coſtam eius ad ædificandam uxorem? numquid non poterat id facere ipſo vigilante, etiam ſine dolore Adæ? Præterea, quare mulier ædificata eſt de ſubſtantia viri, & non ex alia materia, ut factum eſt in animantibus? ſed hoc factum eſt, ut potiſſimè manifeſtaretur ſapientia Dei admirabilis, & laudabilis: Poterat quidem Deus alio modo producere uxorem, ſed eam voluit educere ex coſta, & carne viri, & ipſo dormiente, vel elevato in extaſim: Primùm quidem quia vir, & mulier ſuper omnes alias animantium ſpecies ſic facti ſunt, ut invicem coniungerentur, & ſic unus in alio quietaretur, & unus ab alio ſuſtentaretur, quia igitur forti vinculo, & ſingulari mulier coniungitur viro, & è converſo, ideò unus ſexus productus eſt ex altero; quæ unio non videtur in irrationabilibus: & quia iſta unio dat viro quietationem, ideò ipſo dormiente facta eſt de viro. *l.2 d.18.a.1.qu.1.*

Ex quibus patet, quàm mirabiles effectus producat in conjugibus ſacramentum matrimonij, nempe fidem, & inſeparabilem coniunctionem animorum, & corporum, & quietationem in viro.

526. ***Idem confirmatur.***

Immiſit ſoporem &c. & tulit coſtam &c. Dubium movetur, quarè mulier facta eſt de oſſe, & præcipuè quarè de coſta, & non de alia parte, & an fuerit purum os abſque carne? Reſpondetur, in hoc patefieri mirabilem Dei ſapientiam: nam facta fuit potiùs de oſſe, ſed non puro, ſed ſimul de carne annexa, tamquam minus principali parte, ut ſignificaretur, quòd vir dat mulieri fortitudinem, & ſuſtentationem ſignificatam in oſſe: & quia in omnibus eſt quædam æqualitas mutuæ ſocietatis, producta enim fuit non ut ancilla, ſed ut ſocia, ideò de latere viri: & deinde dicitur, quod Deus replevit locum coſtæ carne, quia per coniunctionem cum muliere vir ſuſcipit infirmitatem, & emollitur, ut experientia continua patet. Ecce quomodò modus formationis reſpondet proprietatibus mutuæ coniunctionis, quæ eſt inter virum, & mulierem: quod verò illa coſta haberet annexam particulam carnis viri, patet ex hoc, quod ſubdit, *hoc nunc os, & caro de carne mea. l. 2.d.18.a.1.qu.2.*

527. ***Matrimonium ſpirituale inter Deum, & animam ſignificatur in hac coniunctione viri, & mulieris.***

Immiſit ſoporem, & tulit unam de coſtis &c. Quarè viro dormiente ædificata eſt mulier ex coſta, & carne viri? quarè non ipſo vigilante, & ex aliena materia? Reſpondetur, id factum propter ordinem ſervandum, qui attenditur inter ea, quæ per virum, & mulierem habent ſignari: ſed quodnam eſt hoc ſignificatum? Attende, quomodò Deus per iſta viſibilia ducit in cognitionem inviſibilium myſteriorum: Per virum ſignatur Deus, per mulierem anima; ſicut enim omnes homines ex viro trahunt originem, ſic & omnes animæ immediatè à Deo producuntur, tamquàm à primo principio: & ſicut vir accipit quietationem in muliere, ſic & Deus in anima requieſcit, & quaſi ſoporatur, dum deliciæ ſuæ ſunt eſſe cum filijs hominum, & rationalis ſpiritus à Divino ſpiritu inhabitante conformatur, & roboratur, ſicque optima conſonantia conformatur ſignum ſignato. *l. 2.d.18 a.1.qu.1.*

Sed advertre, quod hoc coniugium, & matrimonium ſpirituale inter Deum, & animam exigit ſupra naturam donum gratiæ ſanctificantis, per quam anima Deo placens conſecratur in templum, adoptatur in filiam, & aſſumitur in coniugium: ipſam enim ſanctificat, aſſimilat Deo, & decoratur eius facies, & apta redditur ad hanc deſponſationem ſpiritualem. *l. 2. d. 29. a. 1. qu. 1. corp.& a.2.qu.2. fund.4.*

Nota effectus gratiæ ſanctificantis, & felicitatem huius matrimonij ſpiritualis.

Et quia lex matrimonij exigit mutuum conſenſum, hinc qui ità exaltatur à Deo, ipſi unitur, & Deus ipſi, habet Deum, & à Deo habetur ſpecialiter diligit ſuper omnia Deum & à Deo ſingulariter diligitur, ſicut inter ſponſum, & ſpōſam: Vide ergo, quantum eſt eſſe templum Dei, Dei filium, Deoque indiſſolubiliter, & quaſi matrimonialiter per amoris, & gratiæ vinculum copulatum. *l.2.d.29.a.2.qu. 2.fund. 4.& op.Brevil.p.5.cap.5.*

528. ***Deſponſatio Chriſti, & Eccleſiæ hic in figura inchoata eſt.***

Immiſit ſoporem in Adam, & tulit unam &c. Quæritur iterum, cur dormienti coſta detrahitur, ex qua coniux ædificatur? quarè Deus aliter talem mulierem non providit? Ex oſſe mulierem efformavit Adam dormiente, & carnem ſolùm pro eo ponit in homine, ad ſignificandum matrimonium ſpirituale factum inter Chriſtum, & Eccleſiam: Eccleſia enim ex Chriſto formatur, dum de latere Chriſti dormientis in Cruce profluxit ſanguis, & aqua, ex quibus in Sacramentis redundavit efficacia, per quæ Sacramenta fundatur Eccleſia, & ſic vir reſpondet Chriſto, dormitatio morti, ablatio coſtæ apertioni lateris. *l.2.d.18.a.1.qu.1.& ſerm.1. Dom.19.poſt Pentecoſt. ſerm 9.in Nativit.& ſerm.4. Dom. 4. poſt octav. Epiph.* Et ſicut Deus ædificavit mulierem, & eam coniunxit Adæ cauſa prolis, & adiutorij; ſic Chriſtus uxorem accepit Eccleſiam cauſa prolis, & adiutorij, unde ſibi mutuò ſuffragium præſtant, ut Eccleſia creſcat & numero, & merito. *Pſalm.44.in fine.* Chriſtus deſponſando ſibi Eccleſiam eam fæcundavit, & ſanctificavit divinitate gratiam infundente, paſſione gratiam promerente, lavacro regenerationis eam deferente. *In Ioan.cap.3.verſ.29.*

529. Dum

529. *Dum anima convertitur ad hæc inferiora infirmatur, & dormire dicitur ab actu contemplationis.*

Immiſit ſoporem, &c. & tulit unam ex coſtis, &c. Nota hunc ordinem à Deo ſervatum, & ordinatum etiam ad ſignificandam unionem inter portionem ſuperiorem, & inferiorem animæ: ſicut enim mulier ex viro eſt, ſic inferior portio eſt ex converſione ſpiritus ad hæc inferiora, & dum ad hæc inferiora convertitur, ceſſat à vigilantia contemplationis, infirmiorque quodammodò ſemetipſo fit, tendens ad molliciem mulieris. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. corp.*

530. *Sapientiæ Divinæ mirabilis ordo explicatur in formatione mulieris ex viro.*

Immiſit ſoporem, &c. & tulit, &c. Cur potiùs mulierem ex viro efformavit, & non potiùs virum ex muliere: id enim quòd eſt materiale, ſe habet ut quid nobilius, ergo ex ignobiliori debebat produci nobilius, ſcilicet vir? Reſpondetur, ex viro mulierem efformatam eſſe, ut Dei perfecta eſſent opera, ut ſcilicet quatuor modi eductionis hominis implerentur: Primus eſt, quando homo de viro, & muliere gignitur, ut naturaliter fit: ſecundus nec de viro, nec de muliere, ut Adam: Tertius de muliere ſine viro, ut Chriſtus de Virgine: Quartus de viro ſine muliere, ut Eva: & iſte modus magis fuit congruus, quia mulier fuit producta de latere, & de parte tantùm viri, tamquàm de parte materiali, ut oſtenderetur, quòd vir caput eſt mulieris, & quòd vir non eſt propter mulierem, ſed mulier propter virum. *l. 2. d. 18. a. 1 qu. 1. ad tert. & l. 3. d. 1. a. 2. qu. 2. ad ult. & comp. Theol. l. 4. cap. 10. & in Pſalm. 126.*

531. *Prælati, & Prædicatores eccleſiaſtici debent loco Chriſti generare filios ſpirituales Chriſto.*

Immiſit ſoporem in Adam &c. Iam dictum eſt, per hoc matrimonium ſignificari matrimonium ſpirituale inter Chriſtum, & Eccleſiam: ſed quomodò vigebat poſt mortem Chriſti? ſed nota, quod lex facta eſt in Deuteron. *cap. 25. quod ſi mortuus fuerit unus ex fratribus ſine liberis, frater defuncti debebat accipere uxorem ipſius, & ſuſcitare ſemen fratris, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellare:* mortuus eſt igitur Chriſtus antequam perficeretur congregatio fidelium, in qua conſiſtebat Eccleſia: Hinc Deus providit Prælatos, Prædicatoreſque, ut filios ſpirituales generarent Chriſto: Unde qui negligunt hoc facere; pœna plectendi ſunt & ejiciendi de numero filiorum Chriſti. *In Luc. cap. 20. verſ. 28. & op. legenda S. Franciſci cap. 8.*

532. *Matrimonium ſpirituale animæ cum Chriſti Paſſione proponitur.*

Immiſit ſoporem in Adam, &c. Si Chriſtus in Cruce deſponſavit ſibi Eccleſiam, quid remanet nobis ad Chriſtum imitandum? ſed attende, quodnam matrimonium à nobis amplexandum: Chriſtus moriendo reliquit nobis Paſſionem ſuam, ut ſpiritualiter ſecum copularemur indiſſolubili vinculo. *op. ſtimul. Div. amor. p. 1. cap. 15. & cap. 5.*

533. *Maxima unio, & amor inter coniuges exigitur à Deo.*

Tulit unam de coſtis, &c. Cur potiùs ex latere, & non ex parte capitis, vel pedis, vel dorſi? ſed nota arcanum divinum. Id fuit ad oſtendendum, quod creabatur in conſortium dilectionis, ad mutuum obſequium, & ad æqualitatem ſocietatis mutuam: Unde non eſt facta de capite, quia vir eſt caput, non mulier: non de pede, quia non eſt famula, ſed ſocia: & facta eſt mulier de parte viri, non de pulvere, ut maiori vinculo amoris inter ſe connecterentur. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. & qu. 2. ad quart. & d. 44. a. 2. qu. 2. ad prim. & comp. Theol. l. 5. cap. 35. & l. 4. d. 32. dub. 1. & l. 4. d. 26. a. 2. qu. 1. & op. Bibl. paup. cap. 89.*

534. *Ex connubio viri mulier firmatur, & ſolidatur.*

Tulit unam de coſtis, &c. Cur ex oſſe, & non de pura carne? Quia mulieri ex connubio provenit fortitudo, ſicut è contra infirmitas viro ex muliere. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1. corp.*

535. *Ex matrimonio Chriſti cum Eccleſia contraxit ipſa perfectiones plures ſponſi.*

Tulit coſtam, &c. & replevit carnem pro ea, &c. Cur non replevit Deus coſtæ locum alia coſta, ſed carne? Nonne erat coſta pars aptior? Reſpondetur litteraliter non ſubrogaſſe Deum coſtam pro coſta, quia illa coſta erat ſuperflua Adæ, ut individuo, & forſan extra numerum ordinatum coſtarum corpori debitarum: ſpiritualiter autem intelligi debet deſponſatio ſpiritualis facta inter Chriſtum, & Eccleſiam, & animam: hæc de coſta, & carne Chriſti fuit formata, ſcilicet ex hac deſponſatione contraxit attributa digniſſima ſponſi, ut ſunt pulchritudo, nobilitas, fortitudo, divitiæ, honor, factaque eſt in dormitionis requie per has nuptias data eſt requies in Cælo, in terra, in lymbo, in Purgatorio. *l. 4. d. 26. a. 1 qu. 1. ad ult. & ſerm. 1. Dom. 19. poſt Pentecoſt. & in Luc. cap. 1. v. 8. & l. 2. d. 16. a. 2. qu. 2. ad argum.*

536. *Vir ex matrimonio fit mollis, fœmineus, & carnis blanditijs ſubiectus.*

Et replevit carnem pro ea, &c. Nota, quod loco coſtæ, ex qua ædificata eſt mulier, collocata fuit para carnea in corpore Adæ: ſed cur non repoſuit aliam coſtam? At id fecit Deus, ut declararet, quid contrahat homo ex coniunctione cum muliere, ſcilicet non fortitudinem, imò fortitudinis privationem; fit enim infirmus, mollis, & fœmineus, & carni ſubiectus. *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 1.*

537. *Vir non habeat plures uxores.*

Tulit unam ex coſtis, &c. Cur unam, & non plures, & ex pluribus coſtis cur non fecit plures mulieres, ut citiùs propagatio fieret in mundo? Id factum eſt, quia vir unus unicam debet habere, ſicut unica eſt ſponſa Chriſti. *l. 4. d. 26. a. 1. qu. 1. ad ult. & l. 1. d. 20. a. 1. qu. 6. corp.*

Hincque dicitur infrà, *Propter hoc relinquet homo, &c. & adhærebit uxori ſuæ,* non dicens uxoribus ſuis:

& licèt à Deo in aliquibus diſpenſatum fuerit ob cauſas rationabiles, tunc tamen non licet uxores plures ducere. *l.4.d.33.a.1.qu.3.*

538. *Deus omnia opera ſua ordinat ad hoc, ut ab homine diligatur toto corde.*

Tulit coſtam, &c. Cur Deus per ſemetipſum, & non potius per miniſterium Angelorum, quo ordinarie utitur in actibus ſuis circa homines? Reſpondetur, quod hoc opus dicitur à Deo immediatè factum, quia fuit ſupra poteſtatem naturæ, & ut homo in utroque ſexu videns ſe a Deo immediatè factum, immediatè etiam tenderet in ſuum factorem per cognitionem, & amorem ex toto corde. *l.2.d.18.dub.1.*

539. *Quanti faciat Deus hominem.*

Tulit unam ex coſtis, &c. Cur Deus voluit, ex uno homine omnes alios producere, quod non fecit in cæteris animantibus? Reſpondetur id feciſſe, ut excellentiam hominis ſuper cætera animantia patefaceret, nempe, cum Angeli immediatè fuerint omnes ſimul à Deo, animalia verò ſecundùm utrumque ſexum, at homo medio modo, nempe immediatè à Deo, & ſimul mulier ex viro, ſicque oſtenderetur ſimilitudo, quam habet cum Angelis, & ſuperioritas ſuper cætera animantia. *l. 2. d. 18. dub. 1.*

540. *Deus vult concordiam inter homines, maximè inter Conjuges.*

Tulit unam ex coſtis, &c. Cur Deus non produxit immediatè mulierem ex maſſa terrea, ſicut virum? Et cur ſtatim adiunxit ſociam viro? Alia animalia fecit Deus duplicia, non hominem, cur hoc diſcrimen? Reſpondetur ad conſervandam dilectionem, quam vult eſſe inter omnes homines, nempè ut quilibet homo videns ſe ab uno proceſſiſſe ſicut cæteri homines, alium hominem diligat tamquam fratrem: & præcipuè, ut ſervaretur magis hoc vinculum dilectionis inter coniuges. *l.2.d.18.dub.1.& in Luc.cap. 10.v. 27.* Voluit igitur Deus oſtendere, quàm ei ſit grata unitas in pluribus. *op. Bibl. paup.cap.48.& 49.*

541. *Incarnationis Myſterium in principio mundi fuit prænuntiatum.*

Tulit unam de coſtis, & ædificavit mulierem, & replevit carnem pro ea. Ad quid hæc repletio carnis? quarè non poſuit coſtam, ſed carnem? ſed transfer mentem ad illa verba *Ioan. cap. 1. Et Verbum caro factum eſt:* quomodò caro, & non potiùs dicitur homo factum eſt? caro hic ſumitur per ordinem ad illud, quod ex ipſa fit, ſcilicet ad hominem, ſumiturque pars pro toto. *l. 3. d.3.p.1.dub.3.& d.9.a.1. qu. 1.corp.* Hinc per id ſignificavit Deus unionem duarum naturarum fiendam in plenitudine temporum in Christo. *l. 3.d.1.a.2.qu.2.ad octav.& l.4.d. 7.dub.3.& Brevil.p.6.cap. 13.* Ex quo habes, quòd etiam ſtante homine Verbum incarnatum eſſet: vel ſuſtinendo oppoſitum, dic, quòd Deus voluit ſignificare hanc unionem poſt lapſum.

542. *In utero Virginis celebratæ nuptiæ inter Verbum & humanam naturam.*

Tulit unam ex coſtis, &c. Nota formationem mulieris & eius conjunctionem factam fuiſſe in Paradiſo: Cur in Paradiſo, & non potiùs extra Paradiſum: cum enim intervenire deberet copula carnalis, videtur potiùs locus extra Paradiſum aptior? ſed iam dictum eſt, fuiſſe hoc opus figuram coniunctionis duarum naturarum, Divinæ, & humanæ in Chriſto: hæc facienda erat in Paradiſo, ſcilicet in utero Virginis, ubi Deus Pater fecit nuptias filio ſuo. *In Ioan. collat. 11. & op. ſpecul.B. Virg.lect.11.& op.laus B.Virg.fig.3.*

In Utero B. Virginis, ut in Paradiſo, celebratæ ſunt iſtæ nuptiæ mirabiles, ex quo proceſſit tamquàm ſponſus de thalamo ſuo: ibi conſummatum eſt matrimonium inter Divinam, & humanam naturam, inter Chriſtum & Eccleſiam: ideò hoc Sacramentum matrimonij dicitur magnum ab Apoſtolo.

Sed nota, quòd in Paradiſo Deus paravit eſcas dulciſſimas, quaſi convivium nobiliſſimum: ſic convivium in his nuptijs eſt in ſuſceptione ſacramentorum Eccleſiæ, & documentorum ſacræ ſcripturæ. Ad hoc convivium invitantur omnes, qui ad fidem vocantur per prædicationem veritatis. *In Luc.cap.14.v.8.*

Convivium ſpirituale Eccleſiæ eſt in ſuſceptione Sacramentorum.

543. *Verbum caro factum eſt, ut nos caro eius fieremus.*

Tulit unam ex coſtis eius, &c. & replevit carnem pro ea, &c. Quænam fuit hæc caro? & ad quid poſita fuit hæc caro? Nota, Verbum aſſumpſiſſe carnem noſtram, ipſique copulatum fuiſſe: & ſicut per hoc factum dedit intelligere, quòd Eva producta de latere erat non ſolùm ſponſa, ſed etiam Adæ caro, ſic Eccleſia, & anima eſt producta de latere Chriſti, & facta eſt non ſolùm ſponſa, ſed & veluti caro Chriſti: Filius Dei de carne hominis factus eſt corporaliter, ut nos de carne eius fieremus ſpiritualiter. *ſerm.9.in Nativit. Domini.*

Et ſicut Eva ex viro facta ipſum diligere debuit, ſic utique Eccleſia, & quælibet anima Chriſtum, qui erat Verbum, & caro factum eſt, ut per carnem alliceretur caro, per carnem caro redimeretur, per carnem caro reficeretur, & reformaretur. *ſerm. 8. & 9. in Nativit.*

544. *Chriſtus præparavit carnem ſuam nobis in Euchariſtia.*

Tulit unam, &c. & replevit carnem pro ea. Vide myſterium, Adam Chriſtum ſignificat, qui Eccleſiam produxit, & carnem novam aſſumpſit: qualem carnem? Nota, quòd Chriſtus non ſolùm caro factus eſt pro nobis, ſed ſuam carnem in fine vitæ nobis præparavit edendam, ut per carnem reficeremur. *ſerm. 8.& 9.in Nativitate.*

545. *Mulieris proprium eſt cuſtodire domum: viri exercere ſe in alijs operibus.*

Tulit coſtam, &c. & ædificavit mulierem, &c. Nota illud verbum ædificavit: quomodò ædificavit, & non potiùs formavit? ædificare conſtructionem domus propriè dicit, non viventis formationem? & quarè loquens de muliere dicitur eam ædificaſſe, & loquens de viro dicitur eum formaſſe? cur hoc diſcrimen? ſed nota, quòd Deus virum formavit extra Paradiſum, mulierem in Paradiſo tamquam in propria domo, poſitiſque ambobus in loco voluptatis addit ſacer Textus, *ut operaretur, & cuſtodiret illum:* per quæ

verba

verba significatur, quodnam munus debet esse utriusque, viri enim est operari, & vagare exteriùs, mulieris intus custodire domum. *in Psalm. 118. vers. 146. & Psalm. 127. & in Ioan. cap. 11. v. 20.* Ex quo elici potest, quod mulier dicitur ædificata veluti domus: sicut enim domus protegit à frigore, calore, & alijs incommodis, sic mulier debet domi manens, & custodire domum, & filios, &c. dum vir ad negotia œconomica est applicatus.

546. *Maria ædificata est domus Domini.*

Tulit costam, &c. & ædificavit ex ea mulierem, &c. quare utitur hoc verbo ædificandi? cum sit proprium constructionis domus? Jam diximus, Evam significare Mariam Virginem: Hæc meritò dicitur ædificata in domum, quia Mariam extruxit sibi in domum sapientia cælestis, quæ adeò mentem eius replevit, ut de plenitudine mentis eius fœcundaretur & caro, ac Virgo singulari gratia eandem ipsam sapientiam carne tectam pareret, quam priùs mente conceperat. *op. specul. B. Mariæ lect. 7. & in Luc. cap. 19. v. 7.* Maria singulariter tam corpore, quam anima ædificata est aula Dei, domus Dei sanctissima, de qua dicitur. *Psalm. 92. Domum Dei decet sanctitudo*: domus, quæ sola inventa est digna, ut Rex Regum à regalibus sedibus veniret, & primam sibi mansionem eligeret. *op. specul. B. Virg. lect. 10.*

547. *Idem confirmatur.*

Tulit costam, &c. & ædificavit mulierem, &c. Quare Adam dormiento ædificata est mulier tamquam domus? jam dictum est dormiente viro ædificatam esse mulierem, quia coniuges mutuò, scilicet unita in alio quietantur. Dictum est, figuratam esse fabricam B. Virginis Mariæ, & meritò, quia Christus in eius utero requievit, & Maria apud ipsum in cælo requiescit. Verè domus benedicta fuit Maria, in qua corpus, anima, & divinitas Christi locata, ex qua processit omnium vita. *op. specul. B. Virg. lect. 14.*

548. *Anima ædificatur per gratiam, ornatur virtutibus, ut domus, ut sedes, requiesque Dei.*

Tulit Costam, &c. & ædificavit mulierem, &c. Iam suprà dictum est, per virum significari Dominum Deum, & Iesum Christum, per mulierem animam: ædificat igitur Deus mulierem, ut in ea requiescat, dum animam suam sedem, templum, & habitaculum per gratiam reddit, ornatque virtutibus. *Vide supra num. 254.*

549. *Nota, quàm prona sit mulier vagationibus.*

Tulit costam, &c. & ædificavit mulierem, & adduxit eam ad Adam. Sed ex quo loco eam adduxit? forsan fuit producta extra Paradisum? minimè: fuit enim creata in Paradiso. Huic dubio respondet S. Anastasius Synaita *l. 9. Hexaem* quòd Eva statim ac fuit facta aufugit, & procul secessit à viro, sed Deus eam reduxit ad Adam: ex quo videri potest muliebre ingenium, & quàm sit mulier prona vagationi, nescitque vel paulisper consistere. Addit *D. Io. Damasc. l. 1. Paral.* Mulier fuit creata in Paradiso, non extra, ne vagari extra disceret, sed domi se tenere, & in domesticarum rerum curam incumbere; Unde non est mirum, quòd ceciderit à gratia Dei (ait S. Bonav. *op. Bibl. paup. cap. 129.*) quia Eva primò locuta est cum serpente, quàm cum Deo ad orandum, vel cum viro suo ad aliquam eruditionem percipiendam.

550. *Matrimonium inter Adam, & Evam fuit per liberum consensum.*

Et adduxit eam ad Adam. Quæritur adductio fuit ista: Respondetur, quòd fuit adductio moralis, scilicet Deus ipsam obtulit, & tradidit in uxorem: tunc enim fuit celebratum primum Matrimonium in Paradiso, mediante Deo: tunc enim Deus non præcepit Adæ, ut duceret Evam in uxorem; sed illustravit eum interius, ut intelligeret, eam sibi dandam in uxorem, & omnibus posteris per liberum consensum uxores illo modo coniungi: unde sic illustratus dixit, *Hoc nunc os, &c. l. 4. d. 26. a. 1. qu. 2. & serm. 1. Dom. prim. post. oct. Epiph.*

551. *Conformitas quanta inter virum, & uxorem, inter Christum, & Ecclesiam.*

Et adduxit eam ad Adam. Ad quid ista adductio? nonne poterat videri ab Adam absque ista adductione? sed iam dictum est, tunc fuisse illustratam eius mentem, ut cognosceret Evam formatam, non ex terra, sed ex eius carne, & quod hæc mulier esset sui pars, & sibi affinis, & conformis, ob idque proportionata socia, & uxor *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 2. ad quart. & l. 4. d. 26. a. 1. qu. 2. & d. 40. dub. 2.*

Sed quia, ut sæpe dictum est, per Evam significabatur Ecclesia, per virum Christus: hinc etiam patet, qualis sit conformitas inter pulchritudinem, decorem, & alia ornamenta sponsi, & sponsæ: Pulcher fuit Christus, fortis, honoratus, nobilissimus: & sponsa pulchra, fortis, honorata, nobilis est Ecclesia, quæ est tota pulchra in visceribus, & in membris: cuius oculi sunt Prælati, & provisores: os sunt advocati, & doctores: aures pœnitentiarij, confessores, & causarum auditores: nasus sunt sapientes boni, & mali discretores, collum sunt clerici, & cantores: pectus sunt nobiles, & potentes: ubera sunt consiliarij: brachia sunt milites: manus sunt operarij, & artifices: coxæ sunt famuli: pedes, qui portant totum corpus, sunt rustici, & agricultores: Venit igitur Christus totus pulcher ad fœdam, ut faceret eam pulcherrimam. *serm. 1. Dom. 19. post Pentecost.* *Membra Ecclesiæ quanam.*

552. *Ecclesia una est.*

Ædificavit costam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, &c. Quare unam tantùm, & non plures mulieres produxit? Unam tantùm formavit, quia unica Ecclesia sponsa Christi futura erat *l. 4. d. 26. a. 1. qu. 1. ad ultim.*

553. *Principis bona, & vita expendi debent in utilitatem subditorum.*

Ædificavit costam, &c. Qua de causa mulier ex costa Adæ, & non potiùs è terra formata est? sed attende: Adam fuit caput, & principium mulieris, ideò ipse erat princeps, mulier subdita: & hinc tali pacto subdita ex visceribus viri extracta est, ut eam adamaret ut rem propriam: Unde talis formatio faciebat quoddam maius vinculum amicitiæ, dilectionis inter virum, & mulierem, quod non poterat esse inter virum, & terram *l. 2. d. 18. a. 1. qu. 2. ad quart. & dub. 1. & qu. 1.*

Et quia vir est caput mulieris, hinc & in hoc excedit

 mulierem,

mulierem, ſcilicet ratione præſidentiæ.*l.2.d.16.a.2.qu.2.* ideò Adam principem ſignificabat, mulier ſubditos:Ex quo elici poteſt, ſubditos à Principibus, non modò ut rem propriam amandos, ſed etiam ipſorum vitam, & reliqua bona è Principis coſtis educenda eſſe in utilitatem ſubditorum.

554. *Deus ultimam perfectionem per mulieris productionem dedit.*

Tulit coſtam, &c. & ædificavit mulierem. Si facta eſt mulier,poſt ſextum diem,quomodò dicitur Deus in ſeptima die requieviſſe ab omni opere? Reſpondetur, vel hæc dicta de muliere per recapitulationem, formatamque fuiſſe ſtatim poſt Adam: vel quia mulier producta fuit in ſuo ſimili,& tamquàm exiſtens in coſta ut in ſeminario remoto,& in potentia obedientiali ipſius:hic autem explicatur completio facta à Deo in ſuis operibus. *l. 2.d. 18.a.1.qu.2.*

555. *Prophetia primo Parenti conceſſa, præcipuè de Incarnatione.*

Dixitque Adam,hoc nunc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea. Vnde ſcis, ô Adam, hanc mulierem eſſe ex oſſibus, & carne tua? nonne ſomno indulgebas, quando fuit extracta?Nota,quòd ut dictum eſt, in illo ſomno Adam fuit raptus in extaſim, tuncque illuſtrata fuit eius mens multis myſterijs futuris: & hinc hæc dixit prophetando præſentia,ſcilicet,mulierem extractam eſſe ex eius latere, & ſibi ducendam in uxorem: item & unionem inter Deum, & animam, & etiam ſecundum probabiliorem ſententiam, Incarnationem futuram Verbi, ſaltem ſecundùm aliquas generales circunſtantias reſpicientes humanam exaltationem. *l. 4. d.26.a.1.qu.1.& l.2.d.23.dub.4.*

S. Auguſtinus notat,Adæ dictum eſſe poſt ſoporem, Benedicta filia tu à Domino :quaſi oculum haberet ad humanitatem per incarnationem ſumendam à Verbo.*op.Princip.ſacræ ſcripturæ.*

556. *Conſanguinitas impedit matrimonium: item & unitas maxima debet eſſe inter uxoratos.*

Hoc nunc os, &c. Si Eva fuit compacta ex oſſe, & carne Adæ, ergo eius fuit conſanguinea: quomodò ergo ei fuit coniuncta in matrimonium? Reſpondetur, quod conſanguinitas eſt ſtipitis ad ſtipitem per viam generationis: tali autem pacto non proceſſit Eva. *l.4.d.40.a.1.qu.2.ad prim.*Dicitur autem ex oſſe, & carne Adam, ut indicaretur unitas inter virum, & uxorem, veluti unius materiæ, & individui:unde dicitur matrimonium à monas, id eſt unum. *l.4.d.27.a.1.qu.2.*

557. *Matrimonium valdè honorabile.*

Quamobrem relinquet homo &c. & erunt duo in carne una &c. Ex his patet, quàm honorabile ſit matrimonium ob multas rationes: Primò enim fuit inſtitutum, non ab homine,vel Angelo, ſed à Deo immediatè: Secundò, non in vili loco, ſed in Paradiſo terreſtri: Tertiò, non poſt lapſum, ſed ante peccatum, & in ſtatu innocentiæ: Quartò ob ſignificationem ſcilicet unionis inter animam,& Deum, inter Eccleſiam,& Chriſtum:*ſerm. 1.Dom.1.poſt oct.Epiph.* Hinc elice, quàm honorabile ſit connubium, & quàm graviter peccent, qui ipſum deturpant.

558. *Coniunctio animorum,eſt eſſentialis matrimonio, non vero uſus carnalis.*

Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ &c. Quid ſibi vult hæc adhæſio? ergo non poterit ſubſiſtere matrimonium abſque concubitu carnali,ut ſint duo in carne una? ſed adverte, quod matrimonium eſt coniunctio maris, & fœminæ, non quoad uſum carnalem,ſed quoad vinculum indiſſolubile: duo enim interveniunt in matrimonio; Primum eſt mutua traditio corporum,& hæc eſt obligatio,ſeu contractus humanus, & liber: ſecundum eſt mutuæ obligationis vinculum indiſſolubile, & hoc eſt eſſentiale matrimonio,& ut tale eſt ſignum,& ſacramentum ſignificans coniunctionem Dei, & animæ Chriſti, & Eccleſiæ, & in hoc ſenſu dicitur, quòd homo relinquet Patrem, &c. & erunt duo in carne una, &c.*l.4. d. 26. a.1.qu.2.ad quart.& qu.3.ad quart. & dub.26.a.2. qu.3.& d.27.a.1.qu.& d.29.a.1.qu.2.*

559. *Matrimonium in principio omnes obligabat:nunc autem nequaquam:& cur Abel non peccavit non ducendo uxorem.*

Quamobrem relinquet homo Patrem, &c. & erunt duo in carne una, &c. Si in matrimonio neceſſaria erat adhæſio,& unio in carne inter coniuges,quomodò igitur ſtat in libertate humana contrahere, vel non contrahere matrimonium? & poſt matrimonium quomodò ſe poſſunt continere ab uſu? Reſpondetur, quòd in primordio fuit factum præceptum de nubendo, & de uſu matrimonij carnali: nunc autem non eſt ſic: ratio eſt, quia illud præceptum erat affirmativum, & iuris naturalis obligantis, non abſolutè, ſed pro loco, & tempore, à Deo aſſignato: & cum in principio pauci eſſent homines, ideò ad multiplicandum genus hominum,& numerum electorum, omnes quoſcumque in debita ætate obligabat (nota illud in debita ætate, quia Abel excuſatur à peccato, non ducendo uxorem,quia nondum tranſactum erat debitum tempus.*l.4.d.26.a.1.qu.3.ad 3.*) Et hinc tunc cælibatus non erat perfectior matrimonio ob meritum obedientiæ, ideò cælibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ:Nunc autem non eſt ſic,quia iam multiplicatum eſt genus humanum.*l.4.d.26.a.1.qu.3. & d. 33.a. 2. qu. 2.De maiori merito Virginitatis Vid.l.2.d.20.dub.3.*

560. *Matrimonij munera digniſſimè explicantur.*

Quamobrem relinquet, &c. & erunt duo in carne una. Ex his verbis habentur conditiones, & obligationes matrimonij: ideò dicitur matrimonium Primò quaſi monos,id eſt lex: Secundò quaſi matris monitio, ſcilicet, ut fœdus ſervet viro,& filijs: Tertiò quaſi matris munimentum, & defenſio,defendit enim matrem per virum,& prolem:Quartò quaſi matris munium, ideſt officium, quia ad uxorem maximè ſpectat conceptio prolis, & partus, nutritio, & compaſſio;ideò dicitur data in adiutorium viri, ſcilicet in educatione prolis: Quintò à monus, id eſt unum, ob unionem coniugum:ſextò dicitur etiam coniugium, quaſi commune iugum, vinculum, & poteſtas. *l.4.d.27.a.1.qu.2.*

561. *Matrimonio præfertur Virginitas nunc.*

Quamobrem relinquet homo, &c. Si tantùm extollitur, & ponitur sub præcepto matrimonium, quomodò ei nunc præfertur cælibatus,& virginitas? Respondetur, in principio matrimonium præferri cælibatui, quia tunc mundus indigebat multiplicatione materiali hominum: nunc autem in lege gratiæ quæritur non fœcunditas mentis, & operum, sed sanctitas, & puritas, ideò præfertur Virginitas matrimonio.*l.4.d.33.a.2.qu.2.*

562. *Matrimonij bona quanta; item pœna coniugum malarum in filijs infligitur.*

Quamobrem relinquet homo, &c. Ex his verbis colligitur dignitas huius sacramenti; quia est institutum in Paradiso ante alios ordines,& status:quia in eo sunt tria bona:honestum quia sacramentum; delectabile ratione unionis: & utile ratione prolis: sunt item ibidem amor, honor, & fidelitas:Ex quibus infertur, quàm grave peccatum sit eius,qui inter coniuges seminat discordias: & qui non servat fidelitatem sacramento, adulterium enim est gravissimum peccatum:& ideò quia in multis non concurrunt istæ conditiones, generantur filij protervi, inobedientes, & infirmi. *ferm.1.Dom.24.post Pentecost.*

563. *Matrimonium principaliter ordinatur ad bonum animæ.*

Quamobrem relinquet,&c.& erũt duo in carne una. Quomodò si matrimonium est sacramentum,ordinatur ad unionem carnalem?Quæ conventio enim est carnis ad spiritum, & sanctitatem? Respondetur, quod prout est sacramentum, ordinatur principaliter ad bonum animæ, nam unio inter ipsos debet ordinari ad profectum animæ, debentque se mutuò provocare ad bonum: item ad fidelitatem servandam, quia primariò est institutum in officium, scilicet ad prolem generandam, & ad complendum ædificium civitatis cælestis, scilicet numerum electorum, & secundariò in remedium, scilicet ad vitandam incontinentiam.*ferm.1. Dom. 24.post Pentec.& op.Centil.p.3.sect.94.& l.4.d.26.a. 1.per totum,& d.27.a.1.qu.2.& l.2.d.18.dub.1.& a. 3.qu.1.*

564. *Matrimonium, prout est contractus humanus, est in potestate Ecclesiæ,non prout est Divinus.*

Quamobrem relinquet homo Patrem, &c. Cur hic solùm excipit Patrem, & Matrem, & nunc Ecclesia prohibet affinium, & consanguineorum unionem? Respondetur, quod in sacramentò matrimonij sunt duo,scilicet mutua obligatio, & indissolubilitas: Primum est contractus humanus, quem reliquit Deus sub potestate Ecclesiæ, non verò secundum, in quo consistit essentialitas matrimonij: hinc in principio Deus instituit matrimonium quoad materiam, & formam, sed quoad materiam instituit, quantum illi tempori congruebat, excipiendo solùm Patrem, & Matrem:& quia aliæ personæ secundùm diversa tempora debebant congruere institutioni, circa legitimitatem personarum reliquit dispensandum,& ordinandum.*l.4. d.26.a.2.qu.2.& d.40.a.1.qu.3.*

565. *In matrimonio quarè fuit mutata pluries lex prohibens in consanguineis matrimonium.*

Quamobrem relinquet homo Patrem, &c. Ergone ob matrimonium debet relinqui amor, & obsequium debitum parentibus? Nonne hoc est contra ius naturale? Respondetur, hic non excludi cohabitationem filij cum patre, nec item amorem debitum patri, sed loquitur de commixtione sexuum: in principio enim tantùm prohibitum fuit matrimonium in primo gradu consanguinitatis, scilicet cum Patre, & matre, idque fuit de dictamine naturæ ob reverentiam, & honorem debitum parentibus; tum & ob subversionem generationis, quæ debet procedere, seu descendere, non retrocedere: lex autem scripta addidit etiam secundum gradum, scilicet fratrem, & sororem: in lege postea gratiæ Ecclesia addidit in principio alios quinque gradus, scilicet usque ad septimum gradum: sed novissimè Ecclesia reduxit ipsos ad quatuor gradus ob multas congruentias necessarias, & ut lex Evangelica superexcederet legem Mosaycam:Hæc autem prohibitio facta est ad dilatandam charitatem.*l.4. d. 40. dub. 1. & a. 1. qu. 2. & 3.*

566. *Deus quàm zelet dilatationem charitatis inter homines.*

Propter hoc relinquet homo Patrem, &c. Si Deus solùm prohibuit matrimonium inter Patrem, & filiam,&c.quarè postea addidit alias prohibitiones ad consanguineos, & affines? Respondetur, quòd Deus ordinavit ad utilitatem hominis: & ideò, prout est contractus, reliquit ipsum in iurisdictione sancti Petri, & Ecclesiæ: unde hæc prohibitio habuit pro motivo dilatationem charitatis: quia enim homo pronus est ad diligendum sibi propinquum magis quàm extraneum, ideò Ecclesia decrevit,ut matrimonia se extenderent ad extraneos: Et quia ultimis his temporibus charitas restrigit, ideò nunc citius rumpitur vinculum amoris, & parentelæ, quàm in Ecclesia primitiva: hinc decrevit, ut post gradum quartum homo revocari posset ad pristinum vinculum: id etiam factum est, quia reddebatur difficillimum invenire in terris, & oppidis aliquem, vel aliquam, cum qua non esset aliqua consanguinitas intra septimum gradum.*l.4.d.40.a.1.qu.2.& 3.*

567. *Vir unius uxoris debet esse sponsus.*

Propter hoc relinquet, &c. & adhærebit uxori suæ, &c. Nota, quòd dicit *uxori* non uxoribus pluribus, & si hoc, quarè aliquando concessa fuit multitudo uxorum? sed nota mysterium:Dicitur,*uxori*, non uxoribus, quia ius naturale dictat, quòd una sit unius, ideò in matrimonio concurrit quædam singularitas amoris, non cæteris communis: quod patet in quacumque lege,etiam in irrationabilibus ferè omnibus;Unde amore matrimoniali vir debet solùm amare propriam uxorem,& è converso.

Et si aliquando Deus in hoc dispensavit, id factum ad multiplicandos cultores veri Dei, quia tunc erant paucissimi.*l.4.d.33 a.1.qu.2.& 3. & op Biblia pauper.cap.89.*

568. *Deus zelotypus animæ ſuæ ſponſæ vult, & optat à nobis cor unum.*

Propter hoc &c. & adhærebit uxori ſuæ. Iam dictum eſt per virum ſignificari Deum, per uxorem animam: hinc dicitur, *uxori*, non uxoribus, per quod ſignificatur amor, quo Deus zelat animam, ut nolit eam aliquem alium tantùm diligere, ſic & anima à Deo nullo modo vult propter aliam deſeri, & in hoc patet ſapientia Dei, quæ ſe nobis oſtendit, quid agere debeamus. *l.4.d.33.a.1. quæſt.2.* Vult igitur amantiſſimus ſponſus animæ Dominus Ieſus Chriſtus, ut amori ſuo det amorem, ſcilicet cor ſuum totum, totam animam ſuam, totam mentem ſuam, ſic ut in toto corde, in tota mente nullus omninò cum eo aliquam partem poſſideat. *op. de perfect. vita ad ſoror. cap.7.*

569 *Deus moderavit vinculum matrimonij, concedendo repudium, ne Iudæi præcipitarent ſeipſos in maxima mala.*

Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ergo eſt indiſſolubile vinculum matrimonij? Quomodo ergo Deus permiſit repudium uxorum? Reſpondetur ob triplicem rationem: Primò, quia tunc erat tempus umbræ, nec eis erat revelatum myſterium matrimonij: Secundò, quia ipſi erant imperfecti, nec tantum onus portare voluerunt: Tertiò, quia duri erant, ob id Deus ad vitandas fornicationes, & homicidia eis conceſſit repudium. *l.4.d.33.a.3.q.2.*

570. *Peccator peccans relinquit Patrem Deum, & matrem, ſcilicet gratiam Dei, & adhæret Diabolo, ſumens pro uxore filias ejus, ſcilicet vitia capitalia.*

Et adhærebit uxori ſuæ, &c. Nota illud verbum, *adhærebit*, ubi rectè legit Tertullianus, adglutinabit, ad majorem expreſſionem hujus arctiſſimæ conjunctionis inter virum, & uxorem: ſed Chriſtus loquens de filio prodigo, qui diſceſſit à Patre Deo, utitur eodem verbo, *& adhæſit uni civium regionis illius*: Quænam fuit hæc adhæſio? Et quis eſt iſte civis regionis peccati? Iſte civis eſt unus, ſcilicet primus, & princeps, & eſt Diabolus, cui peccator adhæſit faciens per omnia ejus voluntatem. *In Luc. cap.15. verſ.15.*

Sed quia adhæſio ſignificat conjunctionem matrimonialem, numquid factus eſt conſanguineus Diaboli? Maximè: Diabolus enim habet ſeptem filias ſcilicet vitia capitalia, quas tradit hominibus: Aliquis eſt habens unam, alius plures, alius omnes: quantò plus autem habes filias Diaboli, tantò plus habebis de hæreditate ejus pro dote, nempè de igne æterno: Iſtæ filiæ habent ſuas filias, id eſt vitia de ipſis naſcentia: væ tibi, ſi matrem cum filia habebis! filiæ autem ſunt nequitia operis, conſuetudinis, & obdurationis impœnitentis. *ſerm.1. Dom. tertia Quadrageſ.*

571. *Conjuges ita ſe ament, ac ſi eſſent una perſona.*

Et adhærebit uxori ſuæ, &c. Hæc adhæſio ſignificat arctiſſimam conjunctionem non ſolùm corporum, ſed & animorum: Ideò hîc ſignificatur, quòd, licèt charitas faciat omnia communia, non tamen illa, quæ debet eſſe inter conjuges, inter quos requiritur individua vitæ conjunctio, & mutuus amor, mutuus zelus, & ſingularis. *l.4.d.33. a.1. qu.2.* ideò ſit hæc contractio medio annulo, qui in medio digiti ponitur, ad ſignificandam mutuam conjunctionem carnis, & cordis præcordialitatem. *In Pſalm.107.*

572. *Virginale matrimonium quale inter Chriſtum, & virgines Deo conſecratas.*

Et adhærebit uxori ſuæ, &c. Myſticè jam dictum eſt, ſignificari conjugium ſpirituale inter Chriſtum, & animam: id verò maximè verificatur de Virginibus, maximè Deo ſacratis, quæ propter amorem Chriſti Regnum mundi, & ea, quæ ſunt mundi, contempſerunt, iſtiſque datur à ſolo Epiſcopo, tanquam ſponſo Eccleſiæ loco Chriſti, annulus in medio digito in conſecratione, in ſignum conjunctionis ſpiritualis cum Chriſto. *ſerm. 4. Dom. Trinit. & l.4 d.20. p.2. dub.6. & Pſalm.107.* Annulus autem traditur in manu: per annulum ſignificatur fidei ſignaculum, tuncque eſt in manu, quando fides relucet in operibus, ſicque fides per opera clareſcat, & per fidem opera confirmentur. *In Luc. cap.15. v.22.*

Intende igitur, ô Virgo famula, ſponſa Chriſti, quam dilectionem dilectus tuus Ieſus requirat à te: Vult certè, ut amori ſuo des cor tuum, totam animam tuam, totam mentem tuam, ſic, ut in toto corde, in tota mente nullus omninò cum eo aliquam partem poſſideat: item ex tota anima tua eum diligere debes, ſcilicet ex tota voluntate tua ſine contrarietate velle, non quod tu vis, non quod mundus conſulit, non quod caro ſuggerit, ſed quod Dominum Deum tuum ſcis velle. *op. de perfect. vita ad ſoror. cap.7.*

573. *Deſponſatio animæ cum Deo fit annulo fidei.*

Quamobrem relinquet homo Patrem, &c. & adhærebit, &c. Myſticè hæc conjunctio Adæ, & Evæ ſignificat conjunctionem animæ cum Deo, ut ſæpe dictum eſt: ſed advertendum, quod in hac myſtica deſponſatione datur annulus in manu in ſignum conſenſus animorum, & carnis: Deus autem animam ſubarrhat in ſuam ſponſam, tradens ei, ſeu imprimens in corde fidem, quam tamen vult in manu; ſcilicet quòd reluceat in operationibus. *In Luc. cap.15. verſ.22.*

Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet, & uxor, & non erubeſcebant: Cur notat ſacer Textus iſtam carentiam erubeſcentiæ? videtur ſuperflua hæc obſervatio? ſed meritò notatur, quia per hoc dat intelligere, quòd in ſtatu innocentiæ nulla eſſet erubeſcentia, quia ibi omnia inferiora erant ſubjecta rationi, unde non fuiſſet major rubor in viſu pudendorum, ac manuum, & faciei, ſicut nec tactu. *l.2.d.20.a.1.qu.3. & 4.*

Ex quo neceſſariò inferri licet, quòd nihil vilius, & turpius, quàm rebellio carnis ad ſpiritum, & quòd peccatum inobedientiæ omnes ferè noſtros motus corporeos confudit, & quòd inhoneſtum, & inordinatum ſolùm eſt pudendum.

CAPUT



CAPUT III.

Sed & serpent erat callidior cunctis animantibus terra, &c. qui dixit ad mulierem, cur praecepit vobis Dominus Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?

Cui respondit mulier, de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur.

De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, praecepit nobis, ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur.

574. *Diabolus assumpsit verum serpentem ad tentandum hominem.*

Pro explicatione litteræ, nota esse maximam controversiam inter Doctores, an iste fuerit verus serpens, an à Diabolo assumptum fuerit corpus aëreum? Sed communior est fuisse verum serpentem, sed à Diabolo commotum; nam excitabat vim motivam, & adjuvabat, & dirigebat, ut serpens posset illas voces articulatas formare. *l.2. d. 21. dub.1.*

575. *Prudentia carnis est medium, quo Diabolus decipit homines.*

Sed & serpens callidior, &c. Quomodò potest dici callidior cunctis animantibus, cum multa animantia inveniantur astutiora? & cur in specie serpentis, & non alterius animalis?

Septuaginta legunt, sed & serpens erat prudentissimus bestiarum: quomodò prudentissimus, si prudentiæ munus est proportionem medij, & finis invenire, & cognoscere, & idcircò judicare, ob idque est actus rationis, qui solùm est rationalium? Sed advertendum, quod duplex est prudentia, alia vera, & propria, alia adulterina; quæ propriè dicitur dolositatis, & mundi, quæ est sapientum hujus sæculi: & hoc etiam habebat serpens à Diaboli præsentia, licet aliqualis etiam insit naturaliter in ipso serpente, ut notat Christus. *Matth. cap.10.* hæcque prudentia dolositatis fuit initium tentandi hominem. *In Psalm. 13. & l.2.d.21.dub.2.*

576. *Diabolus non habet potestatem, nisi excitativam ad decipiendum.*

Sed & serpens erat callidior, &c. Quomodò potest dici, quòd serpens esset callidior, maximè ex præsentia, & agitatione Diaboli, si, cùm sit animal irrationale, & mutum, ipso usus est ad loquendum? Id potiùs videtur stulta inventio? sed Deus optimus maximus, & providentissimus permisit, ut in specie serpentis fieret locutio, & excitaretur tentatio, ut ex tali modo, & astutia nullam haberet excusationem homo, & nos multa arcana addisceremus: Et quid? Vt addisceremus, primò, Diabolum nihil aliud habere, ut nos tentet, nisi linguam, scilicet vim proponendi nobis suas fallacias, non autem nos cogendi ad malum: non enim potest in hominem aliquid, nisi ipse homo sibi aditum præbeat. *l.2. d.21.a.1.q.2. corp. & ad 1.* idque maximè est verum post Christi Passionem, in cujus virtute confracta est ejus potestas, nec nocere potest nisi volentem. *l.3. d.19. art.1. quæst.3.*

Et licèt dicatur *Iob c.47. Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari.* Respondetur tamen, quòd potestas naturalis Diaboli est maxima, sed hæc non est potestas nos tentandi, cùm sit valdè debilis, nisi fortificetur per consensum nostrum. *l.2. d.6. dub.3.* undè ante consensum nos tentat ut Draco, & serpens per astutias: post consensum ut Leo; nam cùm peccatum sit similitudo, & character Diaboli, sic potestatem accipit vexandi existentem in peccato: licèt aliquando etiam bonos torqueat, permittente Deo, ad ipsorum meriti majorem cumulum. *l.4.d.20.p.1. qu.5. & l.2.d.21. dub.3. & l.3.d.19.a.1.qu.3. & l.2.d.3.p.2.dub.1. & In Luc. cap.9.v.32. & cap.4.v.3.*

Diabolus tentat ut serpens, & ut Leo: nẽpè quos ut serpẽs decipit, posteà ut Leo interimit, habens potestatem in peccatorem factum similem Diabolo per peccatum.

577. *Diabolus loquitur per detractorem tanquam per serpentem.*

Sed serpens callidior dixit ad mulierem, &c. Ergone serpens hoc naturaliter poterat loqui? Proprium est serpentis sibilare, non loqui? Sed jam dictum est, quòd illa lingua mota, & excitata à Diabolo ita loquebatur, ut nobis innotescere faceret, quænam sit lingua Dei, & quænam Diaboli; nam qui verba ædificatoria loquuntur, tunc loquuntur moti à Spiritu Sancto, qui in eis moratur; qui verba mundana, detractiones, scurrilitates, carnalitates, & similia loquuntur, loquuntur moti tamquam serpentes à Diabolo: proprium enim Diaboli est loqui in serpente, & per serpentem; unde lingua prava est lingua viperina. *serm.11. in Pentec. & serm.1. Dom.11. post Pentec. & serm.1. Dom.2. post octav. Pentec. & serm.2. de Sancto Laurentio.*

Nota, quòd lingua serpentis sibilare potest, clamare non potest: sic & oratio linguæ venenatæ non est clamor orantis, sed sibilus serpentis apud Deum. *serm.3. Dom.2. Quadr.*

578. *Susurro est serpens, per quem loquitur Diabolus.*

Sed serpens, &c. dixit ad mulierem, &c. Vide, quomodò Diabolus assumpsit serpentem, volens seminare inter Deum, & hominem discordias: nam susurro, & bilinguis verè est serpens habens linguam bifurcatam, scilicet ad duas partes reportando verba ab uno ad alium. *op. Diat. sal. tit.3. cap.7.*

Hac lingua Diabolus inficit, & vulnerat, tamquam per sagittam acutam homines in anima, & corpore. *serm.3. Dom.2. post. oct. Epiph.*

Vnde, sicut ad benè loquendum Deus os aperit, sic Diabolus ad malè loquendum. *serm.1. Dom. 11. Post Pentec.*

579. *Diabolus non potest, quidquid vult, sed tantùm quod ei permittitur à Deo.*

Sed serpens, &c. Quæritur, quarè in figura serpentis accessit ad tentandum, & non potiùs in figura columbæ? Respondetur *ex l.2.d.21. in textu magistri*, quòd maluisset assumere figuram columbæ, sed non fuit à Deo permissum, ne odiosa redderetur homini illa figura, in qua Spiritus Sanctus appariturus erat: Nec enim, quod Deo deservire debet, instrumentum potest esse Diaboli: voluit ergo

Spiritus Sancti opera

quàm diſtantia à deceptione Diaboli.

ergo Deus, ut Diabolus in figura tali veniret ad tentandum, ut per illam poſſet fœmina animadvertere aſtutiam Diaboli, ne haberet ullam excuſationem.

Hinc vocatur græcè Diabolus, quod interpretatur ergaſtulo clauſus: eſt enim ita clauſus, quòd non permittitur ita nocere, ſicut vellet. *op. comp. Theol.l.2.cap.26.*

580. *Alios peccato inficiens in infamiſſimam beſtiam transformatur.*

Sed & ſerpens erat callidior, &c. Aquila, & alij legunt, erat verſipellis, & nequam: cur hîc ſolùm tribuitur Diabolo nomen ſerpentis nequiſſimi, & venenoſæ beſtiæ, ſi jam ante ceciderat ab altitudine ſua? cur tam infame nomen in hoc actu acquirit? Reſpondetur, quòd, antequàm tentaret ruinam alterius, nomine Luciferi appellabatur, ſed quando in ruinam hominis ſe exercuit, nomen infamiſſimæ, & venenoſæ beſtiæ, & ſerpentis acquiſivit: Sic Caſſian. *in collat.8.cap.10.*

Diabolus decipiens hominē ſerpentis venenoſi nomen ſortitur. Scandaloſi ſunt ſerpentes à Diabolo moti, veluti dæmoniaci.

Hinc permiſit Deus hominem tentari à Diabolo in figura ſerpentis, quia ſuggeſtio propoſita intrat ad modum ſerpentis ad cor, & ibi virus diffundit peccati, ex quo homo ſpiritualiter habet mori. *l.2. d.21. a 1.q.2.*

Nota etiam, Diabolum uſum fuiſſe miniſterio ſerpentis, ſicut etiam loquitur, & multa facit per energumenos, & dæmoniacos. *l.2.d.2. dub.1.*

Nam mali conſiliari allicientes alios ad peccatum ſunt os Diaboli, ſunt & Dæmones, vel Dæmoniaci, his enim utitur Diabolus tanquam ſerpentibus, & inſtrumentis ad trahendum in peccatum, & in infernum animas. *ſerm.2. fer.4.Pentec. & ſerm.1.Dom.14.poſt Pentec.*

581. *Peccatum transformavit Luciferum in beſtiam.*

Sed & ſerpens callidior, &c. Certum, vel ſaltem probabiliſſimum eſt hunc fuiſſe verum animal: ſed cur Diabolo tribuitur hoc nomen, cum ipſe non ſit animal? Reſpondet S. Bonav. *l.2.d.8.p.1.a.1.q.1. ad 2.* quod dicitur animal non ratione formæ intrinſecæ, ſed ratione operationis conſequentis: ſed quænam fuit hæc operatio conſequens, tribuens nomen beſtiæ Diabolo? Sed nota, quod volens ipſe conſcendere ſuperbiendo, compulſus eſt deſcendere deorſum fluendo: Diabolus autem ſic Dictus, id eſt defluens. *l.2.d.5.a.1.qu.1.ad ult.* & hinc vertens ſe ad inferiora, comparatus eſt jumentis inſipientibus ſimilis factus illis: hoc enim eſt proprium peccati. *Pſalm.118.cap.6.verſ.3.* Applica hæc notabilia ad peccatorem. Hinc Diabolus habet furorem irrationalem, amentem concupiſcentiam, phantaſiam protervam. *l.2.d.7.p.1.a.2.qu.2. & Pſal. 118. cap.5.verſ.6.*

582. *Non permittit Deus nos tentari ſupra id, quod poſſumus.*

Sed & ſerpens, &c. Cur in forma ſerpentis apparuit Evæ, & non potiùs alterius animalis? Reſpondetur, quod ſic permiſit Deus: quia eſt juſtus & fidelis Deus, non permittens hominem tentari ultrà quàm poſſit, ideò permiſit Diabolum in tentatione ſic latere, ut nihilominùs poſſet ab homine deprehendi. *l.2.d.21.a.1.q.2.corp.*

583. *Peccatum reducit hominem in beſtiam.*

Sed & ſerpens, &c. Cur iterùm in forma ſerpentis? Reſpondetur, quod voluit id Deus, ut per effigiem illam exteriorem pateret finis à Diabolo intentus; intendebat enim, ut homo contempto bono incommutabili, & adhærendo commutabili ibi quieſceret ad ſimilitudinem brutorum, ſicque ipſis efficeretur ſimilis: Peccatum enim traducit hominem in beſtiam. *l.2. d.21.a.1.quæſt.2.corp. & Pſalm.118.cap.5.verſ.3.*

584. *Peccati venenum occidit animam.*

Sed & ſerpens, &c. Cur iterum in figura ſerpentis, &c. Reſpondetur id voluiſſe Deum, ut homo addiſceret, quale venenum diffundat peccatum in animam: diffundit enim virus ad cor, & interimit animam, eam privans vita gratiæ. *l.2.d.25. a.1.qu.1.corp.*

585. *Homo peccando fit totus terrenus.*

Sed & ſerpens, &c. Cur iterum in ſpecie ſerpentis, &c. Reſpondetur, id voluiſſe Deum, ut homo addiſceret, quòd peccando faciem, & mentem, & totum hominem converteret deorſum, & proſterneret, & ſicut proprium eſt ſerpentis ſecundùm totum corpus terræ adhærere, ſic & homo fit totus terrenus, & terræ inhærens. *l.2.d.21.a.1.qu.2.*

586. *Familiaritas, & ſocietas malorum quàm noxia: unde ad decipiendum Diabolus utitur amico iniquo.*

Sed & ſerpens, &c. Cur iterum in forma ſerpentis, &c. Nota, quod in Hebræo textu *ly callidior* dicitur ghatum, id eſt familiarior apud Velaſquez: unde D.Damaſcen. *l.2.de fide orthod.c.10.* ait, ſolus ſerpens cæteris animalibus familiaris erat, ad hominē frequenter accedens, eique placidiſſimis motibus corporis blandiens: Imò addit S.Bon. *l.2.d.21.a.1.q.2.ad 2.* ex Beda, & Magiſtro *hiſt.ſchol.* quòd Diabolus elegit quoddā genus ſerpentis virgineum habens vultum, de quo Ioſeph. *l.1.antiquit. c.1.* & S.Baſil. *Hom. de Parad.* dicunt habuiſſe verum uſum loquendi: Ex quo patet, quomodò idoneum inſtrumentum Diabolus elegit ad decipiendum, ſcilicet familiarius & ſimilius.

Sicut enim in hac vita nihil dulcius, ſuavius, & fructuoſius amicitia bona, ſic nihil peius, & damnoſius amicitia mala. *ſerm.1.de Apoſtol.*

Diabolus autem ſicut de ſimplici charitate amorem conflat illicitum, ſic per ſocietatem, & familiaritatem inducit interitum. *opuſc. Pharetr. lib.3. cap.26.*

587. *Deus permittit tentationes in nobis ad noſtrum profectum.*

Serpens erat callidior, &c. Miror, quomodò Deus creaturam tam perfectam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam factam à Dæmone permiſit impugnari? Et cum poſſit, non impedit? Et cur permiſit Deus, ut idem faciat nobiſcum? Id factum eſt à Deo prævidente, quibus bonis uſibus accommodaret, ſcilicet ſanctorum victoriæ, & amplificandæ coronæ: Id permittitur & fieri nobiſcum ad exercitium, & promotionem bonorum, ad quod conſequitur ipſius Diaboli ludificatio, qui dum intendit

tendit

tendit deiicere, sæpe promovet ad bonum. *l.2.d.3. p.2.dub.1.* Tentatio enim est veluti tactus pulsus, quo Deus nos probare intendit. *l.2.d.21. a.2.q.1.*

Tentatio est veluti tactus pulsus, quo Deus vult probare nostram infirmitatem & fidelitatem.

588. *Tentationis utilitates præcipuè sunt ad divinæ bonitatis declarationem, & nostrum majus bonum.*

Serpens erat callidior, &c. Cur Deus permisit tentari hominem à Diabolo? Quia tentatio probat virtutis constantiam: erudit, quia per eam homo discit, quæ sit utilitas tentationis, & profectus ex eis proveniens: exercitium virtutum, fidei, spei, &c. exhibet; & Deus nos humiliat per tentationes; humiliatur enim homo agnoscendo, quid sumus, quid possimus, & quod totum nostrum posse est solùm à Deo. *opusc. de profect. Relig. l.2 cap. & in Luc. c.11. vers.4.* O felix tentatio, quæ ad divinos amplexus fugere nos compellit; more enim bonæ matris facit nobiscum Deus, permittens nos tentari; mater enim filium suum à se elongatum videre desiderans, & amplexati, per terribile aliquod timorem induceit, & extendens brachia filium recipit fugientem, & cum gaudio sibi arctidet, & oscula dulcia elargitur; sic facit nobiscum Deus, quando permittit nos tentari. *op. stim. div. amor. p.3. cap.12.*

589. *A minimis incipit Diabolus nostrum excidium.*

Serpens erat callidior, &c. In quonam consistebat hæc calliditas? Nam prima facie videtur malè incæpisse exordium tentationis, ex interrogatione scilicet facta mulieri: nam est communis sensus Doctorum, quod etiam victa Eva, & stante viro, genus humanum non remansisset infectum, cùm à viro dependeret vel exitium hominum. *l.2.d.22. dub.1.* Cur non ab Adam inchoavit? Sed nota versutiam Diaboli (verè enim dicitur in Hebræo textu versipellis & nequam) nam à parte debiliori, & ad peccandum proniori scilicet à muliere incæpit. Vnde Deus permisit hominem tali ordine tentari. Primò ob viri exercitationem, qui adeò fortis erat, ut posset & Diaboli, & mulieris tẽtationi resistere. Secundò, ob removendam excusationem, quam habuisset mulier, si vir priùs deiectus fuisset. Tertiò, ut nos agnoscemus, quod Diaboli tentationes nobis eveniunt à parte sensualitatis progrediendo ad rationem superiorem. Quartò, ut erudiremur, quod Diabolus semper à minimis, & à parte debiliori, ut in maxima peccata gradatim nos inducat, incæpit. *l.2. d.21. a.1. quæst.3. & op. Brevil. p.3. cap.2. & op. Bibl. paup. cap.104.*

Mulier levis, & imbecillis.

590. *Tentatio est serpens ex foramine parvo intrans ad cor.*

Serpens autem erat, &c. Cur in figura serpentis voluit Deus tentari primum hominem? Vt detur intelligi, qualis sit tentatio immissa à Diabolo: sicut enim serpens est ita lubricus, ut si in aliquo foramine intrat eius caput, totus faciliter illabitur, sic & eius suggestiones: nam si capiti, idest primæ suggestioni non resistitur, totus cordi illabitur: sic & in Evam per auditum intravit caput, & tandem ad cor pervenit, unde ipsa dixit, *serpens me decepit. ferm.3. in vigil. Nativit. & op. comp. Theol. l.3. c.7.* Hinc disce, quòd peccati natura hæc est, ut ad alia trahat suo pondere;

Peccatū unum trahit ad aliud.

591. *Peccatum ut serpens fugiendum.*

Serpens erat callidior, &c. Quare in figura serpentis permisit Deus, ut Diabolus tentaret hominem? Vt nos addisceremus fugere societatem serpentis; nam peccatum per delectationem subintrat sicut serpens, & veneno sua diffundit ad cor, & occidit. Vnde, sicut salutem suam corporalem negligeret, qui serpentem juxta se scienter collocaret, sic qui in tali delectatione advertens periculum, voluntariè versatur, exponit se discrimini mortis spiritualis. *l.2.d.24. p.2. dub.1.*

Et sicut horribile est homini habere in ventre serpentem, multò periculosius est unum peccatum mortale habere in corde, quàm habere mille serpentes. *Serm.4. Dom.3. Quadrages.*

592. *Per auditum intrat peccatum in animam.*

Sed & serpens, &c. Nota, quod per angustissimum foramen, scilicet auditus tot ingentia mala prorupetunt. Vide, quale malum autem porrigere ad principium suggestionis Diaboli? Qui enim initium suggestionis occultæ libenter suscipit, & audit, violentis postmodum se tentationibus devictus tradit. *op. Confession. c.1. p.2. & opusc. Brevil. p.3. c.3.*

593. *Invidia quale malum.*

Sed & serpens, &c. Sed non vides, ô Dæmon infœlix, quod ex damnatione hominum tuam pœnam crescere quæris? Non mirum, nam ex invidia processit hæc tentatio, scilicet ut hominem à superna felicitate, à qua ipse ceciderat, impediret. *opusc. Bibl. paup. cap.42. & lib.2. d.21. art.1. quæst.2.*

Invidia enim bonum proximi suum malum, & malum bonum existimat, in aliena prosperitate tabescit, in aliena adversitate hilarescit, & in aliena mendacitate refrigescit. *opusc. de perfect. vita c.1. & op. Incend. am. c.1.*

594. *Discutere motiva mandantis, & præcipientis signum inobedientis animi, & infirmæ voluntatis.*

Cur præcepit vobis, &c. Nota initium tentationis quale: primò interrogat de causa præcepti, &c. ut discat Religiosus, quod imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hæsitare ad singula, quæ iniunguntur, exigere de iis, quæque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa lateret. *opuscul. Pharetr. lib.2. cap.44.* Hoc autem est comedere de ligno vetito scientiæ boni, & mali, ait D. Gregor. Vide *stim. div. amor. p.3. c.11.*

595. *Curiositas, & vagatio fons ruinæ propriæ.*

Qui dixit ad mulierem, &c. Dubium suboritur, quomodò serpens potuerit loqui cum muliere, cum Paradisus fuerit locus proprius hominis, & non animalium; cætera enim animalia habebant propriá habitationem extra Paradisum. *lib.2. d.17. dub.2.* cùm igitur mulier esset in Paradiso, serpens extra, quomodò potuerunt simul loqui? Nota, quod

Eva primò legitur locuta cum ſerpente, quam cum Deo in oratione, vel cum viro ad eruditionem aliquam ſuſcipiendam. *op. Bibl. paup. c.* 129.

Ergo ſtatim ac fuit creata, virum deſeruit, & vagando ſe contulit per Paradiſum: unde credibile eſt ipſam ad ſepes, vel mœnia Paradiſi, forſaque curioſitatis explendæ cauſa adſpexiſſe, & hac occaſione ſerpens loquutus eſt eum ea. Sic Rupertus *l. 1. in Geneſ. cap.* 3. Sic & nobiſcum operator Diabolus.

Vide igitur, quod de agmine columbarum crebro accipiter unam ſeparat, quam ſtatim arripiat, & laceret, cuius carnibus, & cruore ſatietur: & morbidæ oves ſuum relinquunt paſtorem, & gregem, & luporum faucibus devorantur. Nihil ergo tam damnoſum moribus bonis, quàm per curioſitatem, omiſſa circumſpectione ſui, perſcrutari ea, quæ ſcire nulla eſt utilitas. *op. Pharetr. l.* 3. *c.* 6. *&* 7.

596. *Diabolus paulatim venenum ſuum infundit, ut ad mortem tandem inducat.*

Qui dixit ad mulierem, cur præcepit Deus, &c. Vide, quomodò Diabolus non ſtatim omnia proponit, ſed paulatim, primò interrogando, poſteà promittendo? Vt addiſcas hanc eſſe aſtutiam ſerpentis maligni, nempe infundendo paulatim ſuum venenum: nam prima ſuggeſtio eſt primus motus, qui inchoat, deinde conſequitur delectatio, & tandem conſenſus complet: & ſicut ad modum ſerpentis induxit mulierem ad peccatum, ſic & nobiſcum operatur. *l.* 2. *d.* 24. *p.* 2. *a.* 2. *per totum. & op. Compend. Theol. l.* 2. *cap.* 66.

597. *Tentationes à Deo permiſſæ optimos fructus producunt.*

Cur præcepit vobis, &c. Cur Deus permiſit tentari hominem, qui poſſet cadere, & de facto conſenſurus erat? Nonne potius videretur congruentiùs & divinæ miſericordiæ, ac providentiæ, & homini utilius, ut nullæ tentationi, & caſui ſubeſſe poſſet homo? Minimè. Id voluit, & fecit Deus, primò, ut oſtendatur divina potentia, ſolus enim Deus invertibilis eſt. Secundò divina ſapientia, quæ ſola de malo novit elicere bonum. Tertiò, Dei clementia qua Chriſtus hominem perditum liberavit. Quartò, Dei juſtitia, qua reddit præmium bonis, pœnam malis. Quintò, ut homo non eſſet peioris conditionis, quàm aliæ creaturæ, quas Deus omnes ſic adminiſtrat, ut eas propriis motibus agere ſinat, ſic & hominem in ſua libertate reliquit. Sextò, eſt laus humana, laus enim magna eſt viri, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus. Septimò, decor Vniverſi, quia oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt: ſic mali bonos commendant ad invicem comparati. Octavò quia boni exercentur per malos. *l.* 2. *d.* 23. *a.* 1. *q.* 1. *&* 2. *& op. Comp. Theol. l.* 2. *c.* 65.

598. *Dæmon plus in muliere confidit, quàm in ſuo veneno ad decipiendum.*

Cur præcepit, &c. Cur non immediatè ſerpens aggreditur virum, ſed primò mulierem, & per mulierem ipſum virum? ſed ex hoc modo arguitur, qualis fuerit verſutia Diaboli: primò enim aggreſſus eſt mulierem, qua proſtrata ſciebat, quod vir nollet contriſtare ſuæ ſocietatis ſolatium, ideò per mulierem proſtravit & virum, & totum genus humanum. *opuſcul. Brevil. part.* 3. *cap.* 2. *&* 3.

Sic & eadem arte uſus eſt cum Iob, cui ablatis filiis, reliquit uxorem: non imperitus, quantùm eſſet neceſſaria tentatori, ſicut jam in Eva didicerat. *opuſcul. Pharetr. l.* 1. *cap.* 8. Hinc jure meritò à Sanctis Patribus appellatur mala mulier inſtrumentum, & janua Diaboli, via iniquitatis, ſerpentis percuſſio, nocivumque genus, hominis confuſio, præcipuum prælium, aſpis inſatiabilis. *Pharetr. ibidem.*

Per mulierem major tentatio ſubornatur viro, quàm per Diabolum.

599. *Per detractionem Diabolus incepit tentationem.*

Cur præcepit vobis, ne comederetis de omni ligno, &c. Vide verſutiam Diaboli: cor ſimpliciter non proponit ſolùm arborem vetitam, ſed per modum exceptionis non comederetis de omni ligno? Nota, quòd exceptio, & partialitas ex ſua natura eſt exoſa, ideò tali pacto exorſus eſt ſuam tentationem, talis enim eſt mos detractoris, qui ſemper ad partem deteriorem ſe applicat: qui ut canis non carnem, ſed ulcera, & ſaniem lambit. *op. Diat. ſal. ſit.* 3. *c.* 7.

Detractoris proprium eſt, bonum vel tacere, vel negare, ne fiat manifeſtum, vel pervertere illud in malum ſenſum, vel adinveniendo mendaciter malum fictum. *op. Centil. p.* 1. *ſect.* 13.

600. *Diabolus diſplicentiam mandatorum ingerit, & opinionum laxarum ſequelam.*

Cur præcepit vobis, &c. de omni ligno. Nota hanc interrogationem, ejuſque finem à Diabolo intentum: cur dixit de omni ligno, & non potiùs de ligno vetito? Reſpondetur intentionem Diaboli fuiſſe, ut induceret Evam ad dubitandum, an obſervantia talis mandati foret utilis, an noxia: & an verè fuiſſet propoſita ſub præcepto, an ſub conſilio: item, an verè mereretur ejus tranſgreſſio mortem corporis, & animæ: tum etiam, ut diſpliceret mandatorum Dei ingereret. Ex quo apparet, quod ſæpe dubia interpretatio præcepti (maximè in Religioſis) periculoſa eſt in ſocietta opinione ſui, vel alterius: & quòd incedere plana, & certa via relicta diverticulis dubietatum, & laxarum opinionum quaſi ſemitis latronum, eſt proprium juſtorum, & Deum amantium. *opuſc. de profec. religioſ. l.* 2. *c.* 12.

Addit *hic* D. Paſchaſius: omninò conſtat, Deum non dixiſſe, ne comederetis de omni ligno, ſed tantùm de hoc ligno: voluit enim Diabolus præceptum Dei de ſe leviſſimum reddere graviſſimum.

601. *Prædicator bene loquens, & malè operans, vel veris falſa immiſcens vitandus.*

Cur præcepit, &c. Vide ſerpentem diſertè, & facundè loquentem, ſed malè ſuadentem, ideò ob hanc rationem vitandus erat: ſic quia veris falſa permiſcebat, ideò ex hoc ſatis Eva debebat ejus malitiam cognoſcere. Sic Prædicator rectè prædicans, & malè operans eſt veluti ſerpens, & damnatus ſimilis Phariſæis: item & veris falſa immiſcens ſimilis eſt Diabolo. *In Luc. cap.* 4. *v.* 41. *& in c.* 11. *v.* 52.

602. *Mulier alloquens alium, quàm maritum, periclitatur.*

Cui respondit mulier : de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur, de fructu verò ligni, quod est in Paradiso, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Mirum est, quomodò mulier statim sine ulla consideratione respondrrit serpenti, & statim de fructu vetito comederit? Sed nota, quod post creationem Evæ non legitur, quod cum viro vel unum verbum alloquuta statim fuerit, sed solùm cum serpente. Hinc patet stultiloquium mulierum, & ipsarum periculum, dum cum aliis alloquuntur inscio marito. *op. Bibl. paup. cap. 129.*

603. *Ex defectu orationis ad Deum Eva cecidit.*

Cui respondit mulier, &c. Cor statim sine consideratione respondit hæc mulier admittendo colloquium cum serpente? Mirum quidem est hoc, quomodò tam citò tentationi in tanto discrimine, & in materia tam gravi succubuerit? Imò mirum hoc non est. Nota autem, quod non legitur, quod Eva ad orationem confugerit loquendo cum Deo, ipsi gratias agendo. *op. Bibl. paup. cap. 129.* Ideò cum Deus permittit quandoque hominem tentari, ut excitetur ad orationis studium, & confugiat ad Dominum, & expetiatur ejus auxilium, & ad ejus exauditionis solatium amplius in ejus amorem exardescat, & sic tam in merito virtutum, quàm in fiducia dilectionis ejus exerceat. *op. de profes. Religios. l. 2. c. 6.*

Vis orationis quanta contra Diabolū.

Vnde non est mirum, si tentationibus quis succumbat frequenter miserabiliter, qui studium orationis non exercet, & frequentat. Hoc enim est remedium ejus, qui vitiorum tentamentis æstuat. *op. de perfect. vita cap. 5.*

604. *Ad lignum vitæ confugiendum in tentatione, scilicet ad Crucifixum, & ad ejus vulnera.*

Cui respondit mulier, &c. de fructu lignorum, &c. Nota, quod nullam mentionem facit de ligno vitæ, licèt esset tam admirabile, & virtuosum, sed omnia ligna in unum collegit: Et cur non visum, & animum, & verba non direxit ad lignum vitæ, sed ad lignum vetitum? Hinc ergo miserabiliter cecidit. Et per hoc nobis regula datur, quod Deus benignissimus nos tentari permittit, non ut capiamur, sed ut timentes ad ipsum, ut portum tutissimum fugiamus.

Non ergo te tentationes habere miretis, ô homo, sed ad Deum fugias expavescens: accede ad Christum lignum vitæ, intra in ejus vulnera, ibique te abscondè, & ne timeas, quod ibi te inveniat inimicus. *op. sim. p. 3. cap. 12.*

Et licèt fortis valde esset Diabolus contra hominem ante Passionem Christi, nunc confracta est ejus potestas. *l. 3. d. 19. a. 1. qu. 3.*

605. *Evæ otiositas causa ruinæ: otium radix omnium malorum.*

Cui respondit mulier, &c. Nota, quod non legitur Eva in aliquo exercitio sibi proprio occupata, nempè non in oratione, vel gratiarum actione ob tot beneficia à Deo recepta, nec cum viro suo alloquente ad aliquam eruditionem percipiendam, vel in alio opere utili. *Bibl. pauper. cap. 129.* ergo otiosam ipsam invenit Diabolus: quid ergo mirum, si tam facilè consensit suasioni Diabolicæ. *opuscul. de 7. itiner. æternitat. itiner. 7. dist. 2.*

Omnium enim tentationum, & malarum cogitationum otium est sentina, & multam malitiam docuit otiositas, in desideriis est omnis otiosi, ait Spiritus Sanctus. *Ecclesi. c. 39. & op. comp. Theol. l. 3. c. 18. op. regul. Novit. c. 8.*

606. *Dubium in verbo Dei, effectus est tentationis diabolicæ.*

Cui respondit mulier, &c. ne fortè moriamur. Nota, serpentem interrogasse mulierem de causa præcepti, ut rationem duceret in dubium, & ipsam mulierem respondisse, *ne fortè moriamur*, dubitando scilicet, vel de eventu comminato à Deo, vel de sensu Dei mandantis, vel de veritate eventus: Et hæc dubitatio tentanti præbuit viam, & occasio fuit ruinæ Evæ. *l. 2. d. 22. art. 1. quæst. 1. ad 1.* Vt addiscas, quod effectus maximæ tentationis est dubitare quocumque modo de verbo Dei comminantis peccatoribus mala.

607. *A mendacio mundi exitium ortum habuit.*

Cui respondit mulier, &c. De fructu autem ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit, ne comederemus. Nota, In medio Paradisi collocavit Deus lignum vitæ, & lignum scientiæ: de illo voluit Deus, & præcepit, ut insisteret pro cibo immortalitatis, & vitæ homini: de isto vetuit comestionem: quomodò ergo dicit ista mendacissima mulier, quod Deus præcepit, ne comederet de ligno, quod est in medio Paradisi, si eis præceperat Deus, ut de ligno vitæ comederent, & ut mendacium super mendacium adderet, dixit, *ne tangeremus illud.* Sed, ut videas, quomodò à mendacio ortum habuit exitium totius generis humani, observa, quod ad hoc mendacium mulieris aliud consimile præcesserat à Diabolo, quando dixit, *Cur præcepit Deus, ne comederetis de omni ligno, &c.* cum solùm unicum vetasset, & aliud item consimile consecutum est, quando dixit, *nequaquam moriemini, &c.* Et hinc Diabolus à Christo *Ioan. cap. 8.* dicitur, Pater mendacij, quia non aliunde accepit mendacium, non à veritate Dei, sed à semetipso, Eva autem à Diabolo accepit: sic & tu, quando loqueris mendacium, à Diabolo accipis. *In Ioann. cap. 8. vers. 44. & opuscul. Biblioth. paup. cap. 67.*

Nota hîc diligenter, quod sicut verum est, quod dixit Christus *Matth. cap. 10.* omne qui loquitur utilia, & ædificatoria verba, Spiritus Patris cælestis est, qui loquitur in eo: sic è contra, qui scurrilia, mendacia, vana, detractoria, carnalia loquitur, spiritus patris infernalis loquitur in eo, qui etiam olim in serpente loquutus est. *serm. 21. in Pentec.*

608. *Detractio initium habuit à muliere, & quale vitium.*

Pracepit ne comederemus, nec tangeremus, &c. Vide, quàm maligna sit mala lingua detrahens: Deus enim solùm prohibuit esum ligni scientiæ, non autem vitæ, quæ ambo erant in medio Paradisi: item nec prohibuerat tactum illius, & tamen mala lingua superaddit, ne illud tangeremus.

Suprà diximus, excidium mundi incboasse ex detractione facta à Dæmone: Nunc addimus, quòd Eva didicit à magistro serpente talem modum detractionis; Vnde dicitur *Ecclef. c.10.* si mordeat in silentio serpens, nihil habet eo minùs, qui occultè detrahit: Proprium autem est detractoris audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, & imponere; diminuere, pervertere, & negare, scilicet vel bonum imminuẽdo, vel malum imponendo. *op. specul.an.c.1.* Addit autem hîc Rupertus Abbas *l.3. in Genes.c.5.* Iam impatienter ferebat, & murmurabat Eva, quod quasi parcus, vel avarus Deus pretiosa medij Paradisi reservaret, & viliora quæque per circuitum colligendo in cibum homini concessisset.

609. *Occasiones peccati etiam in minimis sunt vitanda.*

Pracepit, ne comederemus, & ne tangeremus, &c. Iam diximus, Evam ex suo sẽsu, scilicet ex tædio, & odio præcepti addidisse hæc verba, *ne tangeremus*; quod à multis Sanctis Patribus asseritur; Attamen alij videntes tunc Evam non amisisse justitiam originalem, dicunt, verè Deum præcepisse, non solùm ne de illo ligno comederent; sed nec etiam illud tangerent: sic Procopius in *Genesim*, quod tamen Propheta non expressit, sed intendit illud includere in præcepto non comedendi: sed quomodò potest dici, quòd in præcepto non comedendi includatur præceptum non tangendi? Sed nota, quod causa, & occasio peccandi etiam justos sæpe decipit. *op. Pharetr.l.4.c.45.* Per tactum autem intrat delectatio sensibilis in animam *op. Itin. ment. c.2.* ob idque & occasio quædam, & incitamentum poterat oriri ad colligendum, & gustandum pomum: hinc & potuit Deus ob id prohibere non solùm esum, sed & tactum ad majorem cautelam, ait Procopius *cit.* Vnde dicit Propheta: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis Psalm.*118. Ex quibus addiscere debemus, quòd omnes occasiones peccati à nobis sunt fugiendæ, non solùm in actu, & affectu, sed & in visu, auditu, tactu, & cæteris sensibus. *serm.3. Dom. infrà oct. Epiph. & op. Apolog. paup. resp.1.c.3. & In Psal.118.v.4. & c.1.v.4.*

610. *Muliebris sexus garrulus, malitiosus, indiscretus, impatiens.*

Pracepit Deus, ne comederemus, &c. Ecce quod serpentem non fefellit opinio, quam habebat de imbecillitate muliebri, ob id enim non invasit primò virum, quia ipsum noverat majori discretione præditum, & è contra muliebrem sexum garrulum, malitiosum, impatientem, & indiscretum natura. *op. Bibl. paup. c.54. & 127. & 128. & 129. & op. Phar. l.1.c.8.*

611. *Mulierum garrulitas in Eva manifestatur, & quàm Deo invisa, & hominibus nociva.*

Pracepit, &c. ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Quid dicis, ô mulier, an præcepit vobis Deus, ne tangeretis? Minimè: nam solùm dixit, de ligno scientiæ boni, & mali ne comedatis, cur ergo hoc asseris? Vide malignitatem (ait Chrysostomus *lib.16. in Gen.*) dixit Eva, quod non erat, ut in colloquium provocaret, ansamque serpenti præberet ad continuandum colloquium. Ideò non immeritò invasit serpens non virum, sed mulierem, tanquam nimis garrulam, & indiscretam, loquacitatique pronam. *op. Bibl. paup. & Phar. cit.*

Hinc dedit Deus præceptum viro, non mulieri, nisi per Adam, ut mulier minùs haberet occasiunem loquendi, sed potiùs interrogandi, & discendi à viro: legiturque priùs Eva loquuta cum serpente, quàm cum viro, quod sibi, & posteris damnosum fuit. *ibidem cap.93.*

612. *Peccata minima diligenter cavenda, pracipuè mendacia.*

Pracepit, &c. ne comederemus, & ne tangeremus. Hæc ultima particula de tactu videtur quidem in se minima, cum ad esum ligni addiderit etiam mulier tactus prohibitionem: undè mendacium parvi momenti videtur; quomodò ergo mulier ex tam modica culpa in lethalem irruit? Nota etiam, quod alio mendacio respondit serpens, *nequaquam moriemini*, ut videas, quod à mendaciis inchoata est ruina mundi. *op. Bibl. paup. cap.67.* Hinc vide, quod si circumspectionis sollicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur, quia hostis callidus tantò liberiùs pectus percutit, quantò nudum à providentiæ lorica deprehendit; unde si curare parva negligit anima, insensibiliter seducta statim audenter etiam majora perpetrat. *op. Pharetr. l.3. cap.8.*

Callidus ille tentator, cum intus aliquem scintillæ fomitem deprehendit, plurimas paleas cum magna festinatione colligit: & si prævalendo scintilla flammam excutit, & domum pectoris nostri de nostro, & suo simul exurit. *Psalm.106.*

613. *Incauta, & vitiosa custoditio oris, & lingua multa mala anima causat.*

Pracepit Deus, &c. Iam suprà diximus primum errorem Evæ fuisse admissionem colloquij cum serpente. *ex op. Bibl. paup. cap.129.*

Nunc verò denuò perpendimus hanc multiplicationem verborum inutilem factam à muliere cum serpente, & quæritur, cur illa, quæ tantis donis gratiæ cumulata à Deo fuerat, in hoc multiloquium inutile incidit; sed ex hoc vide, quomodò ex defectu disciplinæ oris Eva præcipitavit se, & alios, & obtemperavit Diabolo. *op. specul. discipl. p.1.c.24.*

Anima enim nostra est veluti manus scribens, & imprimens in memoria, quæ ab extra, & per fenestras sensuum, & præcipuè oris, oculorum, & auditus percipiuntur, unde magna discretio ad custodiendam domum interiorem requiritur, ne aliquod inutile, vel immundum introeat. In quo misera Eva erravit, introducens incautè eloquium

quium serpentis, & dubitationem: Per quod Religiosis datur norma secura cavendi deceptiones, & peccata. *op. specul. discipl. ibidem; & comp. Theol.l.4.c.3.& serm.22. Hexaem.* Vide S. Ambros. *Psalm.* 3.8.

Unde verissimum est dictum S. Jacobi Apostoli, quòd lingua est universitas iniquitatis, ex ipsa enim infinita mala prodeunt, ob idque diligentissimè est custodienda à Religiosis, præcipuèque sacris Virginibus; magna enim est confusio sexui fœmineo, & maximum dedecus Virginibus sacris (nempe in mystico Paradiso Religionis inclusis) non habere oris custodiam, non servare linguæ disciplinam, cum cuncta mala in Religiosis per linguæ inquietudinem committantur. Certè igitur frustra ille Religiosus gloriatur de possessione victoria in corde, qui dissipat disciplinam silentij per multitudinem multiloquij. *op. de perfec. vita cap.4.*

614. *Magna securitas fert secum magnum periculum.*

Præcepit enim Deus, &c. Vide quanta cum libertate, & absque ullo metu mulier cum serpente alloquitur: Ex quo dicere potes, quòd ubi est nimia securitas extra Deum, ibi est periculum labendi, & qui amat periculum, in illo peribit: sæpe enim mens, dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario inopinatæ culpæ telo perforatur; securitas enim negligentiam parit, negligentia sæpè incautos ad peccatum reducit. *op. Pharetr.l.3.c.9.*

Dixit autem serpens ad mulierem, nequaquam moriemini.

Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.

615. *Diabolus sophista logicam pessimam docet, contra quam est logica Christi.*

Dixit autem serpens, &c. Nota, Diabolum in hac tentatione sophistarum mores aggressum esse: isti enim distinctiones adiungere, & verba æquivoca solent, ut faciliùs decipiant: Vide igitur hic logicam Diaboli, & Paralogismum sophisticum ducens ad perditionem: Primò enim supposuit in corde mulieris quandam propositionem, nempe, Creatura rationalis debet appetere similitudinem Creatoris, quia est eius imago: hæc est per se nota, ideò in damnatis erit iste appetitus in maximam pœnam inexplebilem: minor propositio fuit ista: si comederitis, habebitis hanc similitudinem, hinc illatio: ergo bonum est comedere. Et quia mulier consensit in maiorem, & in minorem propositionem, hinc incidit in passibilitatem naturæ, in necessitatem impotentiæ, & in mortalitatem vitæ: Diabolus ergo, ut sophista, occultat sub honoribus onera, sub dignitatibus pericula, & sub delicijs dolores, sub divitijs languores.

Et ideò contra hæc sophismata Diaboli debet esse logica nostra in Christi schola exposita, ne sub apparentia boni malum apprehendamus: nam per istum paralogismum peccant omnes, quis nullus intendens ad malum, malum operatur. *serm.1. Hexaem. & op. de trib. ternar. peccat. cap.7. & serm. de anim. Purgat.*

616. *Diabolus introductor à principio pluralitatis Deorum.*

Eritis sicut Dij. Cur non dixit serpens, eritis sicut Deus, cum Deus sit unus? sed nota fallaciam Diaboli introducentis multiplicitatem Deorum, ob idque & invehentia idololatriam in mundo: sic D. Ambrosius: Hoc enim nomen (Deus) cum sit proprium Dei, secundùm congruum modum dicendi grammaticalem non habet plurale. *l.1.d.4.a.1.qu.4.*

617. *Diabolus conatur tollere à cordibus fidelium timorem Dei, & memoriam mortis.*

Nequaquam moriemini; Cur tam impudenter, ô malignissime serpens contra dictum Dei te opponis, dicens, (*nequaquam moriemini*) si Deus iam mortem intimaverat homini, si auderet præceptum transgredi?

Sed iam diximus ad *cap. 2.v.10.& l.2.d.17.dub.4.* Deum in his operibus velle quidem à nobis amari ex exhibitione tot donorum, sed simul etiam timeri, ob id lignum scientiæ ostendit cum comminatione mortis transgredienti præceptum. Hinc vide pervicaciam Diaboli timorem tentantis ablegare ab animo Evæ, dicendo, *nequaquam moriemini;* tum etiam memoriam mortis rescendo: nec id mirum, nam memoria mortis est efficacissimum remedium ad vitanda peccata, aliaque plurima bona animæ confert, de quo vide suprà. *cap.2.vers 18.conc.42.*

Timor etiam Dei est fundamentum omnium donorum, & bonorum; & ideò primus homo, quamdiu habuit hunc timorem, qui oritur ex amore ordinato in Deum, tamdiù fuit sine peccato. *op. de Don. tim. c. 1.* Hinc Diabolus contraria vi à Deo progrediens timorem Dei à primis parentibus excutere tentavit.

618. *Superbia, gula, & avaritia Diabolus omnes sibi consentientes perdit.*

Nequaquam moriemini, &c. eritis sicut Dij, &c. Nota progressum tentationis serpentinæ: Primò rationem duxit in dubitationem, dicens, *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Secundò abstulit timorem; dicens, *nequaquam moriemini*, ut irascibilem doceret in contemptum præcepti Divini: Tertiò promisit Divinitatis excellentiam, ut concupiscibilem excederet in appetitum, & desiderium talis excellentiæ: sicque per triplex appetibile traxit mulierem ad consensum, scilicet per scientiam rationali propositam, per Divinitatem irascibili ostensam, & per suavitatem ligni expositam concupiscibili: hisque tribus generibus tentationum Diabolus decipit omnes, quos vincit. *Brevil.p.3.cap.2. & Centil. p. 1. sect. 5. l. 2. d.22.a.1.qu.1. Compend. Theolog.l. 2.cap.65.*

Vide igitur, quænam sint vitia præcipua, quibus Diabolus decepit primos parentes, & continuè decipit homines, sunt namque superbia, vel vana gloria, gula, & avaritia: superbia in appetendo Divinitatem: gula in appetendo suavitatem ligni: & avaritia in appetendo abundantiam cognitionis. *l.2.d.22.a.1.qu.1.& Breviloqu.& Centiloqu.cit.*

619. *Notitia de Deo est lignum vitæ: notitia creaturarum ad Deum non ordinata est lignum scientiæ, & mortis.*

Nequaquam moriemini, &c. scit enim Deus, &c. Vide

Vide, quomodò lucifer nullam mentionem in hac tentatione fecit de fructu ligni vitæ, sed tantùm proposuit esum ligni scientiæ: cur non etiam cum comestione ligni scientiæ non proposuit esum ligni vitæ? forsan enim tali pacto faciliùs fuisset decipere mulierem? sed vafertimos deceptor arte sua ingeniosa usus est ad decipiendum Evam: sciebat enim, quod si comedissent de ligno vitæ, ob suavitatem ipsius contempsissent lignum scientiæ: sed quid mysterij latet in hoc facto?

Nota, quòd lignum vitæ ita dicitur, quia conferebat vitam non solùm naturalem, sed & spiritualem; erat enim positum in Sacramentum, ut iam dictum est ex *l.2.d.17.dub.4.* Hinc per lignum vitæ significatur sapientia cælestis, quæ est charitati, & amori Dei coniuncta: per lignum scientiæ significatur notitia pura creaturarum: hinc sicut primi parentes relinquentes lignum vitæ, scilicet Deum, & se convertentes ad notitiam creaturarum ceciderunt: (oh quot homines in hoc decipiuntur!) sic Salomon volens disputare de rebus creatis, oblitus est sui principij, ideò vanus factus est, & cecidit in tot errores, & impietates: sic plurimi, cum cætera sciant, se ipsos nesciunt, & se vertentes per curiositatem ad scientias vanas relinquentes lignum vitæ sapientiæ, & charitatis, se ipsos perdunt: unde appetitus scientiæ modificandus est, & ei præferendum studium sapientiæ, & sanctitatis. *serm.19.Hexaem.*

620. ***Cautela proponitur incumbenti studio sacræ Theologiæ.***

Hæc cautela maximè est advertenda ab ijs, qui studio Theologiæ incumbunt: cum enim hac cæteris scientijs, ut suis ancillis utatur, cavendum est, ne nimis animus se diffundat in humanis scientijs, & relinquat lignum vitæ, quod absconditum exhibetur in studio summæ, & æternæ veritatis, unde non solùm Theologus debet curare scire Mysteria Fidei, sed & ipsa degustare, sic enim inveniet refectionem & quietem. *serm.17.Hexaem.*

Eritis sicut Dij, &c. Nota, quod sicut cecidit Diabolus, quia voluit ascendere in montem altitudinis potestatis: sic & primis parentibus proposuit alterum montem, scilicet scientiæ, & vanitatis, & per talem appetitum ipsos immortalitate voluit spoliare. *op. Medit. vita Christi cap.35.*

621. ***Diabolus homines ex Dijs tentat facere Dæmones sub specie boni.***

Eritis sicut Dij. Sed ò scelesté, ò malevole, ad quem erit ista similitudo? & in quo consistit hæc Deitas, quam tu tam impudenter promittis? Respondebit, quod in sciendo bonum, & malum: mutila, & iniqua responsio est hæc; nam hæc participatio Deitatis stat principaliter in similitudine quam habet anima ad Deum per charitatem, & gratiam, & cum primi parentes hanc sublimissimam haberent, hinc verè poterant dici per participationem Dij: Dij enim sunt omnes iusti, & recti, & veraces ad similitudinem Dei. *serm.4.Dom. 4.Quadragesimæ.*

Sed quid est, quod promittebat Diabolus tentando istos Deos? nihil aliud, nisi eos incendere ad iniquitatem, & sub specie similitudinis Divinæ eos omni bono destitutos reddere: sic continuè facit Diabolus sub specie boni laqueos parando hominibus iustis. *serm.1.Hexaem. & Brevil p.3.cap.2.& serm.4.Dom.4.Quadrages.*

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.

Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

622. ***Quid significat in sacra scriptura videre.***

Vidit igitur mulier, &c. Nota hic visum sumi, non præcisè pro solo visu oculi exteriori, sed etiam pro interiori, scilicet pro iudicio. *l.4.d.* t.p. *1.dub.1.* Attamen in hac phrasi loquendi continentur plura mysteria infrà notanda.

623. ***Eva se subiecit iudicio, & imperio sensualitatis.***

Vidit igitur mulier, &c. Si videre hic sumitur pro iudicio intellectus, quare non dicitur, iudicavit, putavit, &c. sed nota mysterium: Dixit, *vidit* ut intelligeremus, operationem tam exteriorem, quàm interiorem Evæ circa cognitionem, & iudicium de ligni huius comestione fuisse sensualem, & carnis: Exposuit enim Deus duplicem librum homini, alterum scriptum intus, alterum scriptum foris: Primus est Dei cognitio, secundus cognitio creaturarum, deditque ei duplicem motum, scilicet rationis in ordine ad bonum invisibile, & increatum, alium sensualitatis, ad bonum visibile, sed hac intentione, ut motus sensitivæ, & cognitio creaturarum subijceretur rationi, & ad Dei cognitionem, & amorem ordinaretur, sed mulier stulta, relicto libro interiori, & Deo suo, se vertit ad visibile bonum, sicque se convertendo ad bonum commutabile, appetijt, quod Diabolus proposuit, & cecidit à sua altitudine; ideò utitur hoc vocabulo, videndi, ut intelligatur operatio carnea, & sensualis Evæ. *opusc. Brevil. p. 2. cap. 11.& p.3.cap.3.*

624. ***Primus lapsus Evæ fuit curiositas: ob id vitanda.***

Vidit igitur mulier, &c. Suprà diximus, serpentem occasionem arripuisse tentandi mulierem irretitam vagandi studio: nunc nota supradicta verba, *vidit mulier lignum, &c.* sed cur oculos tam fixos habuit ad hoc lignum supra cætera? Quia cum in ipsius esu promittebatur cognitio sciendi bonum, & malum: hinc tota fixa est visio curiositatis in illud: Unde primum vitium, & lapsus parentum primorum fuit curiositas sciendi. *op. Bibl. paup. cap. 11.& serm. 11.Hexaem.* Sic etiam *in Gen.cap.34.* Dina curiositatis causa volens videre mulieres regionis illius corrupta est. *op. de profect. Religios. l. 1.cap.39.*

625. ***Visus occasio peccati.***

Vidit igitur mulier lignum, &c. Nonne iam viderat hoc lignum? Ad quid ergo id superfluè notatur, nam si de arbore fructum legit, & comedit, certum est illud inspexisse? sed vide scalam, per quam Eva in profundum peccati gradatim descendit: Eva enim lignum non contigisset, nisi prius incautè

ocaute respexisset, quarè per oculos ad mortem coit mater viventium. Ex quo debemus addiscere nos, qui mortaliter vivimus, quod ab illicitis visum restringere tenemur, nec intueri, quod non licet concupisci. *op. Confessionale cap. 1. p. 3.* Sic & D. Thomas *hic*, & Crisolog. *serm.* 39. *oculi nostri sunt veluti quidam raptores trahentes animam ad culpam. op. Confess. ibidem, & op. Bibl. paup. cap. 92. & op. de profess. Religios. l. 1. cap. 39.*

Admonitio ad Confessarios. Hinc admonitio præcipuè venit ad Confessarios, qui diligenter debent cavere, ne vultum sibi confitentis, maximè mulieris respiciant, ne confitentes confundant, & ne ipsi delectatione illicita capiantur. *op. Confession. ibidem.*

626. *Incauta custodia sensuum auditus, visus, &c. quàm damnosa.*

Vidit igitur mulier, &c. Nota hanc illationis particulam, *igitur*, est enim nota conclusionis illatæ ab antecedentibus: quænam fuerunt propositiones antecedentes, ex quibus necessariò hæc conclusio tam pessima orta est, nempè visus malos, & comestio tam damnosa? sed vide processum peccati: Primò mulier audivit serpentem, quod non debebat: Secundò cum eo colloquuta est: Tertiò quod curiosè inspexit lignum, & hinc sequuta est transgressio peccati læthalis. Ex quo datur admonitio, quanta cura exteriores sensus sint custodiendi, qui sunt quasi fenestræ animæ, per quas mors peccati intrat quasi fur, vel corruptor castitatis nostræ, dum non custodiuntur: David uxorem Uriæ concupivit, quia incautè respexit: sic Eva vidit lignum, & concupivit: sic aures, sic manus, & alij sensus, & membra coërcenda sunt, ne hauriamus per ea mortiferum corruptionis: diligenter igitur custodienda domus interior, ne per sensus intrent latrones; Unde boni Religiosi recludunt se in cellis, & monasterijs, quasi in sepulchris, ne vel ipsi concupiscant mundum, vel concupiscantur: quantò enim rariùs vides, vel audis quæ mundi sunt, tantò affectus tuus ad ea concupiscenda frigidior erit, & minus ea cogitabis. *op. de profec. Religios. l. 1. cap. 39. & opusc. Biblia paup. cap. 112. & serm. 22. Hexaem.*

627. *Aviditas mulierum maxima.*

Vidit igitur, &c. Nota, quod statim post inspectionem fructuum, de ipsis mulier sumpsit, & comedit: Cur non aliquam moram dedit inter visum, & comestionem? sanè mirum est, quod tam præcipitanter illa, quæ erat tot gratijs illustrata, curreret ad cibum læthalem: Imò mirum non est, nam aviditas nimia mulierum, ipsas ad adimpletionem suarum inclinationum sine deliberatione arripit. *op. Biblia paup. cap. 127.*

628. *Quàm noxium operari sine consilio.*

Vidit igitur, &c. Quomodò tam præcipitanter mulier in tam grave scelus erupit? Quia tantum opus sine consilio, & consultatione viri arripuit: ut addiscas in arduis consilium maiorum quærere. *op. Bibl. paup. cap. 127.*

Vide igitur, qualis differentia sit inter consilium, quod oritur ex propria voluntate, & illud, quod à spiritu sancto: nam qui sine consilio vivunt ducti à propria voluntate, præcipitationi se tradunt, sequentes errorem suum: Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, sibi placentes, & magni in oculis suis ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. *op. de dono consil. cap. 3.*

629. *Peccatum Evæ fuit superbiæ, avaritiæ, gulæ, & inobedientiæ.*

Vidit, &c. tulit de fructu, &c. & comedit, deditque viro suo, qui comedit, &c. Ex hac comestione facta à muliere, quæritur, quodnam peccatum ortum fuerit: Et si fuit unicum peccatum, quomodò ex ipso tot alia resultarunt? sed respondetur, quod peccatum mulieris inchoatum fuit à superbia, appetendo esse sicut Deus: progressum habuit in avaritia, appetendo excellentiam, & sufficientiam scientiæ, & consummatum fuit in gula, experiendo suavitatem ligni vetiti, unde principale fuit inobedientia: Et ideò ex inobedientia principaliter orta est ruina totius generis humani. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 1. & 2. & a. 2. & Psalm. 106. in fine.*

630. *Quale peccatum Adæ.*

Et comedit, &c. Eva & Adam æqualiter comederunt de fructu vetito: Quæritur, an etiam æquale fuerit peccatum utriusque? Respondetur, quod in ambobus fuit conformitas in transgressione, non verò in transgrediendo: Primò enim uterque fuit inobediens, sed diverso modo: quia vir comedit, non propter assimilationem concupitam cum Deo in multiplici scientia, sed tantùm, ne contristaret delicias cordis sui; ideò in hac inobedientia adfuit aliqualis superbia, dum se nimis apud Deum æstimans, per comestionem illius sibi putavit Deum non inflicturum pœnam comminatam, sed facilè sibi veniam concessurum: concurrit etiam aliqualis avaritia, volens curiosè scire, quod sibi eveniret: item & quædam lascivia amicabilis affectionis, ne contristaret uxorem, sicque perducta est ad inobedientiam: Et quoad gravitatem, peccatum viri, & mulieris se habent tamquam excedentia, & excessa: nam, quoad ingratitudinem, graviùs peccavit vir, sicut & quoad damnum consequens; mulier verò graviùs peccavit, quoad libidinem, & quoad occasionem datam viro talis lapsus. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 2. & 3. & serm. 2. Dom. 2. Advent.*

631. *Peccatum mulieris attribuitur Adæ, quia omisit eam corripere, ut debebat.*

Et comedit, &c. Si Adam non appetijt dictam similitudinem Dei, quomodò ergo dicitur à SS. P. P. Adam appetijsse esse sicut Deus? Respondetur, hoc dictum intelligendum esse impropriè, scilicet vel ratione contemptus Divini præcepti, præferendo suam voluntatem Divinæ, & subijciendo se ipsum sibi: vel per Synecdochen, scilicet attribuendo viro, quod est mulieris. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 1.* Sed quomodò peccatum mulieris veraciter potest tribui viro? Respondetur, quia cum esset præpositus uxoris, omisit eam corripere, & compescere, sicuti tenebatur, ob id ei hæc culpa imputatur. *l. 2. d. 22. ibidem & Brevil. p. 3. cap. 3.*

Nemo igitur vitia palpet, vel peccata dissimulet, cum viderit fratrem depetire, vel minui disciplinam: est enim consentire silere cum arguere possis, scimus enim similem pœnam in facientes, & consentientes manere. *op. Pharetr. l. 4. cap. 38.* *Correlet dissimulantes.* Cum autem correctio sit omnibus præcepta, præcipue tamen Prælatis, quibus hoc incumbit ex officio

officio; unde ſi negligis corrigere, peior factus es eo, qui peccavit. *op ſpecul. an. cap. 3.*

632. *Ex viro, non ex muliere proceſſit corruptio generis humani.*

Et comedit, &c. Quæritur, an, ſi mulier tantùm, & non vir comediſſet de ligno vetito, humanum genus corruptionem incurriſſet? Reſpondetur negativè: nam in tali caſu, vel homo tantùm incurriſſet corruptionem pœnalitatis, non verò peccati originalis: vel probabilius, Adam non cognoviſſet Evam fœdatam peccato, ſed Deus aliam formaſſet. *l. 2. d. 22. dub. 1.*

633. *Peccatorum connexio, qua peccator de abyſſo in abyſſum præcipitat, qualis, & quanta.*

Et comedit, &c. Certum eſt, Evam, & Adam unico actu transgreſſionem præcepti Divini incurriſſe: Quomodò ergo potuit per unicum actum multiplex malum committi? Item, quomodò ex unico actu comeſtionis potuit erumpere tanta multiplicitas peccatorum in deſcendentes? Reſpondetur, in hoc peccato plura genera peccatorum concurriſſe ad unicum flagitium perpetrandum: facillimum enim eſt de peccato in peccatum ruere, & quia ortum eſt hoc peccatum ex ſuperbia, hinc & pullularunt cætera vitia: ſuperbia enim, quia vult omnes excellere, dolet, ſi aliquis ei æquetur, & ſic ex ea naſcitur invidia: Invidus, quia de facili iraſcitur ei, cui invidet, ideò ex ea naſcitur ira: ſed ira, cum non poteſt ſe vindicare, triſtatur, ideò ex ea naſcitur accidia: Accidia verò conſolationem quærens in exterioribus, facit avarum, & quia avaritia temporalibus abundat, poteſt magis exercere gulam, & gula propter ventris repletionem de facili ſpumat in libidinem, & ita generat luxuriam: Vide ergo, quomodò de facili unum peccatum naſcitur ex alio, ſicque peccator facillimè de abyſſo in abyſſum præcipitat. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 1. in corp. & op. Compend. Theolog. l. 3. cap. 7.*

634. *Conſideratio gravitatis peccati, & ſeveritatis Divinæ Iuſtitiæ retrahit à peccato.*

Et comedit, &c. Mirum eſt, quomodò vir, & mulier tot illuſtrationibus divites tam facilè ruerint in tantum præcipitium? ſed adverte, quod lapſus talis evenit, non ex ignorantia propriè ſumpta, ſed ex defectu conſiderationis gravitatis culpæ, & ſeveritatis Divinæ Iuſtitiæ. *l. 2. d. 22. a. 2. qu. 1. corp.*

635. *Ex defectu præſentiæ Divinæ conſiderata Adam cecidit, & quilibet homo peccat.*

Et comedit, &c. Certum eſt, Adam in Paradiſo terreſtri ante lapſum habuiſſe ultra dona naturalia optima, & juſtitiam originalem, etiam gratiam gratum facientem perfectiſſimam; quomodò ergo, cum gratia faciat animam Deo adhærere per intellectum, & voluntatem, potuit à Deo ſeparari? Reſpondetur, quod verum eſt gratiam unire animam cum Deo quoad habitum, ſed nihilominus tamen homo habens magnam gratiam, inordinatè afficitur ad aliquid creatum, pro eo, quod non ſemper actualiter fertur in illud ſummum bonum & hinc in juſtis oriuntur lapſus, & peccata, ut evénit in Adam, nempe, quia Deum præ oculis non habent, & actu non conſiderant eius præſentiam, bonitatem, maieſtatem, hinc & præcipitant: qui autem Deum præſentem in ſua mente ferunt, impoſſibile ferè eſt ipſos peccare: Hinc quia Adam, & Eva ſe elongaverunt à Dei præſentia, etiam lapſi ſunt in peccatum. *l. 2. d. 29. a. 2. qu. 1. ad tertium.*

636. *Vnuſquiſque ſuo muneri incumbat: ex oppoſito enim venit omnis confuſio.*

Et comedit, &c. Cur comedit vir? Quia mulier dedit viro ſuo cibum vetitum: Vide, qualis confuſio oritur ex eo, quod non attenditur ad exercitium proprij muneris: vir enim debebat præcipere, mulier obtemperare, ſed quia oppoſitum factum eſt, hinc talis confuſio fuit ob obedientiam inordinatam: vir enim natus erat ad imperandum, non ad obtemperandum mulieri: mulier è contra ad obediendum. *op. Diat. ſal. tit. 7. c. 6.*

637. *Deſerens lignum vitæ, ſcilicet notitiam Chriſti, & ſe vertens ad creaturas, ruit in omnia mala.*

Et comedit, &c. Cur, ô Adam non potiùs porrigis manum ad lignum vitæ; hoc enim tibi conferet ad vitam perfectiſſimam, & ad exercitium omnium actuum vitalium, & ex hoc obtinebis & notitiam veritatum æternarum, & guſtum ſuavitatis: Vide igitur perfidiam Adæ, qui potiùs voluit mittere manum ad lignum ſcientiæ, deſerens lignum vitæ, & totum perdidit: quid myſterij latet pro nobis? Verbum Divinum incarnatum eſt medium faciens ſcire, & eſt lignum vitæ viviſicans animam totam; qui igitur hoc lignum deſerunt, & ſe diffundunt in vanitates, & inſanias multas, quæ ſunt occaſiones mortis, quia impellunt hominem in amorem pulchritudinis creaturæ, iſti oberrant in veſtigijs Dei, & præcipitant in omnia mala. *ſerm. 1. 17. 18. & 19. Hexaemeron.*

638. *Gula mali effectus enarrantur.*

Et comedit, &c. Vide, quomodò ex vitio gulæ omnia mala orta fuere: nam de Paradiſo eiecit hominem, ſpiritualia bona perdit, Diabolo demum præparat, concupiſcentiã contra rationem armat, & animat, luxuriam inducit, & mortem naturæ, & culpæ cauſat. *op. Compend. Theol. l. 2. cap. 10.* Vide ergo, quomodò ſi pro gula unius horæ totus mundus infirmatur, quid erit de gula triginta, vel quadraginta annorum quotidiana. *ſerm. 1. Dom. 20. poſt Pentecoſt.*

6[3]9. *Amor nimius in uxorem excæcat mentem: ubi de nimia affectione & vitioſa familiaritate.*

Et comedit, &c. Si vir non fuit ſeductus, ſed mulier tantùm, non enim credidit, quod ſerpens diceret verum; Quomodò tam præcipitanter cucurrit ad transgrediendum præceptum Domini? Reſpondetur, quod Adam in hoc fuit iniquiſſimus, dum voluit potiùs Deum contemnere, quàm contriſtare uxorem, quam credebat ſine illo ſolatio contabeſcere, & à ſe alienatam interire. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 2. corp.* Amor igitur uxoris nimius eius mentem excæcavit; ſic enim Diabolus decipit per mulieres

lieres viros, sunt enim laqueus venatorum. *l. 2. d. 21. a. 1. qu. 3. & S. Augustin. l. 11. in Gen. cap. ult.* Fuge igitur familiaritatem mulierum etiam sanctarum: nam si mulier prius tam sancta potuit vincere eum qui iam erat in Paradiso, non est mirum, si eos impediat, & præcipitet qui nondum ad Paradisum perveoerunt. *op. de modo confitendi cap. 14. & serm. 1. in rogat.*

Ex quo admoneotur viri, ne nimio, & lascivo amore in uxores permittant corda sua occupari; Patet etiam, quàm sit damnosa amicitia, & conversatio malorum, præcipuè mulierum, quandò scilicet, ne contristentur amici, prorumpitur in Divinam offensam. *l. 2. d. 21. a. 1. qu. 3.*

Amicitia malorum rescindenda, præcipuè mulierum.

Amicitia enim ioter malos est pessima, quia malum additum malo, totum fit magis malum, sicut ex pluribus frigidis fusiùs venenum producitur, & sicut quando plures malevoli planetæ simol conjunguntur, fusius damnum inferunt. *serm. 10. de Apostol.* Abscindenda ergo est amicitia, si per illam aliquod damnum spirituale sequitur. *In Luc. cap. 17. vers. 1.*

640. *Nimius amor terrenorum, & peccare in spe quam noxius.*

Deditque viro, & comedit, &c. Hic nota quod absque ulla mora post comestionem suam Eva porresit pomum Adæ, & ipse sine cunctatione comedit: quod verè est valdè mirandum: Videtur enim impossibile, vel saltem incredibile, quod non intercesserit aliqua colloquutio inter ipsos in re tam gravi: Attamen ex hoc patet, quàm noxius sit nimius affectus viri ad mulierem: nam, ut dictum est, ex una parte sciebat non posse satisfacere voluntati uxoris sine Dei offensa: sed tamen sicut aspis unam aurem claudit cauda, & aliam terræ infigit, ne audiat vocem venefici incantantis, sic Adam unam aurem mentis clausit terreno affectu erga uxorem, ne ipsam contristaret; & aliam cauda, scilicet spe finaliter consequendi veniam de peccato: unde utrumque fieri posse credidit, scilicet, ut mulieri morem gereret & quod post peccatum pœniteret, & veoiam impetraret. *serm. 2. Dom. 2. Advent. & l. 2. d. 22. a. 1. qu. 2.* Ex quo elice quàm damnosus sit nimius affectus ad creaturas, & etiam quàm periculosum peccare sob spe veniæ, & misericordiæ consequendæ: Tales enim rectè comparantur aspidi surdæ, &c. maledictus enim est homo, qui peccat in spe. *in Psalm. 30. & op. Brevil. p. 3. c. 3. in fine.*

Peccare in spe, ut fecit Adam, quàm detestabile.

641. *Quicumque peccat, de arbore vetito comedit.*

Vidit mulier, &c. tulitque de fructu, &c. & comedit, deditque viro, &c. Quomodò, ô mulier, tibi videtur hoc lignum tam pulchrum, & suave? Nonne ex ore tuo te judicas, dum recognoscis in comestione illius venenum, & mortem ibi latentem? sed ex hoc patet, quomodò immoderatus appetitus excellentiæ excæcavit mentem ipsius, &c. verè enim de facto experta est, quod arbor mala malos fructus facit: Vide igitur, quale sit hoc lignum, quod mortem affert omnibus peccatoribus; nam mala arbor est mala voluntas, cujus fructus sunt malæ operationes, folia sunt mala verba, rami sunt affectiones diversæ ex mala voluntate procedentes, scilicet superbia, avaritia, & gula, radix est cupiditas. *op. specul. an. in præfat. & serm. 4. Dom. 15. post Pentecost.*

642. *In omni loco timendum.*

Et comedit, &c. Sed quo in loco erant, quando transgressi sunt præceptum Divinum? In Paradiso: sed quomodò id factum est? ergo nec Paradisus eos servavit à peccato? Minimè: Disce ex hoc, quod ubique est timendum: nusquam enim est securitas, dum sumus in via, quia locus non facit hominem sanctum, sed homo locum: in Cæln Angelus cecidit sub præsentia Divinitatis: in Paradiso Adam de loco voluptatis, in mundo Iudas de schola veritatis, & salvatoris, & in statu religionis. *Psalm. 150. & op. Bibl. paup. c. 38.* Vide S. Gregor. *Hom. 9. in Ezech.*

Admonitio ad Religiosos: locus non facit sanctum sed sanctus locum.

641. *Solitudinis utilitas.*

Tulitque, &c. deditque viro suo, &c. Vide quomodò Adam, quousque fuit solus, innocens fuit: statim autem ac habuit uxorem sociam cecidit; Ex quo addiscere debes quod aliquando existens solus magis est securus, quam comitatus: & quàm solitudo sit utilis volenti ad Deum ascendere. O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti: fuge publicũ, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis, & ab intimis, &c. sede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu, & cum opportunè potes, etiam corpore: tunc autem sola eris, si non communia cogitabis, si non affectabis præsentia, & mens per exteriora non effluat, ut te cum sponso tuo recolligere possis. *op. medit. vita Christi. c. 17. & op. Pharetr. l. 4. cap. 18.*

644. *Si uxor non vivit subjecta viro, tota domus pervertitur.*

Tulit, &c. deditque viro suo, &c. Sed cur, ô mulier, tantùm audes? Nonne tu subjecta debes esse viro? Nõne spectat ad virum te docere, & dirigere? Vide quod prima mulier primò pervertit ordinem naturæ, cum vir eam debuisset docere, quid illa deberet comedere, vel vitare. *op. Bibl. paup. cap. 108.*

645. *Mulier importunitate suâ trahit quasi violenter ad malum, & obtinet quidquid vult.*

Tulit, &c. & dedit viro suo, &c. Videtur incredibile, quomodò Adam statim tam præcipitanter acceperit de manu Evæ fructum, & comederit: sed nota illud verbum *dedit*: sumitur enim hic abusivè, ait Rupertus *l. 3. in Genes. c. 9.* scilicet dedit imperio, vel importunitate muliebri cogendo: Unde mulier illecta illexit virum, & nolens suæ societatis solatium cõtristare, nec corripere, vel à se repellere talem importunitatem, hinc transgressus est Domini præceptum. *Brevil. p. 3. c. 3. & l. 2. d. 21. a. 1. qu. 3.*

646. *Diabolus homicida occidit genus humanum verbis venenatis.*

Et comedit, &c. Quid comedit? Respondes, de fructu ligni vetiti, imò de veneno à Diabolo serpente propinato, mediantibus verbis mendacibus, & malignis: Hinc meritò Diabolus dicitur homicida ab initio, quia occidit genus humanum, non ferro, sed verbis venenatis. *In Ioan. c. 8. v. 44.* Igitur si malum suades fratri, homicida es: homicidium enim spirituale committitur malo exemplo, fraude, consilio, persuasione, & acquiritur filiatio Diaboli. *In Ioan. ibidem.*

647. *Chriſti ſapientia, & clementia elucet in ſua Paſſione correſpondente ad omnes circumſtantias peccati primorum parentum.*

Et comedit, *&c.* Mirum eſt, quomodò Deus permiſerit in primis parentibus tam enorme, & noxium ſcelus? Quæritur etiam, cur apertè Moyſes accuratè narrat lapſum hominis, & omninò reticet peccatum Angeli? ſed iam aliàs dictum eſt, hanc narrationem lapſus hominis fieri in ordine ad redemptionem hominis factam à Chriſto: in hoc enim maximè elucet Dei ſapientia, per quam mirabiliter reſpondet medicina infirmitati: nam primò, ſicut mulier de virginea carne facta ſeducta eſt, ſic Chriſtus de Virgine natus crucifixus eſt: Secundò ſicut illa de ligno vetito accepit, & dedit viro ſuo, de quo facta erat, ſic Chriſtus in ligno Crucis paſſus eſt voluntariè, & hanc paſſionem Matri ſuæ, de qua natus eſt, communicavit, cujus animam doloris gladius pertranſivit; & hæc eſt ratio, quarè Chriſtus voluit ſuam dulciſſimam Matrem ſibi aſſiſtere, & ſecum eam immenſo dolore affligi, cum benè nobis ſufficeret ſua paſſio; id enim ſumma ipſius clementia, & ſapientia exigebat, quamvis eſſemus indigni; Tertiò ſicut Eva de latere viri facta principium fuit noſtræ damnationis, quia virum fecit ſibi conſentientem; ſic Chriſtus Ieſus latus aperuit, & inde virtus Sacramentorum emanavit: Quartò ſicut illa vidit lignum, quod erat pulchrum viſui, & ad veſcendum ſuave; ſic Chriſtus conſputus eſt in vultu, & amaritudine fellis confectus; Quintò & ſicut illius pedes cucurrerunt ad lignum, & manus extenſæ ſunt ad fructum: ſic Chriſtus pedibus, & manibus eſt in Cruce affixus; Sextò illa ambitioſa, iſte humillimus; Septimò illa inobedientiſſima, iſte obediens uſque ad mortem; Octavò contra appetitum ſcientiæ ſapientia Dei condemnata eſt; Nonò primi parentes, quando peccarunt, nudi erant, & Chriſtus nudus crucifixus eſt; Decimò illi per peccatum ſe abſconderunt à facie Dei, & Chriſtus poſt mortem in ſepulchro eſt abſconditus à facie hominum; Undecimò illi deſcenderunt ad imum, ut laborarent, Chriſtus deſcendit ad inferos, ut infernum ſpoliaret. *ſtim.div.am.p.1.c.13.*

Maria Virgo Conredemptrix cum Chriſto.

Chriſti Paſſionis circumſtantiæ conſiderantur.

Nota etiam, quod, ſicut primi parentes ex viſu, guſtu, & tactu, & lingua peccaverunt, ſic Chriſtus ex oppoſito in auditu per contumelias, in viſu per lachrymas, in tactu per plagas, in guſtu, & lingua per fel, & acetum paſſus eſt. *In Luc. cap.* 23.*v.*36.*& in Ioan.cap.*19. *v.* 6. Ecce quàm mirabiliter in hac beatiſſima Paſſione ſumma Dei ſapientia, & dignatio, & clementia demonſtratur, & quomodò pro comeſtione illius ligni ipſe voluerit lignum Crucis aſcendere, & pro extenſis ad fructum manibus manus ſuas elevare in Cruce. *op.ſtimul.ibidem.*

648. *Cibus non eſt in vitio, ſed appetitus.*

Et comedit, *&c.* Vide, quod Diabolus non proſtravit hominem carne, vel cibo delicato, ſed ſolo pomo; ut cognoſcas, quod non cibus, ſed appetitus eſt in vitio; ſapiens enim poteſt uti cibo delicato ſine culpa: inſipiens verò cibo viliſſimo ex voracitate: Sic etiam Eſau primatum perdidit pro edulio non carnis, ſed lenticulæ. *op. Apolog. paup. reſp.*1.*cap.*1.

649 *Qui primæ voci Dæmonis non obturat aurem, ſecundam admittit ruens in perditionem.*

Et comedit, *&c.* Quomodò tam miſerè cecidit in hoc profundum ex tam ſublimi ſtatu? ſed nota originem tanti lapſus: quia primæ voci Dæmonis non obturavit aures, hinc & infallibiliter ſecuta eſt perditio, ſerpens enim, ſi caput figit in animam, totus facillimè ingreditur. *ſerm.*3. *in Vigil.Nativit.*

650. *Diabolus per mulierem venenavit, & traxit genus humanum ad perditionem.*

Et comedit, *&c.* Vide, quomodò verificatum eſt illud *Ioan.Apoc. c.* 12. nam ſerpens per ſuggeſtionem ex ore miſit flumen veneni, & cauda ſua traxit totum humanum genus in perditionem, ſcilicet mediante muliere, quæ ad ſui imitationem traxit virum. *ſerm.*2.*fer.*4.*Pentecoſt.* Nota etiam, quod Adam antequam comederet, iam biberat, & inebriatus erat, ſcilicet nimio amore, & ſolatio mulieris: per quod remanſit abſorpta eius ratio, & poſtea tranſgreſſus eſt Divinum Præceptum. *ſerm.* 1.*in Rogat.*

Vir caveat à nimio amore in uxorem.

651. *Peccatum aperit oculos concupiſcentiæ, & claudit oculum rationis ad Deum videndum, & ea quæ ad ipſum ducunt.*

Et aperti ſunt oculi amborum, cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, *&c.* Nunquid antea non habebant oculos apertos? Ergone cæci fuerant ante? ſed vide metamorphoſim peccati: ante peccatum habebant oculos quidem apertos, ſcilicet oculum intelligentiæ, & ſapientiæ apertum ad Deum videndum, quaſi aperta facie: item oculum rationis interiorem ad diſcretionem creaturarum, cui exterior ſubjectus erat, & deſerviebat: ſed poſt peccatum ille trabe inobedientiæ eſt extinctus: iſte feſtuca obedientiæ inferiori parti factæ eſt turbatus, & confuſus: & tunc oculi concupiſcentiæ aperti ſunt facti cæci ad videndum Deum, perſpicaces ad mundum. *in Pſalm.*105.

652. *Diabolus ſub ſpecie boni inficit hominem.*

Et aperti ſunt oculi amborum, *&c.* Sed quid viderunt, quod priùs non vidiſſent? Viderunt ſe nudos: ſed nonne etiam ante peccatum erant nudi? Reſpondetur, quòd tunc viderunt, quomodò Diabolus eos deceperat, & privaverat omnibus bonis gratuitis: viderunt, quod Diabolus multa promittit, ſed nihil ſolvit: viderunt, quomodò tentator gradatim in tantam perniciem eos dejecerat: ſic facit Diabolus nobiſcum: Primò enim ſola bona proponit, poſteà mixta malis, tandem falſa bona, ſed vera mala poſtremò cum irretierit nos, apertè caput venenatum erigit, & in aperta peccata dejicit, ſicut ſcorpius, qui blandam faciem habet, ſed caudam venenatam, qua occidit. *ſerm.*1. *Dom.* 3. *Quadrag.& ſerm.*4.*Dom.*12.*poſt Pentecoſt.*, *& op. de profect.Relig.l.*2.*cap.*5.

653. *Homo, dum peccat, fit cæcus, poſt peccatum ſolùm noſcens ſuum malum.*

Et aperti ſunt oculi amborum. Ergone peccatum facit aperire oculos, & auget cognitionem intellectus? Hoc videtur impoſſibile, cum peccatum ſit cæcitas ſpiritualis: imò, quia cæci antea fuerant, quando peccaverunt, dicitur, quod aperti ſunt oculi

amborum nam quando tenebræ peccati intrant in animam, oculus contemplationis ita extinguitur, ut nihil videat: oculus rationis ita fit lippus, ut dubiè videat, & oculus carnis extrinsecus permanet in sua charitate: ideò aperti sunt oculi amborum ad videndam vanitatem, in quam inciderant. *Psalm.105.& in Ioan.coll.46.*

654. *Homo in statu innocentiæ fulgebat vestitus radijs, ut sol, & Angelus: per peccatum remansit nudus.*

Et aperti sunt oculi, &c. & cognoverunt se esse nudos, &c. Quomodò solùm post peccatum se cognoverunt nudos? Nonne erant etiam antea nudi? Minimè: Antea enim erant vestiti, circumdati, & ornati charitate, gratia, & omni fulgore virtutum: ideò his ablatis vestibus cognoverunt se nudos. *serm. 4. Dom.13.post Pentecost.* Addit *hic* S. Basilius (*Homil. Quòd Deus non est author malorum*) quod primi parentes ante peccatum erant circumdati fulgore quodam mirabili ad modum Angelorum, qui ex gratia Dei in anima existente ad extra exibat: & ex hujus fulgoris privatione cognoverunt se nudos vestibus.

655. *Peccatum tollit gratiam ab anima.*

Et aperti sunt oculi, &c. & cum cognovissent se nudos, &c. Sed quomodò nudos? Nonne antea erant nudi? cognoverunt se nudos, & spoliatos, quia inciderunt in latrones, scilicet dæmones, qui eos despoliaverunt gratuitis vestibus, & vulneraverunt in naturalibus, semivivis ipsis relictis. *serm.4.Dom.12.post Pentecost. & Psalm.118. in prima exposit. in fine.*

656. *Peccatum est vestis maledictionis, qua induitur anima.*

Et aperti sunt oculi, &c. & cognoverunt se nudos. Ad quid notatur hæc cognitio nuditatis cum essent etiam antea similiter nudi? Respondetur, quod, cum tunc haberent tantùm apertos oculos carnis ad videndam apparentiam exteriorem: notatur ideò hæc nuditas, cùm non cognoverint adhuc qualitatem vestium, quibus induta remansit anima ob peccatum: Induerant enim vestem, non benedictionis, sed maledictionis fœtentem. *serm.3.Dom.19.post Pentecost.*

657. *Ex peccato oritur erubescentia, & turpitudinis cognitio; item & timiditas.*

Et aperti sunt oculi, &c. Undenam orta est hæc nova cognitio, quam prius non haberent? Ex erubescentia, & rebellione carnis cognoverunt suam nuditatem: cognoverunt enim ordinem innatum rationis, & sensualitatis confusum, & inordinatum, & rebellionem concupiscentiæ contra rationem contractam. *Psalm.105. & Brevil.p.3.c.4.* Vide D. Gregor. Nazianz. *or.2.in Pasch.& op.Bibl. paup.c.105.*

658. *Peccans transit de veritate in vanitatem spoliatus habitibus virtutum, & nudus remanens.*

Cognoverunt se nudos, &c. Quomodò cognoverunt, & quid cognoverunt? sed nota, quòd transitus iste fuit ab extremo in extremum: nam, cum fuerint conversi à bono incommutabili, & à summa veritate sapientiæ in qua creati erant, ad bonum commutabile, & ad scientiam vanam, transierunt in imaginem, scilicet in vanitatem, cognoscentes se privatos fuisse habitibus virtutum: In quo transitu cadit quicunque, relicto Deo summo bono, ruit in peccatum mortale. *serm. 19. Hexaem.*

659. *Peccatum habet pœnam inseparabiliter annexam.*

Cognoverunt se nudos, &c. Iam dictum est, hanc cognitionem ipsos habuisse ob erubescentiam, & rebellionem, quam incurrerunt. Ex quo addiscere debemus, quòd ad dedecus peccati statim sequitur dedecus judicij, & pœna: nam ex inobedientia Deo facta sequuta est inobedientia sensualitatis, & rebellio contra rationem. *Brevil.p.3.c.4.* Ex quo patet, quod voluntas, dum inordinatè afficitur, inordinatè movet, & inordinatè movetur: prout inordinatè movet, incurrit culpam voluntariè: & dum movetur inordinatè, incurrit pœnam, sicque est corruptio, actio, & passio, & ob id inseparabiliter peccatum est pœna sui. *l. 2. d.35.a.1. qu.2.& d. 36. a. 2.qu.1.* Hinc patet, quod impossibile est peccatum sejungi à pœna.

660. *Luxuriæ peccata pariunt majorem erubescentiam, quàm cætera, & per ea fit homo magis bestijs similis.*

Cum cognovissent se nudos, fecerunt sibi perizomata ex folijs ficus, &c. Sed quarè non prius cooperuerunt se his folijs? & quarè tam festinanter? sed nota quod fecerunt sibi perizomata ad cooperienda verenda, non alios artus: & hinc remansit naturale dictamen in omnibus hominibus.

Sed quæritur, quarè potiùs in hac parte corporis patitur homo ruborem, & erubescentiam, quàm in cæteris membris? Respondetur, quòd in hac parte potissimum habetur erubescentia, quia plus in ipsorum usu homo laxatis sibi habenis toto impetu, & conatu se præcipitat in delectabile sibi oblatum, in quo homo immoderatè recedit à rationis imperio, & fit maximè similis bestijs: ideò magis in his partibus, & actibus patitur homo erubescentiam. *l. 2. d. 20. a. 1. qu.3. & 8. & Brevil.p.3.c.4.* Imò in hoc homo pejor est brutis, quia nec servat debitum ordinem naturæ, nec temporis, nec personarum. *serm. 1. de una S. Virgine & op. Diat. sal. tit. 1. cap. 9.* Vide igitur, quod peccatum luxuriæ super omnia alia ob fœditatem est abhorrendum, oculosque hominum maximè offendit. *l. 2. d.20.ibidem & serm. 1. Dom. 3. post Epiphan.* Peccatum luxuriæ super alia adeò fœdat hominem quantùm ad corpus, & deordinat quantùm ad animam, ut iam non animal rationale, sed potiùs brutum debeat appellari, eo quod ad modum bestiæ, quod est inferius, scilicet sensualitas facit, ut dominetur superiori, scilicet rationi. *serm.4.Dom.3.post Pentecost.*

661. *Christianus non producens fructus bonorum operum maledictus à Deo.*

Consuerunt sibi folia ficus, &c. Nota, quod dicit folia ficus, non fructus, per hocque est significatum, quod anima habens folia, scilicet verba,

& appatentiam, & carens fructibus opetum bonorum, comparatur huic arbori, cui Chriſtos *Luc.c.*13.maledixit; qui enim ad viſitationem Domini caret fructibus, ſubijcitor divinæ maledictioni. *In Luc.c.*13.*v.*6.Cave igitut ab hypocriſi.

662. Operculum peccatorum in confeſſione areſit, & maledictum eſt à Deo.

Conſuerunt ſibi folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Scilicet ad tegendam nuditatem, ſed fruſtra, oam à Deo cortepti,& puniri ſunt. Per hoc edocemur, quod qui abſcondunt ſcelera in confeſſione vel negando,vel palliando, vel dimidiando, ſubijcientur divinæ maledictioni, & Deus revelabit pudenda eotum cunctis gentibus.*ſerm.*4. *Dom.*22.*Poſt Pentecoſt.*

663.Excuſationes peccatorum ſunt folia, quibus volunt abſcondere ſua delicta.

Conſuerunt ſibi folia ficus. Ad quid ponitur hoc tegumentum factum ex folijs ficus, cum ſufficeret dicere, ipſos ſe cooperuiſſe videntes ſe nudos? Reſpoodetur per folia tenuiſſima ſignificari verba, quibus peccator tentat ſe excuſare in peccatis: unde anima non poteſt ſe defendere noo producens fructus bonorum operum, dum prætendit velare ſuam nuditatem vatijs excuſationibus. *In Luc. cap.*13.*v.*6.Sic & D. Ambroſ. *lib. de Paradiſ. cap.* 13.

664. Inobedientiæ peſſimot fructus in nobis Deus inſculpſit à principio generationis noſtræ.

Cum cognoviſſent ſe nudos, conſuerunt folia ficus &c. Dictum eſt primos parentes ſe cooperuiſſe ob erubeſcentiam, & rebellionem carnis: ſed cur caro ſibi rebellis? Nonne & dominium omnium, & etiam ſui corpotis acceperunt? ſed iam reſponſum eſt, ſe cooperuiſſe maximè ob genitalium inobedientiam: licet enim aliæ partes corporis ad nutum noſtræ rationis ſtent ſubjectæ, hæc una tamen repugnat, & eſt rebellis: & quarè hoc? Quia cum per has partes propagatio totius generis humani eſſet facienda, ideò voluit, ut experirentur homines hanc rebellionem, ut pateret, quales fructus patiat in nobis inobedientia, quæ fuit complementum tranſgreſſionis Adæ:quia uterque parens ſuperbiendo in mente, & guſtando in carne, inobediens fuit ſuo ſuperiori, juſto Dei judicio factum eſt, ut ſibi fieret inobediens ſuum inferius, & maximè quantùm ad partes illas, ſecundùm quas eſt conjunctio utriuſque ſexus, & fienda erat propagatio hominum, & qoia hoc non inerat ei à natura, ſed ex culpa propria, ideò erubeſcebant, & cooperiebant ſe. *op. Brevil. p.* 3. *cap.* 4. *& op. Pharetr. l.* 2. *cap.* 44. Vide igitur, quomodò inobedientiæ confuſio in nos redundat, & quomodò inſculpta eſt in principio generationis noſtræ, & qualiter à Deo puniatut. Vide S. Grego. Magn. *l.* 26. *moral. cap.*12. Ugo de S. Victore.

665. Adam, & Eva fuerunt malæ arbores folia tantùm emittentes ad mortem: Vir juſtus bona arbor congregans fructus in vitam æternam.

Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. &c. Quarè folijs arboris voluerunt ſe ipſos tegere? Cur non alia aliqua materia? id factum eſt, ut dignoſceretur differentia arboris bonæ, & malæ: cooperuerunt ſe folijs, ut daretur intelligi, qualis infelicitas eorum, qui inutilia, & vana opera ſibi congregant ad mortem, vel in vitam tranſitoriam: qui autem in omni opere bono fructificant, à Deo benedicti ſunt & congregant fructus in vitam æternam.*ſerm.* 3.*Dom.* 7.*poſt Pentecoſt.*

666. Vexatio dat intellectum.

Conſuerunt folia ficus, &c. Quis artem conſuendi veſtimenta eos docuit? ſed conſidera primos parentes poſt peccatum in maxima afflictione poſitos: & quia vexatio dat intellectum, ideò ſtatim ad hoc remedium per hanc artem confugerunt. Sic Procop. *hic.*Hinc elice, quod tribulatio, & correctio à Deo immiſſa aperite oculos animæ facit, & videre, quæ ſibi neceſſaria, & utilia ſunt. *ſerm.*4.*Dom. Quinquag.*

667. Peccatum ſe ipſo ſe manifeſtat.

Conſuerunt folia ficus, &c. Qoid facitis miſeri? tegmen quæritis, & profertis ramum? Nonne ramus potiùs eſt præco vendibilium, & ſignum alicujus manifeſtativum? *l.* 4. *d.* 3. *p.* 1. *qu.* 1. Cur ergo folia, vel ramum aſſumitis ad tegendum peccatum? Imò hoc medio potiùs detegitur, cùm inſeparabilis ſit à peccato eius publicatio, ut ait D. Baſil. Seleuc.*or.*3. Nec id eſt mirum: Peccatum enim eſt veluti taberna Diaboli, cuius ſigna ſunt ipſius manifeſtativa, & exponuntur ad omne caput viæ, ait Ezech. *cap.* 16. ſuntque ſigna carnalitatis, cupiditatis, doloſitatiſque & ſicut in taberna venditur à Diabolo vinum voluptatis pro pretio animæ. *op. Diat. ſal. tit.* 1. *cap.* 2. *& ſerm.* 3. *in Pentecoſt.*

Diabolus tabernarius vendit vinum voluptatis pro pretio animæ.

Et cum audiſſent vocem Domini Dei ambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſconderunt ſe Adam & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi.

Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?

Qui ait, vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me, & cætera uſque ad verſ. 19. *In ſudore vultus, &c.*

668. Iudices in judicando ad ſimilitudinem Dei qualiter ſe debent gerere.

Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis, &c. Cur deambulatio tribuitur Deo, cum immunis ſit à ſituatione, & motibus corporalibus? ſed quia deambulatio ſignificat lentam ambulationem, & maturam, per hoc ſignificatur magna attentio, maturitas, & diligentia Dei in examinando peccatum Adæ. *in ſap. c.* 12. Per hoc datur inſtructio Iudicibus, qualiter in judicando ſe debeant gerere. Debet enim Iudex non temerè judicare, ſed habere in judicio rectitudinis æquitatem, & notitiæ claritatem. *ſerm.* 2. *Hexaem.*

669. *Deus*

669. *Deus tanquam optimus medicus visitat nos infirmos.*

Et cum audissent, &c. Dei deambulantis. &c. Cur, ô Domine, iterum ad hominem ingratum accedis post tot beneficia ei collata? Deambulabat ad modum medici (ait D. Chrysost, *Hom. 17. in Genes.*) ad infirmum visitandum venientis. Vnde nota, quod cum Adam, & cum totum humanum genus esset nudatum gratuitis, & vestibus virtutum in anima, & vulneratum in naturalibus, venit Christus in mundum, & corpus suum nudatum exposuit in Cruce, ut suis vestibus vestiret hominem, & vulnera vulneribus curaret. *Psalm. 118. ad finem, & l. 1. proœm. & l. 4. in proœm.*

670. *Deus incepit in principio mundi deambulare, ut ad hominem perditum inveniendum, & redimendum, per Incarnationem veniret.*

Cum audissent vocem Dei deambulantis, &c. Nota, quod Adam cognovit adventum Domini ad vocem ipsius: quænam fuit hæc vox? Litteraliter fuit vox sensibilis, qua vocabat Adam: spiritualiter hæc vox est verbum Dei, & ipsemet Deus signo exteriori se ostendens Deum. *l. 2. d. 10. a. 3. qu. 2. ad* 2. Sed in quonam fuit hæc manifestatio? quando scilicet transivit Paradisum descendens per novem ordines Angelorum usque ad hominem per Incarnationem. *serm. 3. Hexaem.* deambulabat veniens ad hominem morbo peccati languidum, imò mortuum, & tandem in plenitudine temporum apparuit in carne salvator salvans, afferens antidotum gratiarum ad salvandum omnes. *In Ioan. coll.* 84. Et hinc permisit hominem tentari, & cadere, ut manifestaretur ejus misericordia in mittendo filium ad servi liberationem. *l. 2. d. 23. a. 1. q. 1.*

671. *Deus clamabat invitans Adam ad pœnitentiam.*

Cum audisset vocem Domini Dei, &c. Ad quid iste clamor, & vox à Deo fuit immissa? Nonne sufficiebat ejus præsentia? sed nota, quod vocis magnitudo signum est magnæ affectionis internæ. *In Luc. c. 1. v. 42.* Hoc igitur fuit signum suæ misericordiæ, quam exhibet in condonatione delictorum; Tardius siquidem videtur Deo dare peccatori gratiam; quàm ipsi peccatori, qui accipit: sic festinat absoluere à tormento, quod quasi ipsum plus cruciet compassio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui. *serm. 1. Dom. 4. Quadrages.*

672. *In eadem hora, qua homo è Paradiso deiectus est, Christus eum redemit.*

Cum audisset, &c. ad auram post meridiem. Ergo post meridiem Adam fuit ejectus è Paradiso? Quarè tali tempore? sed nota, quod sexta die formatus est homo, & hora sexta sextæ diei fuit Christus crucifixus, ut redimeretur homo eadem hora, qua fuit formatus. *In Luc. c. 1. v. 16. & c. 23. v. 44 & c. 13. v. 10. & Comp. Theol. l. 4. c. 5.* Ideò circa horam nonam cum clamore valido, & lachrymis, inclinato capite, & consummatis omnibus tradidit spiritum ad miserationis erga genus humanum manifestandum affectum, & Divinitatis declarandam potentiam. *op. lignum vitæ tit. Iesus sol morte pallidus, & in Luc. c. 23. ver. 46.*

Addit Vgo Card. *in Luc.* quod hora nona expiravit, in qua de Paradiso Adam ejectus est. Vnde illa vox Dei deambulantis in Paradiso fuit aliqua lamentatio similis præfigurans clamorem validum, & lachrymas, in quas demum effusus in Cruce Dominus expiravit.

673. *Absentia Dei amentem reddit hominem.*

Cum audisset, &c. Adam abscondit se. Cur te abscondis, ô Adam à facie Domini? Nonne signum est dementiæ te à benefactore tuo abscondere? ægrotum fugere, & devitare medicum? sed mirum non est: nam omnes peccatores sunt stulti, nec credunt se laborare, & infirmos esse, & tamen omnis eorum vita est amarissima pœna, cura, & gravissima infirmitas, *serm. 2. de SS. Phil. & Iac. & serm. 3. Dom. 2. post Pentec.* Signum autem est maximæ dementiæ in peccatore, qui dum magis à Deo elongatur, & strictiùs illaqueatur à Diabolo, sicut piscis se in retibus agitando plus se involuit. *op. Diat. sal. tit. 1. c. 2.*

674. *Absentia Dei est ex nostris peccatis.*

Abscondit se, &c. Vide Deum Adam insequentem, & quærentem, & Adam Deum fugientem. Ex quo patet, quod nisi priùs à nobis Deus deseratur, ipse nos non deserit; tunc autem ab anima Deus expellitur, cum expellitur gratia: gratia verò expellitur ab homine, cum ipse à Deo avertitur, sicut & conservatur per conversionem ad Deum. *lib. 2. d. 36. a. 3. quæst. 2. ad 5. & in Luc. cap. 8. vers. 37.*

675. *Peccator in peccato, manet in tenebris.*

Cum audissent, &c. ad auram post meridiem. Legit cum septuaginta D. Ambros. *l. de Paradiso c. 14.* Ad vesperam. Quid est deambulare Dei post meridiem, sive ad vesperam? Ergone Deus deambulando quærit tenebras? Sed nota, quod Adam jam ceciderat à gratia Dei: se absconderat à facie ejus; ideò, licèt Deus sit lux illuminans omnem hominem, tamen dicitur deambulare ad vesperam, quia Adam jam in tenebras peccati ceciderat: per quod patet, quod excæcatio, & obduratio non est à Deo effectivè, sed à peccatore se voluntariè à summa luce absentante: peccata enim dividunt, quasi nubes densissimæ inter nos, & Deum, auferentes à nobis illustrationem gratiæ. *l. 1. d. 40. a. 4. quæst. 2. & l. 3. d. 31. a. 1. quæst. 3. in arg. 3. & in Ioan. c. 12. vers. 41.*

676. *Deus nunquam peccatorem deserit, sed ipsum quærit, & invitat ad pœnitentiam.*

Cum audissent, &c. ad auram post meridiem sive ad vesperam, &c. Nota, quod licèt Adam se absconderat, & Deus ad vesperam incedere dicatur, tamen per hoc significatur, quod non adhuc erat facta nox, sed tunc aderat aliqua lux: sed cur non dicitur deambulabat in nocte, cum Adam esset immersus in tenebris peccati? Sed vide ex hoc Dei clementiam; nam numquam ita deserit peccatorem, dum est in via, quod semper ei aliquam lucem diffundit: Deus enim vult omnes homines salvos fieri, quantùm est ex se: & ideò dedit ei naturam

turam habilem ad Deum cognoſcendum,& amandum, gratiam & obtulit per filium ſuum miſſum in mundum, leges, & mandata ei tribuit ſalutis, & oſtendit: Præſtò eſt omnibus inquirentibus, & propè eſt omnibus invocantibus eum. *l.2.d.46.a.1. qu.1. corp.* Vocat Deus exiſtentes in tenebris ad oſtium luminis, ægrotos ad medicum ſalutis, naufragos ad portum quietis, unde dicit continuè. *Venite ad me, qui laboratis. In Pſalm.118.verſ.49. in Luc.c.14.v.14. in Ioan.c.1.v.9. ſerm.1. de Matthæo, & ſerm.2.de S.Matthia, & ſerm.3. Dom. 23. poſt Pentecoſt.*

677. *Deus tardus ad pœnam, promptiſſimus verò ad remiſſionem, & pietatem.*

Cum audiſſent, &c. Dei deambulantis. Nota, deambulare eſt lento gradu incedere. Quare id dicitur de Deo quærente Adam? Dicitur Deus judicaturus deambulare, ideſt cum magna matutitate. *ſap.c.12.* Ideò infertur, quod Deus pronior eſt ad miſericordiam, quàm ad juſtitiam: ad veniam, & gratiam confeſſendam currit, ad pœnam, & caſtigationem verò lento pede incedit: ejus enim eſt proprium miſereri. *l.2.d.33.a.1.q.2.ad 4.& l.4.* Hic Galfridus in *alleg.Tilm.* obſervat Deum deambulantem ad ſententiam ferendam contra genus humanum, ob id deambulabat, & veluti errabundus, & errantes quærens: ad ſponſam verò veniens, veniebat ſaliens, & tranſiliens colles.

678. *Conſcientia eſt vox Dei contra nos clamantis; eſt & liber, in quo leguntur bona, & mala opera.*

Cum audiſſent vocem Domini Dei, &c. abſcondit ſe, &c. Cur te abſcondis à conſpectu benefactoris tui? Quia vocem Domini audivi? &c. Sed quam vocem. Non enim alia vox exprimitur, niſi interrogatio hæc, *Adam ubi es?* Ergo nullam aliam vocem emiſit Dominus; cur ergo te abſcondis? Sed ecce vox Dei: hæc vox erat ſynderelis conſcientiæ, quæ contra ipſos clamabat, & remurmurabat: Deus enim indidit in anima noſtra hanc accuſatricem, ut perpetuò contra nos malefacientes clamet. *Comp.Theol.l.2.c.51.& 52.* Omnia poterit fugere homo præter eor ſuum: non enim poteſt quiſquam à ſe recedere: ubicumque enim abierit, reatos ſui conſcientia illum non derelinquit. *op. Pharetr. l.3. c.5.* Conſcientia adverſus hominem peccatorem exurgit, clara voce clamans accuſando, & eſt veluti liber, in quo anima legit peccatorum magnitudinem, & multitudinem: liber, inquam, inſignitus ſigillo Diaboli, qui & clamabit; & accuſabit contra nos in die judicij. *l.2. d.8.p.2. qu.6.ad 1.& ſerm.8.in Pentec.& ſerm.3. Dom.2. poſt Pentec. & Diet.cu.9.c.1.& in Ioan.c.5.in fine.* Chryſoſt. *Hom.17.in Geneſim.*

679. *Peccator non eſt in loco, ſcilicet in Deo, Deus enim eſt locus animæ.*

Adam ubi es? An ignoras, ô Deus, ubinam ſit Adam? ſed nota, quod locus hominis eſt Deus. *l.2. d.2.p.2.a 2.qu.1.ad 2. & op.de tribus Ternar. peccat. c.7.* Adam erat à Deo moraliter abſens, ſicque extra ſuum locum: ſic Rupert. Abb. *l.3.in Gen.c.14.*

680. *Ingratitudo quàm Deo exoſa.*

Vocavit Dominus Adam, ubi es? Non quærit Deus, perſonam, nec ignorat, ubi ſit, ſed reprobat ingratitudinem, & irreverentiam: ingratos enim quaſi ignotos, ubi ſint, requirit; unde dicitur *1. Cor.c.14. Si quis ignorat, ignorabitur. In Luc. cap.17.v.17.*

681. *Peccator à Deo ignoratur tanquam reprobus.*

Adam ubi es? Sed forſan à Deo ignorabatur locus, in quo erat Adam? ſed nota, quod notitia Dei alia eſt ſimplex, alia eſt cognitio approbationis, quæ continet judicium rationis, vel beneplacitum voluntatis Divinæ; hinc, quia Adam erat in peccato, & Deo exoſus, oſtenditur Deum ipſum ignoraſſe, ſcilicet approbatione, non verò reprobatione. *l.1.d.36.dub.3.& d.39.a.1.qu.2. & in Luc.c.17.cit.* Vide S. Greg. *l.1. in Iob cap.13.* & S. Auguſt. *ſerm.26. in Eremo.*

682. *Deus vocat peccatorem ad pœnitentiam, quam valdè exoptat.*

Adam ubi es? Cum Deus non ignoraret, ubinam eſſet Adam, ad quid ipſum interrogat? Nonne videtur ſuperflua iſta interrogatio? ſed nota antecedentia verba: *Vocavit Dominus Adam, ubi es?* hæc interrogatio fuit quædam pia vocatio. Vide igitur, quomodò Deus peccatorem ipſum offendentem ſtatim vocat ipſum ad ſe, etiam nolentem, ut redeat, & ut revertatur, non ceſſat vocare. *ſerm. 1.de S.Matthæo Apoſt.* Volebat enim Dominus, quod Adam poſt peccatum recognoſceret culpam ſuam, ideò dixit, *Adam ubi es? op.Bibl.pau.c.106.* Miſericors Deus, licèt à peccatoribus contemnatur, tamen non dedignatur mittere filium, & ab eis petere pacem per inſtantiam gratuitæ vocationis, eo quod avidiùs optat noſtram ſalutem, quàm aliquod aliud ſacrificium. *ſerm.1.Dom.1. poſt octav. Pentec.* Vide Chryſoſt. *hom.17.in Geneſ.*

683. *Pœnitentia cordi hominis veluti innata poſt peccatum, & à Deo inſinuata.*

Adam ubi es? Nota, quod ſtatim, ac Angeli peccaverunt, in infernum præcipitati ſunt per ſententiam abſolutam damnationis. Non ſic egit Deus cum homine, ſed ipſum ſequitur, & quærit, vocans eum, *Adam ubi es?* Cur ſic fecit Deus? Iam dictum eſt, Deum vocaſſe ad pœnitentiam primos parentes: Unde rectè infertur, quod hic inſinuatur pœnitentia Deo reconciliativa; & ideò per hæc verba Deus monebat Adam, ut rediret ad cor, & ſuo Deo reconciliaretur. *l.4. d.22.a.2. qu.1. corp.& ſerm.2.Dom.14.poſt Pentecoſt.* Ex quibus infertur, quod pœnitentia eſt virtus de dictamine legis naturalis, quæ dictat conteri de peccato. *l.4. d.22. cit.*

684. *Confeſſio peccatorum à Deo inſinuata.*

Adam ubi es? Ad quid voce ſenſibili vocavit Adam? Nonne ſufficiebat aliqua inſpiratio interna? Reſpondetur, quod voce ſenſibili, & viſitatione Dei voluit increpare primos parentes: & ſpiritualiter excitare eos ad confeſſionem ſui peccati, & humiliationem coram Deo. *l 4. d.22. a.2. qu.1.ad 1. & op. Bibl. paup.c.106.*

685. Guloſi

685. *Gulosi maximè Deo exosi: ieiunantes chari.*

Adam ubi es? Observa interrogationem factam ab ipso Deo Eliæ moranti in Horeb, cui dixit: *quid tu agis hic Elia?* Et vide differentiam interrogationis factæ primo homini, *Adam ubi es?* Quare hæc est vox terroris, illa familiaritatis? Cur diversimodè tractantur? Id fuit, quia Elias tunc jejunium colebat, Adam verò gulæ deditus, & præcepti transgressor; ut discas, quale vitium sit gulositas, quàm Deo exosa: & è contra quàm diligat jejunium. *op. Apolog. paup. resp.* 3.4. Idem omninò dicit Tertul. *lib. de ieiun. cap.* 16. *& lib. contr. Phis. c.* 6. Nec mirum est, quod iam abhorreat Deus vitium gulæ; quia inficit corpus, & animam, & aperit ostium, & viam ad omnia alia vitia, ut patet in Adam, & Eva; & sic etiam idem primò propositum est Christo à Dæmone. *sermon.* 2. *Dom.* 1. *Quadrages.*

686. *Hypocritarum vitium Deo odibile.*

Adam ubi es? Notant Rabi Salomon, & Alij, quod dum hæc verba protulit Deus, deambulabat ad auram post meridiem: quæ verba sic transferuntur ex Hebræo Texto, *ambulabat Deus contra spiritum meridianum:* sed quis est iste spiritus meridianus, ob quem clamavit Deus, *Adam ubi es?* Nota, Spiritus, vel Diabolus meridianus est vitium hypocrisis. Adam enim se texerat foliis ficus ad modum hypocritarum, qui abscondunt, quod sunt, & mentiuntur, quod non sunt, & hæc pestis est domestica falsorum Christianorum. *Psalm.* 90. Vide *in Luc. c.* 11. *v.* 24. *&* 43. *& cap.* 20. *v.* 47.

687. *Deus vocat peccatorem ad pœnitentiam, ne in maiora peccata elabatur.*

Adam ubi es? Iam dictum est Deum sollicitè ambulasse ad corrigendos primos parentes, in hancque vocem severitatis, & correctionis irrupisse ob vitium gulæ, in quod præcipitati erant: sed cur statim post peccatum Deus se tamquam judicem, & punitorem ostendit? cur non expectavit diutiùs Adam, ut videret, an pœniteret? Sed adverte, quod via lata præcipitandi hominem in omnia vitia est vitium gulæ. *op. Apol. paup supracit.* & ob id potest rectè dici, quod Deus sedulò properavit contra spiritum meridianum, contra scilicet hoc gulæ vitium, ne in majora crimina Adam elaberetur. Ex quo videtur, quanta sit Dei benignitas, quærens, ne de abysso in abyssum homo præcipitet. Idem & Theodor. *in Psalm.* 99. Advertant igitur maximè Religiosi, & Deo dicati, ut in principio suggestionis, & tentationis absque moræ dispendio viriliter obsistant, & ad machinamenta Diaboli repellenda ad Christum, qui est tentatorum refugium, & debilium fortitudo, recurrant. *op. specul. discipl. p.* 1. *c.* 2.

688. *Crux Christi ab initio fuit peccatorum asylum, & lignum vitæ, sub quo peccator absconditus se defendit ab omni malo.*

Adam ubi es? Adam ubi tunc erat? forsitan ad aliquem angulum Paradisi se receperat? minimè: nam facer Textus dicit, se abscondisse in medio Paradisi; sed cur ad medium Paradisi se contulit, volens se abscondere? hoc videtur directè factum contra rationem, & intentionem, quam habebat se abscondendi à facie Domini; non enim medium Paradisi videbatur locus ad id aptus: sed nota mysterium: Rationabilissimè ad locum, ubi erat lignum vitæ, se abscondere conatus est: & quare? id voluit Deus ad præfigurandum magnum mysterium; lignum enim vitæ figurabat lignum Crucis, & ipsum Christum, qui est fons, & author vitæ: ad hoc lignum peccator accedere debet, ut sanetur. *op. specul. B. Virg. lect.* 18. Igitur est signum gratiæ collativum pœnitentibus; item pugnantibus impotentiæ firmativum, confortativum, & roborativum: item ambulantibus, & proficientibus intelligentiæ directivum; item amantibus misericordiæ promissivum. *ferm. in exalt. Crucis.* Et hinc vocavit Deus Adam, dicens, ubi es? Adam est nomen quadrilitterum significans Crucem; ut ipsi in mente imprimeret hoc refugium virtuosissimum contra omne malum. *Psalm.* 95. *& in Luc. c.* 3. *v.* 38. *Vide Origen. Hom.* 4. *in Genes.*

689. *Iudices Deus docet clementiam, maturitatem, ordinémque in iudicando servandum.*

Adam ubi es? Cur Deus per semetipsum, & non per Angelos vocat Adam? Item cur non statim ipsum condemnat? Cur ansam dedit primis peccantibus loquendi, & se excusandi? sed nota, quod Deus tunc personam Iudicis induit, & ut ait Chrysost. *Hom.* 17. *in Genes.* & D. Ambros. *de Cain, & Abel,* tali ordine processit ut edoceremur Iudicea, non debere judicare nisi citato reo, cognitaque causa. Humana igitur justitia divinam, prout possibile est, debet imitari, & ne erret per ignorantiam, divino lumine illustrari: debet autem judex, non temerè, & præcipitanter judicare, sed habeat in judicio rectitudinem, & legum æquitatem, & notitiæ claritatem, seque abstinere à perversione judicii, quæ fit timore, cupiditate, odio, & amore. *op. de Eccles. Hier. p.* 2. *c.* 2. *& serm.* 2. *Hexaem. & op. Phar. l.* 1. *c.* 45. *& op. Bibl. paup. cap.* 60. *& op. libell. apol. qu.* 2.

690. *Iniusta iudicatio quænam sit in Iudicibus.*

Adam ubi es? Iam dictum est, hic dedisse Deum modum à judicibus servandum in judicando: Unde hic nota, primò inquisitionem fieri à loco, & deindè à modo, & causa delicti, sicque datur instructio judicibus, ipsos peccare, quando non subest causa justa, quando non servatur ordo juris, & quando proceditur contra aliquem corrupta intentione. *in sap. c.* 6. *v.* 3.

691. *Deus iudex iustissimus, omnipotens, & omniscient timendus.*

Qui ait, vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Sed cur timet? Respondet, eo quod nudus esset: sed nonne ante erat nudus? Et cur tunc non timuit? sed meritò timuit: quis enim non timeret judicem omnia potentem, nullum formidantem, & nullius personam accipientem? Iudicem sapientissimum omnia cognoscentem, exquirentem, & examinantem? Iudicem æquissimum nulli omninò parentem, sed pœnam omnibus, ut dignum est, inferentem? quia non timeat eum, qui nullum formidat, qui nullius fallaciis decipi potest,

qui nullius mercibus corrumpi poteſt, quia juſtiſſimus eſt? *ſerm.4. de una S. Virgine.*

692. *Peccatum noſtra in dedecus vertit.*

Eo quod nudus eſſem, &c. Sed quarè ob nuditatem antea non timuit? quia ille primus inobediens mox, ut ſuperbiendo peccavit, pudenda cootexit: quia enim contumeliam ſpiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. *op. Pharetr. l.1.c.44.* Vt videas, quòd peccatum omnia noſtra in dedecus noſtrum convertit.

693. *Nuditas hominis reintegrata per veſtimentorum, & vitæ depoſitionem à Chriſto.*

Eo quod nudus eſſem, &c. Sed qua nuditate? cum jam antea eſſet nudus corpore? loquitur de nuditate animæ: cum priùs eſſet virtutum habitibus indutus, cognovit, & confeſſus eſt ſe ipſis nodatum: timuit ergo cognoſcens, ſe non poſſe recipere, & ſe reinducere veſtimenta, niſi Chriſtus ſua deponeret, & in Cruce nudus appareret. *in Pſalm. 118. in prima expoſit. in fine.*

694. *Timor ordinatus eſt peccatorum, & mundanorum: Timor Dei filialis iuſtorum.*

Audivi, &c. & abſcondi me, &c. Sed nonne priùs timuit? ergone peccatum timorem ipſi ingeſſit? Nora, dum erat præditus juſtitia originali, timorem ordinatum, & filialem habebat: poſt peccatum occupatus fuit timore ſervili, & inordinato: magis timens pœnam, quàm culpam, ſeu amiſſionem gratiæ Dei; hinc ſe abſcondit: Vide ergo, quid faciat in anima timor inordinatus, & mundialis. *op. de Dono Timor. c.1.* Vide etiam, quomodò peccatum infatuat peccatorem; Adam enim credebat ſe poſſe abſcondere à facie Dei. *op. Bibl. paup. c.105.*

695. *Deus benigniſſimus non vult confuſionem peccatoris, ſed pœnitentiam.*

Qui dixit ei, quis indicavit tibi, &c. Vide Dei clementiam, & urbanitatem, quomodò eam modeſtè in memoriam hominis peccatum, ejúſque miſerias revocat, dicens, *quis indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, &c. comediſti?* quaſi diceret, ex quo deſeruiſti lignum vitæ, ſpoliatus virtutibus, & gratia te abſcondiſti. *ſerm. 19. Hexaem.* quis indicavit tibi? niſi quia clauſiſti oculum rationis, & oculum concupiſcentiæ aperuiſti? niſi quia, ſpreto incõmutabili bono, quæſiiſti in carne delectari? niſi quia inobediens fuiſti? ideò timuiſti, & in erubeſcentiam incidiſti? *Pſal. 105. & op. Brevil. p.3. c.4.* Admonitio hic datur confeſſariis, qualiter tractare debeant cum peccatoribus, ſic Procop. *hic.* Apparet hic, quanta debet eſſe pietas in miniſtris Dei ad infirma membra ipſius Chriſti: debent enim conſolari puſillanimes, ſuſcipere infirmos, patientes eſſe ad omnes. *In Luc. c.17. v.14. Vid. op. Confeſſ. c.1. p.2. 3. & ſeq.*

Admonitio ad Confeſſarios.

696. *Superbia impedit agnitionem peccati.*

Dixitque Adam, mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Quaſi diceret, ſi non dediſſes mihi mulierem in adjutorium, de fructu cibi vetiti nõ comediſſem: ſed, ô Adam, nonne ſufficiebat tranſgreſſio præcepti, & cur nunc accuſas Deum, ut cauſam tanti mali? At id mirum non eſt, quia adhuc vigebat ſuperbia in corde Adæ: hæc enim refert in Deum cauſam peccati, nec ſinit agnoſcere culpam: Homo enim, quando ſe immergit in ſtudio curioſitatis, incidit in vanitatem, & litigium contentionis contra illos, qui ei reſiſtunt. *op. de modo confitendi c.5. & ſerm.18. Hexaem. in Pſalm.50. & op. Diat. ſal. tit.3. c.7.*

697. *Malè confitentes peccata ſua, aliena potiùs revelant, vel culpam in Deum refundunt, vel in deceptionem Diaboli, cum Diabolus neminem cogere poſſit.*

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, &c. Vide qualem confeſſionem fecerit Adam, dum in mulierem, vel etiam in Deum culpam vertit: nec abſimilem fecit Eva, refundens errorem in deceptionem ſerpentis: ſic autem multi faciunt in confeſſione ſuorum peccatorum, non ſua, ſed aliena peccata confitentes, vel refundentes culpam in Diabolum, qui ipſos induxerit ad peccatum: quarè noli confiteri peccata tua, ſicut Adam, & Eva in Paradiſo: *ſerm. 2. Dom. infr. oct. Epiph. & ſerm. 2. in Rogat. & op. Diat. ſal. tit.3. c.7. & op. Bibl. paup. cap.106.* Alij refundunt culpam in malam naturam, eis à Deo datam. *op. de modo confitendi. c.5.*

698. *Chriſtus ſe ſubiecit verbis contumelioſis in Paſſione, ut reſarciret damna illata ab Adam, & Eva per verba fallacia ipſorum.*

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, &c. Nota, quòd ſicut ad excidium generis humani potiſſimùm verba fallacia mulieris ad virum, & ſerpentis ad mulierem, item excuſationes mendaces utriuſque parentis concurrerunt: ita Chriſtus perfectiſſimus Redemptor ad reſarcienda tot damna voluit ſe ſubiicere in Paſſione opprobriis verborum, & contumeliis injurioſis, & indigniſſimis. *In Ioan., cap.19. v.7.*

699. *Ex latere Adæ prodit mulier inſidiatrix; ex latere Chriſti Eccleſia adiutrix.*

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, &c. Si Deus creavit mulierem, ut eſſet in Adjutorium Adæ, quomodò ergo fuit cauſa ruinæ ipſius? quomodò verificatum eſt dictum, & prophetia facta de muliere? ſed attende, quia id fuit figura productionis Eccleſiæ de latere Chriſti fiendæ, ut ſupradictum eſt, *ad cap.2. verſ.19.* Ex quo apparet, quod ex conſortio hominis oritur ſeductrix mulier: ex conſortio Chriſti oritur Eccleſia adjutrix: ab homine omne malum prodiit, à Chriſti omne bonum: Dormit Adam, ut fiat Eva, mater non viventium, ſed morientium, quia ab ipſa provenit omne malum, quod complcitur eſt in viro: Moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia: facta eſt Eccleſia de latere, percuſſum enim eſt latus pendentis à lancea, & fluxerunt ſacramenta: Dilige ergo animam talem ſponſum, ex cujus latere intermanens Eccleſiæ proceſſiſti. *ſerm.4. in oct. Paſch. & lib.3. d.12. a.3. qu.1. ad 1.*

700. *Mulier fuit decepta, non vir.*

Et dixit Deus ad mulierem, quarè hoc feciſti? qua reſpondit, ſerpens decepit me. Nota, quod Adam

Adam non respondit, mulier decepit me, sed tantùm id dixit mulier, serpens decepit: sed nonne deceptus est Adam? minimè; nam Adam non est seductus, sed tantùm mulier: mulier enim peccavit concupiendo Deo assimilari, & credendo posse obtinere quod ei suggessit serpens. Adam verò nihil horum credidit, sed tantùm se posse de facili veniam obtinere. *l.2.d.22. a.2.q.2. & 3.* mulier igitur faciliùs decipi potest, quàm vir.

701. *Confessio peccatorum facta cum excusatione sui, & accusatione Diaboli similis est confessioni Evæ.*

Serpens decepit me. Nonne prætendis, ô mulier, te excusare cum Deo? cur non dicis, quod serpens veluti te invitam coegit? Sed nota, id non dixisse, sed hanc frivolam excusationem solùm attulisse, quod serpens ipsam decepit: frivola quidem excusatio, cum Diabolus non possit cogere, nec vincere, nisi volentem: latrare potest, mordere non potest: similesque sunt Evæ illi, qui in confitendo peccata excusant se, dicentes, quòd Diabolus tantùm me tentavit de tali peccato, quod oportuit me consentire, nec potui me ullo modo defendere: sed illa non est confessio, nec expressio causæ peccati: imò est excusatio, & accusatio Diaboli, qui fortè non est ibi culpabilis; non enim semper omne peccatum est ex suggestione Diaboli, sed aliquando ex sola propria concupiscentia. *op. de modo confitendi cap.5.*

Non omne tentum: ex Diaboli suggestione; sed a propria malitia, &c.

702. *Tentationes in principio reiiciendæ.*

Serpens decepit me. Quando te decepit serpens, ô mulier? nonne ornata eras donis justitiæ originalis? nonne signatum erat super te lumen cognitionis Dei, & tui? serpens decepit cum culpa sua, quia dedit primò locum capiti serpentis in corde, scilicet per visum, & curiositatem; & sic lubricus serpens totus intravit: Cave igitur, ô homo, parva peccata in principio. Admonitioque hæc præcipuè Confessariis dirigitur, ne dum peccata pœnitentium audiunt, venenum alicujus noxiæ delectationis suscipiant, alioquin postea violentis tentationibus succumbent: *op. Confess. cap.1. p.2. & 3. & serm.3. in Vigil. Nativit.*

Confessarij admonentur.

703. *Prælati durius Dei iudicium subibunt.*

Serpens decepit me, &c. Nota, quomodò Deus in inquisitione delicti differenter tractaverit virum, & mulierem: nam mulieri simpliciter dixit, *Cur hoc fecisti?* homini verò exprobravit nuditatem, inquisivit ubinam esset, arguit ejus transgressionem. Cur tam severè Deus tractat virum, mulierem verò mitiùs, si hæc fuit causa totius transgressionis? sed nota, quod vir erat superior, & ad ipsum spectabat docere, & corrigere mulierem tamquam subditam. *l.2.d.20. art.1. quæst.2. & opusc. Brevil. part.3. cap.3. & opusc. Bibl. paup. cap.* 89. *&* 108. Duriùs punientur Prælati, quàm cæteri. Primò, ratione commissi, cui enim plus commendatum est, plus Deus ab eo petet. Secundò, ratione peccati, quia, cæteris paribus, graviùs est peccatum Prælati, quàm subditi. Tertiò, ratione damni, quia alios suo exemplo corrumpunt. Quartò, ratione scandali, quia Ecclesiam scandalizant. Quintò, ratione judicij; quia hic non judicantur, sed alios judicant; unde in futuro totaliter, & simul durius judicabuntur. Sextò, ratione officij, quia etiam officium suum indignè exercendo peccant, in quo enim alios judicant, seipsos condemnant. Exiguo autem, id est infirmo, & humili, qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt, & humili pœnitentia doluerunt, conceditur remissio, & misericordia. *In Sap. c.6. v.3. & 4.*

704. *Ad Confessionem, & pœnitentiam provocat Deus.*

Quare hoc fecisti? serpens decepit me, &c. Cur Deus mulierem interrogat? nonne sciebat quid factum erat? sed jam dictum est de Adam, quod Deus interrogavit, ut ipsos ad pœnitentiam, & confessionem delicti sui induceret. *opusc. Bibl. paup. cap.* 106. Idem facit Deus nobiscum, dum facit synderesim clamare, & murmurare contra peccatum commissum. *lib.2. d.39. per tot. & opusc. Comp. Theol. lib.2. cap.51. & 52.* Chrysost. *Homil.16. in Genes.* Vide bonum Dominum illorum verbis contentum, & ad plura dicenda non cogentem: quandoquidem enim hoc non ignorans interrogabat, ut conscius, & valdè conscius suam declararet misericordiam, ad illorum infirmitatem se dimittit, & ad confessionem peccatorum provocat. Rupertus Abbas *hic. Mulierem ad conscientiam vocare voluit, ut recogitaret, & disceret, quia fecit.*

705. *Ignorantia non omnis excusat à peccato.*

Serpens decepit me, &c. Sed in quo, & quomodò decepta fuisti? forsan ex ignorantia? & si fuit ex ignorantia, ergo sine culpa? sed nota, quod ignorantia propriè dicta, dicens privationem scientiæ, non fuit in primis parentibus, sed tantùm fuit in Eva aliqua nescientia, scilicet defectus considerationis gravitatis culpæ, & pœnæ: hæc autem fuit in muliere, quia aperuit oculos concupiscentiæ, & clausit oculum rationis, non attendendo ad suam obligationem, & ad Deum præcipientem. *lib.2. d.22. art.2. quæst.1. & Psalm.105. & serm.3. Dom. Quinquagesimæ.* Inquiris, quomodò talis ignorantia, vel excæcatio potuit esse in primis parentibus? Respondetur, quod hæc excæcatio orta est ex præsumptione scilicet in muliere fuit præsumptio assequendi excellentiam: in viro veniam, & hinc deceptio, & postea transgressio. *l.2. d.23. a.2. qu.2. ad 1.*

Præsumptio excæcat oculum rationis.

706. *Christus dedit nobis potestatem Dæmones eiiciendi, Serpentes occidendi, & c.*

Serpens decepit me. Sed quomodò te decepit, ô mulier? nonne prædita eras lumine supernaturali, & cognitione perfectissima? sed id non est mirum: verum quidem Dæmonem ipsam decepisse exterius: non enim tentatio potuit esse nisi exteriùs. *lib.2. d.21. art.3. q.2. ad 2.* at ipsa, dum ingressum dedit præsumptioni, tunc vere serpenti, scilicet peccato dedit in corde suo locum, & Paradisum perdidit. Christus autem, ut remedium afferret tanto malo, per suam gratiam dedit nobis potestatem in virtute sui nominis ejiciendi Dæmones, scilicet, peccata de corde nostro: linguis novis, scilicet, ædificatoriis loqui: serpentes occidendi, scilicet, motus concupiscentiæ reprimendi:

di : & mortiferum ſine noxia bibendi , ſcilicet , ſcandalum , & iniuriam quamlibet patienter ſuſtinendi : & quia primi parentes in hoc defecerunt , ideò Paradiſum perdiderunt. *ſermone* 1. *in Pentecoſt. & ſermon.* 4. *Domin.* 3. *Quadrageſima & opuſcul. Confeſſion. cap.* 1. *part.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 2. *dub.* 1.

707. Deus ab homine exigit pœnitentiam, non à Diabolo.

Et dixit Dominus ad ſerpentem, quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia , &c.

Nota , quod virum , & mulierem Deus interrogavit ſuper peccatum commiſſum , non autem ſerpentem ; ſed immediatè ad proferendam ſententiam contra ipſum proceſſit. Cur ſic egit cum ſerpente ? Iam dictum eſt , has interrogationes Deum feciſſe , ut hominem provocaret ad pœnitentiam ; eaſdem autem ergo omiſit cum ſerpente , quia ejus peccatum fuit irremiſſibile. Peccatum hominis fuit remiſſibile , quia fuit in carne mortali , in voluntate vertibili , in tranſgreſſione excuſabili : fuit enim ex alterius perſuaſione. Peccatum Diaboli fuit in natura immortali , & quia fuit non ex alterius perſuaſione , & quia in malo totus obſtinatus. *lib.* 2. *d.* 21. *art.* 3. *quæſt.* 1. *& diſt.* 7. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. Quamvis Angelus ſit nobilior homine , non tamen tam idoneus ad reparationem , ſicut homo , propter modum labendi , & ſtatum hominis lapſi. hominem enim pœnituit, Angelus fuit obſtinatus : homo totaliter , Angelus particulariter cecidit : homo per alium , Angelus per ſe ipſum. *lib.* 3. *diſtinct.* 20. *art.* 1. *quæſtion.* 1. *ad* 2.

708. Deus punit etiam inſtrumenta , per quæ ad peccatum deducimur.

Quia feciſti hoc , maledictus es inter omnia animantia , &c. Cur Deus maledicit ſerpenti materiali , ſi Diabolus fuit , qui malè perſuaſit ? Alius eſt , qui peccat, alius eſt , qui vapulat ? ſed dicendum eſt , quod hoc fecit Deus , ad odium , quod ad peccatum habet , manifeſtandum, dum, non ſolùm punit peccatum , ſed etiam inſtrumenta ad peccatum inducentia. Et hinc ignis conflagrationis ante Iudicium univerſale ſe extendet non ſolùm ad hæc mixta , ſed ad aërem , & ad loca, in quibus peccata commiſſa ſunt , ut fœditas ex peccato contracto purgetur. *lib.* 4. *d.* 47. *art.* 3. *quæſt.* 3. *argument.* Vide Chryſoſtom. *in Geneſ.* & Dionyſ. Cartuſ. *hic.*

709. Peccatum ex malitia inexcuſabile.

Maledictus eris , &c. Cur non interrogatur ſerpens , ſicut vir , & mulier ? quia hoc peccatum fuit ex pura malitia , non ex alterius perſuaſione. *l.* 2. *d.* 43. *a.* 1. *qu.* 1. Peccatum enim ex pura malitia inexcuſabile eſt , &c. *l.* 2. *d.* 43. *a.* 1. *q.* 1.

710. Priùs delinquens , priùs punitur.

Maledictus eris , &c. Hæc fuit prima maledictio à Deo data, quia peccatum Dæmonis fuit primum omnium. *op. Bibl. paup. c.* 6. Priùs enim delinquens priùs punitur.

711. Diabolus maledictus , quia ſeductor : Seductores , & ſcandaloſi quàm Deo exoſi.

Maledictus eris ſuper omnia animantia, & beſtias terræ. Cur Deus connectit cum animantibus beſtias ? nonne ſufficiebat nominare animantia ? Nota , quod jumenta dicuntur , quia juvant ad hominis indigentiam ſublevandam, & beſtiæ, quia noxia ſunt homini , & inſidiantur calcaneo ejus. *lib.* 2. *d.* 15. *dub.* 2. In Caldæo legitur: *Maledictus es præ omnibus iumentis , & præ omnibus beſtiis agri.* Sed cur dicitur ſerpens maledictus ſuper omnes beſtias , cum aliæ inveniantur magis noxiæ, quàm ſerpens ; ſed Reſpondetur , quod ſerpens eſt Diabolus , qui ſuper jumenta adjuvat hominem ad malum , & ſuper omnes beſtias nocet nobis ; ideò dicitur maledictus : Diabolus enim tentat, aut vexando carnem, aut vulnerando naturalia , aut expoliando gratuita : rationem ſeducit per aſtutias, voluntatem allicit per blandirias , virtutes opprimit per violentiam ; ideò maledictus eſt, quia hæc omnia adimplevit contra primos parentes. *lib.* 2. *d.* 11. *a.* 1. *qu.* 1. *&* 2. *& d.* 21. *dub.* 2. *&* 3. *& l.* 3. *d.* 20. *dub.* 1. Ex his elice, quod alios ſeducens , & inducens ad peccatum, dignus eſt maledictione, & morte. *In Luc. c.* 17. *verſ.* 1. 2. *&* 3.

712. Deus facit reſpondere pœnam culpæ.

Maledictus eris, &c. ſuper pectus tuum gradieris, terram comedes, &c. inimicitias, &c. Nota hic, ultra maledictionem , tres pœnas dediſſe ſerpenti : Sed quarè tot pœnas ſerpenti intulit Deus ? ſed id factum eſt à Deo juſtiſſimo judice , ut pœna triplex reſponderet triplici culpæ , ſcilicet invidiæ , mendacio , & deceptioni. *op. Comp. Theol. l.* 2. *c.* 65.

713. Diaboli cibus ſunt peccatores , & terræ affectiones.

Terram comedes cunctis diebus, &c. Sed quæ pœna eſt hæc ? nonne , & Adam non peccante , ſerpentis cibus fuiſſet terra ? Præterea quænam pœna reſultat per hoc Diabolo ? Sed nota , quod nomine terræ, vel terrenæ affectiones , vel peccatores , vel infernus veniunt. *Pſalm.* 2. *& opuſc. myſtic. Theolog. in Pater noſter ad tertiam petitionem , & Pſalm.* 95. *& ſap. cap.* 1. Hinc eruitur , quòd cibus Dæmonis eſt ineptus , quo in æternum veſcetur, & quod peccatores ſunt cibus Diaboli. Meritò enim homo peccator ſubjicitur Diabolo, quia voluntariè ipſi obtemperat. *lib.* 3. *d.* 20. *dub.* 1. *& ſerm.* 5. *in Rogation.* Vel per terram ſignificantur peccata, quæ ſunt cibus Diaboli , præcipuè carnalia, cibus , inquam , mortiferus , & afferens mortem. *ſerm.* 2. *in die cinerum. & in Luc. c.* 15. *v.* 15.

714. Diabolus opprimit ſuos ſequaces.

Super pectus tuum gradieris. Septuaginta legunt, *ſuper ventrem tuum ambulabis.* Quid eſt ſuper ventrem ambulare , niſi ventrem premere ? Sed nota, quod ventris nomine veniunt guloſi , & voluptati dediti. *op. Diat. ſal. ſit. cap.* 2. Elice ex hoc, quod Diabolus voluptuoſos opprimit viventes ſub duriſſimo jugo ipſius. *in ſap. c.* 10. *v.* 14. *& ſerm.* 2. *de SS. Phil. & Iacobo. in Luc. c.* 14. *v.* 6.

715. *Diabolus*

715. ***Diabolus opprimit voluptuosos, nec eos umquam quiescere sinit, donec ruat eos in infernum.***

Super pectus, & ventrem tuum gradieris, & ambulabis. Cur imposita fuit hæc pœna serpenti, ut tantum super suum ventrem ambularet? Nota, quod venter Diaboli est voluptuosus, luxuriæ, voluptati, & gulæ deditus, ait D. Ambrosius: Meritò ergo isti subjiciuntur Diabolo; quia cum excludant Deum à se, & à sua mente, totaliter absorpti delectationibus, Diabolus potestatem super eos habet, præcipitando de peccato in peccatum, quousque eos ruere faciat in profundum inferni, sicut vas, quod tantùm de loco in locum volvitur, donec labatur in foveam. *serm. 2. Dom. 3. Quadrag. & serm. 2. fer. 4. Pentec. & serm. 4. Dom. 11. post Pentec. serm. 2. de S. Nicol. & serm. 1. Dom. 14. post Pentec.*

Peccator de peccato in peccatum trahitur à Diabolo.

716. ***Peccator exutus similitudinem Dei, induit similitudinem Diaboli.***

Super pectus, & ventrem gradieris, &c. Quid est gradieris super ventrem? si venter est pars corporis, quomodò totum corpus potest incedere super partem? super terram graditur corpus, non super seipsum? Iam diximus ex D. Ambrosio, ventrem Diaboli esse voluptuosos, qui licèt sint distincti à Dæmone, tamen sunt ita adhærentes ipsi per voluntatem, ut venter Diaboli dicantur: super ipsos graditur Diabolus, quia in potestate sua traduntur, & recedentes à Dei similitudine, accedunt ad Diaboli similitudinem; ipsosque pascens carnis voluptatibus, quæ sunt siliquæ Diaboli. *serm. 4. Dom. 18. post Pent. & ser. 3. Dom. 11. post Pent. & op. spec. B. Virg. lect. 18.*

717. ***Super peccatores ambulat Diabolus, quasi super stercus suum.***

Super ventrem tuum ibis, &c. Venter Diaboli sunt voluptuosi: sed quid latet in ventre, nisi stercus? Super istos igitur ambulat Diabolus, ut computrescant in stercore suo: quid est stercus, nisi peccatum? stercus inquam Diaboli, & peccatores existentes in peccato sunt & jacentes, & viventes in stercore. *serm. 2. in Cœna Domini, In Luc. c. 13. v. 18.*

718. ***Super superbos, & luxuriosos Diabolus graditur.***

Super ventrem tuum ambulabis, &c. In ventre est tumor, fætor, & abominatio, per quod significatur, quod Diabolus habet potestatem super superbum significatum per tumorem, & super luxuriosum significatum in fætore, & abominatione. *serm. 4. Dom. 16. post Pentecost.*

719. ***Gulosi sunt venter Diaboli.***

Super ventrem tuum, &c. Vide figuram gulosorum, quorum Deus venter est, qui ambulant, scilicet tanto impetu ad cibum bestialiter feruntur, ut nihil cogitantes de Deo, sed tantummodò possunt suum ventrem implere, Diabolo vivunt adhærentes, & subjecti. *op. specul. B. V. lect. 18. & serm. 1. in Domin. 8. Pentec.*

720. ***Maria Virgo perfectè devicit Diabolum.***

Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Sed quæ inimicitia? & cur dixit inimicitias in plurali, & non inimicitiam? Sed hoc dictum fuit propheticùm de Beata Virgine: suggestio enim Diaboli est eius caput. Unde B. Virgo perfectè, & totaliter triumphavit de Diabolo, nec ulla suggestio in ipsam ingressum habuit. *lib. 3. d. 3. p. 1. art. 2. quæst. 1. in corp.*

721. ***Maria Virgo debellavit potentiam Diaboli.***

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. ipsa conteret caput tuum. Nota iterum illam vocem, *inimicitias*, non dicit inimicitiam in singulari: quarè hoc? & quarè relinquit Deus contritionem capitis Dæmonis in manu mulieris? sed jam dictum est, hic fieri allusionem ad B. Virginem Mariam. Et quia caput est principalius membrum corporis, in quo vigent omnes sensus ejusdem. *l. 3. d. 13. a. 2. quæst. 1.* Hinc contrito capite serpentis, totus contritus remanet: Unde à Physicis observatum est, quod si mulier premit caput serpentis, totum corpus gerit; quod non evenit, si caput ipsius gladio abscindatur, vel malleo appetatur; sed tunc remanet signum vitæ in cæteris partibus corporis. Ex quo habemus motivum contritionis capitis Diaboli factæ à B. Virgine. *op. Psalt. B. Virginis Psalm. 52.* Felix Maria verè bellatrix, quia ipsa primò eum, qui primus Evam supplantavit expugnare aggressa est. *opusc. spec. B. Virginis lect. 12.* Maria est virga virtuosissima contra Dæmonem, cui magna virtute dominatur, & ideò Domina tam magna, tam magnæ virtutis meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur. *opusc. spec. B. Virginis lect. 3.*

722. ***Maria Conceptio Immaculata in principio Mundi insinuatur.***

Inimicitias ponam, &c. ipsa conteret caput tuum. Quodnam est caput Diaboli? Diabolus non habet corpus, ergo nec caput? Sed attende, quòd de Diabolo dicitur habere caput morale, scilicet peccatum: caput peccati fuit expoliatio justitiæ originalis facta in Adam, & Eva, & introductio peccati originalis. Hoc enim est initium, & radix omnium aliorum malorum, unde in Hebræo pro (capite) legitur *toxicum*, quod est omnium succorum lethalium caput, & pro (conteret) legitur, *exsufflabit*, quod est cum peculiari impetu, & vi longè ponere. Ex quo eruitur, quod Immaculata Conceptio B. Virginis, & immunitas ab originali peccato quasi longè exsufflato hic insinuatur, & meritò: Maria enim fuit sine væ, scilicet originalis culpæ, & actualis miseriæ: item sine fomite concupiscentiæ, ob id intacta ab omni infectatione Diabolica semper. *ser. 2. de B. Virg. & op. spec. B. Virg. lect. 2. & Psal. min. quinquag. 2. in fine, & opusc. de contemplat. flore quinto.* Nota hic, quod licèt Seraph. Doctor. *in lib. 3. dist. 3. p. 1. art. 1. quæst. 2. & 3.* videatur sustinere partem oppositam de immunitate à peccato originali, tamen se retractavit in fine vitæ ut patet *in sermon. 2. de Beata Virgine & in opuscul. de contemplat. cit.*

723. *Incarnatio Verbi ſtatim ab initio peccati deſignata in remedium illius.*

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius. Cur dicit inter ſemen mulieris? Præterea in Hebræo dicitur, *ipſum conteret caput tuum.* Quomodò ſemen mulieris conteret caput ſerpentis? Sed nota, ſemen mulieris dicitur Chriſtus, quia ex ſemine Mariæ incarnatus eſt, & ſic dicitur ſanguis, & caro. *lib. 3. diſt. 3. p. 1. dub. 3.* ſubdit S. Leo Papa *ex 5. diſt. 8. cap. cum enixa.* Statim ut Diabolica malignitas nos veneno ſuæ mortificavit invidiæ, Deus prædeſtinata renovandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignavit, denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxij capitis electionem ſua virtute contereret, Chriſtum ſcilicet in carne venturum Deum, hominemque deſignans. Vnde meritò dicitur in ſalutatione Angelica, quod, *benedictus eſt fructus ventris tui,* benedictus, quia virtuoſiſſimus ad expiationem culpæ, ad curationem infirmitatum noſtrarum, & ad ſalutem humanam. *opuſc. ſpec. B. Virg. lect. 16. & 18.*

724. *Per fructum Mariæ contritum eſt ſemen Diaboli ſcilicet peccatum.*

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius. Quodnam eſt hoc ſemen Diaboli niſi peccatum? jure ergo ſemen hoc Diaboli contritum eſt per fructum ventris Mariæ: gravi enim plaga multiplici plagatus eſt homo, incidens in latrones, dum per originale peccatum tam cæcus ad verum, tam infirmus ad bonum, tam pronus ad malum factus eſt. *op. B. V. lect. 18.* ô infelix homo, imò ô felix homo, quia per fructum hunc B. Virginis iſtæ plagæ ſanatæ ſunt.

725. *Maria præparavit antidotum contra venenum peccati.*

Inimicitias ponam inter ſemen tuum, & ſemen mulieris. Nota, quod per eſum ligni vetiti diffuſum eſt venenum mortis, & peccati: huic Deus oppoſuit aliud ſemen, ſcilicet ligni vitæ: lignum vitæ, eſt mater vitæ, ſcilicet Maria, cujus fructus eſt ſanativus, & vitæ ſalutem conferens. *opuſc. ſpec. B. Virg. lect. 16. & 18.*

726. *Maria cæpit, & ligavit Diabolum in ſagena ab ipſo præparata in damnum hominis.*

Tu inſidiaberis calcaneo eius, & ipſa conteret caput tuum. Vide anthiteſim: Inſidiis Diaboli oppoſuit Deus contritionem capitis faciendam à Maria Virgine; unde ſi Diabolus decepit Evam, & B. Virgo contrivit caput ejus: Diabolus ſagenam homini præparavit, & ipſe in ſagena B. Virginis captus eſt. *opuſc. Pſalt. Pſal. 52.*

727. *Diabolus hoſtis perpetuus, inermis tamen, nec poteſt capere nos.*

Inimicitias, &c. Tu inſidiaberis calcaneo eius, & ipſa conteret caput tuum. Ergone nobis Deus præparavit occaſiones labendi, dum ordinavit, quod inter nos, & Diabolum perpetua eſſet inimicitia, & poſſet inſidiari nobis: Imò ex hoc apparet magna Dei in nos benignitas. Nota autem, quod hæc inimicitia ex parte Diaboli ſolùm poteſt exerceri inſidiis, non autem ulla vi, & violentia: eſt enim inermis contra nos, & ſolis aſtutis ſuggeſtionibus nos impugnat, ſuadendo, ut peccemus non cogendo: ne autem ſuis perverſis ſuaſionibus nos deciperet, præmonuit nos in his verbis, quod perpetua, & implacabilis inimicitia erit inter ſerpentem, & nos, ut nihil recipiamus ab eo, ſcientes, quod nunquam dabit conſilium utile tam crudelis hoſtis. *opuſc. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 2.*

728. *Diabolus inermis nos tentans poſtulat à nobis arma noſtra, ut nos occidat.*

Inimicitias, &c. Tu inſidiaberis calcaneo eius, &c. In quonam conſiſtit hæc pugna noſtra cum inſidiis Diaboli? Ergone nihil amplius contra nos poteſt, ſi non eſt poteſtas in terra, quæ ipſi poſſit comparari? Sed nota Divinam providentiam infinitam. Vidit Deus, quod in nobis eſt, quo peccemus; nempè materia tentationum, quæ eſt concupiſcentia exiſtens in carne, & membris corporis, quæ tamen voluit Deus, ut eſſent inſtrumenta, quibus poſſemus mereri, & veluti armis muniti per ea militando, creatori hoſtem noſtrum Diabolum impugnaremus. Cum autem per hæc inſtrumenta poſſimus etiam peccare, & demereri, ipſe Diabolus, quando nobis inſidias, & tentationes ſuggerit, quia eſt inermis, tunc exigit à nobis, ut præſtemus ei arma noſtra, quibus nos occidat, vel ut ea hebetet, & retundat, ut nobis minùs apta fiant, & utilia, & minus acuta, & efficacia ad ipſum per ea impugnandum. *opuſc. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 2.*

729. *Diabolus nihil poteſt in nos, niſi aſſentiamur ipſi.*

Inimicitias, &c. Inſidiaberis calcaneo eius, &c. Ipſa conteret caput tuum. Vide, quàm inæqualis ſit hæc pugna Diaboli cum homine, nam ipſe ſolùm poteſt inſidias tendere calcaneo. Nos autem auxilio gratiæ Dei ipſius caput conterere valemus, ergo ipſe inermis eſt, nos autem ſumus à Deo armati, & ſuperiores Diabolo, nec poteſt vincere niſi volentes, & conſentientes. *opuſc. de prof. Religioſ. lib. 1. cap. 2.*

730. *Homo per gratiam Dei poteſt Diabolum ſuperare.*

Inimicitias ponam, &c. Tu inſidiaberis calcaneo eius. Vide, quot pericula nobis obiiciantur ex hac perpetua inimicitia. Ergone data eſt tanta poteſtas Diabolo ad damnum noſtrum? Imò nulla: imò ablata eſt ei omnis poteſtas. Et è contra nobis data eſt poteſtas calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones quantùm ad inſidias corporales, & ſuper omnem virtutem inimici quantùm ad inſidias ſpirituales, & nihil poteſt nobis nolentibus nocere propter divinam, & ſupernam protectionem. *In Luc. cap. 10. v. 19.*

731. *Tentatio Diaboli debet in principia conteri, ne in fine nos perdat.*

Tu inſidiaberis calcaneo eius, & ipſa conteret caput tuum. Sed quarè non dixit Deus; & ipſa inſidiabitur calcaneo tuo, ut eſſet æquale certamē? Vel etiam ſicut dixit de muliere, quod ipſa conteret caput tuum, ſic etiam debebat dicerè de ſerpente, Tu conteres caput mulieris? Sed adverte, quod, ut

dicunt

dicunt SS. Patres per caput intelligitur initium suggestionis, per calcaneum, qui est extrema pars corporis intelligitur finis actionis: hinc optimè dictum est, *Tu insidiaberis calcaneo eius*, scilicet suggestione tua conabis ad finem perducere tentationem per consensum: at ipsa conteret caput tuum, scilicet initium suggestionis, & sic eam radicitus extirpabit: In principio igitur tentationis debet expelli Diabolus, ne de abysso in abyssum nos præcipitet. *Comp. Theol. lib. 3. cap. 21. & in Ioan.cap.13.v.18.* Sic & D. Gregorius, *lib. 1. Moral.cap.38.*

732. *Diabolus de nobis non est contentus nisi in consensu peccati & in præcipitio æternæ damnationis.*

Tu insidiaberis calcaneo eius. Quarè insidias Diabolus parat calcaneo, & non potiùs capiti, vel corpori? Iam dictum est quod per calcaneum intelligitur finis tentationis, & actionis, & per hoc datur intelligi, quod nihil Diabolo de nobis sufficit nisi completus consensus mali, & tandem æterna damnatio: hæc sunt quæ intendit Diabolus in suis suggestionibus. *Opusc.de prof. Religios. lib.1.cap.2.*

733. *Inimicitia qualis inter filios Diaboli, & Dei.*

Inimicitias inter semen tuum, & semen mulieris. Quid sit semen mulieris iam notum est, nam ex muliere nascuntur filij, sed quid sit semen Diaboli, hoc omnino ignotum est: forsan Diabolus potest generare filios? Minimè, licèt Tertullianus, alijque pauci inciderint in hunc errorem de Gigantibus.*in Gen. cap.6.* quod falsum est, & erroneum, cum non habeant vim generativam, & sint omninò incorporei, & incorruptibiles. *lib. 2. dist.8.p.1. art.2.* & ergo in alio sensu debent hæc intelligi: Attende igitur, quod per hanc mulierem intelligitur Ecclesia de latere Christi formata, huius semen sunt justi: per serpentem verò intelligitur Diabolus, cujus semen sunt perversi, & maligni, filijque Diaboli, unde Caldæus legit. *Inimicitias ponam inter filium tuum & filium eius.* Isti inimicantur dum bonis ad culpam vel ad pœnam insidiantur; quare per istos nititur Diabolus præmere semen bonum; & ex hac præssura justorum præmia augmentantur, dum culpam odetunt, & pœnam patienter tolerant, & diligunt. *serm. 4. Dom. 4.post oct.Epiph.* Sic & Rupert.*l.2.de vict.verb.c.17.*

734. *Inimicitia Diaboli cum bonis est istis lucrosa.*

Inimicitias inter te, & mulierem, &c. Ergone servi Dei habent inimicitias? Nonne Christus præcipit, ut sint Agni inter lupos, & Dæmones? sed nota, quod hæc inimicitia inter Diabolum, & justos est circa culpam; Diabolus enim non est contentus nisi consensu in peccatum, sic adest inimicitia inter bonos, & Diabolum. *Opusc. de prof. Religios.lib.1. cap.2.* quæ tamen in maximum emolumentum resultat bonis,*serm.4.Dom.4.post Epiph.*

735. *Pax cum Diabolo, & cum iniquis est fugienda.*

Inimicitias &c. O Deus, si charitatis affectum nutrire amicitijs debemus, imò si perfectæ dilectionis cumulus est odium amore recompensare, quomodò nunc inimicitias constituis? Nonne pacem inter omnes exoptas? sed sciendum est, quod duplex est pax, scilicet bona, & mala: bona est Dei, & à Deo, & cum proximo in bona: mala est pax ficta, in qua homo voluntariè se subijcit Diabolo, mundo, & carni: hæc pax est prava, falsa, deceptoria, & Diabolica.*In Luc.cap.12.v.51.& Opusc. Dict.sal.tit.7.cap.6.* Pax hæc est peccatorum, quæ fuit inter Pilatum, & Herodem *ibidem*: hanc pacem cum iniquis Deus detestatur.

736. *In fine vitæ acrius impugnamur à Diabolo.*

Insidiaberis calcaneo eius. Cujus? Hominis: sed quare potiùs insidiatur Diabolus calcaneo, & non capiti? Calcaneus repræsentat extremam partem vitæ hominis, scilicet finem vitæ, unde Caldeus legit, *Et tu observabis ei in finem*: Sed hic nota, quod licèt Diabolus semper inimicitias exerceat in hominem, tamen id magis facit in fine vitæ: *In Thren.cap.1. v. 6.* Dæmones enim coangustant animam in morte & circundant eam tentationibus, insidijsque ut eam prosternant ad Infernum *serm.3.fer.3.Pasch.& serm.3.Dom.9.post Pentecost.*

737. *Christus sua morte, & resurrectione spoliavit Diabolum armis.*

Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum. Nota quod 70. legunt, *Ipse conteret caput tuum*, & Pagninus ex Hebræo cum alijs legit, *Ipsum conteret caput tibi.* Sed ad quem fit allusio per illas voculas, *Ipse & Ipsum*? Sed respondetur quod ad semen Beatæ Virginis, quod est Christus: Et quid fecit Christus ut caput contereret Diaboli? Nihil aliud, nisi auferendo ei omnia arma per suam passionem, mortem, & resurrectionem, quibus erat armatus, & valebat in hominem: & vires suas post resurrectionem reliquit Prædicatoribus, ut tali pacto contererent caput, scilicet potestatem Diaboli in peccatores.*In Luc.cap.11.v.30.*

738. *Multi perversi præveniunt in malum tentationes Diaboli.*

Inimicitias &c.Tu insidiaberis calcaneo eius, Iam sublata est potestas Diabolo, qui solum calcaneo potest insidias tendere, deditque nobis potestatem calcandi & conterendi caput, scilicet præveniendi illam in tentationibus, ne nobis noceat, sed vide perversitatem stultorum, qui non expectantes tentationes Diaboli ipsum præveniunt vel in adolescentia, vel cooperando malis inclinationibus propriæ concupiscentiæ, sunt enim plures, qui sibimetipsis laqueos tentationum texunt, priusquam tentator accedat, & quodammodo procurant sibi, unde tententur, ut qui sponte cogitationes pravas versant in corde, qui familiaritates incautas admittunt mulierum, qui assumunt causas turbationum, qui suspiciones in corde admittunt vanas.*Opusc.de prof.Religios. lib.1.cap. 2. & in Thren cap.1.v.6.*

739. *Tentatio Diaboli vincitur, dum aspicitur ad finem tentationis.*

Tu insidiaberis calcaneo eius, & ipsa conteret caput tuum &c. Nota hic Deum nos instruere de modo vincendi

vincendi Dæmonem; nam juſtus dum tentatur, ne ſuccumbat, aſpectum figit ad calcaneum, ſcilicet ad finem delectationis, qui eſt mors infernalis, & conſideratio pœnarum æternalium: item & ad propriam fragilitatem, ejuſque finem, qui eſt reſolutio in pulverem per mortem. *Opuſc. Diat. ſal. tit. 5. cap. 5.*

740. *Societas malorum eſt ita nociva, ut omnibus inferat damnum.*

Inimicitias &c. Inſidiaberis calcaneo &c. Hoc dixit unico illi ſerpenti, unde etiam illum ſolùm maledixit, ex quo probabile eſt, ut tunc ei innatum eſſet venenum; & ſi hoc, quomodò cæteri ſerpentes venenoſi ſunt, & inſidiantes calcaneo hominis nituntur inſtillare ſuum venenum? Præterea ſi Dæmon fuit qui malum patravit, cur ſerpenti hæc maledictio, & cum maledictione venenum infunditur? imò & cæteris ſerpentibus? Reſpondet Rupertus Abbas. *lib. 1. de Trinit. cap.* 10. id factum eſſe, quia ille ſerpens ad miniſterium mortis ſua calliditate inſtrumentum Diaboli fuit, ex hocque fuit maledictus, & omnes contraxerunt eandem maledictionem: Ergo inferre licet quod id fuit ex ſocietate perverſa cum Dæmone, &c. Vide igitur, quomodò ob unum ſerpentem omnes maledictionem contraxerunt; Inter bonos bonum eſſe, ait S. Bonaventura, ſalutem habet; inter malos verò & laudem: illud tantæ facilitatis eſt, quantæ eſt ſecuritatis; hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis: ſicut eſt tangere picem, & non inquinari ab ea, in igne ſine læſione verſari: Ne te dixeris ergo bonum malis innitentem. *Opuſc. Phar. lib. 4. cap. 22.*

Addendum eſt etiam in confirmationem dictæ veritatis, quod Diabolo permiſſa eſt poteſtas à Deo ſuper ſerpentes magis, quàm ſuper alia animalia, plus enim per incantationes ſerpentes, quàm aves capiuntur, & hoc in prioris facti memoriam, nempè quia unus ex ipſis fuit inſtrumentum Diaboli ad decipiendum hominem. *lib. 4. diſt. 34. art. 2. quæſt. 2. ad. 4.* Ex quibus licet inferre quod unius ſerpentis, & maligni ſocietas ſufficit inficere integrâm bonorum congregationem.

741. *Semen Diaboli ſunt ſuperbia, luxuria, & avaritia.*

Inimicitias, &c. inter ſemen tuum, & ſemen illius. Quodnam eſt hoc ſemen Diaboli? Et quænam eſt hæc terra in qua ſeminatur hoc ſemen? ſemen hoc ſunt radices, quas in agro primorum parentum ſeminavit, ſcilicet libidinem principandi, & dominandi, libidinem delectandi, & libidinem poſſidendi, per has autem excidium paravit mondo, & omnes homines induxit ad peccatum, & his tribus tentationibus Diabolus tentavit Chriſtum. *In Luc. cap. 4. v. 3. & ſerm. 22. Hexaem.*

742. *Ex hac inimicitia major decor univerſi ortus eſt.*

Inimicitias, &c. Cur Deus voluit hanc perpetuam inimicitiam inter Diabolum, & hominem? Nonne infinita peccata in terra erant oritura ex ipſa? ſed vide Dei ſapientiam: multa enim bona, quæ non eſſent facta, ſi peccatum non fuiſſet in mondo, fecit Deus, & facta ſunt, qualia ſunt quæ geſta ſunt in noſtra reparatione, vis enim Divina eliciens bonum ex malo præpotens eſt malo, & ideò bonum quod inde elicit, prævalet bono quod malum corrumpit, ideò plus valet univerſum nunc, quàm valuiſſet ſine peccato: ideò dicitur: *O felix culpa, quæ talem meruit Redemptorem. l. 1. diſt. 45. art. 1. quæſt. 6.*

743. *Quantitas pœnæ reſpondet quantitati culpæ.*

Mulieri quoque dixit, multiplicabo ærumnas, &c. Cur Deus tribus flagellis ſexum fœmmeum cruciari voluit: Nonne ſufficiens pœna erat in dolore parere filios? ſed vide, quomodò Deus ſit juſtiſſimus, voluit enim, ut quantitas pœnæ reſponderet quantitati culpæ: Primò enim peccatum à muliere ſumpſit exordium per ſuperbiã eius in mente, ideò ſubjectionem incurrit; Secundò quia lignum vidit, & appetijt, & comedit, ideò dolorem in partu incurrit: Tertiò quia fugit jugum obedientiæ Deo, ideò incurrit vinculum, & pondus multiplicis ærumnæ: hinc ad dedecus peccati ſtatim ſubſecutum eſt decus judicij, & quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturæ, cecidit ſtatim in ordinem juſtitiæ. *Opuſc. Brevil. p. 3. cap. 4.* hinc meritò graviùs Eva punita fuit, quia majori improbitate libidinis majus, & magis ambivit. *In Luc. cap. 4. v. 38. & lib. 2. diſt. 22. art. 1. qu. 3.*

744. *Mulier ad peccatum trahens virum graviter punitur; ſic & qui alteri eſt occaſio peccandi, gravius punitur.*

Mulieri quoque dixit, &c. Cur mulier graviùs punita fuit? Iam dictum eſt majori improbitate libidinis ipſam peccaſſe, ſed nonne fragilior vas erat ipſo viro? & ipſa fuit ſeducta; non vir: cur ergo non magis vir punitus eſt? Reſpond: Deum æquiſſimè, & juſtiſſimè in hac punitione proceſſiſſe, licèt enim fragilior eſſet mulier, tamen cum ipſa fuerit occaſio, & ſcandalum ipſi viro, & ab ipſa initium habuerit peccatum viri: hinc meritò gravius punita: licèt enim ex parte peccantis gravius peccaſſe dicitur vir, majora enim dona habuerat, & prælatus erat mulieris: tamen penſatis conditionibus ex parte peccati, gravius peccavit mulier, quia exercuit impietatem in Deum, & iniquitatem in proximum, &c. *l. 2. d. 22. a. 1. qu. 3.* Hinc vide, quàm grave peccatum ſit ſcandalum, & quomodò ſuper cætera gravius punitur à Deo.

745. *Deus contemperat miſericordiam cum juſtitia.*

In dolore paries filios, &c. Mulier data eſt in adjutorium viro ad filios procreandos: cur Deus addidit dolorem huic operi? Reſpond. quia Deus ſemper in ſuo opere contemperat miſericordiam cum juſtitia. *l. 4. d. 46. a. 2. per tot.* Iuſtitia enim elucet in dolore ordinato, & miſericordia in procreatione filiorum, cum non abſtulerit fœcunditatem: & quia ſpes futuri boni in filiorum ortu leviſſimas illas pœnas efficit. *in Pſalm. 133. & ſerm. 16. & 21. Hexaem.*

746. *Beata Virgo immunis ab hac ſententia, quia immunis fuit ab omni culpa.*

In dolore paries filios, &c. Nota hanc ſententiam involvere omnes mulieres excepta B. Virgine, quia fuit immunis à culpa; ideò dicitur ei, *Ave*, id eſt abſque væ maledictionis originalis patientium, & hinc beata, quæ ſine contaminatione concepit munditiam

munditiam, & sine dolore peperit medicinam. *Op. spec. B. Virg. lec. 2.*

747. *Maria Virgo opposuit vitio gulæ Evæ summam temperantiam, ideò benedicta super omnes.*

In dolore paries filios, &c. Peperit B. Virgo filium sine dolore: sed cùm non esset facta immunis à morte; in pariendo tamen facta est libera à dolore, quia cùm hæc pœna fuerit inflicta ob gulæ vitium: Maria è contra fuit benedicta pro sobrietate, & temperantia, pro qua meruit benedictionis multiplicationem super omnes mulieres, imò super omnes homines. *Op. spec. B. Virg. lec. 15.*

748. *Vitium gulæ attulit maledictionem spiritualem, & corporalem mulieribus.*

In dolore paries, &c. Vide quale malum est vitium gulæ, & quot maledictiones omnibus mulieribus attulit: maledictiones, inquam, spirituales in anima, & in corpore. *Op. spec. B. Virg. lec. 15.*

749. *Sterilitas sæpe pœna peccati.*

In dolore paries filios, &c. Si hæc maledictio tantùm fuerit in parturientes: ergo steriles sunt immunes ab ista? Minimè: terigit enim omnes mulieres etiam steriles, de quibus dictum est, *maledicta sterilis in Israël: Deut. c. 7. v. 14.* Steriles enim subjectæ sunt pluribus ærumnis. *Op. spec. B. Virg. lec. 15.*

750. *Mulieris fæcunditas causa maioris cruciatus.*

Multiplicabo conceptus tuos, in dolore paries filios, &c. Quomodò pœna hæc imponitur mulieribus, si iam præcepta eis fuerat multiplicatio prolis? Præterea bonum prolis est unum ex fructibus jucundis Matrimonij, quomodò nunc in pœnam mulieribus taxatur? sed iam dictum est, quod Adam stante mulieres peperissent sine dolore: unde multiplicatio prolis fuisset jucunda: sed post peccatum addita est eis maledictio hæc maximi doloris. *Op. Brevil. p. 3. c. 4. & Op. spec. B. Virg. lec. 2. & 15.* Ut hinc edifcas, quod sicut mulieris conceptus est maxima pœna, sic & quo fæcundior, eo miserior, sic & Rupert. *Lec. 3. in Gen. cap. 12.* Oh quàm pessimi fructus peccati! sive enim mulier sit fæcunda, sive sterilis à peccato torquebitur.

751. *Innumeræ ærumnæ sunt, quibus subduntur nubentes mulieres.*

Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, sub viri potestate eris, &c. Vide quot pœnas inflixit Deus mulieri: & cur tantam pœnam indixit misericors Deus? quia ipsa ad peccatum traxit virum, ut dictum est supra; sed quænam sunt istæ ærumnæ? Oh si scirent Virgines, cum quanto dolore florem virginitatis amittunt; cum quanta mutatione corporis fœtum concipiunt, & nutriunt: cum quanto dolore pariunt, & sæpe pereunt: cum quantis pœnis filios nutriunt: cum quanto dolore eos morientes aspiciunt: quanta est pœna zelotipos viros habere, malos maritos sustinere, bonos perdere, non desiderarent facilè nubere, sed libenter in Christi, & Virginis gloriosæ amore eligerent Virgines permanere. *serm. de S. Agatha.* Si igitur Virgines non sunt tot ærumnis subjectæ: saltem odium ad peccatum concipiant.

752. *Peccatum liberos servos facit.*

Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui, &c. Nonne etiam ante peccatum subjecta erat mulier viro? Nota, quod in statu innocentiæ producta fuit in adjutorium, & sociam viri: nunc post peccatum subjicitur viri imperio: abutens enim donis à Deo acceptis, eis privatur; meritò ergo alijs subijcitur, qui vitijs & Diabolo se subijcit. *Op. de Eccles. Hier. p. 2. c. 1. &* D. Ioan. Chrysostomus. *Hom. 17. in Gen.* Hinc edisce, quod peccatum liberos servos efficit. *l. 2. d. 44. a. 2. q. 2.*

753. *Deus nullum peccatum impunitum relinquit.*

Adæ verò dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti, &c. Maledicta terra, &c. Ex hinc & suprà notatis patet, quod Deus nullum peccatum impunitum relinquit, sed semper fecit districta judicia de transgressionibus præceptorum, ut patet in Angelis, in Adam, in uxore sua, in Cain, &c. *serm. 17. Hexaem.*

754. *Adam fuit punitus ad pœnam, & pœnitentiam: Diabolus ad culpam.*

Quia audisti, &c. Maledicta terra in opere tuo, &c. Si Adam inobedientiam commisit; cur non ipsemet punitur? cur non dicitur ei, maledictus tu, sed maledicitur terra? sed vide quanta sit Dei misericordia; nam cum duplex sit maledictio, scilicet culpæ, & pœnæ, illa data est Diabolo, ista homini. *in sap. cap. 14. v. 8.* Ideo dæmon damnatus est statim, at homo statim ad pœnam, & pœnitentiam vocatus: Vide igitur misericordiam grandem Dei, nam in terram effusa est hæc maledictio, ut ostenderet curam, quam habebat de homine. Chrysost. *Hom. 18. in Gen.*

755. *Adæ peccatum remissibile: Diaboli irremissibile.*

Maledicta terra in opere tuo. Vide discrimen sententiæ pœnalis in Dæmonem, & virum: nam ad Dæmonem immediatè extenditur, *maledictus eris, &c.* Sed in hac sententia extenditur ad terram: cur non etiam ad virum? sed ex hoc patet, quod meritò peccatum Luciferi fuit irremissibile, non verò peccatum hominis, ideò condemnatus fuit ad se subijciendum pœnalitatibus temporalibus, ex hoc quia habuit corpus adjudicatum mortalitati, & quia alio suggerente cecidit, ideò conveniens fuit, ut haberet alium adjutorem, & redemptorem. *l. 2. d. 21. a. 3. q. 2.*

756. *Omnis peccans audit vocem uxoris, scilicet sensualitatis.*

Quia audisti vocem uxoris tuæ, &c. Cur hæc verba addidit peccato commisso Adæ? nonne sufficiebat dicere, quia comedisti de ligno vetito? sed nota, quod per hoc Deus indicavit originem omnium peccatorum provenire ex eo quod vir audit vocem uxoris suæ: nam per virum intelligitur portio superior animæ: per mulierem sensualitas; Ex hoc igitur quod datur consensus animæ sensualitati, auditurq; eius vox, & suggestio, hinc oritu

oritur peccatum. *lib. 2. d. 24. par. 2. a. 2. quæſt. 1. & 2.*

757. *Qui audit vocem, & ſuggeſtionem ſenſualitatis & non comedit non eſt tranſgreſſor legis divinæ.*

Quia audiſti & comediſti, &c. Cur hæc duo verba copulat Deus in explicando peccato Adæ? Reſpond. quod aliud eſt audire, aliud comedere: audire poteſt quis vocem ſenſualitatis abſq; eo quod conſentiat ſuggeſtioni, ſicq; audiendo ſolùm poterit quis immunis eſſe ſaltem à peccato mortali, & tunc ſola mulier comedere dicitur; at comedendo, ſeu conſentiendo, tunc eſt peccatum mortale. *l. 2. d. 24. p. 2. a. 2. qu. 2.*

758. *Luxurioſus ſe ſubÿcit carni.*

Quia audiſti, & comediſti. &c. Nota quod Adam audiendo vocem mulieris, & comedendo mulieri obtemperavit: ut oſtendatur, quod ſenſualitati obtemperans luxurioſus ſe ſubÿcit voluntati carni, tanquam viliſſimo Domino. *Op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 21.*

759. *Ex vitio gulæ orta eſt maledictio terræ.*

Quia audiſti, &c. maledicta terra in opere tuo, &c. Quid eſt in opere tuo maledici terram? ſcilicet ex vitio gulæ, & comeſtionis tuæ maledictio effluxit in genus totum humanum. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 15.*

760. *Spinarum, & plantarum inutilium productio in locis, ubi ſeminatur frumentum eſt in pœnam peccati.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. In quonam conſiſtit hæc maledictio? quia ſcilicet ſpinas, & tribulos germinabit: ſed nonne terra etiam produxiſſet ſpinas, & tribulos Adam ſtante? quomodò ergo nunc talis productio dicitur maledictionis fructus? ſed attende, quod Adam ſtante terra produxiſſet quidem ſpinas, & tribulos, ſed in proportionatis locis: poſt peccatum verò ob maledictionem in pœnam peccati Deus ordinavit, ut ſpinæ, & tribuli, aliæque plantæ infructuoſæ oriantur ubi ſeminatur frumentum, ut dum colitur, det fructum, unde homo ſuſtentetur, ſed potius producit, unde homo crucietur; quod verò in locis multis generetur ſpina, hoc non eſt pœna, ſed natura. *l. 2. d. 14. p. 2. d. 2.* Vid. S. Baſil. *Hom. 6. tom.* 1. Lippom. hic legit. *Terra non reſpondebit culturæ pro voto tuo: labor, & diligentia fruſtrabitur: ex horto fiet tibi ſilva, &c. ex agro eremus: degenerabit terra ab originali fœcunditate, ſicut homo ab originali juſtitia.*

761. *Ex peccato ſterilitas terræ.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. ſpinas, &c. Sed cur tantum duo iſta arbuſta commemorantur in pœnam peccati? Nonne adſunt alia etiam inutilia, quæ continuè generantur à terra? ſed ſciendum eſt, quod inter omnes herbas inutiliſſima, & magis noxia ſunt rubus, & ſpina, ut ex his appareat fructus peccati, & quomodò peccatum hominis ſua malignitate redundat in terram, inferendo in ea ſterilitatem: unde dicitur, maledicta terra in opere hominis, ſcilicet propter peccatum ipſius: Item & dum opere ſuo colit terram, ut det fructum, loco fructuum ſterilis reddita ſpinas, & tribulos germinat. *l. 2. d. 14. p. 2. dub. 2. & in Luc. c. 6. v. 44. & Op. Comp. Theol. l. 3. cap. 7.*

762. *Ex peccati maledictione oriuntur omnia mala in pœnam hominis.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. ſpinas, &c. Sed cur in pœnam peccati hæc maledictio data eſt terræ tantùm, quæ ad uſum, & beneficium hominis inſervire debet? Nonne etiam alia elementa, & cæli facta ſunt ad utilitatem hominis? Cur non etiam hæc fuerunt maledicta? Imò hæc maledictio extenditur etiam ad omnes alias corporeas creaturas ordinatas ad utilitatem hominis: nam ad ſterilitatem terræ concurrunt etiam alia elementa, & cæli per ſubtractionem influxuum, quibus terra indiget, ſcilicet aquæ, aeris, ignis, cælorum; hincq; oritur fames, peſtilentia, aeris corruptio, terræ naſcentia infeſtantia agros, obſeſſio inimicorum, bella, aliaq; mala, quæ omnia propter peccata eveniunt in terra. *ſerm. 4. de dedic. Eccl. & Op. Comp. Theol. l. 3. c. 7.*

763. *Ex inobedientia maledictio: ex obedientia benedictio Dei.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. Quid eſt maledicta terra in opere tuo? quodnam eſt hoc opus Adæ? ſed iam Deus ſe expreſſerat: quia audiſti vocem uxoris tuæ, quia comediſti de ligno, de quo præceperam ne comederes: ergo hoc opus, ob quod contracta eſt hæc horrenda maledictio fuit inobedientia: Vide igitur quale malum eſt inobedientia; & hinc ut hanc veritatem Chriſtus exprimeret ex ſuo contrario, dixit, *Beatus es Simon:* Simon interpretatur, *obedientia*, ut ſignificaret obedientiam mereri benedictionem, qua Adam privatus eſt. *Op. diat. ſal. tit. 4. c. 2.* Vide quomodò Adam ex quo fuit inobediens ſuo ſuperiori, omnia inferiora ſua habuit contraria. *ſerm. 5. de dec. præcept.*

764. *Per quæ quis peccat per hæc & punitur.*

Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, &c. Quarè Deus non introduxit in pœnam peccati alia mala, ſed ſolùm productionem ſpinarum, & tribulorum? Sed attende quomodò rectè ſpina, & tribulus reſpondeant operi Adæ, ſcilicet peccato commiſſo extendendo manus ad lignum vetitum; nam ſicut ſpina, & tribulus non poſſunt manibus contrectari abſq; læſione, ſic etiam proportionata pœna manibus inflicta eſt. *in Luc. c. 6. v.* 44. Unde inferre potes, quod per quæ quis peccat, per hæc & punitur.

765. *Spinæ, & tribuli magis exprimunt fructum peccati, quàm cæteræ herbæ inutiles.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. tribulos, &c. Quarè in terra voluit Deus in pœnam peccati ſpinas, & tribulos? nonne aliqua alia pœna fuiſſet magis apta? ſed optimè dictum eſt, *ſpinas, & tribulos germinabit tibi:* nam cum alÿs herbis naſcitur, & maturatur etiam frumentum: at ſi cadit inter ſpinas, & tribulos potius ſuffocatur, nec refert fructum, ideò proportionata magis fuit hæc pœna in punitionem comeſtionis fructuũ terræ: unde ſpinæ totum occupant, ut fructus cum eis naſci nõ poſſit. *in Luc. c. 8. v. 7.* Vide quam perniciem afferat peccatum: ubi enim ingreſſum habet, ibi totum diſperdit.

766. *Sollicitudo mundana, & cogitationes iniquæ reddunt animam maledictam.*

Maledicta terra, &c. spinas, & tribulos, &c. Ergo terra producens spinas, & tribulos reproba est, & maledicto proxima, ait D. Paul. *ad Hebr. c.* 6. sed nonne & alia terra, & tota terra remansit maledicta? remansit quidem maledicta tota terra, sed magis hæc ad exprimendum mysterium dignissimum; Nam per spinas, & tribulos significantur mundanæ sollicitudines, cogitationes carnales quæ prævalent in corde carnalium, & quia in his semen verbi Dei, & inspirationum sanctarum suffocatur, & impeditur, ne fructum det tempore suo, ideò dicitur maledicta hæc terra, scilicet anima. *in Luc. cap.* 8. *v.* 7.

767. *Discordia, & scissio charitatis affert maledictionem Dei.*

Maledicta terra in opere tuo, &c. spinas, &c. Cur terra producens spinas, & tribulos expressè magis denotatur maledicta? Nota, quod terra mysticè est anima, vel Ecclesia, vel Congregatio Christianorum; hujus terræ fructus est frumentum charitatis, & unitatis christianæ; hæcq; per spinas iracundiæ, schismatis, discordiæ suffocatur; ideò propter hæc vitia dicitur terra maledicta, laboribus, sterilitatiq; subjecta. *in Luc. c.* 6. *v.* 44. *& serm.* 3. *Dom.* 13. *post Pentec.* Ex quo inferre licet quod discordia portat maledictionem animæ, & congregationibus, Ecclesiæq; Dei.

768. *Religio quæ loco frumenti producit spinas inobservantiæ, terra maledicta.*

Maledicta terra in operè tuo, &c. spinas & tribulos, &c. Iam dictum est per terram mysticè intelligi animam, & congregationem, statumq; religiosum, sed qualiter dicitur maledicta. Nota consequentia: *in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi:* Terra namq; culta divinis consilijs, & Christi exemplis si pro frumento germinabit spinas, & tribulos subiacebit maledictioni Dei; nempe illa religio, quæ loco observantiæ, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, aliorumq; operum sanctorum ad nihilum redigitur per inobservantias maximè obedientiæ, quæ est fundamentum religiositatis. *Op. stim. div. am. p.* 3. *cap.* 11.

769. *Anima, quæ non producit fructus dignos pœnitentiæ maledicta.*

Maledicta terra in operè tuo, &c. Cur ad terram dirigitur hæc maledictio quodnam peccatum patraverat? Nota, quod terra produxerat arborem mortis: unde sicut Christus maledixit ficui non habenti fructus, sed tantùm folia: sic Christus maledicit terram producentem solùm spinas, & tribulos: & quænam est hæc terra? Anima, quæ opera pœnitentiæ negligit: Vide igitur ô homo quo malo sit plena ista terra tua; hinc spinæ, hinc tribulus, hinc fœnum: quid agis, quarè vacas? spinas incende, tribulos eradica, fœnum seca, nova semina bona sparge, non terreat hyems, sere hyeme, quod metas æstate. *in Luc. c.* 13. *v.* 5. *& seq.*

770. *Christus abstulit hanc maledictionem.*

Maledicta terra, &c. Ad quid maledicitur terra, si homo est qui peccavit? quia nomine terræ venit homo: Nota igitur quod ante adventum Christi homines sub maledicto legis erant: tempore enim illo fiebant sacrificia eorum, quæ ex terra producebantur: unde erant onerosa, sed per Christum sublata fuit hæc maledictio. *lib.* 4. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *qu.* 1. *ad* 2.

771. *Aqua non maledicitur, quia figurabat Baptismi Sacramentum.*

Maledicta terra, &c. Cur quæso sola terra maledicitur, & non simul aqua, cum sicut à terra nutritur, sic & aquam homo bibat? litteraliter quia homo peccavit de fructu terræ, quem comedit, & non de aquis bibit: mysticè: quia sacrum Baptisma, quo peccata diluenda erant, repræsentabant: Ideò Sacramentum Baptismi, quod est lex bonitatis, suavitatis, & amoris institutum est in aqua; quæ facile cedit: Sacramenta autem legis veteris, quæ erat sub maledicto, erant ex fructibus terræ. *l.* 4. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *qu.* 1. *ad* 2. *& l.* 3. *d.* 12. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 2. Ex quo habes immunem esse à maledictione, qui in peccato non communicat, ait S. August. *l.* 2. *de Mirab. c.* 4. Terræ maledicitur, non aquis, quia in aquis erat peccatum abluendum; de fructu terræ contractum.

772. *Præficere indignum origo omnium malorum.*

Maledicta terra, &c. Sed cur hæc maledictio? quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti, id est quia ordinem invertit, & cum vir esset prælatus mulieris, ei se subiecit obediendo, & hinc totius tragediæ principium. *Op. Bibl. paup. cap.* 108. *& l.* 2. *d.* 24. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. Ergo præficere indignum origo est omnis ruinæ.

773. *Divitiæ sunt spinæ.*

Maledicta terra, &c. spinas & tribulos, &c. Sed quomodò in omni terra id verificatur, cum in multis locis sit fertilis, & bona? Imò in ista verificatur quantumcumq; fertili, quia ex ipsa potissimè proveniunt divitiæ: divitiæ autem sunt spinæ, quæ & si delectare videntur, spinæ tamen sunt, mentem lacerantes possessorum cogitationum suarum punctionibus, quia avidè quæruntur, & sollicitè servantur. *in Luc. cap.* 8. *v.* 15.

774. *Ex nostra carne, & affectibus carnalibus solum oriuntur spinæ, & dolores cruciantes animam.*

Spinas & tribulos germinabit tibi. Quid est tibi germinabit? nonne possunt pungere etiam cætera animalia? meritò dicitur, *tibi*, scilicet homini quærenti oblectamenta ex terra, scilicet carne sua: ubi enim credit invenire oblectamenta, invenit cruciamentum: ideò dicit Apostolus, *Col.* 3. *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram* per depressionem, scilicet affectus ad terrena. *serm.* 1. *Dom. infr. oct. Epiph.* Vide etiam, quod cum ex hac maledictione terra corporis nostri spinas & tribulos vitiorum ultrò germinabit, quid faciet impinguata delicijs cibo, potuque: tanta erat certè densitas spinarum, quod semen verbi Dei in nobis suffocabitur totaliter. *Op. de prof. relig. l.* 1. *c.* 39.

N 775. Dens

775. *Deus ab initio indicavit velle à nobis frugalitatem, & parſimoniam.*

In laboribus comedes herbam, &c. Ecce qualis cibus aſſignatus fuit ab initio ſæculi hominibus; Hunc ſimplicem cibum debuit Deus reliquis cibis anteferre, quoniam iſte eſt ſubtiliatis cibus, reliqui voluptatis, in quo datur nobis frugalitatis exemplum, & parſimoniæ magiſterium, ut herbis, & ſimplicis oleris victu, aut pomis contenti ſimus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primò donavit; talis fuit victus Anachoretarum, & perfectiſſimorum virorum. *Op. Apolog. paup. reſp. 2. cap. 2.*

776. *Peccatum traducit hominem in beſtiam.*

Comedes herbam, &c. Sed cur herbam pro cibo ei apponit Deus? Nonne hæc erat cibus proprius beſtiarum? ſed vide quomodò peccatum fecit Adam ſimilem beſtijs; quia enim quoad corpus erat ſimilis beſtijs, indigens refici cibis, ſicut beſtiæ: poſt peccatum verò quoad animam factus eſt pariter ſimilis beſtijs in beſtialitate, & mentis appetitu. *l. 2. d. 29. dub. 1.* Meritò ergo comparantur beſtijs, qui à Deo avertuntur, & cogunt ſpiritum ancillari, & carnem dominari non intendentes vacari, niſi laſciviæ, gulæ, & luxuriæ. *ferm. 3. Dom. 3. poſt oct. Paſch.*

777. *Cibus juſtorum Deus: cibus peccatorum cibus beſtiarum.*

Comedes herbam, &c. Septuaginta legunt, *fœnum agri*, Quomodò fœnum, vel herbam apponit Deus homini, cui iam conceſſerat edere de dulciſſimis fructibus omnium lignorum? ſed ex hoc vide diſcrimen ciborum viri juſti, & impij; nam cibus juſtorum ante peccatum eſt fructus Paradiſi, nempe Deus: cibus impiorum & poſt peccatū ſunt ſiliquæ, herbæ, aliaq; propria beſtiarum: nempe delectationes carnales, quæ onerant, non ſatiant animam. *in Luc. c. 15. v. 16. & Op. de prepar. ad Miſſ. c. 7. & op. de prof. relig. l. 2. c. 76.*

778. *Per labores Deus revocat ad pœnitentiam.*

In laboribus comedes ex ea, &c. Vide quid facit Deus cum peccatoribus, quos iam averſos per delectationes revocat ad ſe per afflictiones: ſic fecit cum Adam, ut qui inebriatus fuerat per delectationem, evigilaret per tribulationem, quia vexatio dat intellectum. *in Luc. cap. 15. v. 16.*

779. *Qui dulcia cum Deo recuſat guſtare: amara cum Diabolo cogitur ſumere.*

In laboribus comedes herbam terræ, &c. Si terra ultrò nec germinabit herbam, quomodò in laboribus comedet eam? ſed vide imaginem peccatoris, qui noluit dulcia guſtare in gratia, cogitur guſtare amara; dicit igitur *in laboribus comedes herbam*: quia ſcilicet, quæſiſti delicias vitiorum, ideò eas perdidiſti, viveſq; ſquallens calamitate, & miſeria. *in Luc. cap. 15. v. 16.* Lippom. *hic: Noluiſti arborum fructu veſci, ede ergo herbam terræ tibi contumacis.*

780. *Labor, & ſudor fructus peccati.*

In laboribus comedes ex ea: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, &c. Cur Deus replicat laborem, addens ſudorem etiam, in quo cibum ſumpturus erat Adam? ut appateat fructus peccati: in labore quantùm ad exercitium colendi terram: in ſudore quantùm ad difficultatem recipiendi fructus expectatos. *Pſ. 138.*

781. *Labor ſive corporalis, ſive ſpiritualis præcipitur homini.*

In labore, & ſudore, &c. Hoc dictum eſt Adæ, & poſteris: ſed quomodò id verificatur, cum multi ſint, qui ſine labore habent victum, & edunt? At nemo liber eſt ab hoc præceptu: ſed attende quod labor alius eſt corporis, ſeu corporalis; alius eſt ſapientiæ, ſive alterius generis boni, qui otium excludat: ſed inter omnes utilius, & nobilius eſt ſtudium ſapientiæ: Unde omne genus hominum ad aliquod exercitij genus ordinatum eſt pro loco, tempore, & obligatur præceptoriè in his verbis: quarè qui ad majora apti non ſunt præcepto Apoſtoli labore corporeo ſunt exercercendi. *2. Theſ. c. 3. & Op. Expoſ. in regul. S. Franc. cap. 5.* Et hoc fundamento S. P. Franc. obligavit ſuos Fratres ad laborandum vel corporaliter, vel ſpiritualiter. *ibid.*

782. *Labor bonus eſt prædeſtinatorum, malus reproborum: ille benedictus, iſte maledictus à Deo.*

In labore, & ſudore, &c. Ergone ſemper laborandum? ſed vide Dei providentiam, & ſapientiam, nam hanc pœnam propter peccatum homini aſſignatam Deus ordinavit in ſalutem noſtram: voluit enim ut per hoc cognoſcerentur, & diſcernerentur prædeſtinati à reprobis: Poſuit enim nos in agro hujus vitæ, vel Eccleſiæ, ut nunquam otiemur, ſed Deo conformes, & obedientes laboremus operando bonum ſecundùm conſilium ſapientis. *Prov. 12. qui operatur terram ſuam ſaturabitur bonis. in Luc. cap. 15. v. 25. & ferm. 1. in ſexag.* Væ igitur terræ cordis humani, quæ non profert fructus meritorum, ſed ſpinas profert peccatorum: fructus boni cordis ſunt bona opera: mali verò ſunt mala opera: illis à Deo dabitur benedictio: iſtis maledictio. *ferm. 2. fer. 2. Paſch.*

783. *Vult Deus à nobis laborem ordinatum, & ſine præjudicio animæ*

In labore, & ſudore, &c. Cur voluit Deus, ut cum labore, & ſudore laboraret homo pro cibo acquirendo, cum prohibuerit ſollicitudinem à cordibus ſuorum? ſed adverte, quod Deus vult quidem laborem, & ſudorem, ut victum paremus, ſed tamen abſq; ſollicitudine, & inordinatione. *in Eccleſ. cap. 2.* Vult igitur, ut vitemus inordinatum laborem: & quis eſt iſte labor inordinatus? labor inordinatus, & à Deo reprobatus eſt vel in deordinatione intentionis, præponendo ſcilicet cibum corporalem ſpirituali: vel aggravando ſollicitudinem & nimis cor affligendo: vel in tempore indebito. *in Ioan. cap. 6. v. 27.*

784. Labor

784. *Labor pœna voluptatis: pœnaq; respondet culpa.*

In labore, & sudore, &c. Ex Hebræo legitur, *cum dolore comedes, &c.* Sed cur aliam Deus non imposuit pœnam, quàm doloribus affici? At ex hoc apparet qualiter correspondeant inter se culpa, & pœna: quia enim vir spreto bono summè delectabili, quæsivit delectari in carne, ideò justo Dei judicio inflictus est ei labor, dolor, & defectus famis, & sitis. *Op. Brevil. p. 3. c. 4. & Comp. Theol. l. 2. c. 21. & Op. de dec. precept. serm. 5.*

785. *Tempus hujus vitæ est laboris, & vigilantiæ, non torporis.*

In labore, & sudore, &c. Sed cur ad amissionem justitiæ originalis pro se & omnibus hominibus cum tot sequelis, & ærumnis consequentibus addit misericordissimus Deus hanc pœnam? Imò hoc fuit effectus divinæ pietatis in nos: voluit enim nobis indicare in hac vita nobis non esse dormiendum, sed vigilandum, non pigritandum, sed sollicitè operandum: & ut ostenderet, quod qui in hac vita labori pœnitentiæ non incumbunt, amarissimè in altera vita dolebunt, & plorabunt. *serm. 1. de S. Petr. ad Vinc. & serm. 4. in Dom. sexag.* Hinc debes dicere, Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lachrymarum, quem esurio super omnia in copiam deliciarum. *serm. 3. Dom. 4. Quadr.*

786. *Panis acquisitus sine Dei, & proximi offensa est panis justitiæ, & de iure noster potest dici.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. Notandum diligenter hic, quod cum suprà dixerit Deus, *in laboribus comedes ex terra*; & deinde addidit, *comedes herbam terræ*: non dixit ex terra tua, ex herba tua: hic verò addidit, *ex pane tuo*: cur hic explicat panem esse laborantium, non verò terram eam colentium, & herbam comedentium? sed observandum est, quod in terra nullum jus acquisitum habet homo: item nec in herba, quæ ultrò germinatur ex terra: Terra etiam est communis omnibus animantibus, sicut & herba: Panis verò est proprius cibus hominis, ad quem præparandum requiritur proprius labor, industriaq; quo pacto dicitur Panis ipsius laborantis, & præparatus cum justitia: Hinc dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis*, scilicet panem justitiæ, panem præparatum cum justitia, & sine Dei, & proximi offensa: unde dicitur. *Ps. 127. labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*: quarè panis cœli dicitur qui justè acquiritur. Panis inferni, qui injustè acquiritur. *serm. 3. in Rogat. & infrà*: Pro Pane isto parum sudant usurarij, & alij, qui in contractibus multis mendacijs victum acquirunt: non de isto pane, sed de justè acquisito subveniendum est esurientibus, egenis, & animabus Purgatorij, *serm. 2. Dom. 4. Quadrag. & in Luc. c. 14. v. 15. & in Orat. Dom.*

787. *In hac vita homo est peregrinus, & laborare debet, ut tandem manducet panem in gloria.*

In sudore vesceris pane tuo, &c. Si voluit ut panis esset noster cibus, cur nunc jubet, ut per labores, & sudores ipsum acquiramus, & deinde ipsum, quotidie à Deo petamus? nonne præmium justè labori debetur? Voluit Dominus indicare nos esse peregrinos in hac vita, currentes ad patriam, in qua panis nobis gloriæ præparatus, à nobis est sumendus; & ideò nobis est laborandum, ut à labore ad quietem, à paupertate ad abundantiam, & à vanitate ad veritatem tandem perveniamus. *Ps. 114. & in Orat. Dominic. & in Luc. c. 14. v. 15.*

788. *Panis Eucharisticus est noster, non Angelis, sed nobis paratus, & cum labore, & pœnitentia antecedente quærendus.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. Cur appellat inter omnes alios tam diversos cibos nobis præparatos solùm panem nostrum? sed ad aliud quam ad materiale dirigebantur hæc verba: loquitur mysticè de pane Eucharistico: hic est panis pro nobis expositus in Ecclesia, & ideò dicitur noster, quia ad hunc percipiendum vult præmitti laborem, sudorem, scilicet pœnitentiam, & dolorem peccatorum: Per hunc panem tandem perveniemus ad degustandum panem cœlestis gloriæ. *in Orat. Dominic. & in Luc. c. 14. v. 15.*

789. *Meditatio mortis disponit ad dignam Eucharistiæ sumptionem.*

In sudore, &c. quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Cur statim proposito pane hoc Eucharistico, ut dictum est, addit postea, *quia pulvis es, &c.* qualem connexionem habent hæc verba vel panis, & mors significata in illis verbis, *& in pulverem reverteris*? sed nota mysterium: addita sunt verba mortem indicantia, ut essent excitantia ad dignam præparationem; ut ostenderet quod indignè sumens hunc panem ferietur morte scilicet temporali, spirituali, & æterna. *serm. 6. in Can. Dom.*

790. *Eucharistia ducit ad incorruptibilitatem, & gloriam æternam.*

In sudore, &c. quia pulvis es, & in pulverem verteris, &c. Quarè Deus addidit ad manducationem panis cum sudore acquisiti, quod pulvis sumus, & in pulverem revertemur? sed nota miram Dei providentiam: Nos in hac vita peregrini sumus, ut dictum est, ad patriamq; tendimus: ideò dixit quod pane nostro vesceremur, ut feliciter ad patriam per mortem perveniamus, ut de pane ad panem procedamus, scilicet de pane vel pœnitentiæ vel Eucharistico ad incorruptibilitatem perveniamus. *in Luc. c. 14. v. 15. & Op. de præpar. Miss. cap. 7.* Nota etiam, quod dicitur *in sudore vesceris pane tuo, &c.* nempè Panis iste te confortabit mirabiliter in laboriosis hujus vitæ actionibus, & tentationibus. *serm. 6. in Can. Domini.*

791. *Sacræ scripturæ cognitio sine labore non potest haberi.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. Panis item hic mysticè intelligitur sacra doctrina, & sacra scriptura, quæ cum proponatur sub velamine, & figura indiget exercitatione, & labore, ut per ipsam cibetur intellectus noster: si enim omnia in sacra scriptura essent aperta, eam parvi penderemus. *in Ps. 98. & 118. in princip. & 138. & in Luc. c. 14. v. 15.*

792. *Consolatio spiritualis per gratiam sine labore non potest obtineri.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. Hic panis item mysticè est interna consolatio spiritualis, quam animæ affert divina gratia, & meditatio

N 2 mysteriorum

myſteriorum ſupernorum: Hæcq; non poteſt haberi ſine labore, & ſudore, ſcilicet exercitatione, & diligentia. *in Luc. cap. 14. v. 15. & in Orat. Dominic.*

793. Iuſtitia Dei ordinatiſſimè procedit in punitione culpæ.

In ſudore, &c. quia pulvis es, &c. Ad quid Deus hæc addit? nonne ſufficiebat cognitio, quam habebat Adam ex comminatione ipſi facta de morte ſubeunda poſt transgreſſionem præcepti? ſed nota antecedentia, & hæc ſequentia verba: voluit enim Deus indicare, quod ipſe rectiſſimo ordine pœnam diſpoſuit juxta qualitatem culpæ: Attende igitur ærumnas in quas incidit Adam per peccatum: quia enim ſuperbiendo; & guſtando in carne inobediens fuit ſuperiori, juſto judicio Dei ſibi factum eſt inobediens ſuum inferius, ſcilicet pars inferior, & ſenſualitas, & hinc orta eſt erubeſcentia: ſecundò quia ſpreto incommutabili bono, & ſummè delectabili quæſivit in carne delectari, ideò juſto Dei judicio inflictus eſt ei labor, & defectus panis, & ſitis: Tertiò, & quia propter bonum carnis elegit à bono mentis ſeparari, ideò juſto Dei judicio ſubjectus factus eſt morti, in qua anima in vita ſeparatur à corpore per mortem, & incinerationem: & hinc quod Deus dederat homini ſecundùm ordinem naturæ, nempe corpus ſubjectum animæ, propagabile ſine libidine, vegetabile ſine defectione: immutabile ſine morte interveniente: ſic homine peccante ſecundùm ordinem juſtitiæ factum eſt, ut ſubtraheret tanta dona, & infligeret oppoſita, ut ſic culpa non remaneret impunita, & inordinata, quod nequaquam pati debet divina providentia. *Op. Brevil. p. 3. cap. 4. & Comp. Theol. l. 3. cap. 21. & Op. de dec. præcept. ſerm. 5.*

794. Ex inobedientia mors.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Vide peſſimos effectus inobedientiæ: Deus enim fecit hominem immortalem ex natura ſua, ſed inobedientia abſtulit hoc tantum donum, & reddit eum ſubjectum morti, & incinerationi. *l. 2. d. 30. a. 1. q. 1. & 2. & in Ioan. cap. 3. v. 33.* Vide quantum malum ſit non obedire: cum Adam ex inobedientia in re tam facili in tantum ſupplicium inciderit: S. Auguſt. *lib. 2. de Civ. Dei cap. 15.*

795. Chriſtus ſua morte voluntariè ex obedientia aſſumpta ſatisfecit culpæ inobedientiæ hominis.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Si mors illata fuit ob peccatum, cur Chriſtus, & B. Virgo morti ſubjecta fuere? Reſp. Verbum in Incarnatione aſſumpſiſſe omnes defectus naturales hominis præter illos, qui vitio ſunt annexi: ob idq; etiam mortem, ſed tamen voluntarie, ut ſicut per inobedientiam mors ab homine contracta eſt, ita & per obedientiam Chriſtus ſua morte mortem trucidaret, & occideret, in quo magis relucet divina miſericordia ſimul cum juſtitia. *lib. 3. d. 20. a. 1. q. 2. & in Ioan. Collat. 54. & lib. 3. d. 15. a. 1. per tot.* Et hinc unquam à morte aliquem liberavit tum propter illius ſententiæ firmitatem. *Pulvis es. &c.* tum ut fides habere locum poſſet: ideò nec exemit Mariam Virginem ab ipſa, licèt ab incinerationem ſuum corpus liberaverit. *l. 2. d. 33. dub. 4. & Op. ſpec. B. Virg. lec. 2.*

Maria Virgo non fuit immunis à morte.

796. Chriſtus in ſe mortem aſſumpſit in utilitatem noſtram, & ut mortem vinceret.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Cur Chriſtus voluit aſſumere in ſe ipſo neceſſitatem moriendi, cum non communicaverit in peccato? venit Chriſtus, ut ſua morte mortem noſtram vinceret, ut dictum eſt: ſed in quonam conſiſtit hæc victoria? Attende ô homo quanta fuerit pietas Domini noſtri Ieſu Chriſti: Ipſe namq; in ſe nihil habebat, ob quod mors in ipſum poſſet: Voluit tamen aſſumere hanc neceſſitatem voluntariè ſcilicet tum ex parte Dei, tum ex parte animæ, & hoc ob multiplicem finem, ſcilicet tum propter pretium noſtræ ſalutis, quia voluit nos redimere non auro vel argento, ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo; & exponendo vitam ſuam pro nobis morti: tum propter exemplum virtutis, ſcilicet humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad cælum: tum propter fulcimentum noſtræ fragilitatis, ut ſcilicet manifeſtando in ſe veritatem humanæ naturæ, fulcimentum præberet noſtræ rationali ad exercitium fidei: & oſtendendo immenſitatem ſuæ miſericordiæ, præberet fulcimentum iraſcibili ad ſperandum: & oſtendendo magnitudinem ſuæ benevolentiæ; fulcimentum præberet concupiſcibili ad ſe amandum. *l. 3. d. 15. a. 1. q. 1.*

797. Chriſtus confecit, & dulcem reddidit mortem noſtram morte ſua.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Si Chriſtus eſt vita, quomodò in hac lege voluit comprehendi? Reſpond. ut dictum eſt, id feciſſe non ex neceſſitate, ſed voluntariè: ſed quarè? nonne videretur nobilius ipſum fuiſſe immunem à morte? ſed id fecit ad oſtendendam ſuam benevolentiam in nos: dum enim mortalitatem noſtram univit vitæ, & ille qui vita erat, mortuus eſt, facta eſt confectio, in qua, & per quam mortuus reviviſcit, & ex morte ipſius Sacramenta habent vivificandi efficaciam: ſunt enim pigmenta ſuavitatis, & ſanitatis efficaciſſima. *l. 4. in Prol.*

798. Chriſti mors non fuit neceſſitatis, ſed voluntatis.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Si Chriſtus mortuus eſt propter obedientiam Patri debitam, quomodò ſua morte neceſſaria potuit pro nobis ſatisfacere? Reſpond. quod aſſumptio mortalitatis in Chriſto fuit facta non neceſſitate generationis, vel corruptionis concupiſcentiæ, ut in nobis; ſed ex diſpenſatione ipſius aſſumentis concurrente ſimul acceptatione voluntatis animæ: & quia ſine debito mortis pertulit mortem, & placere potuit, & placare: placere ex bona voluntate, & placare quia præter neceſſitatem: Et per hoc viam nobis aperuit acceptandi mortem, licèt neceſſariam cum merito: licèt enim in nobis ſit neceſſitas moriendi, tamen poſſumus facere de neceſſitate virtutē. *l. 3. d. 15. a. 1. q. 3. cit. & d. 18. dub. 4. & a. 1. q. 3.*

799. Memoria mortis, & ſuæ conditionis viliſſima homo excitatur ad humilitatem conſequendam, & præcipuè hæc diriguntur ad Prælatos.

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Hæc pœna fuit aſſignata pro culpa omnibus hominibus; ſed

cur

cur etiam justi comprehensi sunt in hac sententia? sed hæc fuit effectus misericordiæ Dei: nam cum culpam nollet relinquere impunitam, dignatus est hanc pœnam ordinare ut medicamentum nostræ superbiæ: ut scilicet homo cogitando, quòd sit retunderet superbiam, & se ad humilitatem excitaret: & cum hoc dictum fuerit Adæ Principi aliarum creaturarum, id principaliùs dicitur iis, qui in alto prælaturæ sunt positi. *op. diat. sal. tit. 1. c. 3. & ser. 3. Dom. 16. post Pentec.*

800. *Memoria mortis, & instabilitas vitæ proponitur ad superbiam retundendam.*

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Cur diem mortis non assignavit Deus Adæ, sed in incerto ipsum relinquens dixit, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*? voluit Deus ita cum homine agere, ut ceflectendo ad principium, onde venerit, scilicet ad limum terræ, de quo factus fuit, & ad statum, in quo tunc esset, scilicet in peccato, ob idque exul à patria, & ad terminum, quo tendebat, nempè ad incinerationem, se humiliaret, & cognosceret se nunquam in eodem stato permanere: quasi diceret: quid superbis terra, & cinis? si hodie es, cras non eris: si hodie sanus, cras infirmaberis. *op. de perfect. vit. cap. 2. & op. Bibl. paup. c. 131.*

801. *Memoria mortis resistitur tentationibus Diaboli.*

Pulvis es, &c. Cur denuò ad memoriam reducit mortem Deus? nonne sufficiebat Adæ, & uxori dictum, *in quacumque hora, &c. morte moriemini?* Sed adverte, quod hæc pœna illis illata est, quia audierunt vocem tentatoris, & ideò post peccatum cognoverunt se nudos, idest titillationibus, & illecebris carnis, & tentationibus subjectos. Hinc misericordissimus Deus hanc pœnam mortis eis assignavit, & expressit se esse morti subjectos, ut sicut aspis obturat unam aurem cauda, & aliam ad terram eam demittendo, ne audiat vocem incantantis: sic & homo clauderet aures terra, scilicet memoria suæ vilitatis, & fragilitatis, & cauda, scilicet consideratione finis, & mortis: sicque evaderet ab insidiante Diabolo, & à suis tentamentis. *op. Diat. sal. tit. 5. c. 5.*

802. *Homo per peccatum fit totus pulvis, & cinis quoad animam, & corpus.*

Pulvis es, &c. Quæ verba à pluribus SS. Patribus sic leguntur, *Cinis es, & in cinerem reverteris*: nonne homo constat corpore, & anima? quomodò ergo de toto homine dicitur pulvis es, cum anima non sit ex terra? nota, quod non solùm homo dicitur pulvis, & terra quoad corpus materialiter, sed & quoad animam spiritualiter in peccato mortali existentem; sicut enim cinis est vilis quantomcumque sit de pretiosa materia, sic anima, licèt natura sit nobilissima, tamen in peccato existens, fit vilissima: & sicut cinis modico flatui non potest resistere, sic nec anima modicæ tentationi, imò nec sibilo modici verbi: & sicut cinis non potest redire ad statum pristinum suæ materiæ, sic nec anima ad statum gratiæ, nisi sola virtute divina. *op. Diat. sal. tit. 5. cap. 1.*

803. *Pulvis es, &c.* Certù est, quod Adam ante peccatum erat compactus ex terra: cur ei non est dictum saltem, quod esset pulvis? sed nota, quod ante peccatum erat pulvis solùm quoad corpus, quoad animam erat cælestis: at post peccatum meritò ei dicitur, *Pulvis es*, idest totus terra, in terram inhians, & ad terram incedens, scilicet ad centrum terræ, quod est infernus. Anima enim, quæ superiora relinquit, & ad inferiora descendit per peccatum, & affectum animi, luteas domus inhabitans, & terrenum habens fundamentum, pulvis, & terra dicitur. *op. de 7. Itiner. ætern. itin. 3. d. st. 3. & Psal. 2. & 95. & in Io. c. 3. v. 33.*

804. *Mors, & omnia mala ex vitio gulæ.*

Pulvis es, &c. Sed cur mortem inflixit homini? quare non alia adæquata pœna ipsum punivit? ut ostenderet quale malum sit vitium gulæ, propter quid hanc maledictionem incurrit homo, qui enim ad mensam Paradisi positus fuerat, nunc in terram collocatur, eique terra proponitur, additque & *in pulverem reverteris*, quia super omnia vitium gulæ ad terram, & ad mortem præcipitat. *op. spec. B. Virg. lec. 15. & op. diat. sal. tit. 1. c. 8. & op. de prof. relig. l. 1. c. 36.*

805. *Per mortem fides stabilitur, & multa bona promoventur.*

Pulvis es, &c. Hoc dictum est Adæ, & omnibus descendentibus; sed cur Christiani virtute Baptismi non immunes fiunt ab hac lege? Baptismus enim recuperat quod Adam perdidit, scilicet gratiam cum deletione culpæ originalis? Nonne Christus redemptor venit redimere, & recuperare perdita à primo homine, magisque eluceret ejus pietas, si cum peccato originali tolleret etiam omnes pœnas? Sed attende mirabilem Dei redemptoris providentiam, & sapientiam. Congruum enim magis fuit, ut absoluendo hominem per Baptismum ab omni æternali pœna, delendo omnem culpam, & à pœnis [illegible], & imposita ob peccatum, ut sunt jejunia, & exercitia corporalia (Baptismus enim delet culpam, & pœnam) relinqueret pœnalitates contractas ob culpam originalem, & hoc tum ad ostendendam æquitatem divini judicij, & sententiæ ab ipso fulminatæ de morte Adæ, & posterorum: tum ad demonstrandum fructum passionis Christi, quia si curasset naturam, & fomitem, filij non indigerent regenerari à Christo: tum ad promovendum meritum liberi arbitrij: dantur enim hæ pœnalitates ad promovendam humilitatem, sui cognitionem, stimulationem ad bonum, exemplum non peccandi, exercitium virtutum. *l. 4. d. 4. p. 1. a. 1. q.*

806. *Memoria Mortis menti hominum proponitur, ejusque oblivio malorum causa.*

Pulvis es, &c. Cur in sententia contra peccatum pronunciata apposuit hæc verba, cum jam Adam nosceret se moriturum? Id fecit Deus, ut doceret, quod memoria mortis est continuè habenda, & quod si ad mortem comminatam respexisset, ipse non cecidisset. Dicitur igitur cuicumque nostrum, *Pulvis es, &c.* quasi dicat. Considera frequenter, & volue, revolueque diligenter quod mors non potest declinari, quod hora mortis non potest investigari, quod tempus à Deo præordinatum non potest immutari, quod totum viveré hominis nihil aliud est, quàm ad mortem transire: cur igitur temporalia diliguntur, quæ tam incerto tempore possidentur? cur tanto tempore vitam istam desideramus, in quo quantò amplius vivimus, tantò plus peccamus? quotidie

namque creſcunt mala, & ſubtrahuntur bona. *op. Diat.ſal.tit.7.c.1.& op.ſolil.cap.3.*

807. *Per peccatum homo conſtituitur in numero beſtiarum.*

Pulvis es, &c. Vide quales effectus peccati experitur homo: factus enim eſt immortalis, beſtiæque erant morti ſubjectæ: at per peccatum facta eſt homo ſimilis beſtiis, & in numero earum conſtitutus. *l.2.d.19.dub.1.*

808. *Peccator eſt terra: Iuſtus Cælum.*

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Hoc quarè dictum eſt Adæ poſt peccatum?quia exiſtens in peccato terra eſt: ergo in gratia, & charitate exiſtés non eſt terra,ſed cœlum:quia in ipſius mente pacifica, & quieta divina virtus tamquam in cælis ſingulariter requieſcit: eſt, inquam, cælum propter remotiſſimam ab amore terrenorum elongationem, propter cordis, & animæ puritatem, omniumque virtutum tamquam ſtellarum ornatum. *op.de Eccleſ.Hier.p.4.c.4.& Pſalm.2. & 95.& in Io.c.3.v.33.*

809. *Vita hac non eſt vita, ſed continua mors:*

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Cur addidit,*& in pulverem reverteris*:ut indicaret,quod vita præſens non eſt vera, & pura vita, ſed mixta morti, reſperſaque morte, & vita morientium,vel mors viventium, vel potius curſus continuus ad mortem, ut ad veram vitam mentem hominis excitaret, in qua eſt excluſio omnis differentiæ mortis. *in Ioan.collat.75.*

810. *Peccata Prælatorum redundant in ſubditorum damnum: oratio,& pænitentia in bonum.*

Pulvis es, & in pulverem reverteris, &c. Certum eſt hanc ſententiam dictatam fuiſſe in totum genus humanum; ſed quomodò deſcendentes ab Adam innodantur hac maledictione, cum non fuerint participes peccati Adæ? ergone alius eſt, qui peccat, & alius eſt, qui etiam vapulat? tum etiam quia *in Ezech.c.*18. dicitur quod, *filius non portabit iniquitatem Patris.* Sed reſpond.id eſſe verum de peccato quo Pater peccat, ut ſingularis perſona, non de eo, quod committitur à Patre ut principium eſt, & ſtipes totius humanæ naturæ. *L.2.d.30 art.1.quaſt.2.*Hinc ad mores infertur,quod peccata Prælatorum, Patrum, & Superiorum maximè publica, maximè nocent ſubditis, vt patet in peccato Davidis numerantis populum: & è contra eorum oratio, pœnitentia, & bonum exemplum maximè prodeſt ſubditis.*l.4.diſt.14.p.2. dub.14.*

811. *Eva mater morientium & mortis. Peccatum enim eſt mors.*

Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Eva, &c. Sed cur Eva, & mater viventium appellata eſt, cum ipſa fuerit cauſa mortis? malè igitur appellata eſt hoc nomine, cum fuerit mater morientium, & genuerit filios ſuperbos,præsũptuoſos,ambitioſos, avaros,guloſos,carnales, & inobedientes: ſed vide qualis mater,cum enim nondum concepiſſet,& periſſet filios:jam in Paradiſo conceperat per conſenſum, & pepererat mortem: ergo mater mortis, non vitæ debet appellari: ſic & quilibet peccans mortaliter. *Pſ.127.& op. Stim. div. am.p.3.c.19.*

812. *Maria figurata eſt in nomine Evæ mater vitæ, & viventium.*

Et vocavit Adam nomen uxoris Eva, &c. Sed ſi falſum Adam pronuntiavit, cur ei permittitur hæc appellatio? Nota, quod hoc fuit dictum veluti propheticè per alluſionem ad aliam mulierem, ſcilicet, ad B. Virginem,quæ nobis peperit vitam, & filios viventes. *op.Stim. ibid.* Unde mors ab Eva: vita à Maria. *op. Spec. B. Virg. lec.14.*

813. *Crux extenſa ad omnes partes mundi, oſtenſa in Adæ nomine.*

Et vocavit Adam nomen uxoris Eva, &c. Quarè poſt peccatum, & ſententiam mortis introducitur hic expreſſo ſuo nomine Adam appellans uxorem Evam? Nota, quod Adam idem eſt ac homo, & eſt nomen quadrilitterum conſtans quatuor litteris græcis *A d.a.m.* ſignificantibus quatuor partes mundi, ſcilicet Orientem, occidentem, meridiem, & Aquilonem, per quas formata eſt Crux: intelligiturque crux Chriſti extenſa quoad virtutem ad quatuor partes terræ. *Pſ.95. & in Luc.cap.3. v.24.* Hinc poteſt inferri, quod alluſio facta eſt ad Crucem, & Paſſionem Chriſti, per quam totus mundus invenit vitam.

814. *Eva nomen, quia fuit origo omnium peccatorum reticetur in genealogia Chriſti.*

Et vocavit Adam nomen uxoris Eva, &c. Notandum, quod in genealogia Chriſti,quam S. Lucas ponit, fit mentio de Adam, non de Eva, eſtque ultima in ſerie dicens, *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Sed cur hic exprimitur poſt peccatum nomen Evæ, & in illa genealogia reticetur? Reſpond. quod ad indicandum myſterium ad noſtram ſalutem univerſalem, id factum eſt: hic exprimitur nomen Evæ, ut pateat, unde ortum ſit peccatum: ibi reticetur ob memoriam primi peccati, quia Adam peccavit occaſione mulieris. *in Luc.c.3.n.23. & 24.* Hinc Inferre licèt, quod ob id Eva extrahatur à genealogia Chriſti, quia fuit prima occaſio peccati; qui aliis occaſionem præbet peccandi, pariter à numero electorum reſcindetur.

815. *Eccleſia mater viventium, in qua dantur Sacramenta vivificantia.*

Et vocavit nomen uxoris Eva, ſcilicet mater viventium, &c. Si mater eſt morientium,cur vocatur mater viventium? Sed id factum eſt in figuram Eccleſiæ futuræ ex latere Chriſti, quæ eſt mater viventium per fidem, & in qua fiunt ejus filii participes Sacramenti Euchariſtici vitam veram largientis: Eccleſia verò dicitur mater viventium virtute Sacramentorum, quæ ab ipſa miniſtrantur, & quæ exierunt cum ipſa ex latere Chriſti. *lib.2. diſt.18.dub.1. & a.1. qu.1.* Sic & S. Auguſt. 12. *contra Fauſt.*

816. *Maria omnium bonorum origo, ob id ei dicitur Ave inverſo nomine Evæ.*

Et vocavit nomen uxoris Eva, ſcilicet mater viventium

tium. Nota, quod ab Ecclesia dicitur Gabrielem Archangelum salutando Mariam invertisse nomen primæ mulieris, Eva, in Ave. *Sumens illud Ave Gabrielis ore, mutans Evæ nomen.* Sed cur hoc nomen invertit Angelus? cur inverso ordine Evæ nomen dirigitur ad Mariam? Benè invertitur in salutatione Mariæ ad declarandum, quod sicut Eva fuit origo omnium malorum, sic è converso Maria origo omnium bonorum. Quicquid enim maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. Ipsa enim fuit, sicut Paradisus Domini in benedictionibus donorum Spiritus Sancti, quia mundo lignum vitæ contulit, de quo qui manducaverit vivet in æternum. *opusc. spec. B. Virg. lec.* 14.

817. *Idem de Beata Virgine.*

Et vocavit nomen uxoris Eva, scilicet mater viventium, &c. Cur mater vitæ, vel viventium dicitur Eva, si jam erat in anima mortua; & mortuos filios paritura erat? Sed nota, quod id prophetice fuit dictum de Maria Virgine: unde ut dictum est inverso nomine Gabriel eam salutavit dicens, *Ave,* declarans ipsam immunem ab omni væ peccati: & verè vitam, & matrem vitæ. *op. spec. B. Virg. lec.* 2. *&* 14. 16 17. *&* 18. *& op. Contempl. in salv. Regina;* sic & D. Epiphan. *contra hæres.* 78.

818. *Ad hanc matrem viventium recurrendum est à filiis Evæ.*

Et vocavit nomen uxoris Eva mater viventium, &c. Vide, quàm falsò Evæ tribuitur nomen matris viventium, quod Mariæ merito competebat, & datum fuit: Nos filij Evæ hanc malam matrem sequentes, sicut Eva non solùm in nobis nos ipsos peccatis maculamus, sed & alios: nos tædet vesci de ligno vitæ, & in Cruce Domini contemplari, & manus ad lignum prohibitum applicamus: Non curamus Paradisi deliciis, sed potius volumus in peccatorum fœtibus habitare. Ad Mariam igitur matrem viventium recurramus, quæ est solatium miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, medicina infirmorum, mater parvulorum, sponsa adulterorum, regina bellatorum, Domina universorum. *op. stimul. diu. am. p.* 3. *c.* 19.

819. *Per pœnitentiam teguntur peccata.*

Fecitque Deus eis tunicas pelliceas, & induit eos, &c. Cur Deus hanc providentiam adhibuit ad tegendum corpus primorum parentum, & non potius ad tegendam animam jam virtutibus exutam, & nudam? Imò hoc est signum pœnitentiæ Adæ, & uxoris, per quam vestiti fuerunt: Sic Olympiod. *c.* 19. *in Eccles.* Sic & Præcursor Domini incedebat vestitus tunica pelliceа in signum pœnitentiæ. *in Luc. cap.* 7. *v.* 25. Adam enim effectus transgressor, eductus est à peccato per virtutem pœnitentiæ ab ipso elicitæ, & remissionem culpæ obtentam. *in sap. c.* 10. *in princip.* Vestis igitur pœnitentiæ, & bonæ vitæ est necessaria ad obtinendam remissionem, gratiam, gloriam, & ad repellendas tentationes. *ser.* 3. *Dom.* 19. *post Pentec.*

820. *Pompam vestium abhorret Deus, vilia quærit in nobis.*

Fecitque Deus tunicas pelliceas, &c. Cur non potius aliis vestibus, verbi gratia, lana, vel lino contextis eos texit? Nonne mulier illa sapiens scilicet Ecclesia, *Prov. c.* 30. quæsivit lanam, & linum, ut cooperiret nuditatem domesticorum suorum? cur etiam & hic Deus non fecit similiter? Respondet Chrysostomus *Hom.* 18. *in Gen. ut doceret homines mollem, & dissolutam vestem fugere, austeramque amplexari.* Sic & D. Basil. *reg. in resp.* 22. Sic ergo & nos contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus; non quibus superbiamus, non quibus muliereulis similari, vel placere studeamus: qui vult ergo audiri, inclinare se debet amota pompa, ut misericordiam Domini provocet *op. Phar. l.* 4. *cap.* 13. Vestis pretiosa, & vita deliciosa sunt hominum mundanorum, non virorum spiritualium, & Christianorum. *in Luc. c.* 7. *v.* 25. Peccatur autem in vestibus quadrupliciter. Primò, propter pretiositatem excedentem proprium statum. Secundò, propter superabundantiam, & superfluitatem. Tertiò, propter curiositatem, & vanitatem. Quartò, propter indecentiam status. *in Luc. c.* 16. *v.* 19.

821. *Religiosorum vestes quales.*

Fecit eis tunicas pelliceas, &c. Sed cur in Paradiso terrestri induit eos Dominus vestibus tam humilibus, & vilibus? nonne meliùs erat priùs ejicere eos de Paradiso, & postea eos sic tegere? Sed nota, quod alias diximus hominem in Paradiso collocatum figurare religiosum in religione positum, quæ est veluti Paradisus Domini. *op. de paup. Chr. quæst.* 2. *& serm.* 19. *Hexaem.* ergo voluit religiosos Dominus instruere qualibus vestibus utendum sit. Viris igitur Evangelicis, & Religiosis dirigitur hæc admonitio, ut possint dicere verè habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus, quibus tegantur, dicit, non quibus ornentur, & sicut Apostoli, fortes fuerunt in bello, non molles in serico, ergo & tu si filius es Apostolorum, & Prophetarum fac similiter. *in Luc. c.* 7. *v.* 25. Sed proh dolor! nunc quæritur à multis ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbiæ competat: non denique juxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius poterit ostentari. *op. Phar. l.* 1. *c.* 22.

822. *Peccator bellua est, præcipuè opprimens alios.*

Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos, &c. Vide qualibus vestibus fætidis, & sanguinolentis, & pellibus bestiarum mortuarum induuntur: cur talibus vestibus à Deo induuntur? Sed jam alias diximus per peccatum hominem in bestiam transmutari: ergo convenienter (ait S. Gregor. Niss. *in vita Moysis.*) pelle belluina foris vestiuntur, ut intelligerent se superbiendo, & aspirando ad divinam naturam degenerare in belluinam: Damnatus autem est qui habet vestem extraneam à sanctorum conversatione: Item & qui habet vestem sanguinolentam, & mixtam sanguine per proximorum oppressionem, & violentam prædationem. *serm.* 3. *Dom.* 19. *post Pentec.*

823 *Homo per peccatum factus est bestia, vel bestiis similis.*

Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum. Quomodò id dixit Deus de homine existente in peccato? nonne amiserat similitu

ſimilitudinem divinam, quomodò dicitur factus quaſi unus ex nobis? Sed adverte, quod communiter aſſerunt hæc dicta fuiſſe à Deo per ironiam, & velut irridendo, vel ſubſannando Adam, & Evam. Imò D. Bern. *ſerm. 61. in Cantic.* putat hæc dicta fuiſſe veraciter, ſed in perſona beſtiarum: ſi enim potuiſſent loqui dixiſſent: Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis. Meritò igitur in perſona beſtiarum Adam in peccato exiſtens ſimilis ipſis dicitur: nam cum in honore eſſet, non intellexit, & quia non cogitavit honorem imaginis divinæ, comparavit horrorem ſimilitudinis jumentinæ. *in Pſ. 118. cap. 6. verſ. 3.* Excogita igitur quantum eſt malum Chriſto volente nos ex hominibus pares Angelis, facere nos ipſos ex hominibus ad feras transportare: Ventri enim ſervire, & pecuniarum concupiſcentia detineri, & iraſci, & mordere, & calcitrare non hominis, ſed ferarum eſt, *ſerm. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec.* Nota hic igitur, quod Diabolus in quibuſdam pingit figuram Leonis, id eſt ſuperbiam: in aliis figuram draconis, id eſt invidiam: in aliis figuram canis, ideſt iram: in aliis figuram talpæ, ideſt avaritiam: in aliis figuram aſini, ideſt accidiam: in aliis figuram lupi, id eſt gulam; in aliis figuram urſi, id eſt luxuriam: nolite igitur conformari Diabolo, & peccatis, vel beſtiis irrationabilibus. *op. Diæt. ſal. t. 10. c. 5. & op. de prof. relig. l. 2. c. 15. & ſer. 6. Dom. infr. oct. Epiph. & in ſap. cap. 11. verſ. 18.*

824. *Per incarnationem homo factus eſt Deus, & recuperavit amiſſa per peccatum.*

Ecce Adam quaſi unus ex nobis, &c. Quomodò dicitur unus in ordine ad perſonas Divinas ſignificatas in illo verbo, *ex nobis?* an ſimilis Patri, an Filio, an Spiritui Sancto, vel cum ipſis identificatus? Nota quod illa particula, *unus*, ſignificat diſcretionem, ſive ſingularitatem: & hic ſolus fuit Chriſtus ſuper alius; ideò de ſecundò Adam hæc Propheticè dicuntur. *in Io. Collat. 54.* Dicitur, *Adam*, ſcilicet hominem per Incarnationem fuiſſe factum quaſi Deum, ſcilicet recuperando perdita: factus enim eſt Deus homo, ut homo fieret Deus: Dominus factus eſt ſervus, ut ſervus fieret Dominus: Deus de cælo ad terram deſcendit, ut homo de terris ad cœlos aſcenderet: Deus eſt factus filius hominis, ut homo fieret filius Dei: immortalis factus eſt mortalis, ut mortales fierent immortales: Deus dives factus eſt pauper, ut pauperes fierent divites. *op. Comp. Theol. l. 4. c. 9.*

825. *Homo peccans, divinitatem, quam per gratiam habebat, perdidit, & ad nihilum redigitur.*

Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, &c. Si hæc verba prolata ſunt non irriſoriè, ut multi SS. PP. dicunt, quomodò verificantur? An Adam factus eſt una ex perſonis Divinis? minimè. Sed nota illam præpoſitionem (*ex nobis*:) hæc enim ſignificat ordinem inter extrema. *lib. 1. diſtinct. 25. dub. 2. & lib. 4. d. 11. part. 1. quæſt. 6. in argum. & in Ioan. cap. 1. v. 1.* & in hoc ſenſu dicitur unus extra nos: ſicut communiter qui fuit priùs, & non eſt ampliùs Conſul, Abbas, dicitur exconſul, exAbbas, ſic poteſt dici, quod Adam, qui priùs per gratiam erat Deus per participationem, factus eſt tranſgreſſione extra Deum: ſic Philip. Abbas *cap. 22. de ſalute primi hominis.* Peccator enim peccans recedit à bono incommutabili, à ſumma virtute, veritate, & bonitate: redditur Deo inimicus, & abominabilis. *opuſc. Brevil. part. 3. cap. 1. & lib. 2. diſt. 35. art. 1. quæſt. 3. & diſt. 39. dub. 1. & opuſc. Diæt. ſal. titul. 1. cap. 1. & 2.* Et ſi extra Deum deducit peccatum, ergo ad nihilum redigitur. *Pſalm. 118. verſ. 10. & 114.* Homo igitur peccans cadit à Trinitate feliciſſima, ſcilicet à libertate, ab Angelorum ſocietate, à Dei viſione, & incidit in Trinitatem infeliciſſimam, ſcilicet in ſuperbiam, iram & invidiam. *Pſal. 118. verſ. 10.*

826. *Vita longa aliquando eſt nociva bonis, & malis, ideò abbreviatur à Deo: aliquando etiam immittit mortem citò in pœnam peccati.*

Ne fortè ſumat de ligno, & vivat in æternum, &c. Quæritur hic an lignum vitæ haberet ex natura ſua hanc vim præſervandi à morte? Reſpondetur quod habebat quidem magnam virtutem conſervandi vitam diuturno tempore, ſed non omnimodam, requirebatur enim virtus aſſiſtens Dei: unde æternum hic non importat interminabilitatem, ſed quamdam diuturnitatem. *lib. 2. d. 19. art. 2 quæſt. 2. & dub. 4. & ſermon. 1. de Invent. Cruc.* Ideò hoc verbum fuit divinæ miſericordiæ, quia Dominus nolebat ipſum diu vivere in calamitate præſentis vitæ, in quam retruſus erat meritò culpæ ſuæ: poteſt etiam eſſe rigoris divinæ juſtitiæ verbum, quo ipſum in ſui peccati pœnam privavit effectu ligni vitæ. *lib. 2. diſt. 29. dub. 2.* Ex quo infertur, quod aliquando Deus bonis abbreviat vitam, & etiam malis in utilitatem ipſorum; Bonis quidem, quia in vita mortali homo eſt in periculo, in labore, in dolore: poſt mortem eſt in gaudio, ſecuritate, & tranquillitate: malis, quia ipſis utilius eſt mori, quàm vivere, quia quantò plus vivunt, tantò plura mala faciunt; & ſi aliquando elongatur eis vita, ideſt effectus ſeveritatis divinæ. *in Ecclen. cap. 7. verſ. 14. & cap. 8. verſ. 12.*

827. *Sacramentum Euchariſtiæ non eſt ſumendum ab indignis.*

Ne fortè mittat manum ad lignum vitæ, &c. Sed cur Deus cavet, ne Adam ſumeret de ligno vitæ poſt peccatum? Nonne poterat ei etiam poſt eſum ipſius abbreviare vitam? id factum eſt ad myſterium inſinuandum: lignum vitæ figurabat perceptionem ſacramentorum, & præcipuè Euchariſtici cibi: qui eſt panis vitæ, & faciens vivere in æternum: ideò ut indicaret exiſtentem in peccato indignum eſſe ipſo cibari: Dixit, *ne fortè mittat manum in lignum vitæ, &c.* Indigni ergo, & inobedientes arcentur à ſumptione cibi Euchariſtici meritò, quia judicium ſibi manducarent. *l. 2. d. 29. dub. 2. & op. de prapar. Miſſ. cap. 4.* Fuit igitur hoc verbum divinæ miſericordiæ, ne in pejus Adam elaberetur. Peccator enim ex Dei miſericordia, & patientia theſaurizat ſibi iram & convertit miſericordiam Dei ad cumulum reatus ſui: fuit & divinæ ſeveritatis in pœnam ſui delicti privari ſumptione, & effectu talis ligni, quod aptandum eſt ſumentibus indignè hoc ſacramentum. *lib. 2. d. 29. ibid. & l. 2. d. 11. a. 2. qu. 1. ad 7.*

828. *Quod*

828. *Quod Adam perdidit Christus nobis recuperavit, providendo cibum vitæ æternæ in Eucharistia.*

Ne fortè mittat manum, &c. & vivat in æternum, & inde eiicitur de Paradiso. Maxima quidem fuit hæc pœna, & effectus divinæ severitatis: sed cur voluit tunc retrahere Adam ab esu hujus ligni? quia venturus erat in carne filius Dei, Diabolum vincere, arma ejus, scilicet peccata, auferre, recuperare dona à primo parente perdita: & ideò tamquam salvator salvans afferens antidota gratiarum ad salvandum omnes: ideò loco ligni vitæ exhibuit corpus suum in cibum, & alimentum immortalitatis. *l.4.d.8.p.1.dub.2.& a.2.q.1.ad 3. & serm.2. Dom.2. Adv. & in Io. collat.84.* Vnde licèt in cæteris sacramentis detur gratia: tamen maximè id fit in Eucharistia, quia hic cibus est summum bonum, scilicet Christus Dominus, in eo continetur, & gratia, & fons totius gratiæ, incorporat capiti scilicet Christo: fortificat, delectat, auget fidem, sublevat spem, dilatat charitatem, remittit venialia. *l.4.dist.8.p.1.dub.2.*

829. *Peccatum nos expoliat omni bono.*

Ne fortè sumat, &c. Si ob indignitatem ejectus est Adam è Paradiso, ne sumeret lignum vitæ: nonne si remansisset, & sumpsisset, etiam ipsi obfuisset? Cur ergo ejicitur? Respond. ideò voluit ipsum ejicere ut indignum, ut indicaret se duplici bono privati, scilicet ligni esu, & ligni effectu: factum igitur hoc fuit in odium peccati, ut indicaretur, quod per peccatum homo rejicitur ab esu cibi Eucharistici, & Sacramentorum, & à fructu ipsorum. *l.2.dist.29.dub.2.*

830. *Bonum est puniri temporaliter, brevique tempore ducere vitam in hoc mundo.*

Ne fortè sumat, & comedat, & vivat in æternum, Scilicet diuturnum tempus. Cur hanc misericordiam non illi tribuit Deus, ut comedendo vitam diuturnam possideat? imò argumentum fuit magnæ misericordiæ, ne vitam miseram duceret in mundo diuturno tempore. *lib.2. distinct.29. dub.2.*
Ex quo infertur, quàm bonum sit homini puniri temporaliter, & citò è mundo tolli.

831. *Deus ita benignus est, ut non per se, sed per suos ministros puniat.*

Et emisit eum Dominus de Paradiso, eiecitque Adam, &c. Nota, quod hæc, & antecedentia, dicta fuere Angelis ministris Dei: Vnde ad antecedentia verba: *ne fortè sumat, &c.* Supplendum est verbum dictum Angelis. *Videte, ne fortè sumat, &c.* Et per eorum ministerium emisit Adam è Paradiso. Sic *lib.2. dist.29. dub.2.* & communis sententia Patrum apud *Dionys. Cartus.* Ex quo patet, quàm benignus sit Deus, qui per seipsum non expellit ne quid amori suo detrahere videretur. Ideò ad tam luctuosum ministerium destinare voluit Angelos. Nec hoc mirum est: Nam Angeli sunt spiritus administratorij in ministerium missi hominis, ob idque Deus illis utitur, non solùm ad custodiendos in bonum homines, sed etiam ad puniendos, & dejiciendos malos. *lib.2. d.11.a.2.q.1.ad ultim.*

832. *Per pœnas illatas homini Deus vult inferere cognitionem qualitatis peccati.*

Et emisit, &c. eiecitque Adam de Paradiso. Si Deus præsciebat Adam peccaturum, & ejiciendum è Paradiso, cur ipsum voluit ibi collocare? Respond. quod id voluit facere, etiam data futura ejectione, ut per talem ejectionem cognosceret, quid sit peccatum: scilicet quanta bona spiritualia amisisset per culpam, & qualis differentia sit inter eum, qui Deo obedit humiliter, & eum, qui ipsum contemnit, ut per hoc Deo se humiliaret, & pœnitentiam ageret. *lib.2.dist.17.dub.2.*

833. *Deus providentissimus erga hominem etiam in peccato existentem.*

Et emisit, &c. eiecitque eum de Paradiso. Certum est Deum collocasse in Paradiso Adam, ut semper ibi, ut in proprio habitaculo perstiteret in statu Innocentiæ, donec ad gloriam transferret: Vnde videtur frustra producta fuisse aliam Terram: At in hoc elucet divina pietas in hominem: nam pro statu ejus Innocentiæ, ipsum ditavit Paradiso voluptatis: Pro statu lapsus, quem Deus prævidérat, providit illum alia Terra in toto orbe Terrarum: Vnde omnia ordinavit ad utilitatem hominis. *l.2. d.17. dub.2.* Vide igitur, quod Deus diligit hominem ante omne tempus, per omne tempus, ad omne tempus vitæ præsentis: Diligit & amicos, & inimicos. *ser.1.fer.2.Pent.*

834. *Deus tanto odio persequitur peccatum, ut abiiciat à se etiam suas charissimas, & nobilissimas creaturas.*

Et emisit, &c. eiecitque eum de Paradiso. Certum est, Adam egisse pœnitentiam de peccato suo, habetur *in Sap.cap.10. in princ.* Cur igitur non expectavit Deus, ut satisfaceret per pœnitentiam in Paradiso, sed prius ipsum eiecit? Sed mira in hoc Dei Iustitia ostenditur, quæ tantam servat Iustitiam, ut ordinem institutum nullo modo infringat: Tantùm peccatum odit, ut propter peccatum, quos charissimos reputavit, abiiciat: Vnde credendum est, quod tam spectandum monstrum divinæ severitatis in Angelo nobilissimo, & in primo homine, quorum utrumque propriis manibus plasmavit, & decoravit, & Deus nobis infirmis præposuit, & ostendit, ut discamus quantùm Deus odit peccatum, & maximè superbiam, quod pro uno esu pomi, & ipse Adam, & tota posteritas usque ad finem mundi, est mortalitati, & tot pœnalitatibus subjecta, & nisi Deus reliquisset nobis semen (idest in Christo Redemptore) quasi Sodoma fuissemus. Ex his ergo efficacissimum relinquitur argumentum, quod bortendum sit incidere in manus Dei: Si enim non pepercit nobilissimo Angelo, & primo homini tot donis decorato superbienti, quid erit de vilissimo cinere, & abjectissimo in altum se extollenti, cum jacere debeat in Cinere, & cilicio? imò in ipso sterquilinio. *l.2.d.6.a.1.q.1. ad ultimum.* *Quam graviter Deus puniat peccatum.*

835. *Vult Deus in punitione peccatorum cognitionem nostræ vilitatis, & contemptum mundi.*

Et emisit, &c. eiecitque, &c. Cur Deus Adam non sustinuit patienter in Paradiso, sed voluit eum

 ejice

ejicere ? Sed vide Dei miſericordiam relucentem in hac eiectione : Voluit enim expellere hominem è Paradiſo , & collocare eum in hac Valle miſeriæ , ut exiſtens in tali ſtatu miſerabili , & ſciens ſe extra Paradiſum terreſtrem eſſe , quaſi exulem in mundo ſe reputaret , & præſentem vitam contemnendo , ad bona inviſibilia aſſurgeret , & illa deſideraret , & ſic ad illa perveniret. *lib.2.diſt.29. dub.3.*

836. *Pœnas inflictas peccatoribus ordinat Deus, ut per eas contemnentes terrena, ad cæleſtia aſpirent.*

Et emiſit , eiecitque de Paradiſo. Cur de Paradiſo eiecit ? Nonne poterat ibi agere pœnitentiam , & forſan faciliùs ? Erat enim ille locus ſacer ? Reſpondetur quod aptior locus , & magis congruus erat iſta Vallis miſeriarum : plena morbo enim concupiſcentiæ poſt peccatum corrupta remanſit natura : hinc ſequitur , quod ſi nunc amat temporalia exiſtens in Valle miſeriæ , quantò magis tunc amaret , & ſic impediretur , ne ſpiritualia apprehenderet ; Tanta enim adhærentia ex tunc quieti, & rebus temporalibus inhæret , ut numqnam æterna requireret ; & ideò cum eo actum eſt miſericorditer : Vult enim à nobis terrena deſpici, oblivisci , & cæleſtia amari. *l.2.d.29.dub.3.*

837. *Qui in loco ſacro peccat , ut indignus ipſo debet privari.*

Et eiecit eum de Paradiſo. Non defuere Hæretici , ſicut Iulianus Apoſtata , Deum invidiæ arguentes , eo quod expulerit hominem è Paradiſo, ne degeret vitam immortalem. At cave à tam horrenda blaſphemia , & percipe , quod meritò ab eo expellitur ; non ex Dei invidia , ſed ex recta Iuſtitia : Nam ſicut Angelus de Paradiſo, quia ibi peccaverat , & quem prophanaverat , eiectus eſt , & ſe indignum illo loco tam ſacro , reddiderat , ſic & homo de amœnitate Paradiſi terreſtris , quia peccaverat in loco tam ſacro , & ſe indignum illo loco reddiderat , ejici debuit. *lib.2. diſt.29. dub.2.* Vide igitur , ne locum ſacratum prophanes , ne ab ipſo, & vivus , & mortuus ejici merearis.

838. *Deus vult in nobis odium , & deteſtationem peccati, exigit à nobis pœnitentiam, & ut cognoſcatur ſua in nos providentia.*

Eiecit eum de Paradiſo, &c. Sed ad quem locum tranſtulit Deus Adam ? Hoc inconfeſſo eſt apud omnes , Adam in Terra Paradiſo viciniori , & ante conſpectum illius habitaſſe : Vnde Septuaginta legunt : *& collocavit Adam contra Paradiſum.* Sed cur non in remotiſſimas partes mittitur ut inter beſtias habitaret tamquam ingratiſſimus ? Sed vide Dei miſericordiam : Voluit Deus ad eruditionem ſui, & noſtri , ut occaſionem ei præberet requirendæ ſalutis : nempe primò , ut conſiderans cauſam ſuæ expulſionis , illam maximo odio proſequeretur. Secundò , ut cognoſceret , Deum omninò ipſum non deſeruiſſe. Tertiò , ut excitaretur per pœnitentiam ad recuperandum (quantum fieri poſſet) amiſſa dona. *lib.2. diſtinct. 29. dub. 3.* ſic & Procop. *hic.*

839. *Peccatum inficit tamquam lepra etiam locum.*

Et eiecit eum de Paradiſo. Cur ipſum eiecit?Ejicere eſt cum ira , & furore alienare ? Cur ergo tantus rigor ? Eiecit meritò Adam de Paradiſo, quia lepram ſpiritualem contraxerat, qua corrupit totum genus humanum:Eiecit ergo eum tamquam leproſum , ne tam amænum locum inficeret. *ſerm. 2. de Evang. Dom.2. Adventus.* Nec id eſt mirum, nam locus , in quo committitur peccatum contrahit fœditatem abominabilem ; & ideò ante diem Iudicij ignis conflagrationis purgabit omnia loca , in quibus fuerunt commiſſa peccata. *lib.4. d.47.a.2.quaſt.3.*

840. *Homo poſitus eſt in medio , ſcilicet ſtatu libero vel aſcendendi ad Cælum , vel deſcendendi ad Infernum.*

Eiecit eum de Paradiſo. Scilicet ante conſpectum ejuſdem Paradiſi , ut dicunt Septuaginta Interpretes. Sed cur non expulit eum in profundum Inferni,vel in aliquem locum abjectiſſimum? Vt oſtenderet diſcrimen inter Angelos apoſtatas, & hominem : Nam Angelos malos in imum à ſummo deiecit , hominem verò veluti medium collocavit : Illis enim non erat locus amplius aſcendendi ad Cælum , ſed homo conſtitutus eſt in ſua libertate ; ut poſſet pro libito aſcendere ad ſtatum amiſſum per pœnitentiam , & deſcendere ad Infernum per culpam. *op.Comp. Theol. lib.2: cap.2.*

841. *Solum peccatum , & peccator Deo adverſatur.*

Eiecit eum de Paradiſo. Cur eiecit eum de Paradiſo ? Vt nullum ſibi adverſarium in Paradiſo haberet , ſicut & ejecit Angelos malos è Paradiſo cæleſti. Solum enim peccatum , & peccator Deo adverſatur. *ſer.2. Dom.18. poſt Pentecoſt.*

842. *Peccatum inobedientiæ eiicit hominem è Paradiſo.*

Et eiecit eum de Paradiſo. Quarè ? ob inobedientiam : Verè periculoſa eſt inobedientia , quia ob tale peccatum ejectus eſt è Paradiſo primus homo : Vnde infertur , quod multi excluduntur è Paradiſo ob inobedientiam , imò privantur plurimis Dei beneficiis : Dignum enim eſt , ut à Dei beneficiis ſit extraneus , cujus nimirum iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus. *opuſcul. Comp. Theolog. lib.3. cap. 20. & ſermon. 3. Dom. 3. poſt octav. Epiph. & opuſcul. Phar. lib.2. cap.44. opuſcul. Bibl paup.cap.25.*

843. *Inobedientia clauſit portas Regni cæleſtis : obedientia Chriſti eas aperuit.*

Et eiecit eum de Paradiſo. Sed cur eiectus eſt è Paradiſo ? Iam dictum eſt id eveniſſe in pœnam inobedientiæ ; ſed ut pateat , quam ſit Deo exoſum hoc vitium : Nota , quod per talem eiectionem etiam figurata eſt perpetua clauſio Regni cæleſtis.: Vnde nunquam homo aditum ad ipſum habuiſſet , niſi obedientia ſecundi Adam , ſcilicet Chriſti uſque ad mortem ipſum aperuiſſet:Et hinc datæ

datæ sunt claves Regni Cœlorum Petro Simoni, qui interpretatur obediens: obedientia enim aperit portas Cæli, & fontem omnium gratiarum. *op. Diat. tit. c. 2. & opusc. Bibl. paup. cap. 25. Brevil. part. 4. cap.* 10. oh quam periculosa est inobedientia, quia Adam perdidit Paradisum, per eam, scilicet gratiam Spiritus Sancti. *serm. 3. Dom. 3. post Oct. Epiph.* Voluit igitur Deus eiicere hominem è loco voluptatis, ut addisceret, quanta bona amiserit ob inobedientiam, & qualis differentia sit inter Deo fideliter obedientem, & ipsum contemnentem. *lib. 2. d. 17. dub. 2.*

844. *Per gulæ vitium perdita est mensa Paradisi: per ieiunium est recuperanda.*

Et eiecit eum, &c. Dictum est, ob inobedientiam eiectum esse primum hominem è Paradiso: sed quia hæc circunstantia est universalis in omnibus peccatis: quæritur an ob aliam circunstantiam magis peculiarem ipsum eiecerit? maximè, scilicet ob vitium gulæ: mensa igitur Paradisi perdita est per gulā in Paradiso, ergo qui vult eam recupetare, per abstinentiam debet id facere. Et hinc quadragesimale jejunium institutum est. *ser. 4. Dom. 1. quadrages. & serm. 4. Dom. 2. post oct. Epiphan.* Hinc infertur, quod jejunium hoc, non solùm disponit ad esum Agni paschalis, sed ad mensam Regni cælestis.

845. *Peccator à seipso eiicitur è Paradiso gratiæ.*

Et eiecit eum, &c. Quarè eiecit? quia Eva audivit serpentem, & vir, Evam. Sed nota, quod in quocumque nostrum adest serpens, mulier, & vir, suntque concupiscentiæ fomes, sensualitas, & mens rationalis, prima prurit, secunda delectatur, tertia consentit, & tunc unusquisque à seipso, & per seipsum ejicitur è Paradiso, in quo erat Anima ante consensum. *Psal. 77.* Solum igitur peccator de seipso conqueri debet, cum ipse sit sui solus malefactor, & carnifex.

846. *Post eiectionem è Paradiso Deus imposuit remedium contra otiositatem, scilicet exercitium corporale, & spirituale.*

Et eiecit eum, &c. ut operaretur terram, de qua sumptus est. Vide quale remedium assignavit homini post eiectionem è Paradiso, nempe sustinentiam laborum sudoris, & exercitium colendi Terram contra vitium otiositatis, scilicet & Terram materialem, & spiritualem cordis, & Animæ. *sermon. 1. & 4. Dom. sexages. & opusc. Bibl. paup. cap.* 115. Meritò igitur remedium contra otiositatem Deus imponit: nam otium locum Diabolo præparat: tentationibus patet? mores pervertit. *opusc. Bibl. paup. cap. 115. opusc. Comp. Theol. l. 3. cap.* 18. Sed attende, quod Deus vult, ut homo in terra operetur, terram principaliter propriæ conscientiæ, evellendo ex ea vepres vitiorum, gladio acutæ compunctionis: extirpando spinas peccatorum exercitio confessionis, & evuendo urticas malorum desideriorum exercitio mortificationis: talisque satiabitur panibus bonorum operum. *serm. 1. Sexages.*

847. *Studium Sacræ Scripturæ qualiter exercendum: Item denominatio Angelorum habetur ex revelatione divina.*

Collocavit ante Paradisum Cherubim, &c. Ex hoc patet, denominationes Angelorum nobis advenisse ex revelatione divina: sed cum tributus fuerit à Deo gladius flammeus huic Cherubim, cur non potiùs Seraphim collocatus fuit, interpretatur enim ardens: Nonne potiùs spectabat ad Seraphim habere gladium igneum? Sed ex hoc infertur, *Studium*
quod via ligni vitæ est studium legis divinæ, sci- *Sacræ*
licet illuminatio intellectus significata per Che- *Scripturæ*
rubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ, ad *quomodò*
ipsum tamen debet converti flammeus gladius, *faciendum.*
scilicet amor virtutis, per quam custoditur hæc via contra hostes, scilicet contra vanitatis, & vanæ gloriæ incursiones. *op. de Eccl. Hier. p. 1. c. 3. & Psal. 118. c. 3. v. 5.*

848. *Ecclesia, & Religio est Paradisus, qui custodiendus est à Prælatis gladio versatili.*

Collocavit Cherubim flammeum gladium, &c. Cur Deus voluit Cherubim collocare Ianitorem Paradisi armatum gladio flammeo, seu, ut legitur ex Hebræo, *versatili*? Nota, quod, ut aliàs dictum est per Paradisum intelligitur mysticè Ecclesia, vel Religio, vel Congregatio hominum: Per Cherubim intelliguntur Doctores, & Prælati; istis igitur demandata est custodia viæ ad lignum vitæ, scilicet observantiæ, & arctæ vitæ, seu mortificationis, mediante gladio versatili, scilicet vigilantia, & prædicatione verbi Dei. *op. de Eccl. Hier. p. 1. c. 3. & In Io. c. 18. v. 16.*

849. *Verbum Dei prædicatum est gladius, quo patet aditus ad rescindenda peccata, & ad Regnum Cælorum.*

Collocavit Cherubim & flammeum gladium, & versatilem, &c. Ergonè Cherubim deputatur ad impediendum ingressum in Paradisum? Nonnè omnes Angeli sunt deputati ad ministerium, & utilitatem hominis? Sed attende, quod iste gladius datus fuit evaginatus: Gladius evaginatus est prædicatio divini verbi extracti ex Scriptura Sacra. Hunc gladium tribuit Deus Episcopo, & per ipsum Prædicatoribus, ut per ipsum abscindant peccata, & auferant impedimenta ad ingressum ligni vitæ. *In Io. c. 18. v. 16. & op. de Eccl. Hier. cit.* Idem, & Barradius *lib. 5. itinerary.*

850. *Christus Dominus aditum Paradisi nobis reseravit.*

Collocavit Cherubim, &c. Si positus est Cherubim, ut impediret aditum ad Paradisum, idque fuit figura clausionis Paradisi cælestis: Quis ergo reserabit illius fores? Hic fuit Christus Redemptor verus Angelus à Patre missus, qui reconciliando passione, & morte sua hominem cum Deo, amoto gladio, scilicet decreto divinæ sententiæ, aperuit nobis viam ad lignum vitæ percipiendum. Vnde in Persona Christi dicitur *Psal. 23. Attollite portas, &c.* Quasi diceret: Per meum sanguinem facta est reparatio concordiæ utilis, & relaxatio vindictæ judicialis. *l. 5. d. 18. a. 2. qu. 3. & Brevil. p. 4. c. 10. & ser. 1. in Pascha.*

851. *Ieiunium aperit portas Paradiſi.*

Collocavit Cherubim, & flammeum gladium, &c. Nota, quod Chriſtus Redemptor volens tollere iſtum gladium, & omne impedimentum, quod ob vitium gulæ à Divina Iuſtitia poſitum fuerat ad portas Paradiſi: Abſtinentiam, & Ieiunium inſtituit in ſe, & in nobis præcipit, ut per oppoſitam viam aditum haberet homo ad Cœlum. *ſer. 4. Dom. 1. poſt Epiph.*

852. *Cor Iuſti cuſtoditur gladio paſſionis ab ingreſſu voluptatum.*

Collocavit Cherubim, &c. Nota hæc fuerunt facta in figuram noſtri. Quid igitur nobis dictat hoc factum? Ecce pulchrum myſterium. Cor Iuſti eſt veluti Paradiſus Domini. Ad cuſtodiendum hunc Paradiſum, ne Coluber tortuoſus, vel muliebris, vana, & mundana cogitatio ibi intret, & ſi ibi inveniatur, ut removeatur, & ejiciatur, aſſumpſit Chriſtus Dominus gladium verſatilem, ſcilicet ſuam paſſionem, & docuit nos ipſum imitari in tribulationibus, pœnis, paſſionibus perferendis pro Chriſto, ſicque veluti Cherubim, ſcilicet purgato corde & mundo ſecurè aditum obtinere ad Regnum cœlorum. *op. div. am. p. 1. c. 7.*

853. *Lancea aperuit nobis aditum ad latus Chriſti, quod eſt Paradiſus Domini.*

Collocavit Cherubim, & flammeum gladium, &c. Alij ex Hebræo legunt *laminam*, ſeu *lanceam*. Sed cur lanceam collocavit in manu Cherubin? Id figura fuit lanceæ, qua aperta eſt Ianua pectoris Chriſti in Cruce pendentis, per quam amotus eſt gladius verſatilis. Proponitur ergo latus Chriſti apertum tamquam Paradiſus, ut quicumque voluerit, poſſit intrare ad guſtandum lignum vitæ. Sed attende, quod prius pedes ſunt collocandi intra fores Crucifixi, ſcilicet affectus Animæ. *op. ſtim. Div. am. p. 1. c. 1.*

854. *Per Baptiſmi virtutem excuſſa eſt vis gladij verſatilis.*

Et collocavit Cherubim, &c. Notandum, quod Chriſtus Redemptor reintegravit perfectiſſimè damna illata per peccatum Adæ. Nam ſicut per Adæ carnalem generationem clauditur Cælum, ſcilicet ob peccatum originale, ſic per regenerationem ſpiritualem Baptiſmi aperitur; & ſicut propter concupiſcentiæ ardorem poſitus eſt flammeus gladius ad cuſtodiam ligni vitæ, ſic per humorem gratiæ mitigantis concupiſcentiam in Baptiſmo, amovetur Romphæa, & aperitur porta: Vnde ad Baptiſmum Chriſti apertum eſt Cælum. *In Luc. c. 3. verſ. 21.*

855. *Per ignem Purgatorij purgandæ ſunt Animæ.*

Et collocavit Cherubim, & flammeum gladium, &c. Quomodò poteſt fabricari gladius flammeus? Sed attende, quod iſte gladius poſt peccatum appoſitus eſt ad fores Paradiſi: Cur ante fores, & non aliunde? Per flammeum gladium intelligi debet quicquid poteſt expurgare peccati ſcoriam, & quia Deus præparavit in Purgatorio ignem ad expurgandam pœnam peccatorum: hinc meritò poteſt intelligi ignis Purgatorij: Dicitur autem poſitus in manu Cherubin, quia Animabus in Purgatorio exiſtentibus aſſiſtunt Angeli: Sic D. Ambroſius *in Pſalm. 118. & ex S. Bonavent. lib. 4. d. 20. part. 1. per totum.* Hinc inferre licet, quod, qui ſe ſufficienter in præſenti non punit, ad ignem Purgatorij velit, nolit, perveniet. *ſerm. 1 de S. Laurentio.*

856. *Os, & linguam bonam cuſtodit Spiritus Sanctus; malam Diabolus inficit.*

Et collocavit Cherubim, & flammeum gladium ad cuſtodiendum viam ligni vitæ. Quænam eſt hæc via ligni vitæ? Forſan aderat unica via? Hæc via erat porta, & quam ingredi poterat ad Paradiſum, ut ſupra dictum eſt. Sed quodnam myſterium ex hoc poteſt erui? Nota quod *in lib. Proverb. cap. 15.* dicitur, *lingua placabilis lignum vitæ*, & conſequenter via ad hoc lignum eſt os. Et quis erit cuſtos hujus viæ? flammeus gladius: nempe, vel Spiritus Sanctus, vel Diabolus: quoties enim verba bona, ſancta, & ædificantia loquimur, tunc Spiritus Sanctus eſt qui cuſtodit os, & loquitur. Si verò verba mala, detractoria, carnalia, &c. loquitur lingua, tunc ſpiritus infernalis, & immundus eſt, qui cuſtodit os, & loquitur. *ſermon. 11. in Pentecoſt.* Ex qualitate ergo verborum cognoſcitur qualitas cuſtodis. *ſerm. 4. de Apoſtol.* Nota etiam, quod poteſt ſignificari lingua per gladium flammeum verſatilem: quia ignis eſt, vel Spiritus ſanctus ſi bona: vel Inferni, ſi mala eſt. Dicitur *verſatilis*; quia ex omni parte poteſt lædere. Vno enim ictu tres interficit, ſcilicet ipſum loquentem, audientem, & abſentem. *ſerm. 1 in Pentec. & ſer. 2. Dom. poſt oct. Epiph.*

857. *Pectus B. Virginis porta Paradiſi, vulneratum à Chriſto crucifixo.*

Collocavit ibi Cherubim, &c. Nota etiam perbellum myſterium in honorem, & memoriam dolorum B. Virginis Mariæ in paſſione filij. Iam dictum eſt per Cherubim intelligi myſticè Chriſtum crucifixum. Sed quomodò poſitus dicitur ante fores Paradiſi cum gladio igneo? Verte mentem ad verba Evangeliſtæ Ioan. *Stabat iuxta Crucem Maria Mater Chriſti.* Maria eſt Paradiſus, porta hujus Paradiſi eſt pectus B. Virginis. Vide ergo hunc Cherubim, ſcilicet Chriſtum Crucifixum ante fores Paradiſi, non cum gladio ferreo, ſed flammeo, ſcilicet cum clavis, quibus tanquam gladio pertranſivit pectus, & Animam ejus. Stabas igitur, ô Virgo, ô Domina juxta Crucem crucifixa cum filio: ille in corpore, tu in corde, in quo ejus vulnera unita fuere: Ibi Domina lanceatum eſt cor tuum, ibi ſpinis coronatum, ibi illuſum, reprobatum, exprobratum, & contumeliis plenum: ô mira res! tota es in vulneribus Chriſti, totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui. O vulnerata Domina, vulnera & corda noſtra, & in cordibus noſtris tuam, & filij tui renova paſſionem. *op. ſtim. div. am. p. 1. c. 3. & c. 1.*

CAPVT



CAPUT IV.

858. *Sacra Scriptura modestia in verbis quanta : Casti etiam in verbis esse debemus.*

Adam cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit, &c. Quid est cognovit uxorem suam ? nonne cognoscebat antea uxorem suam? cur ergo utitur hoc verbo, *cognovit*, ad declarandam generationem? sed vide ex hoc quàm justè loquela hebræa vocata fuit lingua seu loquela sancta, & lex disciplinæ, sanctissimaq; & gravissima : in ipsa non invenies nomen unum proprium fornicationis, vel impositum alicui membro, vel actioni, quod turpe sit ipsum nominare : cum enim turpium facit mentionem, ut plurimum utitur periphrasi, quæ figura circuitu, & circumlocutione verborum fœditatem evitat. *Op. principium S. Scrip.* Hinc Rabbi Moyses dixit, quod antiqui Patres non habebant in lingua hebræa nomina propria talium fœditatum, sed tantùm transumpta, & accommodata; & hoc attestatur eorum honestati, & castitati, nam ita casti erant, quod etiam hujusmodi nominare horrebant : addiscamus & nos idem facere, si volumus esse veri fideles.

859. *Virginitas est status Paradisi habitatorum status similis.*

Adam cognovit uxorem suam, &c. Cur non cognovit eam in Paradiso, cum habuerint ibi præceptum multiplicationis posterorum? sed attende qualis virtus sit virginitas, & totum intelliges: Virgines enim in terris manentes angelicam ducunt vitam, & tantum sibi interius vacant propter æternum bonum : unde ipsis assignatur fructus centesimus constans ex denario in se ducto : ergo est virtus propria Paradisi. *Op. Centil. & op. Bibl.paup.c.90.p. 4. sect.* 1. Virginitas in Paradiso: extra nuptiæ:nuptiæ Terrà replent; Virginitas Paradisum. S.Aug.*l.9.de Genes.*& S.Hieron.*hic.* Virgines sunt in terris sicut Angeli, ut tribulationem carnis non sentiant, servitutem ignorent, divinis rebus mente intendant, ut tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ carnis, sed quæ Dei sunt cogitent. *op.Phar.l.1.c.38.*

860. *Per flagella Deus nos ad se trahit, & illuminat.*

Adam cognovit, &c. quæ concepit, & peperit Cain, dicens, possedi hominem per Deum. Quid est possedi hominem per Deum? ex hebræo legit Ugo Cardinalis, *cooperata sum cum Deo :* Caietanus, *Acquisivi virum a Iehova.* Hic valdè notandum est, quod non legitur, Evam post suasionem, & receptionem tot donorum, nec etiam post peccatum antequam ejiceretur à Paradiso, unquam se convertisse ad gratiarum actionem ad Deum, sed tantùm post ejectionem, & amissionem tot bonorum, & postquam in tot errores inciderat: quarè nunc ad Deum confugit, recognoscens Deum datorem, & donatorem omnium bonorum? sed sciendum est, quod flagellis tanquam funiculis trahit Deus ad se Adam, & Evam : sunt enim media, quibus Deus illuminat & erudit mentem, & ad se convertit peccatorem. *serm.2.fer.4.Pentec.& l.4.d.15.p.1.dub.* 2. Ipse homo in intentionibus certius innotescit, & justè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem. *Op. Phar.l.4.c.48.*

861 *Filiorum educatio maximè observanda.*

Possedi hominem per Deum. Scilicet Cain, qui interpretatur possessio. *serm.3.in Pentec.* Vide quomodò filius comparatur possessioni paternæ: unde dicitur *Deuteron.c.33.ipse est Pater tuus, qui possedit te, &c.* Quarè filius dicitur possessio ? dicitur possessio optimè, quia sicut Pater laborat, maxime in augenda possessione, vel ea conservanda, sic & pater tenetur laborare in conservanda, augendaq; virtute filiorum: sic ex *D. Ioan.Chrysostomo*, sed heu dolendum, & plorandum valde est, quia pagani olim filios, & filias tradebant templis Dæmonum, quos colebant, & ibidem omni tempore servire studebant : Christiani verò, servi emptitij Christi sanguine comparati volunt filios suos magis servire mundo, quàm Christo ; magis crudelissimo tyranno, quàm pijssimo Domino: immolantq; filios Diabolo, in vitijs eos educando, vel injustam possessionem eis relinquendo: si igitur Deus dedit tibi filium suum, & tu meritò debes dare Deo filium tuum, ipsum semper ad bonum inducendo, vel ad Dei servitium ipsum offerendo. *serm.2.fer. 2. Pentec.& serm.2.de S. Ant.Patav.*

862. *Non possunt amari simul consolationes spirituales, & carnales: & amissis spiritualibus, statim recurritur ad carnales.*

Cognovit Adam uxorem suam, &c. Cur statim post ejectionem è Paradiso, notatur hæc conjunctio carnalis, & non aliquod aliud opus ? sed ecce mysterium : Paradisus significat statum consolationum spiritualium, ut aliàs dictum est : per hoc datur intelligi, quod cum Anima non possit vivere absq; aliqua delectatione ut ait Divus Gregorius, qui delectatur in spiritualibus, torpescit ad ima, & terrena: & è contra, qui à cælestibus frigescit, ad terrena statim recurrit, & inardescit: utraq; enim simul, & æqualiter amari non possunt. *Op. Phar.l.1.c.3.* Sic & Ugo Card.*hic.*

863. *Amor divitiarum inter omnia vitia principatum obtinet pluribus obnoxius miserijs.*

Quæ concepit, & peperit Cain: rursum peperit fratrem ejus Abel. Nota : primus in humano genere dicitur Cain, id est possessio, & hic fuit pessimus: cur igitur, qui perversus est dicitur possessio, & non potius vanitas? hoc certè non fuit sine mysterio : At notandum ulterius, quod addit, nempe, *rursum peperit fratrem eius Abel*: cur non dicit peperit alium filium, quem appellavit Abel, sed statim frater Cain, & aliquid spectans, & respiciens Cain demonstratur. Observa, quod Abel interpretatur luctus, vanitas, vapor, miserabilis. *In Psal.* 61. quod verè est mirabile : cum videatur hoc nomen magis competere ipsi Cain, quam secundo fratri : At cum mysterio hoc factum est, & maximè, quia volunt plures, ambos uno conceptu esse genitos, & natos, ideò additum fuit nomen Abelis nomini Cain, scilicet nomen significans luctum, vanitatem, vaporem, miseriam cum Cain, id est cum possessione scilicet terrenorum, & car-

nalium bonorum : afferunt enim ſuum luctum ſcilicet peccatum,miſeriam,& ſunt veluti vanitas, & vapor.*Pſal.61.& in Eccleſ.proam.& c.1.*

864.*Mundani præponunt temporalia cœleſtibus, ideò ſtulti.*

Peperit Cain,& rurſum Abel. Cur primus locus datur in generatione hominum Cain, ſcilicet poſſeſſioni , & ſecundus Abel , ſcilicet luctui ? Nota, quod Cain interpretatur poſſeſſio, ſignificatq; acquiſitionem , vel poſſeſſionem cupidam terrenorum,ideò in Cain figurantur homines avari terrenis deditis : In Abel , homines pœnitentes Deo deditì, peccata plangentes.*ſerm. 3. in Pentec.& Pſal. 61.& op.Bibl.paup.c.73.* Per hoc ſignificatur qualis ſit ſtultitia mundanorum , qui pro temporalibus, relinquunt æterna & cœleſtia. *ſerm.5.in Pentec. & ſerm.2.Dom. 2. poſt Pentec.* S. Aug. in Gloſſa apud homines mundanos , prius eſt , quod eſt animale: hinc Cain agricola primò ponitur , id eſt terrenis opibus incumbens & poſtea Abel innocentiam diligens.

865.*Avarus Deum omniaq;contemnit propter divitias.*

Fuit autem Abel paſtor ovium , & Cain agricola. Quis diſtribuit hæc munera , & officia ? Reſpondent doctores ex ſcholaſtica hiſtoria hoc evenisse ex libito unius cujuſq,:Cain enim voluntariè elegit agriculturam , & Abel cuſtodiam ovium : ſed quid myſterij latet in hoc ? nota , quod terra fuit à Deo maledicta,non verò oves , & alia animalia, imò fuerunt benedicta : Iam verò dictum eſt per Cain ſignificari avarum poſſeſſorem divitiarum à Deo maledictum : per Abel, juſtum à Deo benedictum.*Op.Bibl.paup.c.73.& ſerm.3.in Pentec. & lect. 15.op.ſpec.B.Virg.* Paſtor autē dicitur,quia partem dat ovibus ſuis.*Ioan.collat.*49. Avarus autem ſua,& aliena malè retinet : Bonus paſtor ſua dat ovibus ſuis.*Pſal. 19 Centil.p.1.ſect. 22. & parte 3.ſect. 44.* Paulus Burgenſis *hic* : Abel ſe ſeparavit à terræ cultura , tanquam à re maledicta à Deo , eligitq; officium paſtoris ovium , quoniam non erant maledictæ, Cain elegit ſibi agriculturam , quaſi non curans de Dei ſententia : avarus enim omnia contemnit. &c.

866. *Religioſus aliquando minus eſt gratus Deo, quàm ſæcularis : & à ſæcularibus in perfectione ſuperatur.*

Fuit autem Abel paſtor,&c.Cain agricola. Obſerva, quod iſti duo fratres applicaverunt ſe diverſis exercitijs , non ſolum corporalibus , ſed & ſpiritualibus ut patet ex contextu litteræ : obſerva etiam , quod Cain operam dedit obedientiæ:dixerat enim Deus patri eius , ut operaretur terram, &c. non autem præceperat , ut cuſtodiret oves: quomodò ergo , qui obedientiæ ſtatum amplexus eſt,prior fuit reprobus,& maledictus : Abel autem benedictus & electus, charuſq;Deo?quodnam myſterium nobis in hoc inſinuatur?ſed nota:ex actione ſæcularium ſæpe confunditur actio Religioſorum,dum illi etiam promittendo,non ſervant,quæ in præceptis audiunt : & iſti vivendo ea cuſtodiunt , in quibus nequaquam legalibus mandatis aſtringuntur.*Op.Phar.l.1.c.*18.Vide ergo quomodò ſæpe à ſæcularibus vincuntur Religioſi in via perfectionis.

867.*In electionibus minor natu præfertur majori, ſi virtute eſt præſtantior.*

Fuit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola. Nota , Cain eſt natu major, & in horum fratrum conceptione & ortu ponitur ſecundùm ordinem naturæ primo loco Cain : deinde in exercendis muneribus ab ipſis aſſumptis, primò loco ponitur Abel paſtor ovium,& ſecundo loco Cain:Cur hæc inverſio ordinis à Spiritu ſancto ſervatur ? quia Abel fuit paſtor ovium, ſignificatq; quales debent eſſe, qui ad prælaturam eligi debent:hoc enim eſt diſcrimen inter paſtorem, & mercenarium , quod paſtor quærit bonum , & lucrum ovium ſuarum: mercenarius verò quærit, quæ ſua ſunt.*Pſal.61. In Ioan.cap.10.v.12.& ſeq.ſerm. 1. de S. Matthia & ſerm.4.Dom.19.poſt Pentec.* Sic & Div.Ambroſ. *lib. de Cain, & Abel cap. 3. offic.* Ex hoc diſce,quod in eligendis Prælatis, non ad ordinem naturæ,ſed ad mores,& habilitates , ob quas minor natu præfertur majori , ſi virtute eſt præſtantior. *Op. libellus apolog.queſt.3.*

868. *Paupertas ſpiritus fundamentum Eccleſiæ, & totius ædificij ſpiritualis.*

Fuit autem Abel paſtor ovium , & Cain agricola, &c. Cur præfertur Abel Cain ? jam dictum eſt, quod Cain interpretatur poſſeſſio, ſignificatq;hominem avarum , & tenacem , omniaq; ad ſe trahentem , ob idq; elegit agriculturam : Abel fuit paſtor ſua omnibus diſtribuens, & nihil ſibi retinens,per quod ſignificatur , quod paupertas ſpiritus omnibus virtutibus antecellit : & hinc ab Abel incæpit Eccleſia,non à Cain ,,quia ſignificavit Chriſtum paſtorem, & caput Eccleſiæ.*Pſal.61.* & hinc in paupertate ſpiritus fundavit Chriſtus Eccleſiam tanquam medicamentum avaritiæ.*ſerm. 4.Dom.4.poſt Pentec.& ſerm.2.in oct.Paſcha & ſerm. 4.Dom.16.poſt Pentec.*

869.*Eccleſia nunquam diſcontinuata à principio Abel figura Chriſti,Virgo, Martyr, & Paſtor.*

Fuit Abel paſtor ovium , &c. Cur hic reticetur nomen Adæ , & ponitur inter natos primo loco Abel ſecundo natus? quia ab Abel , non ab Adam, nec à Cain incœpit Eccleſia:ſed cur non ab Adam? Reſp. ex quadruplici cauſa : primò , quia Adam fuit non juſtus,ſed tantum juſtificatus, ſcilicet aliquando mortuus : Abel ſemper fuit juſtus : ſi verò ab Adam incohata eſſet, aliquando fuiſſet diſcontinuata, & ſine aliquo juſto : ſecundò , quia Abel geſſit tres ſtatus Eccleſiæ in ſe,ſcilicet Martyrum, Virginum ,& Paſtorum : tertiò , quia ſignificavit Chriſtum,& ideò dicitur occiſus ab origine mundi : quartò in computatione graduum non incipitur à trunco, ut patet in conſanguinitate. *Pſal.61.*

870. *Cultus Dei eſt de iure naturæ Deo debitus , & inſitus naturaliter in Anima noſtra.*

Factum eſt, ut poſt, &c. offerret Cain de fructibus terra munera Domino : Abel quoq, obtulit , &c. Cur notatur primò loco inter omnia opera iſtorum Sacrificium Deo oblatum , & non potiùs aliquid præcedenter factum in tempore intermedio ? quis hanc legem eis impoſuit?nullibi legitur expreſſum:

im

imò scriptum est in corde uniuscujusq; est enim de dictamine naturæ aliquod sacrificium Deo offerre. *serm. 5 Hexaem.*

871. *Ab Abel inchoatum est sacrificium Deo oblatum: significavitq; oblationem Christi in Cruce.*

Cain obtulit Deo, &c. Abel quoque. Si à Cain incæpit sacrificium, cur non nominatur in Canone Missæ, sed tantùm Abel? quia Sacrificium Cain fuit oblatum cum immunditia avaritiæ: Abel autem cum omni innocentia: unde Sacrificium exterius Deo debitum, ab Abel inchoatum est: significat enim Christum, qui se ipsum, ut Agnum obtulit Deo Patri, & à fratribus suis, scilicet Iudæis occisus est. *Op. expos. missæ c.4. & op. de dono scientiæ c.4. & serm. 5. & 14. Hexaem & op. principium Sacræ Scrip. & in Psal.* 140.

872. *Deus magis aspicit cor offerentis, quàm Sacrificium oblatum.*

Cain obtulit, &c. Abel quoq; respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, non verò ad Cain, & ad munera eius. Nota ordinem inversum in Sacrificij oblatione: primo loco ponitur Cain: secundo Abel: in acceptatione, primo loco Abel, secundo eius munera, & deinde Cain sed reprobatus: cur ordo prior invertitur? ut intelligas, Deum prius respicere personæ offerentis cor, & deinde Sacrificium: si enim cor est immundum & perversum, non possunt placere Deo munera. *Brevil. p. 5. c. 2. & op. Bibl. paup. c.* 12. Ideò non Abel placuit ex muneribus, sed munera ex Abel: arbor enim bona, bonos fructus facit. *In Ioan. c. 9. v. 31. & collat. 28. & 55. & in Luc. c. 21. v. 4.*

873. *Optima sunt Deo offerenda.*

Ad Cain, & ad munera eius non respexit; Cur non respexit ad munera Cain? oonne rectè offerebat, ut dicit Textus septuagiota Interpretum? quia deteriora, non optima Deo offerebat, cum prius seipsum Diabolo per avaritiam, & invidiam obtulisset. *serm. 1. Dom. 5. post Pentec.*

874. *Male vivens, & in eleemosynis confidens à Deo non recipitur.*

Ad Cain non respexit, &c. Et quare? nonne etiam Sacrificia à peccatore oblata Deo aliqualiter sunt accepta? Respondet Dominus loquens cum Cain: oonne si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti? sic septuaginta: sed quid est Deo rectè offerre, malè autem simul dividere? quia fructus optimos sibi retinebat, deteriores Domino offerebat: daturq; nobis instructio, quod illi, qui sunt malæ voluntatis, & de eleemosynis confidunt, Deo non placent, quia Deus affectat magis fervorem cordis, quàm magnitudinem operis, nec dona iniquorum probat Altissimus *In Luc. cap. 2. v. 4. & Comp. Theol. l. 5. c. 4.*

875. *Eleemosynam offerens de malè oblatis Deo invisus.*

Ad Cain, & ad munera eius non respexit. Hoc etiam dicitur contra illos, qui de substantia pauperum, & de malè oblatis eleemosynas faciunt: qualis est enim illa justitia de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? illud non est Deo offerre, sed violentiæ suæ socium facere Deum. *Op. Phar. l. 2. c. 50. serm. 1. Dom. 5. post Pentec.*

876. *Sacrificium, & operationes bonæ à primis annis valdè Deo charæ.*

Ad Abel, & ad munera eius respexit Dominus, &c. Quænam fuerunt munera oblata ab Abel tam Deo chara? certum est fuisse fœtus ovium, scilicet Agnos: oblatio igitur agnorum est Deo charissima, scilicet Sacrificiorum à primis annis oblatorum: tum etiam quia à primis annis se Deo in Sacrificijs applicavit: quarè dicitur Aggæi. *cap. 1. mane semina semen tuum*, id est in pueritia: bonum enim est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. *serm. 2. in Dom. sexag.* Et in hujus rei signum dixit. *Prov. 3. si quis parvulus est, veniat ad me & Luc. c. 18. v. 16. sinite parvulos venire ad me*: puerisq; dedit seipsum in exemplum, cum factus annorum duodecim, relictis parentibus, secedit in templum: item acceptavit præconium puerorum laudantium, & dicentium osanna filio David: item & acceptavit martyrium infantium innocentium. *In Luc. c. 18. v. 16.*

877. *In Cain Sacrificijs figurantur Sacrificia Hebræorum.*

Ad Cain non respexit: ad Abel, & ad munera eius respexit. Cur hoc discrimen? Cain Iudæos significabat, ipsorumq; Sacrificia: Abel Christum significabat. *serm. 14. & 16. Hexaem & op. expos. missæ c. 4.* Ut pateat, quod adveniente lege gratiæ Sacrificia Hebræorum Deo fuerunt exosa: unde ignis descendens de cælo super oblata ab Abel significabat adventum spiritus sancti inflammantis cor perfectè offerentium. *Psal.* 104.

878. *Invidia grande malum, principiumq; est duplicis homicidij: Patres item mali causa sunt ruinæ filiorum.*

Iratus est Cain, &c. & concidit vultus eius &c. Ad quid iratus est Cain: ob invidiam iratus est in Abel: vide quale peccatum iræ, & invidiæ, & quos fructus pariat in Anima: prius enim Cain occisus est spiritualiter in Anima, postea occidit corporaliter fratrem: ex quo peccato orta est corruptio spiritualis in suâ posteritatem, & in magnam partem posteritatis Seth, ex quorum peccatis postea venit diluvium *in sap. c. 10. & op. Centil. p. 1. sect.* 19. unde patet quàm exitiosum, & perniciosum sit peccatum Patrum, & Prælatorum.

879. *Qui vult Deo servire, statim adversarios, & persecutores habet.*

Iratus est Cain, &c. Cur iratus, & contra quem exardescit ira Cain? contra Abel fratrem: sed cur? quia Caio patenter videbat oblationes acceptas à Deo, suas verò nequaquam: sed hoc non est mirũ: nam semper justos viros persecutionem malorum sustinuisse sacra scriptura tradit: & Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. *In Luc. c. 21. v. 12. & op. Bibl. paup. c. 110. & 134.*

880. *Voluntatis varietas nos acceptos, vel ingratos Deo efficit.*

Ad Cain, & munera eius non respexit Dominus, &c.

&c. Cut hoc diſcrimen ? nonne ambo perfectum Sacrificium cum omnibus circumſtantijs debitis obrulerunt ? dicit enim Textus ſeptuaginta interpretum: *nonne ſi rectè offeras , &c.* ergo ambo rectè offerebant , & tamen folùm Abel Sacrificium fuit acceptum ; hæc differentia orta eſt ex voluntatum, & cordis varietate ; quia in Abel erat benè ordinata voluntas , in Cain inordinata , affectus enim nomen operi imponit. *In Ioan.collat.*28.

881. *Invidia fœda infirmitas totum depaſcit in homine.*

Iratus eſt Cain vehementer , & concidit vultus eius. Quid eſt concidit vultus eius , niſi vultum immutatum , & ad terram demiſſum habere ? ſed cur non extollis in altum vultum tuom ô perfide, ſi Deus ad differentiam beſtiarum hominem ad Cælum erectum formavit ? ſed ne mireris: hoc eſt proprium invidiæ : invidia enim eſt peſſima infirmitas ; eſt enim mala dolendo de bono proximi: pejor de malo eius gaudendo : peſſima in utroq; ei nocendo ; infirmitas eſt , quæ conſumit hominem, ſenſum devorat, pectus urit, mentem inficit, cor hominis quaſi peſtis depaſcit & merita bona ardore peſſimo & peſtifero devorat, & à Cælo ad terram, imò ad Infernum deprimit. *ſerm.1.Dom.20. poſt Pentec.& op.Diat.tit.primi.c.5.*

882. *Ira reddit hominem inſanum, beſtialem, & arreptitium.*

Iratus eſt, &c. Ecce, unde orta eſt demiſſio vultus ad terram ad modum beſtiarum: ex iracundia: hæc enim transformat hominem in beſtiam ſtultã, & rabidã, tollit rationem & humanitatem: & ſicut aper ad terrã capite verſus currit inſane ex furore contra gladium: ſic iracundus ad peccatum , ſcilicet contentionem, injuriam, & homicidium: & ſicut inſanus, & arreptitius præcipitat ſe in ignem , vel in aquam , ſic iracundus in quamcumq; maliriam. *op.Diat.ſal.tit.1.c.5.*

883. *Iracundia cogitabundum reddit, & ducit ad homicidium & ad omne malum.*

Iratus eſt Cain , & concidit vultus eius. Quid eſt concidere vultu ? demittere ad terram , ſicut qui crudelia meditantur; ſic Cain invidia, & ira pulſus homicidium meditabatur , & tanquam cæcus ad omne malum currebat. *In Luc. cap. 23.v.10.& op. Bibl.paup.cap.96.*

884. *Ira eſt infirmitas Animæ torquens etiam corpus.*

Iratus eſt Cain, & concidit vultus eius. Notat hic ſacer Textus duos effectus peſſimos ex invidia ortos: ſcilicet iram, & demiſſionem vultus: ira hæc dicitur vehemens, ſcilicet maximus livor torquens cor Cain : ex quo patet, hanc peſſimam eſſe infirmitatem animæ , redundantem etiam in corpus, ipſum veluti depaſcendo , & torquendo. *Centil. p. 1.ſect.19.& ſerm.1.Dom.20. poſt Pentec. & Diat.tit. 1.cap.4.*

885. *Sacrificium à Deo non admittitur , qui alas charitatis non habet in fratrem ſuum.*

Ad munera Abel reſpexit Dominus; non ad munera Cain. Quarè hoc diſcrimen ? nota Cain ex livore cordis demiſiſſe cultum nolentem fratrem aſpicere ex invidia, & odio : hinc fruſtra propitiari ſibi Deum quærit , qui placari in proximo negligit: & è contra: qui alas duas charitatis in Deum, & proximum habet , citò volante amore ad Deum pervenit , & Diabolum effugit. *ſerm. 1. in Aſſumſ.& ſerm.3.Dom.5.poſt Pentec.& Centil.p.1.ſect.*19 Oratio peccatoris execrabilis erit , & fruſtra offeret munus ſuum ad Altare, qui conſcius eſt ſibi, quod frater tuus babet aliquid adverſum te : nec Deus reſpexit ad munera Cain , eo quod non rectè ambulabat cum fratre ſuo. *Phar.l.3.c.22.*

886. *Homo terrenus cor ſuum figit in terram, Iuſtus in Cælum.*

Concidit vultus Cain. Cur concidit , & vultum demiſit ad terram ? quia Diabolus mentem eius ad terrenas affectiones pertraxit per depreſſiones affectus ad iſta fœda, & immunda: homo enim terrenus ad terram , homo cæleſtis ad cælum, cor & ſe ipſum totum convertit. *ſerm.4.Dom.14 poſt Pentec.& ſerm.in Dom 5.poſt oct. Epiph.& ſolil.c. 2. & ſerm.2.Dom.11.poſt Pentec.*

887. *Deus etiam in actu peccati vocat peccatorem ad reſipiſcentiam.*

Cur concidit facies tua ? Sed ad quid hæc interrogatio ? forſan Deus ignorabat cauſan mæroris Cain? minimè, ſed ut induceret eum ad reſipiſcentiam, & pœnitentiam: miſericors enim Deus, licèt à peccatoribus contemnatur , tamen non dedignatur ab eis , etiam dum actu ipſum offendunt , & malè vivunt , petere pacem per inſtantiam gratuitæ vocationis. *ſerm.1.Dom.1 poſt Pentec.*

888. *Conſcientiæ malæ amaritudines inferni.*

Cur concidit facies tua? Quid eſt cõcidere faciem? nota , quod per hoc verbum ſignificatur cor Cain repletum livore, odio, ira , invidia , ob idq; triſtem effectum veluti pallentem , trementem , & afflictum. *Centil.p.1.ſect.19.* & per id ſignificare voluit quales amaritudines pariatur mala cõſcientia; nam eius remorſus & dolor etiam ad carnem foris redundat: & hoc etiam erit in damnatis. *l. 4. d.50.p. 2.a.2.q.1.* Vide ergo quomodò peccatum inducit in Animam imaginem Inferni: quia in ipſa ſunt ignis avaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conſcientiæ , ſitis concupiſcentiæ , Dæmones per effectum, & hujuſmodi. *op.Comp. Theol.l.5.c.7.*

889. *Plus cruciat Deum peccatum noſtrum, quàm noſmetipſos.*

Nonne ſi bene egeris recipies ? ſin autem malè , ſtatim in foribus peccatum aderit ? Quarè Deus hæc verba dixit ad Cain ? nonne ſciebat, pœnam neceſſario ſequi culpam? ſed vide Dei miſericordiam: ſeptuaginta legunt : *peccaſti : quieſce :* Deus enim prævenit peccatorem, ut reſipiſcat à peccato ipſum vocando : tardius enim videtur Deo veniam dare, quàm peccator veniam recipere: ſic feſtinat abſolvere à tormento , quaſi ipſum plus crucier compaſſio miſeri , quàm ipſum miſerum compaſſio ſui. *ſerm.1.Dom.4.Quadrag.*

890. *Peccator*

890. *Peccator à Diabolo ligatur, & custoditur, donec in Infernum detrudat.*

Nonne si rectè egeris, &c. sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Vel ut habent septuaginta: *peccatum excubabit:* unde sumitur hæc metaphora? quid est excubabit, & in foribus aderit peccatum? nota, quod olim mos erat, ut simul cum malefactoribus satellites excubabant colligati, ne possent effugere: sic Lorinus in *Acta cap. 12. n. 6.* Unde per hoc significatur, quod statim ac homo peccat adstant, & excubant lictores, & satellites divinæ justitiæ, scilicet Dæmones, qui ipsum ligant in vinculis ferreis, & Diabolica suggestione, & sub custodia militum, scilicet Dæmonum ad perdendum morte damnationis æternæ. *serm. 4. Dom. 18. post Pentec.* Excitatur autem à Deo ad surgendum per auxilium virtutis Christi confringentis æreas portas Diabolicæ custodiæ *serm. 4. ibidem.*

891. *Sacrificium Deo oblatum non placet, si cor est Diaboli habitaculum.*

Nonne si bene egeris recipies, &c. Legunt septuaginta: *nonne si rectè offeras, rectè autem non dividas peccasti, &c.* Quid est rectè offerre, & non rectè dividere? si rectè offerebat, quomodò rectè non dividebat? quia divisit totum cor ab oblatione: oblatio quidem rectè facta est quo ad partem exteriorem, sed cor suum divisit à Deo; obtulerat enim ipsum Diabolo. *serm. 2. Dom. 5. post Pentec.*

892. *Oratio sine eleemosyna ad Deum non volat.*

Nonne si rectè offeras, rectè autem non dividas, &c. Id dici potest ei qui Sacrificium Deo offert cum tota integritate, sed vilissima, vel nihil pauperibus tradit, hic non rectè dividit. *serm. 2. Dom. 5. post Pentec.* Infirma est oratio, & Sacrificium, quod eleemosynarum largitate non est munitum: sed illa oratio, illud Sacrificium, quod eleemosynarum operibus adjuvatur excedit mundum, penetrat Paradisum, evolat ad ipsum summæ majestatis Angelo offerente conspectum. *op. Phar. l. 4. c. 45.*

893. *Opus bonum debet benè fieri, ut Deo sit acceptum.*

Nonne si benè, &c. recipies? Cur non dixit, nonne si bonum egeris recipies præmium? sed nota perbellum mysterium: Cain offerendo Sacrificium bonum opus fecit, sed id non sufficit ad præmium consequendum, si non rectè fiat: rectum enim non est rectum, nisi rectè fiat, scilicet discretè, qualiter quando, ubi, quarè, &c. *op. de sex alis seraph. c. 7.*

894. *Fides sine operibus mortua.*

Nonne si benè, &c. non autem rectè dividas, peccasti? Quid divisit Cain, ob quod Deum offendit? divisit fidem à charitate: actus Sacrificij fuit actus fidei, sed oblatum Sacrificium ab ipso charitate disjuncto non fuit acceptum: divisit fidem ab operibus. *Comp. Theol. l. 5. c. 9.* & D. Bernardus in *Allegor. Tilmani. fides enim sine operibus est hypocritarum, qui confitentur se nosce Deum, factis autem negant: In Luc. c. 12. v. 8.*

895. *Opus bonum non placet Deo, si non est factum cum recta intentione.*

Nonne si rectè offeras, &c. rectè non dividas peccasti? Multa mysteria, & valdè utilia hæc translatio septuaginta Interpretum: hinc proponitur dubium, quænam fuerit hæc divisio peccaminosa, ob quam rejectum fuit eius Sacrificium? nota, quod ex hebræo fonte legitur: *nonne si bene egeris elevares vel levare*: quænam est ista elevatio ex bona operatione? elevatio est intentionis rectitudo: & hinc homo factus est capite ad cælum erecto, ut mentis intentionem ad Deum elevatam haberet: & quia Cain divisit Sacrificium ab hac debita mentis intentione in Deum, hinc peccasse dicitur. *op. Bibl. paup. c. 116. & Brevil. p. 2. c. 10.* Adde, quod, ut supra dictum est concidit vultus eius, scilicet demissus ad terram, per quod significabatur eius perversa intentio. Tendere quasi in Deum, & non propter Deum hypocritæ planè est Animæ, omnem decorem Animæ exterminantis, & totam illam fœdantis propter turpitudinem hypocrisis. *op. de septem itiner. aetern. itin. 1. d. 3.*

896. *Peccatum in Anima existens foras erumpit per signa victoria in peccatorem.*

Si autem malè, in foribus statim peccatum aderit. Quid est in foribus peccatum adesse? & in quibus foribus apparet peccatum? nota pulchram metaphoram: mos est apud magnates supra fores domorum stemmata, & gentilitia facinora depingere, ut omnibus innotescant, vel nobilitas ipsorum, vel facinora patrata: sic & Diabolus facit: non contentus imprimere in corde suum characterem, sed etiam ad extra eius simulacra depingit in signum victoriæ, & possessionis, quam habet de ipso: sed in quonam consistit hæc miseria interior, & exterior peccati? sed attende: Cor nequam gravatur doloribus judicij, falsitate, & suspicationis temeritate, livore invidiæ contabescit, affligitur, & tristatur de proximi prosperitate, & prostituitur dolis, & criminibus: & quia, ait Christus. *Matt. 15. Ab intus de corde hominum procedunt cogitationes malæ, ira, nequitia, & dolus*: hinc & ad extra apparent signa ad somue caput prostitutionis peccatoris, in ore, & opere, scilicet detractiones, murmurationes, carnalitates, injuriæ, & similia. *serm. 4. Dom. 21. post Pentec. & serm. 3. in Pentec. & serm. 1 in Dedic. Eccles.* Vide igitur, ait Chrysologus, quod peccatum non contentum inter cordis penetralia se continere, in publicum procedere audet, quasi famam quærens de hominis ruina.

897. *Merces boni operis potest experimento cognosci, verbis tamen non potest explicari.*

Nonne si benè egeris, recipies: si malè statim peccatum in foribus aderit. Nota, quod dum proponit opus bonum, ei superaddit pro præmio solùm hoc verbum, *recipies*, absq; eo quod aliquod exprimat loquens de peccato, dicit, *quod statim in foribus aderit*, scilicet per signa exteriora: Cur hoc discrimen ponit inter bonum, & malum? & pro opere bono quid recipiet? sed attende, quod nihil exprimit loquens de præmio boni operis, quia consolatio, quā serviēs fideliter Deo recipit, non potest verbis explicari, & quā nemo novit, nisi qui accipit: sed tamē etiam aliqua signa externa exhibentur; nam tales

repleti appareot conſolatione, ſuperabundantea gaudio, jucundi ſemper, & hilares, ferventea ſpiritu, quibus amabilia diſciplina dulce jejunium, breves vigiliæ, labor delectabilis manuum, & univerſa ſanctæ vitæ auſteritas refrigerium videtur. *ſerm. 1. de dedic. Eccleſ.* de ſignis habentis charitatem operativam. Vide *op. de ſeptem itiner. atern. itin. 4. d. 4. per totam.*

898. *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur in aliud trahit, donec ad Infernum præcipitet.*

Nonne ſi benè, &c. ſin malè, &c. peccaſti: quieſce. Sic legunt ſeptuaginta: quomodò dicitur, *quieſce*? quænam quies poteſt reperiri in peccatore, cujus conſcientia continuè torquetur? quieſce, ſcilicet ſiſte, & cave, ne addas peccatum peccato; ſubdit enim Dominus, *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, id eſt, ut, exponunt Doctores; *liber es, & quodcumq; volueris, cum Dei adjutorio poteris, &c.* Sed qoid nobis myſterij innoteſcit? nihil aliud, niſi, quod in ſe expertus eſt Cain, nempe peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit: quod evenit in hoc impio Cain, qui ex ſuperbia ſe præcipitavit in nimium amorem terrenorum, & ſui, & hinc in invidiam, & iram, & randem in homicidium. *op. Comp. Theol. l. 3. c. 7.*

899. *Reprobus, ſi egerit pœnitentiam, poteſt ſalvari.*

Si benè egeris, recipies. Quid recipiet? ſi Cain à Deo eſt reprobatus? quia novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum. *ſerm. 2. de plurib. mart.* Hic autem nota, quod reprobatio in Deo non habet cauſam, ſed tantùm in peccatore, ſcilicet peccatum, & demeritum: cum ſit à Dei voluntate non antecedente, ſed conſequente: unde ſi reprobus ſecundùm præſentem juſtitiam egerit pœnitentiam obediendo voci Dei, fiet prædeſtinatus. *op. Comp. Theol. l. 1. c. 7. & in l. 1. ſent. d. 41. a. 1. per totum. & d. 35. dub. 3. & d. 40. & ſeq. & a. 1. q. 1. ad 4. & l. 3. d. 31. dub. 2.*

900. *Cogitationes malæ ſtant ad fores animæ, ut in ipſam inducant peccatum.*

Si autem malè egeris, ſtatim in foribus aderit peccatum. Quid eſt in foribus? ergo non poterit ingredi iotra? &c. ſed attende, quod antequam peccatum intret in cor, priùs apparet in foribus, ſcilicet Diabolus immittendo cogitationes malas: ſic D. Greg. 4. *mor. c. 12.* Cave igitur à cauſis, & pravis cogitationibus, ne vel modicum io te moreutur, quia citò coinquinant, cujuſcumq; vitij colorem habentem, ut luxuriæ, vanæ gloriæ, odij, vel aliorum. *op. de inſtitut. Novit. p. 2. capite 5.*

901. *In noſtro arbitrio eſt non conſentire tentationibus.*

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Vide, quod Deus manifeſtè hic oſtendit, quod in noſtro arbitrio eſt, ſi velimus cum adjutorio Dei non conſentire Diabolo tentanti. *op. de perfect. religioſ. l. c. 2.*

902. *Diabolus inermis eſt, nec poteſt nos cogere, ſed tantùm ſuadere.*

Sub te erit appetitus tuus, &c. Ex hoc etiam patet, quod Diabolus contra nos, inermis eſt, & ſolis aſtutis cogitationibus nos impugnare poteſt ſuadendo, ut peccemus, non cogendo; ex quo apparet mira Dei benignitas in nos. *op. de perfect. religioſ. l. 1. cap. 2.*

903. *Qui appetitum ſibi ſubjicit verus Dominus eſt: è contra ſervus, qui ſe ipſi ſubjicit.*

Sub te erit appetitus, &c. Si ſub ipſo erat appetitos, ergo & Dominus? ſed quomodò, ſi appetitus in nobis eſt naturalis, cui imperare oon valemus? ſed loquitur de appetitu ſenſuali, ſuper quem homo habet dominium: unde verum, & perfectum dominium hominis eſt io ſe ipſum, & qui obtemperat appetitui ſenſuali, non Dominus, ſed ſervus eſt. *op. de Eccleſ. Hier. p. 2. c. 1.*

904. *Ex mortificatione paſſionum oritur dominium hominis: ex ſubjectione, ſervitus.*

Sub te erit appetitus, &c. Vide quodnam dominium eſt hoc: appetitus ſenſualis factus eſt ſubjectus rationi, eiq; tenetur tributum reddere, quandiu ratio copulatur Domino fide, & dilectione: ſicq; appellatur regina, & Domina provinciarum, ſcilicet paſſionum plurimarum; quæ in nobis inſunt: ſi verò è contra ſenſualitas imperat rationi, tunc & ipſa, & totus homo pooitur ſub tributo. *In threnc. c. 1.*

905. *Chriſti paſſio, & mors figurata in principio mundi.*

Egrediamur foras, &c. Cain conſurrexit, &c. & interfecit eum. O Deus cur hominem tam pium, & innocentem permittis occidi? ſed omnia hæc contigerunt in figura: Abel figuravit Chriſtum & in munere, & in morte: Chriſtus enim ductus eſt extra portam, & ibi occiſus à ſuis fratribus Iudæis, & hæc eſt ratio, quare in Canone miſſæ fit ſpecialis mentio de Abel. *op. expoſ. miſſæ c. 4. & In Luc. c. 23. v. 33. & c. 24. v. 27.*

906. *Sine fructu auditur verbum Dei, ſi ad cor non penetrat, ſed inter ſpinas colligitur.*

Conſurrexit Cain, & interfecit Abel. Verè mirum eſt videre pertinaciam Cain, qui licèt à Deo admonitus, & correptus, tamen auſus eſt perficere ſuam excogitatam malitiam: imò id non eſt mirum: nam exhortatio exterior ſine interiori parum eſt efficax. *op. Bibl. paup. c. 27.* Verbum enim Dei debet non ſolùm exteriùs audiri, ſed non colligi, vel inter petras, vel ſpinas, ſcilicet inter mundanas ſollicitudines, vel in corde duro, ſed in docili, & benigno. *In Luc. c. 8. v. 5. 6. 7. & 8.*

907. *Qui primus in terra juſtus eligitur, in eo totius juſtitia forma figuratur, qua in Chriſto elucet.*

Conſurrexit adverſus fratrem ſuum, & interfecit eum. Certum eſt Abel fuiſſe primum juſtum poſt peccatum Adæ: ſed cur permiſit Deus eum interfici? Cur non tranſtulit eum ſine morte, ſicut Enoch? ſed nota, quod cùm Abel fuerit primus, & perfectiſſimus juſtus, etiam tota, & perfecta juſtitia debuit in eo elucere; ob idq; omnes ſtatus Eccleſiæ in ſe continuit, Virginum, martyrum, & Paſtorum, ſeu ſacerdotum. *Pſal. 61. In Luc. c. 11. v. 51.* Si autem longiori tempore manſiſſet, abſq; dubio conjugium duxiſſet; ideò Deus permiſit, ut ante conjugium Martyr.

Martyr,& Virgo occumberet: sic perfectè Christum figuravit, quia ob id dicitur occisus ab origine mūdi.

908. *Qui alium occidit, prius se ipsum interimit.*

Consurrexit, &c. & interfecit eum. Cain commisit primum homicidium in mundo, sed na credas fuisse unicom; duplex enim fuit, scilicet, quia occidit se ipsum prius spiritualiter, & fratrem corporaliter. *In sap. c.10.*

909 *Charitatis fraternæ peccatū gravissimū.*

Consurrexit in fratrem suum, & interfecit eum. Primum peccatum post lapsum Adæ fuit hoc peccatum Cain, & fuit omnium gravissimum, quia primus directè offendit fraternitatis societatem; quod ideò fuit origo ruinæ posteritatis Cain. *sap. c.10. Sic & D. Theodor in Gen.*

910. *Invidia origo omnium malorum.*

Consurrexit in fratrem suum, &c. Sed cur ô Cain interficis fratrem tuum? nonne latitudo terræ utrumq; potest continere? si eum invitum habes, dic, ut à te discedat, procul dubio dicto tuo obediet: nihil tale voluit, sed eum interfecit, & quare? ob invidiam: hæc est fera pessima, quæ omni bellua crodelior est, quæ justum Abel occidit, sanctum Iosepb onustum multis doloribus vendidit, filium Dei in Crucem absorbuit, & totum genus humanum spiritualiter interfecit, quia invidia Diaboli mors intravit in mundum: ô secretum vitus, & pestis occulta; ô livoris patans, & criminis fomes; & virtutum erugo, & tinea sanctitatis, quæ non cessas continuè dāna spiritualia filijs Adam concitare, Inimicitias, & homicidia provocare, unde cruore occisorum reficiaris: Tollita charissimi, tollite istam feram pessimam de medio vestri, quia statim cessabunt omnia mala, & coosurgent omnia bona. *serm.4. Dom.3. post pentec. & Diac sal. tit.1. c.4.*

911. *Invidus ita ambitiosus est, ut se solum in media velit esse.*

Consurrexit in fratrem, & occidit eum. Iam dictum est, ob invidiam Cain fratrem occidisse: sed quid intendit Cain tollendo de mundo fratrem? nihil aliud, nisi tollere de mundo, si potuisset omnem homioem; ut solus, si posset in mundo maneret: hæc enim invidet bonis, simplicem pati non potest, modestum persequitur, probum non diligit, rea innocentis sanguinis invenitur, contra quam innocentis sanguis exist t: hæc ad omnia mala, & contra omnes est. *In Luc. c.21. v.17. & serm.4. Dom. 3. post Pentec. & serm.1. Dom.20. post Pentec.*

912. *Invidia morbus insanabilis nullum habens terminum in malo.*

Consurrexit Cain, &c. ô impie, nonne tibi consularat Deus, ut ab hoc peccato abstineres? nonne Deus veluti medicus apposuit tibi medicamenta tuo vulneri necessaria? quomodò non recuperasti salutem? non est mirum: nam invidia est morbus insanabilis: cætera vitia habent terminum in sui consummatione: sed invidia, nequaquam. Infirmitas est, quæ omne bonom, & totum hominem consumit, quam sequitur pessima mors. *serm.1. Dom.20. post Pentec.* Idem & D. Ciprianus. *M. serm. de zelo, & livore.*

913. *Ex invidia orta est discordia: Cain primus hæreticus: Abel primus martyr, quia occisus est propter veritatem.*

Consurrexit Cain in fratrem suum. Nota hoc verbum: *consurrexit* id est simul surrexit: quod potest intelligi, id factum esse prius verbis, postea factis: & hinc in paraphrasi caldaica Ionathæ, & Hierosolymitana notatur, Cain incæpisse prius in verba blasphemiæ, & hæresis, negando Deum Iudicem, Provisorem, aliud sæculum, vel vitam, vel præmium, vel pœnam, &c. istisq; blasphemijs se opposuisse Abel, & cum effusione sanguinis ipsum interemisse: ex quo patet iterum, quale malum sit invidia: & qualiter ex ipsa primò ruptum est fœdus fraternitatis, & concordiæ. *Bibl. paup. c.50. &c.*

914. *Quando affectio terrenorum prædominatur in Anima, dissipat devotionem cordis.*

Cain interfecit Abel, &c. Cur voluit Deus, ut interficiens vocaretur Cain, & interfectus, Abel non absq; mysterio, qui interfecit Abel fratrem vocatus est Cain: Cain interpretatur possessio, scilicet terrenorum: Abel interpretatur luctus: primus significat homioam avarum, tenacem, inhiantem terrenis: secundus significat pœnitentiam, cordis compunctionem, & lachrymarum effusionem, & per hoc datur intelligi, quod nihil interficit magis magisq; dissipat lachrymarum irriguum, & devotioneio cordis, quam terrenorum possessio, videmus enim, quod terra turbidam reddit aquam, eamq; in sa radigit: sic & terrena affectio dissipat lachrymas devotionis, & compunctionis. *op. Diac. sal. tit.74. c.3.* Cave ergo ô homo, ne Cain surgat in te, in Animam tuam, & tibi abripiat salutem, & vitam.

915. *Persecutor fratrum est alter Cain.*

Cain consurrexit adversus fratrem suum, & interfecit eum. Cur sacra scriptura voluit hanc historiam texera, & mundo exponera, cum tot alia delicta sub silentio abscondantur? hoc ad instructionem nostram: primò ut pateret, unde omnium est primum dissidium, & ruptum sit fœdus societatis fraternæ, nempe ex invidia: & deinde, ut pateret quale peccatum sit, & quàm Deo abominabile, & à Deo punitum peccatum persecutionis fraternæ; nam tales sunt veluti homicidæ, & auxiliarij Diaboli: quod enim per se non potest Diabolus, ipsi faciunt invidendo, & accendendo discordiam inter fratres. *serm.4. Dom.2. post oct. Epiph.*

916. *Obstinatio peccatum in Spiritum Sanctum gravissimum.*

Cain consurrexit, &c. Vide quomodò Cain post increpationem à Deo factam pejor fuit, & interfecit fratrem: ex quo patet quale malum sit obstinatio, quæ est peccatum in Spiritum Sanctum; quæ approbat præteritam culpam, & futuram vult ex malitia mera. *op. Bibl. paup. c.107. & l.2. d.43. a.2. q.2. ad 3. & 6.* & hæc obstinatio est character bestiæ, à Diabolo impressus, de quo io Apocalip. *l.4. d.6. p.1. a.1. quæst.5. ad primum.*

917. *Obstinatio omnia bona in malum convertunt.*

Cain consurrexit in fratrem, &c. Quomodò tam

enorme ſcelus commiſit poſt increpationem illi factam? quia hoc eſt proprium obſtinatorum in malo: fiunt enim peiores, & omnia in malum convertunt.*op.Bibl.paup.c.*107.

918. *Iudex in ſuo foro debet procedere ſecundùm acta, & probata.*

Vbi eſt Abel frater tuus: quid feciſti? vox ſanguinis, &c. Sed cur uſus eſt Deus hac multiplicatione verborum, & interrogationum? ſi enim omnia ſibi erant notiſſima, cur tali pacto ad modum ignorantis proceſſit Deus? ut doceat methodum Iudices: alio enim modo proceditur in judicio pœnitentiali in foro interno, alio in externo: nam in primo, ut abſolutio habeatur, requiritur accuſatio ſui ante omnia: in externo ſufficit, ſi eſt reus plenè convictus, ſcilicet de delicto ita publico, quod nulla tergiverſatione poſſit cælari: ad rectum autem judicium debet Iudex inveſtigare, exceſſus audire, teſtes recipere, peccantem citare, crimina reo obijcere, negantem convincere, convictum, vel confeſſum punire, cōtumacem amplius, ut magis ſervetur arctare, & eogere ad ſatisfactionem etiam invitum.*op.libellus apolog.q.*2.*l.*4.*d.*17.*p.*3.*a.*2.*q.* 2.*ad* 5.

919. *Deus ad pœnitentiam nos vocat, & hoc eſt gratius Sacrificium.*

Vbi eſt Abel frater tuus? Nota, quod ſuprà dictum eſt, Deum interrogaſſe Adam ubi eſſet, non ignorans locum, ſed quaſi ad pœnitentiam provocans, ut dicit D. Ambroſ. ſic & nunc interrogat Deus Cain: ubi eſt Abel frater tuus? non de loco quærens, ſed ipſum ad pœnitentiam provocans: Sic D. Ambroſ. *lib.de Cain.cap.* 9. Deus enim tanquam medicus exhibet pro medicina vulnerum Animæ pœnitentiam: hanc quærit, hanc exoptat à peccatore. *ferm.* 3. *Dom.* 3. *poſt Pentec.& ſerm.*3. *Dom.* 14. *poſt Pentec.* Unde hic nota, quod non legitur, Deum alloquutum eſſe cum Cain antequam Sacrificium offerret, vel in actu oblationis, ſed tantùm poſt commiſſum peccatum, ut pateat, quod Deus avidius optat noſtram ſalutem, & pœnitentiam, quàm aliquod aliud Sacrificium. *ſerm.* 1. *Dom.*1. *poſt oct.Pentec.*

920. *In Anima peccatoris vitiorum caterva.*

Vbi eſt Abel frater tuus: qui reſpondit, neſcio. Quomodò tam impudenter mentiris ò perfide ipſi Deo omnia perfectè cognoſcenti? ſed id mirum non eſt, quia peccatum ex peccato oritur, ait Chriſoſtomus, & ſupra dictum eſt: Vide ergo ex hoc qualem connexionem habeant vitia inter ſe, nam ex ſuperbia orta eſt avaritia, & hinc Invidia, deinde ira, & poſtea homicidium, aliaq; vitia peſſima, & tandem mendacium impudentiſſimum in facie Dei viventis, quod propriè oritur ex avaritia.*op.Centil. p.*1.*ſect.* 15.*&* 22.

921. *Indignè communicantibus dicitur: Vbi eſt Abel ſcilicet Chriſtus? ſunt pejores D.abolo.*

Vbi eſt Abel frater tuus? Certum eſt per hoc verbum, Deum velle objicere Cain ſuum delictum: ſed attende, quod etiam indignè ſuſcipienti corpus Chriſti in Eucharistia poteſt, dici: ubi eſt frater tuus ſcilicet Chriſtus, quem ſcilicet occidiſti, & de quo reus es? ſic Steph. Cartuſ. in *Allegorijs Tilmani.* Malè autem, & indignè ſuſcipientibus hoc Sacramentum poteſt dici: Vbi eſt Chriſtus frater tuus, ſcilicet quem recepiſti, non ut Diabolus, qui Chriſtum accepit in ſanctam civitatem, & Templum, & montem, ſed Diabolo pejor in Babilonem, in lutum, & in ſentinam. *ſerm.* 5. *Dom.*1. *quadrag.*

922. *Confeſſio eſt Cain reticentium peccata in Confeſſione.*

Qui reſpondit, neſcio. Ergo mendacium potentiſſimum dixit; in quo exprimitur malitia eorum, qui in confeſſione peccatorum, vel negant, vel attennant, vel exeuſant peccata ſua, ſicut Cain negavit in facie Domini homicidium: Iſti non benedictionem abſolutionis, ſed maledictionem Dei contrahunt.*ſerm.*1.*in rogat.& Pſal.*50.

923. *Correctio, & cuſtodia fratris eſt de præcepto.*

Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Vide impudentiam Cain; nam cum in interrogatione facta à Deo involuatur tacita obligatio ſua quoad cuſtodiam habendam de fratre, & proximo, reſpondit: nunquid ſum cuſtos fratris mei? hæc igitur eſt vox contemnentium correctionem fraternam, & etiam Prælatorum negligentium curam, & ſalutem ſuorum ſubditorum. *In Luc.c.*17.*v.*3. Hinc mirum non eſt, ſi iſti à Deo ſeverè puniantur.

924. *Charitas fraterna obligat omnes.*

Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Certum eſt ipſum Cain non fuiſſe cuſtodem ſui fratris: ideò non videtur erraſſe in hac reſponſione: Imò juſtè eſt à Deo reprehenſus, & punitus, non tantum ob fratricidium, ſed ob defectum dilectionis fraternæ: hæc enim obligat unumquemq; *op.Bibl.paup.c.*41.

925. *Vox ſanguinis occiſi hominis clamat vindictam, & mortem contra occiſorem.*

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nota, hanc eſſe metaphoram, & figurativam locutionem; unde ex manifeſtatione, & gravitate delicti, videtur ſanguis effuſus clamare: ſed quid clamabat? clamabat, & invocabat vindictam contra fratricidam: ex hoc patet quàm grave, abominabile, & noxium ſit homicidium. *ſerm.*1.*Dom.*15. *poſt Pentec.*

926. *Vox ſanguinis occiſi ſpiritualiter clamat contra ſcandaloſum.*

Vox ſanguinis fratris tui, &c. Si ſanguis erat exanimis quomodò clamare dicitur? Adverte, hanc vocem eſſe metaphoricam ad expreſſionem gravitatis homicidij, ſed tamen, quia duplex eſt homicidium, ſcilicet corporale, & ſpirituale, quando ſcilicet, qui occidit per ſcandali occaſionem Animam fratris ſpiritualiter, ideò tunc etiam ſanguis eius clamare vindictam dicitur. *op. Diat.ſal.tit.*3.*c.* 4.*& op.Comp.Theol.l.*5.*c.*64.

927. *Peccatum perſecutoris fratris ſui clamat vindictam.*

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Si homicidium clamare facit ſanguinem ad Deum, cum ergo qui odit fratrem ſuum ſit homicida, teſte Divo Ioanne. 1.*c.*3. ſequitur, quod Cain poteſt dici

dici quicumque persequitur, vel odio habet fratrem suum, vel invidet, vel rumpit fœdus fraternitatis, contra quem clamat vindictam sanguis, qui effunditur vel verè, vel animo. *serm.4.Dom.2. post oct.Epiph. & In Luc.c.21.v.17.* quarè charissimi, si odeitis proximum Christi membrum, eritis veluti homicidæ, & sanguis ejus erit super vos, clamans ad Deum pro sui viodicta. *serm. 2. Dom. 21. post Pentec.*

928. *Tribulationes inflictæ innocentibus clamant vindictam ad Deum.*

Vox sanguinis fratris tui, &c. Quomodò dicitur sanguis clamare viodictam, si Deus præcipit dilectionem inimicorum? Sed attende, quod justi, qui persecutionem patiuntur, vel tribulaotur ab impiis ore, & corde quidem tacent dimittendo ea corde inimicis, imò clamaodo, & orando pro ipsis, sed tamen sanguis, scilicet ipsæ tribulationes ad Deum invocant vindictam. *In Luc.c.18.v.7.*

929. *Sanguis Christi clamat misericordiam in hoc mundo, & in iudicio clamabit vindictam in reprobos.*

Vox sãguinis fratris tui Abel clamat ad me. Si Abel fuit figura Christi, ergo sanguis Christi clamabit vindictam io peccatorea? sed quomodò id subsistere potest? oonne effusus est pro reconciliatione hominum cum Deo? Sed attende Divum Paulum hoc dubium solventem *ad Hebræos c.2.* ubi dicit, quod *sanguis Christi melius clamat, quàm sanguis Abel*; Quomodò meliùs clamat? clamat meliùs quia effusus est pro peccato Caio, & omnium hominum: clamat igitur veniam, pacem, & misericordiam: sanguia autem Abel clamat vindictam. *In Luc.c.22.v.44. & Diat. sal.tit.10. c.3.* Sed oota, quod hic sanguis Christi clamat quidem in mundo misericordiam pro peccatoribos, sed in Iudicio clamabit vindictam in reprobos. *sermon.1. Domin. passionis.*

930. *Confessio peccatorum clamat ad Deum veniam.*

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nota, quod hæc verba adnotaotur hic ad nostrum profectum; unde possunt mysticè exponi in bonum ad laudem Coofessionis: quia sanguis Animæ est erubescentia cum dolore de peccatis: hinc postquam frater scilicet corpus Animam occidit in transgressione, tunc, si accedit cum rubore, & dolore ad confitendum peccatum, dicitur ille sanguis clamare veoiam, & misericordiam. *serm.3. in die Cinerum.*

931. *Peccata clamant ad Deum vindictam.*

Vox sanguinis fratris tui clamat, &c. Hoc est non latet, sed clamat fratricidiom: sed qoid indicat; nostra peccata clamare ad Deum: Nota, Deum esse benignissimum, & summè propensum ad misericordiam, sed tamen nostra peccata videntur ipsum veluti excitare, clamando ad Deum, quando tantum peccamus, quod Deus non vult amplius sustinere. *Psal.140.* Enormitas sceleris clamat pro vindicta ad aures Dei. *op. Bibl. paup.c.105.* D. Ambrosius *l.1. de Abraham cap.5. Velut excitatur Deus flagitiorum nostrorum clamoribus, ut aliquando vindicet, qui libenter ignoscit.* Sic & Paschasius.

932. *Homicidium gravius peccato Adæ.*

Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os, &c. Nota, Deus ob peccatum Adæ maledixit terram: nunc Cain ipse maledicitur: Cur hoc discrimen? quia homicidium est omnium peccatorum gravissimum, ideò maledixit homicidam, ut homo mirabiliter abhorreret homicidium. *op. Bibl.paup.c.85. & op. specul. B.Virg. lect.15.* Patet igitur, quod maledictio divina ferit omnes homicidas; & è contra, benedictio Dei impinguat habentes charitatem. *Ibidem.*

933. *Maledictionis suæ unusquisque sibi author.*

Nunc igitur maledictus eris super terram, &c. Cur non dicit ego te maledico, vel eris maledictus à Deo, sicut cum benedixit. *Venite benedicti Patris mei*, scilicet à Patre meo? Id est, quia Deus non author mortis, & maledictionis, sed unusquisque sibi per culpam infligit malum. *In sap.c.1.* Item & Origenes *hom.9.in Matth.*

934. *Maledictio culpæ, pœnæ, & infamia comitatur peccatum homicidij.*

Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit, &c. cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus, vagus, & profugus, &c. Sed quid est maledictio hæc, quæ contra Cain fulminata est? Nota, quod maledicere, est alicui plagas, vel pœnas verbo optativo imprecari, ob aliquod flagitium, nempe, vel per imprecationem, vel per opprobrium, & infamiam. *op.declarat.termin.Theol.& in Psalm. 39.* hæc omnia mala contraxit Cain ob fratricidium, ut videas, quàm grave sit hoc peccatum. *op. Bibl.paup.c.6.& 85.*

935. *Terra & elementa per peccatum Adæ, & Cain maledicta, & per sanguinem Christi expurgata est.*

Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ao terra habet os? unde ergo desumpta est hæc metaphora? sumpta est ab arida sitientique terra, quæ in multas fissuras aperitur, veluti in multas fauces, ut quasi multiplicato ore aquam, & remedium à Cælo postulat: sed loco remedij, ecce sanguis impiè effusus ad ista ora descendit, ob idque maledicta à Deo: sed quodnam remedium ad tantum malum? Per Abel figuratur Christus oblatus in Cruce, ut supra dictum est: sed quarè in Cruce effudit sanguinem, & voluit mori veluti medius inter Cælum, & Terram? non sub tecto, sed sub Cælo Christus immolabatur; ut universus Aër in excelso immolatæ ovis odore attracto mundetur: sed terra simile beneficium sentiebat, decursi de latere sanguinis stillatione mundata: quære ergo misericordiam Dei, non in Inferno, sed dum vivis in mondo: ibi enim aquam negat; hic sanguinem dat, fluviosque sanguinis ministrat. *serm.1. Dom. passion.* Ergo per sanguinem Christi expurgata sunt elementa ab infectione contracta per primorum hominum peccata.

936. *Adversitates temporales pœna peccati.*

Cum operatus fueris terram, &c. Vide suprà ad

caput tertium. *verſ.* 17. & *ſequent.*

937. *Homicidarum pœna triplex.*

Vagus & profugus eris ſuper terram. Septuaginta legunt; *gemens, & tremens eris, &c.* Alij legunt ex Hebræo, & Caldæo: *Inſtabilis, mobilis, tranſmigrans, natans, &c.* Sed cur aſſignavit Deus has pœnas Cain? nouoe, & Adæ peccatum id merebatur? Nota, quod Cain fuit homicida, pœna verò homicidarum eſt exilium, patibulum, & irregularitas: hæc omnia paſſus eſt Cain, & temporaliter, & ſpiritualiter, ſcilicet exul in mundo, ſuſpenſus in patibulo, cruciatus continuè in conſcientia, ſeparatus ab amicis Dei, quæ omnia modo, intenſius in Inferno patitur. *Diat. ſal. titul.* 3. *cap.*4.

938. *Timenti Deum omnia ſunt ſubiecta: Deum non timens timet etiam ubi non eſt timendum.*

Eris vagus & profugus, &c. eris tremens. Cur tremor inflictus eſt ei à Deo? Cain poſt peccatum fuit toto tempore vitæ tremulus in capite, imò,ut dicunt Doctores in toto corpore, ut ſignificaretur, quod qui timet Deum, nihil trepidat, qui Deum offendit, & proximum, timet de omnibus creaturis: unde dicebat: *omnis, qui me invenerit, occidet me, &c. Diat.ſal.tit.*6.*c.*1.

939. *Per quæ quis peccat,per hæc & punitur.*

Addit hic Procopius; quod tremulas habebat manus,& brachia, quia fuerunt inſtrumentum homicidij: per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur.*V. cap.* 3. *n.*191.

940. *Deſperatio eſt ex multitudine peccatorum.*

Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Vide quibus gradibus in ſchola peccatorum præcipitavit in profundum: primò enim in corde fuit impietas avaritiæ, hinc invidiæ, deinde iræ, & odij, homicidij, mendacij, & obſtinationis, & tandem in deſperationem cecidit, quæ eſt omnium peccatorum maximum. *Pſal.*65. *In ſap. c.*1. *in fine, & in Luc.c.*7.*v.*23.

941. *Deſperatio maximum malum in Spiritum Sanctum.*

Maior eſt iniquitas mea, &c. Quæritur quiſnam ſenſus ſit hujus dicti? Nonne Deum Cain cognoſcebat lumine fidei infuſæ omnipotentem, & miſericordiam infinitam habentem ſuperexcedentem omne peccatum? Sed nota, quod non dixit:major iniquitas mea, quàm Dei miſericordia, ſed quàm venia, ad quam poſſum pervenire: unde licèt Deum cognoverit infinitè miſericordē in communi, in particulari tamen credidit, ſe non poſſe recipere veniam, ob gravitatem peccati ſuperaotem divinam voluntatem ad parcendum paratam, & aoferentem ſpem in Dei miſericordiam, & hoc peccatum ſuper omnia eſt graviſſimum in Spiritum Sanctum. *l.*2.*d.*4.*dub.*3.

942. *Ex maledictione oritur deſperatio.*

Maior eſt iniquitas mea, &c. Sed unde orta hæc deſperatio?ex maledictione, quam ei inflixit Deus: quia enim cognoſcit per hanc maledictionem ablatum ei fuiſſe veluti ſemen, vel fundamentum in Deum tendendi, hinc incidit in deſperationem, quæ licèt non ſit oppoſita fidei, nec tollat fidem, plus tameo fidem offendit, quàm quodcumque aliud peccatum, ut dictum eſt*l.*2.*d.*4 *dub.*3.

943. *Deſperati nec volunt Deum expectare per ſpem, nec à Deo expectantur: qualis enim fueris cum Deo talis erit tibi Deus.*

Maior eſt iniquitas mea, &c. hæc eſt vox deſperantium,qui nec expectant Dei miſericordiam,nec à Deo expectantur.*In Pſal.*65.

944. *Confeſſio ſine fide, & ſpe Deo inviſa.*

Maior eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear. Mirum eſt quomodò Cain à Deo condemnatus fuerit: Nonne hic ſuam confeſſionem peccatorum expreſſit? Noone gravitatem ſuæ culpæ confeſſus eſt? Cur Deus illi indulgentiam non impertivit? Et ſi erravit in tali confeſſione, potius videtur erraſſe ex ignorantia, quàm ex malitia?ſcilicet ignorando, quod miſericordia Dei ſuperexcedit ſuam culpam? Sed advette, quod aliquando deſperatio venit ex puſillanimitate abſque complacentia deſperationis, hæcque eſt potius ex ignorantia, vel infirmitate: Alia eſt deſperatio; qua quis de ſe abſcondit ſe à facie Domini:credens ſuam culpam ſuperiorem eſſe divina miſericordia, volens vitam ſuam ex malitia ſic finire, & non reſipiſcere: & hæc fuit deſperatio Cain, & peccatum in Spiritum Sanctum; & tales deſperatiſſimi frequentiſſimè ſibi ipſis inferuot mortem.Hinc elicitur,quod confeſſio facta ſine fide, vel cum læſione fidei,vel ſpei, oon admittitur à Deo: *l.*2.*d.*43.*q.*2.*ad prim.* & *Pſal.*142.

945. *Deus neminem deſerit, niſi ipſe prius deſeratur: eſt enim ſemper promptus dare gratiam.*

Ecce me eiicis hodie à facie tua; & à facie tua abſcondar, &c. Sed quia te ejicit perfidè à facie, & præſentia Dei? Deus ſolùm tibi intimavit exilium, & alias pœnas temporales, non verò obſecravit portas ſuæ miſericordiæ, ſi volueris pœnitere? Sed oota, quod ſubdit; & *abſcondar à facie tua*: ergo peccator ipſe eſt, qui prius Deum deſerit, & ſe elongat à Deo: Deus enim neminem deſerit, niſi ipſe prius deſeratur. Vnde hoc maximè proprium eſt deſperatorum qui per diffidentiam ſe abſconduot à miſericordia. *lib.*2. *d.*43.*q.*2. *ad prim.*

946. *Peccator elongat ſe à Deo.*

Ecce eiicis me à facie terræ, & à facie tua abſcondar. In quonam conſiſtit hæc ejectio? Nec exprimitur in Sacro Textu? Sed nota ſequentia: *à facie tua abſcondar*, ſeu, ut alij legunt, *me elongabo à te, in regionem longinquam ibo.* Sed ò Cain, ubi te confers? ad quem locum, in quo Deus oon ſit præſens? Vide malignitatem peccati, & perfidiam peccatoris, qui dum Deum offendit, ſecedit in regionem longinquam cum filio prodigo, quæ eſt peccatum, elongando ſe à Deo, non quantum ad ſitum localem, ſed quantum ad voluntatis diſſimilitudinem; & cum peccatum ſit iniquitas, ſe elongat

elongat peccator à summa bonitate: cum sit tenebra, se elongat à summa luce, & veritate: cum sit nihil, elongat se à summa æternitate: & propterea meritò peccator, qui ità se elongat à Deo, longè etiam projicitur à cælesti regione in terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. *In Luc. cap. 15. v. 13.*

947. *In peccato persistere periculosum.*

Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar. Quid est à facie tua abscondar? per hoc patet, quod voluit in peccato permanere, & latere in malo. Tu, si tibi contingat à Deo recedere, noli persistere in malo: est enim res valde periculosa. *In Eccl. c. 8.*

948. *Invidus ejicitur à Deo.*

Ecce eiicis me à facie terræ. Sed quodnam fuit peccatum, ob quod talis ejectio est facta? originaliter fuit peccatum invidiæ, ex quo tot alia mala secuta sunt. *serm. 4. Dom. 2. post oct. Epiph.* Invidus igitur inter alios peccatores ejicitur à Dei misericordia.

949. *Impium est Deo servire ob favorem temporalem.*

Ecce eiicis me à facie terræ, & ego à facie tua abscondar. Quarè vis te abscondere à Deo? quia ipsum Deus ejicit à facie terræ: quid est à facie terræ ejici? respondet Philo Hebræus scilicet privari bonis terræ: Vide igitur stultitiam mundanorum, qui ob temporalia, cælestia volunt amittere. *fer. 1. Domin. 2. post Pentecost.* Ex hoc etiam condemnatur amor mercenarius, qui principaliter aspicit ad mercedem temporalem, & propter ipsam ad Deum consequenter: itaque à Deo est invisus: hoc enim est Deo velle servire, & mammonæ, duobusque Dominis. *l. 3. d. 27. q. 2. & lib. 2. d. 38. a. 1. q. 3.*

950. *Peccator formidolosus, Iustus animosus.*

Omnis, qui me invenerit occidet me. Sed quis est, quem times, te occisurum, si non reperitur in mundo alius homo, nisi pater, & mater tua? sed non est mirum, quia qui non timet Deum, timet omnia, & ad omnia pavet: qui verè timet Deum, de nullo alio timere potest. *op. Diat. sal. tit. 6. c. 1.*

951. *Invidus sumit occasionem mortis ex bono, & malo.*

Omnis, qui me invenerit, occidet me. Quomodò occidet te? credis ne, quod omnes homines sint ita malè affecti in proximum, sicut tu? ô quàm bene dixit, *occidet*, scilicet tanquam invidum: hæc est proprietas invidi: quod omnis homo ipsum interficiet. Si enim invidus videt bonum in homine, tunc dolet veloci ad mortem: si malum sic gaudet, sic in hominem peccat, & moritur per peccatum. O pestis virulenta, infirmitas læthalis. *Diat. sal. tit. 1. c. 4. & fer. 1. Dom. 20. post Pentec.*

952. *Peccator existens in peccato semper pavidus.*

Omnis, qui me invenerit, occidet me. A quo times occidi? forsan à Patre, vel matre? Sed mirum non est: hoc enim est proprium peccati secum portare pœnam: unde timorem incutit in peccantem, etiam ubi non est timendum, & quia mala conscientia est venenata, semper machinatur mala, asperaque sibi eventura: hic timor est pessimus inducens non in spem divinæ misericordiæ, sed in desperationem. *Sap. c. 17.*

953. *Contemnens superiorem contemnetur ab inferiore.*

Omnis, qui me, &c. Sed quo fundamento times ô Cain, quo occidendus sis ab omni, qui te invenerit, si nullus alius homo est in mundo, præter patrem, & matrem? forsan id metuis eventurum manibus patris? minimè: omnis, scilicet vivens, vel omnis creatura, & meritò: qui enim rebellis est suo superiori, invenit rebellem inferiorem, & qui contemnit superiorem potestatem; contemnetur ab inferioribus. *serm. 2. de decem præceptis.* Advertant hoc diligenter Prælati subordinati aliis majoribus.

954. *Occidere publica authoritate licet: non verò privata.*

Dixit Dominus, nequaquam, &c. Sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Cur hanc pœnam statuit in defensionem Cain merentis mille mortes? quia non licèt occidere aliquem privata authoritate quantumcumque impium, nisi fiat in defensionem propriam cum moderamine inculpatæ tutelæ. *op. de decem præceptis serm. 6.*

955. *Iudicans alios debet priùs seipsum iudicare.*

Posuitque Dominus signum Cain, ut non interficeretur. Sed cur Deus vetat, ut Cain non interficiatur? Nonne Adam erat Princeps mundi, cur non relinquitur suo juri, ut de hoc delicto inquirat, & puniat? Sed attende, quod unusquisque de alio judicaturus, de seipso priùs judicare debet, nec in alio errata condemnet, cùm ipse graviora commiserit: Si Adam ergo erat injustus, quomodò poterat alium injustum judicare: *op. Phar. l. 1. c. 45.* Sic & D. Ambros. & Augustinus. Caveant, & advertant hoc Iudices, maximéque infecti, & complices in eodem delicto. *fer. 15. Hexaem.*

956. *Iudæi permittuntur ad maiorem ipsorum confusionem.*

Posuitque Dominus signum in Cain; &c. Quod signum fuit istud? Respondent Doctores fuisse vel supradictum tremorem vitæ, & præcipuè capitis, vel quoddam signum in facie impressum, ut cognosceretur: Idque fuit figura Iudæorum, qui interfecerunt Christum, quibus Deus posuit signum; ut non interficerentur; & ut ponerentur in signum peccati crucifixionis Christi; & voluit, ut essent vagi, & profugi super terram. *fer. 14. & 16. Hexaem.* Hinc potest inferri ratio, quarè ex sacris Canonibus præciperetur, ut Iudæi degentes in Terris Christianorum portent signum externum suæ ipsorum perfidiæ. Item & quarè dispersi sunt per totum mundum, ut scilicet per eos, licèt inimicos, exitet sonus adventus, & mortis Christi.

957. Signum

957. *Signum iniquorum, quo diſcernuntur eſt character beſtiæ, ſcilicet avaritiæ, & cupiditatis: ſignum juſtorum eſt humilitatis, & paupertatis.*

Poſuit Dominus Cain ſignum, &c. Cain ſignificat peccatorem: Abel Chriſtum: quodnam igitur eſt hoc ſignum peccatoris? ſignum eſt Cain, ſcilicet avaritiæ, & cupiditatis, contra quod Chriſtus appoſuit ſignum paupertatis, & humilitatis: Væ igitur habentibus ſignum Cain, & abeuntibus in via ejus. *fer. 3. in Pentec.* felices è contra, qui ſeipſos muniunt ſignis Chriſti pro Chriſto.

958 *Signa multa imprimit Diabolus in ſuis, ſcilicet Leonis, Lupi, Aſini, &c. ſigna, Chriſti ſunt illis oppoſita.*

Poſuit Dominus ſignum Cain, &c. Sed quodnam ſignum eſt hoc impreſſum in peccatoribus? Sed nota, quod aliter ſignantur juſti, aliter iniqui: primi ſignantur, ſcilicet ſigno Chriſti, quod eſt bona vita, vel virtus nominis Ieſu eis communicata: Iniqui ſignantur à Diabolo charactere beſtiæ; qui eſt multiplex, quia in aliquibus ſculpſit figuram Leonis, in aliis Draconis; vel Canis, vel Lupi, vel Aſini, vel Talpæ, vel Vrſi, &c. dicunturque à Deo ſignari, ſcilicet permiſſivè. *op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 15. & ſerm. 6. Dom. inf. oct. Epiph. & in ſap. cap. 11. v. 18. & ſerm. 1. Dom Trinit. & l. 2. d. 8. p. 2. q. 6. ad 2. & l. 4. d. 6. p. 1. a. 1. q. 5. ad primum. & ſerm. prim. de dedicat. Eccleſ.*

959. *Terreni homines fundamentum in Terra ponunt, non in Cœlis.*

Cognovit Cain uxorem, quæ concepit, & peperit Enoch, & ædificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filij ſui Enoch. Dicunt hic Doctores, quod Cain accepit uxorem ſuam ſororem majorem: Tunc enim non erat hoc prohibitum: ſed cur ædificavit Civitatem pro tribus tantum perſonis, quos perexigua domus capere poterat? Reſpondent Doctores, non ſtatim à nativitate filij ſui Enoch ædificavit Civitatem, ſed in ſenectute, cum quingenteſimum, vel ſexenteſimum annum ageret: tunc enim multiplicati erant homines, ita quod poterant ſufficere, non uni, ſed pluribus civitatibus. Vt autem myſteria hinc eruamus! quæritur cur à Sacra Scriptura poſt filij generationem notatur ædificatio Civitatis, & non potiùs alterius alicujus operationis? & cur non potiùs habitavit in caſulis, ut fecit Abraham? fuiſſent enim magis loca ſimilia apta ad pœnitentiam ſuarum culparum; ſed non eſt mirum, quia proprium eſt avaris ad terrena inhiare, & ſuam habitationem in terra firmare: Iuſti autem non habent hic permanentem civitatem, ſed futuram inquirunt. *op. Bibl. paup. c. 73.*

Ex avaritia prima Civitatis ædificatio.

560. *Avari finem ultimum in terra habent.*

Et ædificavit Civitatem, quam appellavit nomine filij Enoch. Cur nomen Enoch dedit & filio, & Civitati, & non potius aliud nomen? Enoch interpretatur dedicatio, quæ ſignificat lætitiā: ædificavit igitur Civitatem, quam ſuæ cupiditati, & avaritiæ dedicavit: nam avari, in quibus eſt terrenum deſiderium, & concupiſcentia oculorum, ponunt finem lætitiæ, & ſpem dilectionis in rebus terrenis, & divitiis ſuis, in quorum multitudine gloriantur, & requieſcunt quaſi in ultimo fine. *ferm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſch. & op. Bbl. paup. c. 73. & In Luc. c. 3. v. 24.*

961. *Impij dedicant Templum Animæ ſuæ Diabolo: Iuſti Deo.*

Et ædificavit Civitatem, quam appellavit nomine filij ſui Enoch. Enoch interpretatur dedicatio: Cur hoc nomine appellavit Civitatem? ut daretur intelligi cuinam dedicaverat ſuam habitationem, ſcilicet Animam: Iuſti enim ipſam Deo dedicant: Iniqui Terræ, mundo, Carni, Diaboloque. *ſerm. 1. in Dedicat. Eccleſ.*

962. *Patres malè educantes filios: vel eis injuſtam hæreditatem relinquendo, eos immolant Diabolo.*

Et ædificavit Civitatem, quam appellavit nominè filij ſui Enoch. Cur voluit, ut filius, & Civitas appellarentur eodem nomine? Iam dictum eſt, Cain dedicaſſe priùs cor terrenis, & Diabolo: & quia nimis amabat filium ſuper cæteros, ideò ei aſſignavit eandem hæreditatem: ſic faciunt illi patres, qui non Deo, ſed Diabolo immolant filios, eos educando in vitiis, vel injuſtam hæreditatem eis relinquendo. *ſerm. 2. Dom. 5. poſt Pentec. & fer. 2. fer. 2. Pentec.*

963. *Bigamia introducta contra legem naturæ.*

Lamech accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella. Iſte Lamech à Sacra Scripturâ nominatur peſſimus, & ſeptuagies ſepties punitus: Sed cur magis punitus; quàm Adam, quàm Cain? quia primus rupit legem monogamiæ; inſtituit enim matrimonium Deus inter unum virum, & unam mulierem; ut dictum eſt, iſte verò peſſimus primus introduxit Bigamiam; & quia fuit primus tranſgreſſor legis naturæ, & luxurioſiſſimus, ideò tam graviter fuit punitus: fuit enim figura Antichriſti. *l. 4. d. 33. a. 1. q. 2. fundam. 1. & ſerm. 15. Hexaem.* Væ igitur primis peccantibus; & introducentibus malam conſuetudinem:

964. *Per peccatum omnes vires hominis corruptæ.*

Lamech accepit duas uxores, &c. Quia fuit hoc contra legem naturæ, ideò conveniunt Doctores, Lamech fuiſſe adulterum: ex quo patet proceſſus corruptionis peccati Adæ: quia enim per peccatum primorum parentum corruptio contracta eſt in vi rationali, iraſcibili, & concupiſcibili. *l. 2. d. 21. & 22.* hinc patefacta eſt corruptio rationalis in Adā, qui ſubjecit rationalem ſenſualitati, ſcilicet mulieri: Item iraſcibilis in peccato Cain, & concupiſcibilis in Lamech, &c. & quia homines ad luxuriam ſunt proneoſiſſimi, hinc ex hoc peccato orta eſt corruptio generis humani, in hac materia, & inde diluvium. *ſerm. 15. Hexaem.*

965. *Ex bigamia naſcuntur peccatorum occaſiones.*

Genuitque Adam Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis: & nomen fratris ſui Iubal, qui pater fuit canentium cithara, & organo. Ad quid talis impiorum generatio refertur? nonne ſatius fuiſſet ſilentio

lentio eos præterire ? ut daretur intelligi, quod ex bigamia gignitur, scilicet mala progenies: Nam ex exemplo Lamech cæteri inciderunt in tot luxuriæ peccata, & inde venit diluvium. *serm. 15. Hexaem.* Notat ad hanc rem Divus Hier. *in qu. Hebræorum*, quod notanter eum mysterio exprimitur numerus filiorum, qui geniti sunt ex bigamia, Iabel, qui fuit habitantium in tentoriis pater, significatque eos, qui instabiliter omni vento doctrinæ circumferuntur: Item & Iubal pater canentium, significat eos, qui ad voluptatem aurium se dedicant. Item & Tubal Cain author operum æris, quæ ad crudelitatem bellorum inserviunt. Item & soror Noema, quæ interpretatur voluptas, &c.

966. *Ignorantia facti non excusat, quando concurrit crassa negligentia.*

Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, &c. Hic Doctores dicunt, Lamech duos occidisse, scilicet Cain, & suum armigerum: credens enim, Cain (qui in sylvam secesserat) esse feram, emittendo sagittã ipsum occidit: Alij dicunt fuisse unum Cain vocatum virum, & adolescentulum: Sed cur punitus est ob involuntariam occisionem Cain? Respond. non fuisse excusatum à peccato, quia nimis incautè processit, nec ullam diligentiam apposuit, sicut debebat: ex quo patet quod ignorantia facti non semper excusat à peccato, scilicet quando crassa negligentia concurrit. *op. spec. Anima, c. 3. & Psal.* 118. *c. 9. v. 13.*

967. *Senex ætate, aliquando adolescens moribus.*

Occidi virum, &c. & adolescentulum. Secundùm sensum plurium Doctorum unus fuit occisus à Lamech, scilicet Cain: sed quarè appellatur vir, & simul adolescentulus, cum esset senilis ætatis; erat enim ad septimam generationem redactus? Id dicitur, quia ætas senectutis vita immaculata. *In Ioan. collat.* 91. hac igitur carebat Cain, (ut notat Rupert. *l. 4. in Gen. cap.* 4.) hinc adolescentulus nominatur: erat enim senex fatuus, & similis iis, de quibus dicitur in Ezech. quod tenebant dorsum contra Tẽplum: suntque tristes, impatientes, accidiosi, tenaces, avari, &c. *ser. 1. Dom. 24. post Pentec.*

968. *Septem modis offenditur proximus.*

Septuplum dabitur ultio de Cain: de Lamech septuagies septies. Quid est septies dabitur ultio de Cain? Nota hic, futurum poni pro præterito, ut legunt Septuaginta: sed cum mysterio ponitur in tẽpore futuro, ut detur intelligi non solùm in Cain, sed in ejus imitatores cadere hanc ultionem: sic Doctores: sed quid est septies? quia septiformes sunt tribulationes, & mala impij, quibus proximum lædit, scilicet seducendo intellectum, corrumpendo affectum, affligendo corpus, subtrahendo propria, denegando sua, verbo lædendo famam, & exemplo vitiando vitam. *In Luc. c. 17. v. 4.*

969. *Primus introducens peccatum magis punitur.*

De Lamech septuagies septies. Cur hæc multiplicatio ultionis supra punitionẽ Cain? quia Lamech fuit primus introductor bigamiæ, & adulterij, ex cujus exẽplo posteri inciderunt in tot peccata abominabilia, ob quæ venit diluvium. *ser. 15. Hexaem.*

970. *Antichristus occidet Iudaos.*

De Lamech septuagies septies, &c. Nota etiam, hanc fuisse figuram Antichristi, qui occidet eum, in quo positum fuit signum, scilicet populum Hebræorum, & de ipso, quia erit immundissimus, dabitur tanta ultio. *serm. 15. Hexaem.*

971. *Qui occidit, occidetur.*

Cur permisit Deus, ut Cain occideretur? Respondet. quia occidit fratrem suum. *op. Bibl. paup. c. 85. &* 133. omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. *Matth. c. 26.* Daturque intelligi, quod Deus semper sumit vindictam de homicida. *In Luc. c. 11. v. 51. & opusc. de perfect. religiosa, l. 2. c. 46.*

CAPVT V.

972. *Vitæ brevitas nobis tollit occasiones multiplicationis peccatorum.*

Et facti sunt dies Adam nongenti triginta anni, & mortuus est. Cur tandiu vixerunt primi parentes? sicut etiam viventes in illis primis temporibus? Respond. Triplici de causa. Primò quia primi parentes de ligno vitæ comederunt: unde quantò magis elongantur filij ejus, tantò minus vivunt, quia minus participant de virtute talis alimenti. Secundò, quia ante diluvium saniora & virtuosiora erant cibaria. Tertiò quia cognoscebant causas & virtutes rerum, cursus siderum, quæ brevi tempore comprehendi non possunt: Deus enim nobis abbreviavit vitam, ut minus peccemus. *Psal. 89. & In Eccles. c. 7.*

973. *Iustis dilatio gloriæ maxima pœna.*

Quæritur, cur antiqui Patres, etiam sancti magis timerent mortem, quàm fecerint sancti post adventum Christi; & quare eis Deus dederit tam longam vitam, quam nobis negat. Respond. id non esse mirũm, quia sciebant se non posse Cœlum ascendere, nec divina perfrui visione, nisi post adventum Messiæ: hinc tantum timebant mortem, & Deus illis distulit eam. *op. Bibl. paup. cap. 131. & in Eccles. c. 7.*

974. *Tempus huius vitæ quantumvis longum est nihil respectu æternitatis.*

Facti sunt dies Adam nongenti, & triginta anni. Nobis videtur hoc tempus valdè diuturnum, sed in Cœlo est veluti nihil. *opusc. Comp. Theol. lib. 7. cap. 3.* Tum etiam quia vita præsens semper est morti immixta: unde temporalis vita mors est potiùs dicenda, quàm vita. *In Ioan. collat. 75. & serm. 2. Dom. 20. post Pentec.*

975. *Ambulare cum Deo per conformitatem voluntatis quàm Deo charum.*

Ambulavitque Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Hic communiter Patres *ex epist. ad Hebræos cap.* 11. docent fuisse Enoch translatum ad Paradisum terrestrem absque eo quod moreretur, voluntque simul cum Elia ibi per sum-

ſumptionē ligni vitæ conſervati,& conſervatorum uſque ad tempus adverſus Antichriſtum, ut generibus pœnitentiam prædicent, &c. Sed advertendum, quod bis in Sacro Textu dicitur Enoch ambulare cum Deo: Primò, cum vixit: Secundò, cum tranſlatus eſt: quæritur quid ſit cum Deo ambulare: Reſpond. per totum tempus vitæ Enoch ambulaſſe cum Deo, ſcilicet conformem fuiſſe perfectiſſimè cum divina voluntate per operum bonitatem, ideò tulit eum Dominus, & poſuit in Paradiſo. *In Luc. c. 3. in fine, & c. 5. v. 3.*

976. *Deus ex omni ſtatu vocat ad ſe.*

Ambulavitque cum Deo, & tulit eum Dominus. Nota, Enoch, & Eliam fuiſſe tranſlatos in Paradiſum. Primus fuit conjugatus. Secundus Virgo. Cur hos duos ſtatus in Paradiſum erexit Deus? ut appareat, quod omnes Deus æqualiter invitat ad vitam æternam: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. *ſerm. 3. Dom. 23. poſt Pentec.* ſic & Oleaſter *hic.*

977. *Anima ambulans per vias perfectionis transfertur in Paradiſum, ſcilicet in Dei fruitionem.*

Ambulavit cum Deo, &c. Cur bis notatur, hunc juſtum ambulaſſe cum Deo? myſticè datur nobis intelligi, quod qui eſt Enoch (interpretatur enim dedicatio) ſcilicet qui ſeipſum totaliter Deo dedicat, qui in virtutibus, in merito, & in conformitate divinæ voluntatis ambulat, & perficit, tandem transfertur ad templum Dei vivi, ſcilicet per transformationem in Deum per quietis contemplationem. *In Luc. c. 3. in fine, & in c. 5. v. 3.*

978. *Ambulare cum Deo, & transferri ad Deum eſt tendere ad perfectionem.*

Ambulavit cum Deo. Quid eſt ambulare cum Deo? forſan greſſibus corporis? minimè, ſed fide ambulavit cum Deo ait S. Paulus, nempe exercitiis devotionis, & greſſibus, gradibuſque perfectionis, ideò tranſlatus eſt ad Deum. *In Luc. c. 5. v. 4.*

979. *Præſentia Dei mirabiles effectus.*

Ambulavit cum Deo. Vide quid facit exercitium divinæ præſentiæ, transfert enim hominem de terra ad Cœlum, ad Deum, & immortalitatem. Servus Dei numquam deberet nec aliud, nec aliter cogitare, loqui, & operari, quàm ſi Deum facie ad faciem videret: ſic enim movebitur timore, devotione, reverentia, amore, & erubeſcentia peccatorum, ſciens, quod nobiſcum, & in nobis eſt, & omnia intuetur Deus, talique pacto cor ejus abſorbebitur totaliter ab immenſa bonitate divina, & quantò magis illi bonitati divinæ applicabit cor ſuum, tantò melior, & perfectior fiet: & ſi quis in ſummo bono applicare poterit cor, ut penitus omnium oblitus præter Deum toto conatu animi in ipſum tendat, ibique quieſcat, tunc inter conſolationes, & tribulationes, vituperia, & honores, blandimenta, & opprobria, veluti abſorptus dulcedine, & conſummatus in ſtatu inſuperabilis pertranſiet, potiuſque comprehenſor, quàm viator, beatus, non miſer; Angelus, non homo; non peccator, ſed ſanctus fiet veluti tranſlatus in Paradiſum. *op. ſtim. div. amor. l. 2. c. 9. & in Luc. c. 3. in fine.*

980. *Ambulare cum Deo eſt ambulare cum devotione, cautela, & circumſpectione.*

Ambulavit cum Deo, &c. & tulit eum Dominus, Quare tulit eum Dominus, & non alius? quia inter cæteros ipſe ſolus ambulavit cum Deo: quid eſt ambulare cum Deo? ambulare cum Deo eſt ambulare dignè per actus devotionis, & religionis, cautè per diſcretionē, ſcilicet per actus magis proprios habenti ſapientiam divinam, & honeſtè per circunſpectionem per ordinem ad proximum. *Pſal. 118. cap. 3. v. 13.*

981. *Ambulare cum Deo eſt ambulare per viam pœnitentiæ, & puritatis.*

Ambulavit cum Deo, &c. & tulit eum Dominus. Quid eſt ambulare cum Deo, & poſtea à Deo tolli, & ferri in Paradiſum? Nihil aliud eſt, niſi ambulare in via immaculata, de qua dicitur *Pſ. 100. Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat*: ambulat autem in hac via, qui primò ſordes amotis immunditiæ à ſe expellit per pœnitentiam, & cōfeſſionem. Secundò qui veſtes ſordidas projicit per debitam caſtigationem diſcretam laſciviæ carnalis, & tertiò ornat ipſam per floridæ caſtitatis ſupererogationem in pura mentis, & corporis conſervatione. *ſerm. 1. Dom. 1. Adv.* Hoc pacto eſt præparanda à nobis via Domini, &c.

982. *Ambulare cum Deo eſt incedere per viam humilitatis, &c.*

Ambulavit cum Deo, &c. Datur per hoc nobis intelligi, quod qui vult pervenire ad Paradiſum, debet ambulare in via, & vita hac cum Deo: ſed quomodò? Ambulare cum Deo dicitur de eo, qui per humilitatem, & paſſionum tolerantiam incedit. *In Io. c. 7. v. 7.* Via Domini eſt pax, humilitas, patientia, innocentia, & pœnitentia. *In Ioan. collat. 7.*



CAPUT VI.

983. *Nimia libido deſtruit, & corrumpit naturam humanam.*

Cumque cepiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent. Quæritur, quare in multiplicatione hominū ſpecialitèr notatur procreatio mulierum? Nonne etiam in principio procreabantur mulieres? Communiter reſpondent Doctores, hanc multiplicationem maximam maximè factam eſſe in mulieribus: cœperunt enim generari longè plures fœminæ, quàm antea; ratio autem naturalis eſt, quia in natura nō eſt, quod magis attenuet naturam humanam, magiſque acceleret mortem, quàm actus libidinoſi multiplicatio. *l. 2. d. 30. a. 3. q. 1. corp.* multiplicatio autem in natura fit magis in rebus imperfectis, quàm in perfectis, & quia mulieris generatio potiùs quàm viri evenit principaliùs ex debilitate majori viri, quàm fœminæ; hinc etiam cœperunt multiplicari fœminæ. *l. 2. d. 20. a. 1. q. 6. & l. 4. d. 44. dub. 2. & ſer. 1. de pluribus Confeſſoribus.* Ex quibus infertur, quod libido nimia ſuper omnia alia errorem naturæ portat, & diſſolvit virtutem corporum.

984. *Ex multitudine oritur confuſio.*

Cum cæpiſſent homines multiplicari ſuper terram. Nota,

Nota, quod Sacer Textus, volens causas diluvij afferre incipit à multiplicatione hominum: Sed cur ab hac multiplicatione incipit, & non potiùs immediatè à peccatorum enarratione? primò ex multiplicatione impiorum multiplicantur etiam scelera, & ruinæ. *serm.1.Dom prima infra oct.Epiph.* Secundò, quia ubi multitudo, ibi confusio, & defectus virium. *serm.c.de plurib.Confess. & in Sap.in prol.* Hinc etiam oritur, quod nimia multitudo in Religionibus est damnosa: multi etiam non possunt tam facilè flecti, sicut pauci: sicut navis magna difficiliùs gubernatur, quàm parva, & ubi multa capita, ibi multa cerebra, quæ omnia non tam facilè possunt ad unum sensum flecti. *op. de termin.super Regul.S.Franc.q.19.*

985. *A mulieribus pessimum principium ruinæ hominum.*

Cumque cepissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent. Cur ad declarandam impietatem hominum, immoderatamque libidinem, eorumque tandem punitionem à mulierum procreatione ordiur, Cumque filias procreassent, non autem à viris? Sed nota, quod ad duo capita reducitur origo ruinæ hominum, scilicet ad multitudinem, & pro complemento addit procreationem mulierum: & meritò, quia mulier, cum sit mobilior viro, magisque propensa ad malum, ideò etiam, & proximior origo ruinæ humani generis. *l.2. d.16.a.2. q.2. & a.20. q.6. & lib.3. d.12.a.3.q.1. ad arg.* Meritò igitur à mulierum procreatione recognoscitur initium ruinæ totius humani generis; quia nihil fortius muliere ad deliniendum virum, & informandum ejus animum ad quodcumque voluerit, mulier enim est hominis confusio, insatiabilis lætitia, sollicitudo continua, indesinens pugna, quotidianum damnum, castitatis impedimentum, domus tempestatis, adulterij vas fœtidissimum, viri, & cōtinentiæ naufragium, præcipuum prælium: & si est pulchra, & non sobria, & pudica, est præcipitium patens, venenum insipientibus compositum. *opusc.Phar.lib.1.c.8.*

986. *Filij ut plurimum imitantur mores malos parentum.*

Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchra. Quæritur, qui sunt isti filij Dei, & filij, vel filiæ hominum? Aliqui Patres dixerunt intelligi per filios Dei Angelos. Sed tamen communis opinio est, quod per filios Dei intelliguntur filij Seth, & per filias hominum, filias Cain: Sed cur filij Seth dicuntur filij Dei? filiæ Cain, filiæ hominum? quia filij dicuntur alicujus, non tantùm secundùm carnem, sed etiam secundùm imitationem. *In Ioan.cap.8.v.40.* Dicuntur igitur filiæ hominum, scilicet Cain ad differentiam bonorum, quia imitatæ sunt mores Cain: hinc dictum est supra, ex Cain principaliter ortam fuisse corruptionem posterorum. *Sap.c.10.*

987. *Homo magis exaltatus Angelo.*

Videntes filij Dei, &c. Videtur hic propriè fieri sermonem de Angelis: nam homines sunt filij hominum, Angeli verò immediatè à Deo creati; attamen propriè dicitur de hominibus justis, quia, ut observat D.Gregorius nusquam in Scriptura Sacra invenitur hoc nomen filiorum Dei Angelis tributum, sed tantùm ministrorum Dei: ex quo apparet quanta sit dignitas hominis, cui datum est fieri filium Dei, & Deum participatione: & hinc est, quod Angeli, maximè post Incarnationem filij Dei non patiuntur sibi naturam humanam tam à Christo nobilitatam subjici, & ab homine adorari. *l.3.d.9.a.1.q.5.ad 2.*

988. *Gratia Dei facit homines filios Dei.*

Videntes filij Dei filias hominum, &c. Cur filij Seth dicuntur filij Dei? quia prius erant boni: sicut enim ignis separat metalla à terra; & immutat, sic & gratia Spiritus Sancti de terrestribus facit cœlestes. *In Ioan.c.1.v.12.*

989. *Ex consortio mulierum omnia mala.*

Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchra. Post quæ Moyses innumera delicta hominum inducit: & unde tot peccata? ex societate, & conversatione mulierum orta est tanta corruptio hominum etiam justorum, ait D. Eucherius. Vide ergo quàm sit verum, quomodò concupiscentia, quæ ortum habuit à muliere, etiam in muliere fomentum habet: hæc enim illaqueat verbis, & aspectibus, item pulchritudine faciei, item verbis: est enim laqueus venatorum, scilicet Dæmonum. *In Eccles.c.7.*

990. *Mulieris aspectus, & societas est veluti serpentis venenosi.*

Videntes filij Dei filias hominum, &c. Ex solo visu igitur orta est tanta corruptio? meritò igitur hoc notatur, quia nihil est in corpore mulieris, quod intuitu non sagittet cor hominis, ergo qui vult effugere laqueum mortis, fugiet à facie mulieris, quasi à facie colubri; & serpentis, fugiet inquam non solùm tactus impudicos, sed vanos aspectus, vanos auditus, & vanas locutiones. *serm. 2.de inventione sancta Crucis.*

991. *Consortia mulierum, etiam sub specie boni evitanda.*

Videntes filij Dei filias hominum, &c. acceperunt eas sibi in uxores. Sed cur ex hac conjunctione notatur origo corruptionis hominum? nonne matrimonium erat licitum, & sanctum, imò præceptū à Deo? literaliter respondetur fuisse prohibitum filijs Seth, ut contraherent matrimonium cum filiabus Cain: moraliter datur nobis intelligi quod consortia mulierum, etiam sub specie boni, & sanctitatis sunt cum magna cautela observanda: Multi enim sub specie boni scilicet spiritualis dilectionis, spirituales fœminas frequentaverunt, & orationum ipsarum obtentu: ecce in intentione prima magna puritas, charitas, & devotio: postea sequuntur longæ confabulationes, modò de Deo, modò de ipsorum mutuo amore, & fide, & amorosi aspectus, & munuscula pro memorialibus charitatis: ecce quomodò mixta sunt bona cum malis: & hinc tandem sequuntur, falsa bona, sed vera mala. *op. de perfect.religios.l.2.c.5.*

992. *Societas mulierum sanctos, iniquos facit.*

Videntes filij Dei, &c. Quomodò tanto impetū se præcipitaverunt filij Dei, & homines per tot annos Dei perfecti cultores? ex societate mulierum, & filiorum Cain? Unde melius est habere malorum odium, quàm consortium: Verè periculosa est so-

Q 2 cietas

cietas mulierũ ubique,in Cælo,in mundo,in Inferno,In Cœlo nãque ſocij Luciferi cũ eo corruerunt, in mundo ſæpe ſubmergũtur ſpiritualiter ſimul cũ malis:in Inferno, quia hoc cumulat pœnã damnatorum.Ne te igitur ſanum dixeris dolentem latera, hoc eſt malis innitentem,& aſſociatum,*ſer.3.Dom. 3.poſt oct.Epiph. & op. Phar. l.4. c.22.* Societas impiorum eſt currus Diaboli, quæ quaſi quatuor rotis, ſcilicet voluntate,operatione, conſuetudine, & obſtinatione multitudinem populorum trahit ad Infernum.*fer.2.Dom.3.poſt oct.Paſcha.*

993. *Maiorum malum exemplum damna innumera affert Reipublicæ.*

Videntes filij Dei filias hominum, &c. Quomodò in barathrum vitiorum ſe præcipitaverunt filij Dei, & homines tam excellentes viri ?Ex malorum exemplo, ait S.Baſilius,Seleuciæ : Diabolus autem eſt ſerpens, qui ex ore ſuo mittit poſt mulierem, ſcilicet animam juſtam aquam tanquam flumen, & cauda ſua trahit tertiam partem ſtellarum Cæli, *ex Apocalipſi, cap.12.* Os autem diaboli ſunt mali allicientes ad peccatum, qui flumine, multiplicatione iniquitatum cauda trahunt ad interitum imitatores ipſorum. *ſerm.1. fer.4.Pentecoſt. & ſerm.2.de Apoſt.*

994. *Principum, Prælatorum, & Religioſorum vita mala quàm noxia Eccleſiæ.*

Videntes filij Dei filias hominum, &c. Quomodò corrupta eſt tota poſteritas hominum ex deſponſatione filiorum Seth cum filiabus Cain : Textus Caldæus legit : *Cum vidiſſent filij Principum filias hominum :* ergo per filias Dei intelligit ſacer textus Iudices, Principes, & Prælatos. Ex hoc intellige quanta vis ſit exemplum bonum, vel malum Prælatorum, vel etiam Religioſorum : Iſtos autem poſuit Dominus in exemplum, ut ſecundùm ipſorum imitationem mores pravos corrigant, & contemptis terrenis, cæleſtia appetant, & acquirant: Vnde,ſi ſubditis, & poſteris relinquunt exemplum perditionis, & ipſi ignis æterni pœnam ſuſtinebunt : ratio autem eſt, quia Prælatorum vita cordi ſubditorum imprimetur,ſicoti forma ſigilli ceræ,eo quod plùs movent corda ſubditorum operum exẽpla,quàm verba: Verè igitur periculoſa eſt mala vita Prælaturum : Nemo enim in Eccleſia magis nocet,quàm qui perversè agens nomen, vel ordinem dignitatis tenet.*fer.4.Dom.3. poſt oct.Epiph.& ſerm.4.Dom.2.quadrag.& ſerm.4.Dom.4. poſt Pentec. & in Luc. cap.18.verſ.15. & op. de ſex alis Seraph. cap.6.*

995. *Mala cuſtodia oculorum cauſa interitus.*

Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ. Ad quid appoſuit *videntes* ? ut appareat quale periculum, & quot mala trahunt originem ex viſu malè cuſtodito : oculi enim ſunt principales portæ, per quas mors peccati intrat quaſi fur, vel corrupior caſtitatis noſtræ, dum non cuſtodiantur. *opuſc.de perfect. religioſ. lib.1. cap.39. & opuſc. Confeſſionale cap.1. par.3.* Vide etiam, quod pulchritudo viſa mulierum fuit occaſio multorum malorum, *op Bibl.paup.c.92.*

Aſpectus mulierũ quàm periculoſus.

996. *In matrimonio debet finis honeſtus præfigi.*

Videntes filij, &c. quod eſſent pulchræ, acceperunt eas ſibi in Vxores ex omnibus, quas elegerunt. Nota hanc particulam ultimam, *elegerunt ex omnibus*, ſcilicet eas, quæ ſecundùm ſenſualitatem eis placuerunt : quæritur, an hoc fuerit verum matrimonium ? Reſpond. fuiſſe quidem, ſed vitioſum, quia ducti ſunt ad hoc, non cauſa prolis,vel remedij,ſed concupiſcentiæ expletionis:Si enim in contractione matrimonij ſiſtitur in pulchritudine, divitiis, ſimilibuſque non fit ſine defectu culpabili. *l.4.d.30. dub.6.* Quando igitur luxuries, vel finis pravus ad nuptias hominem raptat,tunc diluvium ſuppliciorum, & afflictionum cteatur, & paratur, ait Sanctus Baſil.Seleuciæ. In his nuptiis,non aqua in vinum convertitur, ſed vinum temporalis laxitiæ in aquam tribulationum, & æterni fletus convertitur.*fer.1.Dom.1.poſt oct.Epiph.*

997. *Ex Prælatorum mala vita ruina Eccleſiæ.*

Videntes filij Dei, &c. Iam dictum per filios Dei intelligi poſſe perſonas Deodicatas,& religioſas,quomodò verificatur,quod acceperint ſibi Vxores,& genuerint ex eis Gigantes,ſi id ipſis cit verirum ex voto?Præclara eſt moralis expoſitio Sancti Thomæ Aquin. Tempore, ait S.Doctor, quo Religioſi,& clerici videntes filias hominum, ideſt Villas,& temporales divitias earum, quod eſſent pulchræ,quod de facili generant multam,& magnam prolem acceperunt ſibi pro libito: Vnde quoque ex tunc orti ſunt Gigantes in magnis, & mirabilibus ſuper ſe ambulantes,qui potiùs videntur Reges,vel Marchiones,quàm Epiſcopi,vel Abbates,& hi ſunt ſures,vel potentes à ſæculo viri famoſi, & ideò nõ mirum, ſi per eos erigatur imago beſtiæ, & ſtatua Babilonis,& terrena Civitas dilatetur. Iſti ſunt ait S.Bonaventura,qui paupertatem fugiunt, divitias toto animo quærũt,nec attendunt, quod tunc ſunt maximè vacui, quando ſe credunt plenos, vacui ſunt Dei donis,pleni peccatis : vacui in conſcientia,pleni in arca, acquirunt pecuniam, & perdunt Animam, quærunt aurum, & acquirunt Infernum. *ſe.m.5.de uno Martyre.*

998. *Luxuria excæcat mentem.*

Videntes filij Dei filias hominum,&c. Si Filij Dei eſtis, quomodò non Filio Dei,ſed Filias hominum vobis conjungitis ? ſed ne mireris:nam carnis voluptas, in quam ſe præcipitaverunt, mentem quam inficit obſcurat, ne videre inde luminis claritatem valeat,ſed unde interius delectatur,inde caliginem ad ſuperna patiatur:mirum igitur non eſt, ſi excæcentur in Anima luxurioſi.*fer.3.Dom.quinquag.*

999. *Anima libidinoſa, quod eſt objectum concupiſcentiæ videtur pulchrum, & appetibile,non quod eſt honeſtum.*

Videntes Filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ. Quarè ſolùm pulchritudinem recognoſcunt in filiabus Cain ? Nonne etiam inter filios Seth erant mulieres pulchræ?At id non eſt mirum:Nam ex viſu, peccaminoſo orta eſt infirmitas interior Animæ,& cæcitas ſpiritualis : Ideò Animæ carnali concupiſcenti libidinosè, videtur pulchrum omne concupiſcibile,hinc decipit eos ſpecies.*In lo.coll.4.*

1000. *Diabo*

1000. *Diabolus pater voluptuosorum.*

Videntes fily Dei,&c. Aliqui doctores dicunt, istos fuisse Angelos malos, diciq; filios Dei, id est non carnali generatione creatos, sed immediatè à Deo creatos, concubuisse cum filiabus Cain, genuisseq; gigantes: id tamen non potest dici secundùm rectã Phylosophiam, & Theologiam: sed tantùm admitti, quod Dæmon possit semen viri deferre in vasa fœminea, ut etiam fertur de Merlino, & sic dicuntur Dæmones ministerialiter genuisse istos gigantes, & pessimos filios. *l.2.d.8 p.1.a.3.q.1.* Sed cur Dæmonibus attribuitur generatio si verè non fuerunt generantes? quia posteri erant filij Diaboli per imitationem, & imitationis expressionem per opera mala. *l.1.d.26.dub.6.& In Ioan.c.8.v.38.*

1001. *Maxima Dei longanimitas in expectando hominem ad pœnitentiam.*

Dixitq; Deus non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, &c. Quis sensus est horum verborum? Aliqui exponunt esse verba Dei miserentis, quasi diceret, non permanebit, id est non judicabit eos spiritus meus in æternum, sicut judicavit, & condemnavit in æternum Angelos malos; quia caro est, id est fragilis naturæ sunt, sed hic eos puniam. *In sap.cap.10. & 11.* Ex quo patet, quanta sit Dei patientia, & longanimitas in compatiendo, & expectando peccatorem ad pœnitentiam, & ideò notanter dicitur, *quia caro est. In Psal. 2 In Luc.c.20.v.9.& serm.3.Dom. 6. post Pentec. & serm.1.Dom.2.Advent.*

1002. *Gratia non permanet in homine carnali.*

Dixitq; Deus, non permanebit Spiritus meus in homine. Communis sensus horum verborum est: non persistet generatio ista pessima coram me in æternum, quia tantùm carnalibus intendit, sed delebo eam. Per quod significatur, quod in homine carnali non permanet spiritualis gratia, sed tantum in ambulante secundùm Spiritum. *In Psal.118. c.6.v.9.& l.2.d.21.a.2.q.3.ad 5.*

1003. *Medicina eucharistica convenienter preparata infirmitati humanæ.*

Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Quid est, quod non poterat permanere Spiritus Dei tunc in hominibus; quia erant infirmi, nec poterant digerere cibum tam fortem scilicet recipere Spiritum Dei: Unde loquitur tanquam medicus, compatiens eorum infirmitati: hinc quia homo caro est, ei præparavit carnem, & sanguinem suum, quasi Spiritum Dei temperatorem. Homini igitur, quia caro est, Deus præparavit cibum in Eucharistia convenientem, cibum efficacem, cibum sanantem, cibum omnibus communem; ideò sub specie panis conjungendo ei Divinitatem, corpus, & sanguinem suum. *l.4.d.11.p.2.a. 1.q.1.& serm.4.5.& 6.in Cœna Dom.*

1004 *Maxima Dei misericordia, cum à nobis pœnas exigit.*

Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Spiritus meus, id est indignatio mea, id est non ita indignabor, quod non velim corrigere eum per flagella temporalia, non æterna. *sap.c.11.& 12.* Maxima igitur misericordia Dei ostenditur, cum à nobis pœnas exigit. *l.4.d.15.p.1.dub.2. & ep. Phar. l.4.c.48.*

1005. *Hominis fragilitas movet Deum ad misericordiam.*

Non permanebit Spiritus, &c. Id est irremediabiliter non indignabor: Cur hoc cum homine, quod non fecit cum Angelo? quia caro est, id est fragilis naturæ. *sap.c.10.& 11.* Vide ergo quomodò nostra fragilitas Deum movet ad misericordiam.

1006. *Vitys deditus non dicitur homo.*

Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Quomodò dicitur, quod homo est caro? nonne est compositus ex carne, seu corpore, & Anima? Certum est, quod pars constitutiva totius, non potest de toto in recto prædicari? sed attende, quod caro in sacra scriptura sumitur aliquando pro natura, scilicet para pro toto: hic autem tali pacto non sumitur: Aliquando sumitur prout sonat in vitium, & corruptionem, nempe, quatenus importat concupiscentiam, carnalitatem, & sensualitatem: sic sumitur hic: Caro igitur homo dicitur, qui concupiscit adversus Spiritum, qui ad carnalia totus est deditus, & cum ipso non permanet Spiritus Dei. *l.2.d.1.a.2.q.2.ad 5.& d.21.a.2.q.2.& d.32. a.2.q.1.* Elice ex hoc, quod vitijs deditus non dicitur homo, nec in carne requiescit Deus.

1007. *In castis requiescit Deus; in immundis Diabolus.*

Non permanebit Spiritus, &c. quia caro est. Sed quinam Spiritus permanebit in hac carne? non Spiritus Dei, ergo Spiritus Diaboli, & immundus: nihil enim est medium, quin homo sit sub potestate Dei, vel Diaboli: si enim Anima est vacua Spiritu Dei, tunc occupatur à Spiritu Diaboli. *In Luc. c.11.v.20.& 25.* qui fœdis voluptatibus delectatur ponitur à Diabolo cum immundis spiritibus, quos continuè posuit veluti porcos. *serm.4.Dom.3.Pentec.*

1008. *Dei misericordia in expectando ad pœnitentiam peccatores magnificatur.*

Non permanebit Spiritus meus, &c. eruntq; dies illius centum viginti annorum. Cur non statim homines carnales punivit Sanctus P. Hierõ. ne videretur crudelis, adjecit, eruntq; dies illius centum viginti annorum, id est tempus hoc ad agendum pœnitentiam. Vide quomodò Deus dicitur patiens & quia malis multa bona præstat, & quia peccatores diu expectat, & quia consolatoriè eos punit. *In Psal.2.*

1009. *Vitam obbreviat Deus propter utilitatem nostram.*

Eruntq; dies illius centum viginti annorum. Sed cur vitam, quam diuturnam largiebatur Deus, nunc ita eam coarctat? Præterea: Deus promiserat tempus centum viginti annorum, & tamen viginti annis amputatis, anno centesimo venit diluvium? cur hoc? sed attende, quod abbreviantur à Deo anni hominibus aliquando, ne mali fiant, & aliquando, ne pejores fiant. Notandum etiam, quod boni moriuntur in tempore suo, id est suæ salutis, ad quam secundùm præfinitionem Dei ordinati sunt: mali

autem moriuntur in tempore non suo, quia non perveniunt ad tempus, & ad salutem eis à Deo præfinitam in pœnam suorum peccatorum. *In Eccl.c.7.v.16.& 18.* Vitæ spatium, quod Deus promiserat imminuit, quia perversitatis eorum reatus exercuit, quia homo, quod Deo debuerat, non implevit. S.Petrus Dam.*op.c.4.*

1010. *Impudicitia expoliat hominem actibus rationalitatis, & transformat in bestiam.*

Non permanebit Spiritus, &c. Quare? quia caro est; sed quomodò caro, si etiam constat Anima rationali? Resp. hunc esse effectum impudicitiæ, in quam tunc temporis immersi erant viventes: Carnalitates enim ita expoliant hominem omni actu rationali, ut videantur potius bruta, eo quod ad modum bestiæ, quod est inferius, scilicet sensualitas facit, ut dominetur rationalitati. *serm.4.Dom.3. post Pentec.*

1011. *Impudicitia, & luxuria ejicit ab homine Spiritum Sanctum, & Angelos.*

Non permanebit Spiritus, &c. Quis est iste Spiritus Dei, qui non permanet cum carne? nonne ipse Deus est Spiritus totus? sed attende Spiritus hic est Deus, & est Spiritus Dei, nempe Spiritus Sanctus non permanet, nec habitat in corpore subdito peccato luxuriæ: Spiritus Dei sunt Angeli: adeò enim luxuriosus fordet, & fœtet ex immundis affectionibus, & inordinatis moribus, & illicitis operibus, ut multò abominabilior sit Angelicis Spiritibus cum intueri, quam sanis hominibus leprosum aspicere. *serm.1.Dom.3.post oct.Epiph.*

1012. *Impudicitia, & luxuria reddit hominem totum carneum, & adhærere facit Diabolo.*

Non permanebit Spiritus, &c. Quomodò potest dici, quod caro sit totus homo, si habet etiam Animam? & si Anima est potior pars illius? Unde potiùs deberet dici, quod Anima est? sed attende quid facit Diabolus cum luxuriosis: De conjugatis dicitur, erunt duo in carne una, quia ita conjunguntur, ut possint dici una caro: sic qui se tradit Diabolo per luxuriam, ita se conjungit cum carnalitate, ut unum sit cum ea: Diabolus enim habet septem filias, quas tradit hominibus, superbiam superbis, &c. sed luxuriam servat pro omnibus, nec ulli parcit; & hæc est via lata, & spatiosa, per quam multi intrant ad perditionem. *serm.1.Dom.3.quadrag.& op.Diat.sal.tit.3.c.5.*

1013. *Matrimonium ducens ob solum affectum libidinis subditur potestati Diaboli.*

Non permanebit Spiritus, &c. Sed cur Deus tam offensus ostenditur? quia caro est: sed quid est hoc? nonne matrimonia contraxerant? quale igitur fuit peccatum istorum? quia Diabolus potestatem in ipsos acceperat: qui enim conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, habet super eos potestatem Diabolus: Homo enim luxuriosus ita absorbetur delectatione carnis, ut totaliter sit deditus libidini, sicut equus, & mulus propter subreptionem rationis, & super talem habet Diabolus potestatem, præcipitando de peccato in peccatum, quousque, faciat eum ruere in profundum inferni. *serm.1.& 2.Dom.3.quadrag.*

1014. *Fama in peccato est maxima infamia.*

Gigantes autem erant super terram, &c. Isti sunt potentes a sæculo viri famosi. Certum est etiam aliis temporibus natos fuisse gigantes in terra, & tamen non fit de eis mentio, sicut de his viventibus ante diluvium? quare ergo non fit mentio tam decorosa? Dicit enim sacer textus erant viri famosi super terram, famosi, scilicet in malo, quia erant maximi peccatores abutentes Dei patientia. *Psal.118.c.4.v.4* sed quomodò appellantur viri famosi? famosi in iniquitatibus, sicut sunt viarum grassatores; unde eorum fama fuit maximæ infamiæ, ait Lipomanus, &c.

1015. *Potentia ad malum est impotentia, & defectus, & non à Deo.*

Isti sunt potentes à sæculo, &c. Ergo ne laudantur à sacra scriptura isti iniqui, & in omnibus sceleribus immersi? quænam fuit ista potentia tam famosa? Resp. quod etiam Dæmones appellantur potentes, & principes, sed tenebrarum: qui enim malè agit, odit lucem: erant igitur potentes in malefaciendo: Potentia enim de se est donum à Deo datum, sed ut est malefaciendi, & defectiva, & sceleribus conjuncta, est à Diabolo. *In Luc.c.22.v.53.& lib.2.d.44.a.3.q.1.*

1016. *Princeps malus est inter peccatores veluti gigas.*

Isti sunt potentes à sæculo, &c. Id est Principes dominantes cæteris: sed cur fit de illis tam expressa mentio? quia erant quidam Principes, qui ad potestatem sæcularem in alios, sed magis in malè agendo. *Psal.118.c.4.v.4.* erant de illis, de quibus dicitur. *ad Rom.2.* qui prædicant non furandum, & furantur, qui dicunt non mæchandum, & mæchantur, qui ut hypocritæ dicunt, & multa imponunt aliis, & suum digitum non apponunt: qui aliis dominantur, sed ipsi sunt obtemperantes, & subditi propriæ voluntati, sensualitati, & vitiis omnibus. *op.de Eccles.Hier.p.2.c.1.*

1017. *Malitia non est à Deo, sed ab homine.*

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, &c. Quæritur ad quid hæc malitia ordinatur de se? Videtur etiam, quod homo ex origine naturæ suæ sit malignus, & ad malitiam propensus? Resp. quod hoc est in homine, non ex vi suæ originis, sed ex corruptione contracta ex primo homine, & deinde exercita in diversis peccatis: Unde patet hominem ex se posse facere malum, bonum verò solùm ex adjutorio gratiæ. *l.2.d.30.a.1.q.1.& In Ioan c.4.v.36.*

1018. *Peccata in Spiritum Sanctum sunt ex malitia pura.*

Videns autem, quod multa malitia, &c. Hic exprimit corruptionem pessimam hominum, qui peccabant, non ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia: & ob id peccata erant in majori parte hominum in Spiritum Sanctum, sed quænam sunt? Resp. est vel desperationis, vel præsumptionis, vel impœnitentiæ finalis, vel obstinationis, vel impugnationis agnitæ veritatis, vel invidentiæ gratiæ fraternæ. *op.spec.an.c.3.versus finem.*

1019. Qui

1019. *Qui prius filius Dei dicebatur, per peccatum id amittit, & sortitur nomen filij Diaboli, vel maligni.*

Videns Deus, quod multa malitia hominum, &c. Suprà dixerat de filijs Seth, quod essent filij Dei, nunc verò notat omnes in profundo malitiæ collocatos: quomodò tam venerabile nomen adimitur? Vide ex hoc qualis differentia inter Deo, & Diabolo servientes: nam Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem vsq; in Cælum: Diabolo verò descendendo de vitio in vitium vsq; ad Infernum: prius autem servitute Dei erant filij Dei, postea declinando homines, vocantur maligni. *serm. 1. Dom. 14. post Pentec.* D. Aug. *de Civit. Dei l. 5. c. 13.*

Deo servitur ascendendo, Diabolo descendendo.

1020. *Major malitia est nunc in mundo, quàm ante diluvium, ob id igne purganda.*

Videns Deus, quod multa malitia, &c. Nota, quod dicit, *multa*: sed cur nō dixit maxima malitia? ergone poterat crescere? quia verè tunc erat multa malitia hominum, sed modo est maxima, majorq; quàm esset ante diluvium; quia nunc mundus plus abundat iniquitatibus, laxivijs, furtis, rapinis, oppressionibus pauperum: hinc, cum eos Deus punierit aqua, testatur, ut nunc igne puniantur. *serm. 6. de Apostol. & op. Brevil. p. 7. c. 4. & Centil. p. 2. c. 6. & Comp. Theol. l. 7. c. 15.*

1021. *Ad cautelam nostram notatur pronitas hominum ad malum.*

Videns Deus, &c. & cuncta cogitatio cordis prona ad malum, &c. Si hæc pronitas ad malum oritur ex corruptione concupiscentiæ, quæ est in omnibus hominibus: Cur hæc apponitur tanquam ratiō punitionis per diluvium? Verum quidē est, quod in omnibus hominibus insit talis pronitas ad malū: sed ideò proponitur, ut radix & origo tot malorū, ut caveamus à fomento ipsius, quod non fecerunt illi pessimi homines, ut scilicet magna sollicitudine occasiones, & malas societates caveamus, cum ex illis facillimè possit se voluntas præcipitare in malum. *op. de perfect. religios. l. 1. c. 38. & 39.*

1022. *Ex gula, & lascivia corrupta est generatio humana.*

Videns Deus, quod multa malitia, &c. In quibusnam actibus dignoscebatur hæc ipsorum malitia? sed nota quod suprà dixerat, quod homo totus caro factus erat: quid est homo factus caro? nempe ex quatuor actibus. Primò ex osse & gulositate. Secundò ex ebrietate. Tertiò ex lascivia. Quartò quia vivebant firmi, & stabiles, in carnalitatibus securi, ob idq; ad interitum magis dispositi: edebant enim, bibebant, nubebant solùm ad explendum voluptates carnales. *In Luc. c. 17. v. 24. & cap. 20. v. 34.*

1023. *Deus nostros affectus videtur suscipere: & ob id peccata in ipsum pœnitentiam ingerere.*

Pœnituit eum, quod hominem fecisset in Terra, &c. Pœnitet me hominem fecisse, &c. Ergone Deus capax pœnitentiæ? Resp. quod Deus non potest pœnitere more hominum de transactis operibus, sed pœnitentia Dei est mutare statuta, & quod prius inchoatum est, in aliquod mutari, idest ex bono in malum, scilicet pœnæ, id exigentibus culpis. *op. summa de essentia, & Psal. 131.* Sacra enim scriptura, se accommodat nostræ parvitati, & utilitati, ut incognita ex cognitis cognoscamus, ut scilicet perterreat superbos, excitet negligentes, exerceat quærentes, & alat intelligentes. *op. Bibl. paup. c. 11.*

1024. *Deus ad patiendum pro homine à principio mundi se disposuit.*

Pœnitet me hominem fecisse. Ergone pœnitere potest Deus de opere tam perfecto, qualis erat homo? Deus dicitur metaphoricè pœnitere, sed sine mutatione voluntatis: sed quomodò potest id verificari? Nota, quod dicitur pœnitere Deus, id est mutare extrinsecè, quod prius effecerat, scilicet vel de bono in malum, ut dictum est, vel de malo in bonum: & quale fuit istud bonum, ad quod incendebatur? Hoc erat Incarnatio futura, & passio pro peccatis ab ipso subeunda: Dicitur autem, *pœnitet me hominem fecisse*, idest, quia hominem feci peccatis subditum, ideò pœnitentiam agere me oportet pro ipso, quem creavi. *op. summa de essentia. & op. meditat. vita Christi c. 2.*

1025. *Deus hominem punit veluti coactus.*

Tactus dolore cordis intrinsecus. Quis est, qui possit cogere cor Dei? peccata nostra, quæ ipsum provocant, & sic provocatus aufert patrocinium suum, non ex sua voluntate, sed veluti coactus: non enim potest dissimulare peccata, licèt tam ardenter nos amet. *In Thren. c. 3.* Vide Sanctum Bernardum *serm. 5. In Nativit. Dom.*

1026. *Amor Dei in hominem quantus.*

Tactus dolore cordis intrinsecus, &c. Si dolor est passio, Deus est impassibilis, quomodò dicitur tactus dolore cordis? Nota, quod dolor est dissensus ab ijs, quæ nobis nolentibus accidunt; quæ nolitio est vel voluntate absoluta & resultans in sensitiva, & cum passione: vel non absolutè sed voluntate pietatis: unde & dicitur spiritus pietatis quo hominem diligit, & iniquitatem odit. *lib. 1. d. 7. p. 1. q. 1. in Arg. 1. & l. 4. d. 44. a. 3. q. 2. & l. 1 d. 48. dub. 4. & l. 4. d. 16. p. 1. a. 1. q. 2. ad primum.* Per hoc igitur exprimitur summus amor Dei in hominem & odium in peccatum.

1027. *Pœnitentiam Deus in se honorat, ut de ea non erubescamus.*

Tactus dolore cordis intrinsecus, &c. & pœnitet me hominem, &c. Quomodò tribuitur Deo pœnitentia, quæ involvit mutabilitatem? Id dixit Deus oculos habens ad futuram passionē Christi, in quo pœnitentiam ex tunc dedicavit. *op. meditat. vita Christi c. 2.* Ex quo inferri licet, quod Deus in semetipso teddidit pœnitentiam sanctā, & honoratam ne ab hominibus, ut vilis, & abjecta despiceretur: sic etiam discutit Tertul. *l. de pœnit. c. 2.* Et hinc est, quod Christus, licèt non assumpserit in se defectus culpabiles: Isti enim teddunt subjectum vituperabile: assumpsit tamen pœnales, & pœnitentiales, & in se ipsum accepit exercitia humilitatis, patientiæ, & pietatis: sunt enim materia exercendæ virtutis, ob idq; laudabiles, & meritorij. *l. 3. d. 15. a. 1. q. 2.*

1028. *Deus*

1018. *Deus cum hominem punit, vult ipſum reformare.*

Delebo hominem, quem creavi à facie terræ. Quid eſt, *Delebo*? Cur non dixit interficiam, deſtruam, annihilabo? Nota cum aliquæ litteræ malè ſint ſcriptæ, delentur, ita tamen, ut tabula remaneat, in qua aliæ depingi poſſunt: Dicit igitur Deus, *Delebo hominem* ideſt non totaliter, ſed relinquam ſemen in Noe. *In ſap. cap.* 10. & 14. Voluit igitur Deus caſtigare hominem, & ſimul ipſum in melius reformare: Et hinc D. Amb. notat lectionem Hebræam, quæ eſt (à ſuperficie terræ) quaſi dicat, tollam florem à ſuperficie, ſed radicem ſervabo: D. Amb. *lib. de Arca, & Noe cap.* 3.

1029. *Deus graviter punit delinquentes, & nihil impunitum relinquit.*

Delebo hominem à facie terra. Quid eſt Delebo hominem à facie terræ? Nonne Noe cum aliquibus aliis præſervavit, ergo non delevit omnem hominem, ut videntur ſonare hæc verba? ſed nota illam particulam, *à facie terræ*, vel in ſuperficie terræ, ideſt qui ſcripti erant in terra (veluti in tabula) ſcilicet mali, non boni. *ſap. cap.* 10. Peccatores etant terræ, ſcilicet mundi amici, & in terram quoad affectus affixi, &c. *Pſal.* 118. *cap.* 8. *v.* 7. Hinc igitur familia Noe, quia bona, non fuit comprehenſa in hoc excidio.

1030. *Ob odium, quod habet Deus ad peccatum, deſtruit, quidquid inſeruit ad utilitatem peccantis.*

Delebo hominem, &c. ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres Cæli. Sed quod delictum pattaverant animantia, item & ipſa terra, quæ tecta fuit, & abſorpta aquis? Attende, & vide ex hoc, quantum Deus deteſtetur peccatum: proptet peccatum enim, & in odium peccati ferè diſſipavit omnia opera ſua, ſicut Reges Mundi in præjudicium inimicorum depopulantur tetras eorum; ita Deus diſſipavit terram propriam, quia peccatum inttaverat ipſam, & non ſolùm habet peccatum odio, ſed quidquid tangit illud. *Opuſc. Diæt. ſal. tit.* 1. *cap.* 1.

1031. *Malum eſſe inter bonos peſſimum ſignum reprobationis.*

Noe verò invenit gratiam coram Domino, &c. Cur in deſcriptione ſcelerum hominum involuit ſacer textus narrationem viri juſti? ad quid hoc? ſi enim hæc narratio ordinatur ad deſcribendas iniquitates, & excidium mundi, videtur quod hæc expoſitio Noe viri juſti ſit extranea omnino: merito proponitur innocentia, & ſanctitas Noe, ut ex hoc appareat magis iniquorum impietas, inter quos erat vir juſtus, & tam exemplaris. *in Luc. c.* 17. *v.* 18 Ad condemnationem cæterorum & ad expreſſionem pietaris divinæ dicitur Noe inveniſſe gratiam apud Deum. S. Ambr. *lib. de Noe.* Nam ſanctorum vita cæteris norma eſt vivendi: propterea ſanctorum virtutes ad exemplum noſtrum Deus propoſuit, ut quanto de imitatione eorum conferri poſſunt nobis juſtitiæ præmia, tanto de perſeverantia mali ſint graviora tormenta: reprobi autem non attendunt documenta bonorum, quæ imitentur ad melius, ſed proponunt ſibi exempla pravorum, quæ ad ſuotum motum perverſitatem imitentur in pejus. *Op. Phar. lib.* 4. *cap.* 46.

1032. *Qui vult invenire gratiam, apud Deum ipſam quærat cum diligentia, & ſtudio.*

Noe verò invenit gratiam coram Domino, &c. Cur ait, invenit, non autem accepit? Item cur dicit invenit, non autem reperit? Nota quod reperire eſt fortunæ, invenite eſt conſilij: ſic D. D. *apud Velaſq.* Invenit igitur gratiam coram Domino, quia ſtudio meditationis, deſiderij, orationis, & bonorū operum quæſivit gratiam, & Deum, & ideò invenit eam: ſic dicitur cuilibet homini quæreris me, & invenietis. *ſerm.* 7. *in Rogat. & ſerm.* 2. *in Invent. S. Cruc. & ſerm. in Dom. infr. oct. Epiph.*

1033. *Gratia excitanti cooperans ducitur ad ſtatum perfectum.*

Noe autem invenit gratiam coram Domino, &c. Quomodò dicitur Noe inveniſſe gratiam propria diligentia: nonne datur nobis ſine nobis? datur quidem gratia excitans nobis ſine nobis: non verò gratia coopetans, & perficiens; datur enim nobis ſed nobis cum ſtudio, labore, & diligentia cooperantibus, & per hoc pervenitur ad perfectam gratiam. *l.* 2. *diſt.* 27. *dub.* 1. *& diſt.* 7. *p.* 1. *q.* 1. *& diſt.* 26. *queſt.* 6. Hinc dicitur de Noe, quod invenit gratiam coram Domino, ideſt ambulando per vias perfectionis invenit gratiam non ſolùm electionis, ſed & perfectionis, & virtutum. *in Luc. c.* 1. *v.* 30.

1034. *Iuſti omnes unum ſunt, quia ſunt conformes in Dei voluntate: Impij diſperſi in varia capita.*

Noe invenit gratiam coram Domino, &c. Cur de Noe ſit tantùm mentio? nonne octo fuerunt inventi juſti in ſua familia? ſolùm fit mentio de uno juſto: quia omnes juſti unum ſunt, ſcilicet, licèt aliquando diſſentiant in fine proximo, conveniunt tamen in remoto, & ultimo: ordinant enim omnia opera, & actus ad Deum: mali autem licèt conveniant aliquando in fine proximo, & in opere, diſſentiunt tamen in ultimo fine, quia quilibet quærit quæ ſua ſunt. *l.* 1. *diſt.* 31. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad arg.*

1035. *Apud Deum nulla eſt æſtimatio impiorum, meliorq; eſt unus juſtus, quàm infiniti peccatores.*

Noe invenit, &c. Cur ſit mentio tam decoroſa de Noe? quia Deus plus æſtimat vitam, & animam unius juſti, quàm vitam innumerabilium peccatorum, præpondetatq; ſalvationem unius juſti damnationi multorum impiorum, qui ſunt quaſi ex abundanti, nec ſunt in computatione apud Deum. *l.* 3. *d.* 20. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 3. *& d.* 40. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 3. *& l.* 1. *d.* 46. *qu. ult.*

1036. *Per diluvium ſanguinis Chriſti expurgata eſt terra.*

Hæ ſunt generationes Noe, &c. Ad quid ſit mentio de generationibus Noe? Nonne ſufficiebat in medium afferre juſtitiam Noe? Quia fuit typus Chriſti Ieſu, qui habuit tres filios, ſcilicet Græcos, Iudæos, & Latinos: ob id titulus ſcriptus erat in Cruce litteris græcis, hebraicis, & latinis: Ideò in tempore

pore Noe facta eſt purgatio ſcelerum per diluvium, & per Chriſtum poſtea complets eſt. *ferm. 14. Hexaem.*

1037. *Vir juſtus non ſolùm coràm Deo, ſed & coram hominibus eſt talis.*

Noe invenit gratiam coram Domino, &c. Cur invenit gratiam? quia erat vir juſtus, & perfectus in generationibus ſuis, ſcilicet inter ſceleratos ſui temporis: ergo erat juſtus, & perfectus non ſolùm interius in oculis Dei, ſed & exteriùs apud homines: non enim ſufficit interiùs virtutem colere, ſed & operibus demonſtrare. *in Luc. cap. 1. v. 6. & cap. 17. v. 28.*

1038. *Vir juſtus ambulans de virtute in virtutem beatus, & cum Deo ambulans.*

Noe cum Deo ambulavit, &c. Quid eſt cum Deo ambulare? forſan tranſlatus eſt in Paradiſum, ſicut Enoch? minimè: ſed dicitur cum Deo ambulaſſe, quia vixit cum timore Dei; quia eius opera erant divinæ voluntati conformia, quia ambulabat in via perfectionis de virtute in virtutem, & quia Deum ſibi præſentem continue habebat. *in Luc. cap. 1. v. 6. & cap. 5. v. 3. & cap. 9. v. 57.* Hinc ab excidio diluvij fuit exemptus, felixq; & beatus vitam degebat.

1039. *In via perfectionis nunquam quieſcendum.*

Noe vir juſtus, atq; perfectus. Cur dicitur primò juſtus, & deinde perfectus? quia juſtitia ſtat in actibus omnium virtutum ordinantibus hominem ad Deum, ad ſe ipſum, & ad proximum. *l. 1. d. 46. a. 2. q. 1. ad arg. & ferm. 1. de uno Confeſ.* & per iſta perducitur homo ad perfectionem: & per hoc denotatur; quod homo debet ſemper operari, & nunquàm quieſcere. *op. ſtim. div. am. p. 3. cap. 4. & op. de 7. donis cap. 6.*

1040. *Peccator cum in profundum venit impudens, & contemptor Dei.*

Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate, &c. Cur dicitur coram Deo corruptam eſſe terram? Nonne Deo omnia aperta? corrupta eſt terra, ideſt non in ſe, ſed terram inhabitantibus, qui deditì ad omnia flagitia, peccabant cum tanta impudentia, & ſecuritate, per quam ceciderant in malitiam quoad concupiſcibilem, & in contemptum Dei quoad iraſcibilem, quæ ſunt duæ radices omnium peccatorum. *In Eccleſ. cap. 9.*

1041. *Mundus nunc eſt plus corruptus, quàm ante diluvium.*

Corrupta eſt terra, & repleta eſt iniquitate, &c. Nota, quod ſupra dixerat multam malitiam eſſe in hominibus: ergo tunc non eſt impleta mẽſura peccatorum: Nunc verò addit corruptam eſſe totam terram, & repletam iniquitate? Vide quomodò abyſſus abyſſum invocat: de peccato in peccatum præcipites ſederunt homines, & in profundum: Omnes enim polluti erant, & veluti canes, & equi ad laſciviam, & alia flagitia currebant: ſed proh dolor! quia modo hæc corruptio patenter videtur inter Chriſtianos, & major, quàm umquam fuerit in paganis. *ferm. 2. de S. Marc.*

1042. *Inter malos ſæpe latent boni.*

Omnis caro corruperat viam ſuam, &c. Si omnis caro, ergo & Noe? minimè, quia etiam inter malos latent boni. *op. Bibl. paup. c. 113.*

1043. *Maior eſt numerus malorum, quàm bonorum.*

Omnis caro corruperat viam ſuam, &c. Vide quomodò ſemper major eſt numerus malorum, quàm bonorum, & ideò in bonos prævalent. *op. Bibl. paup. c. 112.*

1044. *Mala conſuetudo in profundum redigit peccatorem.*

Corrupta eſt terra, &c. & omnis caro corruperat viam, &c. Vide qualem vim habeat conſuetudo mala: mali enim mala ſua, quod malorum ultimum eſt, amant: tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt. *op. Phar. l. 3. cap. 12.*

1045. *Ex peccatis carnis veniunt pœnalitates in carne.*

Corrupta eſt terra, &c. omnis caro corruperat viam ſuam, &c. In quonam conſiſtit hæc corruptio? Patet, quod hæc corruptio ortum habuit ex voluptatibus carnis, ad quas toti erant homines intenti & quia corruptio fuit in carne, etiam in carne digni erant caſtigatione, & deleri. Ex quo patet, quàm dignè voluptuoſis carnalibus Deus infligat ut plurimum pœnas in corpore. *in Luc. c. 17. v. 27.*

10,6 *Peccatum nefandum trahet è cælo diluvium pœnalitatum.*

Omnis caro corruperat viam ſuam, &c. Quomodò corruperat hanc viam ſuam? quia omnes totaliter abſorpti erant in laſcivijs, rapinis, crapulis, ſed præcipuè in actibus nefandiſſimis: ex quo peccato præcipuè venit diluvium. *ferm. 2. de S. Marco, & ferm. 1. de ana S. Virgine.*

1047. *Contra Diabolum, mundum, & carnem venit Chriſtus, & armat ſuos ſequaces.*

Omnis caro corruperat viam ſuam, &c. A quo fuit corrupta caro? à mundo, à carne, & à Diabolo; contra quos Chriſtus armat ſuos ſequaces ut eijciantur de ſua habitatione. *ferm. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

1048. *Gula, & luxuria reducit hominem in beſtiam.*

Omnis caro corruperat viam ſuam, &c. Quænam eſt hæc via, quæ corrupta eſt? ſed nota gradus, per quos præcipitati ſunt, & continuè præcipitantur homines: via noſtra à Deo oſtenſa eſt ſubjectio ſenſualitatis rationi: ſed à peccatore prævertitur: nam vitium gulæ attrahit luxuriam: & hinc ſequitur, quod amiſſo honore caſtitatis prævertitur ordo naturalis, & comparantur iſti brutis animalibus cogentes ſpiritum ancillari, & carnem dominari ad ſimilitudinem porci. *ferm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſch.*

R 1049. *Via*

1049. *Via ad Deum perveniendi est via sapientiæ, & justitiæ: Via mundi est studium deliciarum, & voluptatum, scientiarumq; mundanarum.*

Omnis caro corruperat viam suam, &c. Quæ est hæc via corrupta? ergone omnes per viam perversam, & corruptam incedunt? Nota, quod via Dei, & nobis à Deo expositæ sunt justitiæ, & æquitates, & desideria sancta, quibus ad Deum, & ad supernam civitatem Hierusalem super omnem rationem, & intellectum, etiam in terreno corpore habitantes animæ sublevantur: ob id hæc via est triplex, scilicet purgativa, qua mens ad discendum veram sapientiam disponitur: Illuminativa, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur: & Unitiva, qua mens super omnem intellectum, rationem, & intelligentiam à solo Deo sursum agitur: sed tamen major pars hominum hanc viam prævertit, & corrumpit: nam tam clerus, quàm populus, & quod magis est dolendum, & plangendum etiam viri Religiosi abjecta vera sapientia, mundanis delicijs, & inutilibus curiositátibus se immergunt: & sicuti populus Israeliticus relicto cultu Creatoris sui manufactis Idolis servierunt, sic relicta vera sapientia, qua solus Deus perfectè interius colitur, & à sulis amantibus, adoratur diversis scientijs, & fabricationibus multiplicium argumentorum inventionibus, quasi quibusdam idolis miserabiliter mentem implent, in quibus sic absorbentur Diabolo instigante, & sic mens ipsorum in istis totaliter possidetur ut vera sapientia in eis locum non inveniat. *ep. de myst. Theol. in Prol.*

1050. *Quando est completa malitia supervenit divina castigatio.*

Finis universæ carnis venit coram me. &c. Quis est iste finis? certum est quod iam decreverat conservare Noe cum sua familia: quomodò igitur dicitur universæ carnis finis? Nota finis idest complementum iniquitatum malorum: cum autem ad hunc terminum pervenit, tunc venit castigatio severissima Dei: unde quia perversi tunc excedentes omnem ordinem naturæ contemperant omnem carnem in peccando; hinc venit diluvium. *ser. 1. de una S. Virg.*

1051. *Idem.*

Finis universæ carnis, &c. Nota, quod hæc posset verè dicere Deus in hoc tempore, cum omnis caro corruperit viam suam, tota immersa in delectationibus carnalibus, non servans ordinem naturæ: unde non restat nisi novum diluvium, sed igneum, & finis mundi. *serm. 1. de una S. Virg.*

1052. *Arcæ fabrica quàm magnifica.*

Fac tibi arcam, &c. Notand. quod machina huius arcæ fuit immensæ molis; cubiti enim, de quibus loquitur sacer Textus erant geometrici, quorum quilibet continet sex cubitos nostros usuales, cubitus autem noster usualis continet pedem cum dimidio, sive sex palmos, & ideò fuit facta cum maximis expensis, & spatio centum annorum, ita quòd nec Rex Franciæ, vel alius quicumq; Princeps posset hodie talem facere. *serm. 17. Hexaem.* Nota etiam, quòd in inferiori erat tricamerata: in medio bicamerata: & in summo consummabatur in cubito. *op. apol paup. resp. 1. cap. 3.*

1053. *In Noe, & fabrica arcæ præfigurata est Incarnatio Verbi, & fabrica Ecclesiæ.*

Fac tibi arcam, &c. Cur potius Noe, quàm alijs demandata fuit fabrica Arcæ? & quid mysterij innuitur nobis in hoc? Noe vir justus, & sanctus fuit figura Verbi incarnati: huic enim dictum est à Patre, fac tibi arcam, scilicet humanitatem, & corpus humanum, & verum: Item, & corpus mysticum, scilicet Ecclesiam, ut videns Christum fuisse præfiguratum in veteri testamento in sanctis antiquis. *serm. 14. Hexaem.*

1054. *Ecclesia arca tricamerata fide, spe, & charitate.*

Fac tibi arcam, &c. Sed cur arca hæc fuit figura Ecclesiæ? Nota in sacra scriptura de duabus arcis fieri mentionem, scilicet de arca Noe, & Moysis, & significat Ecclesiam, & sacram scripturam: Ecclesia enim est tricamerata fide, spe, & charitate, quæ sunt veluti cameræ, in quibus homines salvantur à diluvio: tricamerata autem dicitur his virtutibus in ordine ad habitatores terræ, Cæli, & Inferni, scilicet Purgatorij: item sacra scriptura est tricamerata triplici expositione litterali, mystica, & morali. *Psalm. 67.*

1055. *Multi incedunt per viam planam, pauci per angustam.*

Fac tibi arcam, &c. Arca hæc fuit lata in parte inferiori, & in superiori angusta: terminabat enim in cubito: cur tali pacto, & figura voluit Deus, ut fabricaretur Arca? quia cum figuraret Ecclesiam, & congregatio fidelium significabatur, quod major pars campestria, & viam planam, scilicet activam debebat incedere: minor pars verò, & pauci debebant apicem montis, scilicet contemplationem ascendere: unde etiam Christum ad campestria sequebantur turbæ, ad montem soli discipuli. *in Luc. cap. 9. v. 37.*

1056. *Fidelium perfectio stat in Concordia.*

Fac tibi arcam de lignis levigatis, idest dolatis, & bitumine connexis. Quarè tali modo voluit fabricari Deus? Iam dictum est Noe figurasse Christum fabricantem Ecclesiam ex fidelibus per charitatem unitis. *in Luc. cap. 17. v. 27.* Ergo ubi non est charitas, ibi est separatio ab Ecclesia, & à Deo.

1057. *Sine charitate Dei, & proximi homo demergitur in infernum.*

Fac tibi arcam de lignis levigatis, linies eam bitumine extrinsecus, & intrinsecus, &c. Quarè voluit connectere tabulas glutino bituminis? Nonne majus prodigium, & demonstratio esset divinæ potentiæ, si sine hoc bitumine illa arca conservata fuisset illæsa in aquis? Voluit Deus hoc in figuram maximi mysterij: hoc gluten significat charitatem (intrinsecus, & extrinsecus) ad Deum & ad proximum, ut daretur intelligi, quod sine glutino lapides vivi non possunt subsistere sine periculo subversionis manifesto in Ecclesia, & in qualibet congregatione: sed cum isto bitumine conservantur lapides vivi, & fit murus fortissimus contra Diabolum, &c. *op. Diat. sal. tit. 5. c. 2.*

1058. *Charitas habet pro objecto Christum.*

Fac tibi arcam, *&c.* Cur voluit, ut infrà hæc arca esset lata, & in summitate terminaretur in cubito? Iam dictum est, quod ligna levigata, & unita sunt fideles Ecclesiæ in unum per charitatem concordes, sed ut præserventur ab omni ictu Diaboli, debent in superiori parte terminari ad Christum per conformitatem operum. *Psal.* 119.*&* 111.*&* 149.

1059. *Religio est arca mystica præservans à diluvio Inferni.*

Fac tibi arcam, *&c.* Quarè voluit Deus, quod arca esset tricamerata? Resp. quod per arcam significatur Ecclesia, idest congregatio sancta fidelium, ut dictum est supra, ergo & status religionis: tres cameræ, in quibus morari debent, qui in hanc arcam ingrediuntur, sunt tria vota, scilicet paupertas, castitas, & obedientia, quæ aufert homini propriam voluntatem, & per consequens Infernum: paupertas terrenam cupiditatem, & per consequens omne malum, & castitas carnalem fœditatem, & facit Angelum: *op. apol. paup. resp.* 2. *cap.* 3. *& Diar. tit.* 4.*c.*1.

1060. *Arca est Religio camera inferior, media, & suprema sunt gradus perfectionis.*

Fac tibi Arcam, *&c.* Hoc dictum fuit à Patre Verbo divino, quando incarnatum est ut suprà notatum est: sed quænam arca fuit hæc? non quidem materialis, ergo spiritualis. Nota, quod hæc arca mysticè fuit status Religionis: Hæc enim habet triplicem statum, sicut & tres ordines continebat arca, infimum, medium, & supremum: In infimo est observantia mandatorum legalium, estq; necessitatis; in medio est adimpletio spiritualium consiliorum, estq; supererogationis, & in supremo est perfruitio sempiternalium jucunditatum, estq; ultimatæ perfectionis: Voluit igitur, ut Religiosus non contentus perfectione consistente in inferiori parte, scilicet in observantia præceptorum, nec in media consistente in observantia consiliorum ascenderet ad apicem. Dicitur autem pars inferior tricamerata, quia tria Vota continet, scilicet paupertatem contra concupiscentiam oculorum, obedientiam contra superbiam vitæ, & castitatem contra concupiscentiam carnis: Pars media est bicamerata continet supererogativam prosecutionem bonorum per vitam activam, & contemplativam, scilicet in condescensione ad proximum, & in sursum actione mentis in Deum: Pars superior terminat in cubito, scilicet in supererogativa perpessione adversi; quatenus scilicet non solùm sufferat adversa per conformitatem ad Dei voluntatem, sed & ex fervore divini amoris magno desiderio, illa præaptet, & cum magno gaudio illa sustineat, in quo est perfecta consummatio perfectionis, & charitatis, quod mirabiliter adimplevit Seraphicus Pater sanctus Franciscus. *op. apol. pauper. resp.* 1.*c.*3.

1061. *Beata Virgo est Arca, ob quam Noe præservatus est à diluvio, & totus mundus cum eo.*

Fac tibi Arcam, *&c.* Hæc arca est Beata Virgo Maria, per quam genus humanum tempore diluvij conservatum est in Noe. *op. laus Beatæ Virg. fig.*4. Maria est arca nos sustinens, & portans in mari huius mundi: Anchora stabiliens, & gubernaculum dirigens. *op. stim. p.*3.*c.*16. Vide Bernardinum Senensem *serm.*6.

1062. *Beata Virgo Maria fenestra Ecclesiæ, per quam venit lux, & omne bonum mundo.*

Fenestram in Arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius, *&c.* Communis sensus fuit, quod plures fenestræ fuerint in hac arca: sed quomodò unica tantùm exprimitur? quæritur etiam de qua materia? Communis sensus est, quod hæc fenestra fuerit facta ex chrystallo, ideòq; unica exprimitur, quia figurabat Beatam Virginem, quæ fuit fenestra Cœli chrystallina. *op. lytaniæ B. Virg.* & meritò, quia sicut per fenestram intrat lux, sic per Mariam intrat ad nos lux cælestis, *&c.* nec est, qui effugere possit claritatis suæ fulgorem, & suæ radios pietatis. *op. stim. div. amoris p.*3.*c.*16.

1063. *Oratio est per quam venit lux homini.*

Fenestram facies, *&c. & in cubito consummabis eam.* Quarè in cubito voluit, ut terminaretur fenestra? Glossa vult intelligi orationem, quæ in cubito consummatur, scilicet in Deum, est enim ascensus mentis in Deum: est & speculum, per quod illustratur mens luce superna, per quam cognoscuntur defectus, & profectus, & erigitur in Deum, & in actus propriæ vilitatis. *op. de perfect. religios. l.*2.*c.*66.

1064. *In domo Dei sunt diversa merita.*

Mansiunculas in ea facies, deorsum cœnacula, &c. Cur voluit Deus fieri istas mansiunculas? & quarè non dicit mansiones, sed mansiunculas parvas? Iam dictum est, hanc Arcam esse Ecclesiam, ligna esse fideles operantes, & in ea viventes: Per mansiunculas parvas intelliguntur diversa merita, quæ hic acquiruntur, quibus in æterna vita postea correspondent mansiones perfectæ. *In Ioan. cap.* 14.*v.* 2.*collat.*63.

1065. *In domo Dei secundùm diversa merita dantur diversa dona.*

Ostium Arcæ, &c. mansiunculas, &c. Cœnacula & tristega facies, &c. Notandum, quod Arca hæc habebat tres partes principales, infimam, mediam, & supremam: & in qualibet erant mansiunculæ accommodatæ pro quolibet genere animalium, superiorq; erat hominum, & quia hæc contingebant in figuris, quæritur, quodnam mysterium nobis exponatur in hac multiplici ordinatione? sed attende perbellum mysterium: Datur nobis intelligentia, quod per ostium intrantes ad interiora domus non omnes æqualiter locantur, sed secundùm majora, vel minora merita personarum: quidam enim recipiuntur in domum sanctæ compunctionis, ut Maria Magdalena: quidam in Palatium continuæ meditationis, ut David: quidam in mensam dulcis refectionis, ut Petrus: quidam in cubiculum solitariæ contemplationis, ut Ioannes: quidam in amplexus amorosæ unionis. Paratæ sunt igitur diversis virtuti-

 bus

bus diverſæ manſiones, quia non perſonæ acceptantur, ſed opera. *op. de ſeptem itin. ætern. in prol. diſt.* 2.

1066. *Maria Virgo feneſtra Eccleſiæ militantis & triumphantis.*

Facies feneſtram, &c. Iam dictum eſt Mariam figuratam in feneſtra Arcæ: eſt enim ipſa, per quam miſericordia, & gratia Dei venit ad exiſtentes in hac Arca Eccleſiæ: quia ejus miſericordiæ lux illuminat mentes, perducit ad ſalutem. *op. ſpec. B. Virg. c.* 5. *& op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 85. *&* 45. *& op. lytaniæ.* Per mariam franguntur vincula, ſolvuntur debita, vincuntur vitia, ſolidantur confracta, reparantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, cor purgatur, refulget mens, animus inflammatur, liqueſcit pectus, dulceſcit guſtus, decoratur aſpectus. *op. ſtim. div. am. p.* 3; *cap.* 16.

1067. *Vulnus lateris Chriſti porta omnium bonorum.*

Oſtium pones in latere deorſum. Cur voluit Deus, ut oſtium poneretur in latere deorſum? Hoc fuit figura lateris Chriſti: Chriſtus enim eſt Arca myſtica, oſtium eſt latus apertum: Unde ſicut nullus evadere potuit diluvium, niſi in Arca maneret: ſic nunc æternalem mortem nullus evadere poteſt, niſi in Chriſtu per fidem, & amorem maneat: & ſicut in Arca non ſolùm munda, ſed & immunda animalia collocata ſunt: ſic Chriſtus non ſolùm juſtos, ſed & peccatores colligit: In Arca autem non poterat quis ingredi, niſi per oſtium: oſtium ergo nobis Dominus fecit in Arca, quando latus ſuum perforari voluit. Ecce igitur oſtium in latere Arcæ, quo intrant animalia non peritura diluvio, Gratias ob id agamus Chriſto pro lateris ſui oſtiò: licet enim anguſtum ſit, tamen multi intrare poſſunt: quid anguſtius illo foramine? & tamen per ipſum ferè totus mundus intrare poteſt. *ſerm.* 4. *Dom. in Albis, & in Ioan. c.* 19. *v.* 34. *& op. ſtim. div. amor. p.* 1. *c.* 1. *& ſerm.* 3. *Dom.* 4. *quadrag.*

1068. *Beata Virgo maria oſtium Arcæ myſticæ, ſcilicet Eccleſiæ militantis, & triumphantis.*

Oſtium pones in latere, &c. Diximus per hanc Arcam ſignificari Eccleſiam militantem, & triumphantem: in cujus ingreſſum patet oſtium: Hoc oſtium non ſolùm eſt Chriſtus, ejuſq; vulnus lateris, ſed etiam Beata Virgo maria: eſt enim porta vitæ, Ianua ſalutis, & Cæli per quam quicumq; ibi intrant, ingreſſum habent. *op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 46. *& In Luc. c.* 1. *v.* 38.

1069. *Prædicatorum officium eſt introducendi intra Arcam Eccleſiæ homines.*

Et ex cunctis animantibus bina, & bina introduces in Arcam, &c. Sed cur cum homine Deus aſſociavit etiam bruta? Nota, quod per beſtias ſignificantur peccatores: Voluit autem, ut Prædicatores exemplo Noe curarent introducere in Arcam Eccleſiæ etiam peccatores, ſed tamen bina, & bina, ſcilicet per exercitium charitatis. *In Luc. cap.* 10. *v.* 1.

1070. *Sola charitas ſalvat à diluvio.*

Et ex cunctis animantibus bina, &c. Cur voluit bina ex ſpecie qualibet? Cur etiam non aſſignavit cuilibet maſculo plures fœminas? Ad inſinuandum præceptum charitatis, & quod ſolùm charitas Dei, & proximi facit intrare ad Arcam, & ſalvare à diluvio. *In Luc. c.* 10. *v.* 1.

1071. *Deus reprobat avaritiam.*

Tolles tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, &c. Hic quæritur, an Noe præparaverit animalibus carnivoris carnes? & communiter reſpondent Doctores negativè: ſed tantùm fruges, & fructus neceſſarios ad vitæ ſuſtentationem ſui, & animantium: Voluitq; Deus id ad reprobandam avaritiam multorum, qui ſupra neceſſitatem, quo magis accedunt ad mortem, eo ſollicitiores in comparandis facultatibus terrenis, & ſuperfluis ſe oſtendunt. *op. de perfect. relig. lib.* 1. *cap.* 17. Voluit igitur Deus, ut tantùm cibos frugales præpararet. *op. apol. paup. reſp.* 2. *a.* 1.

1072. *Deus vult in nobis providentiam neceſſariorum, non ſuperfluorum.*

Tolles de omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, &c. Sed cur Deus voluit, ut Noe præpararet iſtas eſcas ante tempus neceſſitatis? nonne præcipit, ut ne ſolliciti ſimus? quid in craſtina die comedent? Imò hoc tempus erat neceſſitatis imminentis: Vult enim Deus à nobis providentiam de neceſſarijs, non de ſuperfluis. *op. de perfect. religioſ. ibidem:* Vult à nobis ſollicitudinem, quæ provenit ex providentia animi, non ſolùm quæ ex diffidentia Dei. *In Luc. cap.* 2. *v.* 22. *& ſerm.* 2. *Dom.* 14. *poſt Pentec.*

1073. *Avaritiam ſanctam in nobis exigit Deus, ſcilicet operum bonorum.*

Tolles de omnibus eſcis, &c. Nota hic, quod Deus reprobando avaritiam vitioſam, docet nos apprehendere avaritiam ſanctam: nempe vult Deus, ut ſimus cupidi, & meritorum apud Deum, & magnarum virtutum, & multorum operum bonorum, & ne ſimus contenti de operibus minimis, & de bono iam præparato, ſed aſpiremus ſemper ad perfectiora, ne pereunte mundo, inveniamus, unde vivamus. *op. de perfect. religioſa, l.* 1. *cap.* 17. Cum operatus fueris multa, imò omnia, tunc primum incipe, quaſi nihil feceris. *op. de perfect. vitæ cap.* 6.

1074. *Avaritiam ſanctam, & lucrum ſanctum Animarum vult Deus in Prædicatoribus.*

Tolles de omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt. Noe fuit præco verbi Dei, ut dicit ſanctus Petrus, & ſi deſtinatus ad hoc miniſterium, cur vult Deus, ut ſit ſollicitus de eſcis corporalibus? Imò in hoc edocentur Prædicatores, ut in præparando cibum animarum (hic enim eſt cibus, quem Deus valdè eſurit) exerceant ſanctam avaritiam, ſcilicet, ut curent ſemper magis & magis lucrari animas Deo, docendo, orando, bonum exemplum dando, nec unquam quieſcant. *op. de perfect. religioſ. l.* 1. *c.* 17. *In Ioan. collat.* 23.

1075. *In*

1075. *In vulneribus Salvatoris sunt parata escæ dulcissimæ.*

Tolles tecum de omnibus escis, &c. Noe fuit figura Iesu Christi, qui in Cruce Arcam sui corporis exposuit apertam in suis plagis, ut supra dictum est: Sed quænam fuerunt escæ à Christo præparatæ in ipsam intrantibus? Crede mihi, quia si meditatione spiritualiter intrabis in vulnera Salvatoris, omne triste lætum, omne grave leve, omne tædiosum amabile, omne asperum dulce; & suave reperies, & poteris dicere cum Beato Iob. *cap.6. quæ priùs nolebat tangere Anima mea, nunc propter angustias passionis Christi cibi mei sunt; quàm dulcia, & delectabilia facta sunt mihi. op. de perfect. vita.c.6.* Vulnera Christi sunt Apotheca omnibus aromatibus plena. *opusc. stim. div. am. p.1.c.1.*

1076. *Sacramentum Eucharistiæ est omnis esca parata in Arca Ecclesiæ.*

Tolles de omnibus escis, quæ, &c. Quomodò dicitur, quòd tolleret Noe de omnibus escis, quæ mandi possunt; cum certum sit apud Doctores solùm cibos frugales præparasse? Sed jam dictum est, Noe fuisse figuram Iesu Christi, qui in Arca sui corporis præparavit nobis de omnibus escis, quæ mandi possunt: Et quænam fuerunt omnes illæ escæ? omnis esca nihil aliud est, nisi corpus, & sanguis Christi, quod apponitur in Sacramento Eucharistiæ: habet enim omnis saporis suavitatem: Hic cibus confert vitam sanctè sumentibus; & qui abominantur hanc escam, appropinquant ad portas mortis. *In Ioan. collat. 32. 33. & 34. & opusc. de dono scientiæ, cap. 4.*

1077. *Veritas Sacræ Scripturæ est omnis esca pro qualitate singulorum.*

Tolles de omnibus escis, &c. Per hoc significatur, quod qui vult evadere iracondiam generalis diluvij, exemplo Noe debet tollere de omnibus escis, scilicet ex omnibus verbis Sacræ Scripturæ, quæ possunt juxta facultatem intelligentiæ esse ad conservationem, & salutem animarum, veritas enim fidei dat intelligentiam. *ser. 4. Dom. 18. post Pentec.* Sacra Scriptura est cibus aptus pro simplicibus, pro Doctoribus, & pro omnibus secundùm capacitatem, & indigentiam uniuscujusque. *op. de don. scien. cap. 4.*

1078. *Prædicator debet maximè intendere saluti animarum, nec desistere ob difficultatem.*

Fecit ergo Noe omnia, quæ præceperat illi Dominus, &c. Nota, quod Noe appellatur præco divinæ justitiæ, & prædicator verbi Dei: sed quomodò id dicitur de Noe, cum non inveniatur hoc munus ipsi fuisse præceptum, sed tantùm constructionem Arcæ? Respond. quod in præcepto constructionis arcæ etiam involvebatur præceptum de publicatione imminentis diluvij, & exhortationis ad pœnitentiam: Vnde non solùm intentissimus fuit in conservanda arca materiali, sed magis ad profectum spiritualem animarum, licèt desideretur ferè ab omnibus. *serm. 15. & 17. Hexaem.* Vnde Noe tanquam obediens nunquam destitit ab opere, licèt à toto mundo despiceretur. *ibid. & ser. 1. de una S. Virg. & in Sap. c. 10.*

1079. *Fides triumphat de Mundo, Carne, & Diabolo.*

Fecit ergo Noe omnia, quæ præceperat illi Dominus, &c. Quid fecit? Fabricavit Arcam licèt contemneretur ab omnibus, ingressus est simul cum animalibus, leonibus, tigribus, &c. Sed cur in tot contrarietatibus non destitit Noe à constructione Arcæ? quomodò non timuit ingredi cum crudelibus belluis? Non est mirum: nam Noe fides in Deo erat mirabilis inducens ipsum ad obediendum Deo contra totius mundi judicium, & sensum impiorum ipsum deridentium in cujus fidei, & obedientiæ fundamento securus operabatur, & vivebat. *in Luc. cap. 17. v. 27.* sic etiam notavit Lipomanus. Fides est armatura, qua Diabolus, mundus, caro vincitur, reddit hominem constantem, & victorem in rebus adversis, fugatque Diabolum. *serm. 1. de plur. Mart.* Verus obediens mandatum non procrastinat, sed præparat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & se totum colligit intra se, ut mandatum peragat imperantis: & talis obediens loquitur victoriam vincendo omnia sua membra exterius, & voluntatem interius. *serm. 3. Dom. infr. oct. Epiph.*

Obedientia magna enarrantur in Noe

1080. *Idem de obedientia.*

Fecit ergo Noe omnia, &c. Vide quomodò Noe perfectè obedivit Domino: vult enim Deus mandata sua diligenter observari, etiam si videantur de re parva, nam inobedientes graviter punit. *op. Bibl. paup. cap. 24. & 25.*



CAPUT VII.

1081. *Deus quàm accuratus in separando bonos à malis.*

Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam, &c. Cur voluit Deus salvare per arcam Noe, & ejus familiam? Vt hoc opus responderet secundæ diei creationis, in qua per firmamentum facta est divisio aquarum superiorum ab inferioribus; sic in hac secunda ætate per ingressum in arcam justi salvati sunt, & ab impiis divisi, qui in diluvio perierunt. *op. Brevil. in proœm. & ser. 15. Hexaem.*

1082. *Deus non punit, vel præmiat ob futura, sed ob præsentia peccata, vel merita.*

Ingredere, &c. quia te vidi justum coram me in hac generatione. Cur addit, *in generatione hac?* scilicet inter tot perversos? Nonne ex Noe nascituri erant plures impij? Nonne Cham futurus erat iniquus, & maledictus? Quia Deus non respicit in puniendo, & præmiando ad futura merita, vel demerita, sed ad idoneitatem, vel peccata præsentia: in quo commendatur Dei largitas, & sapientia, & arguitur hominis ingratitudo, & injustitia in hoc, quod à tam benefico, & tam benigno Domino se avertit sine causa. *l. 2. d. 29. a. 2. q. 1. ad 1.*

1083. *Iustorum merito liberantur alij.*

Ingredere tu, &c. quia te vidi justum, &c. Cur non dicit quia vidi te, & totam domum justam, sed tantùm fit mentio de Noe? Quia ex meritis,

 oratione,

oratione, & affectu, & ſocietate juſtorum Deus ſæpè benefacit aliis. *l.4.d.45.a.3.q.1.2.& 3.* Idem & S.Ambr.*lib.de Arca, & Noe. cap.*11. & S.Baſil. Seleuc.

1084. *Spei longanimitas, & opera bona laudem merentur à Deo.*

Quia te vidi juſtum, &c. In quonam præcipuè ſita eſt hæc juſtitia? Reſpond. in omnibus virtutibus, ſed præcipuè in longanimitate ſpei, & operum, in hoc enim maximè enituit. *Pſ.*131.

1085. *Beata Virgo myſtica Arca, in quam ingreſſus eſt filius, & ſalvatus mundus.*

Ingredere tu, &c. Nota, quod Noe fuit figura Ieſu Chriſti, ſed quando dictum eſt ei ingredere in arcam? quando ſcilicet ei præcepta fuit à Patre Incarnatio: dictum enim eſt ei ingredere in arcam, ſcilicet in uterum B. Virginis, ut per ipſam ſalvetur mundus à diluvio peccatorum. *op. laus B. Virg. fig.*4.

1086. *Dei longanimitas quanta in expectando peccatorem ad pœnitentiam.*

Adhuc poſt ſeptẽ dies pluam, &c. Nota, quod Deus pluries comminatus eſt ei expreſsè, & tacitè diluvium futurum: Nam primò ipſum Noe intimavit, deinde fabricatione arcæ expreſſit, deinde per ingreſſum animalium, & tandem idem nunc replicat, ſcilicet poſt ſeptem dies pluam ſuper terram; cur tanta repetitio? oh incomparabilis Dei bonitas (exclamat Ioan. Chriſoſt. *hom.*24.) poſt tantam longanimitatem etiam nunc ante ſeptem dies prædicit, volens metu emendatiores illos reddere, & ad pœnitentiam reducere, ideò prædicit, ne ea quæ dicit ſuper eos inducat: Verè miſerator eſt Deus, & miſericors, longanimiſque miſerator in parcendo facilìter, & ideò non eſt cur timeat peccator ſeveritatem juſtitiæ proferentis ſententiam, verè miſericors in obliviſcendo, totaliter longanimis in expectando patienter, & ideò ſi diu fuiſti in culpa, non timeas judicij ſeveritatem inferentis pœnam. *ſerm.2.Dom.20.poſt Pentec.*

1087. *Deus incutit timorem pœnæ, ut per ipſam retrahat à peccato.*

Adhuc poſt ſeptem dies pluam, &c. Si Deus intendebat retrahere homines à peccatis per has comminationes: ergo intendebat ab eis pœnitentiam ob metum pœnæ. Sed nonne hæc eſt pœnitentia ſervilis, & imperfecta? & ſi talis, quomodò potuiſſet eſſe ipſi grata? Sed Reſpondetur, quod Deus vult ab homine pœnitentiam quocumque modo etiam ſervili: quæcumque enim neceſſitas contingat peccatorem ad pœnitentiam, non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas excludit à venia ſi perfecta fuerit voluntatis mutatio, ſed in ampliſſimos ſinus charitatis miſericordia filios ſuos ſuſcipit revertentes. *ſerm.2. Dom.20. poſt Pentec.* Incutit igitur Deus per comminationes timorem, ex quo poſtea peccator ulterius progrediendo concipit ſpem, & hinc voluntatem revertendi ad Deum: Timor enim eſt veluti ſemen, vel ſeminarium, ex quo generatur pœnitentia. *l.4.d.15.p.2.a.2.q.2.*

1088. *Deus nihil intactum relinquit, ut peccatorem ad pœnitentiam pertrahat.*

Poſt ſeptem dies, &c. Si tanta commiſere peccata, & tantum tempus malè expenderunt peccando, quomodò in ſeptem tantùm diebus exigit Deus pœnitentiam? Nonne pœnitentia debet reſpondere culpæ? Nonne abſolutè Deus ſententiam jam pronuntiaverat de ſubmerſione ipſorum futura per diluvium? Sed ex hoc manifeſtatur Dei clementia, quæ omnibus modis hominem ad pœnitentiam excitare contendit: Deus enim non eſt acceptator perſonarum, dummodò pœnitentiam accipiant: non penſat nobilitatem generis, nec diuturnitatem temporis, non multitudinem operis, ſed fervorem ampliorem, & charitatem majorem devotæ mentis, non enim penſat qualis fuiſti aliquando, ſed qualis cæpiſti: malum eſt perdere propter perdidiſſe, & ſtultum eſt nolle proficere propter defeciſſe, ſi non potes ſalvari per innocentiam, ſtudeas ſalvari per pœnitentiam, ſi non potes eſſe Catharina, vel Cæcilia, non contemnas eſſe Maria Magdalena, vel Ægyptiaca: ſi perdidiſti juventutem, noli amittere ſenectutem: ſi vixiſti in maris fluctibus, moriaris in littoris finibus. *op. de quinque ſolemnit. pueri Ieſu. ſol.*1. Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum. *ſerm.2.de plur.Mart.& l.4.d.20.a.1. q.2.ad* 5. Nota etiam, quod Dominus recepit in Arca animalia tam immunda, quàm munda, & *Pœnitentia mundat immunda.*
cur illa cum iſtis aſſociavit? Sed mente percurre ad linteum, quod fuit oſtenſum B. Petro, in quo erant animalia munda, & immunda, ſcilicet peccatores, qui per pœnitentiam mundari fuerunt recepti in cælo: Verè magna virtus eſt pœnitentia, quæ ſerpentem mundat ſicut Anguillam, Lupum ſicut ovem: Vnde ſicut animalia mundata in linteo recepta ſunt in cælum, ita animæ per pœnitentiam mundatæ aſſumuntur ad regnum. *ſer.2 Dom. 2.poſt oct.Epiph.* Dic ergo, quod animalia immunda recepta ſunt in arcam, ut mundarentur, ſcilicet in Eccleſia per pœnitentiam.

1089 *Septenarius eſt inceſſus in bonum, & in malum per virtutes, & vitia exprimitur.*

Poſt ſeptem adhuc dies, &c. Cur poſt ſeptem, & non ſex, & non octo? Nota, quod numerus ſeptenarius eſt myſticus, ſignificatque gradus, per quos mali in profundum peccatorũ præcipitantur, & per quos boni aſcendunt ad Dei amorem, & perfectionem: per ſeptem ergo vitia capitalia in poteſtatem dæmonum præcipitantur mali: per ſeptenarium virtutum donorum Spiritus Sancti, & ſanctorum operum ad quietem Dei pervenit juſtus, debet eſſe immaculatus in cogitatione, juſtus in operatione, ſincerus in locutione, fidelis in promiſſione, innocens in converſatione, victorioſus in tentatione, vacuus ab injuſta temporalium collectione. *ſerm.1.in Sabb. Sanct.* Aſſignavit ergo Deus ſeptem dies ad pœnitentiam, ut intelligerent, quod per ſeptem rivos lachrymarum pro ſeptem vitiis capitalibus poterant conſequi remiſſionem peccatorum. *ſerm.3.Dom.2. poſt oct.Epiph.*

1090. *Obedientia Deo ſuper omnes virtutes chara.*

Fecit ergo Noe, quæ mandaverat ei Dominus, &c. Cur denuò repetit quòd Noe perfecerat omnia ei præcepta?

præcepta? Nonne paulò ante idem notatum est? sed hoc factum est (ait D. Chrys. *hom.*24. cum S. Laur. Iustin.) ut appareat quanti apud Deum sit obedientiæ perfectæ virtus, & quomodò hæc ipsum ad apicem justitiæ evexit: Vide ergo quomodò maligni, & inobedientes ad nihilum redacti sunt in conspectu Dei; timentes autem Dominum, & obedientea ejus præceptis tanquam amicos glorificat, & exaltat ad magnificentiam amicitiæ, & amoria in præsenti quantum ad dona gratiæ, & in futuro quantùm ad dona gloriæ: Vnde homò nisi obediat Deo humiliter, numquam dignus est ab eo honorari, imò potiùs pro nihilo tanquam servus reputari: Oh amabilis virtus, mansuetudo obedientiæ, quæ humiles ad tantam nominis excellentiam sustollit, ut potiùs Dei amici, quàm famuli denominentur! Et oh detestabile vitium arrogantia inobedientiæ, quæ de Angelo fecit Diabolum, de innocente peccatorem! *serm.* 1. *Dom.*8. *post Pentec.*

1091. *Deus ob suam pietatem abbreviat vitam peccatoribus in pœnam peccatorum.*

Eratque sexcentorum annorum quando diluvium venit, &c. Si Deus promiserat tempus centum viginti annorum, quomodò in anno centesimo misit diluvium? Nonne promissiones Dei sunt infallibiles? Sed suprà *in cap.*6. responsum est homines multiplicasse ita peccata, ut mensura temporis illis decreta centum viginti annorum abbreviata est: Et quia Deus eis vitam abbreviavit, ne majori pœna afficeretur. Vide D. Chrysost. *Hom.* 25. & D. Basil. Seleuc. *hic.*

1092. *Multi sunt vocati pauci electi.*

Ingressus est Noe in arcam, & filij ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus, nempe octo personæ. Quomodò tam pauci in tot millionibus hominum salvati sunt intra arcam? cur non aliquos alios, saltem parvulos? Sed nota, quod cum Noe, filiis, & uxoribus introducta fuerunt in arcam plurima animalia: Iam verò diximus, quod hæc arca mysticè est Ecclesia, in quam introducuntur per fidem plurimi; Hinc elice, quod verum est, multos esse vocatos per fidem, sed paucos electos finaliter ad gloriam. *serm.*2. *in Convers. S. Paul.* & *serm.*2. *Dom.*2. *post Pentec.*

1093. *In sola Ecclesia Catholica salus.*

Ingressus est Noe, &c. Cur tam pauci introducti in arcam, & reliqui in aqua perierunt? Arca hæc est Ecclesia: ut daret intelligere, quod sicut nullus evasit aquæ diluvium nisi per arcam, ita nemo evadere potest diluvium ignis, nisi per Ecclesiam, qui scilicet in ipsa fuerit inventus numero, & merito. *ser.* 2. *Dom.* 2. *post oct. Pasch.*

1094. *Omnes creaturæ pro Deo impugnant peccatorem.*

Anno sexcentesimo, &c. rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ sunt, &c. Nota apertas esse abyssus, scilicet fontea in terra inclusos & cataractas cœli, scilicet aërem concurrentibus etiam syderibus, ut appareat omnes creaturas pugnare cum Deo, & pro Deo contra peccatores: offenso enim creatore, omnis creatura offenditur. *in Sap. cap.* 5.

1095. *Dei longanimitas in expectando ad pœnitentiam, & pervicacia peccatoris in obstinatione quanta.*

Facta est pluvia quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c. Cur Deus quadraginta diebus voluit perficere hanc consumptionem, & stragem hominum, & non potius uno die, ut poterat? ut appareat (ait Chrysostom. *hom.* 25.) quanta sit Dei misericordia, & longanimitas in expectando peccatorem ad pœnitentiam: & è contra quanta sit pervicacia hominis obstinati in malo: In hoc enim elucet divina misericordia, quia multa bona malis præstat; & quia diu expectat ad pœnitentiam, nec statim punit: Vnde *Luc. cap.* 10. dicitur Deus peregrè incedere multis temporibus ob magnam patientiam in expectando ad pœnitentiam, & ne præpropera videretur exactio; ex quo patet quàm inexcusabilis sit pervicacia peccatorum. *in Luc. cap.* 20. *v.* 9. & *in Psal.* 2.

1096. *Spes est anchora in adversis: Fides est stella in mari hujus vitæ.*

In articulo diei ingressus est Noe, &c. Nota quod Noe sine ullo metu ingressus est in arcam cum tota sua familia: sed sub qua stella duce, qua anchora, velis, & gubernaculo? sub nullo alio auxilio præter spem, & fidem, quam in Dei promissis habuit: in hoc enim maximè super omnes justos eluxit: Fides enim est, sicut Stella Maris ostendens navigantibus portum salutis: spes est anchora servans navem contra procellas fluctuum, scilicet contra omnium adversitatum, & tentationum impetum. *op. diat. sal. tit.* 5. 3. & 4.

1097. *Beata Virgo est mystica Arca, in qua quisque potest salvari.*

In articulo diei illius ingressus, &c. Per Arcam Noe, & ejus familia liberata est à submersione; quid nobis id indicat? Nisi quod cum Beata Virgo sit Arca tutissima in mundo à Deo posita, qui vult à diluvio peccatorum, & damnationis salvari, debet ad ipsam confugere. *op. Lau. B. Virg. fig.* 4.

1098. *Beata Virgo Maria est gubernaculum, & anchora Ecclesiæ.*

In articulo diei, &c. ingressus est, &c. Quisnam erit gubernator hujus navis, quænam anchora, & stella dux? Arca est Ecclesia militans, ut dictum est, qui vult ergo in tot procellis, & periculis salvus esse, ad stellam maris, scilicet ad Mariam respiciat, hanc anchoram, & gubernaculum teneat. *op. Stim. div. am. p.* 3. *cap.* 16.

1099. *Ecclesia est aperta omnibus nationibus.*

Ingressa sunt ad Noe bina, & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ, &c. Quarè bina, & bina? ut significaretur, quòd in Arcam Ecclesiæ Christus voluit, ut ingrederentur Iudæi, Gentiles: omnibus enim est ostium fidei apertum. *in Ioan. cap.* 1. *v.* 7. Item introduxit tres filios, scilicet tres populos à Noe descendentes, idest de omni natione, quæ est sub cælo. *in Ioan. ibid.* Vocat igitur Deus omnes ad Ecclesiam, ad salutem, nec apud Deum est acceptatio personarum. *lib.* 1. *distinct.* 39. *dub.* 6.

dub.6.& diſtinct.46. quaſt.1. & ſermon.3. Dom.23. poſt Pentec.

1100. *Qui intrant in Eccleſiam, præcipuè Prædicatores habeant ſociam charitatem.*

Ingreſſa ſunt bina & bina, &c. Quarè combinstà volnit Deus animalia intra arcam ingredientia? Hoc totum factum eſt in figura, nempe Chriſtus figuratus in Noe voluit, ut qui ingrederentur intra Eccleſiam haberent combinationem charitatis: idque præcipuè vult in Prædicatoribus, qui ſpecialitet introducuntur in Eccleſiam in ſalutem aliorum. *in Luc.cap.*10.*v.*1.

1101. *Tribulationes in iuſtis ſunt ſolùm exteriores: nam interius in eis habitat gratia, & amor Dei.*

Incluſit eum Dominus deforis, &c. Cur Deus voluit deforis illos claudere, & non ab intus? Nota, quia iotus erat gratia, & amor Dei, ideò diluvium tribulationum ſolùm deforis erat (ait D.Chryſoſt.) Amor enim Dei dicitur jugum ſuave, & leve, quia ipſum habens vivit vita angelica, & in tanta lætitia, & jucunditate interioris animæ facit vitam iſtam amaram deducere, quia ſibi jam vita gloriæ incipit, ut jucunditas mentis pœnalitates corporia propter ſui abundantiam exciperet abſorbendo: leve etiam dicitur, quia facit, ut mala exteriora, nempe frigoris egeſtas, vel æſtas, vel calor importunus, vel aliud malum pœnale non ſibi ingenerent aliquod nocumentum. *op. Theol. myſtic. c.*1.*p.*2.*in quintam petit.orat.Dom.*

1102. *Tribulationis aqua bonos lavat, impios fœdat.*

Factum eſt diluvium, & multiplicata ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime, &c. Qua de cauſa refert Sacra Scriptura hanc elevationem arcæ, cum videatur ſuperflua hæc notatio? Vt videas (ait Oleaſter) id, quod, eſt impiis in ruinam, bonis eſt in ſublevationem: diluvium enim ſubmerſit impios, & elevavit bonos, & meritò; nam Aqua tribulationis alios mergit inquinat, & præcipitat, alios purgat, & elevat: Ignis item tribulationis alios comburit ad damnationem, alios probat, & purgat: quia quicquid recipitur per modum recipientis recipitur. *in Pſal.*65. *& ſerm.*4. *Dom.*3.*poſt oct.Paſch. & ſerm.*1.*Dom.infr.oct.Nativit.*

1103. *Meritò per creaturas punitur Peccator, quia Creatorem omnium offendit.*

Et Aquæ elevaverunt Arcam in ſublime, & ſuper montes, &c. Quæritur cur Deus uſus eſt miniſterio aquæ ad delendum impios? Nonne poterat uno ictu, & actu voluntatis ſuæ eos deſtruere? Poterat quidem, ſed ut Creatura Creatoris injuriam vindicaret: quia enim Deum offendendo ratio ſuperior ſubjicitur inferiori, ideò meritò in punitione debet ſubjici creaturæ inferiori, per naturam. *in Sap.cap.*5. *& l.*1.*d.*14.*a.*2.*q.*2.*arg.*5. *ad oppoſ. & op. Brevil.p.*7.*cap.*2.4. *&* 6.

1104. *Diluvij pœna fuit figura finalis Iudicij.*

Operti ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo, &c. Nota plures exagerat ſacer Textus, & repetit aquarum magnitudinem, quia vult nobis exponi figuram finalis Iudicij. *in Luc. cap.*17. *v.*27. *& ſerm.*2. *fer.*3. *Pentec.& op.Brevil. p.*7.*c.*4.

1105. *Peccatum fœdat loca, in quibus committitur.*

Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat, &c. Cum ſcriptura hic loquatur de cubitis geometricis, ſequitur, quod aqua altior qualibet ſummitate montium eſſet centum triginta quinque cubitorum uſualium, ſed cur ad tantam altitudinem voluit Deus elevare aquas? Nonne ſufficiebat ſubmerſio totius terræ habitabilis? Meritò id voluit Dominus (ait Carthuſ.) quia per aquam voluit non ſolùm expurgare terram, ſed & aerem fœdatum ſordibus, clamoribus obſcænis, operibus, fumis, & fœtoribus peccatorum. Et hinc etiam ante Iudicium ignis tam altè aſcendet ad expurgandam terram, & aerem peccatis fœdatum. *lib.*4. *diſt.*47. *a.*2.*q.*3.

1106. *Contemplatio deſerit terrena, & ducit ad cælum.*

Aquæ elevaverunt arcam, &c. opertique ſunt montes ſub univerſo cælo, &c. Quid eſt opertos eſſe montes ſub univerſo cælo? ad quid ponitur hæc particula? Ad ſignificandum perbellum myſterium: ſicut exiſtenti in arca elevata ab aquis ſolùm cælum, non terra apparebat, ſic rapto in contemplationem terrena relinquuntur, & innoteſcunt arcana cæli. *Pſalm.*28.

1107. *Pœnitentia elevat animam in cælum.*

Arca elevata eſt in ſublime, quia aquæ operuerant montes, &c. Quarè voluit Deus, ut arca elevaretur ſuper montes? ut ſignificaretur, quod aquæ lachrymarum, & pœnitentiæ elevant animam in altum in contemplationem cæleſtium, *op. diat.ſal. tit.*7.*cap.*1.

1108. *Accidia mala quanta.*

Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, &c. Quare quindecim cubitis, & non ſexdecim? Nota: Aqua diluvij ſignificat accidiam, vel inordinatam, & averſam animam per triſtitiam, & impatientiam ad res divinas: Hæc enim ſuffocat otioſum, quia elevatur quindecim cubitis per quindecim peccata, ſeu vitioſitates, quæ ex ipſa generantur, ſuntque tepiditas, mollities, ſomnolentia, otioſitas, dilatio, tarditas, negligentia, imperſeverantia, remiſſio, diſſolutio, ignorantia, indevotio, triſtitia, tædium vitæ, & deſperatio. *op. Diat.ſal.tit.*1.*cap.*7.

1109. *Iudicium univerſale figuratum in diluvio.*

Conſumpta eſt omnis caro, &c. Nota, quod hoc fuit figura eorum, quæ eventura ſunt in iudicio univerſali; ſicut enim per arcam ſalvati ſunt aliqui: Alij demerſi in aquam, ſic & nunc Chriſtus arcam Eccleſiæ fabricat, & in eam congregat fideles: quam conſummatam oſtendet, dum ſua præſentia ad Iudicium venerit & ſicut dum arca fabricabatur, iniqui luxuriabantur, ſic nunc dum Chriſtus intendit complere hanc fabricam per vocationem hominum, iniqui deridentur, & luxurian-

tur

tur, quos inopinato submergit in Iudicio, aliis salvatis. *in Luc.c.17.v.27.& serm.2.Pentec.*

1110. *Extra Ecclesiam omnes damnabuntur in Iudicio universali.*

Consumpta est omnis caro, &c. Nota, quod solùm qui erant in arca salvati sunt, sic datur intelligi, quod solùm salus est in Arca Ecclesiæ, & qui extra sunt, damnantur. *serm.2.fer.3.Pentec.* Sed adverte, quod ad hoc ut salventur homines intra arcam, est necesse ut in ea permaneant non solùm numero, sed & merito. Vide *suprà n.13.*

1111. *Deus nullum peccatum impunitum relinquit.*

Consumpta est omnis caro, &c. Nota, quod per hoc patet, quod Deus semper districta judicia sumpsit de peccatis: nec ullum pecatum unquam remansit impunitum. *serm.17.Hexaem.& op. Brevil. p.3.c.4.& lib.2.dist.36.art.2.q.1.& lib.4.dist.46 a.2. q.4 ad 3.& op.Bibl.paup.c.10.*

1112. *Mundus in iuventute expurgatus per aquam, per ignem luxuriæ in senectute expurgabitur, à frigore avaritiæ per ignem.*

Consumpta est omnis caro, &c. Cur per aquam in illo tempore consumptis, omnibus viventibus, & in fine mundi consumet per ignem? quia tunc mundus quasi in juventute indigebat expurgari ab igne, & scoria luxuriæ: in fine verò mundi quasi in senectute per ignem propter frigus avaritiæ, & defectum charitatis indigebit expurgari igne conflagrationis: quod vitium, quia est maximæ adhærentiæ, exiget, quod purgans sit actionis intimæ, violentæ, & acceleratæ. *op.Brevil.p.7. c.4.& Centil.p.2.sec.6.& Comp.Theol.l.7.c.15.*

1113. *Deus summè detestatur peccatum.*

Consumpta est omnis caro, &c. Inter viventes erant multi parvuli innocentes, sic & animalia absque peccato; cur Deus voluit cum impiis etiam ista comprehendere? ut patefieret mundo, quantùm Deus detestatur peccatum: nam ob peccatum, & in odium ipsius destruxit tot opera sua. *op. Diat. sal. tit.1.cap.1.*

1114. *Qui in terra sunt scripti pereunt, qui in Cælo salvantur.*

Consumpta est omnis caro, &c. Nota, quod Deus consumpsit omnes homines qui remanserant in terra, solúmque elevatos per arcam salvavit: ut daretur intelligi, quod illi, qui scripti sunt in terra, scilicet terrenis, & carnalibus affecti divino judicio subjacent: qui in altum ad Deum ascendunt, salvantur. *in Sap.cap.10.*

1115. *Crux Christi Iesu lignum salutis.*

Consumpta est omnis caro, &c. Quarè voluit, ut per arcam ligneam salvarentur octo illi homines, & reliqui perierunt? Nota, quod arca lignea figurabat Crucem: & sicut arca fuit apud impios contemptibilis: sic & crux apud Infideles: venerabilis autem apud Iustos, qui salvantur per virtutem crucis. *in Sap.c.10.* sic & S.Basil.Seleuc.*or.* 6.

1116. *Deus in suis operibus vult manifestationem suæ potentiæ.*

Consumpta est omnis caro, &c. Scilicet exceptis Noe, & septem aliis per arcam: Cur Deus per hoc lignum voluit hos salvare, reliquos consumere? ut patefieret quàm mirabilis, & miraculosa ejus potentia, & quòd omnia creata suo imperio subjacent. *op. Bibl.paup.c.1.*

1117. *Deus detestatur multiplicitatem uxorum.*


Consumpta est omnis caro, &c. præter Noe filios, & uxores. Sed cur non plures mulieres conservavit Dominus, ut faciliùs posset genus humanum multiplicari? Nota, quod solùm tot uxores servavit, quot viros, ut esset unica uxor viro: nam Deus detestator multiplicitatem uxorum. *opusc. Bibl. paup. cap.89.*

1118. *Peccata carnis maximè attrahunt è cælis flagella.*

Consumpta est omnis caro, &c. Cur non dicit consumpti sunt omnes viventes sed caro? ut patefieret; quod propter peccata carnis, & luxuriæ principaliter venit diluvium. *op.Bibl.paup.c.89.*

1119. *Non pervenitur ad contemplationem nisi consummetur omnis carnalitas.*

Consumpta est omnis caro, &c. Et quomodò? per diluvium: tuncque Deus est placatus hominibus: mystice datur intelligi, quod Deus non elevat ad raptum contemplationis, quousque non consummetur omnis malitia, & carnalitas, & cælum solum, non terra appareat veluti in diluvio existendo. *Psalm.28.*



CAPUT VIII.

1120. *Providentiæ Dei consideratio à nobis rescindere debet nimiam sollicitudinem terrenorum.*

Recordatus Deus Noe, cunctorumque animantium, & jumentorum, &c. Cur cum Noe recordatione copulat etiam omnia animantia, & jumenta etiam minima, & vilia? ut videas Deum habere providentiam de omnibus, & ut inferas à minori ad majus: si est Deo omnipotenti cura, & sollicitudo de minori, multò fortiùs de majori, scilicet de homine: majoris autem pretij sumus nos creaturæ rationales, quàm creaturæ brutales, quàm volucres, quia ad imaginem Dei sumus, propter quod cætera sunt subjecta homini: & hinc inferre denuo debes, ergo non decet nos nimium sollicitos esse pro nobismetipsis; cum simus immediatissimè sub protectione Dei, & maximè id verum est de amicis, & justis Dei. *in Luc.c.12.v.7.& ser 2.Dom.14.post Pent.*

1121. *Spiritus Sanctus extinguit peccata, & vitam dat mortuis.*

Et adduxit spiritum super terram, & imminutà sunt aquæ, &c. Quid est iste spiritus ex cujus virtute imminutæ sunt aquæ? literaliter intelligi-

tur ventus vehemens, vel etiam ſolis ardor, quorum virtus valdè contulit ad exſiccandam terram, ſed ſpiritualiter datur nobis intelligi, quod cum nomine ſpiritus, & flatus veniat Spiritus Sanctus, etiam per Spiritum Sanctum Pater, & Filium exſiccat, & purgat à peccatis, dat & ſeſſum, & motum mortuis. *l.1.d.10.quæſt.ult.& d.16. art.1. quæſt. 3. ad ult. & ſerm.3. Domin.3. poſt oct. Paſch. & op. de 7. don. cap.5.*

1122. *Cùm Deus noſtri recordatur, tunc noſtri etiam miſeretur.*

Recordatus Deus Noe, &c. Quomodò dicitur Deus recordari? Forſan eſt ſubjectus oblivioni? Minimè: ſed Sacra Scriptura ſe accommodat noſtris imperfectionibus, ut imprimat menti effectus, quos in nobis varios producit: dicitur igitur Deus oblivisci, quando non miſeretur, è contra recordari, quando miſeretur, & effectus ſuæ miſericordiæ impertit. *op.de Eſſentia Dei.*

1123. *A Deo ſolo pluviam, & bona temporalia petere debemus.*

Et clauſi ſunt fontes abyſſi, &c. Quid ſignificat, quòd ad emiſſionem Spiritus Sancti ventorum ceſſatunt pluviæ, exſiccata eſt terra? ut diſcamos, quod omnia bona etiam temporalia à Deo petere debemus: à quo veniunt pluviæ, ſiccitates, & alia bona temporalia. *fer.3.in Rogat.*

1124. *Sicut Creaturæ contra Impios armantur, ſic pro Iuſtis militant.*

Et clauſi ſunt fontes, &c. Vide quomodò, fontes abyſſi aperti inſervierunt ad punitionem malorum: Nunc clauſi inſerviunt ad bonorum utilitatem: Creaturæ igitur in ultionem offenſæ Creatoris vertuntur. *in Luc.cap.21.v.10.* & è contra habenti Deum omnia ſerviunt. *op. apol paup. art.1.ad 9.* Hoc recti judicij Dei eſt, ut Creaturæ bonis ſint in bonum, malis autem in mala convertantur. *l.3. d.9.a.1.q.2.ad 5.*

1125. *Tranſactis tribulationibus Eccleſia requieſcet in monte gloriæ.*

Requievitque arca menſe ſeptimo vigeſima ſeptima die Menſis ſuper montes Armeniæ, &c. Cur menſe ſeptimo requievit arca, & non octavo, vel ſexto? Nota, quod per numerum ſeptenarium ſignificatur dies requiei, ſcilicet Gloria beata indicans nobis, quod licèt nunc arca Eccleſiæ vacillet in aquis miſeriæ, & pugnæ: in ſeptima tamen ætate felix requieſcet ſuper montes, & excelſa cœlorum in ordinibus Angelorum, & Sanctorum meritis. *ſerm. 1. in Sabb. Sanct.* Idem & D. Gregor. Magn. *Ep.40.*

1126. *Idem de Anima.*

Requievit arca menſe ſeptimo, &c. Cur menſe ſeptimo? Nota, quod per arcam ſignificatur anima in hoc corpore exiſtens mortali vacillans per fluctus vitæ hujus miſerrimæ per ſex ætates, & tandem in ſeptima corpus requieſcet in ſepulchro, & anima in Cœlo. *ſerm. Sabb.Sanct.*

1127. *In donis Spiritus Sancti, & per ea Anima inducitur in requiem divinam.*

Requievit poſt ſeptem menſes, &c. Nota in Sacra Scriptura, hunc numerum ſeptenarium eſſe valde myſticum, præcipuéque ſignificare ſeptem dona Spiritus Sancti: Vnde poſt diluvium per ſeptem menſes, in quo ſubmerſi ſunt impij, tandem arca, in qua morabantur Iuſti dicitur requieſcere: Per quod ſignificatur, quod ubi impij ſe in requiem, & poſſeſſionem Diaboli per ſeptenarium vitiorum, ſcilicet ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, accidiæ, gulæ, iræ, invidiæ præcipitat: Iuſti verò per ſeptem dona Spiritus Sancti requieſcunt in Deo: nam per donum timoris ordinatur pars affectiva animæ ad Deum: per donum pietatis ad proximum: per donum fortitudinis contra Diabolum, & mundum: pars intellectiva per donum ſapientiæ ad ſuperiora: per ſpiritum ſcientiæ ad inferiora: per ſpiritum intellectus ad interiora: & conſilij ad exteriora. *ſerm.1.in Sabb.Sanct.*

1128. *Anima requies habetur in Chriſto monte per ſeptenarium virtutum.*

Requievit arca menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ, &c. Armenia continet plures, & altos montes: poſſibile ne eſt ut ſuper omnes, qui erant inter ſe valde diſtantes ſimul requieſceret arca? Minimè: ſed licèt Scriptura loquatur indefinitè: certum tamen eſt requieviſſe ſuper unum tantùm, & cæteros in altitudine excedentem: dicunt autem multi hunc fuiſſe Barin, vel Taurum; ſed quodnam myſterium nobis indicat? Reſpond. hunc montem ſignificare Chriſtum Ieſum: arca verò volens requieſcere in hoc monte, ſcilicet Anima debet procedere per ſeptenarium virtutum: debet autem eſſe immaculata in cogitatione, juſta in operatione, ſincera in locutione, innocua in converſatione, victorioſa in tentatione, fidelis in permiſſione, vacua ab injuſta temporalium collectione. *ſerm.1.in Sabb.Sanct.*

1129. *Maria Virgo eſt Mons, in quo Eccleſia requieſcit.*

Requievit arca in ſeptimo menſe, &c. Quid nobis iterum indicat mons tam ſublimis, in quo requievit arca? Iſte mons nobis præfigurabat Mariam Virginem, mons enim fuit ſublimis ſuper omnes montes uſurpans ſibi principatum, & imperium, ſuper quem requieſcit Eccleſia, & quælibet anima. *op.Pſalt. Min. quinq.2. & 3. & ſer.1. de B. Virgin.& Pſalt. Pſalm.75. & opuſc. Laus B.Virgin. ſig.10.*

1129. *Maria Mons, in quo Chriſtus requievit.*

Requievit arca ſuper montes, &c. Hæc arca, ut dictum eſt, myſticè eſt Chriſtus: ſed quomodò requieviſſe dicitur ſuper montes? ſuper montem, ſcilicet Mariæ ſublimiorem omnium montium: requievit enim in tabernaculo illius uteri virginalis. *ſerm.2.Sabb.Sanct.*

1130. *Qui vult ad contemplationis gradus pervenire, relinquat terrena, & aſcendat de virtute in virtutem.*

Requievit arca ſuper montes, &c. Cur ſuper mõtes, ad

ad quos difficilis erat ascensus, & itidem ex eis descensus? mysticè voluit Deus, ut filij Patriarchæ Noe, & omnes Posteri discerent, quod qui vult requiescere in Deo, & in monte contemplationis, debet abjecta, & terrena relinquere, & intētiones, cogitationes, voluntatem, affectiones, & omnia interiora ad Deum convertere, & sursum ascēdere. Hæc autem est differentia inter justos, & impios: quod dum impij descendunt de vitio in vitium in Infernum (ut evenit tempore diluvij) Iusti ad montem sanctitatis ascendunt de virtute in virtutem. *ser.2.Dom.16.post Pentec. & in Luc.c.9.v.28.*

1131. *Ieiunij Quadragesimalis efficacia contra peccatum mirabilis.*

Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ emisit corvum, &c. Cur Sanctus Patriarcha expectavit quadraginta dies, postquam arca super montes Armeniæ firma persisterat: Nota pulchrum mysterium: Numerus quadragenarius est sacratus per jejuniū quadragesimale, post quod corvus clamosus dimittitur de arca conscientiæ: dum enim aperta oris fenestra in confessione peccati, nigredo ore progreditur, & purgatur à culpa, sicque dimittitur. *serm.3. Dom.4. Quadrag. & serm.4.Dom.1.Quadrag.*

Per ieiunium fit præparatio digna ad Confessionem peccatorum.

1132. *Ieiunium quadragesimale aperit viam ad gratiam, & gloriam.*

Cumque transissent quadraginta dies, &c. Post quadraginta dies aperitur fenestra arcæ, emittitur corvus: quarè post quadraginta dies? Voluit nobis indicare Dominus, quod jejunium quadragesimale nobis aperit viam ad purgandam culpam, & ad recuperandum perdita, & ad Dei gratiam. *ser.4.Dom. 1. Quadrag.*

1133. *Nemo debet semper facere Quadragesimam observando legem Evangelij, & Decalogi.*

Cumque transissent quadraginta dies aperuit fenestram, &c. Cur aperitur fenestra post quadraginta dies? &c. Nota: quadraginta dies significant totum tempus hujus vitæ: quadraginta enim sunt quater decies: ergo in hoc tempore debet vivere homo secundùm legem quatuor Evangeliorum, & decem mandatorum, si vult sibi aperiri Cœlum, & pervenire ad montem Dei, & ad mensam gloriæ. *serm.4. Dom.4. Quadrag.*

1134. *Peccator de peccato in peccatum trahitur.*

Emisit Corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur, &c. Quarè non est reversus, quià videns cadavera super aquas natantia, super ipsa intenderat, & tendens aquis est suffocatus: per quod significatur, quòd Peccator à Deo exiens, & in peccato permanens ad aliud trahitur donec suffocetur. *op. Comp. Theol.l.5.c.7.& in Luc.c.12.v.24.*

1135. *Luxuriosus est Corvus insidens in cadaveribus immundis.*

Emisit Corvum, &c. Cur hoc? quia significat specialiter luxuriosum, qui dimissa arca continentiæ, & castitatis adhæret cadaveribus, scilicet delectationibus immundis. *op.Diat.sal.tit.1.c.9.*

1136. *Hæretici sunt Corui, qui extra Ecclesiam suffocantur.*

Emisit quoque Columbam post ipsum, &c. Quarè has duas aves emisit, & non alias? Nota, quod, ut sæpe dictum est: Arca fluctuans est Ecclesia militans, extra quam nullus salvatur: unde Corvus extra arcam remanens significat eos, qui extra Ecclesiam incedunt, scilicet Hæreticos, qui cum Corvo submerguntur in Inferno. *ser.2.Dom.Pal.*

1137. *In morte cognoscitur quis sit Corvus, & quis Columba.*

Emisit Corvum, &c. & Columbam, &c. Quid sibi vult hæc emissio Corui, & Columbæ, & differentia exitus utriusque? Nota Corvus, & Columba continentur intra arcam Ecclesiæ militantis, scilicet peccator, & justus: in morte posteà emittitur Corvus, qui cum sit vacuus bonis operibus non revertitur, nec recipitur in arcam Cæli, sed benè Columba se præsentans cum bonis operibus, & obediendo revertitur. *ser.2.Dom.Palm.*

1138. *Qualis differentia inter præscitos, & prædestinatos.*

Emisit Corvum, & Columbam, &c. Corvus non est reversus ad arcam: Columba est reversa, sed prima vice cum nō invenisset, ubi requiesceret pes ejus; reversa est sine ramo viridi: quodnam mysterium est hoc? ut significaret discrimen inter Corvum, & Columbam, scilicet inter præscitos, & prædestinatos; inter sequentes, & derelinquentes Christum: nam prædestinati si recedunt aliquando statim, & celeriter ad Christum redeunt: præsciti verò permanentes in peccato, tandem pereunt in diluvio Inferni. *in Luc. c.9.v.10.& ser.2. Dom. Palm.*

1139. *Corvus detractor, & turpiloquus: Columba, qui loquitur verba ædificatoria.*

Emisit Corvū, & Columbā, &c. Si Columba rediit, cur non etiam Corvus? Nota mysticè: per Columbam significari animam Iusti, quæ fert virentes ramos olivæ in ore, scilicet verba ædificatoria, veracia, pudica, pacifica, & similia: Per Corvum Impius significatur, qui in ore est clamosus, scilicet habet detractiones, mendacia, turpiloquia, proditionēs, & hujusmodi, de quo dicitur *in Apoc.c.22. Vidi de ore pseudopropheta, & bestia exire tres immundos spiritus. serm.4.Dom.3.Quadrag.*

1140. *Verbum missum in carnem ad remedium peccati.*

Emisit quoque Columbam post ipsum, scilicet Corvum, &c. Cur emittit Columbam post Corvum? Nota in Corvo significari peccatum, quod Deus permisit exire per mundum; sed postea emisit Columbam, scilicet Verbum suum ad sumendam carnem in uterum B.Virginis. *op.Comp.Theol.l.4.c.5.*

1141. *Beata Virgo Columba, & pacificatrix Dei, & hominis: Eva Corvus.*

Emisit Columbā post ipsum, &c. Ecce quomodò duas aves Deus immisit in mundum Evam, & Beatam Virginem Mariam: Eva significata per Corvum infidelissima fuit, & mediatrix perditionis: Maria fidelissima mediatrix ferens ramum Olivæ, scilicet pacem portans inter Deum, & hominem, salutis

antidotum viris, & mulieribus propinavit. *op.spec. B.Virg.lec.9.& op.lau B.Virg.fig.16.*

1142. *Maria Virgo Columba fine felle.*

Emifit quoque Columbam,&c. Myfticè hæc columba eft B.Virgo piiffima,carens omni felle.*op.in falv. Reg.& fer.5.Dom.1.Quadr.& op.Pfalt. Min.B.Virg. in 2. quinquag.*

1143. *Pœnitentia facit reverti ad Deum.*

Emifit quoque Columbam, &c. quæ cum non inveniffet,reverfa eft,&c. Cur non quievit,ficut Corvus fuper cadavera?quia id eft contra naturam Columbæ:In Columba fignificatur pœnitens,habens pro cantu gemitum; geme ergo revertendo ad Deum, ô Peccator ut Columba,tunde pectus,& tundendo efto correctus.*fer.2.Dom.2.poft oct.Epiph.*

1144. *In folo Deo quies, item in paupertate Chrifti.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret pes ejus, &c. Sed quomodò dicitur non inveniffe ubi pedem figeret,vel requiefceret, fi jam cacumina montium fupra aquam apparebant? litteraliter refpondetur, quod adhuc lutofa erat terra, fuper quam Columba non folet figere pedem; ideò reverfa eft ad arcam: myfticè datur intelligi, quod requies non invenitur nifi in arca in Chrifto videlicet:non in mundanis, lutofifque rebus,fed in paupertate,cum qua eft natus: non in diverforio, fed in fpelunca paupere,vel in Cruce,vel in fepulchro. *ferm. 2. in Epiphan.*

1145. *In fola unitate,& concordia eft quies.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret pes ejus, &c. Vide iterum ubi non invenitur requies:nempe feparata à Noe à Chrifto,& cæteris Columbis,ubi non eft unitas,ubi eft divifio, diftractio,& vanitas: unde reverfa eft ad arcam ad Chrifti unitatem, in qua fola eft pax, quies, & tranquillitas. *ferm.2. in Epiph.* De agmine Columbarum crebro accipiter unam feperat,quam ftatim invadat,& laceret,cujus carnibus,& cruore fatiatur,& morbofæ oves fuum relinquunt gregem,& luporum faucibus devorantur. *op. Phar.lib.3.cap.6.*

1146. *In fola confcientia Deo adhærente quies.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret,&c. Quarè non invenit requiem?quia extra arcam, fcilicet in varias res temporales diftracta, in quibus non poteft inveniri requies, fed tantùm in confcientia interius. *fer.2. Epiph.* Quicumque à Domino recedit,ftatim fluctibus quatitur, & moventur pedes ejus. *op.phar.l.3.c.6.* Dum cor noftrum per defideria fluere cœperit, quafi in tot divifum eft, quot funt ea,quæ concupifcit: hinc nafcitur motus fine ftabilitate, labor fine requie: femperque inquietum eft, donec in Deo folo permaneat. *op.de.7.itin. aetern.d.7.* Qui ftatum mentis perdidit, fubfequenter fotas inconftantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat,quod nulla interius radice conftantiæ fubfiftat. *op. Phar.lib.3.c.6.*

1147. *In rebus mundanis,& vanis nulla quies.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret pes, &c. Sed cur non invenit ubi requiefceret pes ejus?quia extra arcam, fcilicet Deum omnia funt vana:mundus enim ifte non poteft dare quietem, quia nec permanet, nec quiefcit cum fit vanus, fed femper circuit, & confequenter qui ipfi adhæret, debere circuire. *in Ecclef.proœm.& fer.5.in Pentec.*

1148. *Maria Virgo requies Dei.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret pes ejus, &c. Poffibile ne eft,ut nihil invenerit, ubi requiefceret pes?nonne tot cadavera,ligna, aliaque natabant fuper aquas? Sed nota, quod per Columbam fignificatur Spiritus Sanctus. *l.3. d.1. dub.4. & l.1. d.2 a.1.q.1.ad 3.& in lo.c.1.v.33.* Hæc Columba requiem invenit perfectè folùm in Maria Virgine, quæ eft myftica arca. *op.laus B.Virg.fig.4.& op fpec. B.Virg.c.2.& fer.de Nat.B.Virg.& fer.2.in Sabb. S.*

1149. *Anima virtutibus ornata requies Dei.*

Quæ cum non inveniffet ubi requiefceret pes, &c. Nota, quod Spiritus Sanctus fignificatus per Columbam folùm in arca requiem invenit, fcilicet in anima virtutibus ornata, quafi tot floribus ditata: dicitur autem in ea requiefcere,quia ipfam requiefcere facit in ipfo: ex quo patet quàm mirabilis fit in nos ejus dilectio,tunc enim in nobis dicit fe requiefcere, cum nos in eo requiefcimus, & cum in nobis communicat fua dona. *ferm.1. & 2. in Sabb. Sanct.*

1150. *Obedientia columbina quàm Deo grata.*

Expectatis ultra feptem diebus rurfum dimifit Columbam, &c. Quæ privilegia inerant huic Columbæ, ut eadem bis mitteretur? ut quid non potiùs Aquilam mifit? Meritò Columba, & non Aquila mittitur: Columba enim inter alias infignes proprietates, quibus eft prædita, habet hoc, quod à nido fuo non multum elongatur, fed ipfum frequentat: Unde ei facilis erat regreffus ad arcam: & per hoc fignificatur obfequiofitas obedientiæ juftorum; ifti enim divino imperio fubditi volantad feneftras fuas, fcilicet vel ad cuftodiam fen fuum, vel ad examinationem operum fuorum,vel ad mandatorum legalium executionem. *ferm. de S.Cathar.Virg.& Mart.*

1151. *Anima jufta Columba per fimplicitatem innocentiæ, & virtutum.*

Rurfum emifit Columbam, &c. Meritò Noe utitur minifterio Columbæ ad dignofcendum, fi jam ceffarent aquæ diluvij: nam per Columbam figuratur anima jufta: ficut enim Columba felle caret,roftro non lædit, prædam non accipit,nec ungulis aves difcerpit: Item gemitum habet pro cantu, fertilifque in effectu, frequenter enim in anno pullificat: fic anima jufta habet fimplicitatem innocentiæ, & inter alias virtutes pœnitentiam frequentat, & tota eft in multiplicationem fanctorum operum. *ferm. de S. Cathar. Virgin. & Mart.*

1152. *Ad feneftras vulnerum falvatoris introducuntur Columbæ, non Corvi.*

Emifit rurfum Columbam,&c. Cur iterum Columbam, & non alium Corvum?quia fciebat Columbam reverfuram ad feneftram arcæ. Hoc fuit figura,

ra, quod ad fenestras vulnerum salvatoris non Corni: non vultures Diaboli, sed Columbæ Dei volant:ad has invitantur animæ fideles, ut in ipsis inveniant securitatem,quietem,& dulcedinem Paradisi. *serm.1.in Cœna Dom. & serm. 2. de uno S. Doct.a.1.*

1153. *Peccator ad exteriora se vertit ad sui damnum: Iustus ad sui utilitatem, quia per ipsa intrat ad interiora secreta Dei.*

Emisit rursum Columbam,&c. at illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Vide quoquam discrimen est inter Columbam,& Corvum: Corvus egreditur, & non revertitur:sic Peccator impius, & carnalis ad exteriora veniens, ultra ad Christum non revertitur:Columba idest homo spiritualis cum ramo boni operis redit, talis Columba volat virtutibus,elongatur à sæculo, manet in contemplatione, & desiderio, in conversatione,in solitudine Patriæ cælestis,*serm.2.Dom.6.post Pentec.* Vide igitur,quod præsciti ab interioribus ad exteriora volant,nec revertuntur ad interiora: è contra motus omnis electorum est in ordine ad Deum.

1154. *Oratio est mystica Columba pacem ferens inter Deum, & animam.*

Emisit Columbam, &c.at illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Vide iterum discrimen inter Corvum, & Columbam:Corvus ad extra volavit,sed statim se collocavit super cadavera mortuorum, & tandem aquis est suffocatus: Columba è contra suis alis exit ad præceptum Noe, & iterum ferens ramum Olivæ in ore rediit:quid mystetij nobis hic innuitur:Nobis indicat Spiritus Sãctus,quod Oratio est veluti Columba habens duas alas,nempe jejunium, & eleemosynam:& sicut Columba ferens ramum Olivæ denunclavit pacem, & cessationem diluvij:Sic Oratio denuntiat pœnitentiam, reconciliationem, & veniam peccatorum,portatque ramum divinæ gratiæ. *op. Diat.tit.1. cap. 5.* Et sicut Columba statim ad arcam rediit,sic & Oratio per meditationem ad Cælum, & ad interiora divinitatis evolat.*op.de 7.itin.æetern.itin.2.d.7.*

1155. *Ramus boni operis exigit Spiritus Sancti societatem.*

*Emisit Columbam, &c. at illa venit ferens ramum Olivæ in ore,&c.*Cur voluit Deus, ut ramus Olivæ portaretur à Columba, & non ab alia Avi:ut daretur intelligi, quod ramus boni operis non est Deo acceptus, nisi per Columbam, scilicet per Spiritum Sanctum offeratur Christo.*serm.1.Dom. infr.oct.Ascens.*

1156. *Spiritus Sanctus assistit Sacramento Baptismi.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur per Columbam portatur ramus olivæ?Nota,quod Spiritus Sanctus figuratur per Columbam: apparuit autem Primò in specie Columbæ in Baptismo Christo: Secundò in nube in Transfigurationes Tertiò in Igne super Discipulos, per quas apparitiones datur nobis intelligi,quod in Baptismo cuilibet nostrum affert ramum virentem, scilicet innocentiam cum gratia unionis:Item incipientibus affert ramum pœnitentiæ, & meditationis: Secundò proficientibus venit in nube, faciens eos ascendere de virtute in virtutem,& Tertiò in igne inflammans perfectos per charitatem. *in Luc. cap. 3.v.22.*

1157. *Pax est propria mentis interioris, & ab omni tumultu exteriori secura.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur cum ramo olivæ voluit Deus,ut daretur nobis intelligi; quod oliva significans pacem, & tranquillitatem mentis,solùm in Arca Noe habetur, scilicet in interiore mentis, dum in silentio Deo tota est fixa, eam enim nullus cupiditatis stimulus inquietare potest, & nullus timoris aculeus agitare: in illa mente pax est,& quies, & requiescit verus Salomon. *op. Incend.amor.cap.2.*

1158. *Pax est propria Prædestinatorum.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur cum ramo olivæ, & non potiùs alterius arboris? oliva significat pacem, hæcq; à Spiritu Sancto portatur existentibus solùm in area, scilicet prædestinatis: hæc enim est propria prædestinatorum, & prædestinatis propriè annuntiatur. *in Luc. cap.10.v.6.*

1159. *Pax præ omnibus alijs virtutibus custodienda, quia omnes alias fovet, & nutrit.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur non attulit ramum Palmæ,vel Cedri? Respondent DD. quod inter omnes arbores sola Oliva conservavit folia virentia,vel in illis paucis diebus nuva emisit: sed quarè hoc privilegium datum est soli Olivæ? Iam diximus, Olivam esse symbolum pacis, concordiæ,& unitatis;ob id potest dici, quod aliæ arbores alias virtutes significent:Per hoc; datur intelligi qualis virtus sit pax,& quantum emineat super cæteras, & qualiter super omnes sit custodienda. Pax enim est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: banc quasi testamentum reliquit Christus discipulis suis; hanc qui accipit teneat, qui perdidit recuperet, & repetat, & qui amisit exquirat, quoniam qui in ea inventus non fuerit, abdicabitur à Patre, exhæredirabitur à Filio, & à Spiritu Sancto efficietur alienus. *In Ioan. Collat.66.*

1160. *Sacrificia antiqua fuerunt figura Sacrificij Crucis.*

Ædificavit Noe Altare, &c. Nota, quòd licèt ante diluvium erecta fuerint Altaria, solùm tamen hic expressè traditur, solùmq; in Sacrificio tacitè invenitur:cur hoc?quia introductio Sacrificiorum super Altare facta est per Abel,& Noe, quia figurabant Sacrificium à Christo offerendum super altare Crucis & hinc habito respectu ad hoc figuratum dicitur, Dominus odoratus est odorem suavitatis, quia omnia Sacrificia virtutem ex illo habebant.*serm.5.Hexaem.*

1161. *Altare fuit Crux, & Crucifixus.*

*Ædificavit Noe Altare,&c.*Cur Noe volens offerre holocaustum ædificavit Altare? quid est Altare?Altare est ara, seu mensa alta, idque figurabat aram sanctæ Crucis ob immolationem, & altitudinem, in qua oblatum est verum Sacrificium, Christi Crucifixi:Item significat Christum. *Ps.25.*

cripta tam piè, tam providè, ut & alijs condeſcenderent, & injunctum laborem viriliter tolerare valerent. *op. apol. paup. reſp. 2. cap. 2.*

1173. *Ciborum uſus, non ingluvies, & exceſſus conceſſus.*

Omnia quæ moventur, & vivunt ſint nobis in cibum, &c. Si hoc Deus conceſſit homini, cur admittuntur Religiones prorſus ab his cibis carnalibus abſtinentes? Et ſi id eſt ſupererogationis, & majoris perfectionis, ut certum eſt: cur poſtea non prohibentur omnibus perfectam vitam ſectantibus maxime Religioſis, & Prædicatoribus? & cur Chriſtus ipſe cum publicanis, & peccatoribus his cibis eſt uſus? Reſpondetur, Chriſtum noſtras infirmitates ſuſcepiſſe: ideò & ciborum lautiorum abſtinentiam in ſe ipſo ſuſcepit, & ſimul etiam condeſcendit noſtræ indigentiæ: factus eſt enim infirmus cum infirmis, & omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret: Abſtinere autem, & uti carnibus poteſt fieri perfectè, & imperfectè: ſed abſtinere eſt perfectiùs ex ſuo genere: uti verò carnibus eſt etiam aliquando perfectiùs, ſed tamen ratione circumſtantiæ adjunctæ, cum cibus in culpa non ſit: ſed quid conveniat locis, & tempori, & perſonis diligenter eſt attendendum: cum fieri poſſit, ut ſapiens ſine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, imò cum maximo merito pretioſiſſimo cibo utatur: è contra inſipiens fœdiſſimæ gulæ flamma in viliſſimum ardeſcat, & ſanius quiſq; maluerit more Domini piſce veſci, quàm lenticula more Eſau, aut hordeo more jumentorum: Unde non cibus, ſed appetitus in vitio eſt. *op. apol. paup. reſp. 2. cap. 2.*

1174. *Deus valde abhorret comeſtionem carnis humanæ, & hominis occiſionem.*

Excepto quod carnem cum ſanguine non comedistis: ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram, &c. Hic prohibetur occiſio, & comeſtio carnis humanæ: cum enim carnem omnium animantium conceſſerit homini, excipit carnem hominis; ex hoc quod ſolus eſt formatus ad Imaginem Dei. *in ſap. cap. 12. & op. Bibl. paup. cap. 85.*

1175. *Homicidæ puniuntur à Deo.*

Sanguinem animarum veſtrarum, &c. qui effuderit ſanguinem fundetur ſanguis illius. Hic prohibet homicidium, ſed quomodò dicitur, quod ſanguis effundentis ſanguinem hominis effundetur, cum plures homicidæ moriantur ſine tali effuſione: ſed hic intendit Deus ſtatuere pœnam mortis contra homicidas, contra quos Deus ſumit ſemper vindictam. *in Luc. cap. 11. v. 51. & op. de prof. relig. l. 2. c. 46. & op. Bibl. paup. c. 85.*

1176. *Iris à Deo poſitus in ſignum fœderis.*

Statuam pactum meum vobiſcum, &c. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum inter me, &c. Arcus iſte generatur ex radio ſolis in nube concava: eſtq; effectus naturalis, & ſignum propinquæ ſerenitatis: ſed à Deo voluntariè aſſumptum divini fœderis. *op. Comp. Theol. l. 2. c. 9. & ſerm. 14. Hexaem.*

1177. *Verbum in Incarnatione factum eſt Iris, & ſignum fœderis.*

Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, &c. Ad quid voluit Deus ponere pro ſigno fœderis inter ipſum, & hominem hunc arcum, qui eſt quid naturale? Arcus iſte figurabat Chriſtum Ieſum, qui conſtat ex radio ſolari divinitatis, & nube humanitatis: & dicitur nubes concava, & rorida ratione plenitudinis gratiæ: dicitur autem poſitus iſte arcus in nubibus, ideſt defectibus carnalibus tenebroſæ humanitatis impedientibus ſalutem in hominibus: Poſitus autem in his defectibus non ut obſcuraret, ſed ut contemperaret, quia eius extrema contingunt Cælum divinitatis, & terram humanitatis: & iſte arcus ſignum eſt fœderis inter Deum, & Creaturas. *ſerm. 1. Dom. infr. oct. Nativit. & ſerm. 14. Hex.*

1178. *Chriſtus in Cruce arcus fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Arcus in nube eſt Chriſtus in Cruce: ſicut enim arcus cæleſtis habet cornua verſus terram, ob idq; non extenſus ad eam feriendam, ſignans pacem, & gratiam, ſic Chriſtus tendens tranſverſaliter brachia, caput inclinavit ad terram, ſignans, ſe ad hoc voluiſſe pati, ut eſſet ſignum gratiæ dandæ homini, & rigoris temperandi. *ſer. in Exalt. S. Cruc. & ſer. 14. Hexaem.*

1179. *Arcum fœderis poſuit Deus in ceſſatione perſecutionum Imperatorum in Eccleſiam.*

Arcum meum, &c. Hoc myſticè adimpletum eſt, quando poſt diluvium tot perſecutionum Imperatorum in Eccleſiam Dei venit Conſtantinus, cui oſtendit ſignum Crucis in cælo, in quo vincere debebat, tunc enim pepigit fœdus, quod nunquam Romanorum Imperium perſequeretur Chriſtianos. *ſerm. 16. Hexaem.*

1180. *Beata Virgo fuit Iris, & ſignum fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Hic Arcus fuit figura Beatæ Virginis Mariæ, ad cuius adventum mitigatus eſt Deus erga hominē: eius color ceruleus fuit virginitas, rubeus fuit charitas: aqueus humilitas: in nubibus cæli poſitus, ſcilicet in hoc mundo obſcuro poſitus, ut nos illuminaret virtutibus, & exemplis: Arcus ideò eſt inſuperabilis, potens, fortis, dulcis, amabilis, patens cæli portis poſt præſentis metam mortis. *op. laus B. Virg. fig. 5.*

1181. *S. Franciſcus arcus, & ſignum fœderis.*

Arcum meum, &c. myſticè iſte Arcus poteſt dici P. S. Franciſcus refulgens inter nebulas gloriæ, ſignum in ſe Dominici fœderis repræſentans per vulnera, qui pacem, & ſalutem evangelizavit hominibus, exiſtens & ipſe Angelus veræ pacis. *op. legend. S. Franc. in Prologo.*

1182. *Chriſtus aliquando ſe occultat, ut ardentiùs quæratur.*

Cum obduxero cælum nubibus, &c. apparebit arcus meus, &c. Nota: cælum ſemper eſt ſerenum, & lucidum; quomodò igitur dicitur, quod obducitur, ſeu regitur nubibus? Hoc dicitur quoad aſpectum noſtrum, ob interpoſitionem vaporum enim apparet nubiloſum. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.* Sed quodnam myſterium nobis hic indicatur? quia aliquando Deus nobis occultatur, ut ardentius quæratur. *ſerm. 3. in Aſcenſ.*

1183. *Chriſtus*

1183. *Chriſtus in Eccleſia eſt cælum tectum nube ſpecierum : & arcus fœderis.*

Cum obduxero cælum nubibus, tunc apparebit arcus meus, &c. Videtur, quod non ſemper verificetur hoc promiſſum Dei: ſæpe enim tegitur cælum nubibus, & tamen non ſemper appatet arcus? ſed ad pulchrum myſterium inſinuandum id dicitur: Nubes enim eſt caro Chriſti in Euchariſtia, cum igitur apparet Chriſtus tectus ſpeciebus Sacramentalibus, tunc arcus exponitur, ſcilicet fœdus pacis inter Deum, & hominem. *in Luc. cap. 9. v. 34. & 35. & in Thren. c. 3. v. 44. & in ſap. c. 16. & ſerm. 1. in dedic. Eccleſ.*

1184. *Sacra ſcriptura eſt cælum obvolutum nubibus figurarum, & ænigmatibus.*

Cum obduxero cælum nubibus, &c. Hoc myſticè fuit Chriſtus in ſacra ſcriptura, quæ eſt veluti cælum, cum ſit veritas cæleſtis divinitus inſpirata: apparet enim figuris, & ænigmatibus veluti nubibus involuta, ut carnalibus, & indignis lateant myſteria: quæ tamen pijs mentibus, & ſapientibus lucida ſunt, & aperta: Idem & faciunt exponentes ſacram ſcripturam, vel eam prædicantes, quando ad ſimilitudinem Dei claritatem huius cæli obvolvunt nubibus ſubtilibus ſubtilia ſubticent, & ſimplicibus ſimplicia, & facilia proponunt, quibus hæc ſufficiunt. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4. cap. 4.*

1185. *Sanctiſſima Trinitatis unitas, & Trinitas antiquitùs adumbrata.*

Tres iſti filij Noe Sem, Cam, & Iaphet, ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum ſuper univerſam terram. Cur ſolùm tres filios voluit Deus ſervari in Arca ad futuram propagationem? Nonne convenientiùs erat, ut plures alij ſervarêtur, ut celeriùs mundus repleretur hominibus: Ideò tres filij ex uno Patre, ad deſignandum myſterium Trinitatis, & unitatis. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph.*

1186. *Charitatem vult Deus ab homine.*

Tres iſti filij, &c. Cur ex uno Patre voluit ſervari tres filios? & cur non aliquis ſervatus eſt ex alio Patre natus: Reſpond. ad commendandam dilectionem fraternitatis, ſic etiam voluit, ut ex uno Adam omnes gignerentur. *in Luc. cap. 10. v. 27.* Vt homines videntes ab uno ſolo principio ſe eſſe, ònitatem inter ſe amarent, & fraternam charitatem exquirerent. *ſerm. 9. de Apoſtol.*

1187. *A tota Trinitate creatio animarum: à peccato ſuffocatio ipſarum.*

Ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum. Cur à tribus fratribus: ut indicaretur à tribus Perſonis divinis diſſeminatas fuiſſe omnes animas in ſingulis corporibus ſucceſſivè: unde à principio Mundi Deus eſt ſeminator animarum, ſed multoties ſuffocatur hoc ſemen per ſuperbiam, gulam, &c. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph.* Vide quale malum eſt peccatum, quod animam immortalem ſuffocare conatur.

1188. *Benedictio Domini in hominem qualis.*

Ab his diſſeminatum omne genus humanum ſuper univerſam terram, &c. Vide effectus benedictionis divinæ, nempe propagationem hominum, & poſſeſſionem terrarum: *Vid. ſuprà n. 1.*

1189. *Deus nullius ſtatum quantùmcumq; vilem deſpicit, ſed omnes ad ſe vocat.*

Cæpitq; Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, &c. Nota, quod Noe caput tunc totius generis humani, & iure Princeps denominatur agricola exerceos terram: ſed cur ad miniſterium tam vile ſe applicavit? ut daretur intelligi, quod Deus cum divites ſibi ſubijcit, pauperes non repellit, cum fortes humiliat, ad ſe venire debiles non recuſat, cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit, cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit: nulla eſt acceptio perſonarum apud Deum, *ſerm. 3. Dom. 23. poſt Pentec.* Ex hoc intellige, quod apud Deum juſti ſunt Reges, & Principes, coronam portantes, & per currus varios ad Cælum portantur, ſcilicet in ſtatu Conjugali, Viduali, & Virginali. *ſerm. 4. in Aſcenſ.* *Iuſti omnes, etiā natura viles, ſi juſti, ſunt Principes apud Deum.*

1190. *Otium diligenter ab omnibus, maximè à ſervis Dei fugiendum.*

Cæpit Noe exercere terram, &c. Cur ſtatim opere laborioſo colendi terram ſe Noe applicavit? Reſpond. ut otium vitaret: otium enim vitandum omnibus tanquam ſentina omnium vitiorum, & potiſſime his, qui ſe perfectioni aſtrinxerunt: hinc Seraphicus P. S. Franciſcus laborare vel corporaliter, vel ſpiritualiter præcipit ſuis Fratribus. *op. de paupert. Chr. q. 2. ad ult.*

1191. *Agricultura animæ diligenter exercenda, ut vepres vitiorum extirpentur ab anima.*

Cæpit Noe exercere terram, &c. Ergo ne totum ſe applicavit labori manuali? Cur non etiam ſpiritualibus operibus: ſed iam ſupra dictum eſt, per ipſum ædificaſſe Altare Domino, &c. Unde eius exercitium fuit quidem extrinſecum in terra, ſed magis interius in anima, &c. Non enim otioſis, ſed operantibus redditur merces æterna: ad excolendam autem terram animæ requiritur, ut à malis radicibus vitiorum, ab urticis malorum deſideriorum, à ſpinis peccatorum exercitio pœnitentiæ, diſciplinæ, & mortificationis, ſic enim homo ſatiabitur panibus operum, & lætificabitur vino devotionis, & gratiæ. *ſerm. 2. & 3. Dom. ſeptuag. & ferm. 1. in ſexag.*

1192. *Noe plantavit vineam, & vinum extraxit dictante Deo poſt diluvium.*

Plantavit vineam, &c. Nota non legitur plantata vinea ante diluvium, & tamen certum eſt, quod vites tunc fructificabant: cur poſt diluvium tantùm legitur per agriculturam plantata vinea, & vinum præparatum in potum homini? litteraliter reſpondent D.D. quod ante diluvium cibi erant maximæ virtutis, ideò homo non indigebat vino: poſt diluvium, cum elanguerit terra, & fructus minoris virtutis fuerint; hinc dictante Deo Noe cæpit plantare vineam, vinumq; extrahere, ut tantillum caloris, & roboris adderetur fructibus, & ſtomacho: vinum enim ſumptum cum ſobrietate confert ad ſanitatem. *l. 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 1. ad arg. & in Ioan. collat. 12. & 13.* ſed quid nobis ſpiritualiter

Ex Christo vino nobis propinatum est vinum Eucharisticum in remedium omnium nostrorum malorum.

liter demonstratur? Attende mysterium: Noe plantavit vites, scilicer Deus Pater plantavit Christum, qui est vitis vera, ex quo extraxit vinum, scilicet charitatis ferventissimæ, & in Euchatistia ut vitam nobis conferret. *serm. 3. Dom. 1. post oct. Epiph. & l. 4. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 2. & 4. & in Io. Collat. 12. & 23.*

1193. *Christus plantator Ecclesiæ, ad quam invitantur omnes, ut laborent.*

Plantavit vineam, &c. Mysticè hæc vinea est Ecclesia, quam Christus plantavit: in cuius vino, scilicet in fervenri amore inebriatos, nudatusq; est in Cruce. Ad hanc vineam invitantur omnes, ut si tu non veoisti hora prima, saltem venias hora tertia, vel sexta, vel nona, vel saltem miser senex in undecima. De hac vinea fructum fidei, & amoris, & justitiæ reddere debet homo: aliòquin per damnationem eijcietur, & alius assumetur. *serm. 2. Dom. septuag. & serm. 3. Dom. infr. oct. Ascens. & serm. 3. Dom. 20. post Pentec. & serm. in Dom. 5. post oct. Epiph.*

1194. *Anima est Vinea, à qua urtica, & spinæ sunt evellenda.*

Plantavit vineam, &c. Vinea hæc est mysticè conscientia, in qua tamen multi habent urticam carnalium desideriorum, & spinas pungentium odiorum pro vino compunctionis, & amoris Dei, & proximi. *serm. 2. Dom. septuag.*

1195. *Religio, & status pænitentialis est vinea à Christo plantata, in qua est nobis laborandum.*

Plantavit vineam, &c. Hæc vinea mysticè est Religio, & status pœnitentialis, cuius flores odoroli, & fructus sunt bonæ operationes: in hac vinea Diabolus quærit pro vitibus planrare olera exemplo Acbab. 3. *Reg. cap. 21.* nempe carnales pro spiritualibus. *serm. 2. Dom. septuag. & ser. 10. Pentec.*

1196 *Sacra Scriptura est vinea, à qua extrahitur vinum cognitionis supernorum mysteriorum.*

Plantavit vineam, &c. Mysticè hæc vioea est Sacra Scriptura, quam Deus plaotavit in Ecclesia in cordibus sanctorum tanquàm in Paradiso, cuius fructus sunt sensus spirituales ex ea producti: In hac vioea sunt duo Testamenta continentia doctrinam de Christi divinitate, & humanitate: Hanc vineam demolire quærunt Vulpes, scilicet Hæretici corrumpentes Sacras Scripturas. *serm. 2. Dom. septuag. & op. de 7. Itin. ætern. itin. 7. d. 7.*

1197. *Vinea est mens anima rationalis sanctis inspirationibus plantata, & à tota Trinitate exculta.*

Plantavit vineam, &c. Vide quot vineas plantavit Deus Pater, scilicet mentes humanas capaces odoriferæ illius sapidæ paris, quæ est vera vitis, quam Pater cælestis agricola tanquam in horto vinearum sacris inspirationibus plantat, Sacramentis vegetat, & bonis operibus maturat, prout gradatim ipsam vioeam excolit, ut fructificet: Tota igitur Trinitas has vineas inhabitat; Pater in memoria operarios ad laborandum excitans sacris inspirationibus: Filius in intelligentia operarios ad prudenter laborandum claris veritatibus illuminans: Spiritus Sanctùs in voluntate operarios ad exemplariter operandum fervidis affectionibus inflammans. *op. de 7. Itiner. ætern. itin. 7. d. 7.*

1198. *Ebrietas aliquando excusatur à peccato, aliquando non.*

Bibensq; vinum inebriatus est, &c. Quomodò Noe justus prædicator, si in ebrietatem incidit? sed respond. quod ebrietas non semper est peccatum, ut cum quis liquoris fortitudinem non agnoscit: ut evenit in Noe, qui nondum expertus fuerat vim vini: qui verò ex nimia sumptione vini sciens vini effectus ebrius fit peccat mortaliter. *op. spec. an. cap. 3.*

1199. *Ebrietas mentem alienat, facit insanum, reddit hominem belluam, & Dæmonem.*

Bibens vinum inebriatus est, & nudatus in Tabernaculo, &c. Vide quomodò ad ebrietatem sequitur nuditas. Sed nota, quod cum esset Noe totus nudus, tamen Sacra Scriptura solùm indicat verenda esse nudata: cur hæc advertentia ponitur? Ad indicandum, quod luxuriosa res est vinum: quod ad ebrietatem sequitur libido in illis partibus residens: Ebrietas enim est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis injuria: hanc qui habet, se non habet, hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet peccatum non facit, sed ipse est peccatum: Dum igitur venter à facietate non restringitur per concupiscentiam carnis, simul omnes virtutes obruuntur. *op. de sex al. Cherub. al. 3. & op. de prof. relig. l. 1. c. 39. & serm. 1. de uno S. Confes.*

1200. *Superfluitas maximè in cibo, & potu damnatur.*

Bibens vinum inebriatus est, &c. Quomodò vir justus judicij rationem tam cito amisit? sed mirum non est: nam ebrietas est insania vera, *in Io. collat. 12.* Iudicium ergo amisit, quia admisit superfluum, non contentus necessarijs. Qui enim nimium vinum, & pinguia diligit, nunquam in virtutum possessione dilabitur: Notum quippe usus permittitur, abusus, & superfluitas, & concupiscentia prohibetur: Immundi autem spiritus se ibi inijciunt, ubi amplius vident cibum, & potum. *op. spec. discipl. p. 1. cap. 32.*

1201. *Christus inebriatus vino Charitatis, & nudatus in Cruce*

Bibens vinum inebriatus, & nudatus, &c. Cur hæc ebrietas sine culpa in medium ponitur? Item & nuditas? Noe figurabat Christum, ut sæpe dictum est, qui plantavit vineam, scilicet Ecclesiam, inebriatusq; est vino fortissimo suæ charitatis, quando pro salute mundi mori voluit, & nudus exponi in Cruce: sed quomodò ebrietas dicitur de Christo? Vide quomodò Ebrius quandoq; nudatus, & Christus nudatus est à Iudæis. Ebrius deridetur, sicut Noe derisus fuit à Cain, & Christus derisus est à Iudæis. Ebrius famè incedit & Christus ut insanus reputatus est: & sicut David finxit se insanum, collabebanturq; salivæ de ore, & Christus alapis, & sputis percussus: Ebrius inermis audacter invadit armatum, & Christus Diabolum sine armis, ut David Goliam quinque lapidibus vulnerum, & baculo Crucis. *serm. 3. in Parasc. & in Luc. cap. 23. v. 34. & cap. 24. v. 27.*

1202. *Vinum mundanæ delectationis infatuat hominem, & brevissimam delectationem confert: Vinum cælestis delectationis est maximum, & diuturnum.*

Bibens inebriatus est, &c. Cur proponitur hæc injuria

juria viri Iufti?Ad ædificationem noftram:daturq; intelligi,quod ficut folatium, quod habuit Noe de hac poratione fuit breviffimũ, ad quod confecuta eft afflictio fua,& deinde maledictio in filium;fic & folatium mundi comparatur mufto, quod inebriat, & infatuat hominem abforbens rationem hominis,& ufum eius?Non fic folatium, quod accipit homo à Deo eft veluti vinum depuratum, quod eft fortiffimum, & femper durat, & eft maximum.*ferm.1.in Rogat.*

1203. *Prælati incuria à Deo damnatur.*

Bibens inebriatus eft, &c. Nota non fine myfterio notatur ebrietas,& nuditas Noe,qui erat veluti Princeps, & Prælatus aliorum: Prælatus enim quando incuriosè,& negligẽter vivit,veluti ebrius nudatur fancta,& exemplari fama:& tunc in derifionem tranfit.*ferm.4.Dom.3.poft oct.Epiph.*

1204. *Ebrietas fpiritus facit denudari peccata in Confeffione.*

Bibens inebriatus eft, &c. Cur ponitur in viro jufto hæc ebrietas?ut fignificaretur, quod ebrietas fpiritus in compunctione, & contritione facit denudari turpitudinem in Confeffione. *ferm. 3.Dom. 11.poft Pentec.*

1205. *Vinum Charitatis ex contritione exprimitur.*

*Bibens inebriatus eft,&c.*Proponitur hic ebrietas fpiritualis:daturq;intelligi,quod vinum lachrymarum expreffum de propaginibus Contritionis,Confeffionis,& fatisfactionis eft charitas;quo vino delectantur Angeli,videntes Converfionem peccatoris. *ferm.3.Dom.12.poft Pentec.*

1206. *Vinum carnalium delectationum abforbet mentem.*

Bibens inebriatus eft, &c. Nota, quod Noe inebriatus,& nudatus dormivit in tabernaculo: quid nobis id indicat:quod homo,qui vino delectationis terrenæ fe abforbet, denudatur vefte bonæ vitæ, & dormiens vivit, nec advertit mala imminentia. *ferm.3.Dom.20.poft Pentec.*

1207. *Incautus afpectus, & locutio quàm damnofa.*

*Quod cum vidiffet Cham Pater Chanaan verenda fcilicet Patris effe nudata nuntiavit,&c.*Vide quibus gradibus præcipitatus eft in maledictionem paternam:prius vidit curiosè,& turpiter:deinde nuntiavit Fratribus fuis, fcilicet cum derifione: Ex hoc addifcere debes quales fructus exhauriuntur ex incauto vifu:Item & ex locutione. *op. Bibl.paup.cap. 92.& 93.*

1208. *Inhonorans Parentes graviter à Deo punitur.*

*Quod cum vidiffet,&c.maledictus Cham,&c.*Vide quali pœna punitus fuit Cham ob inhonorationem Patris: fic enim inhonorantes Parentes maledicti, infames funt, & à Deo puniuntur multoties horribiliter,& breviori vita. *op. Diat.tit.3.c.3. & ferm.5.de decem Precept.*

1209. *A fubditis reprobis manifeftantur delicta Prælati.*

Cum vidiffet Cham,&c nuntiavit Fratribus fuis,&c. Quarè notatur hæc evulgatio facta Fratribus fuis, &c. ut pateat ex quo fonte orta fit maledictio Cham:datur enim intelligi, quòd Deus fpecialiter abhorret vitium detractionis,& fufurrationis fubditorum in Prælatos: Cum enim fubditus videt aliquem defectum in Prælato,debet non detrahere,fed compati ei quafi homini,in quo ferè impoffibile eft,ut vivat fine defectibus:& eo magis,quia fæpe quod in eo reprehendimus ex noftro vitio magis eft,quàm ex eius culpa,imò fæpe eft bonum, & fancta intentione, vel neceffitate factum:honorandi ergo funt Prælati, & Patres, in corde, nec fperni debent, ne fortè maledictio Cham in nobis defcendat, & ne fortè Deus in eis fpernatur. *op. de Inftit.Novit.p.1.cap.3.*

1210. *Honorans Parentes benedicitur à Deo inhonorans malediditur.*

*Sem & Iaphet operuerunt verenda Patris, &c. & hinc contraxerunt benedictionem,&c.*Vt videas quāti meriti apud Deum fit honor exhibitus à Filijs Parentibus. *ferm. 5.de dec. precept.*Et Cham maledictus,quia nuditatẽ Patris derifit.*op.Bibl.paup.c.61.*

1211. *Peffimi sũt effectus maledictionis divinæ.*

*Maledictus Chanaan, &c.*Quid fequutum eft ex hac maledictione?obftinatio in Cham,& filijs,quia in eis erant qualitates dignæ tali maledictione. *in fap.cap.12.*

1212. *Maledicitur à Deo difcooperiens culpam Proximi.*

Maledictus Chanaan, &c. Hæc maledictio ei fuit inflicta,quia tenebatur operire verenda Patris, & ea potius propalavit:Ex hoc vide qualem maledictionem infligat Deus aperienti culpam proximi fecretam.*l.4.d.21.p.2.a.1.q.3.fund.3.*

1213. *Vnufquifq;eft author fuæ maledictionis.*

*Maledictus Chanaan,&c.*Sed à quo maledictus? Cur non dixit maledictus à me?quia Noe erat figura Dei: licèt enim fit æquè juftus, ac misericors: tamen quia ad opus mifericordiæ non requiritur nifi Dei bonitas; ad opus verò juftitiæ præfupponitur iniquitas, à qua trahit originem maledictio, & punitio.*in fap.c.12.& l.1.d.47.dub.1.*Hinc infertur; quod unufquifq;eft author fuæ maledictionis.

CAPVT X.

1214. *A tota Trinitate creantur Animæ.*

Per hos tres, à quibus diffeminatum eft totum genus humanum intelliguntur tres Perfonæ Divinæ, à quibus originaliter diffeminantur omnes animæ:quod & fupra notatum eft. *ferm.4. Dom. 4. poft oct.Epiph.*

1215. *Ex bonis Prælatis activis, & contemplativis proveniunt fructus boni in alios.*

Hæ funt generationes filiorum Noe, &c. Per hos tres fignificantur illa tria fata à muliere Evangelica abfcondita in farina,de quibus *in Luc.cap.13.*& figurabant tres differentias fidelium, in quibus Dei fapientia dilectionem fuam abfcondit in via, fcilicet bonos Prælatos, bonos contemplativos, & bonos activos: Vel triplicem fubftantiam in Chrifto inclufam,fcilicet divinitatem,animam, & corpus.*in Luc.cap.13.v.21*

1216. *Antichriftus fua auctthoritate fe conftituet Principem, & Tyrannum, ut fecit Nembrod, qui fuit primus Imperator in mundo.*

Porrò Chus generavit Nembrod, ipfe cœpit effe potens

potens in terra, &c. Nota, quod in illis primis temporibus in qualibet familia primus natu, primus etiam erat auĉthoritate, & gradu honoris, familiam regens, & lites dirimens. In familia Chus primus natu fuit Saba: Secundò Hevila: Tertiò Sabtha: Quartò Regma: Quintò Sabathaca: & Nembrod erat sextus in ordine: quomodò igitur dicitur hic fuisse potens in terra? Quia iste erat superbus, viribus validus, seq; propria auĉthoritate primum Imperatorem fecit in Babylone: fuitq; figura Antichristi, qui sua auĉthoritate, & violentia extolletur super omne quod dicitur Deus. *serm. 15. Hexaem.* Fuitq; Diaboli imitator, qui alijs præesse sua auĉthoritate voluit. *l. a. d. 5. a. 1. q. 1. corp.*

1217. ***Princeps verus communem utilitatem fovet: Tyrannus propriam.***

Ipse cœpit esse potens in terra, &c. Quis eum constituit in hac potentia, & fecit Regem Babylonis, ut dicitur infra? sua auĉthoritate, & violentia in alios, dicitur enim robustus venator, scilicet opprimens alios. *serm. 15. Hexaem.* Hæc autem differentia est inter Tyrannum, & Principem, quod Tyrannus quærit propriam utilitatem dispendio, & cæde subditorum: Princeps verò communem subditorum utilitatem. *serm. 5. Hexaem.*

1218. ***Prælati mali necant animas subditorum.***

Et erat robustus venator coram Domino. Legunt Septuaginta, *contra Dominum*: Per hoc indicatur, quod Nembrod fuit crudelissimus, & homines tamquam animalia venatione capta opprimebat tyranide: Ecce figura mali Prælati ait Philip. Abbas. Parum est malis Pastoribus, quod oves languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant, sed etiam ipsas fortes, & pingues necant, scilicet malè vivendo, malum exemplum præbendo. *op. Phar. l. 1. cap. 12.*

1219. ***Diabolus ad venandas animas utitur ministerio hominum iniquorum.***

Et erat robustus venator, &c. Ad quid ponitur, quod erat venator? quia, ut dictum est, venabatur per violentiam homines, &c. figurabatq; Diabolum: De Dæmonibus dicitur, *in Thren. 3. Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei gratis.* Diabolus enim esca voluptatum capit animas: utiturq; etiam ministerio mulierum lascivarum, hæreticorum, consiliariorum, malorum sociorum, & aliorum ad peccata trahentium: istiq; sunt venatores Diaboli. *serm. 3. Dom. 4. post Pentec.*

1220. ***Diabolus habet suos venatores in malum: Christus habet in bonum.***

Et erat robustus venator coram Domino, &c. Quid est esse venatorem coram Domino? Nota ex SS. PP. quod illa particula, *coram Domino*, potest intelligi in malum, scilicet contra Dominum, & in bono, idest ad gustum Dei: Quia Deus habet suos venatores, & Diabolus suos: mali autem insidias, & laqueos ponunt, & fundunt sanguinem animarum, eas occidendo spiritualiter, & lucrando pro Diabolo: Boni verò ad Deum, & pro Deo capiunt animas trahentes verbo, prædicatione, & exemplo ad pœnitentiam. *serm. 3. Dom. 4. post Pentec. & Psalm. 90.*

1221. ***Peccator in suo opere confusionē invenit.***

Fuit autem principium Regni illius Babylon, &c. Nota, quod non sine mysterio notatur regio super quam regnavit primus Tyrannus, scilicet Babylon, interpretatur autem confusio: significatur autem, quod si ad tempus superbi florere videntur: semper tamen in fine confunduntur, & deijciuntur, ut evenit in monarchia Babylonica, quæ cum videretur esse potentissima, una nocte tamen capta fuit Civitas, & cum Rege suo superbissimo velut scintilla ignis perijt. *serm. 4. de uno Confes.*



CAPUT XI.

1222. ***Deus est seminator pacis inter homines.***

Erat autem terra labij, &c. Nota hic terra sumitur pro homine: homines autem erant unius sermonis, &c. ut discas, quod Deus concordiam inter homines primò seminavit, quam ipsi postea fregerunt: Nam testamentum Dei, & hæreditas pax est, ut à concordibus consortibus possideatur, non à litigantibus dividatur. *op. Phar. lib. 4. cap. 16.*

1223. ***Arctam viam derelinquentes recedunt à Christo.***

Cum proficiscerentur ab Oriente invenerunt campum, &c. Quare ponitur hic recessus ab Oriente? Nota, quod oriens significat mysticè Christum; in illa parte enim erat Paradisus terrestris: Unde Ecclesia orat ad orientem, ut illuminaretur à vero sole justitiæ. *in sup. cap. 16.* sed perversi recedunt à Christo, & se collocat in Sennaar, quod interpretatur fœtor, & putredo dentium: collocant se ergo in stabulo porcorum fœtido, in loco ubi sēper bellum intestinum est, scilicet se immergendo in delicijs mundanis, & inutilibus curiositatibus: unde dicebat Hier. *Thren. cap. 1. Via Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*: viæ enim Sion scilicet Dei sunt arctæ: viæ mundi latæ. *op. mystic. Theol. in præfat. & serm. 2. de S. Ant. & serm. 2. in dedic. Ecclesiæ.*

1224. ***Qui voluptatibus inserviunt, in luto, & igne se immergunt, & Diabolo ædificant.***

Dixitque alter ad proximum suum, venite faciamus lateres, &c. Ad quid istos lateres? ad construendam Civitatem, & Turrim, quæ sit altitudinis immensæ, & durationis perpetuæ: sed cur non assumunt petras, & lapides; sed laterēs coctos? sed nota, quod isti impij discesserunt à montibus Armeniæ, in quibus Arca requievit, & descenderunt in planum campum ad ædificandam Babylonem ex lateribus igne coctis: sic faciunt iniqui recedentes à Christo, qui est petra, & fundamentum Civitatis supernæ, & in latere se immergunt, scilicet in luxurijs, & æstu cupiditatis, istique ædificant Diabolo, non Deo. *Psalm. 126. & 39. & 26.*

1225. ***Peccator insanus, & excæcatus tentat impossibilia.***

Et dixit, &c. Venite faciamus & Turrim, quæ pertingat ad Cælum, &c. Quomodò ad Cælum? erant ne tam insani, ut non cognoscerent

T 2

rent ſe intentare impoſſibilia? ſed non eſt mirum: Nam nunquam prævertitur affectus, niſi priùs prævertatur judicium, nec prævertitur judicium, niſi aliqua excæcatio ſit in ratione; excæcatio verò pullulat à præſumptione: ſic etiam Diabolus excæcatus appetijt, & attentavit æqualitatem Dei conſequi, quod erat impoſſibile: Hocque eſt proprium ſuperbiæ. *l.2.d.5.a.1.q.1.& 2.* ſic & S. Joan. Chryſoſt. *Hom.*30.

1226. *Superbia inficit etiam perfectos.*

Venite faciamus Turrim, cuius culmen pertingat ad Cælum. Nota; hic eſt fructus ſuperbiæ: quæ ſicut turris uſque ad cælum pertingit, ſcilicet uſque ad perfectos viros, quia inficit omnes *op. Comp. Theol. lib.3.c.15.*

1227. *Concordia bonorum in bono optima: malorum in malo peſſima.*

Venite faciamus, &c. Quomodò ſi erant impij tam concordes ſe oſtenderunt, cum concordia ſit tam excelſa virtus? Nota, quod eſt concordia bonorum in bonum & bona, malorum in malum mala: ſicut noxium eſſe ſolet, ſi unitas deſit bonis, ita perniciosum eſt, ſi non deſit malis: Perverſos quippe unitas corroborat, dum concordat, & tantò magis incorrigibiles, quantò unanimes facit. *op. Phar. l.4. cap.16.*

1228. *Invitatoria bonorum in bonum: & malorum in malum qualia in matutino Diaboli.*

Venite faciamus lateres, &c. venite faciamus nobis civitatem, &c. Cur bis repetunt venite? Nota; quod Chorus eſt concordia humanarum vocum, in quo Alij, cantantes præcedunt, Alij reſpondent. *Pſal.* 87. Unde ſicut Eccleſia Iuſtorum ſecundùm diverſa feſtorum, diverſa habet invitatoria: ſic & ſynagoga peccantium in matutino Diaboli: unum eſt vanitatis, & ſuperbiæ, venite faciamus nobis Civitatem, &c. Aliud iniquitatis, venite, & occidamus eum. *Gen. cap.* 37. Aliud avaritiæ, & cupiditatis veni nobiſcum. *Proverb. cap.* 1. Aliud voluptatis, venite fruamur bonis. *ſap. cap.*2.

1229. *In peccato fœtor, & bellum inteſtinum.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. In quo loco? in Campo Sennaar: ſed cur permiſit Deus, ut ædificaretur in Sennaar? Sennaar interpretatur fœtor, ſeu putredo dentium, & ſignat peccatum, in quo Civitas Diaboli fundatur: Hæc Civitas eſt habitatio fœtida, & ſtabulum porcorum per luxuriam, & cætera vitia, in qua eſt putredo, & ſtridor dentium, ſcilicet bellum inteſtinum, quia peccator nunquam habet pacem. *ſerm. 2. de dedic. Eccl.*

1230. *Tyranni non ſinunt quieſcere ſubditos.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. ſed à quonam fuerunt moti ad tantum laborem? Authoritate, & præcepto Nembrod. *ſerm.* 15. *Hexaem.* Hoc enim eſt proprium Tyrannorum nunquam ſinere quieſcere ſubditos, ſic & Philip. Abb. *de ſilent. cler. cap.*11.

1231. *Peccator totis, & omnibus viribus Deum offendit.*

Venite faciamus nobis Civitatem, &c. Nota ad conſtructionem Babylonis plures iniqui concurrerunt: ſignificaturque, quod Peccator ad Deum offendendum convocat omnes potentias, & ſenſus, eaſque unanimes reddit in malum. Et hinc docent Theologi, quod licèt peccatum ſecundùm eſſentiam reſideat in anima, ſeu in voluntate, tamen ad ipſum concurrunt potentiæ intellectuales, & ſenſitivæ. *l.2.d.24.p.2.a.1.q.1.& d.31.a.1.q.* 2. Unde quando peccat mortaliter invitat omnes potentias ad malum; pedes per malum conſenſum, manus per malum actum, collum per malum verbum, linguam per vitioſum ſilentium, cor per affectum, & delectationem. *ſerm. 3. Dom. 11. poſt Pentec. & ſerm. 1. Dom. 13. ibid.*

1232. *Peccator utitur omnibus creatis, & Deo ipſo ad ipſius offenſam.*

Venite faciamus, &c. Nota; quod Peccator omnia creata, & increata ordinat ad Dei offenſam: utitur enim fruendis, & fruitur utendis. *in ſap. cap.* 2.

1233. *Quo quis plus aſcendit eo plus deſcendit, & elongat ſe à Deo.*

Venite, &c. cuius culmen ad cælum pertingat. Sed quid facitis inſani? Verum quidem eſt, quod corporaliter quo quis plus aſcendit, eo plus cælo appropinquat: ſpiritualiter tamen id eſt magis ſe à Deo elongare: quo enim quis plus per ſuperbiam ſe exaltat, eo magis deſcendit, & à Deo diſtat; & è contra quo quis magis deſcendit, eo plus aſcendit. *ſerm. 2. & 3. de uno Confeſſ.* Quo quid plus participat de forma rei, eo plus occupat de loco eius: ſed forma capitis noſtri Chriſti eſt humilitas eius: ergo qui plus humilis eſt, plus participat de Chriſti ſublimitate. *ſerm. 2. de uno Confeſ.*

1234. *Civitas Babilonis, & Diaboli habet pro fundamento libidinem: Dei Civitas charitatem.*

Venite, &c. & celebremus nomen noſtrum, &c. Nota quale fundamentum ponant impij in Civitate Babylonis, quæ eſt Diaboli: Civitas enim Diaboli habet pro fundamento libidinem perverſam: Civitas Hieruſalem habet Charitatem ordinatam: Illa ad terrena per libidinem deprimitur, quia in his terrenis beatitudinem ponit: Iſta erigit ad æterna, in æternis quieſcit, & in eis beatitudinem ponit. *In Ecclen. proam.*

1235. *Deus agens ordinatum in ſuis operibus.*

Venite, &c. & confundamus linguam eorum, &c. Nota, quod hæc fuit ſecunda ætas, in qua diviſæ ſunt linguæ, & reſpondet ſecundæ diei Creationis, in qua per firmamentum diviſæ ſunt aquæ, & reſpondet etiam pueritiæ, in qua homo addiſcit loqui. *ſerm.* 15. *Hexaem. & op. Brevil. in proam.*

1236. *Potentia*

1136. *Potentia persequentium Ecclesiam dissipata est.*

Atque divisit eos ex illo loco in universas terras, &c. Nota ex hac divisione linguarum, orta est etiam separatio ipsorum per universas terras mundi, & sic tunc dissipatum est imperium Nembrod, & Turris Babylonis, quod fuit figura primò dissipationis potentiæ Imperatorum Romanorum persequentium Ecclesiam, ad quos successit Constantinus Magnus. Secundò dissipationis potentiæ Antichristi futuræ. *serm. 15. & 16. Hexaem.*

1137. *Idiomata hebræa, græca, & latina unde orta.*

Atque divisit eos, &c. Nota, quod tunc facta est divisio linguarum in præcipua Idiomata mundi, scilicet hebraica, græca, & latina: sed hebraica remansit in domo hebræa: hæc enim fuit originalis procedens ab Adam, idque fuit figura, quod, facta dispersione Idololatriæ, remanere debebat Confessio Christi in populo Christiano. *ser. 16. Hexaem.*

1138. *Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

Atque ita divisit eos, &c. Vide, quod per divisionem linguarum etiam dispersi sunt, in varias terras: quia Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur. Et unitas est causa omnis boni, & salutis: discordia interitus: regnum enim in se divisum; quale est Diaboli, non potest stare. *in Luc. c. 11. v. 17. & 18.*

1139. *Inter malos conservari Iustum est maximum Dei beneficium.*

Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, &c. Quarè de Vr Chaldæorum voluit Deus ut recederet: quia ibi exercebatur Idololatria, eumque persequebantur illi habitatores sic respondent DD. Vnde hæc fuit maxima misericordia Dei, quam in Abraham exercuit eum conservando sine querela, & justum in medio nationis pravæ, & perversæ, & ab Adversariis defendendo, tandemque Terram promissionis conferendo. *in Sap. c. 10. & op. Bibl. paup. cap. 36. & 120.*

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

CAPVT XII.

1140. *Malorum societas periculosa, ideò in Religionibus observantibus eyciuntur mali, ne alios inficiant.*

Egredere de terra tua, &c. Hoc fuit à Deo præceptum Abrahæ: & cur voluit Deus, ut Abraham tam bonus exiret de Mesopotamia sua Patria? quia in illa terra vigebat Idololatria, unde ne inficeretur ipse vel aliqui de sua familia, & ut liberiùs, & securius colerent unum, & verum Deum, voluit, ut à tali regione exirent. *lib. 4. dist. 1. p. 1. a. 3. v. 1. ad 3.* sic & Abulensis. Vide igitur, quàm periculosa sit malorum societas etiam in Congregationibus Iustorum, & ideò justissimè mali publici ejiciuntur à Religionibus, dum correcti non se emendare volunt, tum propter scandala evitanda, tum ne alij inficiantur. *ep. deter. super Regulam qu. 14.*

1141. *Malorum societas sæpe privat bonos benedictionibus divinis.*

Egredere de terra tua, &c. Cur enim Deus vellet replere Abraham suis benedictionibus, & suis muneribus cumulare, tum & visitationibus voluit, ut priùs exiret de Vr Chaldæorum? Id voluit, ut se eximeret à societate Malorum, utque nobis daret intelligere, quot bonis priventur, & benedictionibus cælestibus qui inter Malos cum sui periculo volunt degere. *ep. Bibl. paup. c. 120.*

1142. *Cuicumque volenti sequi Christum, est necesse, ut omnia relinquat quoad affectum.*

Egredere de terra tua, & de Cognatione tua, &c. In his verbis videtur, quòd Deus præceperit expoliationem omnium bonorum Abrahæ, & tamen patens est; quod etiam pòst plurimis ditatus est bonis temporalibus? Quomodò ergo inter perfectos obedientes Deo adnumerantur? Sed nota, quod hæc expropriatio fuit præcepta non quoad rem, sed quoad affectum inordinatum, & in eodem sensu à Christo præcipitur renunciatio rerum dicente: *Qui non renunciat omnibus, &c.* licèt perfectius sit relinquere omnia etiam quoad rem. Sic & præcipit S. Franciscus in sua Regula; unde quidam Doctor tempore S. Bonaventuræ fuit ab Ecclesia condemnatus, quia docebat esse necessariam abrenunciationem rerum etiam quoad rem exemplo Abrahæ, quod falsum est, quia Abraham tulit secum omnem substantiam, licèt quoad affectum omnibus renunciaverat. *ap. Apol. paup. resp. 3. cap. 3.*

1143. *Deus à Religiosis exigit observantiam Voti Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis.*

Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo Patris tui. Si capite præcedenti legitur, quòd Abraham exierat de Vr Chaldæorum, quomodò idem denuo ei præcipitur? Poterat enim dicere Domino: Iam ò Domine egressus sum; ad quid ergo hæc repetitio præcepti? Doctores hic respondent apud Lyranum, quòd jam corpore redierat, non mente, cùm intenderet illuc denuò redire: unde Deus repetiit hunc exitum, quia id fuit figura Religiosorum à quibus vult Deus exitum perfectum & quoad rem, & quoad votum: de terra, seu possessionibus terrenis per votum paupertatis; de cognatione per votum Castitatis, & de domo Patris per votum Obedientiæ. *In Psal. 113. & op. Bibl. paup. c. 120. & diat. tit. 4. c. 1. in fine.*

1144. *Christus non invenitur inter cognatos à Religiosis, ideò à cognatione longè recedendum.*

Egredere de cognatione, &c. Nota, id mysticè dici omnibus Religiosis, à quibus vult Deus renunciationem inordinati affectus ad Cognatos, & amicos carnales, nam nec Christus inventus est à Maria, & Ioseph inter Cognatos, & notos, estque

contra illos, qui curioſi, & vagi nimis ſe ingerunt in rebus, & factis Conſanguineorum, & ſæcularium. *In Luc.c.9.v.61.& ſer.5. dom. infra octa. Epiph.& ſer.1.Dom.ſeptuag.& ſerm.3.Domin.23.poſt Pentec.*

1245. *Religioſus debet vivere, ut alienigena in hoc mundo.*

Egredere de terra tua. Sed cur hoc? Nonne poterat Abraham vivere cum juſtitia etiam in terra propria? quia voluit, ut daretur intelligi cuicumque homini, quod debet vivere ut peregrinus in hoc mundo; ſed præcipuè Religioſis id dicitur, qui ut alienigenæ debent vivere in hoc mundo, & dimittere non ſolùm habitum, ſed & mores, & geſtus ſæculares, & ſicut alienigenæ, non maneant; ſed tranſeunt loca verſus patriam, ſic & Religioſus & corpore, & corde tranſire debet ad aliam vitam, ſcilicet ſpiritus verſus patriam cæleſtem. *In Luc.c.17.v.18. & 19.* Vult ergo Deus Religioſos homines veluti extra hunc mundum poſitos; alienoſque à cupiditatibus & affectionibus terræ. *Ibid.*

1246. *Deus vult, ut quilibet Chriſtianus renunciet Mundo, Carni, & Diabolo.*

Egredere de terra, &c. Nota, quod in hoc præcepto Abrahæ involuitur id, quod cuicumque baptizando intimatur. Abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis ejus, ſcilicet Mundo, Carni, & Diabolo: nam per terram intelligitur Mundus, per cognationem caro, & per Patrem diabolus, quæ abdicanda ſunt à nobis per pœnitentiam, ſic enim avaritia, luxuria, & ſuperbia à nobis longè erit, unde Chriſtus ad noſtrum exemplum voluit naſci de Virgine contra luxuriam, pannis involui contra avaritiam, & in ſtabulo poni contra ſuperbiam. *ſerm. in Vigilia Nat.*

1247. *Obſervantia Conſiliorum Evangelij antiquis ignota: nobis per Chriſtum notiſſima, & propoſita.*

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. & veni in terram, quam monſtravero tibi. Sed in quam terram? Cur eam non nominat? Vt daretur intelligi, quod via, quam in plenitudine temporum monſtraturus erat Deus hominibus, erat ignota tunc; & quænam eſt via obſervantiæ conſiliorum Evangelicorum. Hanc voluit Deus in figura oſtendere Abrahæ, ſed poſtea patenter Chriſtus eam nobis calcandam oſtendit. *ſerm. 2. de S. Antonio Patav.*

1248. *Promptitudo ad omnem nutum divinum omnimoda exigitur à Deo in ſuis ſequacibus.*

Egredere de terra, &c. & veni in terram, &c. Nota, quod Deus non exprimit, quænam ſit hæc terra, in quam vult, ut Abraham pergat: Cur hoc? quia voluit ab hoc viro perfecto, & vult à Religioſis, ut continuè ſtent accincti ad omnem nutum divinæ voluntatis in itinere perfectionis, & Sanctorum operum. *in Luc. cap.17. verſ. 18. & 19.* Sic & D. Baſilius.

1249. *Deus ut agens ordinatiſſimum omnia veteris legis ordinavit ad Chriſti Adventum futurum præfigurandum.*

Faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi. Nota, quod hæc fuit tertia ætas mundi correſpondens tertiæ diei creationis rerum, in qua germinavit terra, & tertiæ ætati hominis, ſcilicet adoleſcentiæ, in qua vis generativa incipit exire in actum, & ideò Abrahæ ordinata fuit Circumciſio, & facta promiſſio de Chriſto venturo ex ejus ſemine. *ep.Brevil.in proœm.& ſer.16.Hexaem.*

1250. *Status Religionis eſt terra viventium, & benedictionis divinæ.*

Et veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Iam dictum eſt, hæc omnia contigiſſe in figura ſtatus futuri legis gratiæ, ſed quænam eſt hæc terra, in quam præcepit Deus viro juſto, ut pergeret, & ut obtineret tot bona promiſſa? Hæc eſt terra viventium, ſcilicet ſtatus Religioſus, ait Gloſſa, Religio enim eſt nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata & alta: Nota, quod dicit, *faciam te in gentem magnam.* Quænam eſt gens hæc magna? Gens magna ſunt Angeli: ſic & Religioſi viri ſunt Angeli aſcendentes, & deſcendentes. *In Ioan. collat.* 10. In hoc ſtatu eſt conſummata perfectio Eccleſiæ militantis. *ſer.16.& 22. Hexaem.* Vultis igitur ſcire, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina tot prærogativas, & benedictiones meretur, & ſecundum baptiſma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenonciationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſmodi converſatio profeſſores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit: imò divinam in homine reformat imaginem configurans eos Chriſto inſtar baptiſmi, dum per id quod mortificant membra ſua, rurſum Chriſtum induunt complantati ſimilitudini mortis ejus. *opuſc. Apol.paup.reſp.1.c.3.*

1251. *Deus benigniſſimus nihil nobis adimit, quin abundantiſſimè retribuat.*

Faciamque te in gentem magnam, &c. Vide ex hoc, quod cùm Deus præceperit Abrahæ exitum de terra patria, & cognatione ſua, qua homini nihil amabilius; tamen benigniſſimè mitigat hunc rigorem promiſſis ampliſſimis. Promiſit enim ipſi & poſteris terram promiſſionis à fluvio Ægypti ad flumen magnum Euphratem. *In Sap. c.12.& 18.& in Luc.c.1.v.73.*

1252. *Ille magnus, & felix cuius Dominus Deus eius.*

Faciam te in gentem magnam. Cur non dixit in gentem multam? quia ille magnus eſt, qui Deum colit, & cujus Dominus ejus: qui enim Deum habet omnia cum Deo poſſidet. *In Luc. c.10.v.22. & c.12.v.31.& in Threne.c.1.* Sic & Rubertus Abbas *lib.5. c.5.* Ratio autem eſt, quia ſolùm boni à Deo computantur, mali autem ſunt ex abundanti, & apud Deum veluti non computati. *In Sap. cap.10. & lib. 1. diſt. 46. quaſt. ult. in fine corp.* unde dicitur Iſaiæ, *Multiplicaſti gentem, ſed non magnifi*

magnificasti lætitiam. Phar. lib.1. cap. 22.

1253. *Apud Deum plus æstimatur unus iustus, quàm innumerabiles peccatores.*

Faciam te in gentem magnam? Cur non dicit multam, sed magnam? quia apud Deum est in æstimatione magnitudo virtutis, non multitudo gentis: plus enim pensat Deus vitam unius justi, quàm animam innumerabilium peccatorum, & præponderat salvationem unius justi damnationi innumerabilium. *lib.3.dist.20. art.1.quæst.3. & dist.* 40. *art.1.q.2.*

1254. *Iudæis promissa sunt temporalia, Christianis spiritualia.*

Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c. Cur Deus promittit temporalia, & non potius spiritualia? quia lex scripta erat lex carnis: post Christum verò est de bonis spiritualibus: unde per Christum Abrahæ promissum, hæc omnia promissa adimpleta sunt spiritualiter in Ecclesia, *op.Apol.paup.resp.3.c.3.*

1255. *Benedictio Dei affert omne bonum.*

Et benedicam tibi, &c. In quonam bono consistit hæc benedictio promissa? Consistit in bonis temporalibus, spiritualibus, & æternis: onde benedictio temporalis sine spirituali parùm confert, sed benedictio Dei omne bonum communicat. *ser.5. de una Virgine*, & hæc benedictio descendit ad omnes imitatores virtutum Abrahæ, qui spiritualiter dicuntur filij Abrahæ. *In Luc.c.1.v.42.& 54. & ser.Dom. post oct.Epiph.*

1256. *Dei protectio qualis in cultores perfectos sui nominis.*

Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. In quonam consistit hæc magnificatio Abrahæ? Nota qualem protectionem habet Deus perfectorum suorum cultorum, magnificatus est non solùm per augmentum suæ famæ, per totum mundum, sed & quia ipsum ab inimicis defendit, & eum præservavit ab Idololatria imò in ejus nomine voluit Deus comprehendere suum ipsius nomen, appellando seipsum Deum Abraham ex quodam privilegio amoris per cultum Religionis. *In Psal.45. & in Sap. cap.*10. Vide igitur quodnam privilegium est viri justi, qui verè potest dicere, servus tuus sum ego, scilicet mandata tua observando, & custodiendo, obediendoque, ideò tuus sum ego, scilicet non meus, sed tuus, scilicet in tuis mirabilibus, in quibus sum attonitus, in tuis credibilibus, in quibus sum subditus, & in tuis delectabilibus, in quibus sum irretitus. *Psal.118.c.6.v.18. & c.8.v.13.*

1257. *Benedictio divina differt ab humana.*

Benedicam tibi, &c. Quodnam est hoc præmium Abrahæ à Deo promissum? Vide quomodò Deus postquam promisit Abrahæ, quod magnificandus erat apud homines (hæc est benedictio humana) subdit, *& benedicam tibi* scilicet augendo numero, & merito: per multiplicationem; scilicet posterorum, justorum, & meritorum; & hæc est benedictio Dei valdè differens, & eminentior humana: hæc enim pro nihilo reputanda, quia judicium humanum cæcum est frequentiùs, & ignorat veritatem, & fallitur sæpissimè. *Psal. 27. & op. de Instit.Novit.p.2. cap.10. & op. Phar. l.4.c.47. & in Luc.c.18.v.11.*

1258. *Benedictio Dei ineffabilia, & inexplicabilia bona affert.*

Benedicam tibi, & eris benedictus. In quibus bonis consistit hæc benedictio? Id non exprimitur, sed ponitur indefinitè, & meritò, quia erat veluti inexplicabilis, quia Deus cùm plene benedicit justum, ipsum benedicit in mundo per propitiationem, remissionemque culparum, & collationẽ gratiæ, in extremo defendendo ipsum ab hostibus, securum exitum animæ tribuendo, & in Cœlo per collationem gloriæ. *ser.1.de uno Confess.* Bona sunt hæc, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascenderunt, cum sint ineffabilia, & inexplicabilia. *Ibidem.*

1259. *Non sufficit, ut Deus gratiam offerat, nisi voluntas liberè accipiet.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur additur, erisque benedictus? Nonne sufficiebat dicere Benedicam tibi? Si enim Deus contulit benedictionem suam Abrahæ, nonne ad ipsum debebat terminare? Sed nota, quod non sufficit, ut Deus exhibeat adulto sua dona, & gratias, sed requiritur dispositio liberi arbitrij ea volentis recipere, ob idque conformitas voluntatis humanæ ad divinam. *lib.2.dist.4.a.1.q.2.ad 4.& lib.4.dist.4.p.1.a.2. q.2.ad 2.& p.2.a.1.q.1.in argum.*

1260. *Obedientia clavis Paradisi.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur repetit benedictionem? quia debetur hæc repetitio benedictionis, scilicet in præsenti, & in futuro virtutis obedientiæ, est enim clavis Paradisi aditum faciens ad omnem benedictionem. *op. diat. sal.tit. 4. c.2.& op.Bibl.paup.c.4.*

1261. *Perfecta obedientia est prompta, alacris, & in difficilibus.*

Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus, &c. Vide quàm perfecta fuit obedientia Abrahæ, in qua datur nobis nomen perfectæ obedientiæ, scilicet quod sit prompta, alacris, & in ordine ad ardua. *op.Comp.Theol. lib.5.c.9. & op. de perf.Relig.lib.2.c.4.*

1262. *Fides fortificat animam contra Mundum, & Diabolum.*

Egressus est itaque Abraham, &c. Quomodò tam arduum opus statim arripit Abraham? sed non est mirum; nam in eo vigebat fides maxima; hæc enim est virtus omnium aliarum fundamentalis: hæc facit hominem fortem, & constantem in bello vitiorum; unde mirum non est si Abraham hac virtute armatus, mundum, patriam, cognationem, domum Patris contempsit: hæc virtus nobilissima intellectum illuminat, animam purgat ab omni affectu terrenorum, & animam fortificat contra omnem impetum mundi, carnis, & diaboli. *ser.1. de plur. Martyr.*

1263. *Fides abſentia reddit præſentia.*

Egreſſus eſt itaque Abraham. Sed quo vadis, ubi ſunt bona, quæ tibi tam liberaliter Deus promittit? Ubi ſunt bona ad vitam conſervandam neceſſaria tibi, & tuæ Familiæ? Non eſt mirum; quod vis imbutus maxima fide ad horum nihil cogitaverit, quia fides verè innititur eum Deo omnium bonorum largitore: fides abſentia præſentia facit, vidit hæc omnia credendo, ſpetando, & amando. *In Ioan. cap. 8. v. 53. & ſeq.*

1264. *Obedientia benedictionem à Deo meretur.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus. Notandum, quod Deus dixit; *Benedicam tibi,* ſcilicet in tempore futuro, ſed quando hæc erunt ô bone Deus? fic poterat dicere Abraham, ſed nihil horum dicit, ſed obediendo ſe præparavit ad benedictionem; unde Deus remiſit benedictionem ſuam ad tempus obedientiæ, & meritò, quia obedientia eſt fundamentum omnium benedictionum Dei: Ille enim à Deo benedicitur, qui obedit ei, & propter Deum facit quidquid facit. *In Luc. cap. 14. v. 50.*

1265. *Cultus Dei perfectus liberat à malis, & colens verè Deum, à Deo colitur ipſe.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c. Unde egreſſus? De Ur Chaldæorum, ubi vigebat Idololatria, egreſſus eſt ut Deū ſecurè coleret, ideò benedictionibus repleſtur, & à malis protegitur. Nota igitur, quod colimus Deū adorando, & obediendo, & Deus nos colit purgando, exercendo, & liberando à tentationibus, & periculis. *In Ioan. coll. 47.* Colimus Deum adorando, & ut culmen noſtrum invocando, Colit nos Deus amando, tanquam agricola non ceſſans verbo ſuo extirpate mala ſemina de cordibus noſtris, & aperire eat noſtrum tanquam ſermonis aratro plantare ſemina præceptorum, & expectaſe fructum. *op. de dono pietatis c. 2.*

1266. *Cultus Dei maximè floret in oblationibus factis ſuper altare Deo dicatum.*

Et inde tranſgrediens ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen eius. Ante Abraham non legitur ædificatum Altare niſi à Noe poſt diluvium, ſed ab Abraham pluries, & in pluribus locis plurima Altaria ædificata ſunt, & hoc dictante Spiritu ſancto, quia hæc fuit tertia ætas reſpondens tertiæ diei creationis, in qua terra germinavit: in hac tertia ætate ſynagoga cæpit florere in cultu Dei; & in multiplicatione cultuum Dei. Cultus autem Dei alius eſt interior, alius exterior, exterior conſiſtit in oblationibus, ſacrificiiſque, adorationibus, & ſimilibus, quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur: hoc autem maximè exercetur ſuper Altare, quod eſt ara alta, in qua figuratur elevatio mentis, & actum ad Deum ipſum quaſi culmen, & centrum invocando, & recognoſcendo. *ſer. 15. Hexaem. op. de dono piet. c. 2. & in Pſal. 25.*

1267. *Chriſtus in hoc mundo fuit veluti peregrinus, ut nos veluti peregrini vivemus in hoc mundo.*

Deſcendit igitur Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, &c. Abraham manſit in pluribus regionibus: ſed notandum, quod procedens in Ægyptum, dicitus ibi ſtetiſſe ut peregrinus. Cur in ſola Ægypto dicitur peregrinari? Nota, quod in Abraham figuratur Chriſtus, in Ægypto mundus; datque per hoc intelligere, quod Chriſtus venit in Ægyptum. hujus mundi veluti peregrinus, non enim hæc erat ſua patria: voluit etiam per hoc nos docere, quod tanquam peregrini debemus vivere propter laborem, paupertatem, tranſitum, & remotionem à gratia. *op. Comp. Theol. lib. 4. c. 5. & in Pſal. 114. & in Luc. c. 14. v. 18.*

1268. *Per Mariam Virginem (tanquam noſtram ſororem) veniunt omnia bona nobis.*

Dic igitur, obſecro te, quod ſoror mea ſis, ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Abraham timens, ne aliquid ſibi mali accideret propter Saram uxorem ſuam, cùm eſſet valdè pulchra: ideò voluit, ut diceret ſe eſſe ſuam ſororem: ſed cur hoc? Si Deus promiſerat ſe futurum ſuum defenſorem, & protectorem? Cur in hac trepidatione non recurrit ad Deum? Sed nota, quod Sara pulchra fuit figura Beatæ Virginis Mariæ pulcherrimæ inter omnes mulieres, quæ veluti ſoror noſtra fuit in hoc mundo collocata, ut enim tota fiducia poſſimus ad ipſam recurrere, & ſimiliter dicere; Dic, obſecro, ô Maria, quod ſoror noſtra ſis; ut propter te benè ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivat anima noſtra in Deo, & ut propter talem ſororem Ægyptij Dæmones nos severeantur, & ut Angeli nobis in aciem conjungantur, & ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur. *op. ſpec. B. Virg. lect. 6.* Vide ergo, ô homo, qualis ſit ſoror hæc noſtra, & qualia bona nobis per ipſam veniunt.

1269. *Adulterium etiam apud Gentiles abominabile.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur noluit Abraham, ut Sara appareret ſua conjux? Nota rem mirabilem: ſciebat, quod apud Ægyptios abominabile ita erat adulterium, quod potius eligerent occidere Abraham, ut poſſit Rex liberè ducere Saram, ideò voluit, ut appellaretur ſoror, ut vitam ſalvaret. *op. Bibl. paup. c. 89.* Confuſio ergo ex hoc oritur Chriſtianis, qui ſine fræno ullo, & tam facilè ſe præcipitant in adulteria: verè deteſtanda perverſio eſt videre, quod immunditiam, quam deteſtatur Gentilis, & Idololatra, imò & Brutum, amplexetur Chriſtianus, & homo. *ſer. 4. de Apoſt. & ſer. 1. Dom. 14. poſt Pentec.*

1270. *Deus non eſt tentandus, ſed ad remedia humana poſſibilia recurrendum.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur ad Deum non recurris ô Abraham? Cur non temeritis exitum hujus rei ad divinam protectionem toties à te in tuis neceſſitatibus expertam? Et qua veritate poterit ipſa dicere ſe eſſe tuam ſororem? Ergone mendacio vis te eximere à periculo? Nonne ſatius eſt, & Deo charius, ut potius ſubeas mortem, quàm Deum etiam minimo peccato offendere? ſed reſpondetur, quod non dixit mendacium aſſerendo Saram eſſe ſuam ſororem, quia eam diligebat ut ſororem, & quia erat conſanguinea, hocque medio voluit uti, ne videretur Deum tentare: vult enim Deus,

Deus, ut quando possumus, ad media, & remedia humana, & ordinaria recurramus. *op. Bibl. paup. c.14.& 53.& in Luc.c.4. & in Sap.cap.1.*

1271. *Coniuges eum debita reverentia se mutuò tractent, & Vxor sit obediens Viro.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Vide, qua modestia Abraham hoc præcipit uxori, & quomodò uxor promptè obedit Marito. Vt addiscant uxorati, quomodò mutuò inter se, & qua humilitate, obedientia,& benignitate debent cohabitare. *op. Bibl. paup. cap.89.*

1272. *Cooperatores peccati eadem plectuntur pœna, qua principales peccatores.*

Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & omnem domum eius plagis maximis. Cur etiam domus, scilicet servi, & familiares Pharaonis propter raptum Saræ flagellantur? Cur non solus Pharao? Respondet Chrysostomus, quia fuerunt Cooperatores eum Rege ad committendum hoc scelus,vel laudando pulchritudinem Saræ, vel coadjuvando, &c.Nec id mirum est: sic enim exigit iustitia Dei, quia mali consiliatij, auxiliarij, & cooperatores ad malum sunt pseudoapostoli, milites, venatores Diaboli, ideò à Deo graviter puniuntur. *serm. 3. fer.2.Pasch.& serm.4. Dom.24. post oct. Pasch.& fer. 2. fer.4.Pentec. & fer.3.dom.4.post Pentec.& fer.3. dom.sexages.& in Luc.c.17.v.1.& 2.*

CAPVT XIII.

1273. *In regione, & statu peccati solùm cæcitas, & tenebræ vigent.*

Ascendit Abraham de Ægypto Ipse, & uxor, & Lot, ad australem plagam. Cur non remansit Abrabam in terra fertilissima Ægypti? Nonne & poterat in illa terra alienigena vivere & iuxta Dei præceptum? sed ibi non remansit,quia Ægyptus non erat locus à Deo sibi destinatus, nec suæ vitæ accommodatus, sed benè terra promissionis ad Australem plagam posita, & meritò iustus recedit ab Ægypto,qui interpretatur tenebræ,& significat statum peccati, & peccatoris, qui ob peccati cæcitatem non videt, quid agere debeat, sed delectatione peccati obtenebratus ad omnia peccata est pronus. *fer.4. dom. 16. post Pentec.* Infelix igitur, qui in regione Ægypti habitat ut filius prodigus. *in Luc.cap.15.*

1274. *Iustus ascendit, Impius descendit.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Quomodò dicitur ascendere Abraham? Erat ne in aliqua fovea?sed nota, quod Ægyptus erat status peccatoris, qui ad Deum se convertens ascendit de tenebris ad lucem,& post ascendit ad australem plagam, scilicet de virtute in virtutem:Impius verò descendit de peccato in peccatum, & tandem in Infernum.O felix status ascendentium: Infelix descendentium. *fer.2.Dom.16.post Pentec.& fer.4. in Ascen.*

1275. *Christus ascendit multipliciter ad nostrum exemplum.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Nota, mysticè: hic est Christus, qui ascendit primò in crucem, secundò in Resurrectione de Lymbo,tertiò in Ascensione, ut nobis daret semper exemplum ascendens usque ad gloriam. *fer.4.in Ascens. & Psal.45.*

1276. *Derelinquentibus pro Christo temporalia,ab ipso Deo ipsamet redonantur.*

Erat autem dives valdè in possessione auri,& argenti. Nota, quod hic solùm dicitur Abraham fuisse dives valdè. Cur hoc? sed revoca in memoriam, quod Abraham reliquerat pro Deo omnia? Deus autem dupliciter ipsum benedixit,ut supra notatũ est.*Benedicam tibi, & eris benedictus*: quænam est hæc duplex benedictio?Adverte,quod Deus dextera benedicit suos,cùm eis tribuit bona spiritualia, & sinistra,cùm dat temporalia. *fer.4.dom.Trinit. & Ps.66.& 128.* hac igitur duplici benedictione Deus ditavit Abraham in præmium,quod reliquerat patriam,patrem,& exierat de terra sua,&c.

1277. *Divitiæ, de se non sunt malæ, sed tantùm malè utentibus.*

Erat autem dives valdè. Quomodò inter sese cõpatiuntur divitiæ cùm sanctitate viri iusti, si sunt spinæ,ut ait Christus,quæ animam vulnerant? sed adverte,quòd divitiæ de se non sunt malæ,nisi malè eis utentibus, horum enim strangulant animam. *op.Apol paup.resp.3.c.3.& op. de paup. Christi qu.1. a.2.& in Luc.c.8.v.14.*

1278. *Gratias agere debemus pro beneficiis à Deo receptis corde, ore, & opere.*

In loco Altaris,quod fecerat prius invocavit ibi nomen Domini. Vide iustum statim ac liberatus fuit cùm suis rebus,& personis ab Ægyptiis obtulit sacrificium laudis ad Altare Domini pro collatis beneficiis,&c. Ita & nos gratias agere debemus corde, ore & opere pro bonis naturæ, quibus in esse subsistimus;pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur;pro bonis gratiæ,qua spiritualiter vivimus, & pro bonis gloriæ,quam aliquando habere credimus.Quid enim meliùs,quàm quod in corde gestamus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias.Hoc nec aliquid breviùs dici potest,nec auditi leviùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. *fer.3. de una Virgine.*

1279. *Divitiæ lites,& invidiam generant.*

Sed & Lot,& erãtque greges,& pecora,&c.Nec poterat eos capere terra,ut habitarẽt simul,erat quippe substantia eorum multa,& nequibant habitare communiter. Sed quomodò non poterat eos capere terra?Ergone in illa Provincia, vel Regno, quæ erat terra promissionis, in quo post numerati sunt tot milliones, non poterant duæ familiæ simul cohabitare?At id non est mirum;quia eorum substantia erat multa ; ubi enim sunt divitiæ temporales, ibi sunt bella, rixæ,lites,timores,sollicitudines,& ideò ubi est major quantitas divitiarum, ibi & majoris discordiæ causa major. *op.de prof.Religios.lib.2.c.17. & op.Phar.lib.3.c.22.& op.Bibl.paup.c.48.& 73.*

V 1280. Divitiæ

1280. *Divitiæ temporales quia deficientes non possunt simul replere vacuitatem plurium, ideò generant divisiones: divitiæ spirituales è contra quia indeficientes simul pluribus satisfaciunt, ideò generant pacem, & unitatem.*

Nec poterat eos capere terra, &c. Cur non poterat eos capere terra? quia plures non possunt simul possidere divitias temporales, sed est necesse tot facere portiones, quot participantes, hincque alter alteri invidet habenti, at divitiæ, & bona spiritualia è contra insimul satisfaciunt desideriis cordis, nec cultus participantium patitur detrimentum de abundantia alterius, quia simul Deo fruuntur qui omnia omnibus bonis implet. O felices qui in spiritualibus tantùm delectantur. *op. de prof. Religiof. l.2.c.17. & op. Bibl. paup. cap.48. & 73.*

1281. *Vbi multiplicantur pecora, scilicet, cupiditates, & bestialia desideria, ibi pax non est, &c.*

Nec poterat eos capere terra, unde facta est rixa inter Pastores, &c. Vide qnomodò ex multiplicatione pecorum, & bestiarum orta est discissio pacis, & concordiæ: Vt discas, quod multiplicatis pecorinis, & bestialibus desideriis fit rixa inter voluntates eorum, qui volunt pascere sua desideria in pratis hujus mundi; & cùm omnibus non sufficiat id pro suo libito, dividitur frater à fratre per invidiæ dissidium: quæ pecora si pauca essent modico contenta essent: Disce igitur frænare desideria prava. *op. de prof. Relig. lib.2.c.17.*

1282. *Mitibus promittitur terra, immitibus aufertur.*

Et non poterat eos capere terra. Vide, quod ob lites, & rixas illa terra non sufficiebat pro utrisque: Eijciuntur ergo & privantur rixosi, & immites à terra promissa gratiæ, & gloriæ: mites verò eam possidebunt. *op. de prof. Religiof. lib.2. cap.17. & ser. 1. in fest. om. Sanct.*

1283. *Pauper Christi paucis contentus, dives mundi nunquam etiam plurimis contentus.*

Nec poterat eos capere terra. Cur hoc? Nota, quod dicitur de istis, *non poterat eos capere terra*, scilicet eorum desideriis vastis satisfacere, tales sunt divites, & cupidi hujus mundi. E contra pauperes paucis contenti, quia loco penuriæ Deum habent in corde, qui ideò appellavit tales pauperes beatos, quia quantò in terra angustiantur nihil cupientes, tantò in Cælis dilatabuntur. *op. de prof. Religiof. lib.2. cap.17.*

1284. *Lites à servis Dei rescindendæ, maximè à Prælatis Ecclesiæ, & præcipuè quando oriuntur causa rerum temporalium.*

Ne quæso sit jurgium inter nos, &c. Vide perfectam mansuetudinem viri justi; daturque intelligi, quod à servis Dei maximè Prælatis Ecclesiæ non est litigandum, vel rixandum, imò rescindenda sunt ab ipsis toto conatu odia, & rixæ cum aliis & inter alios maximè causa rerum temporalium ortæ, mansuetudoque exercenda. *In Luc. cap.9. vers.56. & opusc. Bibl. paup cap.63.*

1285. *Rixosi sunt extra Ecclesiam veluti excommunicati.*

Ne quæso jurgium sit inter nos, fratres enim sumus. Nota, ergo, ubi est fraternitas, ibi necessariò est pax, & concordia, infer à destructione consequentis, ergo ubi non est pax; ibi non est fraternitas: & cùm Ecclesia sit Congregatio, & unitas fratrum, sequitur, quod qui pacem non servat inter fratres extra Ecclesiam est, & ab ea separatus. *serm.1. Hexaem. & serm. 9. de Apostol.* Ergo qui pacem non servat, est apud Deum veluti excommunicatus, vel hæreticus, dicente Apostolo, *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreses esse, &c.*

1286. *In divisione temporalium Maior dividit, & Minor eligit.*

Ecce universa terra coram te est, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo. Vide quomodò Abrahham volens separari à Lot dedit ei optionem, ut eligeret partem, quam vellet; ut doceret in divisione rerum spectare ad Majorem dividere, & ad Minorem eligere, ne habeat, quod conqueratur. *op. Bibl. paup. cap.59.* sic & S. Ambrosius.

1287. *Prælati in correctionibus primum locum dent non furori, & iræ, sed mansuetudini.*

Ne quæso sit jurgium inter nos: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, &c. Sed cur Abraham tanquam major non severè correxit Pastores, & etiam Lot? sed cum nimia mansuetudine in hoc facto voluit procedere, ut daret normam Prælatis Ecclesiæ, quod debent dare locum primum mansuetudini in corrigendo defectus subditorum, generosus enim est animus hominis, faciliúsque ducitur, quàm trahatur: & hinc Rex apum non habet aculeum. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, satisfacere singulis, & omnibus placere, multa indiget discretione, ut medium valeat tenere; & quia hoc medium difficillimè potest teneri, minus tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant. *In Luc. cap.9. v.16. & op. de sex alis Seraph. cap.7.*

1288. *Concordia reddit homines cælestes similes Angelis Dei.*

Ne quæso sit iurgium inter nos. Cur hoc? quia fratres sumus. Nota hic emphasim horum verborum, *fratres enim sumus.* Ergo fraternitatis status exigit remissionem rixarum? sed ubi est hæc fraternitas nisi in Religionibus, & hinc ad similitudinem cófraternitatis cælestis inter Religiosos nulla debet esse contrarietas in affectu, nulla disparitas in victu, nulla singularitas in vestitu, sed eorum concordia in moribus, & virtutibus eos conservet, eorumque cor, & anima debet esse una. *op. de Ecclef. Hier. p.4. cap.4.*

1289. *Diabolus solùm timet concordiam, cujus Ministri sunt rixosi.*

Ne quæso jurgium sit inter nos: Fratres enim sumus. Cur hanc admonitionem, correctionemque fecit

1305. *Diabolus cætera omnia libenter tribuit homini præter animam, quam exigit.*

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Quid est, *Da mihi animas*, cur non homines? Et quid est, *cætera?* sed figurativè sumitur hic pars pro toto, estq; dictum in persona Diaboli, qui ab homine non quærit totum, sed tantum partem, & talem quæ supereminet cæteris rebus, & hæc est anima, quæ in nobilitate excedit totum mundum, inde Diabolus continuè dicit, Da mihi animam cætera tolle tibi: unde aliquando interrogatus, quid pluris æstimaret, & desideraret: Respondit tria præcipuè, scilicet lunam primam, idest (c): rotam solis idest (o), & ferrum molle idest (r) nempe cor, quod his tribus litteris exprimitur: Ergo in æstimatione Diaboli plus valet anima una, quàm totus Mundus. *op. diat. sal. tit. 1. cap. 1. & Psal. 39.*

1306. *Diabolus quærit animam nostram ad devorandum: Christus ad beatificandum.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Nota, quod continuè id dicitur nobis à Christo, & à Diabolo, sed diversa intentione: nam Christus quærit, & petit animas tanquam sibi de jure debitas, quia eas emit suo sanguine, easque vult ad sanctificandum & beatificandum: Diabolus è contra ad devorandum. *Psal. 39. & ser. 7. Dom. 1. Adv.*

1307. *Idem conceptus in exaltationem amoris Christi in nos, & detestationem odij Diaboli in animas.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Oh quam verum est, quod ista dicuntur à Christo, & à Diabolo, sed diverso fine: Christus quærit animas, cætera omnia despiciendo, ut eas salvet: Vide in huius rei confirmationem Christum inclinatum, & prostratum ante Iudam proditorem, in quo erat Diabolus, ut eius animam levaret cui ad cor pulsans dicebat, Da mihi animam, cætera tolle tibi. *In Ioan. coll. 60.* Vide ex opposito Diabolum omnia exhibentem super pinnaculum templi Christo, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut eius animam lucraretur ad perditionem. *In Luc. cap. 4.* Nec id est mirum, nam Diabolus est mercator pessimus, emere quærens animas nostras, & rapere quælibet pretiosa nostra, pulsat continuè ad cor, dicens Da mihi animam, cætera tolle tibi: Oh infelix commercium! *serm. 9. in Rogat.*

1308. *Paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, sed tantùm cum Cælo.*

Respondit Abraham levo manum meam ad Dominum, &c. Nota hic, Abraham recusasse omnia ipsi oblata à Rege Sodomorum: sed cur levando manum illas res renunciavit? Quia erat mos tunc tali elevatione manuum jurare ad Deum; idque fuit figura abrenunciationis omnium rerum factæ à Religiosis, per quam cæremoniam significatur, quod paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, omnia superflua abjiciens, retinens tantùm necessaria, & ideò dirigens uti abrenunciantes mundo aspectum ad Cælum, in quo suam sedem habent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 4.*

1309. *Oratio perfecta exigit operationes bonas.*

Levo manum meam ad Dominum. Quid est levare manum? Cur non potius dicit, levo vocem psallendo, levo cor amando, sed dicit, levo manum? Quia hic datur norma orantibus, qui non solùm vocem, non solùm cor, sed & opera bona debent levare ad Deum, hæc enim est perfecta Oratio. *ser. 2. Dom. 13. post Pentecost.* Nota igitur hanc conjunctionem, quia oratio sine operibus bonis, parum juvat, & bona opera sine oratione parum Deo placent.

1310. *Dives Cæli in Cælo thesaurizat: Dives Inferni in Mundo.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Nota, quod cum oblatæ fuissent multæ opes Abrahæ, eas Ipse renuncians dixit, *levo manum meam ad Dominum*; Quid est levo manum meam ad Dominum? Idem est ac dicere; In mundo nihil volo, sed thesauros meos in Cælo reposui, sic faciunt divites Cæli: Divites mundi è contra ad terrena inhiant, & nihil habent in Cælo, quia simul in Cælo, & in Mundo esse divitem est impossibile: Oh beatus dives in Deum qui abundat meritis, & operibus bonis, licèt sit inops rebus! *serm. 5. de uno S. Marty. & in Luc. cap. 12. v. 21.*

1311. *Paupertas Evangelica perfectior incomparabiliter paupertate antiquorum Patrum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quomodò laudatur Abraham de expropriatione rerum, cum possessor fuerit multarum opum? Quia fuit pauper spiritu, scilicet affectu, licet non rebus; unde nota, quod tres gradus habet contemptus divitiarum; primus, & est valdè imperfectus, est nihil habere injusti lucri, & reddere omnibus suum, facereque eleemosynam ex proprijs rebus, nec abuti ipsis ad Dei offensam, & hic fuit in Abraham: secundus est retinere necessaria, & superflua renunciare: tertius est etiam pati in ijs quæ sunt necessaria, eisque uti cum penuria, & hi duo gradus sunt in sequentibus Christum, & in pauperibus Evangelicis: ex quo patet quàm perfectior sit paupertas Evangelica. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 42. & seq.*

1312. *Magnum beneficium Dei inducentis hominem ad contemptum divitiarum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quæritur, quarè Deus traxit suos ad contemptum divitiarum? Respondetur, quod est maximum Dei beneficium: primò enim, quia divitiæ retrahunt ab amore Dei, & Cæli, sunt enim divitiæ onera ad imum trahentia; secundò quia retardant à profectu virtutum, & ab itinere Cæli; tertiò ratione majoris meriti, cum sit ad perfectiorem imitationem filij Dei; quartò quia terrena substantia de se est contemptibilis, tum ex sui natura, quia terrea est, tum quia non est omninò necessaria; tum quia multorum patet invidiæ; tum quia multo labore, & sollicitudine acquiritur, & servatur, tum quia non satiat appetitum; tum quia est commune bonum bonis, & malis; tum quia diu non perseverat. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 44.*

1162. *Ad gratitudinem Deo debitam offertur ſacrificium.*

Ædificavit Noe Altare, &c. Cultus Dei conſiſtit in laude, & ſacrificio, & hoc fuit oblatum à Noe ob gratitudinem Deo debitam in cultum latriæ. *ſerm.5.Hexaem.*

1163. *Cor noſtrum debet eſſe Altare Deo conſecratum.*

Ædificavit Noe altare, &c. Dicitur, quod Dominus odoratus eſt odorem ſuavitatis, ex hoc ſacrificio exhalantis: ſed quis odor poterat exire ex carnibus igne combuſtis? Nota, quod Altare eſt cor noſtrum, in quo debet ſemper ardere ignis amoris Dei: ſuper hoc Altare prius obtulit devotione, & amore ſacrificium, & ſic poſtea gratiſſimum Deo fuit. *ſerm.1.de S.Laurentio & Pſal.25. & ſerm.1.de Dedic.Eccl.*

1164. *Deus compatitur noſtræ fragilitati.*

Et ait nequaquam maledicam, &c. ſenſus enim, & cogitatio hominis, &c. Vide quomodò Deus compatitur homini carne fragili induto, & ad peccatum inclinato. *in Sap.c.11.*

1165. *Paſſiones & corruptelæ quantæ ex unione animæ cum corpore.*

Senſus, & cogitatio, &c. Nota. In his verbis denotantur paſſiones, quæ ex unione animæ cum corpore contrahuntur; Primò inquinatio peccati originalis: Secundò peccati pronitas: Tertiò bene operandi difficultas: Quartò intellectus habitudo: Sextò curarum ſollicitudo: Septimò paſſionum multiplicatio: Octavò gloriæ retardatio. *op.Comp.Theol. lib.2.cap.60. & in Luc.cap.9.v.46.& in Ioan.cap.6. v.45.& in Pſalm.118.cap.8.v.8.*

1166. *Luci ſpirituali non ſuccedit nox, ſicut ſuccedit corporea.*

Nox, & dies non requieſcent, &c. Nota, Deum copulaſſe noctem cum die: ad quid de nocte fecit mentionem? Reſpond. ut ſignificaret diſcrimen inter lucem corporalem, & ſpiritualem: nam primæ ſuccedit nox: illi autem nequaquam. *in Sap.cap.7.*



CAPUT IX.

1167. *Creator Creaturam rationalem benedicens, auget bona ſpiritualia, principaliter etiam temporalia.*

Benedixit Deus Noe, & filijs eius, & dixit ad eos, Creſcite, &c. Nota, quod hæc benedictio à Deo data Noe, & filijs eius non conſiſtit præciſe in multiplicatione filiorum: nam Noe poſt diluvium non habuit filios, ſed hæc benedictio fuit & ſpiritualium, & temporalium bonorum: Deus enim Creaturam benedicit augendo, & merito, & infuſione gratiæ, & etiam numero, ſcilicet quoad bona temporalia, & etiam quoad poſteros reſpectu filiorum: unde addidit, *Creſcite, &c.* quodque fuit ſub præcepto impoſitum filijs ex uxoribus. *Pſalm.27. & 103.& op.Bibl.paup.cap.5.*

1168. *Deus benedicit ipſum benedicentes.*

Benedixit Deus Noe, & filijs eius, &c. Cur hic ponitur hæc benedictio Dei ſed non, quod paulo ante Noe ædificaverat Altare, & Sacrificium obtulerat: & quia hoc Sacrificio benedixerant Deum, hinc & Deus eis ſuam benedictionem retribuit: offerentes enim Deo Sacrificia, devotionem, & oblationem, & hoſtiam viventem, benedicuntur & ipſi à Deo. *ſerm.4.Dom.Trinit.*

1169. *Benedictio dexteræ, & ſiniſtræ Dei quænam, Benedictio Diaboli, & Mundi qualis.*

Benedixit Deus Noe, &c. Nota, quod benedictio alia eſt Dei, alia Diaboli: alia mundi: benedictio Dei eſt vel dexteræ, eſtq; collatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro: vel ſiniſtræ, eſtq; temporalium bonorum: primam debemus expetere, & à Deo exquirere, ſed non ſemper ſecundam, quia bona temporalia aliquando Deus dat iratus. *Pſalm. 66.& 128.* Benedictio verò Diaboli eſt adularionis, quando laudatur Peccator in deſiderijs ſuis, & ſuis cupiditatibus relinquitur, qua conſecratur Diabolo, & veluti extrema unctio, qua præparatur igni æterno, ut melius ardeat: Benedictio mundi eſt ſecundùm Vulgi opinionem, & ſecundùm dici, tantùm conſiſtens in affluentia temporalium, eſtq; vana, & deceptoria, quia hominem à vera beatitudine avertit. *ſerm.4.Dom.Trinit.*

1170. *Finis præcipuus matrimonij eſt Prolis ſuſceptio.*

Benedixit illi, &c. & ait Creſcite, &c. Vide qualem finem eis præfixit Deus, ſcilicet ut copularentur, non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole. *op.Phar.l.1.cap.40.*

1171. *Omnia ad utilitatem, & dominium hominis ordinata à Deo.*

Et terror veſter ſit ſuper cuncta animantia, & omne quod movetur ſit vobis in cibum, &c. Ecce quomodò Deus omnia ſubjecit dominio hominis, & ad ſui utilitatem ordinavit. *lib.2.diſt.15.a.2.qu.1.& op.Bibl.paup.cap.98.*

1172. *Carnis comeſtio conceſſa à Deo homini, & ſuis ſequacibus, quàm piè, & providè conceſſa, & præcipuè Prædicatoribus.*

Et omnia quæ vivunt, & moventur ſint vobis in cibum, &c. Per hoc patet, quod ante diluvium cibus communis erat ſingulis herbarum, olerum, & pomorum: poſt diluvium verò admiſit etiam carnem: ſed quomodò id Deus conceſſit, cum carnium comeſtio potiùs ſit ad excitandam voluptatem carnis: Reſpondetur, quod abſtinentia à cibis lautioribus eſt quidem de genere ſuo perfectior: tamen condeſcendit Deus infirmitati humanæ ad neceſſarium victum: quod & itidem fecit cum Apoſtolis miſſis ad prædicandum, dicens, quod ederent ea, quæ apponerentur ipſis, & hoc, quia cum eſſent pauperes, & cum laborioſis prædicationis exponerentur diſcurſibus, ne pro penuria, & difficultate laboris in ſe ipſis deficerent, vel pro difformitate victus oneroſi redderentur ſuſcipientibus ipſos, hujuſmodi fuit eis à Domino vivendi forma præſcripta

ctipta tam piè, tam providè, ut & alijs condescenderent, & injunctum laborem viriliter tolerate valetent. *op. apol paup resp. 2. cap. 2.*

1173. *Ciborum usus, non ingluvies, & excessus concessus.*

Omnia quæ moventur, & vivunt sint nobis in cibum, &c. Si hoc Deus concessit homini, cur admittuntur Religiones prorsus ab his cibis carnalibus abstinentes? Et si id est supererogationis, & majoris perfectionis, ut certum est: cur postea non prohibentur omnibus perfectam vitam sectantibus maxime Religiosis, & Prædicatoribus? & cur Christus ipse cum publicanis, & peccatoribus his cibis est usus? Respondetur, Christum nostras infirmitates suscepisse: ideò & ciborum lautiorum abstinentiam in se ipso suscepit, & simul etiam condescendit nostræ indigentiæ: factus est enim infirmus cum infirmis, & omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret: Abstinere autem, & uti carnibus potest fieri perfectè, & imperfectè: sed abstinere est perfectiùs ex suo genere: uti verò carnibus est etiam aliquando perfectiùs, sed tamen ratione circumstantiæ adjunctæ, cum cibus in culpa non sit: sed quid conveniat locis, & tempori, & personis diligenter est attendendum: cum fieri possit; ut sapiens sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, imò cum maximo merito pretiosissimo cibo utatur: è contra insipiens fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat, & sanius quisq; maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum: Unde non cibus, sed appetitus in vitio est. *op. apol. paup. resp. 2. cap. 2.*

1174. *Deus valde abhorret comestionem carnis humanæ, & hominis occisionem.*

Excepto quod carnem cum sanguine non comedistis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram, &c. Hic prohibetur occisio, & comestio carnis humanæ: cum enim carnem omnium animantium concesserit homini, excipit carnem hominis; ex hoc quod solus est formatus ad Imaginem Dei. *in Sap. cap. 12. & op. Bibl. paup. cap. 85.*

1175. *Homicidæ puniuntur à Deo.*

Sanguinem animarum vestrarum, &c. qui effuderit sanguinem fundetur sanguis illius. Hic prohibet homicidium, sed quomodò dicitur, quod sanguis effundentis sanguinem hominis effundetur, cum plures homicidæ moriantur sine tali effusione? sed hic intendit Deus statuere pœnam mortis contra homicidas, contra quos Deus sumit semper vindictam. *in Luc. cap. 11. v. 51. & op. de prof. relig. l. 2. c. 46. & op. Bibl. paup. c. 85.*

1176. *Iris à Deo positus in signum fœderis.*

Statuam pactum meum vobiscum, &c. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum inter me, &c. Arcus iste generatur ex radiu solis in nube concava: estq; effectus naturalis, & signum propinquæ serenitatis: sed à Deo voluntariè assumptum divini fœderis. *op. Comp. Theol. l. 2. c. 9. & serm. 14. Hexaem.*

1177. *Verbum in Incarnatione factum est Iris, & signum fœderis.*

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis, &c. Ad quid voluit Deus ponere pro signo fœderis inter ipsum, & hominem hunc arcum, qui est quid naturale? Arcus iste figurabat Christum Iesum, qui constat ex radio solari divinitatis, & nube humanitatis: & dicitur nubes concava, & rorida ratione plenitudinis gratiæ: dicitur autem positus iste arcus in nubibus, idest defectibus carnalibus tenebrosæ humanitatis impedientibus salutem in hominibus: Positus autem in his defectibus non ut obscuraret, sed ut contemperaret, quia eius extrema contingunt Cælum divinitatis, & terram humanitatis: & iste arcus signum est fœderis inter Deum, & Creaturas. *serm. 1. Dom. infr. oct. Nativit. & serm. 14. Hex.*

1178. *Christus in Cruce arcus fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Arcus in nube est Christus in Cruce: sicut enim arcus cælestis habet cornua versus terram, ob idq; non extensus ad eam feriendam, signans pacem, & gratiam, sic Christus tendens transversaliter brachia, caput inclinavit ad terram, signans, se ad hoc voluisse pati, ut esset signum gratiæ dandæ homini, & rigoris temperandi. *ser. in Exalt. S. Cruc. & ser. 14. Hexaem.*

1179. *Arcum fœderis posuit Deus in cessatione persecutionum Imperatorum in Ecclesiam.*

Arcum meum, &c. Hoc mysticè adimpletum est, quando post diluvium tot persecutionum Imperatorum in Ecclesiam Dei venit Constantinus, cui ostendit signum Crucis in cælo, in quo vincere debebat, tunc enim pepigit fœdus, quod nunquam Romanorum Imperium persequeretur Christianos. *serm. 16. Hexaem.*

1180. *Beata Virgo fuit Iris, & signum fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Hic Arcus fuit figura Beatæ Virginis Mariæ, ad cuius adventum mitigatus est Deus erga hominé: cius color ceruleus fuit virginitas, rubeus fuit charitas: aqueus humilitas: in nubibus cæli positus, scilicet in hoc mundo obscuro positus, ut nos illuminaret virtutibus, & exemplis: Arcus ideò est insuperabilis, potens, fortis, dulcis, amabilis, patens cæli portis post præsentis metam mortis. *op. laus B. Virg. fig. 5.*

1181. *S. Franciscus arcus, & signum fœderis.*

Arcum meum, &c. mysticè iste Arcus potest dici P. S. Franciscus refulgens inter nebulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentans per vulnera, qui pacem, & salutem evangelizavit hominibus, existens & ipse Angelus veræ pacis. *op. legend. S. Franc. in Prologo.*

1182. *Christus aliquando se occultat, ut ardentiùs quæratur.*

Cum obduxero cælum nubibus, &c. apparebit arcus meus, &c. Nota: cælum semper est serenum, & lucidum; quomodò igitur dicitur, quod obducitur, seu tegitur nubibus? Hoc dicitur quoad aspectum nostrum, ob interpositionem vaporum enim apparet nubilosum. *op. de Eccles. Hier. p. 4. c. 4.* Sed quodnam mysterium nubis hic indicatur? quia aliquando Deus nobis occultatur, ut ardentius quæratur. *serm. 3. in Ascens.*

1183. Christus

juria viri Iuſti? Ad ædificationem noſtram:daturq; intelligi,quod ſicut ſolatium, quod habuit Noe de hac potatione fuit breviſſimũ, ad quod conſecuta eſt afflictio ſua,& deinde maledictio in filium;ſic & ſolatium mundi comparatur muſto, quod inebriat, & infatuat hominem abſorbens rationem hominis,& uſum eius?Non ſic ſolatium, quod accipit homo à Deo eſt veluti vinum deputatum, quod eſt fortiſſimum, & ſemper durat, & eſt maximum.*ſerm.*1.*in Rogat.*

1103. *Prælati incuria à Deo damnatur.*

Bibens inebriatus eſt, &c. Nota non ſine myſterio notatur ebrietas, & nuditas Noe,qui erat veluti Princeps, & Prælatus aliorum: Prælatus enim quando incurioſè,& negligẽter vivit,veluti ebrius nudatur ſancta,& exemplari fama:& tunc in deriſionem tranſit.*ſerm.*4.*Dom.*3.*poſt oct.Epiph.*

1104. *Ebrietas ſpiritus facit denudari peccata in Confeſſione.*

Bibens inebriatus eſt, &c. Cur ponitur in viro juſto hæc ebrietas? ut ſignificetur, quod ebrietas ſpiritus in compunctione, & contritione facit denudari turpitudinem in Confeſſione. *ſerm.* 3.*Dom.* 12.*poſt Pentec.*

1105. *Vinum Charitatis ex contritione exprimitur.*

*Bibens inebriatus eſt,&c.*Proponitur hic ebrietas ſpiritualis:daturq;intelligi,quod vinum lachrymarum expreſſum de propaginibus Cõtritionis,Confeſſionis,& ſatisfactionis eſt charitas;quo vino delectantur Angeli,videntes Converſionem peccatoris. *ſerm.*3.*Dom.*12.*poſt Pentec.*

1106. *Vinum carnalium delectationum abſorbet mentem.*

Bibens inebriatus eſt,&c. Nota, quod Noe inebriatus,& nudatus dormivit in tabernaculo: quid nobis id indicat?quod homo,qui vino delectationis terrenæ ſe abſorbet, denudatur veſte bonæ vitæ, & dormiens vivit, nec advertit mala imminentia. *ſerm.*3.*Dom.*10.*poſt Pentec.*

1107. *Incautus aſpectus, & locutio quàm damnoſa.*

*Quod cum vidiſſet Cham Pater Chanaan verenda ſcilicet Patris eſſe nudata nuntiavit,&c.*Vide quibus gradibus præcipitatus eſt in maledictionem paternam:priùs vidit curioſè,& turpiter:deinde nuntiavit Fratribus ſuis, ſcilicet cum deriſione: Ex hoc addiſcere debes quales fructus exhauriuntur ex incauto viſu:Item & ex locutione. *op. Bibl.paup.cap.* 92.*&* 93.

1108. *Inhonorans Parentes graviter à Deo punitur.*

*Quod cum vidiſſet,&c.maledictus Cham,&c.*Vide quali pœna punitus fuit Cham ob inhonorationem Patris: ſic enim inhonorantes Parentes maledicti, infames ſunt, & à Deo puniuntur multoties horribiliter,& breviori vita. *op. Diat.tit.*3.*c.*3. *& ſerm.*5.*de decem Præcept.*

1109. *A ſubditis reprobis manifeſtantur delicta Prælati.*

Cum vidiſſet Cham,&c.nuntiavit Fratribus ſuis,&c. Quarè notatur hæc evulgatio facta Fratribus ſuis, &c. ut pateat ex quo fonte orta ſit maledictio Cham:datur enim intelligi, quòd Deus ſpecialiter abhorret vitium detractionis,& ſuſurrationis ſubditorum in Prælatos: Cum enim ſubditus videt aliquem defectum in Prælato, debet non detrahere,ſed compati ei quaſi homini,in quo ferè impoſſibile eſt,ut vivat ſine defectibus:& eo magis,quia ſæpe quod in eo reprehendimus eſt noſtro vitio magis eſt,quàm ex eius culpa,imò ſæpe eſt bonum, & ſancta intentione, vel neceſſitate factum:honorandi ergo ſunt Prælati, & Patres, in corde, nec ſperni debent, & ne forte maledictio Cham in nobis deſcendat, & ne fortè Deus in eis ſpernatur. *op. de Inſtit.Novit.p.*1.*cap.*3.

1110. *Honorans Parentes benedicitur à Deo, inhonorans maledicitur.*

*Sem & Iaphet operuerunt verenda Patris, &c. & hinc contraxerunt benedictionem,&c.*Vt videas quãti meriti apud Deum ſit honor exhibitus à Filijs Parentibus. *ſerm.* 5.*de dec. præcept.*Et Cham maledictus,quia nuditatẽ Patris deriſit.*op.Bibl.paup.c.*62.

1111. *Peſſimi sũt effectus maledictionis divinæ.*

*Maledictus Chanaan, &c.*Quid ſequutum eſt ex hac maledictione?obſtinatio in Cham,& filijs,quia in eis erant qualitates dignæ tali maledictione. *in ſap.cap.*12.

1112. *Maledicitur à Deo diſcooperiens culpam Proximi.*

Maledictus Chanaan, &c. Hæc maledictio ei fuit inflicta,quia tenebatur operire verenda Patris, & ea potius propalavit:Ex hoc vide qualem maledictionem infligat Deus aperienti culpam proximi ſecretam.*l.*4.*d.*21.*p.*2.*a.*1.*q.*3.*fund.*3.

1113. *Vnuſquiſq;eſt author ſuæ maledictionis.*

*Maledictus Chanaan,&c.*Sed à quo maledictus? Cur non dixit maledictus à me?quia Noe erat figura Dei: licèt enim ſit æquè juſtus, ac miſericors: tamen quia ad opus miſericordiæ non requiritur niſi Dei bonitas; ad opus verò juſtitiæ præſupponitur iniquitas, à qua trahit originem maledictio, & punitio.*in ſap.c.*12.*&* *l.*1.*d.*47.*dub.*1.Hine infertur; quod unuſquiſq;eſt author ſuæ maledictionis.

CAPVT X.

1114. *A tota Trinitate creantur Animæ.*

Per hos tres, à quibus diſſeminatum eſt totum genus humanum intelliguntur tres Perſonæ Divinæ, à quibus originaliter diſſeminantur omnes animæ:quod & ſupra notatum eſt. *ſerm.* 4. *Dom.* 4. *poſt oct.Epiph.*

1115. *Ex bonis Prælatis activis, & contemplativis proveniunt fructus boni in alios.*

Hæ ſunt generationes filiorum Noe, &c. Per hos tres ſignificantũr illa tria ſata à muliere Evangelica abſcondita in farina,de quibus *in Luc.cap.*13.& figurabant tres differentias fidelium, in quibus Dei ſapientia dilectionem ſuam abſcondit in via, ſcilicet bonos Prælatos, bonos contemplativos, & bonos activos: Vel triplicem ſubſtantiam in Chriſto inclusã,ſcilicet divinitatem,animam, & corpus.*in Luc.cap.*13.*v.*21

1116. *Antichriſtus ſua auctoritate ſe conſtituet Principem, & Tyrannum, ut fecit Nembrod, qui fuit primus Imperator in mundo.*

Porrò Chus generavit Nembrod, ipſe cœpit eſſe potens

potens in terra, &c. Nota, quod in illis primis temporibus in qualibet familia primus natu, primus etiam erat auctoritate, & gradu honoris, familiam regens, & lites dirimens. In familia Chus primus natu fuit Saba: Secundò Hevila: Tertiò Sabatha: Quartò Regma: Quintò Sabathaca: & Nembrod erat sextus in ordine: quomodò igitur dicitur hic fuisse potens in terra? Quia iste erat superbus, viribus validus, seq; propria auctoritate primum Imperatorem fecit in Babylone: fuitq; figura Antichristi, qui sua auctoritate, & violentia extolletur super omne quod dicitur Deus. *serm.* 15. *Hexaem.* Fuitq; Diaboli imitator, qui alijs præesse sua authoritate voluit. *l.* 2. *d.* 5. *a.* 1. *q.* 1. *corp.*

1217. *Princeps verus communem utilitatem fovet: Tyrannus propriam.*

Ipse cœpit esse potens in terra, &c. Quis eum constituit in hac potentia, & fecit Regem Babylonis, ut dicitur infra? sua auctoritate, & violentia in alios, dicitur enim robustus venator, scilicet opprimens alios. *serm.* 15. *Hexaem.* Hæc autem differentia est inter Tyrannum, & Principem, quod Tyrannus quærit propriam utilitatem dispendio, & cæde subditorum: Princeps verò communem subditorum utilitatem. *serm.* 5. *Hexaem.*

1218. *Prælati mali necant animas subditorum.*

Et erat robustus venator coram Domino. Legunt Septuaginta, *contra Dominum:* Per hoc indicatur, quod Nembrod fuit crudelissimus, & homines tamquam animalia venatione capta opprimebat tyrannide: Ecce figura mali Prælati ait Philip. Abbas. Parum est malis Pastoribus, quod oves languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant, sed etiam ipsas fortes, & pingues necant, scilicet malè vivendo, malum exemplum præbendo. *op. Phar. l.* 1. *cap.* 12.

1219. *Diabolus ad venandas animas utitur ministerio hominum iniquorum.*

Et erat robustus venator, &c. Ad quid ponitur, quod erat venator? quia, ut dictum est, venabatur per violentiam homines, &c. figurabatq; Diabolum: De Dæmonibus dicitur, *in Thren.* 3. *Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei gratis.* Diabolus enim esca voluptatum capit animas: utiturq; etiam ministerio mulierum lascivarum, hæreticorum, consiliariorum, malorum sociorum, & aliorum ad peccata trahentium: istiq; sunt venatores Diaboli. *serm.* 3. *Dom.* 4. *post Pentec.*

1220. *Diabolus habet suos venatores in malum: Christus habet in bonum.*

Et erat robustus venator coram Domino, &c. Quid est esse venatorem coram Domino? Nota ex SS. PP. quod illa particula, *coram Domino*, potest intelligi in malum, scilicet contra Dominum, & in bono, idest ad gustum Dei: Quia Deus habet suos venatores, & Diabolus suos: mali autem insidias, & laqueos ponunt, & fundunt sanguinem animarum, eas occidendo spiritualiter, & lucrando pro Diabolo: Boni verò ad Deum, & pro Deo capiunt animas trahentes verbo, prædicatione, & exemplo ad pœnitentiam. *serm.* 3. *Dom.* 4. *post Pentec.* & *Psalm.* 90.

1221. *Peccator in suo opere confusionē invenit.*

Fuit autem principium Regni illius Babylon, &c. Nota, quod non sine mysterio notatur regio super quam regnavit primus Tyrannus, scilicet Babylon, interpretatur autem confusio: significatur autem, quod si ad tempus superbi florere videntur; semper tamen in fine confunduntur, & deijciuntur, ut evenit in monarchia Babylonica, quæ cum videretur esse potentissima, una nocte tamen capta fuit Civitas, & cum Rege suo superbissimo velut scintilla ignis perijt. *serm.* 4. *de uno Confes.*

CAPUT XI.

1222. *Deus est seminator pacis inter homines.*

Erat autem terra labij, &c. Nota hic terra sumitur pro homine: homines autem erant unius sermonis, &c. ut discas, quod Deus concordiam inter homines primò seminavit, quam ipsi postea fregerunt: Nam testamentum Dei, & hæreditas pax est, ut à concordibus consortibus possideatur, non à litigantibus dividatur. *op. Phar. lib.* 4. *cap.* 16.

1223. *Arctam viam derelinquentes recedunt à Christo.*

Cum proficiscerentur ab Oriente invenerunt campum, &c. Quare ponitur hic recessus ab Oriente? Nota, quod oriens significat mysticè Christum; in illa parte enim erat Paradisus terrestris: Vnde Ecclesia orat ad orientem, ut illuminaretur à vero sole iustitiæ. *in sap. cap.* 16. sed perversi recedunt à Christo, & se collocant in Sennaar, quod interpretatur fœtor, & putredo dentium: collocant se ergo in stabulo porcorum fœtido, in loco ubi sēper bellum intestinum est, scilicet se immergendo in delicijs mundanis, & inutilibus curiositatibus: unde dicebat Hier. *Thren. cap.* 1. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem:* viæ enim Sion scilicet Dei sunt arctæ: viæ mundi latæ. *op. mystic. Theol. in præfat.* & *serm.* 2. *de S. Ant.* & *serm.* 2. *in dedic. Ecclesiæ.*

1224. *Qui voluptatibus inserviunt, in luto, & igne se immergunt, & Diabolo ædificant.*

Dixitque alter ad proximum suum, venite faciamus lateres, &c. Ad quid istos lateres? ad construendam Civitatem, & Turrim, quæ sit altitudinis immensæ, & durationis perpetuæ: sed cur non assumunt petras, & lapides; sed lateres coctos? sed nota, quod isti impij discesserunt à montibus Armeniæ, in quibus Arca requievit, & descenderunt in planum campum ad ædificandam Babylonem ex lateribus igne coctis: sic faciunt iniqui recedentes à Christo, qui est petra, & fundamentum Civitatis supernæ, & in latere se immergunt, scilicet in luxurijs, & æstu cupiditatis, itaque ædificant Diabolo, non Deo. *Psalm.* 126. & 39. & 26.

1225. *Peccator insanus, & excæcatus tentat impossibilia.*

Et dixit, &c. Venite faciamus & Turrim, quæ pertingat ad Cælum, &c. Quomodò ad Cælum? erant ne tam insani, ut non cognosce-

tent ſe intentare impoſſibilia? ſed non eſt mirum: Nam nunquam prævertitur affectus, niſi priùs prævertatur judicium, nec prævertitur judicium, niſi aliqua excæcatio ſit in ratione; excæcatio verò pullulat à præſumptione: ſic etiam Diabolus excæcatus appetiji, & attentavit æqualitatem Dei conſequi, quod erat impoſſibile: Hocque eſt proprium ſuperbiæ. *l.2.d.5.a.1.q.1.& 2.* ſic & S. Joan. Chryſoſt. *Hom.*30.

1226. *Superbia inficit etiam perfectos.*

Venite faciamus Turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum. Nota; hic eſt fructus ſuperbiæ: quæ ſicut turris uſque ad cælum pertingit, ſcilicet uſque ad perfectos viros, quia inficit omnes *op. Comp. Theol. lib.3.c.15.*

1227. *Concordia bonorum in bono optima: malorum in malo peſſima.*

Venite faciamus, &c. Quomodò ſi erant impij tam concordes ſe oſtenderunt, cum concordia ſit tam excelſa virtus? Nota, quod eſt concordia bonorum in bonum & bona, malorum in malum mala: ſicut noxium eſſe ſolet, ſi unitas deſit bonis, ita perniciofum eſt, ſi non deſit malis: Perverſos quippe unitas corroborat, dum concordat, & tantò magis incorrigibiles, quantò unanimes facit. *op. Phar. l.4. cap.16.*

1228. *Invitatoria bonorum in bonum: & malorum in malum qualia in matutino Diaboli.*

Venite faciamus lateres, &c. venite faciamus nobis civitatem, &c. Cur bis repetunt venite? Nota, quod Chorus eſt concordia humanarum vocum, in quo Alij, cantantes præcedunt, Alij reſpondent. *Pſal.* 87. Unde ſicut Eccleſia Iuſtorum ſecundùm diverſa feſtorum, diverſa habet invitatoria: ſic & ſynagoga peccantium in matutino Diaboli: unum eſt vanitatis, & ſuperbiæ, venite faciamus nobis Civitatem, &c. Aliud iniquitatis, venite, & occidamus eum. *Gen. cap.* 37. Aliud avaritiæ, & cupiditatis veni nobiſcum. *Proverb. cap.* 1. Aliud voluptatis, venite fruamur bonis. *ſap. cap.*2.

1229. *In peccato fœtor, & bellum inteſtinum.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. In quo loco? in Campo Sennaar: ſed cur permiſit Deus, ut ædificaretur in Sennaar? Sennaar interpretatur fœtor, ſeu putredo dentium, & ſignat peccatum, in quo Civitas Diaboli fundatur: Hæc Civitas eſt habitatio fœtida, & ſtabulum porcorum per luxuriam, & cætera vitia, in qua eſt putredo, & ſtridor dentium, ſcilicet bellum inteſtinum, quia peccator nunquam habet pacem. *ſerm.* 2. *de dedic. Eccl.*

1230. *Tyranni non ſinunt quieſcere ſubditos.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. ſed à quonam fuerunt moti ad tantum laborem? Authoritate, & præcepto Nembrod. *ſerm.* 15. *Hexaem.* Hoc enim eſt proprium Tyrannorum nunquam ſinere quieſcere ſubditos, ſic & Philip. Abb. *de ſilent. cler. cap.*11.

1231. *Peccator totis, & omnibus viribus Deum offendit.*

Venite faciamus nobis Civitatem, &c. Nota ad conſtructionem Babylonis plures iniqui concurrerunt: ſignificaturque, quod Peccator ad Deum offendendum convocat omnes potentias, & ſenſus, eaſque unanimes reddit in malum. Et hinc docent Theologi, quod licèt peccatum ſecundùm eſſentiam reſideat in anima, ſeu in voluntate, tamen ad ipſum concurrunt potentiæ intellectuales, & ſenſitivæ. *l.2.d.24.p.2.a.1.q.1.& d.31.a.1.q.* 2. Unde quando peccat mortaliter invitat omnes potentias ad malum, pedes per malum conſenſum, manus per malum actum, collum per malum verbum, linguam per vitioſum ſilentium, cor per affectum, & delectationem. *ſerm.* 3. *Dom.*11. *poſt Pentec. & ſerm.* 1. *Dom.*13. *ibid.*

1232. *Peccator utitur omnibus creatis, & Deo ipſo ad ipſius offenſam.*

Venite faciamus, &c. Nota, quod Peccator omnia creata, & increata ordinat ad Dei offenſam: utitur enim fruendis, & fruitur utendis. *in ſap. cap.* 21

1233. *Quo quis plus aſcendit eo plus deſcendit, & elongat ſe à Deo.*

Venite, &c. cuius culmen ad cælum pertingat. Sed quid facitis inſani? Verum quidem eſt, quod corporaliter quo quis plus aſcendit, eo plus cælo appropinquat: ſpiritualiter tamen id eſt magis ſe à Deo elongare: quo enim quis plus per ſuperbiam ſe exaltat, eo magis deſcendit, & à Deo diſtat; & è contra quo quis magis deſcendit, eo plus aſcendit. *ſerm.* 2. *& 3. de uno Confeſ.* Quo quid plus participat de forma rei, eo plus occupat de loco eius: ſed forma capitis noſtri Chriſti eſt humilitas eius: ergo qui plus humilis eſt, plus participat de Chriſti ſublimitate. *ſerm.* 2. *de uno Confeſ.*

1234. *Civitas Babilonis, & Diaboli habet pro fundamento libidinem: Dei Civitas charitatem.*

Venite, &c. & celebremus nomen noſtrum, &c. Nota quale fundamentum ponant impij in Civitate Babylonis, quæ eſt Diaboli: Civitas enim Diaboli habet pro fundamento libidinem perverſam: Civitas Hieruſalem habet Charitatem ordinatam: Illa ad terrena per libidinem deprimitur, quia in his terrenis beatitudinem ponit: Iſta erigit ad æterna, in æternis quieſcit, & in eis beatitudinem ponit. *In Ecclen. proæm.*

1235. *Deus agens ordinatum in ſuis operibus.*

Venite, &c. & confundamus linguam eorum, &c. Nota, quod hæc fuit ſecunda ætas, in qua diviſæ ſunt linguæ, & reſpondet ſecundæ diei Creationis, in qua per firmamentum diviſæ ſunt aquæ, & reſpondet etiam pueritiæ, in qua homo addiſcit loqui. *ſerm.* 15. *Hexaem. & op. Brevil. in proæm.*

1236. *Potentia persequentium Ecclesiam dissipata est.*

Atque divisit eos ex illo loco in universas terras, &c. Nora ex hac divisione linguarum, orta est etiam separatio ipsorum per universas terras mundi, & sic tunc dissipatum est imperium Nembrod, & Turris Babyloois, quod fuit figura primò dissipationis potentiæ Imperatorum Romanorum persequentium Ecclesiam, ad quos successit Constantinus Magnus. Secundò dissipationis potentiæ Antichristi futuræ. *serm. 15. & 16. Hexaem.*

1237. *Idiomata hebræa, græca, & latina unde orta.*

Atque divisit eos, &c. Nota, quod tunc facta est divisio linguarum in præcipua Idiomata mundi, scilicet hebraica, græca, & latina: sed hebraica remansit in domo hebræa: hæc enim fuit originalis procedens ab Adam, idque fuit figura, quod, facta dispersione Idololatriæ, remanere debebat Confessio Christi in populo Christiano. *ser. 16. Hexaem.*

1238. *Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur.*

Atque ita divisit eos, &c. Vide, quod per divisionem linguarum etiam dispersi sunt in varias terras: quia Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur. Et unitas est causa omnis boni, & salutis: discordia interitus: regnum enim in se divisum, quale est Diaboli, non potest stare. *in Luc. c. 11. v. 17. & 18.*

1239. *Inter malos conservari Iustum est maximum Dei beneficium.*

Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, &c. Quarè de Vr Chaldæorum voluit Deus ut recederent? quia ibi exercebatur Idololatria, eumque persequebantur illi habitatores sic respondent DD. Vnde hæc fuit maxima misericordia Dei, quam in Abraham exercuit eum conservando sine querela, & justum in medio nationis pravæ, & perversæ, & ab Adversariis defendendo, tandemque Terram promissionis conferendo. *in Sap. c. 10. & op. Bibl. paup. cap. 36. & 120.*



CAPVT XII.

1240. *Malorum societas periculosa, ideò in Religionibus observantibus ejiciuntur mali, ne alios inficiant.*

Egredere de terra tua, &c. Hoc fuit à Deo præceptum Abrahæ: & cur voluit Deus, ut Abraham tam bonus exiret de Mesopotamia sua Patria? quia io illa terra vigebat Idololatria, unde ne inficeretur ipse vel aliqui de sua familia, & ut liberius, & securius colerent unum, & verum Deum, voluit, ut à tali regione exirent. *lib. 4. dist. 1. p. 2. a. 3. q. 1. ad 3.* sic & Abulensis. Vide igitur, quàm periculosa sit malorum societas etiam in Congregationibus Iustorum, & ideò justissimè mali publici ejiciuntur à Religionibus, dum correcti non se emendare volunt, tum propter scandala evitanda, tum ne alij inficiantur. *op. deter. super Regulam qu. 14.*

1241. *Malorum societas sæpe privat bonos benedictionibus divinis.*

Egredere de terra tua, &c. Cur cum Deus vellet replere Abraham suis benedictionibus, & suis muneribus cumulare, tum & visitationibus voluit, ut priùs exiret de Vr Chaldæorum? Id voluit, ut se eximeret à societate Malorum, utque nobis daret intelligere, quot bonis priventur, & benedictionibus cælestibus qui inter Malos eum sui periculo volunt degere. *op. Bibl. paup. c. 120.*

1242. *Cuicumque volenti sequi Christum, est necesse, ut omnia relinquat quoad affectum.*

Egredere de terra tua, & de Cognatione tua, &c. In his verbis videtur, quod Deus præceperit expoliationem omnium bonorum Abrahæ, & tamen patens est, quod etiam pòst plurimis ditatus est bonis temporalibus; Quomodò ergo inter perfectos obedientes Deo adnumerantur? Sed nota, quod hæc expropriatio fuit præcepta non quoad rem, sed quoad affectum inordinatum, & in eodem sensu à Christo præcipitur renunciatio rerum dicente: *Qui non renunciat omnibus, &c.* licèt perfectius sit relinquere omnia etiam quoad rem. Sic & præcipit S. Franciscus in sua Regula; unde quidam Doctor tempore S. Bonaventuræ fuit ab Ecclesia condemnatus, quia docebat esse necessariam abrenunciationem rerum etiam quoad rem exemplo Abrahæ, quod falsum est, quia Abrabam tulit secum omnem substantiam, licèt quoad affectum omnibus renunciaverat. *op. Apol. paup. resp. 3. cap. 3.*

1243. *Deus à Religiosis exigit observantiam Voti Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis.*

Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo Patris tui. Si capite præcedenti legitur, quòd Abraham exierat de Vr Chaldæorum, quomodò idem denuo ei præcipitur? Poterat enim dicere Domino: Iam ò Domine egressus sum; ad quid ergo hæc repetitio præcepti? Doctores hic respondent apud Lyranum, quòd jam corpore redierat, non mente, cùm intenderet illuc denuò redire: unde Deus repetiit hunc exitum, quia id fuit figura Religiosorum à quibus vult Deus exitum perfectum & quoad rem, & quoad votum: de terra, seu possessionibus terrenis per votum paupertatis; de cognatione per votum Castitatis, & de domo Patris per votum Obedientiæ. *In Psal. 113. & op. Bibl. paup. c. 120. & diat. tit. 4. c. 1. in fine.*

1244. *Christus non invenitur inter cognatos à Religiosis, ideò à cognatione longè recedendum.*

Egredere de cognatione, &c. Nota, id mysticè dici omnibus Religiosis, à quibus vult Deus renunciationem inordinati affectus ad Cognatos, & amicos carnales, nam nec Christus inventus est à Maria, & Ioseph inter Cognatos, & notos, estque

contra illos, qui curioſi, & vagi nimis ſe ingerunt in rebus, & factis Conſanguineorum, & ſæcularium. *In Luc.c.9.v.61.& ſer.5. dom. infra octa. Epiph.& ſer.1.Dom.ſeptuag.& ſerm.3.Domin.23.poſt Pentec.*

1245. *Religioſus debet vivere, ut alienigena in hoc mundo.*

Egredere de terra tua. Sed cur hoc? Nonne poterat Abraham vivere cum juſtitia etiam in terra propria? quia voluit, ut daretur intelligi cuicumque homini, quod debet vivere ut peregrinus in hoc mundo; ſed præcipuè Religioſis id dicitur, qui ut alienigenæ debent vivere in hoc mundo, & dimittere non ſolùm habitum, ſed & mores, & geſtus ſæculares, & ſicut alienigenæ, non manent; ſed tranſeunt loca verſus patriam, ſic & Religioſus & corpore, & corde tranſire debet ad aliam vitam, ſcilicet ſpiritus verſus patriam cæleſtem. *In Luc.c.17.v.18. & 19.* Vult ergo Deus Religioſos homines veluti extra hunc mundum poſitos, alienoſque à cupiditatibus & affectionibus terræ: *Ibid.*

1246. *Deus vult, ut quilibet Chriſtianus renunciet Mundo, Carni, & Diabolo.*

Egredere de terra, &c. Nota, quod in hoc præcepto Abrahæ involuitur id, quod cuicunque baptizando intimatur. Abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis ejus, ſcilicet Mundo, Carni, & Diabolo: nam per terram intelligitur Mundus; per cognationem caro, & per Patrem diabolus, quæ abdicanda ſunt à nobis per pœnitentiam, ſic enim avaritia, luxuria, & ſuperbia à nobis longè erit, unde Chriſtus ad noſtrum exemplum voluit naſci de Virgine contra luxuriam, pannis involui contra avaritiam, & in ſtabulo poni contra ſuperbiam. *ſerm. in Vigilia Nat.*

1247. *Obſervantia Conſiliorum Evangelij antiquis ignota: nobis per Chriſtum notiſſima, & propoſita.*

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. &.veni in terram, quam monſtravero tibi. Sed in quam terram? Cur eam non nominat? Vt daretur intelligi, quod via, quam in plenitudine temporum monſtraturus erat Deus hominibus, erat ignota tunc; & quænam eſt via obſervantiæ conſiliorum Evangelicorum. Hanc voluit Deus in figura oſtendere Abrahæ, ſed poſtea patenter Chriſtus eam nobis calcandam oſtendit. *ſerm. 2. de S. Antonio Patav.*

1248. *Promptitudo ad omnem nutum divinum omnimoda exigitur à Deo in ſuis ſequacibus.*

Egredere de terra, &c. & veni in terram, &c. Nota, quod Deus non exprimit, quænam ſit hæc terra, in quam vult, ut Abraham pergat: Cur hoc? quia voluit ab hoc viro perfecto, & volt à Religioſis, ut continuè ſtent accincti ad omnem nutum divinæ voluntatis in itinere perfectionis, & Sanctorum operum. *in Luc. cap.17. verſ. 18. & 19.* Sic & D. Baſilius.

1249. *Deus ut agens ordinatiſſimum omnia veteris legis ordinavit ad Chriſti Adventum futurum præfigurandum.*

Faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi. Nota, quod hæc fuit tertia ætas mundi correſpondens tertiæ diei creationis rerum, in qua germinavit terra, & tertiæ ætati hominis, ſcilicet adoleſcentiæ, in qua vis generativa incipit exire in actum, & ideò Abrahæ ordinata fuit Circumciſio, & facta promiſſio de Chriſto venturo ex ejus ſemine. *op.Brevil.in proœm.& ſer.16.Hexaem.*

1250. *Status Religionis eſt terra viventium, & benedictionis divina.*

Et veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Iam dictum eſt, hæc omnia contigiſſe in figura ſtatus futuri legis gratiæ, ſed quænam eſt hæc terra, in quam præcepit Deus viro juſto, ut pergeret, & ut obtineret tot bona promiſſa? Hæc eſt terra viventium, ſcilicet ſtatus Religioſus, ait Gloſſa, Religio enim eſt nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata & alta: Nota, quod dicit, *faciam te in gentem magnam.* Quænam eſt gens hæc magna? Gens magna ſunt Angeli: ſic & Religioſi viri ſunt Angeli aſcendentes, & deſcendentes. *In Ioan. collat. 10.* In hoc ſtatu eſt conſummata perfectio Eccleſiæ militantis. *ſer.16.& 22. Hexaem.* Vultis igitur ſcire, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina tot prærogativas, & benedictiones mereatur, & ſecundum baptiſma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſmodi converſatio profeſſores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit: imò divinam in homine reformat imaginem configurans eos Chriſto inſtar baptiſmi, dum per id quod mortificant membra ſua, rurſum Chriſtum induunt complantati ſimilitudini mortis ejus. *opuſc. Apol.paup.reſp.1.c.3.*

1251. *Deus benigniſſimus nihil nobis adimit; quin abundantiſſimè retribuat.*

Faciamque te in gentem magnam, &c. Vide ex hoc, quod cùm Deus præceperit Abrahæ exitum de terra patria, & cognatione ſua, qua homini nihil amabilius; tamen benigniſſimè mitigat hunc rigorem promiſſis ampliſſimis. Promiſit enim ipſi & poſteris terram promiſſionis à fluvio Ægypti ad flumen magnum Euphratem. *In Sap. c.12.& 18. & in Luc.c.1.v.73.*

1252. *Ille magnus, & felix cuius Dominus Deus eius.*

Faciam te in gentem magnam. Cur non dixit in gentem multam? quia ille magnus eſt, qui Deum colit, & cujus Dominus ejus: qui enim Deum habet omnia cum Deo poſſidet. *In Luc.c.10.v.22. & c.12.v.31. & in Thren.c.1.* Sic & Rubertus Abbas *lib.5. c.5.* Ratio autem eſt, quia ſolùm boni à Deo computantur, mali autem ſunt ex abundanti, & apud Deum veluti non computati. *In Sap. cap.10. & lib. 1. diſt. 46. quæſt. ult. in fine corp.* unde dicitur Iſaiæ, *Multiplicaſti gentem, ſed non*

magnifi

magnificaſti latitiam. Phar. lib.1. cap. 22.

1253. *Apud Deum plus æſtimatur unus iuſtus, quàm innumerabiles peccatores.*

Faciam te in gentem magnam? Cur non dicit multam; ſed magnam? quia apud Deum eſt in æſtimatione magnitudo virtutis, non multitudo gentis: plus enim penſat Deus vitam unius juſti, quàm animam innumerabilium peccatorum, & præponderat ſalvationem unius juſti damnationi innumerabilium. *lib.3.diſt.20. art.1.quaſt.3. & diſt. 40. art.1.q.2.*

1254. *Iudæis promiſſa ſunt temporalia, Chriſtianis ſpiritualia.*

Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c. Cur Deus promittit temporalia, & non potius ſpiritualia? quia lex ſcripta erat lex carnis: poſt Chriſtum verò eſt de bonis ſpiritualibus: unde per Chriſtum Abrahæ promiſſum, hæc omnia promiſſa adimpleta ſunt ſpiritualiter in Eccleſia, *op.Apol.paup.reſp.3.c.3.*

1255. *Benedictio Dei affert omne bonum.*

Et benedicam tibi, &c. In quonam bono conſiſtit hæc benedictio promiſſa? Conſiſtit in bonis temporalibus, ſpiritualibus, & æternis: unde benedictio temporalis ſine ſpirituali parùm confert, ſed benedictio Dei omne bonum communicat. *ſer.5. de una Virgine*, & hæc benedictio deſcendit ad omnes imitatores virtutum Abrahæ, qui ſpiritualiter dicuntur filij Abrahæ. *In Luc.c.1.v.42.& 54. & ſer.Dom. poſt oct.Epiph.*

1256. *Dei protectio qualis in cultores perfectos ſui nominis.*

Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. In quonam conſiſtit hæc magnificatio Abrahæ? Nota qualem protectionem habet Deus perfectorum ſuorum cultorum, magnificatus eſt non ſolùm per augmentum ſuæ famæ, per totum mundum, ſed & quia ipſum ab inimicis defendit, & eum præſervavit ab Idololatria imò in ejus nomine voluit Deus comprehendere ſuum ipſius nomen, appellando ſeipſum Deum Abraham ex quodam privilegio amoris per cultum Religionis. *In Pſal.45. & in Sap. cap.10.* Vide igitur quodnam privilegium eſt viri juſti, qui verè poteſt dicere, ſervus tuus ſum ego, ſcilicet mandata tua obſervando, & cuſtodiendo, obediendoque, ideò tuus ſum ego, ſcilicet non meus, ſed tuus, ſcilicet in tuis mirabilibus, in quibus ſum attonitus, in tuis credibilibus, in quibus ſum ſubditus, & in tuis delectabilibus, in quibus ſum irretitus. *Pſal.118.c.6.v.18. & c.8.v.13.*

1257. *Benedictio divina differt ab humana.*

Benedicam tibi, &c. Quodnam eſt hoc præmium Abrahæ à Deo promiſſum? Vide quomodò Deus poſtquam promiſit Abrahæ, quod magnificandus erat apud homines (hæc eſt benedictio humana) ſubdit, *& benedicam tibi* ſcilicet augendo numero, & merito per multiplicationem, ſcilicet poſterorum, juſtorum, & meritorum; & hæc eſt benedictio Dei valdè differens, & eminentior humana: hæc enim pro nihilo reputanda, quia judicium humanum cæcum eſt frequentiùs, & ignorat veritatem, & fallitur ſæpiſſimè. *Pſal. 27. & op. de Inſtit.Novit.p.2. cap.10. & op. Phar. l.4.c.47. & in Luc.c.18.v.11.*

1258. *Benedictio Dei ineffabilia, & inexplicabilia bona affert.*

Benedicam tibi, & eris benedictus. In quibus bonis conſiſtit hæc benedictio? Id non exprimitur, ſed ponitur indefinitè, & meritò, quia erat veluti inexplicabilis, quia Deus cùm plene benedicit juſtum, ipſum benedicit in mundo per propitiationem, remiſſionemque culparum, & collationẽ gratiæ, in extremo defendendo ipſum ab hoſtibus, ſecurum exitum animæ tribuendo, & in Cœlo per collationem gloriæ. *ſer.1.de uno Confeſſ.* Bona ſunt hæc, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis aſcenderunt, cum ſint ineffabilia, & inexplicabilia. *Ibidem.*

1259. *Non ſufficit, ut Deus gratiam offerat, niſi voluntas liberè acceptet.*

Benedicam tibi, eriſque benedictus. Cur additur, eriſque benedictus? Nonne ſufficiebat dicere Benedicam tibi? Si enim Deus contulit benedictionem ſuam Abrahæ, nonne ad ipſum debebat terminare? Sed nota, quod non ſufficit, ut Deus exhibeat adulto ſua dona, & gratias, ſed requiritur diſpoſitio liberi arbitrij ea volentis recipere, ob idque conformitas voluntatis humanæ ad divinam. *lib.2.diſt.4.a.1.q.2.ad 4.& lib.4.diſt.4.p.1.a.2. q.2.ad 2.& p.2.a.1.q.1.in argum.*

1260. *Obedientia clavis Paradiſi.*

Benedicam tibi, eriſque benedictus. Cur repetit benedictionem? quia debetur hæc repetitio benedictionis, ſcilicet in præſenti, & in futuro virtuti obedientiæ, eſt enim clavis Paradiſi aditum faciens ad omnem benedictionem. *op. diat. ſal.tit. 4. c.2.& op.Bibl.paup.c.4.*

1261. *Perfecta obedientia eſt prompta, alacris, & in difficilibus.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus, &c. Vide quàm perfecta fuit obedientia Abrahæ, in qua datur nobis nomen perfectæ obedientiæ, ſcilicet quod ſit prompta, alacris, & in ordine ad ardua. *op.Comp.Theol. lib.5.c.9. & op. de perf.Relig.lib.2.c.4.*

1262. *Fides fortificat animam contra Mundum, & Diabolum.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c. Quomodò tam arduum opus ſtatim arripit Abraham? ſed non eſt mirum; nam in eo vigebat fides maxima; hæc enim eſt virtus omnium aliarum fundamentalis: hæc facit hominem fortem, & conſtantem in bello vitiorum; unde mirum non eſt ſi Abraham hac virtute armatus, mundum, patriam, cognationem, domum Patris contempſit: hæc virtus nobiliſſima intellectum illuminat, animam purgat ab omni affectu terrenorum, & animam fortificat contra omnem impetum mundi, carnis, & diaboli. *ſer.1. de plur. Martyr.*

1263. *Fides abſentia reddit præſentia.*

Egreſſus eſt itaque Abraham. Sed quo vadis, ubi ſunt bona, quæ tibi tam liberaliter Deus promiſit? Ubi ſunt bona ad vitam conſervandam neceſſaria tibi, & tuæ familiæ? Non eſt mirum, quod vir imbutus maxima fide ad bonum nihil cogitaverit, quia fides verè innititur cum Deo omnium bonorum largitore: fides abſentia præſentia facit, vidit hæc omnia credendo, ſperando, & amando. *In Ioan. cap. 8. v. 53. & ſeq.*

1264. *Obedientia benedictionem à Deo meretur.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus. Notandum, quod Deus dixit, *Benedicam tibi*, ſcilicet in tempore futuro, ſed quando hæc erunt ô bone Deus? ſic poterat dicere Abraham, ſed nihil horum dicit, ſed obediendo ſe præparavit ad benedictionem; unde Deus remiſit benedictionem ſuam ad tempus obedientiæ, & meritò, quia obedientia eſt fundamentum omnium benedictionum Dei: Ille enim à Deo benedicitur, qui obedit ei, & propter Deum facit quidquid facit. *In Luc. cap. 24. v. 50.*

1265. *Cultus Dei perfectus liberat à malis, & colens verè Deum, à Deo colitur ipſe.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c. Unde egreſſus? De Ur Chaldæorum, ubi vigebat Idololatria, egreſſus eſt ut Deū ſincerè coleret, idcò benedictionibus repletur, & à malis protegitur. Nota igitur, quod colimus Deū adorando, & obediendo, & Deus nos colit purgando, exercendo, & liberando à tentationibus, & periculis. *In Ioan. coll. 47.* Colimus Deum adorando, & ut culmen noſtrum invocando; Colit nos Deus amando, tanquam agricola non ceſſans verbo ſuo extirpare mala ſemina de cordibus noſtris, & aperire cor noſtrum tanquam ſermonis aratro plantare ſemina præceptorum, & expectare fructum. *op. de dono pietatis c. 1.*

1266. *Cultus Dei maximè floret in oblationibus factis ſuper altare Deo dicatum.*

Et inde tranſgrediens ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen eius. Ante Abraham non legitur ædificatum Altare niſi à Noe poſt diluvium, ſed ab Abraham pluries, & in pluribus locis plurima Altaria ædificata ſunt, & hoc dictante Spiritu ſancto, quia hæc fuit tertia ætas reſpondens tertiæ diei creationis, in qua terra germinavit: in hac tertia ætate ſynagoga cæpit florere in cultu Dei; & in multiplicatione cultuum Dei. Cultus autem Dei alius eſt interior, alius exterior, exterior conſiſtit in oblationibus, ſacrificiiſque, adorationibus, & ſimilibus, quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur: hoc autem maximè exercetur ſuper Altare, quod eſt ara alta, in qua figuratur elevatio mentis, & actuum ad Deum ipſum quaſi culmen, & eorum invocando, & recognoſcendo. *ſer. 15. Hexaem. op. de dono piet. c. 2. & in Pſal. 25.*

1267. *Chriſtus in hoc mundo fuit veluti peregrinus, ut nos veluti peregrini viveremus in hoc mundo.*

Deſcendit igitur Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, &c. Abraham manſit in pluribus regionibus: ſed notandum, quod procedens in Ægyptum, dicitur ibi ſtetiſſe ut peregrinus. Cur in ſola Ægypto dicitur peregrinari? Nota, quod in Abraham figuratur Chriſtus, in Ægypto mundus; datque per hoc intelligere, quod Chriſtus venit in Ægyptum hujus mundi veluti peregrinus, non enim hæc erat ſua patria: voluit etiam per hoc nos docere, quod tanquam peregrini debemus vivere propter laborem, paupertatem, tranſitum, & remotionem à gratia. *op. Comp. Theol. lib. 4. c. 5. & in Pſal. 114. & in Luc. c. 24. v. 18.*

1268. *Per Mariam Virginem (tanquam noſtram ſororem) veniunt omnia bona nobis.*

Dic igitur, obſecro te, quod ſoror mea ſis, ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Abraham timens, ne aliquid ſibi mali accideret propter Saram uxorem ſuam, cùm eſſet valdè pulchra: ideò voluit, ut diceret ſe eſſe ſuam ſororem: ſed cur hoc? Si Deus promiſerat ſe futurum ſuum defenſorem, & protectorem? Cur in hac trepidatione non recurrit ad Deum? Sed nota, quod Sara pulchra fuit figura Beatæ Virginis Mariæ pulcherrimæ inter omnes mulieres, quæ veluti ſoror noſtra fuit in hoc mondo collocata, ut cum tota fiducia poſſemus ad ipſam recurrere, & ſimiliter dicere; Dic, obſecro, ô Maria, quod ſoror noſtra ſis; ut propter te benè ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivat anima noſtra in Deo, & ut propter talem ſororem Ægyptij Dæmones nos revereantur, & ut Angeli nobis in aciem conjungantur, & in Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur. *op. ſpec. B. Virg. lect. 6.* Vide ergo, ô homo, qualis ſit ſoror hæc noſtra, & qualia bona nobis per ipſam veniunt.

1269. *Adulterium etiam apud Gentiles abominabile.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur noluit Abraham, ut Sara appareret ſua conjux? Nota rem mirabilem: ſciebat, quod apud Ægyptios abominabile ita erat adulterium, quod potius eligerent occidere Abraham, ut poſſit Rex liberè ducere Saram, ideò voluit, ut appellaretur ſoror, ut vitam ſalvaret. *op. Bibl. paup. c. 89.* Confuſio ergo ex hoc oritur Chriſtianis, qui ſine fræno ullo, & tam facilè ſe præcipitant in adulteria: verè deteſtanda perverſio eſt videre, quod immunditiam, quam deteſtatur Gentilis, & Idololatra, imò & Brutum, amplexetur Chriſtianus, & homo. *ſer. 4. de Apoſt. & ſer. 1. Dom. 24. poſt Pentec.*

1270. *Deus non eſt tentandus, ſed ad remedia humana poſſibilia recurrendum.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur ad Deum non recurris ô Abraham? Cur non remittis exitum hujus rei ad divinam protectionem toties à te in tuis neceſſitatibus expertam? Et qua veritate poterit ipſa dicere ſe eſſe tuam ſororem? Ergone mendacio vis te eximere à periculo? Nonne ſatius eſt, & Deo charius, ut potius ſubeas mortem, quàm Deum etiam minimo peccato offendere? ſed reſpondetur, quod non dixit mendacium aſſerendo Saram eſſe ſuam ſororem, quia eam diligebat ut ſororem, & quia erat conſanguinea, hocque medio voluit uti, ne videretur Deum tentare: vult enim Deus,

Deus, ut quando possumus, ad media, & remedia humana, & ordinaria recurramus. *op. Bibl. paup. c.14.& 53.& in Luc.c.4.& in Sap.cap.1.*

1271. *Coniuges cum debita reverentia se mutuò tractent, & Vxor sit obediens Viro.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Vide, qua modestia Abraham hoc præcipit uxori, & quomodò uxor promptè obedit Marito. Vt addiscant uxorati, quomodò mutuò inter se, & qua humilitate, obedientia, & benignitate debent cohabitare. *op. Bibl. paup. cap.89.*

1272. *Cooperatores peccati eadem plectuntur pœna, qua principales peccatores.*

Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & omnem domum ejus plagis maximis. Cur etiam domus, scilicet servi, & familiares Pharaonis propter raptum Saræ flagellantur? Cur non solus Pharao? Respondet Chrysostomus, quia fuerunt Cooperatores cum Rege ad committendum hoc scelus, vel laudando pulchritudinem Saræ, vel coadjuvando, &c. Nec id mirum est: sic enim exigit justitia Dei, quia mali consiliarij, auxiliarij, & cooperatores ad malum sunt pseudoapostoli, milites, venatores Diaboli, ideò à Deo graviter puniuntur. *serm. 3. fer.2. Pasch.& serm.4. Dom.24. post oct. Pasch.& fer. 2. fer.4. Pentec.& fer.3. dom.4. post Pentec.& fer.3. dom.sexages.& in Luc.c.17.v.1.& 2.*



CAPUT XIII.

1273. *In regione, & statu peccati solùm cæcitas, & tenebræ vigent.*

Ascendit Abraham de Ægypto Ipse, & uxor, & Lot, ad australem plagam. Cur non remansit Abraham in terra fertilissima Ægypti? Nonne & poterat in illa terra alienigena vivere & juxta Dei præceptum? sed ibi non remansit, quia Ægyptus non erat locus à Deo sibi destinatus, nec suæ vitæ accommodatus, sed benè terra promissionis ad Australem plagam posita, & meritò justus recedit ab Ægypto, qui interpretatur tenebræ, & significat statum peccati, & peccatoris, qui ob peccati cæcitatem non videt, quid agere debeat, sed delectatione peccati obtenebratus ad omnia peccata est pronus. *fer.4. dom. 16. post Pentec.* Infelix igitur, qui in regione Ægypti habitat ut filius prodigus. *in Luc.cap.15.*

1274. *Iustus ascendit, Impius descendit.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Quomodò dicitur ascendere Abraham? Erat ne in aliqua fovea? sed nota, quod Ægyptus erat status peccatoris, qui ad Deum se convertens ascendit de tenebris ad lucem, & post ascendit ad australem plagam, scilicet de virtute in virtutem: Impius verò descendit de peccato in peccatum, & tandem in Infernum. O felix status ascendentium: Infelix descendentium. *fer.2. Dom.16. post Pentec.& fer.4. in Ascen.*

1275. *Christus ascendit multipliciter ad nostrum exemplum.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Nota, mysticè: hic est Christus, qui ascendit primò in crucem, secundò in Resurrectione de Lymbo, tertiò in Ascensione, ut nobis daret semper exemplum ascendens usque ad gloriam. *fer.4. in Ascens.& Psal.45.*

1276. *Derelinquentibus pro Christo temporalia, ab ipso Deo ipsamet redonantur.*

Erat autem dives valdè in possessione auri, & argenti. Nota, quod hic solùm dicitur Abraham fuisse dives valdè. Cur hoc? sed revoca in memoriam, quod Abraham reliquerat pro Deo omnia: Deus autem dupliciter ipsum benedixit, ut supra notatū est. *Benedicam tibi, & eris benedictus*: quænam est hæc duplex benedictio? Adverte, quod Deus dextera benedicit suos, cùm eis tribuit bona spiritualia, & sinistra, cùm dat temporalia. *fer.4. dom. Trinit. & Psf.66.& 118.* hac igitur duplici benedictione Deus ditavit Abraham in præmium, quod reliquerat patriam, patrem, & exierat de terra sua, &c.

1277. *Divitiæ, de se non sunt mala, sed tantùm malè utentibus.*

Erat autem dives valdè. Quomodò inter sese cōpatiuntur divitiæ cùm sanctitate viri justi, si sunt spinæ, ut ait Christus, quæ animam vulnerant? sed adverte, quòd divitiæ de se non sunt malæ, nisi malè eis utentibus, horum enim strangulant animam. *op. Apol paup. resp.3.c.3.& op. de paup. Christi qu.1. a.2.& in Luc.c.8.v.14.*

1278. *Gratias agere debemus pro beneficiis à Deo receptis corde, ore, & opere.*

In loco Altaris, quod fecerat prius invocavit ibi nomen Domini. Vide justum statim ac liberatus fuit cùm suis rebus, & personis ab Ægyptiis obtulit sacrificium laudis ad Altare Domini pro collatis beneficiis, &c. Ita & nos gratias agere debemus corde, ore & opere pro bonis naturæ, quibus in esse subsistimus; pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur; pro bonis gratiæ, qua spiritualiter vivimus, & pro bonis gloriæ, quam aliquando habere credimus. Quid enim meliùs, quàm quod in corde geramus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias. Hoc nec aliquid breviùs dici potest, nec audiri leviùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. *fer.3. de una Virgine.*

1279. *Divitiæ lites, & invidiam generant.*

Sed & Lot, &c. fuerūtque greges, & pecora, &c. Nec poterat eos capere terra, ut habitarēt simul, erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Sed quomodò non poterat eos capere terra? Ergone in illa Provincia, vel Regno, quæ erat terra promissionis, in quo post numerati sunt tot milliones, non poterant duæ familiæ simul cohabitare? At id non est mirum; quia eorum substantia erat multa; ubi enim sunt divitiæ temporales, ibi sunt bella, rixæ, lites, timores, sollicitudines, & ideò ubi est major quantitas divitiarum, ibi & majoria discordiæ causa major. *op. de prof. Religios. lib.2.c.17. & op. Phar. lib.3.c.22.& op. Bibl. paup. c.48.& 73.*

1280. *Divitiæ temporales quia deficientes non poſſunt ſimul replere vacuitatem plurium, ideò generant diviſiones: divitiæ ſpirituales è contra quia indeficientes ſimul pluribus ſatisfaciunt, ideò generant pacem, & unitatem.*

Nec poterat eos capere terra, &c. Cur non poterat eos capere terra? quia plures non poſſunt ſimul poſſidere divitias temporales, ſed eſt neceſſe tot facere portiones, quot participantes, hincque alter alteri invidet habenti, at divitiæ, & bona ſpiritualia è contra inſimul ſatisfaciunt deſideria cordis, nec cultos participantium patitur detrimentum de abundantia alterius, quia ſimul Deo fruuntur qui omnia omnibus bonis implet. O felices qui in ſpiritualibus tantùm delectantur. *op. de prof. Religioſ. l.2.c.17. & op. Bibl. paup. cap.48. & 73.*

1281. *Ubi multiplicantur pecora, ſcilicet, cupiditates, & beſtialia deſideria, ibi pax non eſt, &c.*

Nec poterat eos capere terra, unde facta eſt rixa inter Paſtores, &c. Vide quomodò ex multiplicatione pecorum, & beſtiarum orta eſt diſciſſio pacis, & concordiæ: Ut diſcas, quod multiplicatis pecorinis, & beſtialibus deſideriis fit rixa inter voluntates eorum, qui volunt paſcere ſua deſideria in pratis hujus mundi; & cùm omnibus non ſufficiat id pro ſuo libito, dividitur frater à fratre per invidiæ diſſidium: quæ pecora ſi pauca eſſent modico contenta eſſent: Diſce igitur frænare deſideria prava. *op. de prof. Relig. lib.2.c.17.*

1282. *Mitibus promittitur terra, immitibus aufertur.*

Et non poterat eos capere terra. Vide, quod ob lites, & rixas illa terra non ſufficiebat pro utriſque: Eijciuntur ergo & privantur rixoſi, & immites à terra promiſſa gratiæ, & gloriæ: mites verò eam poſſidebunt. *op. de prof. Religioſ. lib.2. cap.17. & ſer. 1. in feſt. om. Sanct.*

1283. *Pauper Chriſti paucis contentus, dives mundi nunquam etiam plurimis contentus.*

Nec poterat eos capere terra. Cur hoc? Nota, quod dicitur de iſtis, *non poterat eos capere terra,* ſcilicet eorum deſideriis vaſtis ſatisfacere, tales ſunt divites, & cupidi hujus mundi. E contra pauperes pauca contenti, quia loco penuriæ Deum habent in corde, qui ideò appellavit tales pauperes beatos, quia quantò in terra anguſtiantur nihil cupientes, tantò in Cælis dilatabuntur. *op. de prof. Religioſ. lib.2. cap.17.*

1284. *Lites à ſervis Dei reſcindendæ, maximè à Prælatis Eccleſiæ, & præcipuè quando oriuntur cauſa rerum temporalium.*

Ne quæſo ſit jurgium inter nos, &c. Vide perfectam manſuetudinem viri juſti; daturque intelligi, quod à ſervis Dei maximè Prælatis Eccleſiæ non eſt litigandum, vel rixandum, imò reſcindenda ſunt ab ipſis toto conatu odia, & rixæ cum aliis & inter alios maximè cauſa rerum temporalium ortæ, manſuetudoque exercenda. *In Luc. cap.9. verſ.56. & opuſc. Bibl. paup. cap.63.*

1285. *Rixoſi ſunt extra Eccleſiam veluti excommunicati.*

Ne quæſo jurgium ſit inter nos, fratres enim ſumus. Nota, ergo, ubi eſt fraternitas, ibi neceſſariò eſt pax, & concordia, infer à deſtructione conſequentis, ergo ubi non eſt pax; ibi non eſt fraternitas: & cùm Eccleſia ſit Congregatio, & unitas fratrum, ſequitur, quod qui pacem non ſervat inter fratres extra Eccleſiam eſt, & ab ea ſeparatus. *ſerm.1. Hexaem. & ſerm. 9. de Apoſtol.* Ergo qui pacem non ſervat, eſt apud Deum veluti excommunicatus, vel hæreticus, dicente Apoſtolo, *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreſes eſſe, &c.*

1286. *In diviſione temporalium Maior dividit, & Minor eligit.*

Ecce univerſa terra coram te eſt, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo. Vide quomodò Abraham volens ſeparari à Lot dedit ei optionem, ut eligeret partem, quam vellet; ut doceret in diviſione rerum ſpectare ad Majorem dividere, & ad Minorem eligere, ne habeat, quod conqueratur. *op. Bibl. paup. cap.59.* ſic & S. Ambroſius.

1287. *Prælati in correctionibus primum locum dent non furori, & iræ, ſed manſuetudini.*

Ne quæſo ſit iurgium inter nos: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, &c. Sed cur Abraham tanquam major non ſeverè correxit Paſtores, & etiam Lot: ſed cum nimia manſuetudine in hoc facto voluit procedere, ut daret normam Prælatis Eccleſiæ, quod debent dare locum primum manſuetudini in corrigendo defectus ſubditorum, generoſus enim eſt animus hominis, faciliúſque ducitur, quàm trahatur: & hinc Rex apum non habet aculeum. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, ſatisfacere ſingulis, & omnibus placere, multa indiget diſcretione, ut medium valeat tenere; & quia hoc medium difficillimè poteſt teneri, minus tamen deviat, ſi ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur ſubditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant. *In Luc. cap.9. v.16. & op. de ſex alis Seraph. cap.7.*

1288. *Concordia reddit homines cæleſtes ſimiles Angelis Dei.*

Ne quæſo ſit iurgium inter nos. Cur hoc? quia fratres ſumus. Nota hic emphaſim horum verborum, *fratres enim ſumus.* Ergo fraternitatis ſtatus exigit remiſſionem rixarum? ſed ubi eſt hæc fraternitas niſi in Religionibus, & hinc ad ſimilitudinem cõfraternitatis cæleſtis inter Religioſos nulla debet eſſe contrarietas in affectu, nulla diſparitas in victu, nulla ſingularitas in veſtitu, ſed eorum concordia in moribus, & virtutibus eos conſervet, eorumque cor, & anima debet eſſe una. *op. de Eccleſ. Hier. p.4. cap.4.*

1289. *Diabolus ſolùm timet concordiam, cujus Miniſtri ſunt rixoſi.*

Ne quæſo jurgium ſit inter nos: Fratres enim ſumus. Cur hanc admonitionem, correctionemque fecit

1305. *Diabolus cætera omnia libenter tribuit homini præter animam, quam exigit.*

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Quid est, *Da mihi animas*, cur non homines? Et quid est, *cætera?* sed figurativè sumitur hic pars pro toto, estq; dictum in persona Diaboli, qui ab homine non quærit totum, sed tantum partem, & talem quæ supereminet cæteris rebus, & hæc est anima, quæ in nobilitate excedit totum mundum, inde Diabolus continuè dicit, Da mihi animam cætera tolle tibi: unde aliquando interrogatus, quid pluris æstimaret, & desideraret: Respondit tria præcipuè, scilicet lunam primam, idest (c): rotam solis idest (o), & ferrum molle idest (r) nempe cor, quod his tribus litteris exprimitur: Ergo in æstimatione Diaboli plus valet anima una, quàm totus Mundus. *op. diat. sal. tit. 1. cap. 1. & Psal. 39.*

1306. *Diabolus quærit animam nostram ad devorandum: Christus ad beatificandum.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Nota, quod continuè id dicitur nobis à Christo, & à Diabolo, sed diversa intentione: nam Christus quærit, & petit animas tanquam sibi de iure debitas, quia cas emit suo sanguine, casque vult ad sanctificandum & beatificandum: Diabolus è contra ad devorandum. *Psal. 39. & ser. 7. Dom. 1. Adv.*

1307. *Idem conceptus in exaltationem amoris Christi in nos, & detestationem odij Diaboli in animas.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Oh quam verum est, quod ista dicuntur à Christo, & à Diabolo, sed diverso fine: Christus quærit animas, cætera omnia despiciendo, ut eas salvet: Vide in hoius rei confirmationem Christum inclinatum, & prostratum ante Iudam proditorem, in quo erat Diabolus, ut eius animam levaret cui ad cor pulsans dicebat, Da mihi animam, cætera tolle tibi. *In Ioan. coll. 60.* Vide ex opposito Diabolum omnia exhibentem super pinnaculum templi Christo, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut eius animam lucraretur ad perditionem. *In Luc. cap. 4.* Nec id est mirum, nam Diabolus est mercator pessimus, emere quærens animas nostras, & rapere quælibet pretiosa nostra, pulsat continuè ad cor, dicens Da mihi animam, cætera tolle tibi: Oh infelix commercium! *serm. 9. in Rogat.*

1308. *Paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, sed tantùm cum Cælo.*

Respondit Abraham levo manum meam ad Dominum, &c. Nota hic, Abraham recusasse omnia ipsi oblata à Rege Sodomorum: sed cur levando manum illas res renunciavit? Quia erat mos tunc tali elevatione manuum iurare ad Deum; idque fuit figura abrenunciationis omnium rerum factæ à Religiosis, per quam cæremoniam significatur, quod paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, omnia superflua abijciens, retinens tantùm necessaria, & ideò dicuntur uti abrenunciantes mundo aspectum ad Cælum, in quo suam sedem habent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 4.*

1309. *Oratio perfecta exigit operationes bonas.*

Levo manum meam ad Dominum. Quid est levare manum? Cur non potius dicit, levo vocem psallendo, levo cor amando, sed dicit, levo manum? Quia hic datur norma orantibus, qui non solùm vocem, non solùm cor, sed & opera bona debent levare ad Deum, hæc enim est perfecta Oratio. *ser. 2. Dom. 13. post Pentecost.* Nota igitur hanc conjunctionem, quia oratio sine operibus bonis, parum iuvat, & bona opera sine oratione parum Deo placent.

1310. *Dives Cæli in Cælo thesaurizat: Dives Inferni in Mundo.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Nota, quod cum oblatæ fuissent multæ opes Abrahæ, eas Ipse renuncians dixit, *levo manum meam ad Dominum*; Quid est levo manum meam ad Dominum? Idem est ac dicere; In mundo nihil volo, sed thesauros meos in Cælo reposui, sic faciunt divites Cæli: Divites mundi è contra ad terrena inhiant, & nihil habent in Cælo, quia simul in Cælo, & in Mundo esse divitem est impossibile: Oh beatus dives in Deum qui abundat meritis, & operibus bonis, licèt sit inops rebus! *serm. 5. de uno S. Marty. & in Luc. cap. 12. v. 21.*

1311. *Paupertas Evangelica perfectior incomparabiliter paupertate antiquorum Patrum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quomodò laudatur Abraham de expropriatione rerum, cum possessor fuerit multarum opum? Quia fuit pauper spiritu, scilicet affectu, licet non rebus; unde nota, quod tres gradus habet contemptus divitiarum; primus, & est valdè imperfectus, est nihil habere iniusti lucri, & reddere omnibus suum, facereque eleemosynam ex proprijs rebus, nec abuti ipsis ad Dei offensam, & hic fuit in Abraham: secundus est retinere necessaria, & superflua renunciare: tertius est etiam pati in ijs quæ sunt necessaria, eisque uti cum penuria, & hi duo gradus sunt in sequentibus Christum, & in pauperibus Evangelicis: ex quo patet quàm perfectior sit paupertas Evangelica. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 42. & seq.*

1312. *Magnum beneficium Dei inducentis hominem ad contemptum divitiarum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quæritur, quarè Deus traxit suos ad contemptum divitiarum? Respondetur, quod est maximum Dei beneficium: primò enim, quia divitiæ retrahunt ab amore Dei, & Cæli, sunt enim divitiæ onera ad imum trahentia; secundò quia retardant à profectu virtutum, & ab itinere Cæli; tertiò ratione majoris meriti, cum sit ad perfectiorem imitationem filij Dei; quartò quia terrena substantia de se est contemptibilis, tum ex sui natura, quia terrea est, tum quia non est omninò necessaria, tum quia multorum patet invidiæ; tum quia multo labore, & sollicitudine acquiritur, & servatur, tum quia non satiat appetitum; tum quia est commune bonum bonis, & malis; tum quia diu non perseverat. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 44.*



CAPUT XV.

1313. *Iuſtus ſolùm de Deo, & de peccato timet; nihil de hominibus.*

His tranſactis dixit Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum. Cur ſuadet Abraham Deus, ne timeat? Nonne timor Domini erat neceſſarius? Timor tunc inceſſerat in pectore Abrahæ (aiunt hic Aliqui Doctores) ne hoſtes ab ipſo victi iterum congregato exercitu denuò ipſum invaderent: ideò benigniſſimè Deus advertit nihil timere ab hominibus, homines enim nihil poſſunt contra eum, qui ſub Dei protectione vivit: unde Deus ut patet. 2. *Macab. cap.* 2. dicit, *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt*: Sed nota, quod timor eſt fuga, ne perdat homo, quod amat; hic timor alius eſt mundanus, quo homo timet nimis de amiſſione rerum temporalium, hunc Deus vult alienari à ſuis: eſt timor ſeruilis timens magis pœnam, quàm culpam, eſtque eum affectu ad culpam, & hic eſt abijciendus; eſt & timor initialis, qui removet peccatum ſed propter pœnam, eſtque imperfectiſſimus; eſt & filialis, qui eſt cum charitate, ſolùmque Deum timet, & peccatum. *op. de dono timoris cap.* 1. *& ſeq. & in Luc. cap.* 12. *v.* 5. *& cap.* 5. *v.* 10. *& ſer.* 1. *Dom.* 10. *poſt Pentecoſt.*

1314. *Spei, & confidentiæ in Deum effectus mirabiles.*

Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Cur addit Deus ad protectionem promiſſam etiam mercedem? Vt excitaret cor juſti ad perfectum actum ſpei, & fiduciæ in Deum, quæ facit hominem totaliter ſeipſo diffidere, & in Deum ſeipſum collocare, & ipſi inniti cum ſpe conſequendi, quod Deus promiſit in ſe confidentibus, & hæc fiducia in Deum firma operatur in anima mirabilia. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *q.* 4. *in corp. & in Luc. cap.* 5. *v.* 10. Sed hic notanda ſunt verba Gloſſæ in hunc locum: *Ego protector tuus*, multam habet emphaſim hæc verba: Ego ſcilicet, qui te à Chaldæis evocavi, ego qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberavi, ego qui ſemel, atque iterum promiſi tibi, atque ſemini tuo daturum me terram hanc, ego qui in dies magis, ac magis omnibus clarum oſtendo, ego protego te, hoc ſeuti vice tibi ero, ego pro te certo, propugnator fio, curam gero, omnia difficilia facilia tibi reddam, ego defendo te, & ero merces tua, ſcilicet, quia renuntiaſti mercedem temporalem pro me, ego tibi mercedem dabo magnam, & valdè multam. Oh felix qui omnibus pro Chriſto renunciat, qui ſolùm in Deo, & de Deo confidit! *In Ioan. collat.* 74. *& ſer.* 3. *Dom.* 23. *poſt Pentecoſt. & op. Bibl. paup. cap.* 78.

1315. *Deus neſcit ſuis amicis parva largiri.*

Noli timere, ego protector, &c. Vide quomodò Deus neſcit parva largiri ſuis amicis, & quàm perfectus, & liberalis remunerator, & quomodò ſe oſtendit pijſſimum, & liberaliſſimum in ſe confidentibus. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *p.* 4. *& in Luc. cap.* 18. *v.* 29. *&* 30.

1316. *Intentio quænam perfecta, & quænam mercenaria.*

Noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Vide quomodò hic exprimit terminum intentionis perfectorum, nempe excitando eos ad ſpem puram mercedis increatæ: hoc enim diſcrimen eſt inter puram, & mercenariam intentionem, quia mercenaria reſpicit ad finem ultimum, ſed ſub ratione boni proprij, ſpes verò pura reſpicit Deum, & ad purum amorem ſummæ bonitatis. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 5.

1317. *Inter meritum, & præmium eſt commenſuratio.*

Ego protector tuus ſum, &c. Nota hoc verbum, *merces tua*, & obſerva, quàm ſit munificentiſſimus Deus cum ſuis amicis: Patet enim ex hoc, quod Deus fecit pactum cum homine tribuendi præmium condignum operi facto in gratia pro eo, quod gratiæ, & gloriæ eſt quædam commenſuratio, & in Deo quædam obligatio non ex neceſſitate, ſed liberalitate mera, qua voluit promittere, & pactum firmare cum ijs, qui ipſum diligunt, quod ſeipſum mercedem eis retribueret, ut apparet in Abraham: unde *Matt.* dicitur *cap.* 20. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quia Deus unicuique ſe obligavit retribuere ſecundùm opera ſua. *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2 *q.* 3. *in corp.*

1318. *Solus Deus merces perfecta operum meritoriorum, non aliquid creatum.*

Ego merces tua, &c. Per hoc voluit Deus oſtendere ipſum ſolum eſſe perfectam mercedem, & ultimum finem, non aliquid creatum. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Quidquid igitur datur homini etiam ſi totus mundus, ſemper eſt præmium inferius, & non condignum operi meritorio, & pœnitentiæ. *op. Comp. Theol. lib.* 6. *cap.* 21. & per hoc Deus excitat hominem ad opera bona, & ad aſſumendum actus pœnitentiæ.

1319. *Amor perfectus Dei mirabilia operatur in anima Deum diligente.*

Ego protector tuus, & merces tua magna. Vide, quid efficit amor in anima Deum diligente: dum enim dicit ſe eſſe ſuum protectorem, & mercedem magnam, excitat eam ad amorem perfectum, ſimulque cùm ſit levis, & ſuavis amor Dei elevat mentem ab inferioribus, eam ſtatuendo ſupra ſeipſam in ſuperioribus, confert & ſpiritualem pinguedinem animæ, per quam non ſentit difficultates externas, & cum ſit ſuavis confert vitam Angelorum, & gloriæ: & hinc dicit ad animam, Ego protector tuus ſum, te alliciens cum jugo meo ſuavi, & merces tua magna nimis, cùm me ipſum in gloria videbis tanquam ſtipendium tuæ militiæ, ſed nimis, quia tuum gaudium uſque ad completam cognitionem non tibi ſobrthao, ſed cum meum jugum ſuſtines parum in miſeria, qualis ero in gloria miſericorditer tibi commonico. *op. myſt. Theol. cap.* 2. *p.* 2. *ad* 5. *petitionem.* Oh quàm bonus, & ſuavis eſt dominus timētibus eum!

1320. *Prælatorum bonorum præmium magnum in Cælo eſt paratum.*

Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna, &c. Abraham typum gerit Prælatorum ideſt in perſona ipſius dicit Deus Prælatis ſecundùm voluntatem ſuam gubernantibus, Ego protector tuus, & merces tua magna, & plena. *In Luc. c.* 6. *v.* 23. nam

fecit Abraham suo nepoti Lot? Quia noverat vir justus Diabolū usum esse ministerio Pastorum ad rescindendam concordiam inter ipsos: Nec mirum, quia Diabolus in nobis continentiam non timet, nec abstinentiam. Ipse enim non premitur carne, non cibo utitur, sed concordiæ nostræ nimis insidiatur, quia quod amisit Ipse in Cœlo, nititur ut Nos non servemus in deserto, nec Christus vult manere ubi charitas non est: meritò ergo dicebat Vir justus, *ne quæso sit iurgium inter Nos*, quasi dicat non scindamus vestem charitatis, quia non potest quis habere concordiam cum Deo, qui discors voluerit esse cum fratre. *serm. 1. & 2. in Epiph.*

1290. *Iusti solùm habent dexteram: Impij sinistram, quia dextera est prædestinatorum, sinistra reproborum.*

Si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo; si ad dexteram, ego ad sinistram pergam. Mirum est quomodò Abraham ostendit se contentum parte sinistra? Nonne hæc est præscitorum, & dextera prædestinatorum? Nota, quod per dexteram significantur prosperitates, per sinistram adversitates: item per dexteram locus prædestinatorum, per sinistram præscitorum: dicit igitur, si ad dexteram jeris, ego sinistram tenebo, nempe ego sinistram faciam dexteram, immobilisque semper cum Deo sive in prosperis, sive in adversis permanebo. *Diat. sal. tit. 5. cap 8. & op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 3.* Iustis ergo nihil sinistrum habet, sed omnia sunt ad dexteram, scilicet omnia ordinat ad Deum, ad Cœlum &c. sic & S. Ambrosius.

1291. *Impij dicunt malum bonum, & bonum malum: Iusti idem dicunt, sed in diverso sensu.*

Si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo, si ad dextram, ego ad sinistram. Quomodò vir justus contentus est, vel dextera vel sinistra, & quomodò à sinistra ad dexteram, & è contra à dextera ad sinistram contentus est transire? Sed adverte, quod loquitur tanquam vir spiritualis luce cælesti illuminatus, quia enim inter carnem, & spiritum est, continua pugna, & dissensio animorum: Spiritus Christi dicit quod est carni dexterum, sinistrum est spiritui, & è converso: in quo enim delectatur caro, spiritus contristatur, & quod mundus reputat bonum, ego malum, & è converso: Hinc spiritus dicit, quod bonum, & dexterum est carni, id verè est malum spiritui, & quod malum & sinistrum est carni, id est bonum spiritui. E converso caro dicit quod est bonum spiritui, est malum carni, & quod malum est spiritui, hoc reputatur bonum carni. *op. diat. sal. tit. 5. cap. 8. & op. stim. div. am. p. 3. cap. 14. & 15. & op. de 7. donis c. 5.* Hinc (ait D. Hieron.) Apostolus *ad Galat. cap. ult.* sæpè repetebat. *Mihi mundus crucifixus est & ego Mundo*, id est mihi Mundus est abjectus, contemptibilis, maledictusque, & Ego, qui spiritu ambulo mundo, scilicet ego sum contemptibilis, & maledictus à mondo, par pari refertur, sed in fine videbitur, quis nostrum veram viam amplexatus fuerit.

1292. *Non potest esse pax inter spiritum, & carnem, nisi prius caro perfectè mortificata fuerit.*

Ne quæso sit jurgium inter Nos: fratres enim sumus, recede ergo à me. Sed quæ charitas est ista Abrahæ, dum vult Lot à se recedere? Cur non secum retinet nepotem? Sed jam dictum est, quod per Abraham significatur pars superior animæ, & Spiritus, per Lot partem carnis: Vir justus ergo volens pacificare perfectè carnem, & spiritum, libereque degustare ea, quæ sunt spiritus Dei, dicit carni, recede à me, idest recedat sensualitas per mortificationem mediantibus vigiliis, jejuniis, & disciplinis, talique pacto caro, & spiritus pacificantur: Sic Christus in congressu suæ passionis pacificavit carnem, & spiritum, illam spiritui subjacendo, dicens, *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. In Luc. cap. 22. v. 42. & op. stim. div. am. p. 3. cap. 15. & op. de dono Sap. cap. 2.*

1293. *Bona temporalia sunt solùm apparentia, non vera.*

Lot vidit omnem circa regionem Iordanis, &c. sicut Paradisus Domini, &c. Nota illam conditionalem (*sicut.*) Cur non dicit, erat Paradisus Domini? Quia tota felicitas erat tantùm in superficie, & apparens oculis corporis: Caduca namque, & fragilia, & puerilia sunt hæc temporalia bona, quæ subitò adveniunt, & subitò recedunt, & in nullo loco, nullaque persona stabilibus radicibus fixa consistunt. *ser. 2. de S. Barthol.*

1294. *Religiosus status est veluti Paradisus.*

Quæ universa irrigabatur sicut Paradisus Domini. Iam dictum est, quod bona temporalia sunt solùm apparentia, sed notandum, quod hæc verba possunt verè dici de statu religioso, qui irrigatur aquis cælestibus, & est veluti Paradisus Domini. *In Luc. cap. 23. v. 43.*

1295. *Felix est, qui in hoc mundo eligit sibi dexteram, etiam si videatur aspera, & difficilis: Infelix, qui eligit sinistram etiam si videatur plana, & suavis.*

Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, quæ irrigabatur veluti Paradisus Domini. Vide, quod Lot elegit sibi partem sinistram, quia ei visa est sicut Paradisus Domini, & reliquit dexteram Abrahæ nō tam fertilem, & copiosam: Vt autē pateat, quàm deceptus fuerit Lot in hac electione, notandum, quod Sacer Textus subdit, nempè quod in ea parte habitabant Sodomitæ pessimi, exitus autem probavit errorem Lot, quia illa tandem regio à justitia Dei fuit subversa, ex qua ejectus fuit ipse Lot cum sua familia, cum amissione omnium suorum bonorum, & morte pessima uxoris: & è contra Abraham à Deo protectus, & evectus ad visionem, & alloquutionem Dei, qui plurima mysteria abditissima ei revelavit. Hinc ediscamus quod felix ille, qui dexteram prædestinatorum, & Christi sequacium in hoc mundo eligit, licèt à præscitis, & mundanis videatur via difficilis, & aspera, & veluti sinistra: Infelix è contra, qui sinistram in hoc mundo tenet, & si videatur

antidotum viris, & mulieribus propinavit. *op.spec. B.Virg.lec.9.& op.laus B.Virg.fig.16.*

1142. *Maria Virgo Columba sine felle.*

Emisit quoque Columbam,&c. Mysticè hæc columba est B.Virgo piissima,carens omni felle.*op.in salv. Reg.& ser.5.Dom.1.Quadr.& op.Psalt. Min.B.Virg. in 2. quinquag.*

1143. *Pœnitentia facit reverti ad Deum.*

Emisit quoque Columbam, &c. quæ cum non invenisset,reversa est,&c. Cur non quievit,sicut Corvus super cadavera?quia id est contra naturam Columbæ:In Columba significatur pœnitens,habens pro cantu gemitum: geme ergo revertendo ad Deum, ô Peccator ut Columba,tunde pectus,& tundendo esto correctus.*ser.2.Dom.2.post oct.Epiph.*

1144. *In solo Deo quies, item in paupertate Christi.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, &c. Sed quomodò dicitur non invenisse ubi pedem figeret,vel requiesceret, si jam cacumina montium supra aquam apparebant? litteraliter respondetur, quod adhuc lutosa erat terra, super quam Columba non solet figere pedem; ideò reversa est ad arcam: mysticè datur intelligi, quod requies non invenitur nisi in arca in Christo videlicet:non in mundanis, lutosisque rebus,sed in paupertate,cum qua est natus: non in diversorio, sed in spelunca paupere,vel in Cruce,vel in sepulchro. *serm. 2. in Epiphan.*

1145. *In sola unitate,& concordia est quies.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, &c. Vide iterum ubi non invenitur requies:nempe separata à Noe à Christo,& cæteris Columbis,ubi non est unitas,ubi est divisio, distractio,& vanitas: unde reversa est ad arcam ad Christi unitatem, in qua sola est pax, quies, & tranquillitas. *serm.2. in Epiph.* De agmine Columbarum crebro accipiter unam separat,quam statim invadat,& laceret,cujus carnibus,& cruore satiatur,& morbosæ oves suum relinquunt gregem,& luporum faucibus devorantur. *op. Phar.lib.3.cap.6.*

1146. *In sola conscientia Deo adhærente quies.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret,&c. Quarè non invenit requiem?quia extra arcam, scilicet in varias res temporales distracta, in quibus non potest inveniri requies, sed tantùm in conscientia interius. *ser.2. Epiph.* Quicumque à Domino recedit,statim fluctibus quatitur, & moventur pedes ejus. *op.phar.l.3.c.6.* Dum cor nostrum per desideria fluere cœperit, quasi in tot divisum est, quot sunt ea,quæ concupiscit: hinc nascitur motus sine stabilitate, labor sine requie: semperque inquietum est, donec in Deo solo permaneat. *op.de 7.Itin. ætern.d.7.* Qui statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat,quod nulla interiùs radice constantiæ subsistat. *op. Phar.lib.3.c.6.*

1147. *In rebus mundanis,& vanis nulla quies.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes, &c. Sed cur non invenit ubi requiesceret pes ejus?quia extra arcam,scilicet Deum omnia sunt vana:mundus enim iste non potest dare quietem, quia nec permanet, nec quiescit cum sit vanus,sed semper circuit, & consequenter qui ipsi adhæret, debet circuire. *in Ecclen.proœm.& ser.5.in Pentec.*

1148. *Maria Virgo requies Dei.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, &c. Possibile ne est,ut nihil invenerit, ubi requiesceret pes?nonne tot cadavera,ligna, aliaque natabant super aquas? Sed nota, quod per Columbam significatur Spiritus Sanctus. *l.3. d.1. dub.4. & l.1. d.2 a.1.q.1.ad 3.& in Io.c.1.v.33.* Hæc Columba requiem invenit perfectè solùm in Maria Virgine, quæ est mystica arca. *op.laus B.Virg.fig.4.& op spec. B.Virg.c.2.& ser.de Nat.B.Virg.& ser.2.in Sabb. S.*

1149. *Anima virtutibus ornata requies Dei.*

Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes, &c. Nota, quod Spiritus Sanctus significatus per Columbam solùm in arca requiem invenit, scilicet in anima virtutibus ornata, quasi tot floribus ditata: dicitur autem in ea requiescere,quia ipsam requiescere facit in ipso: ex quo patet quàm mirabilis sit in nos ejus dilectio,tunc enim in nobis dicit se requiescere, cum nos in eo requiescimus, & cum in nobis communicat sua dona. *serm.1. & 2. in Sabb. Sanct.*

1150. *Obedientia columbina quàm Deo grata.*

Expectatis ultra septem diebus rursum dimisit Columbam, &c. Quæ privilegia inerant huic Columbæ, ut eadem bis mitteretur? ut quid non potiùs Aquilam misit? Meritò Columba, & non Aquila mittitur: Columba enim inter alias insignes proprietates, quibus est prædita, habet hoc, quod à nido suo non multum elongatur, sed ipsum frequentat: Vnde ei facilis erat regressus ad arcam: & per hoc significatur obsequiositas obedientiæ justorum; isti enim divino imperio subditi volant ad fenestras suas, scilicet vel ad custodiam sen suum, vel ad examinationem operum suorum,vel ad mandatorum legalium executionem. *serm. de S.Cathar.Virg.& Mart.*

1151. *Anima justa Columba per simplicitatem innocentiæ, & virtutum.*

Rursum emisit Columbam, &c. Meritò Noe utitur ministerio Columbæ ad dignoscendum, si jam cessarent aquæ diluvij: nam per Columbam figuratur anima justa: sicut enim Columba felle caret,rostro non lædit, prædam non accipit,nec ungulis aves discerpit: Item gemitum habet pro cantu, fertilisque in effectu, frequenter enim in anno pullificat: sic anima justa habet simplicitatem innocentiæ, & inter alias virtutes pœnitentiam frequentat, & tota est in multiplicationem sanctorum operum. *serm. de S. Cathar. Virgin. & Mart.*

1152. *Ad fenestras vulnerum salvatoris introducuntur Columbæ, non Corvi.*

Emisit rursum Columbam,&c. Cur iterum Columbam, & non alium Corvum?quia sciebat Columbam reversuram ad fenestram arcæ. Hoc fuit figu-

ra,

ra, quod ad fenestras vulnerum salvatoris non Corui: non vultures Diabuli, sed Columbæ Dei volant:ad has invitantur animæ fideles, ut in ipsis inveniant securitatem,quietem,& dulcedinem Paradisi. *ferm.1.in Cœna Dom. & ferm. 2. de uno S. Doct.a.1.*

1153. *Peccator ad exteriora se vertit ad sui damnum: Iustus ad sui utilitatem, quia per ipsa intrat ad interiora secreta Dei.*

Emisit rursum Columbam,&c. at illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Vide quodnam discrimen est inter Columbam,& Coruum: Coruus egreditur, & non revertitur:sic Peccator impius, & carnalis ad exteriora veniens, ultra ad Christum non revertitur:Columba idest homo spiritualis cum ramo boni operis redit, talis Columba volat virtutibus,elongatur à sæculo, manet in contemplatione, & desiderio, in conversatione,in solitudine Patriæ cælestis.*ferm.1.Dom.6.post Pentec.* Vide igitur,quod præsciti ab interioribus ad exteriora volant,nec revertuntur ad interiora: è contra motus omnis electorum est in ordine ad Deum.

1154. *Oratio est mystica Columba pacem ferens inter Deum, & animam.*

Emisit Columbam, &c.at illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Vide iterum discrimen inter Corvum, & Columbam:Coruus ad extra volavit,sed statim se collocavit super cadavera mortuorum, & tandem aquis est suffocatus: Columba è contra suis alis exit ad præceptum Noe, & iterum ferens ramum Olivæ in ore rediit:quid mysterij nobis hic innuitur:Nobis indicat Spiritus Sãctus,quod Oratio est veluti Columba habens duas alas,nempe jejunium, & eleemosynam:& sicut Columba ferens ramum Olivæ denunciavit pacem, & cessationem diluvij:Sic Oratio denuntiat pœnitentiam, reconciliationem, & veniam peccatorum,portatque ramum divinæ gratiæ. *op. Diæt.sit.2. cap. 5.* Et sicut Columba statim ad arcam rediit,sic & Oratio per meditationem ad Cælum, & ad interiora divinitatis evolat.*op.de 7.Itin.æern.itin.2.d.7.*

1155. *Ramus boni operis exigit Spiritus Sancti societatem.*

*Emisit Columbam, &c. at illa venit ferens ramum Olivæ in ore,&c.*Cur voluit Deus, ut ramus Olivæ portaretur à Columba, & non ab alia Ave? ut daretur intelligi, quod ramus boni operis non est Deo acceptus, nisi per Columbam, scilicet per Spiritum Sanctum offeratus Christo. *ferm.1.Dom. infr.oct.Ascens.*

1156. *Spiritus Sanctus assistit Sacramento Baptismi.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur per Colombam portatur ramus olivæ?Nota,quod Spiritus Sanctus figuratur per Columbam: apparuit autem Primò in specie Columbæ in Baptismo Christo: Secundò in nube in Transfiguratione: Tertiò in Igne super Discipulos, per quas apparitiones datur nobis intelligi,quod in Baptismo cuilibet nostrum affert ramum virentem, scilicet innocentiam cum gratia unionis:Item incipientibus affert ramum pœnitentiæ, & meditationis: Secundò proficientibus venit in nube, faciens eos ascendere de virtute in virtutem,& Tertiò in igne inflammans perfectos per charitatem. *in Luc. cap. 3.v.22.*

1157. *Pax est propria mentis interioris, & ab omni tumultu exteriori secura.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur eum ramo olivæ voluit Deus,ut daretur nobis intelligi; quod oliva significans pacem, & tranquillitatem mentis,solùm in Arca Noe habetur, scilicet in interiore mentis, dum in silentio Deo tota est fixa, eam enim nullus cupiditatis stimulus inquietare potest, & nullus timoris aculeus agitare: in illa mente pax est,& quies, & requiescit verus Salomon. *op. Incend.amor.cap.2.*

1158. *Pax est propria Prædestinatorum.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur cum ramo olivæ, & non pomis alterius arboris? oliva significat pacem, hæcq; à Spiritu Sancto portatur existentibus solùm in arca, scilicet prædestinatis: hæc enim est propria prædestinatorum, & prædestinatis propriè annuntiatur. *in Luc. cap.10.v.6.*

1159. *Pax præ omnibus alijs virtutibus custodienda, quia omnes altas fovet, & nutrit.*

At illa venit ferens ramum Olivæ, &c. Cur non attulit ramum Palmæ,vel Cedri? Respondent DD. quod inter omnes arbores sola Oliva conservavit folia virentia,vel in illis paucis diebus nova emisit: sed quarè hoc privilegium datum est soli Olivæ? Iam diximus, Olivam esse symbulum pacis, concordiæ,& unitatis;ob id potest dici, quod aliæ arbores alias virtutes significent:Per hocq; datur intelligi qualis virtus sit pax,& quantum emineat super cæteras, & qualiter super omnes sit custodienda. Pax enim est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: hanc quasi testamentum reliquit Christus discipulis suis; hanc qui accipit teneat, qui perdidit recuperet, & repetat, & qui amisit exquirat, quoniam qui in ea inventus non fuerit, abdicabitur à Patre, exhæreditabitur à Filio, & à Spiritu Sancto efficietur alienus. *In Ioan. Collat.66.*

1160. *Sacrificia antiqua fuerunt figura Sacrificij Crucis.*

Ædificavit Noe Altare, &c. Nota, quòd licèt ante diluvium erecta fuerint Altaria, solùm tamen hic expresse traditur, solùmq; in Sacrificio tacitè invenitur:cur hoc?quia introductio Sacrificiorum super Altare facta est per Abel,& Noe, quia figurabant Sacrificium à Christo offerendum super altare Crucis & hinc habito respectu ad hoc figuratum dicitur, Dominus odoratus est odorem suavitatis, quia omnia Sacrificia virtutem ex illo habebant.*ferm.5.Hexaem.*

1161. *Altare fuit Crux, & Crucifixus.*

*Ædificavit Noe Altare,&c.*Cur Noe volens offerre holocaustum ædificavit Altare? quid est Altare?Altare est ara, seu mensa alta, idque figurabat aram sanctæ Crucis ob immolationem, & altitudinem, in qua oblatum est verum Sacrificium Christi Crucifixi:Item significat Christum. *Ps.25.*

cripta tam piè, tam providè, ut & alijs condescenderent, & injunctum laborem viriliter tolerare valerent. *op. apol paup resp. 2. cap. 2.*

1173. *Ciborum usus, non ingluvies, & excessus concessus.*

Omnia quæ moventur, & vivunt sint nobis in cibum, &c. Si hoc Deus concessit homini, cur admittuntur Religiones prorsus ab his cibis carnalibus abstinentes? Et si id est supererogationis, & majoris perfectionis, ut certum est: cur postea non prohibentur omnibus perfectam vitam sectantibus maxime Religiosis, & Prædicatoribus? & cur Christus ipse cum publicanis, & peccatoribus his cibis est usus? Respondetur, Christum nostras infirmitates suscepisse: ideò & ciborum lautiorum abstinentiam in se ipso suscepit, & simul etiam condescendit nostræ indigentiæ: factus est enim infirmus cum infirmis, & omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret: Abstinere autem, & uti carnibus potest fieri perfectè, & imperfectè: sed abstinere est perfectiùs ex suo genere: uti verò carnibus est etiam aliquando perfectiùs, sed tamen ratione circumstantiæ adjunctæ, cum cibus in culpa non sit: sed quid conveniat locis, & tempori, & personis diligenter est attendendum: cum fieri possit, ut sapiens sine aliquo vitio cupiditis, vel voracitatis, imò cum maximo merito pretiosissimo cibo utatur: e contra insipiens fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat, & sanius quisq; maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum: Unde non cibus, sed appetitus in vitio est. *op. apol. paup. resp. 2. cap. 2.*

1174. *Deus valde abhorret comestionem carnis humanæ, & hominis occisionem.*

Excepto quod carnem cum sanguine non comedistis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram, &c. Hic probibetur occisio, & comestio carnis humanæ: cum enim carnem omnium animantium concesserit homini, excipit carnem hominis; ex hoc quod solus est formatus ad Imaginem Dei. *in sap. cap. 12. & op. Bibl. paup. cap. 85.*

1175. *Homicidæ puniuntur à Deo.*

Sanguinem animarum vestrarum, &c. qui effuderit sanguinem fundetur sanguis illius. Hic prohibet homicidium, sed quomodò dicitur, quod sanguis effundentis sanguinem hominis effundetur, cum plures homicidæ moriantur sine tali effusione: sed hic intendit Deus statuere pœnam mortis contra homicidas, contra quos Deus sumit semper vindictam. *in Luc. cap. 11. v. 51. & op. de prof. relig. l. 2. c. 46. & op. Bibl. paup. c. 85.*

1176. *Iris à Deo positus in signum fœderis.*

Statuam pactum meum vobiscum, &c. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum inter me, &c. Arcus iste generatur ex radio solis in nube concava: estq; effectus naturalis, & signum propinquæ serenitatis: sed à Deo voluntariè assumptum divini fœderis. *op. Comp. Theol. l. 2. c. 9. & serm. 14. Hexaem.*

1177. *Verbum in Incarnatione factum est Iris, & signum fœderis.*

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis, &c. Ad quid voluit Deus ponere pro signo fœderis inter ipsum, & hominem hunc arcum, qui est quid naturale? Arcus iste figurabat Christum Iesum, qui constat ex radio solari divinitatis, & nube humanitatis: & dicitur nubes concava, & torida ratione plenitudinis gratiæ: dicitur autem positus iste arcus in nubibus, idest defectibus carnalibus tenebrosæ humanitatis impedientibus salutem in hominibus: Positus autem in his defectibus non ut obscuraret, sed ut contemperaret, quia eius extrema contingunt Cælum divinitatis, & terram humanitatis: & iste arcus signum est fœderis inter Deum, & Creaturas. *serm. 1. Dom. infr. oct. Nativit. & serm. 14. Hex.*

1178. *Christus in Cruce arcus fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Arcus in nube est Christus in Cruce: sicut enim arcus cælestis habet cornua versus terram, ob idq; non extensus ad eam feriendam, signans pacem, & gratiam, sic Christus tendens transversaliter brachia, caput inclinavit ad terram, signans, se ad hoc voluisse pati, ut esset signum gratiæ dandæ homini, & rigoris temperandi. *ser. in Exalt. S. Cruc. & ser. 14. Hexaem.*

1179. *Arcum fœderis posuit Deus in cessatione persecutionum imperatorum in Ecclesiam.*

Arcum meum, &c. Hoc mysticè adimpletum est, quando post diluvium tot persecutionum Imperatorum in Ecclesiam Dei venit Constantinus, cui ostendit signum Crucis in cælo, in quo vincere debebat, tunc enim pepigit fœdus, quod nunquam Romanorum Imperium persequeretur Christianos. *serm. 16. Hexaem.*

1180. *Beata Virgo fuit Iris, & signum fœderis.*

Arcum meum ponam, &c. Hic Arcus fuit figura Beatæ Virginis Mariæ, ad cuius adventum mitigatus est Deus erga hominē: eius color ceruleus fuit virginitas, rubeus fuit charitas: aqueus humilitas: in nubibus cæli positus, scilicet in hoc mundo obscuro positus, ut nos illuminaret virtutibus, & exemplis: Arcus ideò est insuperabilis, potens, fortis, dulcis, amabilis, pateus cæli portis post præsentis metam mortis. *op. laus B. Virg. fig. 5.*

1181. *S. Franciscus arcus, & signum fœderis.*

Arcum meum, &c. mysticè iste Arcus potest dici P. S. Franciscus refulgens inter nubulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentans per vulnera, qui pacem, & salutem evangelizavit hominibus, existens & ipse Angelus veræ pacis. *op. legend. S. Franc. in Prologo.*

1182. *Christus aliquando se occultat, ut ardentiùs quæratur.*

Cum obduxero cælum nubibus, &c. apparebit arcus meus, &c. Nota: cælum semper est serenum, & lucidum; quomodò igitur dicitur, quod obducitur, seu tegitur nubibus? Hoc dicitur quoad aspectum nostrum, ob interpositionem vaporum enim apparet nubilosum. *op. de Eccles. Hier. p. 4. c. 4.* Sed quodnam mysterium nobis hic indicatur? quia aliquando Deus nobis occultatur, ut ardentius quæratur. *serm. 3. in Ascens.*

1183. *Christus*

1183. *Chriſtus in Eccleſia eſt cælum tectum nube ſpecierum: & arcus fœderis.*

Cum obduxero cælum nubibus, tunc apparebit arcus meus, &c. Videtur, quod non ſemper verificetur hoc promiſſum Dei: ſæpe enim tegitur cælum nubibus, & tamen non ſemper apparet arcus? ſed ad pulchrum myſterium inſinuandum id dicitur: Nubes enim eſt caro Chriſti in Euchariſtia, cùm igitur apparet Chriſtus tectus ſpeciebus Sacramentalibus, tunc arcus exponitur, ſcilicet fœdus pacis inter Deum, & hominem. *in Luc. cap. 9. v. 34. & 35. & in Thren. c. 3. v. 44. & in ſap. c. 16. & ſerm. 1. in dedic. Eccleſ.*

1184. *Sacra ſcriptura eſt cælum obvolutum nubibus figurarum, & ænigmatibus.*

Cum obduxero cælum nubibus, &c. Hoc myſticè fuit Chriſtus in ſacra ſcriptura, quæ eſt veluti cælum, cum ſit veritas cæleſtis divinitus inſpirata: apparet enim figuris, & ænigmatibus veluti nubibus involuta, ut carnalibus, & indignis lateant myſteria: quæ tamen pijs mentibus, & ſapientibus lucida ſunt, & aperta: Idem & faciunt exponentes ſacram ſcripturam, vel eam prædicantes, quando ad ſimilitudinem Dei claritatem huius cæli obvolvunt nubibus ſubtilibus ſubtilia ſubijcient, & ſimplicibus ſimplicia, & facilia proponunt, quibus hæc ſufficiunt. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4 cap. 4.*

1185. *Sanctiſſima Trinitatis unitas, & Trinitas antiquitùs adumbrata.*

Tres iſti filij Noe Sem, Cam, & Iaphet, ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum ſuper univerſam terram. Cur ſolùm tres filios voluit Deus ſervari in Arca ad futuram propagationem? Nonne convenientiùs erat, ut plures alij ſervarētur, ut celeriùs mundus repleretur hominibus: Ideò tres filij ex uno Patre, ad deſignandum myſterium Trinitatis, & unitatis. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph.*

1186. *Charitatem vult Deus ab homine.*

Tres iſti filij, &c. Cur ex uno Patre voluit ſervari tres filios? & cur non aliquis ſervatus eſt ex alio Patre natus: Reſpond. ad commendandam dilectionem fraternitatis, ſic etiam voluit, ut ex uno Adam omnes gignerentur. *in Luc. cap. 10. v. 27.* Ut homines videntes ab uno ſolo principio ſe eſſe, unitatem inter ſe amarent, & fraternam charitatem exquirerent. *ſerm. 9. de Apoſtol.*

1187. *A tota Trinitate creatio animarum: à peccato ſuffocatio ipſarum.*

Ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum. Cur à tribus fratribus: ut indicaretur à tribus Perſonis divinis diſſeminatas fuiſſe omnes animas in ſingulis corporibus ſucceſſivè: unde à principio Mundi Deus eſt ſeminator animarum, ſed multoties ſuffocatur hoc ſemen per ſuperbiam, gulam, &c. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph.* Vide quale malum eſt peccatum, quod animam immortalem ſuffocare conatur.

1188 *Benedictio Domini in hominem qualis.*

Ab his diſſeminatum omne genus humanum ſuper univerſam terram, &c. Vide effectus benedictionis divinæ, nempe propagationem hominum, & poſſeſſionem terrarum: *Vid. ſuprà n. 1.*

1189. *Deus nullius ſtatum quantùmcumq; vilem deſpicit, ſed omnes ad ſe vocat.*

Cœpitq; Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, &c. Nota, quod Noe caput tunc totius generis humani, & iure Princeps denominatur agricola exercens terram: ſed cur ad miniſterium tam vile ſe applicavit? ut daretur intelligi, quod Deus cum divites ſibi ſubijcit, pauperes non repellit, cum fortes humiliat, ad ſe venire debiles non recuſat, cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit, cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit: nulla eſt acceptio perſonarum apud Deum. *ſerm. 3. Dom. 23. poſt Pentec.* Ex hoc intellige, quod apud Deum iuſti ſunt Reges, & Principes, coronam portantes, & per currus varios ad Cælum portantur, ſcilicet in ſtatu Coniugali, Viduali, & Virginali. *ſerm. 4. in Aſcenſ.* *Iuſti omnes, etiā natura viles, ſi iuſti, ſunt Principes apud Deum.*

1190. *Otium diligenter ab omnibus, maximè à ſervis Dei fugiendum.*

Cœpit Noe exercere terram, &c. Cur ſtatim opere laborioſo colendi terram ſe Noe applicavit? Reſpond. ut otium vitaret: otium enim vitandum omnibus tanquam ſentina omnium vitiorum, & potiſſimè his, qui ſe perfectioni aſtrinxerunt: hinc Seraphicus P. S. Franciſcus laborare vel corporaliter, vel ſpiritualiter præcipit ſuis Fratribus. *op. de paupert. Chr. q. 2. ad ult.*

1191. *Agricultura animæ diligenter exercenda, ut vepres vitiorum extirpentur ab anima.*

Cœpit Noe exercere terram, &c. Ergo ne totus ſe applicavit labori manuali? Cur non etiam ſpiritualibus operibus? ſed iam ſupra dictum eſt, per ipſum ædificaſſe Altare Domino, &c. Unde eius exercitium fuit quidem extrinſecum in terra, ſed magis interius in anima, &c. Non enim otioſis, ſed operantibus redditur merces æterna: ad excolendam autem terram animæ requiritur, ut à malis radicibus vitiorum, ab urticis malorum deſideriorum, à ſpinis peccatorum exercitio pœnitentiæ, diſciplinæ, & mortificationis, ſic enim homo ſatiabitur panibus operum, & lætificabitur vino devotionis, & gratiæ. *ſerm. 2. & 3. Dom. ſeptuag. & ſerm. 1. in ſexag.*

1192. *Noe plantavit vineam, & vinum extraxit dictante Deo poſt diluvium.*

Plantavit vineam, &c. Nota non legitur plantata vinea ante diluvium, & tamen certum eſt, quod vites tunc fructificabant: cur poſt diluvium tantùm legitur per agriculturam plantata vinea, & vinum præparatum in potum homini? litteraliter reſpondent D.D. quod ante diluvium cibi erant maximæ virtutis, ideò homo non indigebat vino: poſt diluvium, cum elanguerit terra, & fructus minoris virtutis fuerint; hinc dictante Deo Noe cœpit plantare vineam, vinumq; extrahere, ut tantillum caloris, & roboris adderetur fructibus, & ſtomacho: vinum enim ſumptum cum ſobrietate confert ad ſanitatem. *l. 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 1. ad arg. & in Ioan. collat. 12. & 13.* ſed quid nobis ſpiritualiter

Ex Christo vite nobis propinatum est vinum Eucharisticum in remedium omnium nostrorum malorum.

liter demonstratur? Attende mysterium: Noe plantavit vites, scilicet Deus Pater plantavit Christum, qui est vitis vera, ex quo extraxit vinum, scilicet charitatis ferventissimæ, & in Eucharistia ut vitam nobis conferret. *serm. 3. Dom. 1. post oct. Epiph. & l.4.d.11.p.2.a.1.q.2.& 4.& in Io. Collat. 12.& 13.*

1193. *Christus plantator Ecclesiæ, ad quam invitantur omnes, ut laborent.*

Plantavit vineam, &c. Mysticè hæc vinea est Ecclesia, quam Christus plantavit: in cuius vino, scilicet in ferventi amore inebriatus, nudatusq; est in Cruce. Ad hanc vineam invitantur omnes, ut si tu non venisti hora prima, saltem venias hora tertia, vel sexta, vel nona, vel saltem miser senex in undecima. De hac vinea fructum fidei, & amoris, & justitiæ reddere debet homo: alioquin per damnationem eijcietur, & alius assumetur. *serm. 2. Dom. septuag. & serm. 3. Dom. infr. oct. Ascens. & serm. 3. Dom. 20. post Pentec. & serm. in Dom. 5. post oct. Epiph.*

1194. *Anima est Vinea, à qua urticæ, & spinæ sunt evellendæ.*

Plantavis vineam, &c. Vinea hæc est mysticè conscientia, in qua tamen multi habent urticam carnalium desideriorum, & spinas pungentium odiorum pro vino compunctionis, & amoris Dei, & proximi. *serm. 2. Dom. septuag.*

1195. *Religio, & status pœnitentialis est vinea à Christo plantata, in qua est nobis laborandum.*

Plantavit vineam, &c. Hæc vinea mysticè est Religio, & status pœnitentialis, cuius flores odorosi, & fructus sunt bonæ operationes: in hac vinea Diabulus quærit pro vitibus plantare olera exemplo Achab. 3. *Reg. cap.* 21. nempe carnales pro spiritualibus. *serm. 2. Dom. septuag. & ser. 10. Pentec.*

1196 *Sacra Scriptura est vinea, à qua extrahitur vinum cognitionis supernorum mysteriorum.*

Plantavit vineam, &c. Mysticè hæc vinea est Sacra Scriptura, quam Deus plantavit in Ecclesia in cordibus sanctorum tanquam in Paradiso, cuius fructus sunt sensus spirituales ex ea producti: In hac vinea sunt duo Testamenta continentia doctrinam de Christi divinitate, & humanitate: Hanc vineam demolire quærunt Vulpes, scilicet Hæretici corrumpentes Sacras Scripturas. *serm. 2. Dom. septuag. & op. de 7. Itin. aetern. itin. 7. d. 7.*

1197. *Vinea est mens anima rationalis sanctis inspirationibus plantata, & à tota Trinitate exculta.*

Plantavit vineam, &c. Vide quot vineas plantavit Deus Pater, scilicet mentes humanas capaces odoriferæ illius sapidæ patris, quæ est vera vitis, quam Pater cælestis agricola tanquam In horto vinearum sacris inspirationibus plantat, Sacramentis vegetat, & bonis operibus maturat, prout gradatim ipsam vineam excolit, ut fructificet: Tota igitur Trinitas has vineas inhabitat; Pater in memoria operarios ad laborandum excitans sacris inspirationibus: Filius in intelligentia operarios ad prudenter laborandum claris veritatibus illuminans: Spiritus Sanctus in voluntate operarios ad exemplariter operandum fervidis affectionibus inflammans. *op. de 7. Itiner. aetern. itin. 7. d. 7.*

1198. *Ebrietas aliquando excusatur à peccato, aliquando non.*

Bibensq; vinum inebriatus est, &c. Quomodò Noe justus prædicatur, si in ebrietatem incidit? sed respond. quod ebrietas non semper est peccatum, ut cum quis liquoris fortitudinem non agnoscit: ut evenit in Noe, qui nondum expertus fuerat vim vini: qui verò ex nimia sumptione vini sciens vini effectus ebrius fit peccat mortaliter. *op. spec. an. cap. 3.*

1199. *Ebrietas mentem alienat, facit insanum, reddit hominem belluam, & Dæmonem.*

Bibens vinum inebriatus est, & nudatus in Tabernaculo, &c. Vide quomodò ad ebrietatem sequitur nuditas. Sed nota, quod cum esset Noe totus nudus, tamen Sacra Scriptura solùm indicat verenda esse nudata: cur hæc advertentia ponitur? Ad indicandum, quod luxuriosa res est vinum: quod ad ebrietatem sequitur libido in illis partibus residens: Ebrietas enim est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis injuria: hanc qui habet, se non habet, hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet peccatum non facit, sed ipse est peccatum: Dum igitur venter à facietate non restringitur per concupiscentiam carnis, simul omnes virtutes obruuntur. *op. de sex al. Cherub. al. 3. & op. de prof. relig. l. 1. c. 39. & serm 1. de uno S. Confes.*

1200. *Superfluitas maximè in cibo, & potu damnatur.*

Bibens vinum inebriatus est, &c. Quomodò vir justus judicij rationem tam cito amisit? sed mirum non est: nam ebrietas est insania vera. *in Io. collat.* 12. Iudicium ergo amisit, quia admisit superfluum, non contentus necessarijs. Qui enim nimium vinum, & pinguia diligit, nunquam in virtutum possessione dilabitur? Horum quippe usus permittitur, abusus, & superfluitas, & concupiscentia prohibetur: Immundi autem spiritus se ibi inijciunt, ubi amplius vident cibum, & potum. *op. spec. discipl. p. 1. cap. 31.*

1101. *Christus inebriatus vino Charitatis, & nudatus in Cruce*

Bibens vinum inebriatus, & nudatus, &c. Cur hæc ebrietas sine culpa in medium ponitur? Item & nuditas? Noe figurabat Christum, ut sæpe dictum est, qui plantavit vineam, scilicet Ecclesiam, inebriatusq; est vino fortissimo suæ charitatis, quando pro salute mundi mori voluit, & nudus exponi in Cruce: sed quomodò ebrietas dicitur de Christo? Vide quomodò Ebrius quandoq; nudatus, & Christus nudatus est à Iudæis. Ebrius deridetur, sicut Noe derisus fuit à Cain, & Christus derisus est à Iudæis. Ebrius fatuè incedit & Christus ut insanus reputatus est: & sicut David finxit se insanum, collabebaturq; salivæ de ore, & Christus alapis, & sputis percussus: Ebrius inermis audacter invadit armatum, & Christus Diabolum sine armis, ut David Goliam quinque lapidibus vulneravit, & baculo Crucis. *serm. 3. in Parasc. & in Luc. cap. 23. v. 34. & cap. 24. v. 27.*

1202. *Vinum mundanæ delectationis infatuat hominem, & brevissimam delectationem confert: Vinum cælestis delectationis est maximum, & diuturnum?*

Bibens inebriatus est, &c. Cur proponitur hæc injuria

T

iuria viri Iuſti:Ad ædificationem noſtram:daturq; intelligi,quod ſicut ſolatium, quod habuit Noe de hac poratione fuit breviſſimũ, quod conſecuta eſt afflictio ſua,& deinde maledictio io filium;ſic & ſolatium mundi comparatur muſto, quod inebriat, & infatoat homioem abſorbens rationem hominis,& uſum eius:Non ſic ſolatium, quod accipit homo à Deo eſt veloti vinum depuratum, quod eſt fortiſſimum, & ſemper durat, & eſt maximum.*ſerm.1.in Regat.*

1203. *Prælati incuria à Deo damnatur.*

Bibens inebriatus eſt, &c. Nota non ſine myſterio notator ebrietas,& nuditas Noe,qui erat veloti Princeps, & Prælatus aliorum: Prælatus enim quando incurioſè,& negligèter vivit,veluti ebrius nudatur ſanctâ,& exemplari famâ:& tunc io deriſionem tranſit.*ſerm.4.Dom.3.poſt oct.Epiph.*

1204. *Ebrietas ſpiritus facit denudari peccata in Confeſſione.*

Bibens inebriatus eſt, &c. Cur ponitur in viro juſto hæc ebrietas? ut ſignificaretur, quod ebrietas ſpiritus in compunctione, & contritione facit denudari turpitudinem in Confeſſione. *ſerm. 3. Dom. 12.poſt Pentec.*

1205. *Vinum Charitatis ex contritione exprimitur.*

*Bibens inebriatus eſt,&c.*Proponitur hic ebrietas ſpiritualis:daturq;intelligi,quod vioum lachrymarum expreſſum de propaginibus Cõtritionis,Confeſſionis,& ſatisfactionis eſt charitas;quo vino delectantur Angeli,videntes Converſionem peccatoris. *ſerm.3.Dom.12.poſt Pentec.*

1206. *Vinum carnalium delectationum abſorbet mentem.*

Bibens inebriatus eſt,&c. Nota, quod Noe inebriatus,& nudatus dormivit in tabernaculo: quid nobis id indicat?quod homo,qui vino delectationis terrenæ ſe abſorbet, denudator veſte bonæ vitæ, & domuicus vivit, nec advertit mala imminentia. *ſerm.3 Dom.20.poſt Pentec.*

1207. *Incautus aſpectus, & locutio quàm damnoſa.*

*Quod cum vidiſſet Cham Pater Chanaan verenda ſcilicet Patris eſſe nudata nuntiavit,&c.*Vide quibus gradibus præcipitatus eſt in maledictionem paternam:priùs vidit curioſè,& turpiter:deinde nuntiavit Fratribus ſuis, ſcilicet cum deriſione: Ex hoc addiſcere debes quales fructus exhauriuntur ex incauto viſu:Item & ex locutione. *op. Bibl.paup.cap. 92.& 93.*

1208. *Inhonorans Parentes graviter à Deo punitur.*

*Quod cum vidiſſet,&c.maledictus Cham,&c.*Vide quali pœna punitus fuit Cham ob inhonorationem Patris: ſic enim inhonorantes Parentes maledicti, infames ſunt, & à Deo puniantur moltoties horribiliter,& breviori vita. *op. Diat.tit.3.c.3. & ſerm.5.de decem Precept.*

1209. *A ſubditis reprobis manifeſtantur delicta Prælati.*

Cum vidiſſet Cham,&c.nuntiavit Fratribus ſuis,&c. Quarè notatur hæc evulgatio facta Fratribus ſuis, &c. ut pateat ex qoo fonte orta ſit maledictio Cham:datur enim intelligi, quòd Deus ſpecialiter abhorret vitium detractionis,& ſuſurrationis ſubditorum in Prælatos: Cum enim ſubditus videt aliquem defectum in Prælato, debet oon detrahere,ſed compati ei quaſi homini,in quo ferè impoſſibile eſt,ut vivat ſine defectibus:& eo magis,quia ſæpe quod in eo reprehendimus ex noſtro vitio magis eſt,quàm ex eius culpa,imò ſæpe eſt bonum, & ſancta intentione, vel neceſſitate factum:honorandi ergo ſunt Prælati, & Patres, in corde, nec ſperni debent, ne fortè maledictio Cham in nobis deſcendat, & ne fortè Deus in eis ſpernatur. *op. de Inſtit.Novit.p.1.cap.3.*

1210. *Honorans Parentes benedicitur à Deo inhonorans malediritur.*

*Sem & Iaphet operuerunt verenda Patris,&c. & hinc contraxerunt benedictionem,&c.*Vt videas quãti meriti apud Deum ſit honor exhibitus à Filijs Parentibus. *ſerm. 5.de dec. precept.*Et Cham maledictus,quia nuditatẽ Patris deriſit.*op.Bibl.paup.c.62.*

1211. *Peſſimi sũt effectus maledictionis divinæ.*

*Maledictus Chanaan, &c.*Quid ſequutum eſt ex hac maledictione?obſtinatio in Cham,& filijs,quia in eis erant qualitates dignæ tali maledictione. *in ſap.cap.12.*

1212. *Maledicitur à Deo diſcooperiens culpam Proximi.*

Maledictus Chanaan, &c. Hæc maledictio ei fuit inflicta,quia tenebatur operire verenda Patris, & ea potius propalavit:Ex hoc vide qualem maledictionem infligat Deus aperienti culpam proximi ſecretam.*l.4.d.21.p.2.a.1.q.3.fund.3.*

1213. *Vnuſquiſq;eſt author ſuæ maledictionis.*

*Maledictus Chanaan,&c.*Sed à quo maledictus? Cur non dixit maledictus à me?quia Noe erat figura Dei: licèt enim ſit æquè juſtus, ac miſericors: tamen quia ad opus miſericordiæ non requiritur niſi Dei bonitas; ad opus verò juſtitiæ præſupponitur iniquitas, à qua trahit originem maledictio, & punitio.*in ſap.c.12.& l.1.d.47.dub.1.*Hinc infertur, quod ονuſquiſq;eſt author ſuæ maledictionis.

CAPVT X.

1214. *A tota Trinitate creantur Animæ.*

Tres bos tres, à quibus diſſeminatum eſt totum genus humanum intelliguntur tres Perſonæ Divinæ, à quibus originaliter diſſeminantur omnes animæ:quod & ſupra notarum eſt. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct.Epiph.*

1215. *Ex bonis Prælatis activis, & contemplativis proveniunt fructus boni in alios.*

Hæ ſunt generationes filiorum Noe, &c. Per hos tres ſignificantur illa tria ſata à muliere Evangelica abſcondita in farina,de quibus *in Luc.cap.13.*& figurabant tres differentias fidelium, io quibos Dei ſapientia dilectionem ſuam abſcondit in via, ſcilicet bonos Prælatos, bonos contemplativos, & bonos activos: Vel triplicem ſubſtantiam in Chriſto incluſam,ſcilicet divinitatem,animam, & corpus.*in Luc.cap.13.v.21*

1216. *Antichriſtus ſua auctthoritate ſe conſtituet Principem, & Tyrannum, ut fecit Nembrod, qui fuit primus Imperator in mundo.*

Porrò Chus generavit Nembrod, ipſe cœpit eſſe potens

potens in terra, &c. Nota, quod in illis primis temporibus in qualibet familia primus natu, primus etiam erat aucthoritate, & gradu honoris, familiam regens, & lites dirimens. In familia Chus primus nàtu fuit Saba: Secundò Hevila: Tertiò Sabatha: Quartò Regma: Quintò Sabathaca: & Nembrod erat sextus in ordine: quomodò igitur dicitur hic fuisse potens in terra? Quia iste erat superbus, viribus validus, seq; propria aucthoritate primum Imperatorem fecit in Babylone: fuitq; figura Antichristi, qui sua aucthoritate, & violentia extollet super omne quod dicitur Deus. *ferm. 15. Hexaem.* Fuitq; Diaboli imitator, qui alijs præesse sua aucthoritate voluit. *l.2.d.5.a.1.q.1.corp.*

1217. *Princeps verus communem utilitatem fovet: Tyrannus propriam.*

Ipse cœpit esse potens in terra, &c. Quis eum constituit in hac potentia, & fecit Regem Babylonis, ut dicitur infra? sua aucthoritate, & violentia in alios, dicitur enim robustus venator, scilicet opprimens alios. *ferm. 15. Hexaem.* Hæc autem differentia est inter Tyrannum, & Principem, quod Tyrannus quærit propriam utilitatem dispendio, & cæde subditorum: Princeps verò communem subditorum utilitatem. *ferm. 5. Hexaem.*

1218. *Prælati mali necant animas subditorum.*

Et erat robustus venator coram Domino. Legunt Septuaginta, *contra Dominum*: Per hoc indicatur, quod Nembrod fuit crudelissimus, & homines tamquam animalia venatione capta opprimebat tyrannide: Ecce figura mali Prælati ait Philip. Abbas. Parum est malis Pastoribus, quod oves languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant, sed etiam ipsas fortes, & pinguia necant, scilicet malè vivendo, malum exemplum præbendo. *op. Phar. l. 1. cap. 12.*

1219. *Diabolus ad venandas animas utitur ministerio hominum iniquorum.*

Et erat robustus venator, &c. Ad quid ponitur, quod erat venator? quia, ut dictum est, venabatur per violentiam homines, &c. figurabatq; Diabolum: De Dæmonibus dicitur, *in Thren. 3. Venatione cœperunt me, quasi avem inimici mei gratis.* Diabolus enim esca voluptatum capit animas: utiturq; etiam ministerio mulierum lasciivarum, hæreticorum, consiliariorum, malorum sociorum, & aliorum ad peccata trahentium: istiq; sunt venatores Diaboli, *ferm. 3. Dom. 4. post Pentec.*

1220. *Diabolus habet suos venatores in malum: Christus habet in bonum.*

Et erat robustus venator coram Domino, &c. Quid est esse venatorem coram Domino? Nota ex SS. PP. quod illa particula, *coram Domino*, potest intelligi in malum, scilicet contra Dominum, & in bonum, idest ad gustum Dei: Quia Deus habet suos venatores, & Diabolus suos: mali autem insidias, & laqueos ponunt, & fundunt sanguinem animarum, eas occidendo spiritualiter, & luctando pro Diabolo: Boni verò ad Deum, & pro Deo capiunt animas trahentes verbo, prædicatione, & exemplo ad pœnitentiam. *ferm. 3. Dom. 4. post Pentec. & Psalm. 90.*

1221. *Peccator in suo opere confusionē invenit.*

Fuit autem principium Regni illius Babylon, &c. Nota, quod non sine mysterio notatur regio super quam regnavit primus Tyrannus, scilicet Babylon, interpretatur autem confusio: significatur autem, quod si ad tempus superbi florere videntur: semper tamen in fine confunduntur, & deijciuntur, ut evenit in monarchia Babylonica, quæ cum videretur esse potentissima, una nocte tamen capta fuit Civitas, & cum Rege suo superbissimo velut scintilla ignis petijt. *ferm. 4. de uno Confes.*

CAPUT XI.

1222. *Deus est seminator pacis inter homines.*

Erat autem terra labij, &c. Nota hic terra sumitur pro homine: homines autem erant unius sermonis, &c. ut discas, quod Deus concordiam inter homines primò seminavit, quam ipsi postea fregerunt: Nam testamentum Dei, & hæreditas pax est, ut à concordibus consortibus possideatur, non à litigantibus dividatur. *op. Phar. lib. 4. cap. 16.*

1223. *Arctam viam derelinquentes recedunt à Christo.*

Cum proficiscerentur ab Oriente invenerunt campum, &c. Quarè ponitur hic recessus ab Oriente? Nota, quod oriens significat mysticè Christum; in illa parte enim erat Paradisus terrestris: Unde Ecclesia orat ad orientem, ut illuminaretur à vero sole justitiæ. *in sap. cap. 16.* sed perversi recedunt à Christo, & se collocant in Sennaar, quod interpretatur fœtor, & putredo dentium: collocant se ergo in stabulo porcorum fœtido, in loco ubi semper bellum intestinum est, scilicet se immergendo in delicijs mundanis, & inutilibus curiositatibus: unde dicebat Hier. *Thren. cap. 1. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem:* viæ enim Sion scilicet Dei sunt arctæ: viæ mundi latæ. *op. mystic. Theol. in præfat. & ferm. 2. de S. Ant. & ferm. 2. in dedic. Ecclesiæ.*

1224. *Qui voluptatibus inserviunt, in luto, & igne se immergunt, & Diabolo ædificant.*

Dixitque alter ad proximum suum, venite faciamus lateres, &c. Ad quid istos lateres? ad construendam Civitatem, & Turrim, quæ sit altitudinis immensæ, & durationis perpetuæ: sed cur non assumunt petras, & lapides; sed lateres coctos? sed nota, quod isti impij discesserunt à montibus Armeniæ, in quibus Arca requievit, & descenderunt in planum campum ad ædificandam Babylonem ex lateribus igne coctis: sic faciunt iniqui recedentes à Christo, qui est petra, & fundamentum Civitatis supernæ, & in latere se immergunt, scilicet in luxurijs, & æstu cupiditatis, istique ædificant Diabolo, non Deo. *Psalm. 126. & 39. & 26.*

1225. *Peccator insanus, & excæcatus tentat impossibilia.*

Et dixit, &c. Venite faciamus & Turrim, quæ pertingat ad Cælum, &c. Quomodò ad Cælum? erant ne tam insani, ut non cognosce-

tent ſe intentare impoſſibilia? ſed non eſt mirum: Nam nunquam prævertitur affectus, niſi prius prævertatur judicium, nec prævertitur judicium, niſi aliqua excæcatio ſit in ratione; excæcatio verò pullulat à præſumptione: ſic etiam Diabolus excæcatus appetijt, & attentavit æqualitatem Dei conſequi, quod erat impoſſibile: Hocque eſt proprium ſuperbiæ. *l.2.d.5.a.1.q.1.& 2.* ſic & S. Joan. Chryſoſt. *Hom.*30.

1226. *Superbia inficit etiam perfectos.*

Venite faciamus Turrim, cuius culmen pertingat ad Calum. Nota; hic eſt fructus ſuperbiæ: quæ ſicut turris uſque ad cælum pertingit, ſcilicet uſque ad perfectos viros, quia inficit omnes *op. Comp. Theol. lib.3.c.15.*

1227. *Concordia bonorum in bono optima: malorum in malo peſſima.*

Venite faciamus, &c. Quomodò ſi erant impij tam concordes ſe oſtenderunt, cum concordia ſit tam excelſa virtus? Nota, quod eſt concordia bonorum in bonum & bona, malorum in malum mala: ſicut noxium eſſe ſolet, ſi unitas deſit bonis, ita perniciosum eſt, ſi non deſit malis: Perverſos quippe unitas corroborat, dum concordat, & tantò magis incorrigibiles, quantò unanimes facit. *op. Phar. l.4. cap.16.*

1228. *Invitatoria bonorum in bonum: & malorum in malum qualia in matutino Diaboli.*

Venite faciamus lateres; &c. venite faciamus nobis civitatem, &c. Cur bis repetunt venite? Nota, quod Chorus eſt concordia humanarum vocum, in quo Alij, cantantes præcedunt, Alij reſpondent. *Pſal.* 87. Unde ſicut Eccleſia Iuſtorum ſecundùm diverſa feſtorum, diverſa habet invitatoria: ſic & ſynagoga peccantium in matutino Diaboli: unum eſt vanitatis, & ſuperbiæ, venite faciamus nobis Civitatem, &c. Aliud iniquitatis, venite, & occidamus eum. *Gen. cap.* 37. Aliud avaritiæ, & cupiditatis veni nobiſcum. *Proverb. cap.* 1. Aliud voluptatis, venite fruamur bonis. *Sap. cap.*2.

1229. *In peccato fœtor, & bellum inteſtinum.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. In quo loco? in Campo Sennaar: ſed cur permiſit Deus, ut ædificaretur in Sennaar? Sennaar interpretatur fœtor, ſeu putredo dentium, & ſignat peccatum, in quo Civitas Diaboli fundatur: Hæc Civitas eſt habitatio fœtida, & ſtabulum porcorum per luxuriam, & cætera vitia, in qua eſt putredo, & ſtridor dentium, ſcilicet bellum inteſtinum, quia peccator nunquam habet pacem. *ſerm.* 2. *de dedic. Eccl.*

1230. *Tyranni non ſinunt quieſcere ſubditos.*

Venite faciamus nobis civitatem, &c. ſed à quonam fuerunt moti ad tantum laborem? Authoritate, & præcepto Nembrod. *ſerm.* 15. *Hexaem.* Hoc enim eſt proprium Tyrannorum nunquam ſinere quieſcere ſubditos, ſic & Philip. Abb. *de ſilent. cler. cap.*11.

1231. *Peccator totis, & omnibus viribus Deum offendit.*

Venite faciamus nobis Civitatem, &c. Nota ad conſtructionem Babylonis plures iniqui concurrerunt: ſignificaturque, quod Peccator ad Deum offendendum convocat omnes potentias, & ſenſus, eaſque unanimes reddit in malum. Et hinc docent Theologi, quod licèt peccatum ſecundùm eſſentiam reſideat in anima, ſeu in voluntate, tamen ad ipſum concurrunt potentiæ intellectuales, & ſenſitivæ. *l.2.d.24.p.2.a.1.q.1.& d.31.a.1.q.* 2. Unde quando peccat mortaliter invitat omnes potentias ad malum; pedes per malum conſenſum, manus per malum actum, collum per malum verbum, linguam per vitioſum ſilentium, cor per affectum, & delectationem. *ſerm.* 3. *Dom.*11. *poſt Pentec. & ſerm.* 1. *Dom.*13. *ibid.*

1232. *Peccator utitur omnibus creatis, & Deo ipſo ad ipſius offenſam.*

Venite faciamus, &c. Nota, quod Peccator omnia creata, & increata ordinat ad Dei offenſam: utitur enim fruendis, & fruitur utendis. *in Sap. cap.* 2.

1233. *Quo quis plus aſcendit eo plus deſcendit, & elongat ſe à Deo.*

Venite, &c. cuius culmen ad calum pertingat. Sed quid facitis inſani? Verum quidem eſt, quod corporaliter quo quis plus aſcendit, eo plus cælo appropinquat: ſpiritualiter tamen id eſt magis ſe à Deo elongare: quo enim quis plus per ſuperbiam ſe exaltat, eo magis deſcendit, & à Deo diſtat; & è contra quo quis magis deſcendit, eo plus aſcendit. *ſerm.* 2. *&* 3. *de uno Confeſſ.* Quo quid plus participat de forma rei, eo plus occupat de loco eius: ſed forma capitis noſtri Chriſti eſt humilitas eius: ergo qui plus humilis eſt, plus participat de Chriſti ſublimitate. *ſerm.* 2. *de uno Confeſſ.*

1234. *Civitas Babilonis, & Diaboli habet pro fundamento libidinem: Dei Civitas charitatem.*

Venite, &c. & celebremus nomen noſtrum, &c. Nota quale fundamentum ponant impij in Civitate Babylonis, quæ eſt Diaboli: Civitas enim Diaboli habet pro fundamento libidinem perverſam: Civitas Hieruſalem habet Charitatem ordinatam: Illa ad terrena per libidinem deprimitur, quia in his terrenis beatitudinem ponit: Iſta erigit ad æterna, in æternis quieſcit, & in eis beatitudinem ponit. *In Ecclen. proem.*

1235. *Deus agens ordinatum in ſuis operibus.*

Venite, &c. & confundamus linguam eorum, &c. Nota, quod hæc fuit ſecunda ætas, in qua diviſæ ſunt linguæ, & reſpondet ſecundæ diei Creationis, in qua per firmamentum diviſæ ſunt aquæ, & reſpondet etiam puetitiæ, in qua homo addiſcit loqui. *ſerm.* 15. *Hexaem. & op. Brevil. in proem.*

1236. *Potentia*

1236. *Potentia persequentium Ecclesiam dissipata est.*

Atque divisit eos ex illo loco in universas terras, &c. Nota ex hac divisione linguarum, orta est etiam separatio ipsorum per universas terras mundi, & sic tunc dissipatum est imperium Nembrod, & Turris Babylonis, quod fuit figura primò dissipationis potentiæ Imperatorum Romanorum persequentium Ecclesiam, ad quos successit Constantinus Magnus. Secundò dissipationis potentiæ Antichristi futuræ. *serm. 15. & 16. Hexaem.*

1237. *Idiomata hebræa, græca, & latina unde orta.*

Atque divisit eos, &c. Nota, quod tunc facta est divisio linguarum in præcipua Idiomata mundi, scilicet hebraica, græca, & latina: sed hebraica remansit in domo hebræa: hæc enim fuit originalis procedens ab Adam, idque fuit figura, quod, facta dispersione Idololatriæ, remanere debebat Confessio Christi in populo Christiano. *ser. 16. Hexaem.*

1238. *Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur.*

Atque ita divisit eos, &c. Vide, quod per divisionem linguarum etiam dispersi sunt in varias terras: quia Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur. Et unitas est causa omnis boni, & salutis: discordia interitus: regnum enim in se divisum, quale est Diaboli, non potest stare. *in Luc. c. 11. v. 17. & 18.*

1239. *Inter malos conservari Iustum est maximum Dei beneficium.*

Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, &c. Quarè de Vr Chaldæorum voluit Deus ut recederet? quia ibi exercebatur Idololatria, eumque persequebantur illi habitatores ste respondent DD. Vnde hæc fuit maxima misericordia Dei, quàm in Abraham exercuit eum conservando sine querela, & justum in medio nationis pravæ, & perversæ, & ab Adversariis defendendo, tandemque Terram promissionis conferendo. *in Sap. c. 10. & op. Bibl. paup. cap. 36. & 120.*



CAPUT XII.

1240. *Malorum societas periculosa, ideò in Religionibus observantibus ejiciuntur mali, ne alios inficiant.*

Egredere de terra tua, &c. Hoc fuit à Deo præceptum Abrahæ: & cur voluit Deus, ut Abraham tam bonus exiret de Mesopotamia sua Patria? quia in illa terra vigebat Idololatria, unde ne inficeretur ipse vel aliqui de sua familia, & ut liberius, & securius colerent unum, & verum Deum, voluit, ut à tali regione exirent. *lib. 4. dist. 1. p. 2. a. 3. q. 1. ad 3.* sic & Abulensis. Vide igitur, quàm periculosa sit malorum societas etiam in Congregationibus Iustorum, & ideò justissimè mali publici ejiciuntur à Religionibus, dum correcti non se emendare volunt, tum propter scandala evitanda, tum ne alij inficiantur. *op. deter. super Regulam qu. 14.*

1241. *Malorum societas sæpe privat bonos benedictionibus divinis.*

Egredere de terra tua, &c. Cur cum Deus vellet replere Abraham suis benedictionibus, & suis muneribus cumulare, tum & visitationibus voluit, ut priùs exiret de Vr Chaldæorum? Id voluit, ut se eximeret à societate Malorum, utque nobis daret intelligere, quot bonis priventur, & benedictionibus cælestibus qui inter Malos cum sui periculo volunt degere. *op. Bibl. paup. c. 120.*

1242. *Cuicumque volenti sequi Christum, est necesse, ut omnia relinquat quoad affectum.*

Egredere de terra tua, & de Cognatione tua, &c. In his verbis videtur, quòd Deus præceperit expoliationem omnium bonorum Abrahæ, & tamen patens est, quod etiam pòst plurimis ditatus est bonis temporalibus? Quomodò ergo inter perfectos obedientes Deo adnumerantur? Sed nota, quod hæc expropriatio fuit præcepta non quoad rem, sed quoad affectum inordinatum, & in eodem sensu à Christo præcipitur renunciatio rerum dicente: *Qui non renunciat omnibus, &c.* licet perfectius sit relinquere omnia etiam quoad rem. Sic & præcipit S. Franciscus in sua Regula; unde quidam Doctor tempore S. Bonaventuræ fuit ab Ecclesia condemnatus, quia docebat esse necessariam abrenunciationem rerum etiam quoad rem exemplo Abrahæ, quod falsum est, quia Abraham tulit secum omnem substantiam, licet quoad affectum omnibus renunciaverat. *op. Apol. paup. resp. 3. cap. 3.*

1243. *Deus à Religiosis exigit observantiam Voti Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis.*

Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo Patris tui. Si capite præcedenti legitur, quòd Abraham exierat de Vr Chaldæorum, quomodò idem denuo ei præcipitur? Poterat enim dicere Domino: Iam ô Domine egressus sum; ad quid ergo hæc repetitio præcepti? Doctores hic respondent apud Lyranum, quod jam corpore redierat, non mente, cùm intenderet illuc denuò redire: unde Deus repetiit hunc exitum, quia id fuit figura Religiosorum à quibus vult Deus exitum perfectum & quoad rem, & quoad votum: de terra, seu possessionibus terrenis per votum paupertatis; de cognatione per votum Castitatis, & de domo Patris per votum Obedientiæ. *In Psal. 113. & op. Bibl. paup. c. 120. & diat. tit. 4. c. 1. in fine.*

1244. *Christus non invenitur inter cognatos à Religiosis, ideò à cognatione longè recedendum.*

Egredere de cognatione, &c. Nota, id mysticè dici omnibus Religiosis, à quibus vult Deus renunciationem inordinatam affectos ad Cognatos, & amicos carnales, nam nec Christus inventus est à Maria, & Ioseph inter Cognatos, & notos, estque

contra illos, qui curiosi, & vagi nimis se ingerunt in rebus, & factis Consanguineorum, & sæcularium. *In Luc. c. 9. v. 61. & ser. 5. dom. infra octa. Epiph. & ser. 1. Dom. septuag. & serm. 3. Domin. 23. post Pentec.*

1245. *Religiosus debet vivere, ut alienigena in hoc mundo.*

Egredere de terra tua. Sed cur hoc? Nonne poterat Abraham vivere cum justitia etiam in terra propria? quia voluit, ut daretur intelligi cuicumque homini, quod debet vivere ut peregrinus in hoc mundo; sed præcipuè Religiosis id dicitur, qui ut alienigenæ debent vivere in hoc mundo, & dimittere non solùm habitum, sed & mores, & gestus sæculares, & sicut alienigenæ, non manent; sed transeunt loca versus patriam, sic & Religiosus & corpore, & corde transire debet ad aliam vitam, scilicet spiritus versus patriam cælestem. *In Luc. c. 17. v. 18. & 19.* Vult ergo Deus Religiosos homines veluti extra hunc mundum positos, alienosque à cupiditatibus & affectionibus terræ. *Ibid.*

1246. *Deus vult, ut quilibet Christianus renunciet Mundo, Carni, & Diabolo.*

Egredere de terra, &c. Nota, quod in hoc præcepto Abrahæ involuitur id, quod cuicumque baptizando intimatur. Abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis ejus, scilicet Mundo, Carni, & Diabolo: nam per terram intelligitur Mundus; per cognationem caro, & per Patrem diabolus, quæ abdicanda sunt à nobis per pœnitentiam, sic enim avaritia, luxuria, & superbia à nobis longè erit, unde Christus ad nostrum exemplum voluit nasci de Virgine contra luxuriam, pannis involui contra avaritiam, & in stabulo poni contra superbiam. *serm. in Vigilia Nat.*

1247. *Observantia Consiliorum Evangelij antiquis ignota: nobis per Christum notissima, & proposita.*

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. & veni in terram, quam monstravero tibi. Sed in quam terram? Cur eam non nominat? Ut daretur intelligi, quod via, quam in plenitudine temporum monstraturus erat Deus hominibus, erat ignota tunc; & quænam est via observantiæ consiliorum Evangelicorum. Hanc voluit Deus in figura ostendere Abrahæ, sed postea pateret Christus eam nobis calcandam ostendit. *serm. 2. de S. Antonio Patav.*

1248. *Promptitudo ad omnem nutum divinum omnimoda exigitur à Deo in suis sequacibus.*

Egredere de terra, &c. & veni in terram, &c. Nota, quod Deus non exprimit, quænam sit hæc terra, in quam vult, ut Abraham pergat: Cur hoc? quia voluit ab hoc viro perfecto, & vult à Religiosis, ut continuè stent accincti ad omnem nutum divinæ voluntatis in itinere perfectionis, & Sanctorum operum. *in Luc. cap. 17. vers. 18. & 19.* Sic & D. Basilius.

1249. *Deus ut agens ordinatissimum omnia veteris legis ordinavit ad Christi Adventum futurum præfigurandum.*

Faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi. Nota, quod hæc fuit tertia ætas mundi correspondens tertiæ diei creationis rerum, in qua germinavit terra, & tertiæ ætati hominis, scilicet adolescentiæ, in qua vis generativa incipit exire in actum, & ideò Abrahæ ordinata fuit Circumcisio, & facta promissio de Christo venturo ex ejus semine. *op. Brevil. in proœm. & ser. 16. Hexaem.*

1250. *Status Religionis est terra viventium, & benedictionis divinæ.*

Et veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Iam dictum est, hæc omnia contigisse in figura status futuri legis gratiæ, sed quænam est hæc terra, in quam præcepit Deus viro justo; ut pergeret, & ut obtineret tot bona promissa? Hæc est terra viventium, scilicet status Religiosus, ait Glossa, Religio enim est nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata & alta: Nota, quod dicit, *faciam te in gentem magnam.* Quænam est gens hæc magna? Gens magna sunt Angeli: sic & Religiosi viri sunt Angeli ascendentes, & descendentes. *In Ioan. collat. 10.* In hoc statu est consummata perfectio Ecclesiæ militantis. *ser. 16. & 22. Hexaem.* Vultis igitur scire, unde inter cætera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina tot prærogativas, & benedictiones mereatur, & secundum baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio professores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò divinam in homine reformat imaginem configurans eos Christo instar baptismi, dum per id quod mortificant membra sua, rursum Christum induunt complantati similitudini mortis ejus. *opusc. Apol. paup. resp. 1. c. 3.*

1251. *Deus benignissimus nihil nobis adimit, quin abundantissimè retribuat.*

Faciamque te in gentem magnam, &c. Vide ex hoc, quod cùm Deus præcepetit Abrahæ exitum de terra patria, & cognatione sua, qua homini nihil amabilius; tamen benignissimè mitigat hunc rigorem promissis amplissimis. Promisit enim ipsi & posteris terram promissionis à fluvio Ægypti ad flumen magnum Euphratem. *In Sap. c. 12. & 18. & in Luc. c. 1. v. 73.*

1252. *Ille magnus, & felix cuius Dominus Deus eius.*

Faciam te in gentem magnam. Cur non dixit in gentem multam? quia ille magnus est, qui Deum colit, & cujus Dominus ejus: qui enim Deum habet omnia cum Deo possidet. *In Luc. c. 10. v. 22. & c. 12. v. 31. & in Thren. c. 1.* Sic & Rubertus Abbas *lib. 5. c. 5.* Ratio autem est, quia solùm boni à Deo computantur, mali autem sunt ex abundanti, & apud Deum veluti non computati. *In Sap. cap. 10. & lib. 1. dist. 46. quæst. ult. in fine corp.* unde dicitur Isaiæ, *Multiplicasti gentem, sed non magnifi*

magnificasti lætitiam. Phar. lib.1. cap. 22.

1253. *Apud Deum plus æstimatur unus iustus, quàm innumerabiles peccatores.*

Faciam te in gentem magnam? Cur non dicit multam; sed magnam? quia apud Deum est in æstimatione magnitudo virtutis, non multitudo gentis: plus enim pensat Deus vitam unius justi, quàm animam innumerabilium peccatorum, & præponderat salvationem unius justi damnationi innumerabilium. *lib.3.dist.20. art.1.quæst.3. & dist. 40. art.1.q.2.*

1254. *Iudæis promissa sunt temporalia, Christianis spiritualia.*

Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c. Cur Deus promittit temporalia, & non potius spiritualia? quia lex scripta erat lex carnis: post Christum verò est de bonis spiritualibus: unde per Christum Abrahæ promissum, hæc omnia promissa adimplera sunt spiritualiter in Ecclesia, *op. Apol.paup.resp.3.c.3.*

1255. *Benedictio Dei affert omne bonum.*

Et benedicam tibi,&c. In quonam bono consistit hæc benedictio promissa? Consistit in bonis temporalibus, spiritualibus, & æternis: unde benedictio temporalis sine spirituali parùm confert, sed benedictio Dei omne bonum communicat. *ser.5. de una Virgine*, & hæc benedictio descendit ad omnes imitatores virtutum Abrahæ, qui spiritualiter dicuntur filij Abrahæ. *In Luc.c.1.v.42.& 54. & ser.Dom. post oct.Epiph.*

1256. *Dei protectio qualis in cultores perfectos sui nominis.*

Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. In quonam consistit hæc magnificatio Abrahæ? Nota qualem protectionem habet Deus perfectorum suorum cultorum, magnificatus est non solùm per augmentum suæ famæ, per totum mundum, sed & quia ipsum ab inimicis defendit, & eum præservavit ab Idololatria imò in ejus nomine voluit Deus comprehendere suom ipsius nomen, appellando seipsum Deum Abraham ex quodam privilegio amoris per cultum Religionis. *In Psal.45. & in Sap. cap.10.* Vide igitur quodnam privilegium est viri justi, qui verè potest dicere, servus tuus sum ego, scilicet mandata tua observando, & custodiendo, obediendoque, ideò tuus sum ego, scilicet non meus, sed tuus, scilicet in tuis mirabilibus, in quibus sum attonitus, in tuis credibilibus, in quibus sum subditus, & in tuis delectabilibus, in quibus sum irretitus. *Psal.118.c.6.v.18. & c.8.v.13.*

1257. *Benedictio divina differt ab humana.*

Benedicam tibi, &c. Quodnam est hoc præmium Abrahæ à Deo promissum? Vide quomodò Deus postquam promisit Abrahæ, quod magnificandus erat apud homines (hæc est benedictio humana) subdit, *& benedicam tibi* scilicet augendo numero, & merito, per multiplicationem; scilicet posterorum, justorum, & meritorum; & hæc est benedictio Dei valdè differens, & eminentior humana: hæc enim pro nihilo reputanda, quia judicium humanum cæcum est frequentiùs, & ignorat veritatem, & fallitur sæpissimè. *Psal. 27. & op. de Instit.Novit.p.2. cap.10. & op. Phar. l.4.c.47. & in Luc.c.18.v.11.*

1258. *Benedictio Dei ineffabilia, & inexplicabilia bona affert.*

Benedicam tibi, & eris benedictus. In quibus bonis consistit hæc benedictio? Id non exprimitur, sed ponitur indefinitè, & meritò, quia erat veluti inexplicabilis, quia Deus cùm plene benedicit justum, ipsum benedicit in mundo per propitiationem, remissionemque culparum, & collationē gratiæ, in extremo defendendo ipsum ab hostibus, securum exitum animæ tribuendo, & in Cœlo per collationem gloriæ. *ser.1.de uno Confess.* Bona sunt hæc, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascenderunt, cum sint ineffabilia, & inexplicabilia. *Ibidem.*

1259. *Non sufficit, ut Deus gratiam offerat, nisi voluntas liberè acceptet.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur additur, erisque benedictus? Nonne sufficiebat dicere Benedicam tibi? Si enim Deus contulit benedictionem suam Abrahæ, nonne ad ipsum debebat terminare? Sed nota, quod non sufficit, ut Deus exhibeat adulto sua dona, & gratias, sed requiritur dispositio liberi arbitrij ea volentis recipere, ob idque conformitas voluntatis humanæ ad divinam. *lib.2.dist.4.a.1.q.2.ad 4.& lib.4.dist.4.p.1.a.2. q.2.ad 2.& p.2.a.1.q.1.in argum.*

1260. *Obedientia clavis Paradisi.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur repetit benedictionem? quia debetur hæc repetitio benedictionis, scilicet in præsenti, & in futuro virtuti obedientiæ, est enim clavis Paradisi aditum faciens ad omnem benedictionem. *op. diat. sal.tit. 4. c.2.& op.Bibl.paup.c.4.*

1261. *Perfecta obedientia est prompta, alacris, & in difficilibus.*

Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus, &c. Vide quàm perfecta fuit obedientia Abrahæ, in qua datur nobis nomen perfectæ obedientiæ, scilicet quod sit prompta, alacris, & in ordine ad ardua. *op.Comp.Theol. lib.5.c.9. & op. de perf.Relig.lib.2.c.4.*

1262. *Fides fortificat animam contra Mundum, & Diabolum.*

Egressus est itaque Abraham,&c. Quomodò tam arduum opus statim arripit Abraham? sed non est mirum; nam in eo vigebat fides maxima; hæc enim est virtus omnium aliarum fundamentalis: hæc facit hominem fortem, & constantem in bello vitiorum; unde mirum non est si Abraham hac virtute armatus, mundum, patriam, cognationem, domum Patris contempsit: hæc virtus nobilissima intellectum illuminat, animam purgat ab omni affectu terrenorum, & animam fortificat contra omnem impetum mundi, carnis, & diaboli. *ser.1. de plur. Martyr.*

1263. Fides

1263. *Fides absentia reddit præsentia.*

Egressus est itaque Abraham. Sed quo vadis, ubi sunt bona, quæ tibi tam liberaliter Deus promiserit? Ubi sunt bona ad vitam conservandam necessaria tibi, & tuæ Familiæ? Non est mirum, quod vir imbutus maxima fide ad horum nihil cogitaverit, quia fides verè innititur cum Deo omnium bonorum largitore: fides absentia præsentia facit, vidit hæc omnia credendo, sperando, & amando. *In Ioan.cap.8.v.53.& seq.*

1264. *Obedientia benedictionem à Deo meretur.*

Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. Notandum, quod Deus dixit; *Benedicam tibi,* scilicet in tempore futuro; sed quando hæc erunt ô bone Deus? sic poterat dicere Abraham, sed nihil horum dicit, sed obediendo se præparavit ad benedictionem; unde Deus remisit benedictionem suam ad tempus obedientiæ, & meritò, quia obedientia est fundamentum omnium benedictionum Dei: Ille enim à Deo benedicitur, qui obedit ei, & propter Deum facit quidquid facit. *In Luc.cap.24 v.50.*

1265. *Cultus Dei perfectus liberat à malis, & colens verè Deum, à Deo colitur ipse.*

Egressus est itaque Abraham, &c. Unde egressus? De Ur Chaldæorum, ubi vigebat Idololatria, egressus est ut Deũ securè coleret, ideò benedictionibus repletur, & à malis protegitur. Nota igitur, quod colimus Deũ adorando, & obediendo, & Deus nos colit purgando, exercendo, & liberando à tentationibus, & periculis. *In Ioan. coll.47.* Colimus Deum adorando, & ut culmen nostrum invocando; Colit nos Deus amando, tanquam agricola non cessans verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, & aperire cor nostrum tanquam sermonis aratro plantare semina præceptorum, & expectare fructum. *op.de dono pietatis c.2.*

1266. *Cultus Dei maximè floret in oblationibus factis super altare Deo dicatum.*

Et inde transgrediens ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen eius. Ante Abraham non legitur ædificatum Altare nisi à Noe post diluvium, sed ab Abraham pluries, & in pluribus locis plurima Altaria ædificata sunt, & hoc dictante Spiritu sancto, quia hæc fuit tertia ætas respondens tertiæ diei creationis, in qua terra germinavit: in hac tertia ætate synagoga cæpit florere in cultu Dei; & in multiplicatione cultuum Dei. Cultus autem Dei alius est interior, alius exterior, exterior consistit in oblationibus, sacrificiisque, adorationibus, & similibus, quæ sunt signa protestantia interiorem cultum, qui soli Deo debetur: hoc autem maximè exercetur super Altare, quod est ara alta, in qua figuratur elevatio mentis, & actuum ad Deum ipsum quasi culmen, & eorum invocando, & recognoscendo. *ser.15.Hexaem.op.de dono piet.c.2. & in Psal.25.*

1267. *Christus in hoc mundo fuit veluti peregrinus, ut nos veluti peregrini viveremus in hoc mundo.*

Descendit igitur Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, &c. Abraham mansit in pluribus regionibus: sed notandum, quod procedens in Ægyptum, dicitur ibi stetisse ut peregrinus. Cur in sola Ægypto dicitur peregrinari? Nota, quod in Abraham figuratur Christus, in Ægypto mundus; datque per hoc intelligere, quod Christus venit in Ægyptum hujus mundi veluti peregrinus, non enim hæc erat sua patria: voluit etiam per hoc nos docere, quod tanquam peregrini debemus vivere propter laborem, paupertatem, transitum, & remotionem à gratia. *op.Comp.Theol.lib.4.c.5.& in Psal.114. & in Luc.c.24.v.18.*

1268. *Per Mariam Virginem (tanquam nostram sororem) veniunt omnia bona nobis.*

Dic igitur, obsecro te, quod soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Abraham timens, ne aliquid sibi mali accideret propter Saram uxorem suam, cùm esset valdè pulchra: ideò voluit, ut diceret se esse suam sororem: sed cur hoc? Si Deus promiserat se futurum suum defensorem, & protectorem? Cur in hac trepidatione non recurrit ad Deum? Sed nota, quod Sara pulchra fuit figura Beatæ Virginis Mariæ pulcherrimæ inter omnes mulieres, quæ veluti soror nostra fuit in hoc mundo collocata, ut eum tota fiducia possemus ad ipsam recurrere, & similiter dicere; Dic, obsecro, ô Maria, quod soror nostra sis; ut propter te benè sit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivat anima nostra in Deo, & ut propter talem sororem Ægyptij Dæmones nos revereantur, & ut Angeli nobis in aciem conjungantur, & ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nostri misereantur. *op.spec.B.Virg.lect.6.* Vide ergo, ô homo, qualis sit soror hæc nostra, & qualia bona nobis per ipsam veniunt.

1269. *Adulterium etiam apud Gentiles abominabile.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Sed cur noluit Abraham, ut Sara appareret sua conjux? Nota rem mirabilem: sciebat, quod apud Ægyptios abominabile ita erat adulterium, quod potius eligerent occidere Abraham, ut possit Rex liberè ducere Saram, ideò voluit, ut appellaretur soror, ut vitam salvaret. *op.Bibl.paup.c.89.* Confusio ergo ex hoc oritur Christianis, qui sine fræno ullo, & tam facilè se præcipitant in adulteria: verè detestanda perversio est videre, quod immunditiam, quam detestatur Gentilis, & Idololatra, imò & Brutum, amplexetur Christianus, & homo. *ser.4. de Apost. & ser.1 Dom.24.post Pentec.*

1270. *Deus non est tentandus, sed ad remedia humana possibilia recurrendum.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Sed cur ad Deum non recurris ô Abraham? Cur non remittis exitum hujus rei ad divinam protectionem toties à te in tuis necessitatibus expertam? Et qua veritate poterit ipsa dicere se esse tuam sororem? Ergone mendacio vis te eximere à periculo? Nonne satius est, & Deo charius, ut potius subeas mortem, quàm Deum etiam minimo peccato offendere? sed respondetur, quod non dixit mendacium asserendo Saram esse suam sororem, quia eam diligebat ut sororem, & quia erat consanguinea, hocque medio voluit uti, ne videretur Deum tentare: vult enim

Deus,

Deus, ut quando possumus, ad media, & remedia humana, & ordinaria recurramus. *op. Bibl. paup. c.14.& 53. & in Luc.c.4.& in Sap.cap.1.*

1271. *Coniuges cum debita reverentia se mutuò tractent, & Vxor sit obediens Viro.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Vide, qua modestia Abraham hoc præcipit uxori, & quomodò uxor promptè obedit Marito. Vt addiscant uxorati, quomodò mutuò inter se, & qua humilitate, obedientia,& benignitate debent cohabitare. *op. Bibl. paup. cap.89.*

1272. *Cooperatores peccati eadem plectuntur pœna, qua principales peccatores.*

Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & omnem domum ejus plagis maximis. Cur etiam domus, scilicet servi, & familiares Pharaonis propter raptom Saræ flagellantur? Cur non solus Pharao? Respondet Chrysostomus, quia fuerunt Cooperatores cum Rege ad committendum hoc scelus, vel laudando pulchritudinem Saræ, vel coadjuvando, &c. Nec id mirum est: sic enim exigit justitia Dei, quia mali consiliarij, auxiliarij, & cooperatores ad malum sunt pseudoapostoli, milites, venatores Diaboli, ideò à Deo graviter puniuntur. *serm. 3. fer.2.Pasch.& serm.4. Dom.24.post oct. Pasch.& fer. 2. fer.4.Pentec. & fer.3.dom.4.post Pentec.& fer.3. dom.sexages.& in Luc.c.17.v.1.& 2.*

CAPVT XIII.

1273. *In regione, & statu peccati solùm cæcitas, & tenebræ vigent.*

Ascendit Abraham de Ægypto Ipse, & uxor, & Lot, ad australem plagam. Cur non remansit Abraham in terra fertilissima Ægypti? Nonne & poterat in illa terra alienigena vivere & juxta Dei præceptum? sed ibi non remansit, quia Ægyptus non erat locus à Deo sibi destinatus, nec suæ vitæ accommodatus, sed benè terra promissionis ad Australem plagam posita, & meritò justos recedit ab Ægypto, qui interpretatur tenebræ, & significat statum peccati, & peccatoris, qui ob peccati cæcitatem non videt, quid agere debeat, sed delectatione peccati obtenebratus ad omnia peccata est pronus. *fer.4. dom. 16. post Pentec.* Infelix igitur, qui in regione Ægypti habitat ut filius prodigus. *in Luc.cap.15.*

1274. *Iustus ascendit, Impius descendit.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Quomodò dicitur ascendere Abraham? Erat ne in aliqua fovea? sed nota, quod Ægyptus erat status peccatoris, qui ad Deum se convertens ascendit de tenebris ad lucem, & post ascendit ad australem plagam, scilicet de virtute in virtutem: Impius verò descendit de peccato in peccatum, & tandem in Infernum. O felix status ascendentium: Infelix descendentium. *fer.2.Dom.16.post Pentec.& fer.4. in Ascen.*

1275. *Christus ascendit multipliciter ad nostrum exemplum.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Nota, mysticè: hic est Christus, qui ascendit primò in crucem, secundò in Resurrectione de Lymbo, tertiò in Ascensione, ut nobis daret semper exemplum ascendens usque ad gloriam. *fer.4.in Ascens. & Psal.45.*

1276. *Derelinquentibus pro Christo temporalia, ab ipso Deo ipsamet redonantur.*

Erat autem dives valdè in possessione auri, & argenti. Nota, quod hic solùm dicitur Abraham fuisse dives valdè. Cur hoc? sed revoca in memoriam, quod Abraham reliquerat pro Deo omnia: Deus autem dupliciter ipsum benedixit, ut supra notatū est. *Benedicam tibi, & eris benedictus*: quænam est hæc duplex benedictio? Adverte, quod Deus dextera benedicit suos, cùm eis tribuit bona spiritualia, & sinistra, cùm dat temporalia. *fer.4.dom.Trinit. & Ps.66.& 128.* hac igitur duplici benedictione Deus ditavit Abraham in præmium, quod reliquerat patriam, patrem, & exierat de terra sua, &c.

1277. *Divitiæ, de se non sunt malæ, sed tantùm malè utentibus.*

Erat autem dives valdè. Quomodò inter sese cōpatiuntur divitiæ cùm sanctitate viri justi, si sunt spinæ, ut ait Christus, quæ animam vulnerant? sed adverte, quòd divitiæ de se non sunt malæ, nisi malè eis utentibus, horum enim strangulant animam. *op. Apol paup. resp. 3.c.3.& op. de paup. Christi qu.1. a.2.& in Luc.c.8.v.14.*

1278. *Gratias agere debemus pro beneficiis à Deo receptis corde, ore, & opere.*

In loco Altaris, quod fecerat priùs invocavit ibi nomen Domini. Vide justum statim ac liberatus fuit cùm suis rebus, & personis ab Ægyptiis obtulit sacrificium laudis ad Altare Domini pro collatis beneficiis, &c. Ita & nos gratias agere debemus corde, ore & opere pro bonis naturæ, quibus in esse subsistimus; pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur; pro bonis gratiæ, qua spiritualiter vivimus, & pro bonis gloriæ, quam aliquando habere credimus. Quid enim meliùs, quàm quod in corde geramus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias. Hoc nec aliquid breviùs dici potest, nec audiri leviùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. *fer.3. de una Virgine.*

1279. *Divitiæ lites, & invidiam generant.*

Sed & Lot, &c. fueruntque greges, & pecora, &c. Nec poterat eos capere terra, ut habitarēt simul, erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Sed quomodò non poterat eos capere terra? Ergone in illa Provincia, vel Regno, quæ erat terra promissionis, in quo post numerati sunt tot milliones, non poterant duæ familiæ simul cohabitare? At id non est mirum; quia eorum substantia erat multa; ubi enim sunt divitiæ temporales, ibi sunt bella, rixæ, lites, timores, sollicitudines, & ideò ubi est major quantitas divitiarum, ibi & majoris discordiæ causa major. *op. de prof. Religios. lib.2.c.17. & op. Phar. lib.3.a.22.& op. Bibl. paup. c.48.& 73.*

V 1280. Divitiæ

1280. *Divitiæ temporales quia deficientes non poſſunt ſimul replere vacuitatem plurium, ideò generant diviſiones: divitiæ ſpirituales è contra quia indeficientes ſimul pluribus ſatisfaciunt, ideò generant pacem, & unitatem.*

Nec poterat eos capere terra, &c. Cur non poterat eos capere terra? quia plures non poſſunt ſimul poſſidere divitias temporales, ſed eſt neceſſe tot facere portiones, quot participantes, hincque alter alteri invidet habenti, at divitiæ, & bona ſpiritualia è contra inſimul ſatisfaciunt deſideriis cordis, nec cultus participantium patitur detrimentum de abundantia alterius, quia ſimul Deo fruuntur qui omnia omnibus bonis implet. O felices qui in ſpiritualibus tantùm delectantur. *op. de prof. Religioſ. l.2.c.17. & op. Bibl. paup. cap. 48. & 73.*

1281. *Ubi multiplicantur pecora, ſcilicet, cupiditates, & beſtialia deſideria, ibi pax non eſt, &c.*

Nec poterat eos capere terra, unde facta eſt rixa inter Paſtores, &c. Vide quomodò ex multiplicatione pecorum, & beſtiarum orta eſt diſceſſio pacis, & concordiæ: Ut diſcas, quod multiplicatis pecoribus, & beſtialibus deſideriis fit rixa inter voluntates eorum, qui volunt paſcere ſua deſideria in pratis hujus mundi; & cùm omnibus non ſufficiat id pro ſuo libito, dividitur frater à fratre per invidiæ diſſidium: quæ pecora ſi pauca eſſent modico contenta eſſent: Diſce igitur frænare deſideria prava. *op. de prof. Relig. lib. 2. c. 17.*

1282. *Mitibus promittitur terra, immitibus aufertur.*

Et non poterat eos capere terra. Vide, quod ob lites, & rixas illa terra non ſufficiebat pro utriſque: Ejiciuntur ergo & privantur rixoſi, & immites à terra promiſſa gratiæ, & gloriæ: mites verò eam poſſidebunt. *op. de prof. Religioſ. lib. 2. cap. 17. & ſer. 1. in feſt. om. Sanct.*

1283. *Pauper Chriſti paucis contentus, dives mundi nunquam etiam plurimis contentus.*

Nec poterat eos capere terra. Cur hoc? Nota, quod dicitur de iſtis, *non poterat eos capere terra*, ſcilicet eorum deſideriis vaſtis ſatisfacere, tales ſunt divites, & cupidi hujus mundi. E contra pauperes paucis contenti, quia loco penuriæ Deum habent in corde, qui ideò appellavit tales pauperes beatos, quia quantò in terra anguſtiantur nihil cupientes, tantò in Cælis dilatabuntur. *op. de prof. Religioſ. lib. 2. cap. 17.*

1284. *Lites à ſervis Dei reſcindendæ, maximè à Prælatis Eccleſiæ, & præcipuè quando oriuntur cauſa rerum temporalium.*

Ne quæſo ſit jurgium inter nos, &c. Vide perfectam manſuetudinem viri juſti; daturque intelligi, quod à ſervis Dei maximè Prælatis Eccleſiæ non eſt litigandum, vel rixandum, imò reſcindenda ſunt ab ipſis toto conato odia, & rixæ cum aliis & inter alios maximè cauſa rerum temporalium ortæ, manſuetudoque exercenda. *In Luc. cap. 9. verſ. 56. & opuſc. Bibl. paup cap. 63.*

1285. *Rixoſi ſunt extra Eccleſiam veluti excommunicati.*

Ne quæſo jurgium ſit inter nos, fratres enim ſumus. Nota, ergo, ubi eſt fraternitas, ibi neceſſariò eſt pax, & concordia, Infer à deſtructione conſequentis, ergo ubi non eſt pax; ibi non eſt fraternitas: & cùm Eccleſia ſit Congregatio, & unitas fratrum, ſequitur, quod qui pacem non ſervat inter fratres extra Eccleſiam eſt, & ab ea ſeparatus. *ferm. 1. Hexaem. & ferm. 9. de Apoſtol.* Ergo qui pacem non ſervat, eſt apud Deum veluti excommunicatus, vel hæreticus, dicente Apoſtolo, *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreſes eſſe, &c.*

1286. *In diviſione temporalium Maior dividit, & Minor eligit.*

Ecce univerſa terra coram te eſt, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo. Vide quomodò Abraham volens ſeparari à Lot dedit ei optionem, ut eligeret partem, quam vellet; ut doceret in diviſione rerum ſpectare ad Majorem dividere, & ad Minorem eligere, ne habeat, quod conqueratur. *op. Bibl. paup. cap. 59.* ſic & S. Ambroſius.

1287. *Prælati in correctionibus primum locum dent non furori, & iræ, ſed manſuetudini.*

Ne quæſo ſit jurgium inter nos: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, &c. Sed cur Abraham tanquam major non ſeverè correxit Paſtores, & etiam Lot? ſed cum nimia manſuetudine in hoc facto voluit procedere, ut daret normam Prælatis Eccleſiæ, quod debent dare locum primum manſuetudini in corrigendo defectus ſubditorum, generoſus enim eſt animus hominis, faciliúſque ducitur, quàm trahatur: & hinc Rex apum non habet aculeum. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, ſatiſfacere ſingulis, & omnibus placere, multa indiget diſcretione, ut medium valeat tenere; & quia hoc medium difficillimè poteſt teneri, minus tamen deviat, ſi ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur ſubditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant. *In Luc. cap. 9. v. 16. & op. de ſex alis Seraph. cap. 7.*

1288. *Concordia reddit homines cæleſtes ſimiles Angelis Dei.*

Ne quæſo ſit jurgium inter nos. Cur hoc? quia fratres ſumus. Nota hic emphaſim horum verborum, *fratres enim ſumus*. Ergo fraternitatis ſtatus exigit remiſſionem rixarum? ſed ubi eſt hæc fraternitas niſi in Religionibus, & hinc ad ſimilitudinem confraternitatis cæleſtis inter Religioſos nulla debet eſſe contrarietas in affectu, nulla diſparitas in victu, nulla ſingularitas in veſtitu, ſed eorum concordia in moribus, & virtutibus eos conſervet, eorumque cor, & anima debet eſſe una. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4. cap. 4.*

1289. *Diabolus ſolùm timet concordiam, cujus Miniſtri ſunt rixoſi.*

Ne quæſo jurgium ſit inter nos: Fratres enim ſumus. Cur hanc admonitionem, correctionemque fecit

1305. *Diabolus cætera omnia libenter tribuit homini præter animam, quam exigit.*

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Quid est, *Da mihi animas*, cur non homines? Et quid est, *cætera?* sed figurativè sumitur hic pars pro toto, estq; dictum in persona Diaboli, qui ab homine non quærit totum, sed tantum partem, & talem quæ supereminet cæteris rebus, & hæc est anima, quæ in nobilitate excedit totum mundum, inde Diabolus continuè dicit, Da mihi animam cætera tolle tibi: onde aliquando interrogatus, quid pluris æstimatet, & desideraret: Respondit tria præcipuè, scilicet lunam primam, idest (c): totam solis idest (o), & ferrum molle idest (r) nempe cor, quod his tribus litteris exprimitur: Ergo in æstimatione Diaboli plus valet anima una, quàm totus Mundus. *op. diat. sal. tit. 1. cap. 1. & Psal. 39.*

1306. *Diabolus quærit animam nostram ad devorandum: Christus ad beatificandum.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Nota, quod continuè id dicitur nobis à Christo, & à Diabolo, sed diversa intentione: nam Christus quærit, & petit animas tanquam sibi de jure debitas, quia eas emit suo sanguine, easque vult ad sanctificandum & beatificandum: Diabolus è contra ad devorandum. *Psal. 39. & ser. 7. Dom. 1. Adv.*

1307. *Idem conceptus in exaltationem amoris Christi in nos, & detestationem odij Diaboli in animas.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Oh quam verum est, quod ista dicuntur à Christo, & à Diabolo, sed diverso fine: Christus quærit animas, cætera omnia despiciendo, ut eas salvet: Vide in huius rei confirmationem Christum inclinatum, & prostratum ante Iudam proditorem, in quo erat Diabolus, ut eius animam levatet cui ad cor pulsans dicebat, Da mihi animam, cætera tolle tibi. *In Ioan. coll. 60.* Vide ex opposito Diabolum omnia exhibentem super pinnaculum templi Christo, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut eius animam lucraretur ad perditionem. *In Luc. cap. 4.* Nec id est mirum, nam Diabolus est mercator pessimus, emere quærens animas nostras, & rapere qualibet pretiosa nostra, pulsat continuè ad cor, dicens Da mihi animam, cætera tolle tibi: Oh infelix commercium! *serm. 9. in Rogat.*

1308. *Paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, sed tantùm cum Cælo.*

Respondit Abraham levo manum meam ad Dominum, &c. Nota hic, Abraham recusasse omnia ipsi oblata à Rege Sodomorum: sed cur levando manum illas res renunciavit? Quia erat mos tunc tali elevatione manuum jurare ad Deum; idque fuit figura abrenunciationis omnium rerum factæ à Religiosis, per quam externoniam significatur, quod paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, omnia superflua abijciens, retinens tantùm necessaria, & ideò dicuntur ut abrenunciantes mundo aspectum ad Cælum, in quo suam sedem habent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 4.*

1309. *Oratio perfecta exigit operationes bonas.*

Levo manum meam ad Dominum. Quid est levare manum? Cur non potius dicit, levo vocem psallendo, levo cor amando, sed dicit, levo manum? Quia hic datur norma orantibus, qui non solùm vocem, non solùm cor, sed & opera bona debent levare ad Deum, hæc enim est perfecta Oratio. *fer. 2. Dom. 13. post Pentecost.* Nota igitur hanc conjunctionem, quia oratio sine operibus bonis, parum juvat, & bona opera sine oratione parum Deo placent.

1310. *Dives Cæli in Cælo thesaurizat: Dives Inferni in Mundo.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Nota, quod cum oblatæ fuissent multæ opes Abrahæ, eas Ipse renuncians dixit, *levo manum meam ad Dominum*; Quid est levo manum meam ad Dominum? Idem est ac dicere; In mundo nihil volo, sed thesauros meos in Cælo reposui, sic faciunt divites Cæli: Divites mundi è contra ad terrena inhiant, & nihil habent in Cælo, quia simul in Cælo, & in Mundo esse divitem est impossibile: Oh beatus dives in Deum qui abundat meritis, & operibus bonis, licèt sit inops rebus! *serm. 5. de uno S. Marty. & in Luc. cap. 12. v. 21.*

1311. *Paupertas Evangelica perfectior incomparabiliter paupertate antiquorum Patrum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quomodò laudatur Abraham de expropriatione rerum, cum possessor fuerit multarum opum? Quia fuit pauper spiritu, scilicet affectu, licet non rebus; unde nota, quod tres gradus habet contemptus divitiarum; primus, & est valdè imperfectus, est nihil habere injusti lucri, & reddere omnibus suum, faceteque eleemosynam ex proprijs rebus, nec abuti ipsis ad Dei offensam, & hic fuit in Abraham: secundus est retinere necessaria, & superflua renunciare: tertius est etiam pati in ijs quæ sunt necessaria, eisque uti cum penuria, & hi duo gradus sunt in sequentibus Christum, & in pauperibus Evangelicis: ex quo patet quàm perfectior sit paupertas Evangelica. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 42. & seq.*

1312. *Magnum beneficium Dei inducentis hominem ad contemptum divitiarum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quæritur, quarè Deus traxit suos ad contemptum divitiarum? Respondetur, quod est maximum Dei beneficium: primò enim, quia divitiæ retrahunt ab amore Dei, & Cæli, sunt enim divitiæ onera ad imum trahentia; secundò quia retardant à profectu virtutum, & ab itinere Cæli; tertiò ratione majoris meriti, cum sit ad perfectiorem imitationem filij Dei; quartò quia terrena substantia de se est contemptibilis, tum ex sui natura, quia terrea est, tum quia non est omninò necessaria; tum quia multorum patet invidiæ; tum quia multo labore, & sollicitudine acquiritur, & servatur, tum quia non satiat appetitum; tum quia est commune bonum bonis, & malis; tum qoia diu non perseverat. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 44.*



CAPUT XV.

1313. *Iuſtus ſolùm de Deo, & de peccato timet, nihil de hominibus.*

His tranſactis dixit Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum. Cur ſuadet Abraham Deus, ne timeat? Nonne timor Domini erat neceſſarius? Timor tunc inceſſerat in pectore Abrahæ (aiunt hic Aliqui Doctores) ne hoſtes ab ipſo victi iterum congregato exercitu denuò ipſum invaderent: ideò benigniſſimè Deus advertit nihil timere ab hominibus, homines enim nihil poſſunt contra eum, qui ſub Dei protectione vivit: unde Deus ut patet. 2. *Macab. cap.* 2. dicit, *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt:* Sed nota, quod timor eſt fuga, ne perdat homo, quod amat; hic timor alius eſt mundanus, quo homo timet nimis de amiſſione rerum temporalium, hunc Deus vult alienari à ſuis: eſt timor ſervilis timens magis pœnam, quàm culpam, eſtque cum affectu ad culpam, & hic eſt abjiciendus; eſt & timor initialis, qui removet peccatum ſed propter pœnam, eſtque imperfectiſſimus; eſt & filialis, qui eſt cum charitate, ſolùmque Deum timet, & peccatum. *op. de dono timoris cap.* 1. *& ſeq. & in Luc. cap.* 12. *v.* 5. *& cap.* 5. *v.* 10. *& ſer.* 1. *Dom.* 10. *poſt Pentecoſt.*

1314. *Spei, & confidentia in Deum effectus mirabiles.*

Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Cur addit Deus ad protectionem promiſſam etiam mercedem? Vt excitatet cor juſti ad perfectum actum ſpei, & fiduciæ in Deum, quæ facit hominem totaliter ſeipſo diffidere, & in Deum ſeipſum collocare, & ipſi inniti cum ſpe conſequendi, quod Deus promiſit in ſe confidentibus, & hæc fiducia in Deum firma operatur in anima mirabilia. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *q.* 4. *in corp. & in Luc. cap.* 5. *v.* 10. Sed hic ootanda ſunt verba Gloſſæ in hunc locum: *Ego protector tuus,* multam habet emphaſim hæc verba: Ego ſcilicet, qui te à Chaldæis evocavi, ego qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberavi, ego qui ſemel, atque iterum promiſi tibi, atque ſemini tuo daturum me terram hanc, ego qui in dies magis, ac magis omnibus clarum oſtendo, ego protego te, hoc ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo, propugnator fio, curam gero, omnia difficilia facilia tibi reddam, ego defendo te, & ero merces tua, ſcilicet, quia renontiaſti mercedem temporalem pro me, ego tibi mercedem dabo magnam, & valdè multam. Oh felix qui omnibus pro Chriſto renunciat, qui ſolùm in Deo, & de Deo confidit! *In Ioan. collat.* 74. *& ſer.* 3. *Dom.* 23. *poſt Pentecoſt. & op. Bibl. paup. cap.* 78.

1315. *Deus neſcit ſuis amicis parva largiri.*

Noli timere, ego protector, &c. Vide quomodò Deus neſcit parva largiri ſuis amicis, & quàm perfectus, & liberalis remunerator, & quomodò ſe oſtendit piiſſimum, & liberaliſſimum in ſe confidentibus. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *p.* 4. *& in Luc. cap.* 18. *v.* 29. *&* 30.

1316. *Intentio quanam perfecta, & quanam mercenaria.*

Noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Vide quomodò hic exprimit terminum intentionis perfectorum, nempe excitando eos ad ſpem puram mercedis increatæ: hoc enim diſcrimen eſt inter puram, & mercenariam intentionem, quia mercenaria reſpicit ad finem ultimum, ſed ſub ratione boni proprij, ſpes verò pura reſpicit Deum, & ad purum amorem ſummæ bonitatis. *lib.* 3 *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 5.

1317. *Inter meritum, & præmium eſt commenſuratio.*

Ego protector tuus ſum, &c. Nota hoc verbum, *merces tua*, & obſerva, quàm ſit munificentiſſimus Deus cum ſuis amicis: Patet enim ex hoc, quod Deus fecit pactum cum homine tribuendi præmium condignum operi facto in gratia pro eo, quod gratiæ, & gloriæ eſt quædam commenſuratio, & in Deo quædam obligatio non ex neceſſitate, ſed liberaliſſime mera, qua voluit promittere, & pactum firmare cum ijs, qui ipſum diligunt, quod ſeipſum mercedem eis retribueret, ut apparet in Abraham: unde *Matt.* dicitur *cap.* 20. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quia Deus unicuique ſe obligavit retribuere ſecundùm opera ſua. *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2 *q.* 3. *in corp.*

1318. *Solus Deus merces perfecta operum meritoriorum, non aliquid creatum.*

Ego merces tua, &c. Per hoc voluit Deus oſtendere ipſum ſolum eſſe perfectam mercedem, & ultimum finem, non aliquid creatum. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Quidquid igitur datur homini etiam ſi totus mundus, ſemper eſt præmium inferius, & non condignum operi meritorio, & pœnitentiæ. *op. Comp. Theol. lib.* 6. *cap.* 21. & per hoc Deus excitat hominem ad opera bona, & ad aſſumendum actus pœnitentiæ.

1319. *Amor perfectus Dei mirabilia operatur in anima Deum diligente.*

Ego protector tuus, & merces tua magna. Vide, quid efficit amor in anima Deum diligente: dum enim dicit ſe eſſe ſuum protectorem, & mercedem magnam, excitat eam ad amorem perfectum, ſimulque cùm ſit levis, & ſuavis amor Dei elevat mentem ab inferioribus, eam ſtatuendo ſupra ſeipſam in ſuperioribus, confert & ſpiritualem pinguedinem animæ, per quam non ſentit difficultates externas, & cum ſit ſuavis confert vitam Angelorum, & gloriæ: & hinc dicit ad animam, Ego protector tuus ſum, te alliciens cum jugo meo ſuavi, & merces tua magna nimis, cùm me ipſum in gloria videbis tanquam ſtipendium tuæ militiæ, ſed nimis, quia tuum gaudium uſque ad completam cognitionem non tibi ſubtrhao, ſed cum meum jugum ſuſtines parum in miſeria, qualis ero in gloria miſericorditer tibi commonico. *op. myſt. Theol. cap.* 2. *p.* 2 *ad* 5. *petitionem.* Oh quàm bonus, & ſuavis eſt dominus timétibus eum!

1320. *Prælatorum bonorum præmium magnum in Cœlo eſt paratum.*

Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna, &c. Abraham typum gerit Prælatorum idelt in perſona ipſius dicit Deus Prælatis ſecundùm voluntatem ſuam gubernantibus, Ego protector tuus, & merces tua magna, & plena. *In Luc. c.* 6. *v.* 23. oam

fecit Abraham suo nepoti Lot? Quia noverat vir justus Diabolū usum esse ministerio Pastorum ad rescindendam concordiam inter ipsos: Nec mirum, quia Diabolus in nobis continentiam non timet, nec abstinentiam. Ipse enim non præmitur carne, non cibo utitur, sed concordiæ nostræ nimis insidiatur, quia quod amisit Ipse in Cœlo, nititur ut Nos non servemus in deserto, nec Christus vult manere ubi charitas non est: meritò ergo dicebat Vir justus, *ne quaso sit jurgium inter Nos*, quasi dicat non scindamus vestem charitatis, quia non potest quis habere concordiam cum Deo, qui discors voluerit esse cum fratre. *serm.* 1. *& 2. in Epiph.*

1290. *Iusti solùm habent dexteram: Impij sinistram, quia dextera est prædestinatorum, sinistra reproborum.*

Si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo; si ad dexteram, ego ad sinistram pergam. Mirum est quomodò Abraham ostendit se contentum parte sinistra? Nonne hæc est præscitotum, & dextera prædestinatorum? Nota, quod per dexteram significantur prosperitates, per sinistram adversitates: item per dexteram locus prædestinatorum, per sinistram præscitorum: dicit igitur, si ad dexteram jeris, ego sinistram tenebo, nempe ego sinistram faciam dexteram, immobilisque semper cum Deo sive in prosperis, sive in adversis permanebo. *Diat. sal. tit.* 5. *cap.* 8. *& op. de Eccles. Hier. p.* 1. *cap.* 3. Iustis ergo nihil sinistrum habet, sed omnia sunt ad dexteram, scilicet omnia ordinat ad Deum, ad Cœlum &c. sic & S. Ambrosius.

1291. *Impij dicunt malum bonum, & bonum malum: Iusti idem dicunt, sed in diverso sensu.*

Si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo, si ad dextram, ego ad sinistram. Quomodò vir justus contentus est, vel dextera vel sinistra, & quomodò à sinistra ad dexteram, & è contra à dextera ad sinistram contentus est transire? Sed adverte, quod loquitur tanquam vir spiritualis luce cælesti illuminatus, quia enim inter carnem, & spiritum est, continua pugna, & dissensio animorum: Spiritus Christi dicit quod est carni dexterum, sinistrum est spiritui, & è converso: in quo enim delectatur caro, spiritus contristatur, & quod mundus reputat bonum, ego malum, & è converso: Hinc spiritus dicit, quod bonum, & dexterum est carni, id verè est malum spiritui, & quod malum & sinistrum est carni, id est bonum spiritui. E converso caro dicit quod est bonum spiritui, est malum carni, & quod malum est spiritui, hoc reputatur bonum caroi. *op. diat. sal. tit.* 5. *cap.* 8. *& op. stim. diu. am. p.* 3. *cap.* 14. *&* 15. *& op. de* 7. *donis c.* 5. Hinc (ait D. Hieron.) Apostolus *ad Galat. cap. ult.* sæpè repetebat. *Mibi mundus crucifixus est & ego Mundo*, id est mihi Mundus est abjectus, contemptibilis, maledictusque, & Ego, qui spiritu ambulo mundo, scilicet ego sum contemptibilis, & maledictus à mundo, par pari refertur, sed in fine videbitur, quis nostrum veram viam amplexatus fuerit.

1292. *Non potest esse pax inter spiritum, & carnem, nisi prius caro perfectè mortificata fuerit.*

Ne quaso sit jurgium inter Nos: fratres enim sumus, recede ergo à me. Sed quæ charitas est ista Abrahæ, dum vult Lot à se recedere? Cur non secum retinet nepotem? Sed jam dictum est, qood per Abraham significatur pars superior anime, & Spiritus, per Lot partem carnis: Vir justus ergo volens pacificare perfectè carnem, & spiritum, libereque degustare ea, quæ sunt spiritus Dei, dicit carni, recede à me, idest recedat sensualitas per mortificationem mediantibus vigiliis, jejuniis, & disciplinis, talique pacto caro, & spiritus pacificantur: Sic Christus in congressu suæ passionis pacificavit carnem, & spiritum, illam spiritui subjacendo, dicens, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. In Luc. cap.* 22. *v.* 42. *& op. stim. div. am. p.* 3. *cap.* 15. *& op. de dono Sap. cap.* 2.

1293. *Bona temporalia sunt solùm apparentia, non vera.*

Lot vidit omnem circa regionem Iordanis, &c. sicut Paradisus Domini, &c. Nota illam conditionalem (*sicut.*) Cur non dicit, erat Paradisus Domini? Quia tota felicitas erat tantùm in superficie, & apparens oculis corporis: Caduca namque, & fragilia, & puerilia sunt hæc temporalia bona, quæ subitò adveniunt, & subitò recedunt, & in nullo loco, nullaque persona stabilibus radicibus fixa consistunt. *ser.* 2. *de S. Barthol.*

1294. *Religiosus status est veluti Paradisus.*

Quæ universa irrigabatur sicut Paradisus Domini. Iam dictum est, quod bona temporalia sunt solùm apparentia, sed notandum, quod hæc verba possunt verè dici de statu religioso, qui irrigatur aquis cælestibus, & est veluti Paradisus Domini. *In Luc. cap.* 23. *v.* 43.

1295. *Felix est, qui in hoc mundo eligit sibi dexteram, etiam si videatur aspera, & difficilis: Infelix, qui eligit sinistram etiam si videatur plana, & suavis.*

Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, quæ irrigabatur veluti Paradisus Domini. Vide, quod Lot elegit sibi partem sinistram, quia ei visa est sicut Paradisus Domini, & reliquit dexteram Abrahæ nō tam fertilem, & copiosam: Vt autē pateat, quàm deceptus fuerit Lot in hac electione, notandum, quod Sacer Textus subdit, nempè quod in ea partè habitabant Sodomitæ pessimi, exitus autem probavit errorem Lot, quia illa tandem regio à justitia Dei fuit subversa, ex qua ejectus fuit ipse Lot cum sua familia, cum amissione omnium suorum bonorum, & morte pessima uxoris: & è contra Abraham à Deo protectus, & evectus ad visionem, & alloquutionem Dei, qui plurima mysteria abditissima ei revelavit. Hinc edificamus quod fœlix ille, qui dexteram prædestinatorum, & Christi sequacium in hoc mundo eligit, licèt à præscitis, & mundanis videatur via difficilis, & aspera, & veluti sinistra: Infelix è contra, qui sinistram in hoc mundo tecet, & si videatur

dextera, scilicet plana, facilis, & felicitatibus redundans, & veluti Paradisus Domini; nam in fine mali, & mundani cum robore, & pœna sinistram obtinebunt; Boni verò dexteram cum honore obtinuisse gaudebunt. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 3.*

1296. *Peccatum contra naturam omnium pessimum, opulentiaque rerum causa horum peccatorum.*

Homines autem sodomitæ pessimi erant. Cur pessimi? Et unde orta est hæc ipsorum pessima qualitas? Erant pessimi ob peccatum contra naturam, in quo involuti erant, in quod inciderant ob nimiam abundantiam rerum temporalium. *In Luc. cap. 17. v. 28. & op. Bibl. paup. cap. 130.*

1297. *Contemplativus est plenus oculis videns Deum, & omnia ordinando in Deum.*

Dixit Dominus ad Abraham, leva oculos tuos, & vide ad Aquilonem, Meridiem, Orientem, & Occidentem. Ad quid voluit Deus, ut Abraham respiceret ad omnes partes terræ? Nota illa antecedentia verba leva oculos tuos, per quæ, significatur elevatio mentis in Deum per contemplationem, istisque datur videre ad quatuor partes mundi; scilicet ad Aquilonem videt transgressionem peccati, ad Meridiem feruorem justitiæ divinæ, ad Orientem claritatem gloriæ, ad Occasum mortalitatem hujus vitæ, sicque contemplativus est plenus oculis ante, & retrò. *In Ioan. collat. 46.*

1298. *Iusti debent habere circumspectionem in ordine ad malum, & bonum.*

Leva oculos tuos, & vide ad Orientem, Meridiem, &c. Quid est hæc circumspectio, quam præcipit Deus viro justo? circunspectio hæc est spiritus, quam debet habere serviens Deo in ordine ad mala soleter cavenda, & ad bona patranda, unde dicitur, *declina à malo & fac bonum. ser. 1. dom. 12. post Pentecost.*

1299. *Fides elevat animam ad visionem invisibilium*

Leva oculos tuos. Abraham erat in loco alto: Cur ergo dixit, ut elevaret oculos, & non potiùs ut inclinaret oculos ad Aquilonem, Meridiem &c. Quia volebat ut elevaret oculos non corporis, sed fidei, & aspiceret per fidem ad ea, quæ oculis corporis sunt invisibilia, nempè ad bona Cœlestia, & per spem erigeretur ad ea expectanda. *In Luc. c. 21. v. 28.*

1300. *Qualis circunspectio requiratur in Prælatis,*

Leva oculos tuos, & vide ad Orientem, Aquilonem, &c. Cur præcepit Dominus Abrahæ ut ad omnem partem mundi dirigeret aciem oculorum? Nota, quod Abraham erat Prælatus. Voluit igitur Deus docere in Abraham omnes Prælatos, & Gubernatores circunspectionem providam faciendorum, in qua consistit sapientia Sanctorum, & quam Salomon petiit à Domino, debent enim providere, quæ ab ipsis agenda sunt, & qualiter: non enim bonum est bonum nisi benè fiat: debent quatuor præcipuè aspicere: primò quomodò in statu debito commissos suo regimini gubernet; secundò quomodò lapsos, & devios corrigat: tertiò exteriora negotia disponere debet; quartò quomodò in his se gerere debeat in ordine ad Deum, ad Proximum, & ad seipsum. *Op. de 6. alis Seraph. cap. 7.*

CAPUT XIV.

1301. *Bello justo favet Deus.*

Cum audisset Abraham Lot captum, &c. Vide, quomodò etiam apud justos exerceatur bellum, scilicet justum, & cui Deus favet: Ad quod requiritur primò authoritas Principis, secundò justa causa, tertiò intentio recta; nec teneetur bellum justum faciens inimicis suis pugnam prædicere, vel eos præmunire, vel præmonere *Op. Bibl. paup. cap. 82. & Op. spec. an cap. 1.*

1302. *Christus Rex, & sacerdos offerens panem, & vinum.*

Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos, &c. Nota quod Melchisedech fuit figura Christi qui fuit Rex, & sacerdos, & hoc sacrificium figura institutionis Eucharistiæ: *lib. 4. dist. 24. p. 1. art. 2. q. 3. & dist. 8. art. 1. q. 3. & Op. expos. Missæ cap. 4. & Op. Comp. Theol. lib. 6. cap. 12. & in Luc. cap. 22. v. 19.*

1303. *Christus in oblatione sui corporis, & sanguinis reconciliat nos Deo, conferens nobis indulgentiam peccatorum.*

Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum, &c. Iam dictum est, hunc Regem, & Sacerdotem figuram expressam fuisse Christi veri sacerdotis: Et hine notandum, quod non sine mysterio dicitur, *Rex Salem*, idest Pacis, quia Christus offerendo panem, & vinum, scilicet corpus suum, & sanguinem, suo patri nos pacificat, additque textus, *& benedixit ei &c.* quia sicut Pontifex benedicendo pœnitentem reconciliat cum Deo magnas dans indulgentias; sic & Christus in hac reconciliatione confert benedictionem communicanti, & Indulgentiam peccatorum. *Op. expos. Missa cap. 4.*

1304 *Decimarum solutio unde orta, & quid significat.*

Et dedit ei decimas ex omnibus. Vide unde ortum habuit solutio decimarum, quæ in Ecclesia fit Sacerdotibus ad ipsorum sustentationem, qui est actus moralis, sacramentalis, & figuralis: Vt moralis ordinatur solutio ad sacerdotum sustentationem; ut sacramentalis ad deletionem peccati originalis, ut figuralis, quia figurabat Christum, cui ob curationem factam humani generis deberet decima pars: & hinc in Ecclesia primitias temporum, & decimam, scilicet quadragesimam dierum Deo offerimus. *lib. 3. dist. 3. p. 2. art. 1. q. 1. & Psal. 93. & in Luc. cap. 15. v. 8.*

1305. Diabolus

13. nam benè agente populo unusquisque pro suo bono remuneratur, Prælatus autem pro bonis omnium. *In Luc. cap. 12. v. 44.*

1321. *Providentia Divinæ est innitendum.*

Noli timere, ego protector tuus, &c. Ideſt noli timere, quia nihil pati potes pro defectu auxilij, vel fine retributione præmij, quandiu adhæseris mihi: Ex qua promissione docemur, quod homo, & maximè justus, & Deo charus est immediatissimè sub protectione Dei, & ideò non debet confidere in rebus caducis, sed tantùm in Deo. *In Luc. cap. 12. v. 7.*

1322. *Pro pignore mercedis gloriæ dat Deus in hac vita suis Eucharistiam tanquam mercedem condignam.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Sed quando erit hæc merces ô bone Deus? si solùm post hanc vitam, quid mercedis in hac miseriarum valle dabis tuis amicis? Noli timere (ait Deus) Ego merces tua etiam in hac vita & quomodò? est Deus merces magna dando seipsum in Eucharistia: In hoc convivio exhibet Deus mercedem magnam nimis, scilicet inæstimabilem & interminabilem. *In Luc. cap. 14. v. 16.*

1323. *Deus est protector suorum in liberatione à malo, & merces in collatione boni.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Quænam differentia in his duobus promissis, scilicet in protectione, & mercede? sed nota, quod perfecta felicitas excludit omnem rationem mali, & involvit omnem rationem boni; Ideò dicit primò, protector tuus sum quoad liberationem à malo, & merces tua nimis quoad collationem omnis boni, dando enim seipsum, dat omne bonum. Oh quam benignus, & potens protector! quàm munifica merces. *Psal. 118. & in Luc. cap. 1. v. 4. & in sup. cap. 5.*

1324. *Deus in præsenti est protector noster, & in futuro merces.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ad quid copulat hæc duo, protector, & merces? Noone sufficiebat dicere, Ego protector tuus? Vel ego sum merces tua? sed vide Divinam largitatem in hominem: Homo prius degit vitam in hoc mundo pleno tot miserijs, & periculis, ideò indiget protectione, & provisione; In alia vita indiget beatitudine: hine dixit Deus, Ego protector tuus, scilicet in præsenti protegam te sicut Gallina pullos suos sub alis, nempè sub alis innocentiæ, & pænitentiæ, & qui sub his duabus alis non steterit, à milvo sevissimo Diabolo rapietur: Habita igitur, ô homo, & commorare sub his alis, ne à Diabolo rapiaris? In futuro verò erit Deus merces magna nimis, magna scilicet per humanitatem, & nimis per Divinitatem. *fer. 3. Dom. in septuag.*

1325. *Gloria, quam Deus præparavit est supra condignum, & inæstimabilis.*

Ego merces tua magna nimis. Cur dicitur, *nimis* Nonne præmium est condignum merito? Nimis verè, quia est supra condignum, quod Deus præparavit diligentibus se, nec fide capitur, nec spe attingitur, nec charitate comprehenditur, desideria, & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. *fer. 3. Dom. septuages. & op. soliloq. cap. 4.* Sic & S. Augustinus.

1326. *In Deo possidetur omne bonum, & hoc maximè in gloria.*

Ego merces tua, &c. Sed aliùnde præmium dabitur viro justo præter Deum? Nota, quod dicit, *merces tua magna nimis.* Quid est, *nimis*? scilicet per fruitionem Divinitatis, ut dictum est: In Deo ergo habetur perfecta beatitudo, quia cum illo solo omnia habentur dicente ipso, *Mecum sunt divitiæ, & gloria:* Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, & sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, & sine fatigatione laudabitur. *In Ioan. coll. 78.* Ad quid igitur desiderantur res creatæ? Cum Deum amo, non amo speciem, aut decus, non tempus, non candorem lucis istius amicum lucis, non dulces melodias, non ongueota suavitet redolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia, non hæc amo, non hæc habeo enim Deum amo, cum Deum possideo: sed quid? Amo, & possideo lucem quandam, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum, quendam amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ, quod non capit locus, ubi sonat, quod non capit tempus, ubi redolet, quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi hæret, quod non divellit satietas: Oh fœlix possessio amoris ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fœcunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas præmiorum, & honorum: O dulcedo amoris, ô fœlix amor dulcedinis, ô dives possessio, comedat te cor meum, & nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. *op. soliloq. cap. 1.* Animo igitur, ô anima, sæpè revolue, quod merces in Cælo tibi parata, si benè vivas, est magna nimis, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, vita sine defectione, laus sine cessatione: gaude, & exulta, ac mercedem laboris tui considera, quæ reveta est magna nimis, scilicet tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa, quod non potest æstimari, tam copiosa, quod non potest terminari, quia nec oculus vidit in hac vita perfectè, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *op. soliloq. cap. 4.*

1327. *In gloria cum diversitate præmij omnia omnibus beatis sunt communia.*

Ego ero merces tua magna nimis. Si Deus est merces magna nimis omnibus beatis, ergone erunt omnes cum æquali gloria? sed attende, quod licèt in domo illa cælesti sint diversæ mansiones gloriæ secundùm diversitatem meritorum, nihil tamen ibi ex inæstimabilis divinæ pietatis immensitate possidetur singulariter, omnia enim sunt omnibus communia. Ibi enim gaudebit Virgo de sanctæ viduitatis merito, ibi Vidua exultabit de castæ Virginitatis privilegio, ibi Confessor de Martyris jucundatur triumpho, ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio, ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione, ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide, & speculatione: Ibi Apostoli, & Angeli gaudebunt de merito omnium Inferiorum, ibi omnes Inferiores lætabuntur de glo-

sia,

ria, & corona superiorum: Ex illius enim sanctæ & perfectæ charitatis vinculo fiet, ut unusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio. Egredere igitur, ô anima, paulisper de papilione corporis, ut in otio stans videas Dei gloriam pertransire, & præsentis laboris ante oculos pinge mercedem. *op. solilog. cap.* 4. Nam si tantum gaudium habitura est anima quasi de alieno, quid est hoc quod hauriet de proprio? Quale gaudium, quanta gloria, quàm incomprehensibilis laus, & magnificentia habitura est à Trinitate sanctissima, à Sanctorum omnium societate felicissima, pro eo quod mundum tam potenter per gladium paupertatis, & indigentiæ debellavit; pro eo quod Diabolum pessimum tam fortiter per hostiam humilitatis, & obedientiæ effugavit; pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis motibus tam viriliter restitit, quanta laus pro his quos verbo, & exemplo ad meliora provocavit; quid plura? pro singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis specialem laudem suscipiet. *op. solilog. cap.* 4.

1328. *Christus fructus ventris Virginalis B. Mariæ protector noster & merces perfecta corporis, & animæ.*

Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Si delectatio est fruitio convenientis cum convenienti, & quia homo constat ex corpore, & anima, ergo Deus est merces animæ: quid remanet pro corpore, quod nullam convenientiam habet cum spiritu? sed attende Dei munificentiam. Ista merces magna nimis, & corpori, & animæ est Christus fructus uteri Virginalis: nam visio Divinitatis erit ad beatificationem animæ: visio humanitatis ex Virgine Maria assumptæ erit ad beatificationem corporis, & sensuum exteriorum, ut beatus sit ingrediens, & egrediens, & pascua inveniat: Erit igitur Christus mirabiliter delectans beatos per conjunctionem convenientis cum convenienti. *ser. 1. Dom. septuages. & in Ioan. coll.* 75. & 78.

1329. *Merces Beatorum fuit conclusa in sacculo humanitatis Christi.*

Ego merces tua magna nimis. Nota hæc dicta esse à Deo Abrahæ, & cuilibet justo. At, Domine, ubi invenitur hæc merces? In quonam sacculo reposita invenitur? Nota, quod hæc merces est Divinitas, quæ reposita fuit in sacculo humanitatis Christi, & ne aliquis esset, qui de hac mercede participaret, voluit ut à Iudæis perforaretur in Cruce hoc sacculum, ut ad omnes diffunderetur. Ad Christum igitur crucifixum recurre, in quo habebis omnem felicitatem, & mercedem. *fer. 6. Dom. 1. Adv.*

1330. *Sterilitas à Deo aliquando datur mulieribus ad Dei gloriam magnificandam.*

Et dixit Abraham quid dabis mibi? Ego vadam absque liberis. Promiserat Deus Abrahæ mercedem magnam, & ipse se videns sterilem in se, & in uxore, & ob id cum opprobrio sterilitatis dixit, *quid dabis mibi?* Attamen Deus ipsum certificavit, quod hæc sterilitas non foret in opprobrium, sed ad manifestandam Dei gloriam. *In Luc. cap. 1. v.* 7. Ex quo vide, quod Deus aliquando sterilitatem in aliqua familia immittit ad suam gloriam manifestandam, & dilatandam in posteris, vel in facultatibus temporalibus, ut continua experientia patefit.

1331. *Deus à paucis ad grandia procedendo infundit in hominem fidem, spem, & amorem.*

Non erit servus tuus hæres, sed qui egredietur de utero tuo. Vide quomodò Deus prænunriat hic prolem futuram Abrahæ: per quod patet quod Deus primò per facilia ad ardua credenda induxit Abraham: primò enim promittit filium & deinde Christum ex suo semine nasciturum: sic Deus ordinariè facit procedens à paucis ad grandia. *In Luc. c. 1. v. 13. & serm. 14. Hexaem.*

1332. *Ex fidei semine fructus mirabiles enascuntur.*

Suspice Cælum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, &c. Credidit Deo Abraham, quod filius ei nasciturus erat, quod ex ipso multiplicandi erant innumerabiles filij: quod Christus erat ex semine suo nasciturus, &c. per quod datur intelligi fœcunditas seminis fidei, & quod ex fide pullulationes innumerabilium fructuum procedant, nam ex hoc semine oritur illuminatio mentis, fiducia in Deum, & amor Divinus cum cæteris virtutibus Christianis. *ferm. 1. & 10. & 11. Hexaem.*

1333. *Deus expetit multiplicationem bonorum operum.*

Erit semen tuum, sicut stella Cæli? Cur non dicit sicut arena maris, sed sicut stellæ Cæli? Quia Deus vult, & æstimat multiplicationem non materialem, quia mali apud Deum nihil æstimantur, sed spiritualem per Christum promissum in merito, & bonis operibus significatis in stellis Cæli. *Psal. 37. & in Luc. cap. 11. v.* 28.

1334. *Apostoli sunt stellæ ornantes Cælum Ecclesiæ.*

Suspice Cælum, & numera stellas, &c. sic erit semen tuum. Quodnam est hoc semen? scilicet Christus nasciturus de semine Abrahæ, & quia Christus genuit Apostolos tanquam stellas ornantes Cælum Ecclesiæ, hinc dicuntur stellæ Cæli: stellæ inquam, illuminatæ, & illuminantes mundum virtutibus, & operibus sanctorum. *op. de Eccles. Hierar. p. 4. cap. 3. & serm. 9. in Pentecost.*

1335. *Fidei magnalia celebrantur in Abrahā.*

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam: Cur tam celebratur fides Abrahæ? Et quomodò reputata est ad justitiam suam? Quia fides Abrahæ fuit mirabilis: credidit enim rem valde difficilem, & supra cursum naturæ, imò quæ videbatur impossibilis, nempè ex sterili, & sene nasciturum filium, ex quo benedicendi erant populi: per quod invitamur ad eius imitationem, & edocemur quanta sit virtus fidei, cùm innititur promissis Dei, etiam in his quæ naturaliter videntur impossibilia *ap. Diet. salut. tit. 5. cap. 3. & op. Bibl. paup. cap.* 34.

1336 *In promissis Dei non est hæsitandum, etiamsi ratio naturalis dictet oppositum.*

Vnde scire possum Domine quod possessurus sim terram. Hæc dicit Abraham post promissa facta à Deo, ex quo videtur hæsitasse in sua fide, sicque contradixisse fidei suprapositæ: Quomodò ergo eius

ejus fides tam magnificatur? Nota nunquam Abraham hæsitasse in promissis Dei; hæc enim hæsitatio tollit effectus fidei, sed dubium propositum fuit Deo, ipso dictante, ut publicaretur hæc promissio Divina, & fides Abrahæ quæ, innitebatur Divinæ, non humanæ potentiæ, & ejusdem suspensionibus: Non sic fecit Zacharias, quando prædicta ei fuit conceptio Ioannis, qui verè hæsitavit innixus solùm humanæ potentiæ. *In Luc. c. 1. v. 18.*

1337. *Malæ cogitationes abigendæ præcipuè tempore orationis.*

Divisit animalia, per medium, descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham. Notandum, quod dum actu Abraham offerebat sacrificium Deo per immolationem animalium, venerunt volucres super cadavera &c. Per quod factum datur intelligi, quod sæpè tempore orationis, & sacrificij descendunt Dæmones vel malæ cogitationes, vel affectiones carnales ad cor nostrum, ut Deum offendamus, sanctosque Angelos præsentes, & conscientiam fordident, & sic pœnam mereamur: Vnde sicut Abraham eas abigebat, sic & nos eas abigere debemus. *Op. de perf. Relig.lib.2. cap.15.& in Ecclesi.cap.10. in fine.& in Psal.118.v.67.& 147.*

1338. *Per multiplicationem scelerum nimiam fit completa mensura Divina iustitia.*

Nondum completæ (vel ut legunt Septuaginta) *impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* Quid est hoc? Quæ impletio est hæc mensuræ scelerum Amorrhæorum? Ergone datur mensura limitata justitiæ Dei? Sed adverte, quod hæc completio, seu impletio significat plenitudinem culparum, & pœnarum sequentium; tuncque impletur hæc mensura, quando peccator existens in pertinacia, & multiplicatione peccatorum fit eorum consummatio, postquam Deus infallibiliter punit districtè, & severissimè. *In Thren. cap.1.& ser. 17. Hexaem.*

1339. *Deus non punit ex præscientia, sed tantùm ex præsentia culpæ.*

Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare tot sæcula, antequam ejiceret Amorrhæos à terra promissionis? Nonne præsciebat ipsos multiplicaturos iniquitates? Quia Deus non punit futura scelera, sed tantùm præsentia in dando enim, vel negando auxilia non respicit Deus ad peccata futura, sed ad idoneitatem præsentem. *In Psal.104.& lib.2. dist.29. a. 2. q. 1.*

1340. *Deus non fato, sed sua providentia gubernat mundum.*

Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare hanc completionem peccatorum, antequam ejiceret Amorrhæos? Vt daret intelligere, quod cum iniquitates dependeant à nostro libero arbitrio, non fato, sed sua ordinatissima prudentia gubernat omnia, ritèque, & rectè ordinat futuros eventus ex causa, non ex fato. *Op.Brevil.p.2.cap.4.& ser.3. Hexaem.*

CAPVT XVII.

1341. *Aviditas mulierum quanta.*

Sara non generat liberos, dixitque ad Abraham, ingredere ad Agar ancillam meam, ut saltem ex illa suscipiam filios. Vide ex hoc, quanta sit aviditas, & impatientia mulierum: Licèt enim certificata fuisset se parituram filium à Deo, tamen avida, & impatiens in expectando, voluit, ut Abraham ex ancilla sibi provideret filios, quos posset adoptare. *Op. Bibl. paup. cap. 12.*

1342. *Dispensatio data Abrahæ, & posteris fuit pluralitatis uxorum fuit facta ad multiplicationẽ cultorum, & cultus Dei.*

Qui ingressus est ad illam. Quæritur; quomodò posset Abraham sine Dei offensa rem habere cum Agar, cum haberet Saram Vxorem? Resp. in pluralitate uxorum Deum dispensasse Abraham & suos posteros in statu legis circumcisionis, & hoc quia pauci erant cultores Dei veri, ideò ut augeretur numerus cultorum Dei, id fuit permissum eis, & tunc istis præceptum erat, ut temperanter, non ob cupiditatem carnalem uterentur tali facultate. *lib.4. dist.33. art.1.q.3.*

1343. *Ex Christo nascuntur boni, & mali, Catholici, & Heretici per Baptismum.*

Qui ingressus est ad Agar ancillam, &c. Nota, quod ex Abraham descendit Isaac, & simul etiam geniti sunt filij ancillæ, per quod figuratum est, quod ex Christo per Baptismum oriuntur Catholici, & Hæretici, sed illi solùm sunt hæredes Christi, isti rejecti extra gremium Ecclesiæ. *l.4.dist.33. art.1.q.3.*

1344. *Mulierum inverecundia, & superbia damnabilis.*

At Agar concepisse se videns despexit Dominam suam. Vide, quàm propensa sit Mulier ad superbiam, & quàm damnabilis sit in ea inverecundia: hæc Ancilla statim ac vidit se concepisse, statim despexit Dominam suam: Nec id mirum est, quia sexus muliebris incautus, & mollis; Incautus, quia sæpè sine consideratione operatur; mollis, quia facilè flectitur vel de malo ad bonum, vel potius de bono ad malum. *In Luc.cap.1.v.24.& Op.Phar. lib.1.cap.8.*

1345. *Humilitas à Deo exaltatur, superbia deprimitur: ideò Beata Virgo tam exaltata.*

Dixit Angelus ad Agar fugientem à facie Dominæ suæ: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Nota, quod hic exprimitur discrimen inter Ancillam bonam, humilemque, & superbam; nam mala de fœcunditate inflatur, & ideò corrigitur, & punitur; Bona, & humilis, qualis fuit Beata Virgo, de humilitate fœcundatur, & sublevatur ad Divinam maternitatem, per quam Dominus se servum ipsius constituit. *Op. spec.B.Virg.lect.10.*

X 1346. Angelo

1346. *Angelorum proprium eſt reducere homines à malo ad bonum.*

Dixit Angelus, unde venis, & quo vadis? Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu ipſius. Vide, quale eſt minifterium Angelorum circa nos, nempè eorum proprium eſt reducere errantes in via ſalutis ad Deum,& ad ſtatum ſalutis: Oh quot cordi noſtro, dum erramus, pulſant dicentes, unde venis, aut quò vadis? Quid facis? *Op. de Eccleſ. Hier.p.1.cap.1.*

1347. *Prædicatores reducentes animas ad Deum, ſunt Angeli.*

Dixit Angelus ad eam unde venis, aut quo vadis? Revertere ad Dominam tuam. Quiſnam Angelus fuit iſte? Angelus ſcilicet nuncius à Deo miſſus: ergo qui mittuntur à Deo Prædicatores ad docendum, corrigendum, & convertendum animas à via erroris ad Deum ſunt Angeli Dei, iſtiſque dicitur Iſaiæ *cap.18. Ite veloces ad populum. Op. de Eccleſ. Hier.p.1.cap.1.*

1348. *Inſpirationes bonæ per Angelos nobis à Deo immittuntur.*

Dixit Angelus, unde venis, &c. revertere, &c. Nota hic Agar interpretatur Advena, ſignificatque animam, quæ in hoc mundo eſt peregrina; Sara interpretatur Princeps, eſtque Sapientia æterna, cui mens noſtra debet eſſe ſubjecta, dum autem tranſgreditur ejus præcepta, ecce quod per Angelos immittit inſpirationes ſanctas, ut revertatur ad Dominum ſuum, & humilietur ſub manu ejus. *ſer.de S.Michaele Archangelo.*

1349. *Hæretici crudeles hoſtes in Eccleſiam Catholicam.*

Iſmael erit ferus homo, manus eius contra omnes, & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula. Quid eſt è regione figer tabernaculum? Septuaginta legunt, *coram omnibus fratribus &c.* nempè, in facie, & contra fratres ſuos, ſignificatque hæreticos, qui de Chriſto nati per Baptiſmum, extra Eccleſiam tamen ejecti figunt tabernacula ſua, ſævi, & crudeles in ipſam pugnantes contra filios veros Eccleſiæ: Perſequotur autem Eccleſiam quoad doctrinam, gratiam, & vitam ſcilicet prædicando doctrinam falſam, & auferendo veram, & ſalutem animarum. *in Thren. cap. 2. & in Pſal.118. cap.6.v.6.& lib.4.diſt.33.art.1.q.3*

1350. *Iracundi, crudeles in proximum reprobati à Deo.*

Iſmael homo ferus, &c. Iſte cum matre fuit ejectus à domo Abrahæ, per quod ſignificatur, quod iracundi ob feritatem in fratres ejicientur de paterna hæreditate Dei *ſer.4.Dom.2.poſt Oct.Epiph.*



CAPUT XVII.

1351. *Religioſi tenentur tendere ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Vide, quod iſta verba videntur implicatoria, præcipit Deus Abrahæ,ut ambulet ſcilicet de virtute in virtutem, & ſimul quod ſit perfectus: Ergone poteſt quis ſimul, & ſemel per media incedere, & ad metam viæ pervenire? Ergone qui ambulat per viam perfectionis tenetur eſſe perfectus? Si eſt perfectus,ad quid tendere per viam ad terminum?Sed nota verba, & ſigna myſteria: Datur in his verbis intelligi, quænam ſit obligatio Religioſorum ad perfectionem tendentium, debent enim incedere ſemper ulterius ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti: & quomodò poteſt id fieri? ſed verte mentem ad Seraphim,quos vidit Iſaias ante Dominum,qui ſimul ſtabant,& volabant. Sic Religioſi debent in via perfectionis ſe cuſtodire à malis operibus, & ſe exercere in virtuoſis actibus tendendo de virtute in virtutem: Sic enim volant. Sed hoc non ſufficit, quia ſimul totis viribus debent exire in actus bonos cum omnimoda perfectione, ſcilicet abſque commixtione vel negligentiæ, vel corporis, vel alterius circumſtantiæ vitioſæ, hocque pacto erunt volantes,& ſimul ſtantes: erunt ſimul tendentes ad perfectionem, & perfecti. *Op. de Eccleſ.Hier.p.1.cap.2.per totum.*

1352. *Deus exigit à nobis perfectam in ipſum fiduciam,& tradit modũ eam acquirendi.*

Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ad eum, Ego Deus omnipotens. Supra Deus dixerat Abrahæ *ero tuus protector*; hic addit, *Ego Deus Omnipotens:* Cur hoc? Nonne hoc ſciebat vir perfecta fide imbutus? ſed nota, quod Deus intendebat excitare Abraham ad perfectiſſimam fiduciam, & confidentiam in ipſum, ideò ejus menti repetit, & imprimit ſuam omnipotentiam, dicens, Ego Deus Omnipotens, ſcilicet fidelis, & Omnipotens, in promiſſis; ſpes enim facit confidere, & expectare, & nemo rectè confidens confidit niſi in eo, qui nec poſſit, nec velit ſibi deficere, & talis eſt, qui eſt potentiſſimus in virtute, & munificentiſſimus in liberalitate, & à tali magna expectat juxta promiſſa facta. *lib.3. diſt.26.art.2.q.4.*

1353. *In via Dei laborans quieſcit, non laborans fatigatur.*

Ambula coram me, & eſto perfectus, &c. Si Deus eſt ubique, quomodò poteſt ambulare coram Deo, vel ceſſare? Id dicitur, quia vir juſtus debet ſemper in via perfectionis ambulare, & ambulando eſſe perfectus, & ſimul quieſcens in Deo. Notandum autem eſt, quod differenti modo proceditur in ambulando corporaliter, & ſpiritualiter; nam in aſcenſu corporali, quia caro infirma eſt, debet quieſcere aliquando: at in aſcenſu ſpirituali, quia ſpiritus promptus eſt, nunquam debet moram interponere, quia non quieſcere, eſt quieſcere animæ; quieſcere autem, & moram interponere eſt fatigari, & vires deperdere: in via enim Dei non ambulare, eſt retrocedere; dicitur igitur, *Ambula coram me*, ſcilicet ſine interpoſitione, &c. *Op. ſtim. div. am. p.3.cap.4.*

1354. *Maiorem perfectionem exigit Deus in ſtatu legis gratiæ, quàm antiquitus à ſanctis Patribus.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Nota, quod à Deo Abrahæ dictum eſt, *Ambula*, Nobis autem in ſtatu gratiæ dictum eſt, *ſic currite, ut comprehendatis.* Cur hoc diſcrimen? Cur inquam Antiquis ſufficiebat ambulare in via Domini, nobis autem præcipitur, ut curramus? Quia antiqui ſancti ambulabant quidem in via perfectionis, ſed onerati bonis temporalibus: at ſequaces

Evange

Evangelij, & Christi nudi nudum Christum currendo debeor sequi : In hujus veritatis signum legitur, quod B. Virgo cum festinatione ambulavit. Sic & sancti Apostoli. *Op. stim. div. am. p. 3. c.4 & in Luc.cap.1.vers.39.& serm.2.fer.4.Pentecost.*

1355. *Divina praesentia exercitium facit similem Angelis.*

Ambula coram me &c. Quomodò vir carne, & tot curis implicitus poterit semper coram Deo ambulare? Nonne hoc est munus Seraphin, qui coram Deo semper stant volantes, & volant stantes? sed nota quod potest idem facere homo exercitio Divinae praesentiae : hoc vult à nobis Deus, quia hoc exercitium facit nos similes Angelis Paradisi, nosque veluti impeccabiles reddit. *Op. de Eccles. Hier.p.1.c.2.& in Luc.c.9.v.57.* Vide quae suprà notata sunt de praesentia Dei ad *cap.5. v.42.Genesis.*

1356. *Progenitores Christi à Deo praerogativam Divinam acceperunt.*

Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham. Cur Abraham? Ad quid facta est haec additio? Nota, quod Abram interpretatur Pater excelsus : Abraham Pater excelsus multitudinis, & quia ex Abraham oriturus erat Christus, & generatio omnium praedestinatorum à Christo, hinc sicut Pater multitudinis verè dicitur Christus, sic & hoc nomen Progenitori Christi datum est : Seraph. Doct. *in Psal. 45.& Opusc. expos. Missa. cap. 4.*

1357. *Deus gradatim nos conducit ad altissimos gradus perfectionis.*

Faciam te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus Reges; ex te nascentur. Quarè Deus per has promissiones temporales, & non potiùs per spirituales privilegiavit eum quia Deus gradatim procedit in suis donis : quia per has temporales promissiones ducebat Abrahàm in fidem mysteriorum altissimorum, quae postea ipsi revelata fuere. *Ser. 14. Hexaem.*

1358. *Promissiones divinae sunt cum conditione observantiae praeceptorum suorum.*

Tu ergo custodies pactum meum &c. Quid est pactum? nihil aliud, nisi custoditio fidei, & observantiae legis corde, ore, & opere. Haec verò est conditio promissionum divinarum. *Psal.118.c.11.v.7.*

1359. *Praeceptum circumcisionis solum datum posteris Abrahae & Isaac.*

Circumcidetur ex vobis omne masculinum &c. Nota, quod praeceptum Circumcisionis datum est solùm Abrahae, & posteris, non caeteris nationibus: Vnde si aliquis circumcidebatur ex alienis, erat quidem utilis, sed ex superorogatione tantum. *l.4. d.1.p.2.dub.4.a.2.q.2.*

1360. *Ad quid instituta Circumcisio?*

Circumcidetur ex vobis &c. Ad quid praecepta fuit Hebraeis Circumcisio? & cur dicitur pactum? Resp. quod hoc sacramentum datum fuit Hebraeis, ut esset medium delendi peccatum originale, & conferebat gratiam ex opere operato masculis tantùm : nam oblatio in mulieribus sufficiebat, ut prius cum ipsis Iudaeis, & etiam cum caeteris gentibus. Hoc sacramentum datum fuit in signum distinctivum populi Israelitici, & Dei à caeteris, ut esset memoriale pacti à Deo initi cum Abraham de Incarnatione futura, & ejus semine, & ut per hoc mereretur redimi à peccato originali per merita Christi futuri. *l.4.d.1.p.2.dub.4.& a.2.q.2.& a.3.q.1.& 2.& d.3.p.1.a.1.q.3.ad 1.& op.sent.sententiarum l.4.d.1.*

1361. *Mortificationem requirit Deus in suis amicis.*

Hoc est pactum meum &c. Circumcidetur omne &c. Cur, cum Deus tanta dilectionis signa exhiberet Abrahae, & populo Israelitico voluit, ut jacturam corporis pateretur in ea parte, in qua circumcisio fit? Id voluit, ut significaret, quod ad observantiam legis divinae & ad conservandam dilectionem divinam requiritur mortificatio carnis & dimicatio contra carnem, & mundum : hocq; maximè exigit Deus à suis amicis, & charis magis, quam ab aliis: Vnde mirum non est, si amici Dei tot adversitatibus, & cruciatibus à Deo torqueantur, & probentur, ut aurum probatur, & purgatur per ignem. *fer. 4. de uno mart.op.de 7.itiner.ae.itin.4.a.3.op.med.vita Christi c.6.& 12.& fer.4.Dom.4.post.oct.Epiph. Psal. 118.c.7.v.10.*

1362. *Circumcisio spiritualis necessaria ad salutem.*

Hoc est pactum &c. Si hoc praeceptum datum dicitur pactum aeternum, cur non observatur à Christianis? Resp. fuisse abrogatam Circumcisionē corporalem per circumcisionem Christi, non verò spiritualem, scilicet mortificationem carnis. In quo sensu pronunciatur illa lex à Deo: Anima, quae non erit circumcisa peribit de populo hoc, scilicet Iustorum. *op.Comp. Theol.l.4.c.12. In Io. collat.37.Ps. 24.fer.2.& 4.de Circumcis.*

1363. Ad Circumcisionem non tenebantur mulieres : Vnde dicitur : *Circumcidetur masculus omnis.* Sed quomodò delebatur in mulieribus peccatum originale? Delebatur eo medio, quo in lege naturae, scilicet oblatione parentum. *l.4. d. 1.p. 2. a. 3. q. 2.*

1364. *Cur in octava die ordinata fuit Circumcisio?*

Infans octo dierum circumcidetur; Cur spatium octo dierum assignavit Deus? & si Infans obiisset infra octavum diem, quomodò justificabatur? Resp. Potuisse circumcidi ante octavum diem, sed lex obligabat, ut non differretur post octo dies sine peccato gravi : nec obligabat ante octavum diem, quia poterat per obligationem parentum Iustificari Infans: Ad octo verò dies ordinata fuit à Deo ad mysterium insinuandum, nempè quia significabatur per deletionem à culpa originali curatio Animae à miseria, & quia habetur tantum in altera vita post resurrectionem corporis significatam in octavario, hinc in octavo die fiebat Circumcisio. *l.4.d.1.p.2. dub.7.& a.3.q.2.& in Luc.c.2. v.21. & in lo.c.7.v.24.*

1365. *Iesus Christus pro peccatis circumciditur, ut nos ad ejus imitationem spiritualiter circumcidamur.*

Infans octo dierum circumcidetur. Quis Infans? Infans, scilicet Iesus Christus: Ecce ergo Iesus Christus

X 2

contra illos, qui curioſi, & vagi nimis ſe ingerunt in rebus, & factis Conſanguineorum, & ſæcularium. *In Luc.c.9.v.61.& fer.5. dom. infra octa. Epiph.& fer.1.Dom.ſeptuag.& ſerm.3.Domin.23.poſt Pentec.*

1245. *Religioſus debet vivere, ut alienigena in hoc mundo.*

Egredere de terra tua. Sed cur hoc? Nonne poterat Abraham vivere cum juſtitia etiam in terra propria? quia voluit, ut daretur intelligi cuicumque homini, quod debet vivere ut peregrinus in hoc mundo; ſed præcipuè Religioſis id dicitur, qui ut alienigenæ debent vivere in hoc mundo, & dimittere non ſolùm habitum, ſed & mores, & geſtus ſæculares, & ſicut alienigenæ, non manent; ſed tranſeunt loca verſus patriam, ſic & Religioſus & corpore, & corde tranſire debet ad aliam vitam, ſcilicet ſpiritu verſus patriam cæleſtem. *In Luc.c.17.v.18. & 19.* Vult ergo Deus Religioſos homines veluti extra hunc mundum poſitos, alienoſque à cupiditatibus & affectionibus terræ. *Ibid.*

1246. *Deus vult, ut quilibet Chriſtianus renunciet Mundo, Carni, & Diabolo.*

Egredere de terra, &c. Nota, quod in hoc præcepto Abrahæ involuitur id, quod cuicunque baptizando intimatur. Abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis ejus, ſcilicet Mundo, Carni, & Diabolo: nam per terram intelligitur Mundus, per cognationem caro, & per Patrem diabolus, quæ abdicanda ſunt à nobis per pœnitentiam, ſic enim avaritia, luxuria, & ſuperbia à nobis longè erit, unde Chriſtus ad noſtrum exemplum voluit naſci de Virgine contra luxuriam, pannis involuſ contra avaritiam, & in ſtabulo poni contra ſuperbiam. *ſerm. in Vigilia Nat.*

1247. *Obſervantia Conſiliorum Evangelij antiquis ignota: nobis per Chriſtum notiſſima, & propoſita.*

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. & veni in terram, quam monſtravero tibi. Sed in quam terram? Cur eam non nominat? Ut daretur intelligi, quod via, quam in plenitudine temporum monſtraturus erat Deus hominibus, erat ignota tunc; & quænam eſt via obſervantiæ conſiliorum Evangelicorum. Hanc voluit Deus in figura oſtendere Abrahæ, ſed poſtea patenter Chriſtus eam nobis calcandam oſtendit. *ſerm. 2. de S. Antonio Patav.*

1248. *Promptitudo ad omnem nutum divinum omnimoda exigitur à Deo in ſuis ſequacibus.*

Egredere de terra, &c. & veni in terram, &c. Nota, quod Deus non exprimit, quænam ſit hæc terra, in quam vult, ut Abraham pergat: Cur hoc? quia voluit ab hoc viro perfecto, & vult à Religioſis, ut continuè ſtent accincti ad omnem nutum divinæ voluntatis in itinere perfectionis, & Sanctorum operum. *in Luc. cap.17. verſ. 18. & 19.* Sic & D. Baſilius.

1249. *Deus ut agens ordinatiſſimum omnia veteris legis ordinavit ad Chriſti Adventum futurum præfigurandum.*

Faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi. Nota, quod hæc fuit tertia ætas mundi correſpondens tertiæ diei creationis rerum, in qua germinavit terra, & tertiæ ætati hominis, ſcilicet adoleſcentiæ, in qua vis generativa incipit exire in actum, & ideò Abrahæ ordinata fuit Circumciſio, & facta promiſſio de Chriſto venturo ex ejus ſemine. *ep. Brevil. in proœm. & ſer. 16. Hexaem.*

1250. *Status Religionis eſt terra viventium, & benedictionis divinæ.*

Et veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Iam dictum eſt, hæc omnia contigiſſe in figura ſtatus futuri legis gratiæ, ſed quænam eſt hæc terra, in quam percipit Deus viro juſto, ut pergeret, & ut obtineret tot bona promiſſa? Hæc eſt terra viventium, ſcilicet ſtatus Religioſus, ait Gloſſa, Religio enim eſt nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata & alta: Nota, quod dicit, *faciam te in gentem magnam.* Quænam eſt gens hæc magna? Gens magna ſunt Angeli: ſic & Religioſi viri ſunt Angeli aſcendentes, & deſcendentes. *In Ioan. collat. 10.* In hoc ſtatu eſt conſummata perfectio Eccleſiæ militantis. *ſer. 16. & 22. Hexaem.* Vultis igitur ſcire, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina tot prærogativas, & benedictiones mereatur, & ſecundum baptiſma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſmodi converſatio profeſſores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit: imò divinam in homine reformat imaginem configurans eos Chriſto inſtar baptiſmi, dum per id quod mortificant membra ſua, rurſum Chriſtum induunt complantati ſimilitudini mortis ejus. *opuſc. Apol. paup. reſp. 1. c. 3.*

1251. *Deus benigniſſimus nihil nobis adimit; quin abundantiſſimè retribuat.*

Faciamque te in gentem magnam, &c. Vide ex hoc, quod cùm Deus præceperit Abrahæ exitum de terra patria, & cognatione ſua, qua homini nihil amabilius; tamen benigniſſimè mitigat hunc rigorem promiſſis ampliſſimis. Promiſit enim ipſi & poſteris terram promiſſionis à fluvio Ægypti ad flumen magnum Euphratem. *In Sap. c. 12. & 18. & in Luc. c. 1. v. 73.*

1252. *Ille magnus, & felix cuius Dominus Deus eius.*

Faciam te in gentem magnam. Cur non dixit in gentem multam? quia ille magnus eſt, qui Deum colit, & cujus Dominus ejus: qui enim Deum habet omnia cum Deo poſſidet. *In Luc. c. 10. v. 22. & c. 12. v. 31. & in Thren. c. 1.* Sic & Robertus Abbas *lib. 5. c. 5.* Ratio autem eſt, quia ſolùm boni à Deo computantur, mali autem ſunt ex abundanti, & apud Deum veluti non computati. *In Sap. cap. 10. & lib. 1. diſt. 46. quaſt. ult. in fine corp.* unde dicitur Iſaiæ, *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti*

magnificasti lætitiam. Phar. lib.1. cap. 22.

1253. *Apud Deum plus æstimatur unus iustus, quàm innumerabiles peccatores.*

Faciam te in gentem magnam: Cur non dicit multam; sed magnam: quia apud Deum est in æstimatione magnitudo virtutis, non multitudo gentis: plus enim pensat Deus vitam unius iusti, quàm animam innumerabilium peccatorum, & præponderat salvationem unius iusti damnationi innumerabilium. *lib.3.dist.20. art.1.quæst.3. & dist. 40. art.1.q.2.*

1254. *Iudæis promissa sunt temporalia, Christianis spiritualia.*

Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c. Cur Deus promittit temporalia, & non potius spiritualia? quia lex scripta erat lex carnis: post Christum verò est de bonis spiritualibus: unde per Christum Abrahæ promissum, hæc omnia promissa adimpleta sunt spiritualiter in Ecclesia, *op.Apol.paup.resp.3.c.3.*

1255. *Benedictio Dei affert omne bonum.*

Et benedicam tibi,&c. In quonam bono consistit hæc benedictio promissa? Consistit in bonis temporalibus, spiritualibus, & æternis: unde benedictio temporalis sine spirituali parùm confert, sed benedictio Dei omne bonum communicat. *ser.5. de una Virgine*, & hæc benedictio descendit ad omnes imitatores virtutum Abrahæ, qui spiritualiter dicuntur filij Abrahæ. *In Luc.c.1.v.42.& 54. & ser.Dom.post oct.Epiph.*

1256. *Dei protectio qualis in cultores perfectos sui nominis.*

Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. In quonam consistit hæc magnificatio Abrahæ? Nota qualem protectionem habet Deus perfectorum suorum cultorum, magnificatus est non solùm per augmentum suæ famæ, per totum mundum, sed & quia ipsum ab inimicis defendit, & eum præservavit ab Idololatria imò in eius nomine voluit Deus comprehendere suum ipsius nomen, appellando seipsum Deum Abraham ex quodam privilegio amoris per cultum Religionis. *In Psal.45.& in Sap. cap.10.* Vide igitur quodnam privilegium est viri iusti, qui verè potest dicere, servus tuus sum ego, scilicet mandata tua observando, & custodiendo, obediendoque, ideò tous sum ego, scilicet non meus, sed tuus, scilicet in tuis mirabilibus, in quibus sum attonitus, in tuis credibilibus, in quibus sum subditus, & in tuis delectabilibus, in quibus sum irretitus. *Psal.118.c.6.v.18. & c.8.v.13.*

1257. *Benedictio divina differt ab humana.*

Benedicam tibi,&c. Quodnam est hoc præmium Abrahæ à Deo promissum? Vide quomodò Deus postquam promisit Abrahæ, quod magnificandus erat apud homines (hæc est benedictio humana) subdit, *& benedicam tibi* scilicet augendo numero, & merito: per multiplicationem; scilicet posterorum, iustorum, & meritorum; & hæc est benedictio Dei valdè differens, & eminentior humana: hæc enim pro nihilo reputanda, quia iudicium humanum cæcum est frequentiùs, & ignorat veritatem, & fallitur sæpissimè. *Psal. 27. & op. de Instit.Novit.p.2. cap.10. & op. Phar. l.4.c.47. & in Luc.c.18.v.11.*

1258. *Benedictio Dei ineffabilia, & inexplicabilia bona affert.*

Benedicam tibi, & eris benedictus. In quibus bonis consistit hæc benedictio? Id non exprimitur, sed ponitur indefinitè, & meritò, quia erat veluti inexplicabilis, quia Deus eùm plene benedicit iustum, ipsum benedicit in mundo per propitiationem, remissionemque culparum, & collatione gratiæ, in extremo defendendo ipsum ab hostibus, securum exitum animæ tribuendo, & in Cœlo per collationem gloriæ. *ser.1.de uno Confess.* Bona sunt hæc, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascenderunt, cum sint ineffabilia, & inexplicabilia. *Ibidem.*

1259. *Non sufficit, ut Deus gratiam offerat, nisi voluntas liberè acceptet.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur additur, erisque benedictus? Nonne sufficiebat dicere Benedicam tibi? Si enim Deus contulit benedictionem suam Abrahæ, nonne ad ipsum debebat terminare? Sed nota, quod non sufficit, ut Deus exhibeat adulto sua dona, & gratias, sed requiritur dispositio liberi arbitrij ea volentis recipere, ob idque conformitas voluntatis humanæ ad divinam. *lib.2.dist.4.a.1.q.2.ad 4.& lib.4.dist.4.p.1.a.2. q.2.ad 2.& p.2.a.1.q.1.in argum.*

1260. *Obedientia clavis Paradisi.*

Benedicam tibi, erisque benedictus. Cur repetit benedictionem? quia debetur hæc repetitio benedictionis, scilicet in præsenti, & in futuro virtuti obedientiæ, est enim clavis Paradisi aditum faciens ad omnem benedictionem. *op. diæt. sal.tit. 4. c.2.& op.Bibl.paup.c.4.*

1261. *Perfecta obedientia est prompta, alacris, & in difficilibus.*

Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus, &c. Vide quàm perfecta fuit obedientia Abrahæ, in qua datur nobis norma perfectæ obedientiæ, scilicet quod sit prompta, alacris, & in ordine ad ardua. *op.Comp.Theol. lib.5.c.9. & op. de perf.Relig.lib.2.c.4.*

1262. *Fides fortificat animam contra Mundum, & Diabolum.*

Egressus est itaque Abraham,&c. Quomodò tam arduum opus statim arripit Abraham? sed non est mirum; nam in eo vigebat fides maxima; hæc enim est virtus omnium aliarum fundamentalis: hæc facit hominem fortem, & constantem in bello vitiorum; unde mirum non est si Abraham hac virtute armatus, mundum, patriam, cognationem, domum Patris contempsit: hæc virtus nobilissima intellectum illuminat, animam purgat ab omni affectu terrenorum, & animam fortificat contra omnem impetum mundi, carnis, & diaboli. *ser.1. de plur. Martyr.*

1263. *Fides*

1263. *Fides abſentia reddit præſentia.*

Egreſſus eſt itaque Abraham. Sed quo vadis, ubi ſunt bona, quæ tibi tam liberaliter Deus promiſit?Ubi ſunt bona ad vitam conſervandam,neceſſaria tibi, & tuæ familiæ? Non eſt mirum, quod vir imbutus maxima fide ad horum nihil cogitaverit, quia fides verè innititur cum Deo omnium bonorum largitore:fides abſentia præſentia facit, vidit hæc omnia credendo, ſperando, & amando. *In Ioan.cap.8.v.53.& ſeq.*

1264. *Obedientia benedictionem à Deo meretur.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus. Notandum, quod Deus dixit, *Benedicam tibi*, ſcilicet in tempore futuro, ſed quando hæc erunt ô bone Deus? ſic poterat dicere Abraham, ſed nihil horum dicit, ſed obediendo ſe præparavit ad benedictionem; unde Deus remiſit benedictionem ſuam, ad tempus obedientiæ, & meritò, quia obedientia eſt fundamentum omnium benedictionum Dei: Ille enim à Deo benedicitur, qui obedit ei,& propter Deum facit quidquid facit. *In Luc.cap.14.v.50.*

1265. *Cultus Dei perfectus liberat à malis, & colens verè Deum,à Deo colitur ipſe.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c. Unde egreſſus? De Ur Chaldæorum,ubi vigebat Idololatria, egreſſus eſt ut Deũ ſecurè coleret, idcò benedictionibus repletur, & à malis protegitur. Nota igitur, quod colimus Deũ adorando,& obediendo, & Deus nos colit purgando,exercendo,& liberando à tentationibus,& periculis. *In Ioan. coll.*47. Colimus Deum adorando,& ut culmen noſtrum invocando;Colit nos Deus amando, tanquam agricola non ceſſans verbo ſuo extirpare mala . ſemina de cordibus noſtris, & aperire cor noſtrum tanquam ſermonis aratro plantare ſemina præceptorum, & expectare fructum. *op.de dono pietatis c.2.*

1266. *Cultus Dei maximè floret in oblationibus factis ſuper altare Deo dicatum.*

Et inde tranſgrediens ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen eius. Ante Abraham non legitur ædificatum Altare niſi à Noe poſt diluvium,ſed ab Abraham pluries, & in pluribus locis plurima Altaria ædificata ſunt,& hoc dictante Spiritu ſancto, quia hæc fuit tertia ætas reſpondens tertiæ diei creationis,in qua terra germinavit:in hac tertia ætate ſynagoga cœpit florere in cultu Dei; & in multiplicatione cultuum Dei. Cultus autem Dei alius eſt interior,alius exterior,exterior conſiſtit in oblationibus,ſacrificiiſque,adorationibus,& ſimilibus, quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur: hoc autem maximè exercetur ſuper Altare, quod eſt ara alta, in qua figuratur elevatio mentis, & actuum ad Deum ipſum quaſi culmen,& centrum invocando,& recognoſcendo. *ſer.15.Hexaem.op.de dono piet.c.2. & in Pſal.25.*

1267. *Chriſtus in hoc mundo fuit veluti peregrinus, ut nos velut peregrini vivere mus in hoc mundo.*

Deſcendit igitur Abraham in Ægyptum,ut peregrinaretur ibi,&c. Abraham manſit in pluribus regionibus:ſed notandum, quod procedens in Ægyptum,dicitur ibi ſteriſſe ut peregrinus. Cur in ſola Ægypto dicitur peregrinari?Nota, quod in Abraham figuratur Chriſtus,in Ægypto mundus; datque per hoc intelligere, quod Chriſtus venit in Ægyptum hujus mundi veluti peregrinus, non enim hæc erat ſua patria:voluit etiam per hoc nos docere, quod tanquam peregrini debemus vivere propter laborem,paupertatem,tranſitum,& remotionem à gratia. *op.Comp.Theol.lib.4.c.5.& in Pſal. 114.& in Luc.c.24.v.18.*

1268. *Per Mariam Virginem (tanquam noſtram ſororem) veniunt omnia bona nobis.*

Dic igitur, obſecro te,quod ſoror mea ſis, ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Abraham timens, ne aliquid ſibi mali accideret propter Saram uxorem ſuam, cùm eſſet valdè pulchra: ideò voluit, ut diceret ſe eſſe ſuam ſororem: ſed cur hoc? Si Deus promiſerat ſe futurum ſuum defenſorem,& protectorem?Cur in hac trepidatione non recurrit ad Deum?Sed nota,quod Sara pulchra fuit figura Beatæ Virginis Mariæ pulcherrimæ inter omnes mulieres, quæ veluti ſoror noſtra fuit in hoc mundo collocata, ut cum tota fiducia poſſemus ad ipſam recurrere,& ſimiliter dicere;Dic, obſecro, ô Maria, quod ſoror noſtra ſis; ut propter te benè ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivat anima noſtra in Deo, & ut propter talem ſororem Ægyptij Dæmones nos revereantur, & ut Angeli nobis in sciem conjungantur, & ut Pater,& Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur. *op.ſpec.B.Virg.lect.6.* Vide ergo,ô homo, qualis ſit ſoror hæc noſtra, & qualia bona nobis per ipſam veniunt.

1269. *Adulterium etiam apud Gentiles abominabile.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur noluit Abraham, ut Sara appareret ſua conjux?Nota rem mirabilem:ſciebat, quod apud Ægyptios abominabile ita erat adulterium, quod potius eligerent occidere Abraham, ut poſſit Rex liberè ducere Saram, ideò voluit, ut appellaretur ſoror, ut vitam ſalvaret.*op.Bibl.paup.c.89.* Confuſio ergo eſt hoc otitur Chriſtianis,qui ſine fræno ullo, & tam facilè ſe præcipitant in adulteria: verè deteſtanda perverſio eſt videre, quod immunditiam,quam deteſtatur Gentilis, & Idololatra, imò & Brutum, amplexetur Chriſtianus, & homo. *ſer.4. de Apoſt. & ſer.1.Dom.24.poſt Pentec.*

1270. *Deus non eſt tentandus, ſed ad remedia humana poſſibilia recurrendum.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis,&c. Sed cur ad Deum non recurris ô Abraham? Cur non remittis exitum hujus rei ad divinam protectionem totis in tuis neceſſitatibus expertam?Et qua veritate poterit ipſa dicere ſe eſſe tuam ſororem?Ergone mendacio vis te eximere à periculo? Nonne ſatius eſt,& Deo charius,ut potius ſubeas mortem, quàm Deum etiam minimo peccato offendere? ſed reſpondetur,quod non dixit mendacium aſſerendo Saram eſſe ſuam ſororem,quia eam diligebat ut ſororem, & quia erat conſanguinea, hocque medio voluit uti, ne videretur Deum tentare: vult enim Deus,

Deus, ut quando possumus, ad media, & remedia humana, & ordinaria recurramus. *op. Bibl. paup. c.14.& 53.& in Luc.c.4.& in Sap.cap.1.*

1271. *Coniuges cum debita reverentia se mutuò tractent, & Vxor sit obediens Viro.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Vide, qua modestia Abraham hoc præcipit uxori, & quomodò uxor promptè obedit Marito. Vt addiscant uxorati, quomodò mutuò inter se, & qua humilitate, obedientia, & benignitate debent cohabitare. *op. Bibl. paup. cap.89.*

1272. *Cooperatores peccati eadem plectuntur pœna, qua principales peccatores.*

Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & omnem domum ejus plagis maximis. Cur etiam domus, scilicet servi, & familiares Pharaonis propter raptum Saræ flagellantur? Cur non solus Pharao? Respondet Chrysostomus, quia fuerunt Cooperatores cum Rege ad committendum hoc scelus, vel laudando pulchritudinem Saræ, vel coadjuvando, &c. Nec id mirum est: sic enim exigit justitia Dei, quia mali consiliarij, auxiliarij, & cooperatores ad malum sunt pseudoapostoli, milites, venatores Diaboli, ideò à Deo graviter puniuntur. *ferm. 3. fer.2.Pasch.& ferm.4. Dom.24.post oct. Pasch.& fer. 2. fer.4.Pentec.& fer.3.dom.4.post Pentec.& fer.3. dom.sexagef.& in Luc.c.17.v.1.& 2.*

CAPUT XIII.

1273. *In regione, & statu peccati solùm cæcitas, & tenebræ vigent.*

Ascendit Abraham de Ægypto Ipse, & uxor, & Lot, ad australem plagam. Cur non remansit Abraham in terra fertilissima Ægypti? Nonne & poterat in illa terra alienigena vivere & juxta Dei præceptum? sed ibi non remansit, quia Ægyptus non erat locus à Deo sibi destinatus, nec suæ vitæ accommodatus, sed benè terra promissionis ad Australem plagam posita, & meritò justos recedit ab Ægypto, qui interpretatur tenebræ, & significat statum peccati, & peccatoris, qui ob peccati cæcitatem non videt, quid agere debeat, sed delectatione peccati obtenebratus ad omnia peccata est pronus. *fer.4. dom. 16. post Pentec.* Infelix igitur, qui in regione Ægypti habitat ut filius prodigus. *in Luc.cap.15.*

1274. *Iustus ascendit, Impius descendit.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Quomodò dicitur ascendere Abraham? Erat ne in aliqua fovea? sed nota, quod Ægyptus erat status peccatoris, qui ad Deum se convertens ascendit de tenebris ad lucem, & post ascendit ad australem plagam, scilicet de virtute in virtutem; Impius verò descendit de peccato in peccatum, & tandem in Infernum. O felix status ascendentium: Infelix descendentium. *fer.2.Dom.16.post Pentec.& fer.4. in Ascen.*

1275. *Christus ascendit multipliciter ad nostrum exemplum.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Nota, mysticè: hic est Christus, qui ascendit primò in crucem, secundò in Resurrectione de Lymbo, tertiò in Ascensione, ut nobis daret semper exemplum ascendens usque ad gloriam. *fer.4.in Ascens.& Psal.45.*

1276. *Derelinquentibus pro Christo temporalia, ab ipso Deo ipsamet redonantur.*

Erat autem dives valdè in possessione auri, & argenti. Nota, quod hic solùm dicitur Abraham fuisse dives valdè. Cur hoc? sed revoca in memoriam, quod Abraham reliquerat pro Deo omnia: Deus autem dupliciter ipsum benedixit, ut supra notatū est. *Benedicam tibi, & eris benedictus*: quænam est hæc duplex benedictio? Adverte, quod Deus dextera benedicit suos, cùm eis tribuit bona spiritualia, & sinistra, cùm dat temporalia. *fer.4.dom.Trinit. & Ps.66.& 128.* hac igitur duplici benedictione Deus ditavit Abraham in præmium, quod reliquerat patriam, patrem, & exierat de terra sua, &c.

1277. *Divitiæ, de se non sunt malæ, sed tantùm malè utentibus.*

Erat autem dives valdè. Quomodò inter sese cōpatiuntur divitiæ cùm sanctitate viri justi, si sunt spinæ, ut ait Christus, quæ animam vulnerant? sed adverte, quòd divitiæ de se non sunt malæ, nisi malè eis utentibus, horum enim strangulant animam. *op.Apol paup.resp.3.c.3.& op. de paup. Christi qu.1. a.2.& in Luc.c.8.v.14.*

1278. *Gratias agere debemus pro beneficiis à Deo receptis corde, ore, & opere.*

In loco Altaris, quod fecerat priùs invocavit ibi nomen Domini. Vide justum statim ac liberatus fuit cùm suis rebus, & personis ab Ægypriis obtulit sacrificium laudis ad Altare Domini pro collatis beneficiis, &c. Ita & nos gratias agere debemus corde, ore & opere pro bonis naturæ, quibus in esse subsistimus; pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur; pro bonis gratiæ, qua spiritualiter vivimus, & pro bonis gloriæ, quam aliquando habere credimus. Quid enim meliùs, quàm quod in corde geramus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias. Hoc nec aliquid breviùs dici potest, nec auditi leviùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. *fer.3. de una Virgine.*

1279. *Divitiæ lites, & invidiam generant.*

Sed & Lot, &c. fuerūtque greges, & pecora, &c. Nec poterat eos capere terra, ut habitarēt simul, erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Sed quomodò non poterat eos capere terra? Ergone in illa Provincia, vel Regno, quæ erat terra promissionis, in quo post numerati sunt tot milliones, non poterant duæ familiæ simul cohabitare? At id non est mirum; quia eorum substantia erat multa; ubi enim sunt divitiæ temporales, ibi sunt bella, rixæ, lites, timores, sollicitudines, & ideò ubi est major quantitas divitiarum, ibi & majoris discordiæ causa major. *op.de prof.Religios.lib.2.c.17. & op.Phar.lib.3.c.22.& op.Bibl.paup.c.48.& 73.*

1305. *Diabolus cætera omnia libenter tribuit homini præter animam, quam exigit.*

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Quid est, *Da mihi animas*, cur non homines? Et quid est, *cætera?* sed figurativè sumitur hic pars pro toto, estq; dictum in persona Diaboli, qui ab homine non quærit totum, sed tantum partem, & talem quæ supereminet cæteris rebus, & hæc est anima, quæ in nobilitate excedit totum mundum, inde Diabolus continuè dicit, Da mihi animam cætera tolle tibi: onde aliquando interrogatus, quid pluris æstimaret, & desideraret: Respondit tria præcipuè, scilicet lunam primam, idest (e); totam solis idest (o), & ferrum molle idest (r) nempe cor, quod his tribus litteris exprimitur: Ergo in æstimatione Diaboli plus valet anima una, quàm totus Mundus. *op. diat. sal. tit. 1. cap. 1. & Psal. 39.*

1306. *Diabolus quærit animam nostram ad devorandum: Christus ad beatificandum.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Nota, quod continuè id dicitur nobis à Christo, & à Diabolo, sed diversa intentione: nam Christus quærit, & petit animas tanquam sibi de jure debitas, quia eas emit suo sanguine, easque vult ad sanctificandum & beatificandum; Diabolus è contra ad devorandum. *Psal. 39. & fer. 7. Dom. 1. Adv.*

1307. *Idem conceptus in exaltationem amoris Christi in nos, & detestationem odij Diaboli in animas.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Oh quam verum est, quod ista dicuntur à Christo, & à Diabolo, sed diverso fine: Christus quærit animas, cætera omnia despiciendo, ut eas salvet: Vide in huius rei confirmationem Christum inclinatum, & prostratum ante Iudam proditorem, in quo erat Diabolus, ut eius animam levaret cui ad cor pulsans dicebat, Da mihi animam, cætera tolle tibi. *In Ioan. coll. 60.* Vide ex opposito Diabolum omnia exhibentem super pinnaculum templi Christo, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut eius animam lucraretur ad perditionem. *In Luc. cap. 4.* Nec id est mirum, nam Diabolus est mercator pessimus, emere quærens animas nostras, & rapere qualibet pretiosa nostra, pulsat continuè ad cor, dicens Da mihi animam, cætera tolle tibi: Oh infelix commercium! *serm. 9. in Rogat.*

1308. *Paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, sed tantùm cum Cælo.*

Respondit Abraham levo manum meam ad Dominum, &c. Nota hic, Abraham recusasse omnia ipsi oblata à Rege Sodomorum: sed cur levando manum illas res renunciavit? Quia erat mos tunc tali elevatione manuum jurare ad Deum; idque fuit figura abrenunciationis omnium rerum factæ à Religiosis, per quam cæremoniam significatur, quod paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, omnia superflua abjiciens, retinens tantùm necessaria, & ideò dirigunt uti abrenunciantes mundo aspectum ad Cælum, in quo suam sedem habent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 4.*

1309. *Oratio perfecta exigit operationes bonas.*

Levo manum meam ad Dominum. Quid est levare manum? Cur non potius dicit, levo vocem psallendo, levo cor amando, sed dicit, levo manum? Quia hic datur norma orantibus, qui non solùm vocem, non solùm cor, sed & opera bona debent levare ad Deum, hæc enim est perfecta Oratio. *fer. 2. Dom. 13. post Pentecost.* Nota igitur hanc conjunctionem, quia oratio sine operibus bonis, parum juvat, & bona opera sine oratione parum Deo placent.

1310. *Dives Cæli in Cælo thesaurizat: Dives Inferni in Mundo.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Nota, quod cum oblatæ fuissent multæ opes Abrahæ, eas Ipse renuncians dixit, *levo manum meam ad Dominum*; Quid est levo manum meam ad Dominum? Idem est ac dicere; In mundo nihil volo, sed thesauros meos in Cælo reposui, sic faciunt divites Cæli: Divites mundi è contra ad terrena inhiant, & nihil habent in Cælo, quia simul in Cælo, & in Mundo esse divitem est impossibile: Oh beatus dives in Deum qui abundat meritis, & operibus bonis, licèt sit inops rebus! *serm. 5. de uno S. Marty. & in Luc. cap. 12. v. 21.*

1311. *Paupertas Evangelica perfectior incomparabiliter paupertate antiquorum Patrum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quomodò laudatur Abraham de expropriatione rerum, cum possessor fuerit multarum opum? Quia fuit pauper spiritu, scilicet affectu, licet non rebus; unde nota, quod tres gradus habet contemptus divitiarum; primus, & est valdè imperfectus, est nihil habere injusti lucri, & reddere omnibus suum, facereque eleemosynam ex proprijs rebus, nec abuti ipsis ad Dei offensam, & hic fuit in Abraham: secundus est retinere necessaria, & superflua renunciare: tertius est etiam pari in ijs quæ sunt necessaria, eisque uti cum penuria, & hi duo gradus sunt in sequentibus Christum, & in pauperibus Evangelicis: ex quo patet quàm perfectior sit paupertas Evangelica. *op. de perf. Relig. lib. 1. cap. 42. & seq.*

1312. *Magnum beneficium Dei inducentis hominem ad contemptum divitiarum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quæritur, quarè Deus traxit suos ad contemptum divitiarum? Respondetur, quod est maximum Dei beneficium: primò enim, quia divitiæ retrahunt ab amore Dei, & Cæli, sunt enim divitiæ onera ad imum trahentia; secundò quia retardant à profectu virtutum, & ab itinere Cæli; tertiò ratione majoris meriti, cum sit ad perfectiorem imitationem filij Dei; quartò quia terrena substantia de se est contemptibilis, tum ex sui natura, quia terrea est, tum quia non est omninò necessaria; tum quia multorum pater invidiæ; tum quia multo labore, & sollicitudine acquiritur, & servatur, tum quia non satiat appetitum; tum quia est commune bonum bonis, & malis; tum quia diu non perseverat. *op. de perf. Relig. lib. 1. cap. 44.*

CAPUT XV.

1313. *Iuſtus ſolùm de Deo, & de peccato timet; nihil de hominibus.*

His tranſactis dixit Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum. Cur ſuadet Abraham Deus, ne timeat? Nonne timor Domini erat neceſſarius? Timor tunc inceſſerat in pectore Abrahæ (aiunt hic Aliqui Doctores) ne hoſtes ab ipſo victi iterum congregato exercitu denuò ipſum invaderent: ideò benigniſſimè Deus advertit nihil timere ab hominibus, homines enim nihil poſſunt contra eum, qui ſub Dei protectione vivit: unde Deus ut patet. 2. *Macab. cap.* 2. dicit, *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt:* Sed nota, quod timor eſt fuga, ne perdat homo, quod amat; hic timor alius eſt mundanus, quo homo timet nimis de amiſſione rerum temporalium, hunc Deus vult alienari à ſuis: eſt timor ſeruilis timens magis pœnam, quàm culpam, eſtque cum affectu ad culpam, & hic eſt abijciendus; eſt & timor initialis, qui removet peccatum ſed propter pœnam, eſtque imperfectiſſimus; eſt & filialis, qui eſt cum charitate, ſolùmque Deum timet, & peccatum. *op. de dono timoris cap.* 1. *& ſeq. & in Luc. cap.* 12. *v.* 5. *& cap.* 5. *v.* 10. *& ſer.* 1. *Dom.* 10. *poſt Penteceſt.*

1314. *Spei, & confidentiæ in Deum effectus mirabiles.*

Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Cur addit Deus ad protectionem promiſſam etiam mercedem? Vt excitaret eos iuſti ad perfectum actum ſpei, & fiduciæ in Deum, quæ facit hominem totaliter ſeipſo diffidere, & in Deum ſeipſum collocare, & ipſi inniti cum ſpe conſequendi, quod Deus promiſit in ſe confidentibus, & hæc fiducia in Deum firma operatur in anima mirabilia. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *q.* 4. *in corp. & in Luc. cap.* 5. *v.* 10. Sed hic notanda ſunt verba Gloſſæ in hunc locum: *Ego protector tuus*, multam habet emphaſim hæc verba: Ego ſcilicet, qui te à Chaldæis evocavi, ego qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberavi, ego qui ſemel, atque iterum promiſi tibi, atque ſemini tuo daturum me terram hanc, ego qui in dies magis, ac magis omnibus clarum oſtendo, ego protego te, hoc ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo, propugnator ſio, curam gero, omnia difficilia facilia tibi reddam, ego defendo te, & ero merces tua, ſcilicet, quia renuntiaſti mercedem temporalem pro me, ego tibi mercedem dabo magnam, & valdè multam. Oh felix qui omnibus pro Chriſto renunciat, qui ſolùm in Deo, & de Deo confidit! *In Ioan. collat.* 74. *& ſer.* 3. *Dom.* 23. *poſt Pentecoſt. & op. Bibl. paup. cap.* 78.

1315. *Deus neſcit ſuis amicis parva largiri.*

Noli timere, ego protector, &c. Vide quomodò Deus neſcit parva largiri ſuis amicis, & quàm perfectus, & liberalis remunerator, & quomodò ſe oſtendit piiſſimum, & liberaliſſimum in ſe confidentibus. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *p.* 4. *& in Luc. cap.* 18. *v.* 29. *&* 30.

1316. *Intentio quænam perfecta, & quænam mercenaria.*

Noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Vide quomodò hic exprimit terminum intentionis perfectorum, nempe excitando eos ad ſpem puram mercedis increatæ: hoc enim diſcrimen eſt inter puram, & mercenariam intentionem, quia mercenaria reſpicit ad finem ultimum, ſed ſub ratione boni proprij, ſpes verò pura reſpicit Deum, & ad purum amorem ſummæ bonitatis. *lib.* 3 *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 5.

1317. *Inter meritum, & præmium eſt commenſuratio.*

Ego protector tuus ſum, &c. Nota hoc verbum, *merces tua*, & obſerva, quàm ſit munificentiſſimus Deus cum ſuis amicis: Patet enim ex hoc, quod Deus fecit pactum cum homine tribuendi præmium condignum operi facto in gratia pro eo, quod gratiæ, & gloriæ eſt quædam commenſuratio, & in Deo quædam obligatio non ex neceſſitate, ſed liberalitate mera, qua voluit promittere, & pactum firmare cum ijs, qui ipſum diligunt, quod ſeipſum mercedem eis retribueret, ut appareret in Abraham: unde *Matt.* dicitur *cap.* 20. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quia Deus unicuique ſe obligavit retribuere ſecundùm opera ſua. *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2 *q.* 3. *in corp.*

1318. *Solus Deus merces perfecta operum meritoriorum, non aliquid creatum.*

Ego merces tua, &c. Per hoc voluit Deus oſtendere ipſum ſolum eſſe perfectam mercedem, & ultimum finem, non aliquid creatum. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Quidquid igitur datur homini etiam ſi totus mundus, ſemper eſt præmium inferius, & non condignum operi meritorio, & pœnitentiæ. *op. Comp. Theol. lib.* 6. *cap.* 21. & per hoc Deus excitat hominem ad opera bona, & ad aſſumendum actus pœnitentiæ.

1319. *Amor perfectus Dei mirabilia operatur in anima Deum diligente.*

Ego protector tuus, & merces tua magna. Vide, quid efficit amor in anima Deum diligente: dum enim dicit ſe eſſe ſuum protectorem, & mercedem magnam, excitat eam ad amorem perfectum, ſimulque cùm ſit levis, & ſuavis amor Dei elevat mentem ab inferioribus, eam ſtatuendo ſupra ſeipſam in ſuperioribus, confert & ſpiritualem pinguedinem animæ, per quam non ſentit difficultates externas, & cum ſit ſuavis confert vitam Angelorum, & gloriæ: & hinc dicit ad animam, Ego protector tuus ſum, te alliciens cum iugo meo ſuavi, & merces tua magna nimis, cùm me ipſum in gloria videbis tanquam ſtipendium tuæ militiæ, ſed nimis, quia tuum gaudium uſque ad completam cognitionem non tibi ſubtrabo, ſed cum meum iugum ſuſtines parum in miſeria, qualis ero in gloria miſericorditer tibi communico. *op. myſt. Theol. cap.* 2. *p.* 2. *ad* 5. *petitionem.* Oh quàm bonus, & ſuavis eſt dominus timetibus eum!

1320. *Prælatorum bonorum præmium magnum in Celo eſt paratum.*

Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna, &c. Abraham typum gerit Prælatorum ideſt in perſona ipſius dicit Deus Prælatis ſecundùm voluntatem ſuam gubernantibus, Ego protector tuus, & merces tua magna, & plena. *In Luc. c.* 6. *v.* 23. oam

fecit Abraham suo nepoti Lot ? Quia noverat vir justus Diabolū usum esse ministerio Pastorum ad rescindendam concordiam inter ipsos : Nec mirum, quia Diabolus in nobis continentiam non timet, nec abstinentiam. Ipse enim non præmitur carne, non cibo utitur, sed concordiæ nostræ omnis insidiatur, quia quod amisit Ipse in Cœlo, nititur ut Nos non servemus in deserto, nec Christus vult manere ubi charitas non est : merito ergo dicebat Vir justus, *ne quæso sit iurgium inter Nos*, quasi dicat non scindamus vestem charitatis, quia non potest quis habere concordiam cum Deo, qui discors voluerit esse cum fratre. *serm. 1. & 2. in Epiph.*

1290. *Iusti solùm habent dexteram : Impij sinistram, quia dextera est prædestinatorum, sinistra reproborum.*

Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si ad dexteram, ego ad sinistram pergam. Mirum est quomodò Abraham ostendit se contentum parte sinistra ? Nonne hæc est præscitorum, & dextera prædestinatorum ? Nota, quod per dexteram significantur prosperitates, per sinistram adversitates: item per dexteram locus prædestinatorum, per sinistram præscitorum : dicit igitur, si ad dexteram ieris, ego sinistram tenebo, nempe ego sinistram faciam dexteram, immobilisque semper cum Deo sive in prosperis, sive in adversis permanebo. *Diat. fal. tit. 5. cap 8. & op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 3.* Iustus ergo nihil sinistrum habet, sed omnia sunt ad dexteram, scilicet omnia ordinat ad Deum, ad Cœlum &c. sic & S. Ambrosius.

1291. *Impij dicunt malum bonum, & bonum malum : Iusti idem dicunt, sed in diverso sensu.*

Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si ad dextram, ego ad sinistram. Quomodò vir justus contentus est, vel dextera vel sinistra, & quomodò à sinistra ad dexteram, & è contra à dextera ad sinistram contentus est transire ? Sed adverte, quod loquitur tanquam vir spiritualis luce cælesti illuminatus, quia enim inter carnem, & spiritum est, continua pugna, & dissensio animorum : Spiritus Christi dicit quod est carni dexterum, sinistrum est spiritui, & è converso : in quo enim delectatur caro, spiritus contristatur, & quod mundus reputat bonum, ego malum, & è converso: Hinc spiritus dicit, quod bonum, & dexterom est carni, id verè est malum spiritui, & quod malum & sinistrum est carni, id est bonum spiritui. E converso caro dicit quod est bonum spiritui, est malum carni, & quod malum est spiritui, hoc reputatur bonum carni. *op. diat. fal. tit. 5. cap. 8. & op. fim. diu. am. p. 3. cap. 14. & 15. & op. de 7. donis c. 5.* Hinc (ait D. Hieron.) Apostolus *ad Galat. cap. ult.* sæpè repetebat. *Mihi mundus crucifixus est & ego Mundo*, id est mihi Mundus est abjectus, contemptibilis, maledictusque, & Ego, qui spiritu ambulo mundo, scilicet ego sum contemptibilis, & maledictus à mundo, par pari refertur, sed in fine videbitur, quis nostrum veram viam amplexatus fuerit.

1292. *Non potest esse pax inter spiritum, & carnem, nisi prius caro perfectè mortificata fuerit.*

Ne quæso sit jurgium inter Nos : fratres enim sumus, recede ergo à me. Sed quæ charitas est ista Abrahæ, dum vult Lot à se recedere ? Cur non secum retinet nepotem? Sed jam dictum est, quod per Abraham significatur pars superior animæ, & Spiritus, per Lot partem carnis: Vir justus ergo volens pacificare perfectè carnem, & spiritum, libereque degustare ea, quæ sunt spiritus Dei, dicit carni, recede à me, idest recedat sensualitas per mortificationem mediantibus vigiliis, jejuniis, & disciplinis, talique pacto caro, & spiritus pacificantur: Sic Christus in congressu suæ passionis pacificavit carnem, & spiritum, illam spiritui subjacendo, dicens, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. In Luc. cap. 22. v. 42. & op. sim. div. am. p. 3. cap. 15. & op. de dono Sap. cap. 2.*

1293. *Bona temporalia sunt solùm apparentia, non vera.*

Lot vidit omnem circa regionem Iordanis, &c. sicut Paradisus Domini, &c. Nota illam conditionalem (*sicut.*) Cur non dicit, erat Paradisus Domini ? Quia tota felicitas erat tantùm in superficie, & apparens oculis corporis : Caduca namque, & fragilia, & puerilia sunt hæc temporalia bona, quæ subitò adveniunt, & subitò recedunt, & in nullo loco, nullaque persona stabilibus radicibus fixa consistunt. *ser. 2. de S. Barthol.*

1294. *Religiosus status est veluti Paradisus.*

Quæ universa irrigabatur sicut Paradisus Domini. Iam dictum est, quod bona temporalia sunt solùm apparentia, sed notandum, quod hæc verba possunt verè dici de statu religioso, qui irrigatur aquis cælestibus, & est veluti Paradisus Domini. *In Luc. cap. 23. v. 43.*

1295. *Felix est, qui in hoc mundo eligit sibi dexteram, etiam si videatur aspera, & difficilis : Infelix, qui eligit sinistram etiam si videatur plana, & suavis.*

Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, quæ irrigabatur veluti Paradisus Domini. Vide, quod Lot elegit sibi partem sinistram, quia ei visa est sicut Paradisus Domini, & reliquit dexteram Abrahæ nō tam fertilem, & copiosam: Vt autē pateat, quàm deceptus fuerit Lot in hac electione, notandum, quod Sacer Textus subdit, nempè quod in ea parte habitabant Sodomitæ pessimi, exitus autem probavit errorem Lot, quia illa tandem regio à justitia Dei fuit subversa, ex qua ejectus fuit ipse Lot cum sua familia, cum amissione omnium suorum bonorum, & morte pessima uxoris : & è contra Abraham à Deo protectus, & evectus ad visionem, & alloquutionem Dei, qui plurima mysteria abdiuissima ei revelavit. Hinc ediscamus quod felix ille, qui dexteram prædestinatorum, & Christi sequacium in hoc mundo eligit, licèt à præscitis, & mundanis videatur via difficilis, & aspera, & veluti sinistra : Infelix è contra, qui sinistram in boc mundo tenet, & si videatur

dextera, ſcilicet plana, farilis, & felicitatibus redundans, & velnti Paradiſus Domini; nam in fioe mali, & mundani cum robore, & pœna ſiniſtram obtinebunt; Boni verò dexteram cum honore obtinuiſſe gaudebunt. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 3.*

1296. *Peccatum contra naturam omnium peſſimum, opulentiaque rerum cauſa horum peccatorum.*

Homines autem ſodomitæ peſſimi erant. Cur peſſimi? Et unde orta eſt hæc ipſorum peſſima qualitas? Erant peſſimi ob peccatum contra naturam, in quo involuti erant, in quod incidebant ob nimiam abundantiam rerum temporalium. *In Luc. cap. 17. v. 28. & op. Bibl. paup. cap. 130.*

1297. *Contemplativus eſt plenus oculis videns Deum, & omnia ordinando in Deum.*

Dixit Dominus ad Abraham, leva oculos tuos, & vide ad Aquilonem, Meridiem, Orientem, & Occidentem. Ad quid voluit Deus, ut Abraham reſpiceret ad omnes partes terræ? Nota illa antecedentia verba leva oculos tuos, per quæ, ſignificatur elevatio mentis in Deum per contemplationem, iſtiſque datur videre ad quatuor partes mundi; ſcilicet ad Aquilonem videt tranſgreſſionem peccati, ad Meridiem fervorem juſtitiæ divinæ, ad Orientem claritatem gloriæ, ad Occaſum mortalitatem hujus vitæ, ſicque contemplativus eſt plenus oculis ante, & retrò. *In Ioan. collat. 46.*

1298. *Iuſti debent habere circumſpectionem in ordine ad malum, & bonum.*

Leva oculos tuos, & vide ad Orientem, Meridiem, &c. Quid eſt hæc circumſpectio, quam præcipit Deus viro juſto? circumſpectio hæc eſt ſpiritus, quam debet habere ſerviens Deo in ordine ad mala ſolicitè cavenda, & ad bona patranda, unde dicitur, *declina à malo & fac bonum. fer. 1. dom. 12. poſt Pentecoſt.*

1299. *Fides elevat animam ad viſionem inviſibilium*

Leva oculos tuos. Abraham erat in loco alto: Cur ergo dixit, ut elevaret oculos, & non potiùs ut inclinaret oculos ad Aquilonem, Meridiem &c. Quia volebat ut elevaret oculos non corporis, ſed fidei, & aſpiceret per fidem ad ea, quæ oculis corporis ſunt inviſibilia, nempè ad bona Cœleſtia, & per ſpem erigeretur ad ea expectanda. *In Luc. c. 21. v. 28.*

1300. *Qualis circunſpectio requiratur in Prælatis.*

Leva oculos tuos, & vide ad Orientem, Aquilonem, &c. Cur præcepit Dominus Abrahæ ut ad omnem partem mundi dirigeret aciem oculorum? Nota, quod Abraham erat Prælatus. Voluit igitur Deus docere in Abraham omnes Prælatos, & Gubernatores circunſpectionem providam faciendorum, in qua conſiſtit ſapientia Sanctorum, & quam Salomon petiit à Domino, debent enim providere, quæ ab ipſis agenda ſunt, & qualiter: non enim bonum eſt bonum niſi benè fiat: debent quatuor præcipuè aſpicere: primò quomodò in ſtatu debito commiſſos ſuo regimini gubernet; ſecundò quomodò lapſos, & devios corrigat: tertiò exteriora negotia diſponere debet; quartò quomodò in his ſe gerere debeat in ordine ad Deum, ad Proximum, & ad ſeipſum. *Op. de 6. alis Seraph. cap. 7.*

CAPUT XIV.

1301. *Bello juſto favet Deus.*

Cum audiſſet Abraham Lot captum, &c. Vide, quomodò etiam apud juſtos exercetur bellum, ſcilicet juſtum, & cui Deus favet: Ad quod requiritur primò authoritas Principis, ſecundò juſta cauſa, tertiò intentio recta; nec tenetur bellum juſtum faciens inimicis ſuis pugnam prædicere, vel eos præmunire, vel præmonere *Op. Bibl. paup. cap. 82. & Op. ſpec. an cap. 1.*

1302. *Chriſtus Rex, & ſacerdos offerens panem, & vinum.*

Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim ſacerdos, &c. Nota quod Melchiſedech fuit figura Chriſti qui fuit Rex, & ſacerdos, & hoc ſacrificium figura inſtitutionis Euchariſtiæ: *lib. 4. diſt. 24. p. 1. art. 2. q. 3. & diſt. 8. art. 1. q. 3. & Op. expoſ. Miſſæ cap. 4. & Op. Comp. Theol. lib. 6. cap. 12. & in Luc. cap. 22. v. 19.*

1303. *Chriſtus in oblatione ſui corporis, & ſanguinis reconciliat nos Deo, conferens nobis indulgentiam peccatorum.*

Melchiſedech Rex Salem protulit panem, & vinum, &c. Iam dictum eſt, hunc Regem, & Sacerdotem figuram expreſſam fuiſſe Chriſti veri ſacerdotis: Et hoc notandum, quod non ſine myſterio dicitur, *Rex Salem*, id eſt Pacis, quia Chriſtus offerendo panem, & vinum, ſcilicet corpus ſuum, & ſanguinem, ſuo patri nos pacificat, additque textus, *& benedixit ei &c.* quia ſicut Pontifex benedicendo pœnitentem reconciliat eum Deo magnas dans Indulgentias; ſic & Chriſtus in hac reconciliatione confert benedictionem communicanti, & Indulgentiam peccatorum. *Op. expoſ. Miſſæ cap. 4.*

1304 *Decimarum ſolutio unde orta, & quid ſignificat.*

Et dedit ei decimas ex omnibus. Vide unde ortum habuit ſolutio decimarum, quæ in Eccleſia fit Sacerdotibus ad ipſorum ſuſtentationem, qui eſt actus moralis, ſacramentalis, & figuralis: Ut moralis ordinatur ſolutio ad ſacerdotum ſuſtentationem; ut ſacramentalis ad deletionem peccati originalis, ut figuralis, quia figurabat Chriſtum, cui ob curationem factam humani generis debetur decima pars: & hinc in Eccleſia primitias temporum, & decimam, ſcilicet quadrageſimam dierum Deo offerimus. *lib. 3. diſt. 3. p. 2. art. 1. q. 1. & Pſal. 93. & in Luc. cap. 15. v. 8.*

1305. Diabolus

23. nam benè agente populo unusquisque pro suo bono remunrratur, Prælatus autem pro bonis omnium. *In Luc. cap. 12. v. 44.*

1321. *Providentia Divinæ est innitendum.*

Noli timere, ego protector tuus, &c. Idest noli timere, quia nihil pati potes pro defectu auxilij, vel sine retributione præmij, quandiu adhæseris mihi: Ex qua promissione docemur, quod homo, & maximè justus, & Deo charus est immediatissimè sub protectione Dei, & ideò non debet confidere in rebus caducis, sed tantùm in Deo. *In Luc. cap. 12. v. 7.*

1322. *Pro pignore mercedis gloriæ dat Deus in hac vita suis Eucharistiam tanquam mercedem condignam.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Sed quando erit hæc merces ô bone Deus? si solùm post hanc vitam, quid mercedis in hac miseriarum valle dabis tuis amicis? Noli timere (ait Deus) Ego merces tua etiam in hac vita & quomodò? est Deus merces magna dando seipsum in Eucharistia: In hoc convivio exhibet Deus mercedem magnam nimis, scilicet inæstimabilem & interminabilem. *In Luc. cap. 14. v. 16.*

1323. *Deus est protector suorum in liberatione à malo, & merces in collatione boni.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Quænam differentia in his duobus promissis, scilicet in protectione, & mercede? sed nota, quod perfecta felicitas excludit omnem rationem mali, & involvit omnem rationem boni; Ideò dicit primò, protector tuus sum quoad liberationem à malo, & merces tua nimis quoad collationem omnis boni, dando enim seipsum, dat omne bonum. Oh quam benignus, & potens protector! quàm munifica merces. *Psal. 118. & in Luc. cap. 1. v. 4. & in sup. cap. 5.*

1324. *Deus in præsenti est protector noster, & in futuro merces.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ad quid copulat hæc duo, *protector, & merces*? Nunne sufficiebat dicere, Ego protector tuus? Vel ego sum merces tua? sed vide Divinam largitatem in hominem: Homo prius degit vitam in hoc mundo pleno tot miserijs, & periculis, ideò indiget protectione, & provisione; In alia vita indiget beatitudine: hinc dixit Deus, Ego protector tuus, scilicet in præsenti protegam te sicut Gallina pullos suos sub alis, nempè sub ala innocentiæ, & pænitentiæ, & qui sub his duabus alis non steterit, à milvo sevissimo Diabolo rapietur: Habita igitur, ô homo, & commorare sub his alis, ne à Diabolo rapiaris? In futuro verò erit Deus merces magna nimis, magna scilicet per humanitatem, & nimis per Divinitatem. *fer. 3. Dom. in septuag.*

1325. *Gloria, quam Deus præparavit est supra condignum, & inæstimabilis.*

Ego merces tua magna nimis. Cur dicitur, *nimis* Nonne præmium est condignum merito? Nimis verè, quia est supra condignum, quod Deus præparavit diligentibus se, nec fide capitur, nec spe attingitur, nec charitate comprehenditur, desideria, & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. *fer. 3. Dom. septuages. & op. solilog. cap. 4.* Sic & S. Augustinus.

1326. *In Deo possidetur omne bonum, & hoc maximè in gloria.*

Ego merces tua, &c. Sed aliùdne præmium dabitur viro justo præter Deum? Nota, quod dicit, *merces tua magna nimis.* Quid est, *nimis*? scilicet per fruitionem Divinitatis, ut dictum est: In Deo ergo habetur perfecta beatitudo, quia cum illo solo omnia habentur dicente ipso, *Mecum sunt divitiæ, & gloria:* Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, & sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, & sine fatigatione laudabitur. *In Ioan. coll.* 78. Ad quid igitur desiderantur res creatæ? Cum Deum amo, non amo speciem, aut decus, non tempus, non candorem lucis istius amicum lucis, non dulces melodias, non unguenta suaviter redolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia, non hæc amo, non hæc habeo cum Deum amo, cum Deum possideo: sed quid? Amo, & possideo lucem quandam, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum, quendam amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ, quod non capit locus, ubi sonat, quod non capit tempus, ibi redolet, quod non spargit flatus, ibi sapit quod non minuit edacitas, ubi hæret, quod non divellit satietas: Oh fœlix possessio amoris ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fœcunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas præmiorum, & honorum: O dulcedo amoris, ô fœlix amor dulcedinis, ô dives possessio, comedat te cor meum, & nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. *op. soliloq. cap. 1.* Animo igitur, ô anima, sæpè revolue, quod merces in Cælo tibi parata, si benè vivas, est magna nimis, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, vita sine defectione, laus sine cessatione: gaude, & exulta, ac mercedem laboris tui considera, quæ revera est magna nimis, scilicet tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa, quod non potest æstimari, tam copiosa, quod non potest terminari, quia nec oculus vidit in hac vita perfectè, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *op. soliloq. cap. 4.*

1327. *In gloria cum diversitate præmij omnia omnibus beatis sunt communia.*

Ego ero merces tua magna nimis. Si Deus est merces magna nimis omnibus beatis, ergone erunt omnes cum æquali gloria? sed attende, quod licèt in domo illa cælesti sint diversæ mansiones gloriæ secundùm diversitatem meritorum, nihil tamen ibi ex inæstimabilia divinæ pietatis immensitate possidetur singulariter, omnia enim sunt omnibus communia. Ibi enim gaudebit Virgo de sanctæ viduitatis merito, ibi Vidua exultabit de castæ Virginitatis privilegio, ibi Confessor de Martyris jucundatur triùpho, ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio, ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione, ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide, & speculatione: Ibi Apostoli, & Angeli gaudebunt de merito omnium Inferiorum, ibi omnes Inferiores lætabuntur de glo-

ria,

ria, & corona superiorum: Ex illius enim sanctæ & perfectæ charitatis vinculo fiet, ut unusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio. Egredere igitur, ô anima, paulisper de papilione corporis, ut in otio stans videas Dei gloriam pertransire, & præsentis laboris ante oculos pioge mercedem. *op. soliloq. cap. 4.* Nam si tantum gaudium habitura est anima quasi de alieno, quid est hoc quod haurier de proprio? Quale gaudium, quanta gloria, quàm incomprehensibilis laus, & magnificentia habitura est à Trinitate sanctissima, à Sanctorum omnium societate felicissima, pro eo quod mundum tam potenter per gladium paupertatis, & indigentiæ debellavit; pro eo quod Diabolum pessimum tam fortiter per hostiam humilitatis, & obedientiæ effugavit; pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis motibus tam viriliter restitit, quanta laus pro his quos verbo, & exemplo ad meliora provocavit; quid plura? pro singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis specialem laudem suscipiet. *op. soliloq. cap. 4.*

1328. *Christus fructus ventris Virginalis B. Mariæ protector noster & merces perfecta corporis, & animæ.*

Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Si delectatio est fruitio convenientis cum convenienti, & quia homo constat ex corpore, & anima, ergo Deus est merces animæ: quid remanet pro corpore, quod nullam convenientiam habet cum spiritu? sed attende Dei munificentiam. Ista merces magna nimis, & corpori, & animæ est Christus fructus uteri Virginalis: nam visio Divinitatis erit ad beatificationem animæ: visio humanitatis ex Virgine Maria assumptæ erit ad beatificationem corporis, & sensuum exteriorum, ut beatus sit ingrediens, & egrediens, & pascua inveniat: Erit igitur Christus mirabiliter delectans beatos per conjunctionem convenientis cum convenienti. *ser. 1. Dom. septuages. & in Ioan. coll. 75. & 78.*

1329. *Merces Beatorum fuit conclusa in sacculo humanitatis Christi.*

Ego merces tua magna nimis. Nota hæc dicta esse à Deo Abrahæ, & cuilibet justo. At, Domine, ubi invenitur hæc merces? In quonam sacculo reposita invenitur? Nota, quod hæc merces est Divinitas, quæ reposita fuit in sacculo humanitatis Christi, & ne aliquis esset, qui de hac mercede participaret, voluit ut à Iudæis perforatetur in Cruce hoc saceulum, ut ad omnes diffunderetur. Ad Christum igitur crucifixum recurre, in quo habebis omnem felicitatem, & mercedem. *ser. 6. Dom. 1. Adv.*

1330. *Sterilitas à Deo aliquando datur mulieribus ad Dei gloriam magnificandam.*

Et dixit Abraham quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis. Promiserat Deus Abrahæ mercedem magnam, & ipse se videns sterilem in se, & in uxore, & ob id cum opprobrio sterilitatis dixit, *quid dabis mihi?* Attamen Deus ipsum certificavit, quod hæc sterilitas non foret in opprobrium, sed ad manifestandam Dei gloriam. *In Luc. cap. 1. v. 7.* Ex quo vide, quod Deus aliquando sterilitatem in aliqua familia immittit ad suam gloriam manifestandam, & dilatandam in posteris, vel in facultatibus temporalibus, ut continua experientia patefit.

1331. *Deus à paucis ad grandia procedendo infundit in hominem fidem, spem, & amorem.*

Non erit servus tuus hæres, sed qui egredietur de utero tuo. Vide quomodò Deus prænuntiat hic prolem futuram Abrahæ: per quod patet quod Deus primò per facilia ad ardua credenda induxit Abraham: primò enim promittit filium & deinde Christum ex suo semine nasciturum: sic Deus ordinariè facit procedens à paucis ad grandia. *In Luc. c. 1. v. 13. & serm. 14. Hexaem.*

1332. *Ex fidei semine fructus mirabiles enascuntur.*

Suspice Cælum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, &c. Credidit Deo Abraham, quod filius ei nasciturus erat, quod ex ipso multiplicandi erant innumerabiles filij: quod Christus erat ex semine suo nasciturus, &c. per quod datur intelligi fæcundinas seminis fidei, & quod ex fide pullulationes innumerabilium fructuum procedunt, nam ex hoc semine oritur illuminatio mentis, fiducia in Deum, & amor Divinus cum cæteris virtutibus Christianis. *serm. 1. & 10. & 11. Hexaem.*

1333. *Deus expetit multiplicationem bonorum operum.*

Erit semen tuum, sicut stella Cæli? Cur non dicit sicut arena maris, sed sicut stellæ Cæli? Quia Deus vult, & æstimat multiplicationem non materialem, quia mali apud Deum nihil æstimantur, sed spiritualem per Christum promissum in merito, & bonis operibus significatis in stellis Cæli. *Psal. 37. & in Luc. cap. 11. v. 28.*

1334. *Apostoli sunt stellæ ornantes Cælum Ecclesiæ.*

Suspice Cælum, & numera stellas, &c. sic erit semen tuum. Quodnam est hoc semen? scilicet Christus nasciturus de semine Abrahæ, & quia Christus genuit Apostolos tanquam stellas ornantes Cælum Ecclesiæ, hinc dicuntur stellæ Cæli: stellæ inquam, illuminatæ, & illuminantes mundum virtutibus, & operibus sanctorum. *op. de Eccles. Hierar. p. 4. cap. 3. & serm. 9. in Pentecost.*

1335. *Fidei magnalia celebrantur in Abrahā.*

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam: Cur tam celebratur fides Abrabæ? Et quomodò reputata est ad justitiam suam? Quia fides Abrahæ fuit mirabilis: credidit enim rem valde difficilem, & supra cursum naturæ, imò quæ videbatur impossibilis, nempè ex sterili, & sene nasciturum filium, ex quo benedicendi erant populi: per quod invitamur ad eius imitationem, & edocemur quanta sit virtus fidei, cùm innititur promissis Dei, etiam in his quæ naturaliter videntur impossibilia *op. Diat. sal. tit. 5. cap. 3. & op. Bibl. paup. cap. 34.*

1336 *In promissis Dei non est hæsitandum, ettamsi ratio naturalis dictet oppositum.*

Vnde scire possum Domine quod possessurus sim terram. Hæc dicit Abraham post promissa facta à Deo, ex quo videtur hæsitasse in sua fide, sicque contradixisse fidei suprapositæ: Quomodò ergo eius

ejus fides tam magnificatur? Nota nunquam Abraham hæsitasse in promissis Dei; hæc enim hæsitatio tollit effectus fidei, sed dubium propositum fuit Deo, ipso dictante, ut publicaretur hæc promissio Divina, & fides Abrahæ quæ, innitebatur Divinæ, non humanæ potentiæ, & causis superioribus: Non sic fecit Zacharias, quando prædicta ei fuit conceptio Ioannis, qui verè hæsitavit innixus solùm humanæ potentiæ. *In Luc. c. 1. v. 18.*

1337. *Malæ cogitationes abigendæ præcipue tempore orationis.*

Divisit animalia, per medium, descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham. Notandum, quod dum actu Abraham offerebat sacrificium Deo per immolationem animalium, venerunt volucres super cadavera &c. Per quod factum datur intelligi, quod sæpè tempore orationis, & sacrificij descendunt Dæmones vel malæ cogitationes, vel affectiones carnales ad eos nostrum, ut Deum offendamus, sanctosque Angelos præsentes, & conscientiam sordidemus, & sic pœnam mereamur: Vnde sicut Abraham eas abigebat, sic & nos eas abigere debemus. *Op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 15. & in Eccles. cap. 10. in fine. & in Psal. 118. v. 67. & 147.*

1338. *Per multiplicationem scelerum nimiam fit completa mensura Divinæ iustitiæ.*

Nondum completæ (vel ut legunt Septuaginta) impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Quid est hoc? Quæ impletio est hæc mensuræ scelerum Amorrhæorum? Ergone datur mensura limitata justitiæ Dei? Sed adverte, quod hæc completio, seu impletio significat plenitudinem culparum, & pœnarum sequentium; tuncque impletur hæc mensura, quando peccator existens in pertinacia, & multiplicatione peccatorum fit eorum consummatio, postquam Deus infallibiliter punit districtè, & severissimè. *In Thren. cap. 1. & ser. 17. Hexaem.*

1339. *Deus non punit ex præscientia, sed tantùm ex præsentia culpæ.*

Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare tot sæcula, antequam ejiceret Amorrhæos à terra promissionis? Nonne præsciebat ipsos multiplicaturos iniquitates? Quia Deus non punit futura scelera, sed tantùm præsentia in dando enim, vel negando auxilia non respicit Deus ad peccata futura, sed ad idoneitatem præsentem. *In Psal. 104. & lib. 2. dist. 29. a. 2. q. 1.*

1340. *Deus non fato, sed sua providentia gubernat mundum.*

Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare hanc completionem peccatorum, antequam ejiceret Amorrhæos? Vt daret intelligere, quod cum iniquitates dependeant à nostro libero arbitrio, non fato, sed sua ordinatissima prudentia gubernat omnia, titéque, & rectè ordinat futuros eventus ex causa, non ex fato. *Op. Brevil. p. 2. cap. 4. & ser. 3. Hexaem.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XVII.

1341. *Aviditas mulierum quanta.*

Sara non generat liberos, dixitque ad Abraham, ingredere ad Agar ancillam meam, ut saltem ex illa suscipiam filios. Vide ex hoc, quanta sit aviditas, & impatientia mulierum: Licèt enim certificata fuisset se parituram filium à Deo, tamen avida, & impatiens in expectando, voluit, ut Abraham ex ancilla sibi provideret filios, quos posset adoptare. *Op. Bibl. paup. cap. 121.*

1342. *Dispensatio data Abrahæ, & posteris suis pluralitatis uxorum fuit facta ad multiplicationē cultorum, & cultus Dei.*

Qui ingressus est ad illam. Quæritur; quomodò posset Abraham sine Dei offensa rem habere cum Agar, cum haberet Saram Vxorem? Resp. in pluralitate uxorum Deum dispensasse Abraham & suos posteros in statu legis circumcisionis, & hoc quia pauci erant cultores Dei veri, ideò ut augeretur numerus cultorum Dei, id fuit permissum eis, & tunc istis præceptum erat, ut temperanter, non ob cupiditatem carnalem uterentur tali facultate. *lib. 4. dist. 33. art. 1. q. 3.*

1343. *Ex Christo nascuntur boni, & mali, Catholici, & Hæretici per Baptismum.*

Qui ingressus est ad Agar ancillam, &c. Nota, quod ex Abraham descendit Isaac, & simul etiam geniti sunt filij ancillæ, per quod figuratum est, quod ex Christo per Baptismum oriuntur Catholici, & Hæretici, sed illi solùm sunt hæredes Christi, isti rejecti extra gremium Ecclesiæ. *l. 4. dist. 33. art. 1. q. 3.*

1344. *Mulierum inverecundia, & superbia damnabilis.*

At Agar concepisse se videns despexit Dominam suam. Vide, quàm propensa sit Mulier ad superbiam, & quàm damnabilis sit in ea inverecundia: hæc Ancilla statim ac vidit se concepisse, statim despexit Dominam suam; Nec id mirum est, quia sexus muliebris incautus, & mollis; Incautus, quia sæpè sine consideratione operatur; mollis, quia facile flectitur vel de malo ad bonum, vel potius de bono ad malum. *In Luc. cap. 1. v. 24. & Op. Phar. lib. 1. cap. 8.*

1345. *Humilitas à Deo exaltatur, superbia deprimitur: ideò Beata Virgo tam exaltata.*

Dixit Angelus ad Agar fugientem à facie Dominæ suæ: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Nota, quod hic exprimitur discrimen inter Ancillam bonam, humilemque, & superbam; nam mala de fœcunditate inflatur, & ideò corrigitur, & punitur; Bona, & humilis, qualis fuit Beata Virgo, de humilitate fœcundatur, & sublevatur ad Divinam maternitatem, per quam Dominus se servum ipsius constituit. *Op. spec. B. Virg. lect. 10.*

1346. *Angelorum proprium eſt reducere homines à malo ad bonum.*

Dixit Angelus, unde venis, & quo vadis? Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu ipſius. Vide, quale eſt miniſterium Angelorum circa nos, nempè eorum proprium eſt reducere errantes in via ſalutis ad Deum,& ad ſtatum ſalutis: Oh quot cordi noſtro, dum erramus, pulſant dicentes, unde venis, aut quò vadis? Quid facis? *Op. de Eccleſ. Hier.p.1.cap.1.*

1347. *Prædicatores reducentes animas ad Deum, ſunt Angeli.*

Dixit Angelus ad eam unde venis, aut quo vadis? Revertere ad Dominam tuam. Quiſnam Angelus fuit iſte? Angelus ſcilicet nuncius à Deo miſſus: ergo qui mittuntur à Deo Prædicatores ad docendum, corrigendum, & convertendum animas à via erroris ad Deum ſunt Angeli Dei, iſtiſque dicitur Iſaiæ *cap.18. Ite veloces ad populum. Op. de Eccleſ. Hier.p.1.cap.1.*

1348. *Inſpirationes bonæ per Angelos nobis à Deo immittuntur.*

Dixit Angelus, unde venis, &c. revertere, &c. Nota hic Agar interpretatur Advena, ſignificatque animam, quæ in hoc mundo eſt peregrina; Sara interpretatur Princeps, eſtque Sapientia æterna, cui mens noſtra debet eſſe ſubjecta, dum autem tranſgreditur ejus præcepta, ecce quod per Angelos immittit inſpirationes ſanctas, ut revertatur ad Dominum ſuum, & humilietur ſub manu ejus. *ſer.de S.Michaele Archangelo.*

1349. *Hæretici crudeles hoſtes in Eccleſiam Catholicam.*

Iſmael erit ferus homo, manus eius contra omnes, & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula. Quid eſt è regione figer tabernaculum? Septuaginta legunt, *coram omnibus fratribus &c.* nempè, in facie, & contra fratres ſuos, ſignificatque hæreticos, qui de Chriſto nati per Baptiſmum, extra Eccleſiam tamen ejecti figunt tabernacula ſua, ſævi, & crudeles in ipſam pugnantes contra filios veros Eccleſiæ: Perſequuntur autem Eccleſiam quoad doctrinam, gratiam, & vitam ſcilicet prædicando doctrinam falſam, & auferendo veram, & ſalutem animarum. *in Thren. cap. 2. & in Pſal.118. cap.6.v.6.& lib.4.diſt.33.art.1.q.3*

1350. *Iracundi, crudeles in proximum reprobati à Deo.*

Iſmael homo ferus, &c. Iſte cum matre fuit ejectus à domo Abrahæ, per quod ſignificatur, quod iracundi ob feritatem in fratres ejiciuntur de paterna hæreditate Dei *fer.4.Dom.2.poſt Oct.Epiph.*

CAPUT XVII.

1351. *Religioſi tenentur tendere ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Vide, quod iſta verba videntur implicatoria, præcipit Deus Abrahæ,ut ambulet ſcilicet de virtute in virtutem, & ſimul quod ſit perfectus: Ergone poteſt quis ſimul, & ſemel per media incedere, & ad metam viæ pervenire? Ergone qui ambulat per viam perfectionis tenetur eſſe perfectus? Si eſt perfectus,ad quid tendere per viam ad terminum? Sed nota verba, & ſigna myſteria: Datur in his verbis intelligi, quænam ſit obligatio Religioſorum ad perfectionem tendentium, debent enim incedere ſemper ulterius ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti: & quomodò poteſt id fieri? ſed vertè mentem ad Seraphim,quos vidit Iſaias ante Dominum,qui ſimul ſtabant,& volabant. Sic Religioſi debent in via perfectionis ſe cuſtodire à malis operibus, & ſe exercere in virtuoſis actibus tendendo de virtute in virtutem: Sic enim volant. Sed hoc non ſufficit, quia ſimul totis viribus debent exire in actus bonos cum omnimoda perfectione, ſcilicet abſque commixtione vel negligentiæ, vel corporis, vel alterius circumſtantiæ vitioſæ, hocque pacto erunt volantes,& ſimul ſtantes: erunt ſimul tendentes ad perfectionem, & perfecti. *Op. de Eccleſ.Hier.p.1.cap.2.per totum.*

1352. *Deus exigit à nobis perfectam in ipſum fiduciam, & tradit modū eam acquirendi.*

Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ad eum, Ego Deus omnipotens. Supra Deus dixerat Abrahæ *ero tuus protector*; hic addit, *Ego Deus Omnipotens:* Cur hoc? Nonne hoc ſciebat vir perfecta fide imbutus? ſed nota, quod Deus intendebat excitare Abraham ad perfectiſſimam fiduciam, & confidentiam in ipſum, ideò ejus menti repetit, & imprimit ſuam omnipotentiam, dicens, Ego Deus Omnipotens, ſcilicet fidelis, & Omnipotens, in promiſſis; ſpes enim facit confidere, & expectare, & nemo rectè confidens confidit niſi in eo, qui nec poſſit, nec velit ſibi deficere, & talis eſt, qui eſt potentiſſimus in virtute, & munificentiſſimus in liberalitate, & à tali magna expectat juxta promiſſa facta. *lib.3. diſt.26.art.1.q.4.*

1353. *In via Dei laborans quieſcit, non laborans fatigatur.*

Ambula coram me, & eſto perfectus, &c. Si Deus eſt ubique, quomodò poteſt ambulare coram Deo, vel ceſſare? Id dicitur, quia vir juſtus debet ſemper in via perfectionis ambulare, & ambulando eſſe perfectus, & ſimul quieſcens in Deo. Notandum autem eſt, quod differenti modo proceditur in ambulando corporaliter, & ſpiritualiter; nam in aſcenſu corporali, quia caro infirma eſt, debet quieſcere aliquando: at in aſcenſu ſpirituali, quia ſpiritus promptus eſt, nunquam debet moram interponere, quia non quieſcere, eſt quieſcere animæ; quieſcere autem, & moram interponere eſt fatigari, & vires deperdere: in via enim Dei non ambulare, eſt retrocedere; dicitur igitur, *Ambula coram me*, ſcilicet ſine interpoſitione, &c. *Op. ſtim. div. am. p.3.cap.4.*

1354. *Maiorem perfectionem exigit Deus in ſtatu legis gratiæ, quàm antiquitus à ſanctis Patribus.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Nota, quod à Deo Abrahæ dictum eſt, *Ambula*, Nobis autem in ſtatu gratiæ dictum eſt, *ſic currite, ut comprehendatis.* Cur hoc diſcrimen? Cur ilquam Antiquis ſufficiebat ambulare in via Domini, nobis autem præcipitur, ut curramus? Quia antiqui ſancti ambulabant quidem in via perfectionis, ſed onerati bonis temporalibus: at ſequaces Evange

Evangelij, & Christi nudi nudum Christum currendo debent sequi: In hujus veritatis signum legitur, quod B. Virgo cum festinatione ambulavit. Sic & sancti Apostoli. *Op. stim. div. am. p. 3. c. 4. & in Luc. cap. 1. vers. 39. & serm. 2. fer. 4. Pentecost.*

1355. *Divinæ præsentiæ exercitium facit similem Angelis.*

Ambula coram me &c. Quomodò vir carne, & tot curis implicitus poterit semper coram Deo ambulare? Nonne hoc est munus Seraphin, qui coram Deo semper stant volantes, & volant stantes? sed nota quod potest idem facere homo exercitio Divinæ præsentiæ: hoc vult à nobis Deus, quia hoc exercitium facit nos similes Angelis Paradisi, nosque veluti impeccabiles reddit. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 2. & in Luc. c. 9. v. 57.* Vide quæ suprà notata sunt de præsentia Dei ad *cap. 5. v. 42. Genesis.*

1356. *Progenitores Christi à Deo prærogativam Divinam acceperunt.*

Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham. Cur Abraham? Ad quid facta est hæc additio? Nota, quod Abram interpretatur Pater excelsus: Abraham Pater excelsus multitudinis, & quia ex Abraham oriturus erat Christus, & generatio omnium prædestinatorum à Christo, hinc sicut Pater multitudinis verè dicitur Christus, sic & hoc nomen Progenitori Christi datum est: Seraph. Doct. *in Psal. 45. & Opusc. expos. Missæ. cap. 4.*

1357. *Deus gradatim nos conducit ad altissimos gradus perfectionis.*

Faciam te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus Regesq; ex te nascentur. Quarè Deus per has promissiones temporalea, & non potiùs per spiritualea privilegiavit eum quia Deus gradatim procedit in suis donis: quia per has temporalea promissiones ducebat Abraham in fidem mysteriorum altissimorum, quæ postea ipsi revelata fuere. *Ser. 14. Hexaem.*

1358. *Promissiones divinæ sunt cum conditione observantiæ præceptorum suorum.*

Tu ergo custodies pactum meum &c. Quid est pactum? nihil aliud, nisi custoditio fidei, & observantiæ legis corde, ore, & opere. Hæc verò est conditio promissionum divinarum. *Psal. 118. c. 11. v. 7.*

1359. *Præceptum circumcisionis solum datum posteris Abrahæ & Isaac.*

Circumcidetur ex vobis omne masculinum &c. Nota, quod præceptum Circumcisionis datum est solùm Abrahæ, & posteris, non cæteris nationibus: Vnde si aliquis circumcidebatur ex alienis, erat quidem utilis, sed ex supererogatione tantum. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 4. a. 2. q. 2.*

1360. *Ad quid instituta Circumcisio?*

Circumcidetur ex vobis &c. Ad quid præcepta fuit Hebræis Circumcisio? & cur dicitur pactum? Resp. quod hoc sacramentum datum fuit Hebræis, ut esset medium delendi peccatum originale, & conferebat gratiam ex opere operato masculis tantùm: nam oblatio in mulieribus sufficiebat, ut priùs cum ipsis Iudæis, & etiam cum cæteris gentibus. Hoc sacramentum datum fuit in signum distinctivum populi Israelitici, & Dei à cæteris, ut esset memoriale pacti à Deo initi cum Abraham de Incarnatione futura, & ejus semine, & ut per hoc mereretur redimi à peccato originali per merita Christi futuri. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 4. & a. 2. q. 2. & a. 3. q. 1. & 2. & d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. ad 1. & op. sent. sententiarum l. 4. d. 1.*

1361. *Mortificationem requirit Deus in suis amicis.*

Hoc est pactum meum &c. Circumcidetur omne &c. Cor, cum Deus tanta dilectionis signa exhiberet Abrahæ, & populo Israelitico voluit, ut jacturam corporis pateretur in ea parte, in qua circumcisio fierd voluit, ut significaret, quod ad observantiam legis divinæ & ad conservandam dilectionem divinam requiritur mortificatio carnis, & dimicatio contra carnem, & mundum: hocq; maximè exigit Deus à suis amicis, & charis magis, quam ab aliis: Vnde mirum non est, si amici Dei tot adversitatibus, & cruciatibus à Deo torqueantur, & probentur, ut aurum probatur, & purgatur per ignem. *fer. 4. de uno mart. op. de 7. itiner. æt. itin. 4. a. 3. op. med. vita Christi c. 6. & 12. & fer. 4. Dom 4. post. oct. Epiph. Psal. 118. c. 7. v. 10.*

1362. *Circumcisio spiritualis necessaria ad salutem.*

Hoc est pactum &c. Si hoc præceptum datum dicitur pactum æternum, cur non observatur à Christianis? Resp. fuisse abrogatam Circumcisionẽ corporalem per circumcisionem Christi, non verò spiritualem, scilicet mortificationem carnis. In quo sensu pronunciatur illa lex à Deo: Anima, quæ non erit circumcisa peribit de populo hoc, scilicet Iustorum. *op. Comp. Theol. l. 4. c. 12. In Io. collat. 37. Ps. 24. fer. 2. & 4. de Circumcis.*

1363. Ad Circumcisionem non tenebantur mulieres: Vnde dicitur: *Circumcidetur masculus omnis.* Sed quomodò delebatur in mulieribus peccatum originale? Delebatur eo medio, quo in lege naturæ, scilicet oblatione parentum. *l. 4. d. 1. p. 2. a. 3. q. 2.*

1364. *Cur in octava die ordinata fuit Circumcisio?*

Infans octo dierum circumcidetur; Cur spatium octo dierum assignavit Deus? & si Infans obiisset infra octavum diem, quomodò justificabatur? Resp. Potuisse circumcidi ante octavum diem, sed lex obligabat, ut non differretur post octo dies sine peccato gravi: nec obligabat ante octavum diem, quia poterat per obligationem parentum Iustificari Infans: Ad octo verò dies ordinata fuit à Deo ad mysterium insinuandum, nempè quia significabatur per deletionem à culpa originali curatio Animæ à miseria, & quia habetur tantum in altera vita post resurrectionem corporis significatam in octavario, hinc in octavo die fiebat Circumcisio. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 7. & a. 3. q. 2. & in Luc. c. 2. v. 21. & in Io. c. 7. v. 24.*

1365. *Iesus Christus pro peccatis circumciditur, ut nos ad ejus imitationem spiritualiter circumcidamur.*

Infans octo dierum circumcidetur. Quis Infans? Infans, scilicet Iesus Christus: Ecce ergo Iesus Chri-

ſtus, qui ſine peccato eſt tantam pœnam pro tuis peccatis ſuſtinet:& tu ô ſeuex pœnam ſuſtinere recuſas pro iiſdem à te tam iniquè commiſſis. *ferm. 2. de Circumcif.*

1366. *Circumciſio ſpiritualis neceſſaria ad amicitiam Dei.*

Circumcidetis carnem præputij veſtri, ut ſit ſignum fœderis &c. Nota, quod hoc fœdus eſt amicitiæ & familiaritatis Dei, ad quod fovendum, vult, ut circumcidamur, corde, membris, & opere, ſcilicet reſcindendo iniquas cogitationes, incautas locutiones, ſordium obdurationem, & fœditatem luxuriæ per caſtitatem. *ſerm.2. in Circumciſione.*

1367. *Qui non circumciditur ſpiritualiter, non pertinet ad Ieſum.*

Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur Anima de populo illo &c. Quid eſt de populo illo deleri? Deleri de numero ſaluandorum meretur: Vnde Chriſto io Circumciſione nomen Ieſus imponitur, ut ſcias, quod ad Ieſum, & ſalutem non poteris pervenire, niſi ſpiritualiter circumcidatis. *ſerm.4. in Circumciſ.*

1368 *Conjuges ſint tanquam una perſona, vel una anima.*

Dixit quoq; Deus ad Abraham; ſarai uxorem tuam, non vocabis ſarai ſed ſarah. Cur non amplius ſarai, ſed ſarah? Iam dictum eſt nomini Abrahæ additam eſſe à Deo litteram. H. Idem & fecit cum uxore Sarah, ideſt Domina odoris, vel Principiſſa mea: Additaque eſt eadem littera. H. utrique Coniugi (ait Lyranus) ut ſignificaretur quod ambo conjuges debent eſſe veluti una perſona, cor unum, & Anima una, vel duo in carne una. *l. 4: d. 33. q.4.* Ideſt ſicut vir eſt Dominus domus, ſic & Vxor.

1369. *Maria Virginis Charitas immenſa.*

Et benedicam ei, & ex illa dabo filium, cui benedicturus ſum. Cur ex Sarah, & non potius ex Agor? Nota, quod Sarah etiam interpretatur carbo ignitus, & ideò fuit figura Beatæ Virginis: ex cujus charitate Deus nos benedixit, auferens maledictionem noſtram.*op.ſpec. B.Virg. lect.15.*

1370. *Iuſti cadunt in faciem ſuam ante Dominum: Impij poſt tergum.*

Cecidit Abraham in faciem ſuam. Cur non retrò, ſed in faciem ſuam? ſed attende, quod dictum eſt à Chriſto: *Vade retrò poſt me Sathana*, ut videas, quod juſtorum proprium eſt cadere in faciem ante Chriſtum, quia recognoſcentes Divinam Majeſtatem, & exhibitionem beneficiorum Dei, cadunt ante faciem ſuam in ſignum exhibitionis reverentiæ & honoris: & ſi aliquando cadunt, cadunt non in ruinam videntes ubi cadunt, & ut releventur citò, & ad inviſibilia erigantur: mali autem cadunt retrò in ruinam, nec vident quo cadunt. *In Luc. c. 17. v.16.*

1371. *Sancti à Deo nomen, & honoris magnificentiam accipiunt.*

Vocabiſq; nomen ejus Iſaac. Cur Deus voluit imponere nomen filio Abrahæ? quia habent hoc ſancti, ut à Deo nomen accipiant, *In Luc. c. 1. v. 61.* Vult enim Deus ut ſervi ſui nomeo, & honorificentiam accipiaot, quod reſultat in majus decus, & honorem Dei.

1372. *Avaritia mala quanta.*

Super Iſmael quoq; exaudivi te. Duodecim Duces generabit &c. Cur duodecim Duces dantur Iſmaëli? Iſmael fuit idolatra, & figura avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus: habetq; duodecim filios duces ſcilicet, uſuram, rapinam, latrocinium, talliam injuſtam, fraudem negotiatorum, deceptionem Advocatorum, acceptionem munerum, ſimoniam, favorem iniquorum Eccleſiaſticorum, fraudem mercatorum, avaritiam ſcientiæ, & iniquitatem luſorum. *Op. Diat. tit. 1. c. 6.*

1373. *Præceptorum obſervantia non differenda.*

Tulitq; Abraham eodem die &c. Iſmael, & omnes vernaculos, eoſq; & ſeipſum circumcidit &c. Vide promptam obedientiam Viri juſti: quamvis enim præceptum Circumciſionis eſſet difficile, aſperum, grave, inſolitum, non tamen diſtulit complere uſq; ad craſtinum, ſed ſtatim obedivit. *Op. Bibl. paup. c. 25.*



CAPUT XVIII.

1374. *Deus cum miſericordiam largitur adeſt: cum punire tenetur abeſt.*

Apparuit Abrahæ Dominus in Convalle Mambræ & cum elevaſſet oculos apparuerunt ei tres viri &c. Notandum, quod in hoc capitulo expununtur in medium diverſæ apparitiones factæ Abrahæ: & primò dicitur, quod apparuit ei Dominus, & deinde apparuerunt ei Angeli:in quibus conveniunt Doctores, quod hæ apparitiones fuerunt factæ ab Angelis, ſed in Perſona Dei: Quæritur autem cur in principio dicitur Deus apparuiſſe Abrahæ, & poſtea proponuntur Angeli? ſi fuerunt ſemper Angeli, cur dicitur Deus apparuiſſe? Sed Notandum, quod in principio agitur de benedicendo Abraham,& poſtea de Sodomæ punitione.In principio igitur dicitur Deus apparuiſſe, quia dum agitur de exhibitione miſericordiæ,Deus,cujus eſt proprium miſereri proponitur: quando verò de Iuſtitia, & punitione,quia ejus proprium non dicitur punitio, & juſtitia, non proponitur præſens, ſed veluti abſens, & veluti compulſus: & ut ait, *hic* catena Græca.*Vbi bona nunciantur Dominus adeſt.* In denunciatione malorum accedere noluit, quia ſicut bona libenter largitur hominibus, ita invitus oſtendit pœnas erogare. *Videl 1.d.47. dub. 1.& l.4.d.4.p.1.a.1.q.2.ad 5.*

1375. *Humilitas eſt præambula ad cognitionem, & viſionem myſteriorum Dei.*

Apparuit ei Dominus in Convalle Mambra. Cur Dominus apparuit Abrahæ ſedenti in convalle, & non potius ſtanti in monte? Convallis eſt locus imus, & ſignificat ſtatum humilitatis: Hoc autem dicitur, ut uideas, ait Gloſſa, quod humilitas eſt præambula ad apparitionem Dei, & intelligentiam myſteriorum

mysteriorum Dei: sicut enim superbia excæcat: sic ex opposito humilitas illuminat mentem. Intellige non per se, sed tumorem, & impedimentum evacuando, viamq; lucis præparando. *Ser.2. de uno S.Doctore. Ser.2. de uno S.Confess. & ser. 1. Dom. sexag.*

1376. *Deus nescit parua, & pauca largiri obtemperantibus sibi.*

Apparuit ei Dominus &c. Cur tot apparitiones factæ demonstrantur Abrahæ? Item & tot promissiones, & favores? Quia Dei liberalitatem non decet pauca, & parua reddere propter obsequium fideliter sibi obtemperantis. *Op.Brevil. p.5.c.2*

1377. *Maria Virgo Triclinium, & Tabernaculum Filij Dei.*

Apparuit ei Dominus sedenti in ostio Tabernaculi sui &c. Certum est, hos fuisse tres Angelos, qui nomine personarum Divinarum apparuerunt: sed cum dicat, *Apparuit ei Dominus*, in singulari: quænam ex his tribus Personis fuit quæ specialiter apparuit? Sed nota, quod hoc Tabernaculum figurabat Mariam Virginem, quæ fuit nobilissimum Triclinium sanctissimæ Trinitatis, & in ea Verbum posuit suum Tabernaculum, ideò cum tres Personæ Divinæ effectivè concurrerint ad opus Incarnationis factæ in Maria, tamen sola secunda Persona dicitur incarnata, & hinc præfigurata fuit Incarnatio in hac apparitione. Sic S. Irenæus S.Bonaventura. *l.3. p.1.a.2.q.1. & op. Psalt.B.Virg. in Hymn. Te Dei matrem & l.3.d.5.q.1.*

1378. *Trinitas unus Deus adoranda latria: Angeli verò cultu duliæ.*

Cum vidisset tres viros adoravit in terram, dicens Domine si inveni gratiam in oculis tuis. Si sunt tres viri, quomodò dixit ad unum singularem, Domine si inveni gratiam in oculis tuis? Cuinam ex istis tribus direxit suam adorationem, & deprecationem? & cum fuerint tres Angeli, quomodò eos adoravit, ac si essent Deus? Respond. quod tunc cognovit mysterium Trinitatis, tres vidit, & unum adoravit, tres Personas unum Deum, & quatenus isti tres Angeli representabant unum Deum, ipsum adoravit cultu latriæ soli Deo debito: postea recognoscens eos verè tres Angelos, adoravit eos cultu duliæ, & tali veneratione debent coli Deus, Angeli, & sancti in suis Imaginibus. *Serm. 14 Hexaem. & l.1.d.2. dub.8. & l.2.d.11.a.2. q.1.in fine l.3.d.9 a.1.q.5.& op.Comp.Theol.l.1.c.10. & op. Centil.p.1.3.5. & ser. 3.Dom. Trinit. & ser. 1.de Circumcisione & op.de Perfec. Religios.l.2.c.75.*

1379. *Charitatis ardor proprius est confidentium verè in Deum*

Apparuit ei Dominus in feruore diei, scilicet in meridie, ut legunt Septuaginta. Cur in meridie voluit Dominus apparere Abrahæ? Cur non mane, vel vespere? optime in meridie, scilicet in feruore charitatis, dum elevavit oculos suos, scilicet mentis in Deum, & spetando in eum: iis enim, qui in Deum credendo confidunt totaliter, Deus apparet in fervore, scilicet infundit charitatis fervorem. *In Psal.29.& in Io.c.8.v.53.* Nec id est mirum, quia Charitatis proprium est dare complementum fidei, & spei, & quietem totalem Animæ. *l.3.d.31.a.3.q.1. ad 3.*

1380. *Desiderium feruens facit appropinquare Deum ad Animam.*

Apparuit ei in feruore diei &c. Cur in fervore diei? In feruore diei, scilicet ardentissimi desiderij: ut discas quod fervens desiderium in via Dei est necessarium: nisi enim mens intus fervear unda mundi non vincitur, sed sancti desiderii fervor, oportet, ut præveniat faciem Dei in Anima, ad quam est ipse venturus: Non ergo mirum, si Deus in feruore diei apparuerit Viro justo. *Op. Phar. lib 4. c.25.*

1381 *Dies vita contemplativa vesperam non habet, sed perficitur in gloria.*

Apparuit ei sedenti in ostio Tabernaculi in feruore, & meridie. Cur non in vespere, vel mane? quia vir iustus morabatur in contemplatione divinitatis, & quia hæc vita contemplativa significatur per diem septimam, quæ vesperam non habet, hinc est quod in hac vita incipit, & nunquam deficit, sed in patria perficitur, quia amor est ignis, qui ardere incipit, sed cum ipsum, quem amat, videbit Anima, amplius in amore exardescit. *op. de dono sap. c. 4.*

1382 *Hospitalitas quàm Deo chara.*

Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam pauxillum aqua, & lavate pedes vestros &c. Vide, quod Abraham stabat in feruore diei ad ostium Tabernaculi, ut pertranseuntes invitaret ad hospitium, & hospitalitatem in eos posset exercere: hincq; Deus, & Angeli in specie peregrinorum ei apparuerunt, variaq; charismatum dona ei intulerunt: Per quod patet, quàm Deo chara sit hospitalitas in peregrinos, & pauperes. *op. de grad. virt. c. 6.in Luc.c. 8.v.44.& c.19.v.5.in sap.c.19.in Luc. c.16.v.21. op. Bibl. paup. c.45.*

1383 *Pœnitentia, & sumptio Eucharistia necessaria ad transitum ad gloriam.*

Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore &c. Vide quomodò peregrini invitantur antequam transeant ad lavandum pedes: Datur intelligi nobis, qui vivimus ut peregrini in hoc mundo, quod si volumus transire ad gloriam æternam, debemus prius lavare pedes Animæ, & sub Arbore Crucis per meditationem, & imitationem requiescere, & simul ad Eucharistiæ sacramentum accedere: Sicq; securè fiet iste transitus ad patriam. *ser.3.in Cœn.Dom.*

1384. *Eucharistia sumptio exigit dignam præparationem.*

Laventur pedes vestri: Afferam pauxillum panis. Vide quod vir justus vult, ut prius laventur pedes, antequam eos cibet pauxillo panis. Cur hoc? Et cur offert pauxillum, vel buccellam panis, & non potius majorem quantitatem? & cur non alia obsonia etiam eis exhibet? Hoc dictum fuit in figuram eorum, quæ circa nos sunt facienda: Buccella panis est sacratissima hostia consecrata, quæ est panis Angelorum, & in qua continetur omne bonum, ad hanc continuè incitamur à Deo: Sed prius

vult, ot laventur pedes Animæ, quia ſolùm pet aquam lacrymarum, & veram pœnitentiam poteſt homo ad haoc menſam dignè introduci. *op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. in Luc. c. 22. v. 12. & ſer. 3. in Cœna Dom.*

1385. *Ad dignam celebrationem Paſchæ exigitur jejunium quadrageſimale, auditio Verbi Dei, & ſumptio Euchariſtiæ.*

Afferam pauxillum aquæ, laventur &c. poſtea pertranſibitis. Nota hæc ultima verba, *& poſtea pertranſibitis.* Quid eſt traoſire, niſi celebrare Paſcha, quod eſt traoſitus? Vide ergo quam ſaoctè Eccleſia vult ad celebrationem Paſchæ, ut præcedat pœoiteotia quadrageſimalis, receptio panis Verbi Dei, & ſacræ Euchariſtiæ: Iſtiq; ſunt ſoli, qui verè traoſitum Domini celebrant. *In Luc. c. 22. v. 12.*

1386. *Soli mundo corde admittuntur ad menſam illuminationum cæleſtium arcanorum, & ad deguſtationem dulcedinis divinæ.*

Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, ponámq; buccellam panis, & confortetur cor veſtrum. Cur voluit priùs lavare pedes? quænam ſordes poterant ineſſe pedibus Angelorum? At id dictatum fuit à Spiritu ſaocto ad inſtructionem oostram, ut ſcilicet diſcamus, quod ſoli mundi adoittuntur ad menſam Angelorum: ſcilicet niſi mundentur affectus, niſi mundo corde nos ipſos præſentemus Deo, Deum non videbimus: nempè oon poſſumus admitti ad illuminationes ſupernas, & ad deguſtationem dulcedinis divinæ. Citiſſimè enim audit Deus mundos corde, & omne quod poſtulant libens dooat: Vnde Dominus dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* Matt. 5. Nota, quod non dicit, Beati mondo ore, vel opere, ſed corde, quia noo poſſunt eſſe munda verba, & opera, niſi ſiot munda corda. Quaotò igitur magis ſenſus corporis & affectiones cordis purius cuſtodientur, & regentur, tanto perfectius divinarum ſuavitatum dulcedinem recipiemus, & ſentiemus. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 3. & ſerm. de S. Agnete, & ſer. 4. de Apoſtol.*

1387. *Veri fideles conſtituunt in Eccleſia unum corpus per concordiam cum Chriſto.*

Feſtinavit Abraham in Tabernaculum ad Saram, & dixit ei accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Cur hoc præcipitur Vxori, & non potius Aocillis domus? meritò id præcipitur Saræ: Sara myſticè eſt Eccleſia, vel Sapientia divina in Iocarnatiooe humanitati conjuncta, farina ſunt fideles, qui teruntur pet duas molas, quarum ſuperior eſt ſpes, inferior eſt timor, ex qua fit unos paois per cooeordiam, quam Chriſtus io ſuum corpus myſticum trajicit. *In Luc. c. 13. v. 21.* Vide ergo, quod qui charitatis cooeordiam non habet, extra Eccleſiam, & ſeparatus à Chriſto eſt.

1388. *Beata Virgo Maria nobis præparavit cibum Angelorum.*

Et dixit Sara accelera, tria ſata farinæ commiſce, & fac panes &c. Cur Saræ, & non Aocillis, & noo famulis id præcipitur? Sara eſt figura B. Virginis Mariæ: huic dictum eſt tria ſata farinæ: quia cooſentiendo in opus incarnationis, ſumpto fermento fidei, & dilectionis tria ſata puriſſimæ farinæ commiſcuit, ſcilicet carnem, ſanguinem, & Divinitatem commiſcuit in ſuo puriſſimo Virginali utero, oobiſq; præparavit ſubcinericios panes; ſcilicet coctos in clibano Vteri ſui igoe Spiritus ſancti. Oh panis dulcis, & vitalis, verè panis Angelorum oobis mioiſterio B. Virginis præparatus. *In Luc. c. 13. v. 21. de concurſu B. Virginis ad Euchariſtiam.* Vide in *Pſal. 57. & 106. & op. medit. Vitæ Chriſti cap. 4. & op. de perfect. vitæ c. 8.*

1389. *Multa myſteria panduntur contenta in his tribus ſatis farinæ.*

Nota, quod per hæc tria ſata poſſunt intelligi: primò tria genera hominom, in quibus Dei ſapientia collocat farinam dilectionis, & ebaritatis in via, ſuntq; boni prælati, booi contemplativi, & boni activi: ſecondò tres modi diligendi Deum ex toto corde, ex tota Anima, & ex tota meote, in quibus abſcondit Deus farinam dilectionis ſuæ: tertiò ſpiritus, Aoima, & corpus, quibus homo conſtat, in quo Deus abſcondit farinam ſuæ gratiæ. *In Luc. c. 13. v. 21.* Vide *ibidem* multa aliâ myſteria.

1390 *Homo ad opera miſericordiæ ſit feſtinus.*

Feſtinavit Abraham, & Sara: Accelera. Cur tanta feſtinantia? Vt ſignificaretur, quod ad opera miſericordiæ debemus eſſe ſolliciti non pigri, ut dixit Ieſus Zachæo: *feſtinans deſcende &c. In Luc. c. 19. v. 5.*

1391. *Beata Virgo data fuit in adiutorium redemptionis.*

Dixitq; Sara, & tria ſata &c. Cur id Vxori præcipit? Cur non ipſe hoc opus promptè fecit? Nota B. Virgo figurata eſt in Sara: & ſicut mulier data eſt io adjutorium viro: ſic B. Virgo Maria data eſt in adjutorium Chriſto io opere Iocarnatioois: Voluit enim Chriſtus, ut & ipſa eſſet ſecum ſocia, & veluti corredemptrix. *Brevil. p. 3. cap. 3.*

1392. *Chriſtus Dominus non de Cœlo, ſed de carne B. Virginis, & de noſtra maſſa aſſumpſit humanitatem.*

Abraham verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum. Vide, quod Abraham non miſit ſeruum ad hoc opus, ſed ipſe ivit ad armentum, ſcilicet Deus ad genus humanum, quod per armentum iotelligitur. *In Luc. cap. 12. v. 32.* Tulitq, vitulum, ſcilicet Chriſtum, qui non ex cœleſti materia, ſed de carne puriſſima B. Virginis formavit corpus, ut in Cruce offerretur pro nobis. *Pſal. 18. Luc. c. 15. v. 23. & l. 3. d. 2. a. 2. p. 1. ad 1. & d. 3. p. 2. q. 1. & 2.*

1393. *Chriſti complexio delicatiſſima fuit, ideò in cruce dolorem intenciſſimum habuit.*

Feſtinavit, & tulit vitulum tenerrimum. Cur vitulum tenerrimum, & non potius aoniculum? vitulus

Vitulus mysticè est Christus, & dicitur tenerrimus, ut detur intelligi, quod cum esset complexionis delicatissimæ ejus dolor in passione, & Cruce fuit maximus. *Ser. 5. in Parasceve & l. 3. d. 16. art. 1. q. 2.*

1394. *Christus vitulus saginatus, & in Cruce coctus, toti Trinitati expositus in satisfactionem pro peccatis nostris.*

Et tulit vitulum &c. Nota hanc figuram Iesu Christi, quæ verè maximam dulcedinem Contemplantibus affert: Abraham mysticè est Pater æternus, qui filium suum unigenitum Innocentissimum gratiæ, & veritatis plenum tulit de Armento, scilicet elegit de omnibus hominibus, & Cruci, & morti pro nostris peccatis tradidit. Ex hoc vitulo sic cocto in Cruce comederunt tres Angeli, scilicet tres Personæ divinæ, scilicet per ejus mortem satisfactum est toti Trinitati, quæ erat pro nostris peccatis ad justitiam famelica. O pietas quanta Dei nutritio! ô humilitas Christi Iesu, &c. *op. stim. Div. am. p. 1. c. 7.*

1395. *Christus saginatus, & præparatus exponitur à sacerdotibus, & Prædicatoribus fidelibus in cibum.*

Deditq; puero, qui festinavit, & coxit illum, & posuit coram eis &c. Cur puero, & non Vxori hoc officium præparandi vitulum imposuit, sicut imposuerat, ut præpararet panem? Sed nota verbum, signa mysterium. Datus est à Deo hic vitulus servo, & non Vxori, scilicet Sacerdotibus, & Prædicatoribus: illis, ut in altari ipsum veluti coquant, immolentq; pro salute peccatorum, & exponant in cibum fidelibus: istis scilicet Prædicatoribus, ut ejus mortem, & excellentiam sacramenti exponant, & proponant auditoribus in cibum Animæ. *In Luc. c. 15. v. 23.*

1396. *Christus accepit de Virgine carnem non infectam sed purissimam.*

Tulitq; butyrum, & lac, & vitulum &c. Cur non etiam caseum? Nota per butyrum, qui ex carne descendit, significatur natura sine corruptione: per lac, puritas, per caseum verò peccatum: Per quæ significatur, quod Christus, ut Trinitati convivium satisfactionis pararet, tulit naturam humanam de Virgine sine impunitate, & peccato, eamq; obtulit eidem Trinitati. *Psal. 8. & op. de septem itineribus æternit. itin. 6. d. 5. & ser. 1. de una S. Virgine.*

1397. *Divites sunt matres, & nutritores pauperum.*

Butyrum & lac tulit &c. Ad quid lac tulit? Nonne hic est cibus parvulorum? nonne spectat hoc ad matrem, & nutricem? Verum quidem est: homo enim eleemosynarius est sicut nutrix, quæ lactat puerum: sicut enim nutrices solent impinguari, ut lacte abundent, & bene nutriant pueros, sic Deus impinguat divites, ut nutriant filios suos, scilicet pauperes. *op. Diat. salut. tit. 2. c. 7.* Nota etiam, quod Abraham in magna abundantia præparavit prandium istis tribus viris, ut detur intelligi, quod abundantia divitum debet supplere inopiam pauperum, & ideò eleemosyna abundanter est danda. *In Eccles. c. 9. v. 8.*

1398. *Sub arbore crucis per meditationem reficitur Anima.*

Tulit butyrum &c. & posuit coram eis sub arbore. Cur sub arbore, & non in domo? quia propter umbram in meridie locus erat gratissimus, per quod significatur, quod sub arbore Crucis proponitur convivium, quia mediantibus Christi passionem, cibus & refectio maxima, & suavissima provenit. *In Luc. c. 15. v. 23.*

1399. *Angeli quàm sedulò, & libenter nobis ministrant.*

Cumq; comedissent, dixerunt ad eum, ubi Sara Vxor tua? Ergone Angeli manducant? si sunt puri spiritus, possunt ne cibum in substantiam convertere? minimè: sumpserunt quidem cibum, sed absq; conversione alimenti, non ad sui refectionem, sed dantis consolationem, & instructionem: ex quo patefit familiaritas, & humilitas ministerij, quo Angeli condescendunt homini: illiq; adstant modo ut adjutores, modo ut eruditores, & illuminatores ipsius. *l. 2. d 8. p. 1. a. 3. q. 1. in Luc. c. 2. v. 9. & op. Bibl. paup. c. 31.*

1400. *Angeli defensores viri eleemosynarii.*

Cumq; comedissent &c. Cur post comestionem se manifestatunt, Angelos esse? Vt perciperet, quàm chata Deo, & Angelis hospitalitas, & eleemosynæ distributio. *ser. 5. Dom. 8. post Pentecost.*

1401. *Hospitalitas, & ablutio pedum inter religiosos commendatur.*

Cum comedissent &c. Cur solùm post ablutionem, & comestionem se se manifestarunt Angeli? Vt discamus, quod Deo, & Angelis est chara hospitalitas apud servos Dei: & ob id Christus priùs voluit lavare pedes Discipulorum, & postea eos cibo cœlesti refocillavit: sic est antiquus mos apud religiosos, ut ad fomentum charitatis priùs laventur pedes advenarum, postea refocillentur. Tria enim valdè venerabilia erant apud antiquos religiosos: scilicet accessus ad Altare: Ingressus ad mensam, & ablutio pedum fratrum advenarum: ergo & nos studeamus ipsos devotè imitari. *In Io. collat. 60.*

1402. *Christi nativitas potest continuè spiritualiter celebrari.*

Cumq; comedissent, dixerunt, habebit filium Sara Vxor tua. Vide, quod post occisionem, & comestionem vituli filius nasciturus ex senibus promittitur; & si hic vitulus est Christus occisus in Cruce, ergo denuo nascetur? sed nota mysterium: Abraham est Pater æternus, cui post filij mortem adhuc denuo eundem filium nasciturum promittitur, & quomodò? nasciturus in mentibus puris per virtutum infusionem, & tunc verè erit Isaac, id est risus, quia dulce lumen, & delectabilis sol justitiæ est oculis Animæ. *op. stim. div. am. p. 1. cap. 7.*

1263. *Fides abſentia reddit præſentia.*

Egreſſus eſt itaque Abraham. Sed quo vadis, ubi ſunt bona, quæ tibi tam liberaliter Deus promittit?Ubi ſunt bona ad vitam conſervandam neceſſaria tibi, & tuæ familiæ? Non eſt mirum, quod vir imbutus maxima fide ad horum nihil cogitaverit, quia fides verè innititur cum Deo omnium bonorum largitore:fides abſentia præſentia facit, vidit hæc omnia credendo, ſperando, & amando. *In Ioan.cap.8.v.53.& ſeq.*

1264. *Obedientia benedictionem à Deo meretur.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut preceperat ei Dominus. Notandum, quod Deus dixit, *Benedicam tibi,* ſcilicet in tempore futuro, ſed quando hæc erunt ô bone Deus? ſic poterat dicere Abraham, ſed nihil horum dicit, ſed obediendo ſe præparavit ad benedictionem; unde Deus remiſit benedictionem ſuam ad tempus obedientiæ, & meritò, quia obedientia eſt fundamentum omnium benedictionum Dei: Ille enim à Deo benedicitur, qui obedit ei,& propter Deum facit quidquid facit. *In Luc.cap.24 v.50.*

1265. *Cultus Dei perfectus liberat à malis, & colens verè Deum,à Deo colitur ipſe.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c. Unde egreſſus? De Ur Chaldæorum,ubi vigebat Idololatria,egreſſus eſt ut Deũ ſecurè coleret, ideò benedictionibus repletur, & à malis protegitur. Nota igitur, quod colimus Deũ adorando,& obediendo, & Deus nos colit purgando,exercendo,& liberando à tentationibus,& periculis. *In Ioan. coll.47.* Colimus Deum adorando,& ut culmen noſtrum invocando;Colit nos Deus amando, tanquam agricola non ceſſans verbo ſuo extirpare mala ſemina de cordibus noſtris, & aperire cor noſtrum tanquam ſermonis aratro plantare ſemina præceptorum, & expectare fructum. *op.de dono pietatis c.1.*

1266. *Cultus Dei maximè floret in oblationibus factis ſuper altare Deo dicatum.*

Et inde tranſgrediens ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen eius. Ante Abraham non legitur ædificatum Altare niſi à Noe poſt diluvium,ſed ab Abraham pluries, & in pluribus locis plurima Altaria ædificata ſunt,& hoc dictante Spiritu ſancto, quia hæc fuit tertia ætas reſpondens tertiæ diei creationis,in qua terra germinavit:in hac tertia ætate ſynagoga cœpit florere in cultu Dei, & in multiplicatione cultuum Dei. Cultus autem Dei alius eſt interior,alius exterior,exterior conſiſtit in oblationibus,ſacrificiiſque,adorationibus,& ſimilibus, quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur: hoc autem maximè exercetur ſupar Altare, quod eſt ara alta, in qua figuratur elevatio mentis, & actuum ad Deum ipſum quaſi culmen,& centrum invocando,& recognoſcendo. *ſer.15.Hexaem.op.de dono piet.c.1. & in Pſal.15.*

1267. *Chriſtus in hoc mundo fuit veluti peregrinus, ut nos veluti peregrini vivere mus in hoc mundo.*

Deſcendit igitur Abraham in Ægyptum,ut peregrinaretur ibi,&c. Abraham manſit in pluribus regionibus:ſed notandum, quod procedens in Ægyptum,dicitur ibi ſtetiſſe ut peregrinus. Cur in ſola Ægypto dicitur peregrinari?Nota, quod in Abraham figuratur Chriſtus,in Ægypto mundus; darque per hoc intelligere, quod Chriſtus venit in Ægyptum hujus mundi veluti peregrinus, non enim hæc erat ſua patria:voluit etiam per hoc nos docere, quod tanquam peregrini debemus vivere propter laborem,paupertatem,tranſitum,& remotionem à gratia. *op.Comp.Theol.lib.4.c.5.& in Pſal.114. & in Luc.c.24.v.18.*

1268. *Per Mariam Virginem (tanquam noſtram ſororem) veniunt omnia bona nobis.*

Dic igitur, obſecro te,quod ſoror mea ſis, ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Abraham timens, ne aliquid ſibi mali accideret propter Saram uxorem ſuam, cùm eſſet valdè pulchra: ideò voluit, ut diceret ſe eſſe ſuam ſororem: ſed cur hoc? Si Deus promiſerat ſe futurum ſuum defenſorem,& protectorem:Cur in hac trepidatione non recurrit ad Deum?Sed nota,quod Sara pulchra fuit figura Beatæ Virginis Mariæ pulcherrimæ inter omnes mulieres, quæ veluti ſoror noſtra fuit in hoc mundo collocata, ut cum tota fiducia poſſimus ad ipſam recurrere,& ſimiliter dicere;Dic, obſecro, ô Maria, quod ſoror noſtra ſis, ut propter te benè ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivat anima noſtra in Deo, & ut propter talem ſororem Ægyptij Dæmones nos revereantur, & ut Angeli nobis in aciem conjungantur, & ut Pater,& Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur. *op.ſpec.B.Virg.lect.6.* Vide ergo,ô homo, qualis ſit ſoror hæc noſtra, & qualia bona nobis per ipſam veniunt.

1269. *Adulterium etiam apud Gentiles abominabile.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis, &c. Sed cur noluit Abraham, ut Sara appareret ſua conjux?Nota rem mirabilem:ſciebat, quod apud Ægyptios abominabile ita erat adulterium, quod potius eligerent occidere Abraham, ut poſſit Rex liberè ducere Saram, ideò voluit, ut appellaretur ſoror, ut vitam ſalvaret.*op.Bibl.paup.c.89.* Confuſio ergo ex hoc oritur Chriſtianis,qui ſine fræno ullo, & tam facilè ſe præcipitant in adulteria: verè deteſtanda perverſio eſt videre, quod immunditiam,quam deteſtatur Gentilis, & Idololatra, imò & Brutum, amplexetur Chriſtianus, & homo. *ſer.4. de Apoſt. & ſer.1.Dom.24.poſt Pentec.*

1270. *Deus non eſt tentandus, ſed ad remedia humana poſſibilia recurrendum.*

Dic, obſecro, quod ſoror mea ſis,&c. Sed cur ad Deum non recurris ô Abraham? Cur non temeritis exitum hujus rei ad divinam protectionem toties à te in tuis neceſſitatibus expertam?Et qua veritate poterit ipſa dicere ſe eſſe tuam ſororem?Ergone mendacio vis te eximere à periculo? Nonne ſatius eſt,& Deo charius,ut potius ſubeas mortem, quàm Deum etiam minimo peccato offendere? ſed reſpondetur,quod non dixit mendacium aſſerendo Saram eſſe ſuam ſororem,quia eam diligebat ut ſororem, & quia erat conſanguinea, hocque medio voluit uti, ne videretur Deum tentare: vult enim Deus,

Deus, ut quando possumus, ad media, & remedia humana, & ordinaria recurramos. *op. Bibl. paup. c.14.& 53. & in Luc.c.4. & in Sap.cap.1.*

1271. *Coniuges cum debita reverentia se mutuò tractent, & Vxor sit obediens Viro.*

Dic, obsecro, quod soror mea sis, &c. Vide, qua modestia Abraham hoc præcipit uxori, & quomodò uxor promptè obedit Marito. Vt addiscant uxorati, quomodò mutuò inter se, & qua humilitate, obedientia,& benignitate debent cobabitare. *op. Bibl. paup. cap.89.*

1272. *Cooperatores peccati eadem plectuntur pœna, qua principales peccatores.*

Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & omnem domum ejus plagis maximis. Cur etiam domus, scilicet servi, & familiares Pharaonis propter raptum Saræ flagellantur? Cur non solus Pharao? Respondet Chrysostomus, quia fuerunt Cooperatores cum Rege ad committendum hoc scelus,vel laudando pulchritudinem Saræ, vel coadjuvando, &c.Nec id mirum est: sic enim exigit justitia Dei, quia mali consiliarij, auxiliatij, & cooperatores ad malum sunt pseudoapostoli, milites, venatores Diaboli, ideò à Deo graviter puniuntur. *serm. 3. fer.2.Pasch.& serm.4. Dom.24.post oct. Pasch.& fer. 2. fer.4.Pentec. & fer.3.dom.4.post Pentec.& fer.3. dom.sexages.& in Luc.c.17.v.1.& 2.*

CAPUT XIII.

1273. *In regione, & statu peccati solùm cæcitas, & tenebræ vigent.*

Ascendit Abraham de Ægypto Ipse, & uxor, & Lot, ad australem plagam. Cur non remansit Abraham in terra fertilissima Ægypti? Nonne & poterat in illa terra alienigena vivere & juxta Dei præceptum? sed ibi non remansit,quia Ægyptus non erat locus à Deo sibi destinatus, nec suæ vitæ accommodatus, sed benè terra promissionis ad Australem plagam posita, & meritò justus recedit ab Ægypto,qui interpretatur tenebræ,& significat statum peccati, & peccatoris, qui ob peccati cæcitatem non videt, quid agere debeat, sed delectatione peccati obtenebratus ad omnia peccata est pronus. *fer.4. dom. 16. post Pentec.* Infelix igitur, qui in regione Ægypti habitat ut filius prodigus. *in Luc.cap.15.*

1274. *Iustus ascendit, Impius descendit.*

Ascendit Abra ham de Ægypto ad australem plagam. Quomodò dicitur ascendere Abraham? Erat ne in aliqua fovea? sed nota, quod Ægyptus erat status peccatoris, qui ad Deum se convertens ascendit de tenebris ad lucem,& post ascendit ad australem plagam,scilicet de virtute in virtutem: Impius verò descendit de peccato in peccatum, & tandem in Infernum.O felix status ascendentium: Infelix descendentium. *fer.2.Dom.16.post Pentec.& fer.4. in Ascen.*

1275. *Christus ascendit multipliciter ad nostrum exemplum.*

Ascendit Abraham de Ægypto ad australem plagam. Nota, mysticè: hic est Christus, qui ascendit primò in crucem, secundò in Resurrectione de Lymbo,tertiò in Ascensione, ut nobis daret semper exemplum ascendens usque ad gloriam. *fer.4.in Ascens.& Psal.45.*

1276. *Derelinquentibus pro Christo temporalia,ab ipso Deo ipsamet redonantur.*

Erat autem dives valdè in possessione auri,& argenti. Nota, quod hic solùm dicitur Abraham fuisse dives valdè. Cur hoc? sed revoca in memoriam, quod Abraham reliquerat pro Deo omnia: Deus autem dupliciter ipsum benedixit, ut supra notatū est. *Benedicam tibi, & eris benedictus*: quænam est hæc duplex benedictio? Adverte,quod Deus de terra benedicit suos,cùm eis tribuit bona spiritualia, & sinistra,cùm dat temporalia. *fer.4.dom.Trinit. & Ps.66.& 118.*hac igitur duplici benedictione Deus ditavit Abraham in præmium,quod reliquerat patriam,patrem,& exierat de terra sua,&c.

1277. *Divitiæ, de se non sunt malæ, sed tantùm malè utentibus.*

*Erat autem dives valdè.*Quomodò inter sese cōpatiuntur divitiæ cùm sanctitate viri justi, si sunt spinæ,ut ait Christus,quæ animam vulnerant? sed adverte,quòd divitiæ de se non sunt malæ,nisi malè eis utentibus, horum enim strangulant animam. *op.Apol paup.resp.3.c.3.& op. de paup. Christi qu.1. a.2.& in Luc.c.8.v.14.*

1278. *Gratias agere debemus pro beneficiis à Deo receptis corde, ore, & opere.*

In loco Altaris,quod fecerat priùs invocavit ibi nomen Domini. Vide justum statim ac liberatus fuit cùm suis rebus,& personis ab Ægyptiis obtulit sacrificium laudis ad Altare Domini pro collatis beneficiis,&c. Ita & nos gratias agere debemus corde, ore & opere pro bonis naturæ, quibus in esse subsistimus;pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur;pro bonis gratiæ,qua spiritualiter vivimus, & pro bonis gloriæ,quam aliquando habere credimus.Quid enim meliùs,quàm quod in corde geramus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias.Hoc nec aliquid breviùs dici potest,nec audiri leviùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. *fer.3. de una Virgine.*

1279. *Divitiæ lites,& invidiam generant.*

Sed & Lot,&c.fuerùtque greges,& pecora,&c.Nec poterat eos capere terra,ut habitarēt simul,erat quippe substantia eorum multa,& nequibant habitare communiter. Sed quomodò non poterat eos capere terra? Ergone in illa Provincia, vel Regno, quæ erat terra promissionis, in quo post numerati sunt tot milliones, non poterant duæ familiæ simul cohabitare? At id non est mirum;quia eorum substantia erat multa; ubi enim sunt divitiæ temporales, ibi sunt bella, rixæ,lites,timores,sollicitudines,& ideò ubi est major quantitas divitiarum, ibi & majoris discordiæ causa major. *op.de prof.Religios.lib.2.c.17. & op.Phar.lib.3.c.22.& op.Bibl.paup.c.48.& 73.*

V 1280. Divitiæ

1305. *Diabolus cætera omnia libenter tribuit homini præter animam, quam exigit.*

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Quid est, *Da mihi animas*, cur non homines? Et quid est, *cætera?* sed figurativè sumitur hic pars pro toto, estq; dictum in persona Diaboli, qui ab homine non quærit totum, sed tantum partem, & talem quæ supereminet cæteris rebus, & hæc est anima, quæ in nobilitate excedit totum mundum, inde Diabolus continuè dicit, Da mihi animam cætera tolle tibi: unde aliquando interrogatus, quid pluris æstimaret, & desideraret: Respondit tria præcipuè, scilicet lunam primam, idest (c): rotam solis idest (o), & fertum molle idest (r) nempe cor, quod his tribus litteris exprimitur: Ergo in æstimatione Diaboli plus valet anima una, quàm totus Mundus. *op. diat. sal. tit. 1. cap. 1. & Psal. 39.*

1306. *Diabolus quærit animam nostram ad devorandum: Christus ad beatificandum.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Nota, quod continuè id dicitur nobis à Christo, & à Diabolo, sed diversa intentione; nam Christus quærit, & petit animas tanquam sibi de jure debitas, quia eas emit suo sanguine, easque vult ad sanctificandum & beatificandum: Diabolus è contra ad devorandum. *Psal. 39. & ser. 7. Dom. 1. Adv.*

1307. *Idem conceptus in exaltationem amoris Christi in nos, & detestationem odij Diaboli in animas.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Oh quam verum est, quod ista dicuntur à Christo, & à Diabolo, sed diverso fine: Christus quærit animas, cætera omnia despiciendo, ut eas salvet: Vide in huius rei confirmationem Christum inclinatum, & prostratum ante Iudam proditorem, in quo erat Diabolus, ut eius animam levaret cui ad cor pulsans dicebat, Da mihi animam, cætera tolle tibi. *In Ioan. coll. 60.* Vide ex opposito Diabolum omnia exhibentem super pinnaculum templi Christo, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut eius animam lucraretur ad perditionem. *In Luc. cap. 4.* Nec id est mirum, nam Diabolus est mercator pessimus, emere quærens animas nostras, & rapere qualibet pretiosa nostra, pulsat continuè ad cor, dicens Da mihi animam, cætera tolle tibi: Oh infelix commercium! *serm. 9. in Rogat.*

1308. *Paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, sed tantùm cum Cælo.*

Respondit Abraham levo manum meam ad Dominum, &c. Nota hic, Abraham recusasse omnia ipsi oblata à Rege Sodomorum: sed cur levando manum illas res renunciavit? Quia erat mos tunc tali elevatione manuum jurare ad Deum; idque fuit figura abrenunciationis omnium rerum factæ à Religiosis, per quam cæremoniam significatur, quod paupertas spiritus nihil commune habet cum terra, omnia superflua abijciens, retinens tantùm necessaria, & ideò dirigunt ut abrenunciantes mundo aspectum ad Cælum, in quo suam sedem habent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 4.*

1309. *Oratio perfecta exigit operationes bonas.*

Levo manum meam ad Dominum. Quid est levare manum? Cur non potius dicit, levo vocem psallendo, levo cor amando, sed dicit, levo manum? Quia hic datur norma orantibus, qui non solùm vocem, non solùm cor, sed & opera bona debent levare ad Deum, hæc enim est perfecta Oratio. *fer. 2. Dom. 13. post Pentecost.* Nota igitur hanc conjunctionem, quia oratio sine operibus bonis, parum juvat, & bona opera sine oratione parum Deo placent.

1310. *Dives Cæli in Cælo thesaurizat: Dives Inferni in Mundo.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Nota, quod cum oblatæ fuissent multæ opes Abrahæ, eas Ipse renuncians dixit, *levo manum meam ad Dominum*; Quid est levo manum meam ad Dominum? Idem est ac dicere; In mundo nihil volo, sed thesauros meos in Cælo reposui, sic faciunt divites Cæli: Divites mundi è contra ad terrena inhiant, & nihil habent in Cælo, quia simul in Cælo, & in Mundo esse divitem est impossibile: Oh beatus dives in Deum qui abundat meritis, & operibus bonis, licèt sit inops rebus! *serm. 5. de uno S. Marty. & in Luc. cap. 12. v. 21.*

1311. *Paupertas Evangelica perfectior incomparabiliter paupertate antiquorum Patrum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quomodò laudatur Abraham de expropriatione rerum, cum possessor fuerit multarum opum? Quia fuit pauper spiritu, scilicet affectu, licet non rebus; unde nota, quod tres gradus habet contemptus divitiarum; primus, & est valdè imperfectus, est nihil habere injusti lucri, & reddere omnibus suum, facereque eleemosynam ex proprijs rebus, nec abuti ipsis ad Dei offensam, & hic fuit in Abraham: secundus est retinere necessaria, & superflua renunciare: tertius est etiam pati in ijs quæ sunt necessaria, eisque uti cum penuria, & hi duo gradus sunt in sequentibus Christum, & in pauperibus Evangelicis: ex quo patet quàm perfectior sit paupertas Evangelica. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 42. & seq.*

1312. *Magnum beneficium Dei inducentis hominem ad contemptum divitiarum.*

Levo manum meam ad Dominum, &c. Quæritur, quarè Deus traxit suos ad contemptum divitiarum? Respondetur, quod est maximum Dei beneficium: primò enim, quia divitiæ retrahunt ab amore Dei, & Cæli, sunt enim divitiæ onera ad imum trahentia; secundò quia retardant à profectu virtutum, & ab itinere Cæli; tertiò ratione majoris meriti, cum sit ad perfectionem imitationem filij Dei; quartò quia terrena substantia de se est contemptibilis, tum ex sui natura, quia terrea est, tum quia non est omninò necessaria; tum quia multorum patet invidiæ; tum quia multo labore, & sollicitudine acquiritur, & servatur, tum quia non satiat appetitum; tum quia est commune bonum bonis, & malis; tum quia diu non perseverat. *op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 44.*



CAPUT XV.

1313. *Iuſtus ſolùm de Deo, & de peccato timet; nihil de hominibus.*

His tranſactis dixit Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum. Cur ſuadet Abraham Deus, ne timeat? Nonne timor Domini erat neceſſarius? Timor tunc inceſſerat in pectore Abrahæ (aiunt hic Aliqui Doctores) ne hoſtes ab ipſo victi iterum congregato exercitu denuò ipſum invaderent: ideò benigniſſimè Deus advertit nihil timere ab hominibus, homines enim nihil poſſunt contra eum, qui ſub Dei protectione vivit: unde Deus ut patet. 2. *Macab. cap.* 2. dicit, *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt:* Sed nota, quod timor eſt fuga, ne perdat homo, quod amat; hic timor alius eſt mundanus, quo homo timet nimis de amiſſione rerum temporalium, hunc Deus vult alienari à ſuis: eſt timor ſeruilis timens magis pœnam, quàm culpam, eſtque cum affectu ad culpam, & hic eſt abijciendus; eſt & timor initialis, qui removet peccatum ſed propter pœnam, eſtque imperfectiſſimus; eſt & filialis, qui eſt cum charitate, ſolùmque Deum timet, & peccatum. *op. de dono timoris cap.* 1. *& ſeq. & in Luc. cap.* 12. *v.* 5. *& cap.* 5. *v.* 10. *& ſer.* 1. *Dom.* 10. *poſt Pentecoſt.*

1314. *Spei, & confidentia in Deum effectus mirabiles.*

Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Cur addit Deus ad protectionem promiſſam etiam mercedem? Vt excitaret cor juſti ad perfectum actum ſpei, & fiduciæ in Deum, quæ facit hominem totaliter ſeipſo diffidere, & in Deum ſeipſum collocare, & ipſi inniti cum ſpe conſequendi, quod Deus promiſit in ſe confidentibus, & hæc fiducia in Deum firma operatur in anima mirabilia. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *q.* 4. *in corp. & in Luc. cap.* 5. *v.* 10. Sed hic notanda ſunt verba Gloſſæ in hunc locum: *Ego protector tuus,* multam habet emphaſim hæc verba: Ego ſcilicet, qui te à Chaldæis evocavi, ego qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberavi, ego qui ſemel, atque iterum promiſi tibi, atque ſemini tuo daturum me terram hanc, ego qui in dies magis, ac magis omnibus clarum oſtendo, ego protego te, hoc ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo, propugnatoe fio, cotam gero, omoia difficilia facilia tibi reddam, ego defendo te, & ero merces tua, ſcilicet, quia renuntiaſti mercedem temporalem pro me, ego tibi mercedem dabo magnam, & valdè multam. Oh felix qui omnibus pro Chriſto renunciat, qui ſolùm in Deo, & de Deo confidit! *In Ioan. collat.* 74. *& ſer.* 3. *Dom.* 23. *poſt Pentecoſt. & op. Bibl. paup. cap.* 78.

1315. *Deus neſcit ſuis amicis parva largiri.*

Noli timere, ego protector, &c. Vide quomodò Deus neſcit parva largiri ſuis amicis, & quàm perfectus, & liberalis remunerator, & quomodò ſe oſtendit piiſſimum, & liberaliſſimum in ſe confidentibus. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *p.* 4. *& in Luc. cap.* 18. *v.* 29. *&* 30.

1316. *Intentio quanam perfecta, & quanam mercenaria.*

Noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Vide quomodò hic exprimit terminum intentionis perfectorum, nempe excitando eos ad ſpem puram mercedis increatæ: hoc enim diſcrimen eſt inter puram, & mercenariam intentionem, quia mercenaria reſpicit ad finem ultimum, ſed ſub ratione boni proprij, ſpes verò pura reſpicit Deum, & ad purum amorem ſummæ bonitatis. *lib.* 3 *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 5.

1317. *Inter meritum, & præmium eſt commenſuratio.*

Ego protector tuus ſum, &c. Nota hoc verbum, *merces tua*, & obſerva, quàm ſit munificentiſſimus Deus cum ſuis amicis: Patet enim ex hoc, quod Deus fecit pactum cum homine tribuendi præmium condignum operi facto in gratia pro eo, quod gratiæ, & gloriæ eſt quædam commenſuratio, & in Deo quædam obligatio non ex neceſſitate, ſed liberalitate mera, qua voluit promittere, & pactum firmare cum ijs, qui ipſum diligunt, quod ſeipſum mercedem eis retribueret, ut apparet in Abraham: unde *Matt.* dicitur *cap.* 20. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quia Deus unicuique ſe obligavit retribuere ſecundùm opera ſua. *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 2 *q.* 3. *in corp.*

1318. *Solus Deus merces perfecta operum meritoriorum, non aliquid creatum.*

Ego merces tua, &c. Per hoc voluit Deus oſtendere ipſum ſolum eſſe perfectam mercedem, & ultimum finem, non aliquid creatum. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Quidquid igitur datur homini etiam ſi totus mundus, ſemper eſt præmium inferius, & non condignum operi meritorio, & pœnitentiæ. *op. Comp. Theol. lib.* 6. *cap.* 21. & per hoc Deus excitat hominem ad opera bona, & ad aſſumendum actus pœnitentiæ.

1319. *Amor perfectus Dei mirabilia operatur in anima Deum diligente.*

Ego protector tuus, & merces tua magna. Vide, quid efficit amor in anima Deum diligente: dum enim dicit ſe eſſe ſuum protectorem, & mercedem magnam, excitat eam ad amorem perfectum, ſimulque cùm ſit levis, & ſuavis amor Dei elevat mentem ab inferioribus, eam ſtatuendo ſupra ſeipſam in ſuperioribus, confert & ſpiritualem pinguedinem animæ, per quam non ſentit difficultates externas, & cum ſit ſuavis confert vitam Angelorum, & gloriæ: & hinc dicit ad animam, Ego protector tuus ſum, te alliciens cum jugo meo ſuavi, & merces tua magna nimis, cùm me ipſum in gloria videbis tanquam ſtipendium tuæ militiæ, ſed nimis, quia tuum gaudium uſque ad completam cognitionem non tibi ſubtrahо, ſed cum meum jugum ſuſtines parum in miſeria, qualis ero in gloria miſericorditer tibi communico. *op. myſt. Theol. cap.* 2. *p.* 2. *ad* 5. *petitionem.* Oh quàm bonus, & ſuavis eſt dominus timétibus eum!

1320. *Prælatorum bonorum præmium magnum in Cælo eſt paratum.*

Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna, &c. Abraham typum gerit Prælatorum idest in perſona ipſius dicit Deus Prælatis ſecundùm voluntatem ſuam gubernantibus, Ego protector tuus, & merces tua magna, & plena. *In Luc. c.* 6. *v.* 23. nam

fecit Abraham suo nepoti Lot ? Quia noverat Vir justus Diabolū usum esse ministerio Pastorum ad rescindendam concordiam inter ipsos : Nec mirum, quia Diabolus in nobis continentiam non timet, nec abstinentiam. Ipse enim non præmitur carne, non cibo utitur, sed concordiæ nostræ nimis insidiatur, quia quod amisit Ipse in Cœlo, nititur ut Nos non servemus in deserto, nec Christus vult manere ubi charitas non est : meritò ergo dicebat Vir justus, *ne quæso sit iurgium inter Nos*, quasi dicat non scindamus vestem charitatis, quia non potest quis habere concordiam cum Deo, qui discors voluerit esse cum fratre. *serm. 1. & 2. in Epiph.*

1290. *Iusti solùm habent dexteram : Impy sinistram, quia dextera est prædestinatorum, sinistra reproborum.*

Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si ad dexteram, ego ad sinistram pergam. Mirum est quomodò Abraham ostendit se contentum patre sinistra ? Nonne hæc est præscitorum, & dextera prædestinatorum ? Nota, quod per dexteram significantur prosperitates, per sinistram adversitates: item per dexteram locus prædestinatorum, per sinistram præscitorum : dicit igitur, si ad dexteram jeris, ego sinistram tenebo, nempe ego sinistram faciam dexteram, immobilisque semper cum Deo sive in prosperis, sive in adversis permanebo. *Diat. sal. tit. 5. cap 8. & op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 5.* Iustus ergo nihil sinistrum habet, sed omnia sunt ad dexteram, scilicet omnia ordinat ad Deum, ad Cœlum &c. sic & S. Ambrosius.

1291. *Impy dicunt malum bonum, & bonum malum : Iusti idem dicunt, sed in diverso sensu.*

Si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo, si ad dextram, ego ad sinistram. Quomodò vir justus contentus est, vel dextera vel sinistra, & quomodò à sinistra ad dexteram, & è contra à dextera ad sinistram contentus est transire ? Sed adverte, quod loquitur tanquam vir spiritualis luce cælesti illuminatus, quia enim inter carnem, & spiritum est, continua pugna, & dissensio animorum : Spiritus Christi dicit quod est carni dexterum, sinistrum est spiritui, & è converso : in quo enim delectatur caro, spiritus contristatur, & quod mundus reputat bonum, ego malum, & è converso : Hinc spiritus dicit, quod bonum, & dexterum est carni, id verè est malum spiritui, & quod malum & sinistrum est carni, id est bonum spiritui. E converso caro dicit quod est bonum spiritui, est malum carni, & quod malum est spiritui, hoc reputatur bonum carni. *op. diet. sal. tit. 5. cap. 8. & op. stim. diu. am. p. 3. cap. 14. & 15. & op. de 7. donis c. 5.* Hinc (ait D. Hieron.) Apostolus *ad Galat. cap. ult.* sæpè repetebat. *Mihi mundus crucifixus est & ego Mundo*, id est mihi Mundus est abjectus, contemptibilis, maledictusque, & Ego, qui spiritu ambulo mundo, scilicet ego sum contemptibilis, & maledictus à mundo, par pari refertur, sed in fine videbitur, quis nostrum veram viam amplexatus fuerit.

1292. *Non potest esse pax inter spiritum, & carnem, nisi prius caro perfectè mortificata fuerit.*

Ne quæso sit jurgium inter Nos : fratres enim sumus, recede ergo à me. Sed quæ charitas est ista Abrahæ, dum vult Lot à se recedere ? Cur non secum retinet nepotem? Sed jam dictum est, quod per Abraham significatur pars superior animæ, & Spiritus, per Lot partem carnis: Vir justus ergo volens pacificare perfectè carnem, & spiritum, libenterque degustare ea, quæ sunt spiritus Dei, dicit carni, recede à me, idest recedat sensualitas per mortificationem mediantibus vigiliis, jejuniis, & disciplinis, talique pacto caro, & spiritus pacificantur: Sic Christus in congressu suæ passionis pacificavit carnem, & spiritum, illam spiritui subjacendo, dicens, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. In Luc. cap. 22. v. 42. & op. stim. div. am. p. 3. cap. 15. & op. de dono Sap. cap. 2.*

1293. *Bona temporalia sunt solùm apparentia, non vera.*

Lot vidit omnem circa regionem Iordanis, &c. sicut Paradisus Domini, &c. Nota illam conditionalem (*sicut.*) Cur non dicit, erat Paradisus Domini ? Quia tota felicitas erat tantùm in superficie, & apparens oculis corporis : Caduca namque, & fragilia, & puerilia sunt hæc temporalia bona, quæ subitò adveniunt, & subitò recedunt, & in nullo loco, nullaque persona stabilibus radicibus fixa consistunt. *fer. 2. de S. Barthol.*

1294. *Religiosus status est veluti Paradisus.*

Quæ universa irrigabatur sicut Paradisus Domini. Iam dictum est, quod bona temporalia sunt solùm apparentia, sed notandum, quod hæc verba possunt verè dici de statu religioso, qui irrigatur aquis cælestibus, & est veluti Paradisus Domini. *In Luc. cap. 23. v. 43.*

1295. *Felix est, qui in hoc mundo eligit sibi dexteram, etiam si videatur aspera, & difficilis : Infelix, qui eligit sinistram etiam si videatur plana, & suavis.*

Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, quæ irrigabatur veluti Paradisus Domini. Vide, quod Lot elegit sibi partem sinistram, quia ei visa est sicut Paradisus Domini, & reliquit dexteram Abrahæ nō tam fertilem, & copiosam: Vt autē pateat, quàm deceptus fuerit Lot in hac electione, notandum, quod Sacer Textus subdit, nempè quod in ea parte habitabant Sodomitæ pessimi, exitus autem probavit errorem Lot, quia illa tandem regio à justitia Dei fuit subversa, ex qua ejectus fuit ipse Lot cum sua familia, cum amissione omnium suorum bonorum, & morte pessima uxoris : & è contra Abraham à Deo protectus, & evectus ad visionem, & alloquutionem Dei, qui plurima mysteria abditissima ei revelavit. Hinc ædificamus quod felix ille, qui dexteram prædestinatorum, & Christi sequacium in hoc mundo eligit, licèt à præscitis, & mundanis videatur via difficilis, & aspera, & veluti sinistra : Infelix è contra, qui sinistram in hoc mundo tenet, & si videatur

13. nam benè agente populo unusquisque pro suo bono remunceratur, Prælatus autem pro bonis omnium. *In Luc. cap.* 12. v. 44.

1321. *Providentia Divinæ est innitendum.*

Noli timere, ego protector tuus, &c. Idest noli timere, quia nihil pati potes pro defectu auxilij, vel sine retributione præmij, quandiu adhæseris mihi: Ex qua promissione docemur, quod homo, & maximè justus, & Deo charus est immediatissimè sub protectione Dei, & ideò non debet confidere in rebus caducis, sed tantùm in Deo. *In Luc. cap.* 12. v. 7.

1322. *Pro pignore mercedis gloriæ dat Deus in hac vita suis Eucharistiam tanquam mercedem condignam.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Sed quando erit hæc merces ô bone Deus? si solùm post hanc vitam, quid mercedis in hac miseriarum valle dabis tuis amicis? Noli timere (ait Deus) Ego merces tua etiam in hac vita & quomodò? est Deus merces magna dando seipsum in Eucharistia: In hoc convivio exhibet Deus mercedem magnam nimis, scilicet inæstimabilem & interminabilem. *In Luc. cap.* 14. v. 16.

1323. *Deus est protector suorum in liberatione à malo, & merces in collatione boni.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Quænam differentia in his duobus promissis, scilicet in protectione, & mercede? sed nota, quod perfecta felicitas excludit omnem rationem mali, & involvit omnem rationem boni; Ideò dicit primò, protector tuus sum quoad liberationem à malo, & merces tua nimis quoad collationem omnis boni, dando enim seipsum, dat omne bonum. Oh quam benignus, & potens protector! quàm munifica merces. *Psal.* 118. & *in Luc. cap.* 1. v. 4. & *in sap. cap.* 5.

1324. *Deus in præsenti est protector noster, & in futuro merces.*

Noli timere, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ad quid copulat hæc duo, *protector, & merces*? Nonne sufficiebat dicere, Ego protector tuus? Vel ego sum merces tua? sed vide Divinam largitatem in hominem: Homo prius degit vitam in hoc mundo pleno tot miserijs, & periculis, ideò indiget protectione, & provisione; In alia vita indiget beatitudine: hinc dixit Deus, Ego protector tuus, scilicet in præsenti protegam te sicut Gallina pullos suos sub alis, nempè sub ala Innocentiæ, & pænitentiæ, & qui sub bis duabus alis non steterit, à milvo sævissimo Diabolo rapietur: Habita igitur, ô homo, & commorare sub his alis, ne à Diabolo rapiaris? In futuro verò erit Deus merces magna nimis, magna scilicet per humanitatem, & nimis per Divinitatem. *Ser.* 3. *Dom. in septuag.*

1325. *Gloria, quam Deus præparavit est supra condignum, & inæstimabilis.*

Ego merces tua magna nimis. Cur dicitur, *nimis* Nonne præmium est condignum merito? Nimis verè, quia est supra condignum, quod Deus præparavit diligentibus se, nec fide capitur, nec spe attingitur, nec charitate comprehenditur, desideria, & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. *Ser.* 3. *Dom. septuages. & op. soliloq. cap.* 4. Sic & S. Augustinus.

1326. *In Deo possidetur omne bonum, & hoc maximè in gloria.*

Ego merces tua, &c. Sed aliùnde præmiom dabitur viro justo præter Deum? Nota, quod dicit, *merces tua magna nimis.* Quid est, *nimis*? scilicet per fruitionem Divinitatis, ut dictum est: In Deo ergo habetur perfecta beatitudo, quia cum illo solo omnia habentur dicente ipso, *Mecum sunt divitiæ, & gloria*: Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, & sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, & sine fatigatione laudabitur. *In Ioan. cell.* 78. Ad quid igitur desiderantur res creatæ? Cum Deum amo, non amo speciem, aut decus, non tempus, non candorem lucis istius amicum lucis, non dulces melodias, non unguenta suavitet tedolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia, non hæc amo, non hæc habeo cum Deum amo, cum Deum possideo: sed quid? Amo, & possideo lucem quandam, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum, quendam amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ, quod non capit locus, ubi sonat, quod non capit tempus, ubi redolet, quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi hæret, quod non divellit satietas: Oh felix possessio amoris ex quo oritur strennitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fœcunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas præmiorum, & honorum: O dulcedo amoris, ô felix amor dulcedinis, ô dives possessio, comedat te cor meum, & nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. *op. soliloq. cap.* 1. Animo igitur, ô anima, sæpè revolue, quod merces in Cælo tibi parata, si benè vivas, est magna nimis, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, vita sine defectione, laus sine cessatione: gaude, & exulta, ac mercedem laboris tui considera, quæ revera est magna nimis, scilicet tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa, quod non potest æstimari, tam copiosa, quod non potest terminari, quia nec oculus vidit in hac vita perfectè, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *op. soliloq. cap.* 4.

1327. *In gloria cum diversitate præmij omnia omnibus beatis sunt communia.*

Ego ero merces tua magna nimis. Si Deus est merces magna nimis omnibus beatis, ergone erunt omnes cum æquali gloria? sed attende, quod licèt in domo illa cælesti sint diversæ mansiones gloriæ secundùm diversitatem meritorum, nihil tamen ibi ex inæstimabilis divinæ pietatis immensitate possidetur singulariter, omnia enim sunt omnibus communia. Ibi enim gaudebit Virgo de sanctæ viduitatis merito, ibi Vidua exultabit de castæ Virginitatis privilegio, ibi Confessor de Martyris jucundatur triūpho, ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio, ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione, ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide, & speculatione: Ibi Apostoli, & Angeli gaudebunt de merito omnium Inferiorum, ibi omnes Inferiores lætabuntur de gloria,

ria, & corona ſuperiorum: Eá illius enim ſanctæ, & perfectæ chariratis vinculo fiet, ut unuſquiſque habiturus ſir in alio, quod non babet in merito proprio. Egredere igitut, ô anima, pauliſper de papilione corporis, ut in otio ſtans videas Dei gloriam pertranſire, & præſentis laboris ante oculos pioge mercedem. *op.ſoliloq. cap.* 4. Nam ſi tantum gaudium habitura eſt anima quaſi de alieno, quid eſt hoc quod hauriet de proprio? Quale gaudium, quanta gloria, quàm incomprehenſibilis laus, & magnificentia habitura eſt à Trinitate ſanctiſſima, à Sanctorum omnium ſocietate feliciſſima, pro eo quod mundum iam potenter per gladiuın paupertatis, & indigentiæ debellavit; pro eo quod Diabolum peſſimum tam fortiter per hoſtiam humilitatis, & obedientiæ effugavit; pto eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, ſingulis inordinatis motibus tam viriliter reſtitit, quanta laus pro his quos verbo, & eacmplo ad meliora provoeavir; quid plura? pto ſingulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuoſis ſpecialem laudem ſuſcipiet. *op.ſoliloq.cap.*4.

1328. *Chriſtus fructus ventris Virginalis B. Mariæ protector noſter & merces perfecta corporis, & animæ.*

Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Si delectatio eſt fruitio convenientis cum convenienti, & quia homo cooſtat ex corpore, & anima, ergo Deus eſt merees animæ; quid remanet pro eorpore, quod nullam convenientiam habet cum ſpiritu? ſed attende Dei munificenriam. Iſta merces magna nimis, & corpori, & animæ eſt Chriſtus fructus uteri Virginalis: nam viſio Divinitatis erit ad beatificationem animæ: viſio humanitatis ex Virgine Maria aſſumptæ erit ad beatificationem corporis, & ſenſuum exteriorum, ut beatus ſit ingrediens, & egrediens, & paſcua inveniat: Erit igitur Chriſtus mirabiliter delectans beatos per conjunctionem convenientis cum convenienti. *ſer.1.Dom.ſeptuageſ.& in Ioan.coll.*75.*&* 78.

1329. *Merces Beatorum fuit concluſa in ſacculo humanitatis Chriſti.*

Ego merces tua magna nimis. Nota hæc dicta eſſe à Deo Abrahæ, & cuilibet juſto. At, Domioe, ubi invenitur hæc merces? In quonam ſacculo repoſita invenitur? Nota, qood hæc merces eſt Divinitas, quæ repoſita fuit in ſacculo humanitatis Chriſti, & ne aliquis eſſet, qui de hac mercede parricipaſet, voluit ut à Iudæis perfotaretur in Cruce hoc ſacculum, ut ad omnes diffuoderetur. Ad Chriſtum igitur erucifixum recurre, in quo habebis omnem felicitatem, & mercedem. *ſer.6.Dom.1.Adv.*

1330. *Sterilitas à Deo aliquando datur mulieribus ad Dei gloriam magnificandam.*

Et dixit Abraham quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis. Promiſerat Deus Abrahæ mercedem magnam, & ipſe ſe videns ſterilem in ſe, & in uxore, & ob id cum opprobrio ſterilitatia dixit, *quid dabis mihi*? Attamen Deus ipſum certificavit, qnod hæc ſterilitas non foret in opprobrium, ſed ad maoifeſtandam Dei gloriam. *In Luc.cap.1.v.7.* Ex quo vide, quod Deus aliquando ſterilitarem in aliqua familia immittit ad ſuam gloriam manifeſtandam, & dilatandam in poſtetis, vel in facultatibos tempotalibus, ut continua experientia pateſit.

1331. *Deus à paucis ad grandia procedendo infundit in hominem fidem, ſpem, & amorem.*

Non erit ſervus tuus hæres, ſed qui egredietur de utero tuo. Vide quomodò Deus prænuntiat hic prolem futuram Abrahæ: per quod patet quod Deus primò per facilia ad ardua credenda induxit Abrabam: primò enim promittit filium & deinde Chriſtum ex ſuo ſemine naſciturum: ſic Deus ordinariè facit procedens à paucis ad grandia. *In Luc.c.1.v.13.& ſerm.14.Hexaem.*

1332. *Ex fidei ſemine fructus mirabiles enaſcuntur.*

Suſpice Cælum, & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum. Credidit Abraham Deo, &c. Credidit Deo Abraham, quod filius ei naſciturus erat, quod ex ipſo multiplicandi erant innumerabiles filij: quod Chriſtus erat ex ſemine ſuo naſciturus, &c. per quod datur intelligi fæcunditas ſeminis fidei, & quod ex fide pullulationes Innumerabilium fructuum procedunt, nam ex hoc ſemine oritur illuminatio mentis, fiducia in Deum, & amor Divinus cum cæteris virtutibus Chriſtianis. *ſerm.2. & 10.& 11.Hexaem.*

1333. *Deus expetit multiplicationem bonorum operum.*

Erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ Cæli? Cor non dicit ſicut arena maris, ſed ſicut ſtellæ Cæli? Quia Deus vult, & æſtimat multiplicationem non materialem, quia mali apud Deum nihil æſtimantur, ſed ſpiritualem per Chriſtum promiſſum in merito, & bonis operibus ſignificatis in ſtellis Cæli. *Pſal.* 37.*& in Luc.cap.*11.*v.*28.

1334. *Apoſtoli ſunt ſtellæ ornantes Cælum Eccleſiæ.*

Suſpice Cælum, & numera ſtellas, &c. ſic erit ſemen tuum. Quodnam eſt hoc ſemen? ſcilicet Chriſtus naſciturus de ſemine Abrahæ, & quia Chriſtus genuit Apoſtolos tanquam ſtellas ornantes Cælum Eccleſiæ, hinc dicuntur ſtellæ Cæli: ſtellæ inquam, illuminatæ, & illumioantes mundum virtutibus, & operibus ſanctorum. *op. de Eccleſ. Hierar.p.4.cap.3.& ſerm.9.in Pentecoſt.*

1335. *Fidei magnalia celebrantur in Abrahã.*

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam: Cur tam celebratur fides Abrahæ? Et quomodò reputata eſt ad juſtitiam ſuam? Quia fides Abrahæ fuit mirabilis: credidit enim rem valde difficilem, & ſupra curſum naturæ, imò quæ videbatur impoſſibilis, nempè ex ſterili, & ſene naſciturum filium, ex quo benedicendi erant populi: per quod invitamur ad eius imitationem, & edocemur quanta ſit virtus fidei, cùm innititur promiſſis Dei, etiam in his quæ naturaliter videntur impoſſibilia *op.Diæt.ſal.tit.5.cap.3.& op. Bibl.paup. cap.* 34.

1336 *In promiſſis Dei non eſt hæſitandum, etiamſi ratio naturalis dictet oppoſitum.*

Vnde ſcire poſſum Domine quod poſſeſſurus ſim terram. Hæc dicit Abraham poſt promiſſa facta à Deo, ex quo videtur hæſitaſſe in ſua fide, ſicque contradixiſſe fidei ſuprapoſitæ: Qoomodò ergo

eius

ejus fides tam magnificatur: Nota nunquam Abraham hæsitasse in promissis Dei; hæc enim hæsitatio tollit effectus fidei, sed dubium propositum fuit Deo, ipso dictante, ut publicaretur hæc promissio Divina, & fides Abrahæ quæ, innitebatur Divinæ, non humanæ potentiæ, & causis superioribus: Non sic fecit Zacharias, quando prædicta ei fuit conceptio Ioanuis, qui verè hæsitavit innixus solùm humanæ potentiæ. *In Luc. c. 1. v. 18.*

1337. *Malæ cogitationes abigendæ præcipue tempore orationis.*

Divisit animalia, per medium, descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham. Notandum, quod dum actu Abraham offerebat sacrificium Deo per immolationem animalium, venerunt volucres super cadavera &c. Per quod factum datur intelligi, quod sæpe tempore orationis, & sacrificij descendunt Dæmones vel malæ cogitationes, vel affectiones carnales ad cor nostrum, ut Deum offendamus, sanctosque Angelos præsentes, & conscientiam sordident, & sic pœnam mereamur: Unde sicut Abraham eas abigebat, si & nos eas abigere debemus. *Op. de perf. Relig. lib. 2. cap. 15. & in Eccles. cap. 10. in fine. & in Psal. 118. v. 67. & 147.*

1338. *Per multiplicationem scelerum nimiam fit completa mensura Divinæ iustitiæ.*

Nondum complete (vel ut legunt Septuaginta) *impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* Quid est hoc? Quæ impletio est hæc mensuræ scelerum Amorrhæorum? Ergone datur mensura limitata justitiæ Dei? Sed adverte, quod hæc completio, seu impletio significat plenitudinem culparum, & pœnarum sequentium; tunc que impletur hæc mensura, quando peccator existens in pertinacia, & multiplicatione peccatorum fit eorum consummatio, postquam Deus infallibiliter punit districtè, & severissimè. *In Thren. cap. 1. & ser. 17. Hexaem.*

1339. *Deus non punit ex præscientia, sed tantùm ex præsentia culpæ.*

Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare tot sæcula, antequam ejiceret Amorrhæos à terra promissionis? Nonne præsciebat ipsos multiplicaturos iniquitates? Quia Deus non punit futura scelera, sed tantùm præsentia in dando eoin, vel negando auxilia non respicit Deus ad peccata futura, sed ad idoneitatem præsentem. *In Psal. 104. & lib. 2. dist. 29. a. 2. q. 1.*

1340. *Deus non fato, sed sua providentia gubernat mundum.*

Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Sed cur voluit Deus expectare hanc completionem peccatorum, antequam ejiceret Amorrhæos? Ut daret intelligere, quod cum iniquitates dependeant à nostro libero arbitrio, non fato, sed sua ordinatissima prudentia gubernat omnia, riteque, & rectè ordinat futuros eventus ex causa, non ex fato. *Op. Brevil. p. 2. cap. 4. & ser. 3. Hexaem.*

CAPUT XVII.

1341. *Aviditas mulierum quanta.*

Sara non generat liberos, dixitque ad Abraham, ingredere ad Agar ancillam meam, ut saltem ex illa suscipiam filios. Vide ex hoc, quanta sit aviditas, & impatientia mulierum: Licèt enim certificata fuisset se parituram filium à Deo, tamen avida, & impatiens in expectando, voluit, ut Abraham ex ancilla sibi provideret filios, quos posset adoptare. *Op. Bibl. paup. cap. 12.*

1342. *Dispensatio data Abrahæ, & posteris suis pluralitatis uxorum fuit facta ad multiplicationẽ cultorum, & cultus Dei.*

Qui ingressus est ad illam. Quæritur; quomodò posset Abraham sine Dei offensa rem habere cum Agar, cum haberet Saram Vxorem? Resp. in pluralitate uxorum Deum dispensasse Abraham & suos posteros in statu legis circumcisionis, & hoc quia pauci erant cultores Dei veri, ideò ut augeretur numerus cultorum Dei, id fuit permissum eis, & tunc istis præceptum erat, ut temperanter, non ob cupiditatem carnalem uterentur tali facultate. *lib. 4. dist. 33. art. 1. q. 3.*

1343. *Ex Christo nascuntur boni, & mali, Catholici, & Heretici per Baptismum.*

Qui ingressus est ad Agar ancillam, &c. Nota, quod ex Abraham descendit Isaac, & simul etiam geniti sunt filij ancillæ, per quod figuratum est, quod ex Christo per Baptismum oriuntur Catholici, & Hæretici, sed illi solùm sunt hæredes Christi, isti rejecti extra gremium Ecclesiæ. *l. 4. dist. 33. art. 1. q. 3.*

1344. *Mulierum inverecundia, & superbia damnabilis.*

At Agar concepisse se videns despexit Dominam suam. Vide, quàm propensa sit Mulier ad superbiam, & quàm damnabilis sit in ea inverecundia: hæc Ancilla statim ac vidit se concepisse, statim despexit Dominam suam: Nec id mirum est, quia sexus muliebris incautus, & mollis; Incautus, quia sæpè sine consideratione operatur; mollis, quia facile flectitur vel de malo ad bonum, vel potius de bono ad malum. *In Luc. cap. 1. v. 24. & Op. Phar. lib. 1. cap. 8.*

1345. *Humilitas à Deo exaltatur, superbia deprimitur: ideò Beata Virgo tam exaltata.*

Dixit Angelus ad Agar fugientem à facie Dominæ suæ: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Nota, quod hic exprimitur discrimen inter Ancillam bonam, humilemque, & superbam; nam mala de fœcunditate inflatur, & ideò corrigitur, & punitur; Bona, & humilis, qualis fuit Beata Virgo, de humilitate fœcundatur, & sublevatur ad Divinam maternitatem, per quam Dominus se servum ipsius constituit. *Op. spec. B. Virg. lect. 10.*

X 1346. Angelo

1346. *Angelorum proprium eſt reducere homines à malo ad bonum.*

Dixit Angelus, unde venis, & quo vadis? Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu ipſius. Vide, quale eſt miniſterium Angelorum circa nos, nempè eorum proprium eſt reducere errantes in via ſalutis ad Deum,& ad ſtatum ſalutis: Oh quot cordi noſtro, dum erramus, pulſant dicentes, unde venis, aut quò vadis? Quid facis? *Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 1.*

1347. *Prædicatores reducentes animas ad Deum, ſunt Angeli.*

Dixit Angelus ad eam unde venis, aut quo vadis? Revertere ad Dominam tuam. Quiſnam Angelus fuit iſte? Angelus ſcilicet nuncius à Deo miſſus: ergo qui mittuntur à Deo Prædicatores ad docendum, corrigendum, & convertendum animas à via erroris ad Deum ſunt Angeli Dei, iſtiſque dicitur Iſaiæ *cap. 18. Ite veloces ad populum. Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 1.*

1348. *Inſpirationes bonæ per Angelos nobis à Deo immittuntur.*

Dixit Angelus, unde venis, &c. revertere, &c. Nota hic Agar interpretatur Advena, ſignificatque animam, quæ in hoc mundo eſt peregrina, Sara interpretatur Princeps, eſtque Sapientia æterna, cui mens noſtra debet eſſe ſubjecta, dum autem tranſgreditur ejus præcepta, ecce quod per Angelus immittit inſpirationes ſanctas, ut revertatur ad Dominum ſuum, & humilietur ſub manu ejus. *ſer. de S. Michaële Archangelo.*

1349. *Hæretici crudeles hoſtes in Eccleſiam Catholicam.*

Iſmael erit ferus homo, manus eius contra omnes, & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula. Quid eſt è regione figet tabernaculum? Septuaginta legunt, *coram omnibus fratribus &c.* nempè, in facie, & contra fratres ſuos, ſignificatque hæreticos, qui de Chriſto nati per Baptiſmum, extra Eccleſiam tamen ejecti figunt tabernacula ſua, ſævi, & crudeles in ipſam pugnantes contra filios veros Eccleſiæ: Perſequuntur autem Eccleſiam quoad doctrinam, gratiam, & vitam ſcilicet prædicando doctrinam falſam, & auferendo veram, & ſalutem animarum. *in Thren. cap. 2. & in Pſal. 118. cap. 6. v. 6. & lib. 4. diſt. 33. art. 1. q. 3*

1350. *Iracundi, crudeles in proximum reprobati à Deo.*

Iſmael homo ferus, &c. Iſte cum matre fuit ejectus à domo Abrahæ, per quod ſignificatur, quod iracundi ob feritatem in fratres ejicientur de paterna hæreditate Dei *ſer. 4. Dom. 2. poſt Oct. Epiph.*



CAPUT XVII.

1351. *Religioſi tenentur tendere ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Vide, quod iſta verba videntur implicatoria, præcipit Deus Abrahæ, ut ambulet ſcilicet de virtute in virtutem, & ſimul quod ſit perfectus: Ergone poteſt quis ſimul, & ſemel per media incedere, & ad metam viæ pervenire? Ergone qui ambulat per viam perfectionis tenetur eſſe perfectus? Si eſt perfectus, ad quid tendere per viam ad terminum? Sed nota verba, & ſigna myſteria: Datur in his verbis intelligi, quænam ſit obligatio Religioſorum ad perfectionem tendentium, debent enim incedere ſemper ulterius ad perfectionem, & ſimul eſſe perfecti: & quomodò poteſt id fieri? ſed verte mentem ad Seraphim, quos vidit Iſaias ante Dominum, qui ſimul ſtabant, & volabant. Sic Religioſi debent in via perfectionis ſe cuſtodire à malis operibus, & ſe exercere in virtuoſis actibus tendendo de virtute in virtutem: Sic enim volant. Sed hoc non ſufficit, quia ſimul totis viribus debent exire in actus bonos cum omnimoda perfectione, ſcilicet abſque commixtione vel negligentiæ, vel corporis, vel alterius circumſtantiæ vitioſæ, hocque pactu erunt volantes, & ſimul ſtantes: erunt ſimul tendentes ad perfectionem, & perfecti. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 2. per totum.*

1352. *Deus exigit à nobis perfectam in ipſum fiduciam, & tradit modū eam acquirendi.*

Apparuit Dominus Abraha, & dixit ad eum, Ego Deus omnipotens. Supra Deus dixerat Abrahæ *ero tuus protector;* hic addit, *Ego Deus Omnipotens:* Cur hoc? Nonne hoc ſciebat vir perfecta fide imbutus? ſed nota, quod Deus intendebat excitare Abraham ad perfectiſſimam fiduciam, & confidentiam in ipſum, ideò ejus menti repetit, & imprimit ſuam omnipotentiam, dicens, Ego Deus Omnipotens, ſcilicet fidelis, & Omnipotens, in promiſſis; ſpes enim facit confidere, & expectare, & nemo rectè confidens confidit niſi in eo, qui nec poſſit, nec velit ſibi deficere, & talis eſt, qui eſt potentiſſimus in virtute, & munificentiſſimus in liberalitate, & à tali magna expectat juxta promiſſa facta. *lib. 3. diſt. 26. art. 2. q. 4.*

1353. *In via Dei laborans quieſcit, non laborans fatigatur.*

Ambula coram me, & eſto perfectus, &c. Si Deus eſt ubique, quomodò poteſt ambulare coram Deo, vel ceſſare? Id dicitur, quia vir juſtus debet ſemper in via perfectionis ambulare, & ambulando eſſe perfectus, & ſimul quieſcens in Deo. Notandum autem eſt, quod differenti modo proceditur in ambulando corporaliter, & ſpiritualiter; nam in aſcenſu corporali, quia caro infirma eſt, debet quieſcere aliquando; at in aſcenſu ſpirituali, quia ſpiritus promptus eſt, nunquam debet moram interponere, quia non quieſcere, eſt quieſcere animæ; quieſcere autem, & moram interponere eſt fatigari, & vires deperdere: in via enim Dei non ambulare, eſt retrocedere; dicitur igitur, *Ambula coram me*, ſcilicet ſine interpoſitione, &c. *Op. ſtim. div. am. p. 3. cap. 4.*

1354. *Maiorem perfectionem exigit Deus in ſtatu legis gratiæ, quàm antiquitus à ſanctis Patribus.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. Nota, quod à Deo Abrahæ dictum eſt, *Ambula*, Nobis autem in ſtatu gratiæ dictum eſt, *ſic currite, ut comprehendatis.* Cur hoc diſcrimen? Cur inquam Antiquis ſufficiebat ambulare in via Domini, nobis autem præcipitur, ut curramus? Quia antiqui ſancti ambulabant quidem in via perfectionis, ſed onerati bonis temporalibus: at ſequaces Evange

Evangelij, & Christi nudi nudum Christum currendo debent sequi: In hujus veritatis signum legitur, quod B. Virgo cum festinatione ambulavit. Sic & sancti Apostoli. *Op. stim. div. am. p. 3. c. 4. & in Luc. cap. 1. vers. 39. & serm. 2. fer. 4. Pentecost.*

1355. *Divina præsentia exercitium facit similem Angelis.*

Ambula coram me &c. Quomodò vir carne, & tot curis implicitus poterit semper coram Deo ambulare? Nonne hoc est monus Seraphin, qui coram Deo semper stant volantes, & volant stantes? sed oota quod potest idem facere homo exercitio Divinæ præsentiæ: hoc vult à nobis Deus, quia hoc exercitium facit nos similes Angelis Paradisi, nosque veluti impeccabiles reddit. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 2. & in Luc. c. 9. v. 57.* Vide quæ suprà notata sunt de præsentia Dei ad *cap. 5. v. 42. Genesis.*

1356. *Progenitores Christi à Deo prærogativam Divinam acceperunt.*

Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham. Cur Abraham? Ad quid facta est hæc additio? Nota, quod Abram interpretatur Pater excelsus: Abraham Pater excelsus multitudinis, & quia ex Abraham oriturus erat Christus, & generatio omnium prædestinatorum à Christo, hinc sicut Pater multitudinis verè dicitur Christus, sic & hoc nomen Progenitori Christi datum est: Seraph. Doct. *in Psal. 45. & Opusc. expos. Missæ. cap. 4.*

1357. *Deus gradatim nos conducit ad altissimos gradus perfectionis.*

Faciam te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus Regesq; ex te nascentur. Quarè Deus per has promissiones temporales, & non potiùs per spirituales privilegiavit eum quia Deus gradatim procedit in suis donis: quia per hos temporales promissiones ducebat Abraham in fidem mysteriorum altissimorum, quæ postea ipsi revelata fuere. *Ser. 14. Hexaem.*

1358. *Promissiones divinæ sunt cum conditione observantiæ præceptorum suorum.*

Tu ergo custodies pactum meum &c. Quid est pactum? nihil aliud, nisi custoditio fidei, & observantiæ legis corde, ore, & opere. Hæc verò est conditio promissionum divinarum. *Psal. 118. c. 11. v. 7.*

1359. *Præceptum circumcisionis solum datum posteris Abrahæ & Isaac.*

Circumcidetur ex vobis omne masculinum &c. Nota, quod præceptum Circumcisionis datum est solùm Abrahæ, & posteris, non cæteris nationibus: Unde si aliquis circumcidebatur ex alienis, erat quidem utilis, sed ex supererogatione taotum. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 4. a. 2. q. 2.*

1360. *Ad quid instituta Circumcisio?*

Circumcidetur ex vobis &c. Ad quid præcepta fuit Hebræis Circumcisio? & cur dicitur pactum? Resp. quod hoc sacramentum datum fuit Hebræis, ut esset medium delendi peccatum otigioale, & conferebat gratiam ex opere operato masculis tantùm: nam oblatio in mulieribus sufficiebat, ut priùs cum ipsis Iudæis, & etiam cum cæteris gentibus. Hoc sacramentum datum fuit in signum distinctivum populi Israelitici, & Dei à cæteris, ut esset memoriale pacti à Deo ioiti cum Abraham de Incarnatione futura, & ejus semine, & ut per hoc mereretur redimi à peccato originali per merita Christi futuri. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 4. & a. 2. q. 2. & a. 3. q. 1. & 2. & d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. ad 1. & op. sent. sententiarum l. 4. d. 1.*

1361. *Mortificationem requirit Deus in suis amicis.*

Hoc est pactum meum &c. Circumcidetur omne &c. Cur, cum Deus tanta dilectionis signa exhiberet Abrahæ, & populo Israelitico voluit, ut jacturam corporis pateretur in ea parte, in qua circumcisio fit? Id voluit, ut significaret, quod ad observantiam legis divinæ & ad conservandam dilectionem divinam requiritur mortificatio carnis & dimicatio contra carnem, & mundum: hocq; maximè exigit Deus à suis amicis, & charis magis, quam ab alus: Unde mirum non est, si amici Dei tot adversitatibus, & cruciatibus à Deo torqueantur, & probentur, ut aurum probatur, & purgatur per ignem. *ser. 4. de uno mart. op. de 7. itiner. at. itin. 4. a. 3. op. med. vita Christi c. 6. & 12. & fer. 4. Dom. 4. post. oct. Epiph. Psal. 118. c. 7. v. 10.*

1362. *Circumcisio spiritualis necessaria ad salutem.*

Hoc est pactum &c. Si hoc præceptum datum dicitur pactum æternum, cur non observatur à Christianis? Resp. fuisse abrogatam Circumcisionẽ corporalem per circumcisionem Christi, non verò spiritualem, scilicet mortificationem carois. In quo sensu pronunciatur illa lex à Deo: Anima, quæ non erit circumcisa peribit de populo hoc, scilicet Iustorum. *op. Comp. Theol. l. 4. c. 12. In Io. collat. 37. Ps. 24. fer. 2. & 4. de Circumcis.*

1363. Ad Circumcisionem non teoebantur mulieres: Unde dicitur: *Circumcidetur masculus omnis.* Sed quomodò delebatur in mulieribus peccatum originale? Delebatur eo medio, quo in lege naturæ, scilicet oblatione parentum. *l. 4. d. 1. p. 2. a. 3. q. 2.*

1364. *Cur in octava die ordinata fuit Circumcisio?*

Infans octo dierum circumcidetur; Cur spatium octo dierum assignavit Deus? & si Infans obiisset infra octavum diem, qoomodò justificabatur? Resp. Potuisse circumcidi ante octavum diem, sed lex obligabat, ut non differretur post octo dies sine peccato gravi: nec obligabat ante octavum diem, quia poterat per obligationem parentum Iustificari Infaos: Ad octo verò dies ordinata fuit à Deo ad mysterium insinuandum, nempè quia sigoificabatur per deletionem à culpa originali curatio Aoimæ à miseria, & quia habetur taotum in altera vita post resurrectiooem corporis significatam in octavario, hinc in octavo die fiebat Circumcisio. *l. 4. d. 1. p. 2. dub. 7. & a. 3. q. 2. & in Luc. c. 2. v. 21. & in Io. c. 7. v. 24.*

1365. *Iesus Christus pro peccatis circumciditur, ut nos ad ejus imitationem spiritualiter circumcidamur.*

Infans octo dierum circumcidetur. Quis Infans? Infans, scilicet Iesus Christus: Ecce ergo Iesus Christus

ſtus, qui ſine peccato eſt tantam pœnam pro tuis peccatis ſuſtinet:& tu ô ſenex pœnam ſuſtinere recuſas pro iiſdem à te tam iniquè commiſſis. *ſerm. 2. de Circumciſ.*

1366. *Circumciſio ſpiritualis neceſſaria ad amicitiam Dei.*

Circumcidetis carnem præputij veſtri, ut ſit ſignum fœderis &c. Nota, quod hoc fœdus eſt amicitiæ & familiaritatis Dei, ad quod fovendum, vult, ut circumcidamur, corde, membris, & opere,ſcilicet, reſcindendo iniquas cogitationes, incautas locutiones, ſordium obdurationem, & fœditatem luxuriæ per caſtitatem. *ſerm.1. in Circumciſione.*

1367. *Qui non circumciditur ſpiritualiter, non pertinet ad Ieſum.*

Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur Anima de populo illo &c. Quid eſt de populo illo deleri? Deleri de numero ſaluandorum meretur: Vnde Chriſto in Circumciſione nomen Ieſus imponitur, ut ſcias, quod ad Ieſum, & ſalutem non poteris pervenire, niſi ſpiritualiter circumcidaris. *ſerm.4. in Circumciſ.*

1368 *Conjuges ſint tanquam una perſona, vel una anima.*

Dixit quoq; Deus ad Abraham; ſarai uxorem tuam, non vocabis ſarai ſed ſarah. Cur non amplius ſarai, ſed ſarah? Iam dictum eſt nomini Abrahæ additam eſſe à Deo litteram. H. Idem & fecit eum uxore Sarah, ideſt Domina odoris, vel Principiſſa mea: Additaque eſt eadem littera. H. utrique Coniugi (ait Lyranus) ut ſignificaretur quod ambo conjuges debent eſſe veluti una perſona, cor unum, & Anima una, vel duo in carne una. *l. 4. d. 33. q.4.* Ideſt ſicut vir eſt Dominus domus, ſic & Vxor.

1369. *Mariæ Virginis Charitas immenſa.*

Et benedicam ei, & ex illa dabo filium, cui benedicturus ſum. Cur ex Sarah, & non potius ex Agar? Nota, quod Sarah etiam interpretatur carbo ignitus, & ideò fuit figura Beatæ Virginis: ex cujus charitate Deus nos benedixit, auferens maledictionem noſtram.*op.ſpec. B.Virg. lect.15.*

1370. *Iuſti cadunt in faciem ſuam ante Dominum: Impij poſt tergum.*

*Cecidit Abraham in faciem ſuam.*Cur non retrò, ſed in faciem ſuam? ſed attende, quod dictum eſt à Chriſto: *Vade retrò poſt me Sathana*, ut videas, quod juſtorum proprium eſt cadere in faciem ante Chriſtum, quia recognoſcentes Divinam Majeſtatem, & exhibitionem beneficiorum Dei, cadunt ante faciem ſuam in ſignum exhibitionis reverentiæ & honoris: & ſi aliquando cadunt, cadunt non in ruinam videntes ubi cadunt, & ut releventur citò, & ad inviſibilia erigantur: mali autem cadunt retrò in ruinam, nec vident quo cadunt. *In Luc. c. 17. v.16.*

1371. *Sancti à Deo nomen, & honoris magnificentiam accipiunt.*

Vocabiſq; nomen ejus Iſaac. Cur Deus voluit imponere nomen filio Abrahæ? quia habent hoc ſancti, ut à Deo nomen accipiant. *In Luc. c. 1. v. 61.* Vult enim Deus ut ſervi ſui nomen, & honorificentiam accipiant, quod reſultat in majus decus, & honorem Dei.

1372. *Avaritia mala quanta.*

Super Iſmael quoq; exaudivi te. Duodecim Duces generabit &c. Cur duodecim Duces dantur Iſmaëli? Iſmael fuit idolatra, & figura avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus: habetq; duodecim filios duces ſcilicet, uſuram, rapinam, latrocinium, talliam injuſtam, fraudem negotiatorum, deceptionem Advocatorum, acceptionem munerum, ſimoniam, favorem iniquorum Eccleſiaſticorum, fraudem mercatorum, avaritiam ſcientiæ, & iniquitatem luſorum. *Op. Diat. tit. 1. c. 6.*

1373. *Præceptorum obſervantia non differenda.*

Tulitq; Abraham eodem die &c. Iſmael, & omnes vernaculos,eoſq; & ſeipſum circumcidit &c. Vide promptam obedientiam Viri juſti: quamvis enim præceptum Circumciſionis eſſet difficile, aſperum, grave, inſolitum, non tamen diſtulit complere uſq; ad craſtinum, ſed ſtatim obedivit. *Op. Bibl. paup. c. 25.*

CAPUT XVIII.

1374. *Deus cum miſericordiam largitur adeſt: cum punire tenetur abeſt.*

Apparuit Abrahæ Dominus in Convalle Mambræ & cum elevaſſet oculos apparuerunt ei tres viri &c. Notandum, quod in hoc capitulo exponuntur in medium diverſæ apparitiones factæ Abrahæ: & primò dicitur, quod apparuit ei Dominus, & deinde apparuerunt ei Angeli:in quibus conveniunt Doctores, quod hæ apparitiones fuerunt factæ ab Angelis, ſed in Perſona Dei: Quæritur autem cur in principio dicitur Deus apparuiſſe Abrahæ, & poſtea proponuntur Angeli? ſi fuerunt ſemper Angeli, cur dicitur Deus apparuiſſe? Sed Notandum, quod in principio agitur de benedicendo Abraham,& poſtea de Sodomæ punitione.In principio igitur dicitur Deus apparuiſſe, quia dum agitur de exhibitione miſericordiæ,Deus,cujus eſt proprium miſereri proponitur: quando verò de Iuſtitia, & punitione,quia ejus proprium non dicitur punitio, & juſtitia, non proponitur præſens, ſed veluti abſens, & veluti compulſus: & ut ait, *hic catena Græca.Vbi bona nunciantur Dominus adeſt.* In denunciatione malorum accedere noluit, quia ſicut bona libenter largitur hominibus, ita invitus oſtendit pœnas erogare. *Videl 1.d.47. dub. 1.& l.4.d.4.p.1.a.1.q.2.ad 5.*

1375. *Humilitas eſt præambula ad cognitionem, & viſionem myſteriorum Dei.*

Apparuit ei Dominus in Convalle Mambræ. Cur Dominus apparuit Abrahæ ſedenti in convalle, & non potius ſtanti in monte? Convallis eſt locus imus, & ſignificat ſtatum humilitatis: Hoc autem dicitur, ut videas, ait Gloſſa, quod humilitas eſt præambula ad apparitiones Dei, & intelligentiam myſteriorum

mysteriorum Dei: sicut enim superbia excæcat: sic ex opposito humilitas illuminat mentem. Intellige non per se, sed rumorem, & impedimentum evacuando, viamq; lucis præparando. *Ser. 2. de uno S. Doctore. Ser. 1. de uno S. Confess. & ser. 3. Dom. sexag.*

1376. *Deus nescit parva, & pauca largiri obtemperantibus sibi.*

Apparuit ei Dominus &c. Cur tot apparitiones factæ demonstrantur Abrahæ? Item & tot promissiones, & favores? Quia Dei liberalitatem non decet pauca, & parva seddere propter obsequium fideliter sibi obtemperantis. *Op. Brevil. p. 5. c. 2.*

1377. *Maria Virgo Triclinium, & Tabernaculum Filij Dei.*

Apparuit ei Dominus sedenti in ostio Tabernaculi sui &c. Certum est, hos fuisse tres Angelos, qui nomine personarum Divinarum apparuerunt: sed cum dicat, *Apparuit ei Dominus*, in singulari: quænam ex his tribus Persona fuit quæ specialiter apparuit? Sed nota, quod hoc Tabernaculum figurabat Mariam Virginem, quæ fuit nobilissimum Triclinium sanctissimæ Trinitatis, & in ea Verbum posuit suum Tabernaculum, ideò cum tres Personæ Divinæ effectivè concurrerint ad opus Incarnationis factæ in Maria, tamen sola secunda Persona dicitus incarnata, & hioc præfigurata fuit Incarnatio in hac apparitione. Sic S. Irenæus S. Bonaventura. *l. 3. p. 1. a. 2. q. 1. & ep. Psalt. B. Virg. in Hymn. Te Dei matrem & l. 3. d. 5. q. 1.*

1378. *Trinitas unus Deus adoranda latria: Angeli verò cultu dulia.*

Cum vidisset tres viros adoravit in terram, dicens Domine si inveni gratiam in oculis tuis. Si sunt tres viri, quomodò dixit ad unum singulatem, Domine si inveni gratiam in oculis tuis? Cuinam ex istis tribus direxit suam adorationem, & deprecationem? & cum fuerint tres Angeli, quomodò eos adoravit, ac si essent Deus? Respond. quod tunc cognovit mysterium Trinitatis, tres vidit, & unum adoravit, tres Personas unum Deum, & quatenus isti tres Angeli repræsentabant unum Deum, ipsum adoravit cultu latriæ soli Deo debito: postea recognoscens eos verè tres Angelos, adoravit eos cultu duliæ, & tali veneratione debent coli Deus, Angeli, & sancti in suis Imaginibus. *Serm. 14. Hexaem. & l. 1. d. 2. dub. 8. & l. 2. d. 11. a. 2. q. 1. in fine l. 3. d. 9. a. 1. q. 5. & ep. Comp. Theol. l. 1. c. 10. & ep. Centil. p. 1. 3. 5. & ser. 3. Dom. Trinit. & ser. 1. de Circumcisione & ep. de Perfec. Religios. l. 2. c. 75.*

1379. *Charitatis ardor proprius est confidentium verè in Deum*

Apparuit ei Dominus in fervore diei, scilicet in meridie, ut legunt Septuaginta. Cur in meridie voluit Dominus apparere Abrahæ? Cur non mane, vel vespere? optime in meridie, scilicet in fervore charitatis, dum elevavit oculos suos, scilicet mentis in Deum, & sperando in eum: iis enim, qui in Deum credendo confidunt totaliter, Deus apparet in fervore, scilicet infundit charitatis fervorem. *In Psal. 29. & in Ie. c. 8. v. 51.* Nec id est mirum, quia Charitatis proprium est dare complementum fidei, & spei, & quietem totalem Animæ. *l. 3. d. 31. a. 3. q. 1. ad 3.*

1380. *Desiderium fervens facit appropinquare Deum ad Animam.*

Apparuit ei in fervore diei &c. Cur in fervore diei? In fervore diei, scilicet ardentissimi desiderij: ut discas quod fervens desiderium in via Dei est necessarium: nisi enim mens iotus ferveat unda mundi non vincitur, sed sancti desiderii fervor, oportet, ut præveniat faciem Dei in Anima, ad quam est ipse venturus: Non ergo mirum, si Deus in fervore diei apparuerit Viro justo. *Op. Phar. lib 4. c. 25.*

1381 *Dies vitæ contemplativæ vesperam non habet, sed perficitur in gloria.*

Apparuit ei sedenti in ostio Tabernaculi in fervore, & meridie. Cur non in vespere, vel mane? quia vir iustus morabatur in contemplatione divinitatis, & quia hæc vita contemplativa significatur per diem septimam, quæ vesperam non habet, hinc est quod in hac vita incipit, & nunquam deficit, sed in patria perficitur, quia amor est ignis, qui ardere incipit, sed cum ipsum, quem amat, videbit Anima, amplius in amore exardescit. *ep. de dono sap. c. 4.*

1382 *Hospitalitas quàm Deo chara.*

Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros &c. Vide, quod Abraham stabat in fervore diei ad ostium Tabernaculi, ut pertranseuntes inviraret ad hospitium, & hospitalitatem in eos posset exercere: hincq; Deus, & Angeli in specie peregrinorum ei apparuerunt, variaq; charismatum dona ei intulerunt: Per quod patet, quàm Deo chara sit hospitalitas in peregrinos, & pauperes. *ep. de grad. virt. c. 6. in Luc. c. 8. v. 44. & c. 19 v. 5. in sap. c. 19. in Luc. c. 16. v. 21. ep. Bibl. paup. c. 45.*

1383 *Pœnitentia, & sumptio Eucharistiæ necessaria ad transitum ad gloriam.*

Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore &c. Vide quomodò peregrini invitantur antequam transeant ad lavandum pedes: Datur intelligi nobis, qui vivimus ut peregrini in hoc mundo, quod si volumus transire ad gloriam æternam, debemus prius lavare pedes Animæ, & sub Arbore Crucis per meditationem, & imitationem requiescere, & simul ad Eucharistiæ sacramentum accedere: Sicq; securè fiet iste transitus ad patriam. *ser. 3. in Cœn. Dom.*

1384. *Eucharistiæ sumptio exigit dignam præparationem.*

Laventur pedes vestri: Afferam pauxillum panis. Vide quod vir justus vult, ut prius laventur pedes, antequam eos cibet pauxillo panis. Cur hoc? Et cur offert pauxillum, vel buccellam panis, & non potius majorem quantitatem? & cur non alia obsonia etiam eis exhibet? Hoc dictum fuit in figuram eorum, quæ circa nos sunt facienda: Buccella panis est sacratissima hostia consecrata, quæ est panis Angelorum, & in qua continetur omne bonum, ad hanc continuè incitamur à Deo: Sed prius

vult, ut laventur pedes Animæ, quia ſolùm per aquam lacrymarum, & veram pœnitentiam poteſt homo ad hanc menſam dignè introduci. *op.Eccleſ. Hier.p.1.c.3. in Luc. c.22. v.12. & ſer. 3. in Cana Dom.*

1385. ***Ad dignam celebrationem Paſcha exigitur jejunium quadrageſimale, auditio Verbi Dei, & ſumptio Euchariſtiæ.***

Afferam pauxillum aquæ, laventur &c. poſtea pertranſibitis. Nota hæc ultima verba, *& poſtea pertranſibitis.* Quid eſt tranſire, niſi celebrare Paſcha, quod eſt tranſitus? Vide ergo quam ſanctè Eccleſia vult ad celebrationem Paſchæ, ut præcedat pœnitentia quadrageſimalis, receptio panis Verbi Dei, & ſacræ Euchariſtiæ: Iſtiq; ſunt ſoli, qui verè tranſitum Domini celebrant. *In Luc. c. 22. v. 12.*

1386. ***Soli mundo corde admittuntur ad menſam illuminationum cæleſtium arcanorum, & ad deguſtationem dulcedinis divinæ.***

Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, ponámq; buccellam panis, & confortetur cor veſtrum. Cur voluit priùs lavare pedes? quænam ſordes poterant ineſſe pedibus Angelorum? At id dictatum fuit à Spiritu ſancto ad inſtructionem noſtram, ut ſcilicet diſcamus, quod ſoli mundi admittuntur ad menſam Angelorum: ſcilicet niſi mundentur affectus, niſi mundo corde nos ipſos præſentemus Deo, Deum non videbimus: nempè non poſſumus admitti ad illuminationes ſupernas, & ad deguſtationem dulcedinis divinæ. Citiſſimè enim audit Deus mundos corde, & omne quod poſtulant libens donat: Vnde Dominus dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* Matt. 5. Nota, quod non dicit, Beati mundo ore, vel opere, ſed corde, quia non poſſunt eſſe munda verba, & opera, niſi ſint munda corda. Quantò igitur magis ſenſus corporis & affectiones cordis potius cuſtodientur, & regentur, tantò perfectius divinarum ſuavitatum dulcedinem recipiemus, & ſentiemus. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 3. & ſerm. de S. Agnete, & ſer. 4. de Apoſtol.*

1387. ***Veri fideles conſtituunt in Eccleſia unum corpus per concordiam cum Chriſto.***

Feſtinavit Abraham in Tabernaculum ad Saram, & dixit ei accelera, tria ſata ſimila commiſce, & fac ſubcinericios panes. Cur hoc præcipitur Vxori, & non potius Ancillis domus? meritò id præcipitur Satæ: Sara myſticè eſt Eccleſia, vel Sapientia divina in Incarnatione humanitati conjuncta, farina ſunt fideles, qui teruntur per duas molas, quarum ſuperior eſt ſpes, inferior eſt timor, ex qua fit unus panis per concordiam, quam Chriſtus in ſuum corpus myſticum trajicit. *In Luc. c.13. v. 21.* Vide ergo, quod qui charitatis concordiam non habet, extra Eccleſiam, & ſeparatus à Chriſto eſt.

1388. ***Beata Virgo Maria nobis præparavit cibum Angelorum.***

Et dixit Sara accelera, tria ſata farinæ commiſce, & fac panes &c. Cur Saræ, & non Ancillis, & non famulis id præcipitur? Sara eſt figura B. Virginis Mariæ: huic dictum eſt tria farinæ ſata: quia conſentiendo in opus incarnationis, ſumpto fermento fidei, & dilectionis tria ſata puriſſimæ farinæ commiſcuit, ſcilicet carnem, ſanguinem, & Divinitatem commiſcuit in ſuo puriſſimo Virginali utero, nobiſq; præparavit ſubcinericios panes; ſcilicet coctos in clibano Vteri ſui igne Spiritus ſancti. Oh panis dulcis, & vitalis, verè panis Angelorum nobis miniſterio B.Virginis præparatus. *In Luc. c. 13. v. 21. de concurſu B. Virginis ad Euchariſtiam.* Vide in *Pſal. 57. & 106. & op. medit. Vita Chriſti cap. 4. & op. de perfect. vitæ c. 8.*

1389. ***Multa myſteria panduntur contenta in his tribus ſatis farinæ.***

Nota, quod per hæc tria ſata poſſunt intelligi: primò tria genera hominum, in quibus Dei ſapientia collocat farinam dilectionis, & charitatis in via, ſuntq; boni prælati, boni contemplativi, & boni activi: ſecundò tres modi diligendi Deum ex toto corde, ex tota Anima, & ex tota mente, in quibus abſcondit Deus farinam dilectionis ſuæ: tertiò ſpiritus, Anima, & corpus, quibus homo conſtat, in quo Deus abſcondit farinam ſuæ gratiæ. *In Luc. c. 13. v. 21.* Vide *ibidem* multa alia myſteria.

1390 ***Homo ad opera miſericordiæ ſit feſtinus.***

Feſtinavit Abraham, & Sara: Accelera. Cur tanta feſtinantia? Vt ſignificaretur, quod ad opera miſericordiæ debemus eſſe ſolliciti non pigri, ut dixit Ieſus Zachæo: *feſtinans deſcende &c. In Luc. c. 19. v. 5.*

1391. ***Beata Virgo data fuit in adiutorium redemptionis.***

Dixitq; Sara, & tria ſata &c. Cur Id Vxori præcipit? Cur non ipſe hoc opus promptè fecit? Nota B. Virgo figurata eſt in Sara: & ſicut mulier data eſt in adjutorium viro: ſic B. Virgo Maria data eſt in adjutorium Chriſto in opere Incarnationis: Voluit enim Chriſtus, ut & ipſa eſſet ſecum ſocia, & veluti corredemptrix. *Brevil. p. 3. cap. 3.*

1392. ***Chriſtus Dominus non de Cœlo, ſed de carne B. Virginis, & de noſtra maſſa aſſumpſit humanitatem.***

Abraham verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum. Vide, quod Abraham non miſit ſervum ad hoc opus, ſed ipſe ivit ad armentum, ſcilicet Deus ad genus humanum, quod per armentum intelligitur. *In Luc. cap. 12. v. 32.* Tulitq; vitulum, ſcilicet Chriſtum, qui non cæleſti materia, ſed de carne puriſſima B. Virginis formavit corpus, ut in Cruce offerretur pro nobis. *Pſal. 28. Luc. c. 15. v. 23. & l. 3. d. 2. a. 2. p. 1. ad 2. & d. 3. p. 2. q. 1. & 2.*

1393. ***Chriſti complexio delicatiſſima fuit, ideò in cruce dolorem intenciſſimum habuit.***

Feſtinavit, & tulit vitulum tenerrimum. Cur vitulum tenerrimum, & non potius anniculum? vitulus

Vitulus mysticè est Christus, & dicitur tenerrimus, ut detur intelligi, quod cum esset complexionis delicatissimæ ejus dolor in passione, & Cruce fuit maximus. *Ser. 5. in Parasceve & l. 3. d. 16. art. 1. q. 2.*

1394. *Christus vitulus saginatus, & in Cruce coctus, toti Trinitati expositus in satisfactionem pro peccatis nostris.*

Et tulit vitulum &c. Nota hanc figuram Iesu Christi, quæ verè maximam dulcedinem Contemplantibus affert: Abraham mysticè est Pater æternus, qui filium suum unigenitum Innocentissimum gratiæ, & veritatis plenum tulit de Armento, scilicet elegit de omnibus hominibus, & Cruci, & morti pro nostris peccatis tradidit. Ex hoc vitulo sic cocto in Cruce comederunt tres Angeli, scilicet tres Personæ divinæ, scilicet per ejus mortem satisfactum est toti Trinitati, quæ erat pro nostris peccatis ad justitiam famelica. O pietas quanta Dei nutritio! ô humilitas Christi Iesu, &c. *op. stim. Div. am. p. 1. c. 7.*

1395. *Christus saginatus, & præparatus exponitur à Sacerdotibus, & Prædicatoribus fidelibus in cibum.*

Deditq; puero, qui festinavit, & coxit illum, & posuit coram eis &c. Cur puero, & non Vxori hoc officium præparandi vitulum imposuit, sicut imposuerat, ut præpararet panem? Sed nota verbum, signa mysterium. Datus est à Deo hic vitulus servo, & non Vxori, scilicet Sacerdotibus, & Prædicatoribus: Illis, ut in altari ipsum veluti coquant, immolentq; pro salute peccatorum, & exponant in cibum fidelibus: Istis scilicet Prædicatoribus, ut ejus mortem, & excellentiam sacramenti exponant, & proponant auditoribus in cibum Animæ. *In Luc. c. 15. v. 23.*

1396. *Christus accepit de Virgine carnem non infectam sed purissimam.*

Tulitq; butyrum, & lac, & vitulum &c. Cur non etiam caseum? Nota per butyrum, qui ex carne descendit, significatur natura sine corruptione: per lac, puritas, per caseum verò peccatum: Pec quæ significatur, quod Christus, ut Trinitati convivium satisfactionis pararet, tulit naturam humanam de Virgine sine impunitate, & peccato, eamq; obtulit eidem Trinitati. *Psal. 8. & op. de septem itineribus æternit. itin. 6. d. 5. & ser. 1. de una S. Virgine.*

1397. *Divites sunt matres, & nutritores pauperum.*

Butyrum & lac tulit &c. Ad quid lac tulit? Nonne hic est cibus parvulorum? nonne spectat hoc ad matrem, & nutricem? Verum quidem est: homo enim eleemosynarius est sicut nutrix, quæ lactat puerum: sicut enim nutrices solent impinguari, ut lacte abundent, & bene nutriant pueros, sic Deus impinguat divites, ut nutriant filios suos, scilicet pauperes. *op. Diæt. salut. tit. 2. c. 7.* Nota etiam, quod Abraham in magna abundantia præparavit prandium istis tribus viris, ut detur intelligi, quod abundantia divitum debet supplere inopiam pauperum, & ideò eleemosyna abundanter est danda. *In Ecclef. c. 9. v. 8.*

1398. *Sub arbore crucis per meditationem reficitur Anima.*

Tulit butyrum &c. & posuit coram eis sub arbore. Cur sub arbore, & non in domo? quia propter umbram in meridie locus erat gratissimus, pec quod significatur, quod sub arbore Crucis proponitur convivium, quia meditantibus Christi passionem, cibus & refectio maxima, & suavissima provenit. *In Luc. c. 15. v. 23.*

1399. *Angeli quàm sedulò, & libenter nobis ministrant.*

Cumq; comedissent, dixerunt ad eum, ubi Sara Vxor tua? Ergone Angeli manducant? si sunt puri spiritus, possunt ne cibum in substantiam convertere? minimè: sumpserunt quidem cibum, sed absq; conversione alimenti, non ad sui refectionem, sed dantis consolationem, & instructionem: ex quo patefit familiaritas, & humilitas ministerij, quo Angeli condescendunt homini: illiq; adstant modo ut adjutores, modo ut eruditores, & illuminatores ipsius. *l. 2. d. 8. p. 1. a. 3. q. 1. in Luc. c. 2. v. 9. & op. Bibl. paup. c. 31.*

1400. *Angeli defensores viri eleemosynarii.*

Cumq; comedissent &c. Cur post comestionem se manifestarunt, Angelos esse? Vt perciperet, quàm chara Deo, & Angelis hospitalitas, & eleemosynæ distributio. *ser. 5. Dom. 8. post Pentecost.*

1401. *Hospitalitas, & ablutio pedum inter religiosos commendatur.*

Cum comedissent &c. Cur solùm post ablutionem, & comestionem se se manifestarunt Angeli? Vt discamus, quod Deo, & Angelis est chara hospitalitas apud servos Dei: & ob id Christus priùs voluit lavare pedes Discipulorum, & postea eos cibo cœlesti resocillavit: sic est antiquus mos apud religiosos, ut ad fomentum charitatis priùs laventur pedes advenarum, postea resocillentur. Tria enim valdè venerabilia erant apud antiquos religiosos: scilicet accessus ad Altare: Ingressus ad mensam, & ablutio pedum fratrum advenarum: ergo & nos studeamus ipsos devotè imitari. *In Ia. collat. 60.*

1402. *Christi nativitas potest continuè spiritualiter celebrari.*

Cumq; comedissent, dixerunt, habebit filium Sara Vxor tua. Vide, quod post occisionem, & comestionem vituli filius nasciturus ex senibus promittitur; & si hic vitulus est Christus occisus in Cruce, ergo denuo nascetur? sed nota mysterium: Abraham est Pater æternus, cui post filij mortem adhuc denuo eumdem filium nasciturum promittitur, & quomodò? nasciturus in mentibus putis per virtutum infusionem, & tunc verè erit Isaac, id est risus, quia dulce lumen, & delectabilis sol justitiæ est oculis Animæ. *op. stim. div. am. p. 1. cap. 7.*

1403. *Riſus bonus commendatur, vanus reprehenditur.*

Cumq; audiſſet Sara riſit: dixit autem Dominus: quarè riſit Sara. Nota, quod Abraham ſuprà intelligens, ſe in ſenectute generaturum filium riſit; & non fuit correptus: modò ridet Sara, & corripitur: Cur hoc? Ex diverſa intentione: Abraham riſit, ſcilicet ex hilaritate cordis ob gaudium tantæ promiſſionis, cui perfectè credidit, & hoc eſt bonum: Riſus enim moderatus pro loco, & tempore, & ſine diſſolutione eſt laudabilis: Saræ autem riſus fuit ex diffidentia, & incredulitate, ideò à Domino fuit correptus. *op. Bibl. paup. cap.* 116. & 128. & 129. & *op. ſpec. Diſcipl. p.* 1. *cap.* 24. & *op. de Inſtructione Novit. p.* 1. *cap.* 21. in Religioſis igitur riſus ſit moderatus, & hilaritatem cordis, benignitatem, ſuavitatemq; vultus, non diſſolutionem oſtendat.

1404. *Mulier natura eſt fallax, mendax, & ſtultiloqua.*

Sara quarè riſit? Negavit Sara dicens: Non riſi, timore perterrita. Vide quomodò mulier Religioſa conjux ſanctiſſimi viri, cum verè riſerit, ſe riſiſſe tam conſtanter negat in faciem Domini, & Angelorum: ſed id mirum non eſt: erat enim mulier: filiaq; Evæ: Talis eſt fallacia, ſtultiloquium naturale mulierum. *Op. Bibl. paup. cap.* 67. & 128. & 129. idem & Lipomanus.

1405. *Sine haſitatione fidem promiſſis divinis habere debemus.*

Dixit Dominus: Nunquid Deo quidquam eſt difficile? Vide quantùm Deus abhorreat in nobis diffidentiam, vel hæſitationem in ſuis promiſſis: licèt enim Sara ſciret de fide Deum omnipotentem, tamen adhuc hæſitabat in promiſſione Abrahæ à Deo facta, quod licèt eſſet ſterilis ex natura, & ætate, tamen erat paritura: Deus volens tali morbo occurrere, in medium poſuit ſuam omnipotentiam, & conſequenter veracitatem, fidelitatemq;. *In Luc. cap.* 1. *v.* 36. Hicq; eſt valde notandum, quod Doctores plurimi dicunt, Deum ſæpe ſinere nos cadere ſub poteſtate Diaboli, vel in multas miſerias, & calamitates, quia non credimus Deo, ſed diffidentes hæſitamus in ſuis promiſſis: quaſi Deus mentiatur, ut homo.

1406. *Prædeſtinatio, & reprobatio non habent in Deo cauſam creatam motivam, ſed tantùm cognoſcitivam.*

Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, &c. Nota quod hæc verba non important neceſſitatem, ſed congruitatem quandam revelandi Abrahæ, quæ Sodomæ, aliiſq; perverſis hominibus juſto Dei judicio contingenda erant: ſed cur hæc vero juſto expreſſit? ut diſcamus, quod prædeſtinatio, & reprobatio in Deo cauſam creatam motivam non habent, ſed tantùm aliquam congruitatem, nempe præviſionem tantùm operum. *lib.* 1. *d.* 41. *a.* 1. *q.* 2. *fund.* 1.

1407. *In Chriſto, & à Chriſto omnis benedictio deſcendit in nos.*

Et benedicentur in ipſo omnes gentes. Ergo in Abraham benedicendæ erant omnes gentes: Nonne erat & ipſe homo privatus, & peccator? Nota, quod dicit, *in ipſo*: ideſt in Chriſto exiſtente in veritate in ſemine Abrahæ: ex Chriſti enim meritis benedictio deſcendit in omnes gentes. *In Luc. c.* 11. *v.* 28.

1408. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

Num celare potero Abraham, quæ facturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, &c. Cur tot privilegia conceduntur Abrahæ? Cur tot ſecreta revelata? Cur in ipſo, & non potiùs in eius Patre dicitur quod benedicendæ erant gentes? ſi enim in ſemine eius virtualiter erat Chriſtus naſciturus, etiam erat in eius Patre, & Avo? ſed vide ex hoc, quod Deus talis eſt homini, qualem ſe ipſi Deo exhibet homo: quia enim Abraham ſuper omnes fuit fidelis in exequendo voluntatem Dei, & eius ſecreta, hinc & ſecreta ſua ipſi pandit, & tantam laudem à Deo meruit. *Op. Bibl. paup. cap.* 4. & 5. & 34. & *Pſal.* 17. *v.* 27.

1409 *Prælati, & Parentes rectè munus ſuum exequentes copiosè remunerantur à Deo; mali duriſſimè puniuntur.*

Scio enim, quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ, ut cuſtodiant viam Domini, &c. Ecce aliud motivum principale, cur tantùm fuerit privilegiatus Abraham, nempe executio muneris ſui, ut Prælati, & Patris in ſuos ſubditos: ſicut enim magna pœna erit malorum Prælatorum, ita magnum præmium, & merces bonorum: qui enim benè præſunt, duplici honore digni habentur, quia & ratione ſui, & ratione populi ſibi commiſſi, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *In Luc. cap.* 12. *v.* 46. & *cap.* 19. *v.* 17.

1410. *Charitas ordinata eſt Primò ad propinquos, Secundò ad extraneos.*

Scio, quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, &c. Cur primò dixit, *filiis*, poſtea *domui ſuæ*? Nonne dicendo domui ſuæ, includebat etiam filios? quia charitas eſt ordinata, & ordinatè à viro juſto exercenda erat: primò enim reſpicit magis propinquos, deinde extraneos cæteris paribus. *l.* 3. *d.* 29. *a.* 1. *q.* 4.

1411. *Clamor bonorum, & malorum ad Deum qualis.*

Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, &c. Quis eſt iſte clamor, qui ad aures Dei pervenit? ſed nota, quod clamant Angeli clamore laudis, clamant juſti clamore devotionis, clamant miſeri clamore neceſſitatis, clamant iniqui clamore iniquitatis, ut clamabat Sodoma, & Gomorrha: Dicitur autem peccatum clamare ad Dominum, quando ſua enormitate expetit ultionem, & Deus non vult amplius ſuſtinere, taleque inter omnia eſt peccatum Sodomitarum. *In Pſal.* 37. & 137. & 140. & *in Luc. c.* 17. *v.* 28. & 29.

1412. *Peccatum*

1411. *Peccatum omne maximè tamen contra naturam fœtet naribus Dei.*

Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est nimis. Cur de istis dicitur, quod clamor ad Deum pervenit?Nonne & in aliјs locis peccata committebantur? Quia peccatum contra naturam (quale erat Sodomitarum) est omnium gravissimum: Dicitur autem clamare, quia eorum fœtor excitavit Dei justitiam, fœtet autem omne peccatum, sed maximè hoc Deo, Proximo, & Ipsi peccanti. *Psal.37.& 137.& in thren.cap.1.*

1413. *Iudicibus data est à Deo norma procedendi in iudicando.*

Clamor Sodomorum, &c. Descendam, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. Quid est hoc, quod audio? Ergone Deus indiget ad terram descendere, ut cognitionem operum hominum acquirat? Nonne est omniscìens? sed nota quod hic agebat Deus personam Iudicis, voluitque tradere regulam procedendi in judicijs ipsis Prælatis, & Iudicibus, nempe, quod non procedant præcipitanter in proferenda sententia, nec temerariè indiscussa judicent, ne quælibet mala audita ipsos moveat, ne passim dicta sine probatione credant, & ut in processu judicium sit justum, scilicet verum sequendo, nocentem non defendendo, & innocentem condemnandu, & in sententiando sit ordinatum secundum veritatem cognitam. *In Ioan.cap.5.v.30.& Opusc.Bibl. paup.cap.60.*

1414. *Iudex privatus propria, publicus aliena peccata iudicet.*

Clamor Sodomorum multiplicatus est: Descendam, & videbo, &c. Nota, quod hic exprimitur differentia inter Iudicem privatum, scilicet pœnitentem in foro conscientiæ, & publicum in foro fori: ille enim debet videre, quod fecit, & punire per pœnitentiam propria peccata: Iudex publicus debet inquirere, & punire aliena. *fer. 1. Dom. 12. post Pentec.*

1415 *Verba turpia clamāt vindictam à Deo.*

Clamor Sodomorum ad aures meas pervenit, &c. Quid est hic clamor, qui pervenit ad aures Dei? Clamor fit verbis, & locutione: Ergone peccatum istorum erat in verbis tantùm? Erat in verbis, & in operibus malis, sed tamen eorum impietas inchoata est in verbis turpibus, & impudicis, ut patet, dum ad turpia volebant inducere Angelos: Datur ergo intelligi, quod iniqua loquutio immittit clamorem ad Deum ipsum, trahens ad examinationem, & punitionem. *In sap.cap.1.* Nec miteris de hoc, quia plurima mala faciunt mala verba nempè mundana, lasciva, ad malum provocantia, ad discordias concitantia: Igitur si nihil in hac vita melius est, quàm boni mores, & cum corrumpant bonos mores colloquia mala, sequitur, quod nihil peius malis verbis, quippe quæ sunt aptissima instrumenta evacuandis cordibus. *fer. 2. de S. Laurentio.* Hic tamen est notandum, quod præcipuè invehitur contra verba, quibus trahuntur alij ad peccatum, ut erant verba Sodomitarum, nam tales sunt auxiliarij Diaboli, quibus utitur Diabolus ad decipiendas animas. *fer.2.fer.4.Pentec. & fer.3.Dom.4 post Pentec.*

1416. *Abundantia bonorum temporalium sæpè præcipitat in omnia scelera.*

Clamor Sodomorum, &c. Sed cur inter tot nationes ista sola pervenit ad tantum profundum iniquitatum? Nota, quod supra dictum est, hanc regionem esse veluti Paradisum: Ergo rectè infertur, quod abundantia nimia bonorum temporalium istos pertraxit ad tot scelera. *Opusc. Bibl. paup. cap.121.* Caveat igitur nos Deus à simili Paradiso: solet enim rerum abundantia tantò magis à Divino timore mentem soluere, quantò magis hanc exigit diversa cogitare. *Opusc. Phar. lib. 3. cap.18.* unde dicitur in *Ezech. cap. 16. saturitas, & abundantia panis idest deliciarum, & otiositas fuit iniquitas Sodomæ. Opusc. de prof. Relig. lib.1.cap.39.*

1417. *Peccatum in principio neglectum ad innumera alia nos provocat, & tandem ad damnationem æternam.*

Peccatum eorum multiplicatum est, & aggravatum nimis. Quid est, & quomodò multiplicatum, & aggravatum? Quia peccatum quod cito per pœnitentiam non deletur, in aliud statim rapit; sed vide gradus quomodò multiplicantur, & aggravantur: primò enim est impietas in corde per consensum, deinde in manu per consummationem operis, postea advenit verbum defensionis, vel gloriationis, inde spes impunitatis, postea defluxus per iterationem pravæ consuetudinis, deinde obduratio in mente, & tandem mors impœnitentiæ finalis. *In Sap. cap. 1. in fine.* Unde credendum est, quod isti Sodomitæ gradatim in tantum profundum peccatorum præcipitati fuerint.

1418. *Amicitia cum Deo maximam confidentiam in corde ingerit.*

Et appropinquans Abraham ait Deo, nunquid perdes iustum cum impio? Videns Abraham hos Angelos convertere se ad Sodomam, ut eam punirent, statim quasi arguens Deum dixit, nunquid perdes justum cum impio? Vide, quod justus non statim genuflectit ante Deum, preces non porrigit pro liberatione Sodomæ; nec id est mirandum, nam isti sunt fluctus charitatis æstuantis justorum; audent enim ob firmam confidentiam in Deum quodammodò ipsum arguere, vel docere cum, vel etiam sanctæ resistere eius determinationi, vel omnipotentiæ, vel tentare mutationem Divinæ sententiæ: quæ omnia Sanctè Sanctus amor facit. *Opusc. de 7. itiner. æter. Itiner.4.dist.5.art.2.*

1419. *Iustus confidens in Deo, in oratione variè se vestit, gerens personam multiplicem.*

Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas impium cum iusto. Vide, quod hæc loquutio videtur prima facie sapere aliquid temeritatis, attamen in his verbis, & in antecedentibus, & consequentibus exponitur forma excellentissimæ orationis, in qua orans cum fervore charitatis aliquando assumit formam servi humiliter Dominum, & Iudicem suum provocantis ad misericordiam, sic infra Abraham orat dicens, *loquar ad Dominum cum sim pulvis:* aliquando familiaris amici, & domestici rogans Deum cum reverentia, simul & fiducia, & quasi ad modum consulentis ipsum, ut faciat

faciat hoc, vel illud, exponendo rationes, vel cauſas, quarè ſic decet, & expedit fieri, ut in allegatis verbis: *Abſit à te, &c.* aliquando aſſumit formam filij, qui confidens de dilectione paterna non tam obſecrat, quàm imperat patri, ut eum exaudiat, expectem erga ſe patris benevolentiam allegant. *Opuſc. de prof. Relig. lib. 2. cap. 61. & 68.* O piiſſime Deus, quàm bonus es te timentibus, qui omnia factus es tuis ſervis!

1410. *Proprium munus ſanctorum eſt pro aliorum ſalute orare, & intercedere.*

Si fuerint quinquaginta juſti in Civitate, &c. Sed quid ad te pertinet perditio harum Civitatum ô bone Abraham? Nonne ſufficit tibi, ut ſalvetur tuus Nepos Lot cum ſua familia? Minimè; nam Abraham erat vir ſanctus, & juſtus, & veluti perſona publica, ideò non ſolùm pro ſe, & pro Nepote, ſed & pro maximis peccatoribus ſeipſum medium coram Domino ponit: hoc enim eſt officium, & munus ſanctorum. O quot bona peccatoribus conceduntur merito, & interceſſione ſanctorum. *ſer. 1. Dom. 3. poſt Pentec. & opuſc. Brevil. p. 5. cap. 10.*

1411. *Quinquagenarius numerus eſt ſacratus, & Iubilei in S. Scriptura.*

Si fuerint quinquaginta juſti in Civitate, &c. Cur primo loco Deo proponit hunc numerum? cur non centenarium, quadragenarium? Quia hic numerus eſt ſacratus in S. Scriptura, & numerus Iubilei: conſurgit enim ex ſeptenario ſuper ſeipſum reflexo, cui addita unitate deſignat remiſſionem ſeptiformis miſericordiæ: hinc in anno quinquageſimo celebrabatur Iubileus, & plena remiſſio. *In Luc. cap. 16. v. 7.*

1412. *Oratio eſt medium impetrandi, quod Deus diſpoſuit nobis impertiri.*

Si fuerint quinquaginta juſti, &c. Abſit à te Domine ut occidas juſtum cum impio. Quid dicis ô ſerve Dei? Nonne ſcis decretum Dei eſſe immutabile? Iam in Tribunali Divinæ vindictæ exijt hoc edictum puniendi, & exterminandi Civitates pentapolitanas? Ad quid nunc quæris, ut hoc decretum immutetur? ſed nota myſterium. Orabat hic juſtus: orant ſancti Deum non ut immutent decretum Dei immutabile, ſed quia Oratio eſt medium à Deo ordinatiſſimum conferendi nobis, quod Deus diſpoſuit dare: Deus enim ſcit, quid nobis neceſſe ſit, antequam petamus, & ideò non indiget, ut per orationem inſinuemus ei deſideria noſtra, nec indiget flecti ad miſerendum nobis, quod & ante diſpoſuerat facere, ſed vult rogari, ut ampliorem nobis profectum procuret, cum gratis nobis benefacit, ſicut ab æterno diſpoſuit, & tamen orationis noſtræ ſtudium ad multiplicem nobis utilitatem convertit: hincque Oratio non eſt cauſa eius beneficentiæ, ſed via, ut ſi non propter illam, tamen per illam miſereatur. *Opuſc. de prof. Religioſ. lib. 2. cap. 65. & lib. 4. diſt. 45. art. 3. q. 1. ad arg. & lib. 3. diſt. 17. art. 2. q. 1. ad 5.* Et quod id ſit verum, vide, quod Deus conceſſit Abrahæ, quod petijt, nempè ſi quinquaginta juſti eſſent in Civitate, illi parciturum promiſit.

1413. *Iuſti etiam pauci multos impios incolumes ſervant.*

Si fuerint quinquaginta juſti, &c. Quid ſi minus? ſi quadraginta? ſi triginta? ſi viginti? ſi decem viri juſti? Et reſpondit Dominus: *Non delebo propter decem.* Sed quo animo interponit numerum parvum decem juſtorum tantæ multitudini impiorum? Eſt ne hæc par ratio ô ſancte Abraham? ſed vide, quantum Deus æſtimat ſuos amicos: plus enim apud Deum animam, orationem, merita unius ſancti æſtimat, quàm innumerabiles peccatores: ſancti enim impetrant nobis peccatoribus multa bona & meritis, & affectu, quia vult, ut unum membrum relevet aliud, ex quo ediſcimus, quantum valeat deprecatio juſtorum pro mundo, pro locis, & perſonis. *lib. 4. diſt. 45. art. 3. q. 2. & 3. & Brevil. p. 5. cap. 10. & lib. 3. diſt. 20. art. 1. q. 3. in fund. & lib. 3 diſt. 40. art. 1. q. 2. ad 3. & in Luc. cap. 12. v. 7.*

1414. *Oratio debet fieri ad gloriam Dei amplificandam, & ad ſalutem proximi.*

Abſit à te, ô Domine, ut rem hanc facias: non eſt hoc tuum, ut fiat juſtus ſicut impius, qui iudicas omnem terram. Oleaſter ex Hebræo legit, *qui iudicas omnem terram, ut non blaſphemetur nomen tuum.* Nota diligenter finem orationis Abrahæ, qui fuit amplificatio gloriæ Dei, & ſalutis proximi: ſic facit Iuſtus perfectè orans qui aliquando inebriatus ſpiritu, immemor ſuimet Deo deditus, eique per amorem inhærens, ſuper omnia gloriam eius, & honorem promoveri, & eius notitiam ad omnes dilatari deſiderans, tam pro ipſius, quàm aliorum ſalute rogat Deum, ut ſanctificationis ſuæ notitiam omnibus præbeat maximè Infidelibus, & fideles ad gratiam ſuæ ſanctificationis convertendo per amorem, & rebelles per oſtenſionem ſuæ potentiæ utiliter confundendo, & quaſi non poſſit vel nolit ſine alijs cæleſti gaudio frui, anhelat, & ſatagit plures ſecum trahere orando, docendo, & quocunque alio modo honorem Dei, & ſalutem proximi, & profectum ſpiritualem promovendo. *Opuſc. de prof. Relig. lib. 2. cap. 61.*

1415. *Oratio debet eſſe humilis, ut ſit Deo grata.*

Loquar ad Dominum, cum ſim pulvis, & cinis. Cur in medium affert Abraham ſuam vilitatem? ſi io ſuo corde iam ſe pulverem reputabat, cur eam voce exprimit? Vt oſtenderet, quod oratio ſine humilitate tam exteriori, quàm interiori à Deo non auditur, Deus autem orationem humilium ſemper reſpicit. *In Thren. cap. 3. & Diat. ſal. tit. 7. c. 1.*

1416. *Ignis charitatis generat cinerem humilitatis, & fragrantiorem animam reddit.*

Loquar ad Dominum, cum ſim cinis. Cur cum pulvere connectit cinerem? Ad quid hæc ſuperflua additio? ſed nota, quod cinis ex igne gignitur, ut oſtenderet, quod ignis charitatis in cinerem humilitatis redigit hominem, tuncque ardens charitate tecta hoc cinere fragrantior, & vivacior fit apud Deum: ſic dicunt Naturales, quod muſcus in locis fœtentibus recuperat odorem. *Opuſc. Diat. ſal. tit. 7. cap. 1.*

1417. *Sub*

1427. *Sub cinere humilitatis conservatur ignis charitatis.*

Loquar ad Dominum, cum sim cinis. Cur cinis? Cinis quoad humilitatem, erat enim ardens igne charitatis, & Divinæ gratiæ, & quia sciebat, quod ignis, sicuti conservatur sub cinere, & quo major ignis majorem cinerem etiam exigit, ita se in cinerem humilitatis redegit, ut in se conservaret ignem charitatis, & gratiæ Divinæ, & ut quo magis ad Deum accederet, eo magis se humiliaret, & suam infirmitatem agnosceret. *fer. 2. in die cinerum.*

1428. *Homo qualiter se coram Deo debet humiliare.*

Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis. Quomodò potes tam asseveranter dicere, ô sancte Abraham, te esse cinerem? Verum quidem est, quod secundùm corpus es pulvis, & cinis, non quoad animam, & tamen totum te deprædicas pulverem, & cinerem? sed id optimè, nam homo quoad corpus est compactus ex pulvere verè, & physicè: quoad animam debet se quoad æstimationem, & similitudinariè reputare cinerem, & hoc tum propter vilitatem contractam ex peccato, tum ob difficultatem resistendi modico flatui tentationis, tum ob resurgendi difficultatem & impossibilitatem de peccato ad statum gratiæ, sicut cinis est vilis inter omnia terrea, nec potest resistere vento etiam modico, nec redire ad statum suæ materiæ pristinæ. *Opusc. Diat. sal. tit. 7. cap. 1.*

1419. *Perfecta oratio præambulam humilitatem habet, & sine ea non pervenit ad Deum.*

Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, &c. Quarè hæc verba præmisit Abraham suæ orationi? sed sciendum est, quod qui orat Deum adorat: sed quid est adorare Deum, nisi ipsum recognoscere in spiritu, & veritate? Habet enim pro objecto Deum summam veritatem, quæ facit cognoscere id, quod verum est, igitur orans cognoscit hanc veritatem, quod ipse impotens est, quod apud Deum reus est, & peccator: Deus verò omnium bonorum voluntarius, & liber largitor: hinc ille orationem perfectam fundit, qui semetipsum pulverem videt, qui nihil sibi tribuit, qui bona, quæ agit, ea Dei puta misericordia recognoscit. *In Ioan. collat. 22.*

1430. *Per pœnitentiam, & observantiam decem mandatorum placatur Deus.*

Quid si minus: si quadraginta quinque tantum justi. Cur in proponendo justos Deo ad impetrandam veniam pro sodomitis Abraham ex quinquagenaria descendit ad quadraginta quinque? Certum est quod eius lingua movebatur ductu Spiritus Sancti, ideo posuit quadraginta, quia est numerus sacratus significans decem mandatorum observantiam secundùm legem quatuor Evangeliorum, per quam exhibemus vitam nostram Deo per pœnitentiam ideò etiam quadragesimam jejunamus, quæ est decima, quæ Deo offertur: additus est numerus quinarius, significans quinque vocationes ad pœnitentiam à Christo ab initio mundi factas hominis, scilicet mane, tertia, sexta, nona, & undecima hora, per quæ significatur, quod proponendo quadraginta quinque justos, proponebat etiam pœnitentiam, & obedientiam ipsorum pro motivo veniæ. *fer. 15. Hexaem. & fer. 4. Dom. 4. Quadragesimæ, & in Psal. 93.*

1431. *Merito iustorum Deus sæpè parcit maximis peccatoribus.*

Quid si inventi fuerint ibi decem, & dixit, non delebo propter decem. Ex his patet primò, quanta fuerit universalitas peccantium in illa regione, in qua nec decem justi de tot millibus inventi sunt: Patet etiam, quod propter justos sæpè Deus parcit pluribus peccantibus, etiam si sint pauci ut supra dictũ est ad v. 24. *fer. 1. Dom. 3 post Pentec. & in sap. cap. 2.*

1432. *Iustorum oratio differt reprobis flagellum, sed non aufert, si ipsi non correspondeant, & pœniteant.*

Quid si decem inventi fuerint justi? Non delebo, inquit, propter decem: Abijtque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham, & ipse reversus est in locum suum. Nota hanc conclusionem: Abraham proponit decem justos, Deus acceptat propositionem, & statim cessat Deus loqui ad Abraham, sed misit post hæc Angelos ad destruẽdas illas civitates: Cur non est prosequutus suam orationem, & exhibendo, vel proponendo Deo justitiam Lot, & familiæ, suamque cum debita humilitate non tentat obtinere veniam? Id factum est, quia cum Deus videret obstinationem illorum habitatorum nullo modo volentium redire ad cor, & ad pœnitentiam, voluit per id significare, quod justorum meritis malorum damnatio differtur quidem, sed si pœnitentiam non agant, non aufertur, omnis enim malus sinitur à Deo vivere, vel ut corrigatur, vel ut per ipsum bonus exerceatur. *fer. 3. Dom. 13. post Pentec.* unde dicebat Origenes, *quid mihi conducit Pater meus Martyr, si non bene vixero:* Iustorum enim preces addit Chrysostomus, multum valent apud Deum, sed necesse est, ut pro parte sua laborent, qui volunt juvari intercessione sanctorum.

1433. *Sine observantia mandatorum Dei non est salus.*

Quid si decem inventi fuerint? Cur Abraham sistit in denario numero? Cur non ad minorem numerum descendit? Quia per hunc numerum significatur observantia decem mandatorum, sine qua nullus justus esse potest, nec evadere damnationẽ: hinc in hoc numero sistit. *fer. 3. Dom. 13. post Pentec.* Nota etiam, quod in denario numero continetur omnia perfectio, scilicet unitas, ternarius, & senarius, ideò significat observantiam mandatorum Dei. *lib. 4. dist. 1. p. 2. art. 1. q. 3. & l. 3. dist. 37. art. 2. q. 1.*

1434. *Prælati compati debent fragilitati subditorum.*

Non delebo propter decem. Nota hic instrui Prælatos ad compatiendum infirmitatibus subditorũ, etiamsi aliquando videatur, quod non indigeant, uti dicunt: sicut enim Dominus pro paucis justis veniam promittit multis, sic & pro paucis infirmantibus verè cæteris est condolendum, melius enim est in hoc excedere in pietate, & compassione. *Opusc. de sex alis Seraphim cap. 4.*

1435. *Oratio cum perseverantia, & fiducia quam efficax.*

Quid si decem inventi fuerint, &c. Vide, quod Abraham inchoavit primò à numero quinquagesimo,

ſimo, nec hic ſiſtit, proſequitur deſcendendo ad quadraginta quinque, deinde ad trigeſimum, poſtea ad vigeſimum, & tandem ad decimum, & ſemper obtinuit, quod petebat: quia tunc ſua oratione ferventiſſima perſeverantes, & confidenter luctabatur cum Deo, & veluti triumphator remanſit: ſic & quicunque inſtat deſiderijs, & perſeveranter orat Deũ veluti luctatur cum Deo, & tandem obtinet, quod vult. *ſer. 1. Dom. 9. poſt Pentecoſt.* Nec id eſt mirum, quia vera, & perfecta oratio exigit fiduciam, humilitatem, diſcretionem, inſtantiam, & pietatem, ut fuit oratio Abrahæ. *Opuſc. Bibl. paup. cap. 3. & 16. & ſer. 1. Dom. 4. poſt oct. Paſquæ.*

1436. *Orationis alæ portantes ad Deum ſunt cognitio ſui, & divinæ pietatis.*

Quid ſi decem, &c. Notandum eſt diligenter, quibus gradibus Abraham pervenit ad tantam confidentiam cum Deo: primò enim præmiſit ſuam vilitatem dicens ſe eſſe puluerem, deinde adſpexit ad Divinam pietatem, hinc iſtis duabus alis ſublevatus pervenit ad Deum, & obtinuit, quidquid petijt. *Opuſc. ſpecul. diſcipl. p. 1. cap. 12.*

1437. *Orationis perfectæ utilitates quales.*

Quid ſi decem, &c. Ex varijs promiſſionibus à Deo Abrahæ factis patet, qualis ſit efficacia orationis perfectæ juſtorum, nam itam Dei placat, peccatorum veniam impetrat, à periculis liberat, difficultates complanat, familiaritatem Dei confert, item & impetrat revelationes ſecretorum Dei, & temporalia ſubſidia. *Opuſc. de prof. Religioſ. lib. 2. cap. 66.*

1438. *Charitas facit iuſtum pro alijs ſollicitum.*

Quid ſi decem inventi fuerint, &c. Sed quid ad te pertinet ò Abraham Sudomitarum tam nefandorum perditio? Nonne merentur omnem pœnam? Cur ad Deum confugis pro his ſceleſtis: Ar non eſt mirum quod tam ſollicitum ſe oſtenderet pro bono proximi, quia hoc eſt proprium charitatis veræ quæ quidem exercet cuſtodiam ſui, ſed ſimul etiam ſollicitam clementiam ad proximum propter Deum habet. *In Luc. cap. 17. v. 3. & opuſc. Bibl. paup. c. 41.*

1439. *Mali ſemper in numero excedunt bonos,*

Quid ſi decem iuſti, &c. Cur ad tam paruum numerum deſcendit: Quia ſciebat, quod ſemper mali excedunt in numero bonos. *Opuſc. Bibl. paup. cap. 112.*

1440. *Charitas Dei, & proximi transfert animam in Deum, ut in locum proprium.*

Abijtque Dominus, poſtquam ceſſavit loqui ad Abraham, & ille reverſus eſt in locum ſuum. Abijt Dominus, ſed ubi abijt Dominus? Ergone poteſt ſeparari ab aliqua re creata? Hoc eſt impoſſibile, quia eſt ubique, addirque, quod Abraham abijt in locum ſuum; ſed quis erat locus Abrahæ? Nota, quod tali phraſi ſcriptura exprimit ceſſationem colloquij inter Deum, & Abraham, dicendo *abijt Dominus*, ideſt ceſſavit, ſed in quem locum abijt Abraham? Locus juſti eſt Deus: licèt enim ceſſaverit à colloquio, non tamen à Deo ſeparatus fuit, quia cum charitas Dei, & proximi quæ in eius corde vigebat) ſint duæ alæ, quibus anima cito fertur in Deum, hinc ad locum ſuum, ſcilicet in Deum magis penetravit in Deo quieſcens, & in eius voluntate. *ſer. 1. in Aſcenſ. & lib. 2. diſt. 2. p. 2. art. 1. quaſt. 1. ad ſecundum.* Unde diſcedens ab oratione, magis in Deum penetrat per amorem.

1441. *Deus in cordibus ſanctorum delectatur.*

Abijtque Dominus poſtquam ceſſavit loqui ad Abraham, &c. Sed quo abijt? Eſtne ſubjectus tranſitui de loco ad locum? Minimè: ſed tunc dicitur ambulare Deus, quando in cordibus ſanctorum delectatur, ibi quieſcendo. *Opuſc. de inviſibilitate Dei.*



CAPUT XIX.

1442. *Angeli ſunt Dei Miniſtri non ſolùm in puniendo, ſed & in benefaciendo nobis.*

Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere. Cur duo Angeli? Nonne unus ſufficiebat ad ſubvertendam totam regionem? Vide Divinam providentiam in nos; nam ſi miſit Angelos ad puniendam Sodomam, & ad inferendam mortem iniquis, volnit, ut etiam ad cuſtodiam bonorum inſervirent: Unus igitur mittitur ad ſubvertendam Sodomã, & alius ad liberandum Lot, eiuſque familiam, ſunt enim Miniſtri Dei ad protegendum, & cuſtodiendum nos miſſi. *Opuſc. de Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 2. & opuſc. Bibl. paup. cap. 31.*

1443. *Peccator eſt involutus in cæcitate.*

Angeli venerunt Sodomã veſpere. Cur in veſpere, & non in meridie, ſicut venerunt ad Abraham? Nota, quod dicuntur veniſſe in meridie ad juſtum, quia erat per gratiam illuminatus in mente: ui ad peccatores dicuntur veniſſe ad veſperam, quia invenerunt illos excæcatos ex carnis voluptate, ſuperbiæ vanitate, rerum cupiditate, & mentis infidelitate, ſed præcipuè ex peccato fœdæ luxuriæ, & ideò veſpera ſignificat tempus, & ſtatum peccatoris. *ſerm. 3. Dom. Quinquag. & lib. 3. diſt. 31. art. 1. q. 3. in arg. 3. ad opp. 3.* Venerunt ergo ad veſperam Sodomam quia iſti perverſi ob tenebras peccatorum neſciebant, nec cogitabant pœnam ex ſuis ſceleribus ſecuturam, & quomodò cadere debebant in foveam Infetni. *ſerm. 3. Dom. Decima poſt Pentecoſt.*

1444. *Dei miſericordia ſemper relucet inſeparabiliter cum iuſtitia Dei.*

Veneruntque duo Angeli Sodomam, &c. Iam dictum eſt, quod duo Angeli miſſi ſunt, ut unus liberaret Lot, alter verò ut percuteret Sodomam: ſed cur duo Angeli? Nonne idem poterat fieri ab uno? Poterat quidem, ſed Deus vult, ut ſemper miſericordia relucear cum juſtitia Dei, in omni opere, nec poſſibile eſt eas ab invicem ſeparari. *lib. 4. diſt. 46. art. 2. per totum & lib. 4. diſt. 32. art. 3. quaſt. 2. ad 6.*

1445. *Societas mutua fovens charitatem commendatur à Deo.*

Venerunt duo Angeli Sodomam, &c. Cur duo, & non

non unus: sed notādū, quod isti duo Angeli unitim processerunt ad Lot, & domum eius, per quod significatur mutua geminæ charitatis exhibitio, quæ inter pauciores, quam duos esse non potest: societatem ergo mutuam in Angelis, & hominibus commendat hic Deus, societatemque ad augmentum charitatis, & exercitium esse necessariam ostendit, maximéque in viris Angelicis, & spiritualibus. *op. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 2.*

1446. *Charitas in Prædicatoribus missis ad prædicandum necessaria.*

Veneruntque duo Angeli Sodomam. Iam dictum est per hos duos Angelos Deum voluisse commendare societatem charitativam: sed notandum, quod præcipuè debet relucere in Angelis, nempè in iis, qui ad denunciandam pœnam, & gloriam hominibus mittuntur à Christo, suntque Prædicatores, & Doctores, unde Dominus Iesus misit discipulos binos ad prædicandum: sic etiam figurati fuerūt in Angelis ascendentibus, & descendentibus, nam officium Prædicatorum est Angelorum proprium, quorum est ascendere ad contemplationem divinitatis, & descendere ad imitationem humilitatis, charitatis, &c. *In Luc. cap. 10. v. 2. & opusc. de Eccles. Hier. p. 4. c. 5. & in Ioan. collat. 10.*

1447. *Angelorum societas mutua, & amicitia cum homine post Incarnationem qualis.*

Venerunt duo Angeli. Vide, quomodò Angeli ante Incarnationem veloces sunt ad puniendum hominem, erant enim veluti nostri inimici, scilicet inimici superbiæ, luxuriæ, & nostrarum iniquitatum: post Incarnationem verò facti sunt amici nostri, quia commercium celebratum est inter Cælum, & terram per sanguinem Christi. *serm. 2. fer. 3. Paschæ.*

1448. *Hospitalitas meretur aliquando recipere Angelos.*

Compulit illos ut diverterent ad eam, &c. Vide, quomodò Lot, sicut Abraham exercens hospitalitatem meretur Angelos recipere in domum suam, ut discas, quàm Deo sit charum exercitium operum misericordiæ. *In Luc. cap. 19. v. 6. & cap. 7. v. 44. & cap. 24. v. 29. & in Sap. cap. 19. & opusc. Bibl. paup. cap. 45.*

1449. *Angeli excitant nos ad opera misericordiæ.*

Qui dixerunt minimè, sed in platea manebimus, sed ipsos compulit. Isti Angeli invitati sunt instantissimè à Lot, ipsique in principio recusaverunt dicentes se nolle divertere ad domum ejus, qui tamen veluti precibus compulsi annuerunt piis servi Dei votis: sed cùm jam decreverint ad domum Lot divertere, cur fingunt se nolle ire? Licetne simulare? Sed nota, quod fictio similis fuit à Christo practicata cum Discipulis euntibus in Emaus, quæ verè non est simulatio, sed potiùs occasio, & excitatio, ut affectuosius eos invitaret, & mereretur: unde fingebant se nolle ire quasi gaudentes, & lætantes de hac repetita invitatione, vel utique coactione amorosa: disce & tu ô homo hoc exemplo peregrinos non solùm invitare, sed & trahere ad hospitium tuum. *in Luc. c. 29. v. 28. & 29.*

1450. *Magna merces datur exercentibus opera misericordiæ.*

Et compulit eos, &c. Sed quam mercedem reportavit ex hac hospitalitate? Maximam utique, quia nesciens Angelos esse, eos recepit hospitio, quia si scivisset, non fuisset mirabile: maximam quidem mercedem recepit, quia ministerio Angelorum liberatus fuit à Sodomis, & ab incendio. Non gratis igitur pauperi eleemosynam tribues, sed hospitium æternum tibi conducis: præbe tectum, & accipe Cœlum, præbe calicem aquæ frigidæ, & accipe torrentem voluptatis æternæ, recipe pauperes ut recipiaris ab eis, quando enim pauperem recipis, forsitan recepisti eum, qui te recipiet in æterna tabernacula, vel forsitan recepisti Deum, vel Angelos, qui te recipient in Cœlo. *In Luc. cap. 19. v. 5. & cap. 24. v. 29. & fer. 5. Dom. octava post Pentecost.*

1451. *Mali bonos semper opprimere tentant.*

Viri Civitatis vallaverunt domum Lot à puero usque ad senem, & omnis populus simul. Mirum est, quomodò statim ac fama per Civitatem percrebuit de receptione Angelorum sub specie duorum juvenum omnes tam senes, quam pueri, & omnis populus vallaverunt domum Lot, volentes eum opprimere: mirum, inquam, est, quomodò nec unus remansit, qui ad hanc impietatem non accurreret. Ex quo patet, quod in illa Civitate nec unus quidem inventus fuerat justus, sed omnes impiissimi concordes etiam erant in malo, & ideò omnes concordes erant in opprimendo bonos, hoc enim est proprium malorum, & perversorum, qui bonos oderunt propter vitæ dissimilitudinem, & doctrinæ. *op. Bibl. paup. cap. 110. & in Ioan. c. 15. v. 20. & in Luc. c. 17. v. 38.*

1452. *Pax, & concordia impiorum maledicta.*

Vallaverunt domum eius à puero usque ad senem, & omnis Populus simul. Vide, quanta concordia istorum impiorum ad malum patrandum, & ad persequendum justum: sed hæc concordia est inquinata, maledicta, Deoque exosa: non enim potest esse vera pax, & amicitia, ubi non est observantia legis divinæ, quæ retrahit ab amore fœdo, & carnali. *diæt. sal. tit. 7. cap. 6. & ser. 1. Hexaem.*

1453. *Magna virtus iusti conservare iustitiam inter malos: & è contra magna impietas esse malum inter iustos.*

Vallaverunt domum eius à puero, &c. Ex hoc facto patet, quomodò infecta erat tota Civitas, & tamen Lot cum sua familia se in justitia conservavit: magna quidem laus tantæ virtutis: sicut è contra impietas istorum aggravatur ex sanctitate tanti viri inter ipsos tam exemplariter viventis. *In Luc. c. 17. v. 28.*

1454. *Sacra Scriptura qualis moderatio, & quanta modestia in enarrando peccata enormissima, & innominabilia, ubi reprehenditur locutio immunda.*

Vallaverunt domum ejus, &c. Ad quid? Ut abuterentur his peregrinis. Ex hoc modo vide, quali

modeſtia utitur Sacra Scriptura in enarrando peccata fœdiſſima luxuriæ: & ut diſcamos hoc peccatum Sodomitarum eſſe inter cætera graviſſimum, enormiſſimum, & innominabile. *in Luc. c.17. & 18. & in Sap.cap.19.* Hinc ediſcendum eſt, quàm exoſa Deo ſit lingua immunda, hæc enim à Deo maledicta, à Diabolo mota & cæteros inquinans, & inficiens. *ſer.4.de Apoſtol.& ſer.1.Dom.11. poſt Pentec. & ſer.2. de S.Laurentio.*

1455. *Peccatum luxuriæ maximè excæcat oculos mentis.*

Priuſquam irent cubitum, viri Civitatis (ſcilicet in nocte) *vallaverunt domum eius*, & infra ſubditur *verſ.11.* quod, *Angeli percuſſerunt eos cæcitate.* Ecce pœna proportionata culpæ: excæcati ſunt iſti impij meritò, antequam abſorberentur in Inferno, ut diſceremus, quod licèt omne peccatum ferat ſecum cæcitatem mentis, inter omnia tamen luxuria cauſat cæcitatem, confunditque rationem, & judicium aufert, quod continua experientia patet. *opuſc.Diæt ſal.tit.1.c.4.& ſer.3.Dom.quinquag.*

1456. *Malorum ſocietas omnes etiam pueros inficit.*

Vallaverunt domum eius à puero uſque ad ſenem omnis populus ſimul. Mirum quidem eſt, quomodò in hoc impio facinore adnumerentur pueri etiam, imò & mulieres, dum omnis populus concurrit ad tantum ſcelus? Imò mirum non eſt, quia Malorum ſocietas omnes etiam pueros inficit, & ex hoc denuò magnificatur virtus Lot. *Diæt. ſal.tit.4. c.4. & opuſc.Bibl. paup.c.110.*

1457. *Filij, & Mulieres imitantur mores Patrum.*

Vallaverunt domum eius à puero uſque ad ſenem omnis populus ſimul. Vide ex hoc, quomodò pueri, & mulieres, qui licèt verecundi natura ſint tamen tam impudenter conveniunt ad hoc ſcelus, quia filij ut plurimum imitantur mores, & exempla Patrum: ſicut ergo Majores natu, & patres ad omne malum erant proni, ſic & eorum filij, & filiæ. *ſer.2. de Apoſtol.*

1458. *Correctiones in initio cum manſuetudine ſunt faciendæ.*

Et egreſſus Lot foras ait: Nolite quæſo fratres mei, nolite malum hoc facere. Vide, qua manſuetudine hos impios corrigit, ſed oculos verte ad ſtatum viri juſti, qui non erat eorum Iudex, & Prælatus, & ad iſtorum tabidam cupiditatem, & videbis, quàm ſapienter tali manſuetudine eos corrigit, ſciens, quod nihil hominum corda tam facilè flectit, & à malo revocat, quantum benignitas. *op. Bibl.paup.c.43.& opuſc.de ſex alis Seraph.c.7.*

1459. *Perverſi, & inveterati in malo difficillimè corriguntur.*

Nolite malum hoc facere, &c. Sed iſti vim faciebant Lot vehementer. Vide, quantam vim habeat mala conſuetudo, & inveterata, nam ad correctionem, & admonitionem viri juſti potiùs perverſiores ſe oſtendunt: nec id eſt mirum, quia conſuetudo eſt altera natura, & propter obdurationem difficillimè poteſt mutari. *op.Bibl.paup.c.27.in ſap.c.12.*

1460. *Perturbatio iudicij licèt à tanto, non tamen à toto excuſat.*

Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt viros, educam eas ad vos & abutimini eis. Notandum eſt hic, quod eſt maxima quæſtio inter Doctores, an Lot peccaverit in exhibitione ſuarum filiarum; & ratio dubitandi eſt, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. *Ex Epiſt.ad Rom.cap.3.v.8.* Communis reſponſio eſt, quod Lot hiperbolicè non ex corde locutus ſit, eo quod eſſent jam deſponſatæ primariis viris Civitatis, & ideò credidit ſe ipſis parcituros. Lyranus docet peccaſſe mortaliter, licèt non tam graviter ob perturbationem judicij, ideò licèt excuſetur à tanto, non tamen à toto. Et ratio eſt, quia charitas ordinata eſt, & ideò nullus debet committere aliquod inordinatum quoad ſe, ut præcaveat majori peccato alterius. Vnde advertendum, quod triſtitia vel oritur ex quadam ſubreptione, ſicut ſunt motus primi, vel eſt contra rationis judicium rectum, in qua ratio ſubiicitur ſenſualitati, nec ſolùm turbatur, ſed pervertatur, importatque multam imperfectionem, ſed cum aliqua excuſatione, taliquè pacto peccavit Lot. *lib.3. diſt.15.art.2.quæſt.2.& Pſal.41.*

1461. *Vt dona gratiarum conſerventur, debet Chriſtianus exponere ſe cuicumque tribulationi.*

Habeo duas filias, educam eas, & abutimini eis, dummodò viris iſtis nihil mali faciatis. Vide, quid facit vir juſtus, ut conſervet illæſos hoſpites: moraliter per hoc edocemur, quod ut conſerveotur illæſa dona gratiarum apud nos hoſpitantia, debemus exponere corpus, & animam cuicumque tribulationi. Sic Vgo Cardin. debemus ergo mala omnia ſuſtinere corde tranquillo, ut nullis frangamur adverſis, ſed flantibus ventis, & marinis impellentibus undis navem noſtram jactis anchoris tamdiu inconcuſſam ſervemus, donec pervenire ad portum contingat. *ſer.5.de una S.Virgine.*

1462. *Cum humana auxilia deficiunt, tunc divina ſuccedunt, & facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat auxilium ſuum in tempore opportuno.*

Vimque faciebant Lot vehementiſſimè, jamque prope erat, ut effringerent fores: & ecce miſerunt manum viri (ſcilicet Angeli) *& introduxerunt ad ſe Lot, eoſque qui foris erant, percuſſerunt cæcitate, &c.* Cur priùs Deus non voluit, ut potentiam ſuam oſtenderent Angeli? quia voluerunt ut Lot faceret, quod in ſe erat, quo adimpleto tempus veneṙat, ut oſtenderent Angeli potentiam ſuam (ait Lyranus) facienti enim quod in ſe eſt, Deus non denegat auxilium ſuum. *lib.2. diſt.28.art.2.q.5. in arg.* tum quia omnia facit Deus decenti tempore, voluitque, ut Lot cognoſceret ſuam neceſſitatem, ut melius cognoſceret divinam miſericordiam, & majorem haberet gratiam ad tantum beneficium. *In Ioan.cap.2.*

1463. *Luxurioſorum cæcitas interior, & exterior declaratur.*

Et eos qui foris erant percuſſerunt cæcitate à minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poterant. Cur cæcitate percuſſi ſunt impij? Et cur cæcitas

cæcitas hæc ordinata fuit, ut non invenirent ostiũ domus justi? quia illa cæcitas exterior interiorem animæ significabat: hic enim est proprius effectus luxuriæ, quia carnis delectatio mentem, quam inficit, obscurat, ne videre inde luminis claritatem valeat; sed unde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur. *fer. 3. Dom. quinquagesf. & fer. 1. Dom. Palm.*

1464. *Luxuriosi eyciuntur à consortio Angelorum, & Sanctorum.*

Nota etiam, quod dicitur, *Eos qui foris sunt excæcatos esse, nec invenire potuisse ostium.* Per hoc enim demonstratur, quod cùm intra ostium essent Angeli, & Lot luxuriosi extra consortium Angelorum, & Sanctorum perpetuò erunt, ubi perpetuò propter ardorem, & fœtorem luxuriæ igne, & sulphure punientur, sicut isti puniti fuerunt. Vnde dicitur. *Apoc. cap. 22. v. 15. foris canes*; canes enim non habent consortium cum Angelis. *fer. 3. Dom. in quinquagesf.*

1465. *Impius ostium non valet invenire, scilicet Christum.*

Ita ut ostium invenire non poterant. Sed quomodò hoc potest esse? Nonne poterant attrectare muros, & attrectando invenire ostium: Nota, quod Christus Iesus est ostium, & via; qui autem per ipsum non ambulat, non potest invenire ostium: Christus autem in se non recipit nisi eos, qui se exuerunt peccatis, & deposuerunt omnem sarcinam mundi, & cùm sit angusta, exigit paucitatem humilitatis. *In Luc. cap. 13. vers. 24. & in Ioan. cap. 10. vers. 1. & 2.*

1466. *Angeli assistunt in adiutorium obedientibus, resistunt contumacibus.*

Educ de Vrbe omnes, qui tui sunt, delebimus enim locum istum, nam Dominus misit nos, ut perdamus illos. Vide, quàm verum sit, quod Angeli mittuntur ad salvandum bonos, & ad perdendum malos, assistunt obedientibus, & resistunt contumacibus, & vacantibus deliciis carnalibus. *ferm. 2. fer. 3. Pentec. & ferm. 3. de Apostol. & opusc. Bibl. paup. cap. 10.*

1467. *Deus punit non solùm in altera vita, sed & in præsenti malos, & peccata.*

Delebimus locum istum, &c. Ecce quomodò propter peccata veniunt adversa, & subversiones, desolationesque regnorum, & locorum; unde valdè errant, qui credunt se posse impunè peccare in hac vita, & quod Deus solùm in altera vita reservet iram suam. *fer. 2. fer. 3. Pentec.*

1468. *Prædicatores tanquam Angelos mittit Deus peccatoribus, ut extrahant eos à statu peccati.*

Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Sic dixit Lot generis suis: sed cur istis impiis infectis labe aliorum, Deus prænunciavit malum futurum, & invitavit ad excundum è Civitate? Ecce perbellum mysterium: Civitas ista erat Sodoma omnium scelestissima, significans statum carnalium: Istis Deus sua misericordia mittit Angelos, scilicet. Prædicatores ut excitent eos ad surgendum per peccati detestationem, & ad exeundum de statu pessimo per peccati desertionem, & ad intimandam æternam damnationem, & hoc ne detur excusatio in peccato. *fer. 1. Dom. Palm.*

1469. *Peccatum, & maximè carnis reddit hominem veluti insensibilem, fatuum, surdum, & obstinatum vocationibus divinis.*

Et visus est eis quasi ludens loqui, &c. Vbi agitur de totali excidio Civitatis: vobis ô Sodomitæ ludicra videtur Lot loqui? Mirum hoc valdè est, imò non est mirum, erant enim involuti in peccatis carnalibus, peccatum enim carnis reddit hominem veluti insensibilem, quia absorbet ita rationem, ut videatur Prædicator eis quasi ludens loqui, dum comminatur divinam castigationem, solùmque quando moriuntur in peccatis, aperiuntur eis oculi, quando non est amplius tempus. *ferm. 1. Dom. Palm. & op. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.*

1470. *Perversæ consuetudinis pessimi effectus.*

Et visus est eis quasi ludens loqui, &c. Vide etiam pessimos effectus malæ consuetudinis, quæ veluti in peccato consopitos, non finit resipiscere à peccato. *In Sap. cap. 12. & opusc. Bibl. paup. c. 120.*

1471. *Malæ societatis effectus pessimi.*

Cumque esset mane, cogebant Lot Angeli, dicentes, surge, & tolle uxorem tuam, &c. Dissimulanteque illo apprehenderunt manum eius, &c. Res verè miranda hic notatur, nam cùm Lot crediderit verbis Angelorum, & ideò suadere curaverit generis suis, ut exirent è Civitate statim subvertenda, attamen iste vir videtur non posse se separare ab impiis illis hominibus, nec invenire tempus exeundi. Per hoc vide pessimos effectus malæ societatis impiorum hominum, quæ veluti consopitum in periculo reddit etiam justum. O quot damnantur ob malorum societatem. *op. Bibl. paup c. 120.*

1472. *Ad exortum Mariæ apparuit pax inter Angelos, & homines.*

Cumque esset mane cogebant eum Angeli, &c. Legunt Septuaginta, & Caldæus, *cùm ascenderet aurora, & mane esset, &c.* Ad quid notatur ascensus auroræ præcedens, si dicitur, *quod mane erat?* Si erat mane, ergo & præcesserat aurora? sed nota mysterium ad gloriam Mariæ Virginis mysticæ auroræ; aurora mediat inter noctem, & diem: Maria verò Aurora fuit medians inter Deum, Angelosque ex una parte, & hominem in tenebris peccati existentem ex alia: Ad exortum igitur auroræ ecce pax inter Deum, Angelosque, & homines, ecce quod ipsa mediante fugati sunt Dæmones, ecce & evasio hominum ab omnibus periculis apparuit. O felix aurora, ô Virgo Maria pacificatrix, & liberatrix nostra. *op. spec. B. Virg. lect. 11.*

1473. *Iusti obtemperantes Deo salvantur, inobedientibus pereuntibus.*

Cum esset mane, cogebant eum dicentes, surge, tolle uxorem, & duas filias tuas, addit Chaldæus, *quæ inventæ sunt fideles tecum, ne & tu pereas, &c.* Cur non coguntur ad exitum etiam famuli, & famulæ cum Domino domus? Credibile enim est, ut etiam ipsi

ipſi eſſent adoratores veri Dei:ſed nota illam particulam, quæ inventæ ſunt fideles tecum: Quid eſteſſe fideles, ideſt timentes Deum:Ex hoc patet, quod in quolibet ſtatu ſalvandorum aliqui ſunt boni, & aliqui mali, ut ſic omnes formident: in quo alij aſſumuntur ad gloriam, alij relinquuntur præcipitandi in cloacam Infernalium opprobriorum. *In Luc.c.17.v.35.*

1474. *Inter reprobos habitare, & ab ipſorum malis declinare quàm meritorium.*

Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & uxoris, & filiarum, & quia egebant exire, &c. Cur hæc coactio Angelorum? Iam admoniti ſufficienter erant hi iuſti, & fideles, ſi negligunt exire, ipſis,& eorum incuriæ imputetur, ſed nequaquam eos relinquunt Angeli, ſed omnimodè etiam media coactione veluti trahunt eos extra periculum, & cur hoc beneficium eis confertur? quia erant Deum timentes in medio nationis pravæ: Ideò Lot declinans interpretatur, ſignificatque eos, qui in medio malorum declinant peccata,& in timore Dei vivunt; & quia id eſt maximæ virtutis, ideò merentur à divina iuſtitia evadere, dum mali pereunt. *In Luc.cap.17.v.29.*

1475. *Prælati boni tam de aliorum ſalute, quàm de ſua zelare debent.*

Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & eduxerunt extra Civitatem. Valdè mirandum eſt, quod hic iuſtus prius toto corde nititur ſuis generis perſuadere, ut feſtinanter exeant Civitatem, ut poſſint evitare mortem, & poſtea ille nimias moras trahit, ita ut Angeli ipſum veluti coactum eduxerunt foras? Cur tanta negligentia, & veluti dormitatio in tanto periculo? Sed ad hoc reſpondent Doctores cum Lytano, quod hæc mora non fuit torpor, ſed deſidia, imò actus maximus pietatis, quia intendebat quærere miſericordiam Dei, & ſalutem tot animarum, tam enim zelabat pro ſalute horum peccatorum quaſi ſeipſo oblitus. Datur per hoc intelligi, quod boni Prælati ſunt illi, qui tanto zelo iuſtitiæ, & animarum calent, quod non recipiunt conſolationem de propriæ ſalutis profectibus, niſi alios ſecum trahant ad Deum; charitas enim non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti,ait Apoſtolus, zelusque iuſtitiæ quaſi coccus bis tinctus duplici colore charitatis rutilat, amoris nempè Dei, & proximi; Amor Dei non tantùm deſiderat ejus dulcedinem,& unione frui, ſed diligit etiam ejus beneplacitum impleri, ejus cultum ampliari, & honorem ſublimari; vult enim eum ab omnibus agnoſci,amari & ſuper omnia honorari. Amor proximi non tantùm deſiderat ejus corporalem ſoſpitatem, & temporalem proſperitatem,ſed magis ejus æternam ſalutem. *ep.de ſex alis Seraph.c.3.*

1476. *Multiplex tractio Spiritus Sancti reſpectu animarum conſideratur.*

Diſſimulante illo apprehenderunt Angeli manum eius, & uxoris, & filiarum, & eduxerunt eos extra Civitatem. Vide, quomodò videtur prima facie, quod inviti tracti fuerint ab Angelis extra Civitatem? Ergone Deus cogit, & vi vult ſalutem noſtram? Minimè: ſicut ipſi non inviti tracti fuerunt, ſed ſuaviter, ſic & Deus, vel Angelus trahendo ad bonam frugem peccatores non tollit eis libertatem, ſed trahit hominem vel de malo in bonum vinculis flagelli, vel beneficiorum, item de bono in bonum per donorum largitionem, & per virtutum profectum, vel de mundo ad Cælum miniſterio Angelorum.*ſer.2.fer.4.Pentec.& in Ioan. cap.6.v.41.& 45. & in Luc.cap.2.v.9. & ſerm.de S. Michaele & ep. Bibl. paup.c.31.*

1477. *Sæpè Angeli cuſtodes trahunt hominem extra ſtatum periculoſum tempore imminentis periculi.*

Diſſimulante illo apprehenderunt, &c. O quoties Angeli quaſi vi extrahunt hominem ſuæ cuſtodiæ deputatum, quando ei imminet aliquod periculum, quod continua experientia patefit: quis autem tot mala, quæ caro ſuggerit, mundus ingerit, & Dæmon impingit, pottare poſſet, & tot pericula evadere, ſi Angeli non juvarent? Quis etiam audeat deſperare, & non viriliter agere,cùm tam ſtrenuos milites noſcat ſibi aſſiſtere. *fer.4. de Angelis, & opuſc.Bibl.paup.cap.31.& lib.2. diſt.11. art.1.q.3.& art.2.q.1.*

1478. *Tendens ad perfectionem debet corpore, & corde mundana relinquere, nec reſpicere poſt tergum.*

Dixerunt ei, ſalva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione,ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereat. Cur tam ſeverè præcipitur Lot, & uxori, & filiis, ne reſpiciant poſt tergum? Ad quid hoc præceptum? ſed nota, quod poſt eductionem è Civitate, hoc ei dictum eſt, nempè eductis de mundo, & intrantibus in religionem, vel tendentibus ad perfectionem id continuè dicitur, nempè quod non ſolùm à carnis paſſionibus præcipitur eis ſe abſtinere, ſed etiam illecebram carnis à mentis memoria excludere; Ideò dicitur non ſolùm ut exeant à Sodoma, ſed nec ſtent in omni circa regione. *ep. de Eccleſ.Hier.part.3.cap.2.*

1479. *Religioſus ſtatus eſt mons deliciarum à Deo illuſtratus, & ſecurus.*

In monte ſalvum te fac. Cur in monte ſolo eſt ſalus, & non alibi. Nota hunc montem, qui eſt locus eminens, & à terrenis ad Cælum porrectus, ſignificare ſtatum religioſum, vel vitæ ſpiritualis, qui eſt locus magiſterij, locus ſacrificij à Deo radiis illuſtratus, & incenſus, locus refugij, ſilentij, tranquillitatis, paſcuæ, & eminentiæ: fuge igitur ad hunc montem, ſi vis eſſe ſalvus, & beatus. *In Luc.cap.1.v.30. & cap.9.v.28. In Ioan.collat.40. & ſerm.2.Dom.16. poſt Pentec. & in Thren. prolog. & libell. Apologet. q.22.* Vide ergo diſcrimen quale inter vitam religioſorum, & ſæcularium mundanorum, illi enim habitant in ſupernis, iſti in valle tenebrarum.

1480. *Status contemplationis eſt ſtatus ſecuritatis.*

In monte ſalvum te fac. Cur ad hunc montem,& non ad alium locum Angelus deſtinat Lot? quia mons myſticè eſt ſtatus vitæ contemplativæ; in qua eſt vera ſecuritas, ideò virum religioſum deſtinat ad hunc montem, ut ſit ſecurus ab omni malo, & ut per orationem contemplationis ſe elevet in Deum. *In Luc.c.9. v.29.*

1481. *In statu perfectionis semper est ascendendum de virtute in virtutem.*

Noli post tergum respicere, sed in monte salvum te fac. Hic notandum, quod per hæc verba Angelus præcipit, ut non solùm, in hac fuga nunquam quiescat, sed nec respiciat retrò, quia tendens ad perfectionis montem semper debet ascendere de virtute in virtutem usque ad montem: quiescere enim est retrocedere. *opuscul. stim. Amor. p.3. cap.4.*

1482. *Pusillanimitas in via Dei detestanda, qui aliquid laboris in via Dei renuit, sæpè in peius ruit.*

In monte salvari non possum, est Civitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea. Vide, quomodò vir justus recusat ascendere ad montem, in quo securè esset salvus: & tamen dicit, quod in eo monte salvari non poterat: sed nota, quod hic est fructus pusillanimitatis, ex qua oritur quidam timor mundanus, qui aliquando est mortalis, nempè cum ob timorem dimittitur id, quod est de præcepto, vel fatis contra præceptum Dei, leve peccatum, vel nullum, vel solùm imperfectio minima, cùm quis omittit ob timorè, vel torpore quodam, quod est supererogationis: Lot verò recusavit ascendere ad montem, quia erat vicinus Civitati, timuitque posse etiam ibi comprehendi ab igne. Sic Doctores apud Lyranum; sed vide effectus pusillanimitatis Lot, nam volens fugere laborem montis, incidit in peius, nempè amisit uxorem, & incidit in incestum. *opusc. Bibl. paup. cap.83. & opusc. Spec. an. c.3.*

1483. *Qui non potest secedere ad montem virginitatis, vel religionis, intret in Segor, scilicet in statum matrimonialem, ut fugiat mortem.*

Est Civitas hæc iuxta parva, & salvabor in ea. Nota, quod videtur insanus iste senex, nam recusans ire ad montem, in quo ex promissione divina securus poterat esse ab igne divinæ vindictæ, eligit intrare in Segor, quæ erat una ex Civitatibus Pentapolitanis igne subvertendis, attamen totum fuit dictatum à Spiritu Sancto. Nota ergo illam particulam (*iuxta*) id est propinqua, posita in confinio Sodomæ; voluitque Deus significare, quod virginitas, vel vita religiosa est locus tutus ad salutem; illa Civitas parva est vita sæcolaris, parva quidem in comparatione eminentiæ illius montis, & tamen ad salutem tuta, si ergo tibi animus non est ascendere ad montem religionis, ecce quod Deus tibi providet statum sæcularem, scilicet vitam conjugalem, ibi poteris esse salvus. *opusc. determinat. super regulam quæstion.14. & libell. apologet. quæst.22.* Sic & D. Augustinus, & D. Gregor. *in Glossa & opusc. de prof. Religios. lib.2. cap.56.*

1484. *In Ecclesia militante sola est salus.*

Est Civitas hæc, &c. & salvabor in ea, &c. Segor interpretatur parvula, vel calens, & significat Ecclesiam militantem, quæ respectu montis, scilicet Ecclesiæ triumphantis est parvula, in qua sola per humilitatem, & charitatem potest quisque salvari, & sicut ad ingressum Lot in ea exortus est Sol, sic intrans in eam particeps fit lucis cælestis à Christo sole, exttaque ipsam non est salus. *ser.3. in Nativit.*

1485. *Peccatum contra naturam specialiter est contra Verbum incarnatum, ideò iudicium in tale peccatum tribuitur filio Dei.*

Igitur Dominus pluit super Sodomam sulphur, & ignem a Domino de Cælo. Quid est, pluit Dominus ignem à Domino de Cælo? Videtur hæc repetitio frustratoria; sed nota mysterium: Dominus à Domino est filius à Patre procedens, hinc tribuendo hanc punitionem factam à filio Dei, specialiter indicatur gravitas ipsius peccati, & quod specialiter est contra Verbum incarnatum, & hoc quia peccator similis naturam, quam Christus per incarnationem reddidit cælestem, & divinam, reddit viliorem, quàm sit brutalis, cùm & bruta ipsa similibus actibus non utantur. *In Luc. cap.17. vers.29.*

1486. *Peccatum contra naturam in hoc mundo portat etiam secum ignem Inferni.*

Pluit Dominus sulphur, & ignem. Cur igne, & sulphure punitur hoc peccatum? Cur non aliis instrumentis? Et quomodò ignis, & sulphur è Cælo, & non potius à terra. Hoc est dictum mysticè: fuit punitum hoc peccatum ob inordinatissimæ libidinis incendium, & fœtorem: dicitur autem pluisse à Cælo potestativè, non verò formaliter, quia iste ignis, & sulphur fuit gehennalis, & ex Inferno extractus, ut celerius, & rigidius absumeret nationem tam execrabilem. *In Luc. cap.17. vers.29. & opusc. Bibl. paup. cap.10.* ut significetur, quod luxuriosus secum ignem Inferni portat.

1487. *In novissimo mundi tempore pauci erunt boni, ideò igne consumentur mali.*

Pluit ignem, & sulphur, &c. Cur igne, & non potius diluvio, ut factum est in principio mundi? Post diluvium aquæ nil remanet, nisi ignis, & sulphur; daturque intelligi, quod sicut in principio absorpti sunt mali aqua, in fine absorbentur igne, & sulphure, paucissimique erunt boni. *In Luc. cap.17. v.30.* Nota hic igitur ordinem Sacræ Scripturæ: priùs educitur Lot de Sodomis, deinde orto sole ingreditur Segor, postea puniuntur Sodomitæ: sic orto sole, idest Verbo incarnato, exeunt homines à peccato, & ingrediuntur Ecclesiam, & post sequitur damnatio reprobotorum, qui noluerunt converti. Sic Vgo Card.

1488. *Ob iustorum societatem Deus mitiùs agit cum impiis eos puniendo.*

Pluit ignem, & sulphur, &c. Cur tam citò Deus absumpsit istas regiones, quod non fecit cum Ægyptiis persequentibus populum Dei? Sed nota, quod suprà Angelus dixit ad Lot, *Egredere, &c. quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris ad montem?* Cur non poterit? quia mali viventes cum societate justorum mitiùs puniuntur à Deo, in Ægypto autem erant commixti boni cum malis, ideò mitius eos tractavit: in Sodomis excepto Lot omnes erant impij, ideò repentinus

interitus eis advenit. *In Sap. c. 10. & 19. & in Luc. c. 17. v. 30.* Sic & Vgo Card.

1489. *Peccator suo peccato inficit non solùm seipsum, sed & prædia, & campos.*

Subvertit Civitates has, & omnem circa regionem, habitatores, & omnia virentia. Sed quid peccati admiserunt campi, prædia, muri, & virentia? Nota, quod dicit, *subvertit*, non dicit, incendit, scilicet non solùm incensæ fuerunt Civitates, & homines, sed & regiones subversæ, idest eis fuit ablatus vigor, ideò ibi nunc nascuntur poma exterius speciosa, sed intus cinerea, & favillosa: Ex quo infertur, quod peccatum inficit non solùm peccantem, sed & pertingit ad Civitates, ad prædia auferens eis vigorem, sicut & spiritualiter aufertur animæ, ita quod non valens producere fructus dignos pœnitentiæ subjicitur ardoribus Inferni. *In Sap. cap. 10. & in Luc. cap. 17. vers. 30. & ser. 1. de dedicat. Ecclesiæ.*

1490. *Quatuor genera damnandorum sunt in mundo.*

Subvertit quatuor Civitates, &c. Cur quatuor, & non tres? Vt significaretur, quod quatuor genera damnandorum vivunt in mundo, scilicet Pagani, Iudæi, Hæretici, & mali Christiani. *serm. 3. in Nativ. & ser. 3. Dom. 2. post Pentec.*

1491. *Sæpè Parentes puniuntur in morte filiorum.*

Subvertit Civitates, & universos habitatores. Ergo etiam pueros? Sed cur cum Patribus adnumerat innocentes pueros? Id fuit ad punitionem majorem peccatorum parentum: isti enim sæpè puniuntur morte filiorum. *In Luc. cap. 13. vers. 5. & in Ioan. cap. 9. v. 1.*

1492. *Inobedientiam Deus punit severè etiam in minimis.*

Respiciensque uxor post se, versa est in statuam salis. Cur tam gravis pœna pro peccato tam parvo? Et cur in statuam salis, & non potiùs lapidis, ligni? In statuam salis, ut condiret mentes Religiosorum, & addiscerent, quàm exosa sit Deo inobedientia etiam in minimis. *In Sap. c. 10. & in Luc. cap. 17. v. 32.*

1493. *Apostasia realis, & moralis in Religiosis graviter à Deo punitur.*

Versa est in statuam salis. Nota etiam, quod per hoc instruuntur Religiosi, quàm puniatur à Deo apostasia, & retrocessio ab itinere incæpto in via spirituali, quæ incurritur vel aufugiendo realiter à Religione, vel se immergendo in voluptatibus carnis, vel cupiditatibus sæculi contra statum proprium; qui autem retrocedit ab incæpto, deridetur pro temeritate in præsumendo, pro instabilitate in prosequendo, & pro pusillanimitate in desistendo, & hoc non solùm à Diabolo, sed & à mundo. *In Luc. cap. 14. v. 30. & c. 17. v. 32. & cap. 9. v. 62. & in Ioan. cap. 6. v. 67.*

1494. *Carnalitates reddunt animam miseram.*

Versa est in statuam salis. Cur salis? Nota, quod sal diffluit, & putrefit ex supervenieote humiditate; sic respiciens retro ab incæpto itinere perfectionis, & in carnales concupiscentias diffluens in nihilum, imò & in omne malum redigitur. *In Sap. cap. 10.*

1495. *Diffidentia de Dei auxilio in tribulationibus, & necessitatibus punitur à Deo.*

Versa est in statuam salis. Quodnam peccatum commisit hæc mulier? Videtur enim hoc fuisse leve peccatum saltem ratione materiæ, & maximè supposita naturali volubilitate, & fragilitate muliebri? Respondent hic Doctores, quod ultra aspectum contra præceptum divinum animo angebatur ob bona amissa, & cognatos pereuntes, existimabatque illam pœnam esse supra condignum, & ob id diffidebat de divina misericordia: per hoc enim datur intelligi, quod qui in tribulatione sunt, seque à spe divinæ promissionis avertunt, diffidentes de Dei auxilio valdè Deo displicent, deseruntur que à Deo. *in Luc. cap. 17. vers. 32. & in Ioan. capit. 6. vers. 67.* & ob hoc peccatum voluit Deus condira mentes nostras, ne incidamus in idem, & ut semper in tribulationibus in Dei auxilio confidamus. *In Luc. ibid.*

1496. *In fine mundi multi à fide apostatabunt.*

Versa est in statuam salis. Nota, quod non solùm hoc factum ponitur in exemplum, sed & in præsagium; sicut enim illud incendium præsagium fuit incendij futuri in fine mundi, sic & datur intelligi, quod tunc animæ carnales in novissima tribulatione retrocedent, & à fide apostatabunt. *In Luc. cap. 17. v. 32.*

1497. *Boni aspiciunt ante, mali verò retro.*

Respiciens retrò versa est in statuam salis. Cur retrò respexit? quia erat de numero reproborum, per quod datur discrimen inter reprobos, & prædestinatos. Illi cadunt retrò non aspicientes nisi ad præsens bonum carnis, & mundi, non verò ad pœnas futuras: Isti cadunt quidem, sed respicientes pœnam futuram relevantur. *In Luc. capite 18. vers. 9.*

1498. *Obstinatio tollitur per lachrymas, & contritionem.*

Versa est in statuam salis. Cur in petram salis? Nota mysterium: Homo peccator multoties vertitur in petram ob duritiem malæ consuetudinis, sed sicut si sal ponitur in aqua, tunc liquefit, sic dum vivit homo, si ponitur ejus cor in aqua lachrymarum mollificabitur & liquefiet; unde peccator quantumque malus potest per pœnitentiam, indulgentiam obtinere. *sermon. 3. Domin. 1. post oct. Epiph.*

1499. *Aspectus malus, & prohibitus quàm noxius.*

Respiciens retrò, &c. Ergone onus aspectus tam graviter punitur? Sed ea hoc vide, quàm Dei displiceat visus à Deo prohibitus; si enim tam graviter Deus punivit uoieum aspectum prohibitum, quid faciet cum iis, qui indifferenter oculos sæpè vertunt ad objecta prohibita. *serm.4. Dom. 2. post oct. Pascha.*

1500. *Intentio bona, vel mala dat bonitatem, vel malitiam operi.*

Abraham consurgens mane intuitus est Sodomam, & favillam ascendentem. Cur uaor Lot punitur ob aspectum incendij, oon verò Abraham? sed adverte, quod talis aspectus fuit prohibitus uxori Lot, non verò Abrahæ; quia intentio dat bonitatem, vel malitiam operi. *lib.2. dist.46. art.1.q.2. & lib.3.dist.38.art.2.q.1. ad arg. & opusc.de 7.itin. ater.Itiner.1.dist.1. & 2.* Ideò in Abrahamo fuit meritorius aspectus, in uaore verò Lot malus.

1501. *Non omnis ignorantia excusat à peccato.*

Dixitque filia maior ad minorem, &c. Vide, qua arte istæ duæ filiæ, peccaverunt cum Patre, nempè ipsum inebriando: quæritur hic, an Lot peccatum ullum commiserit? Respondetur, quod noo eaeusatur à toto, sed à tanto, debebat enim vitare ebrietatem: eacusatur tamen à peecato mortali. *lib.2.dist.22.art.2.q.3. & lib.4.dist.35.dub.2.*

1502. *Bona intentio in opere malo non tollit malitiam actus.*

Dormivitque utraque cum Patre, &c. Dubitatur, an peccaverint hæ duæ filiæ. Respond. quod peccaverunt peceato ineestus, licèt enim habuerint pro fine talis actus non delectationem carnis, sed conservationem humanæ speciei, quia eredebant omnes homines periisse, tamen noo eacusantur à peceato, quia intentio bona deber eadere super materiam debitam, vel bonam, vel eapscem; bonitatis talis autem actus cum patre erat prohibitus, & tenebantur eonsulere patrem in hac earum dubitatione. *lib.4.dist.33.dub.2.*

1503. *Fallacia mulierum Diabolica.*

Veni inebriemus eum, &c. Vide, quanta sit astutia, & fallacia muliebris: eùm enim non sufecerent allicere Lot verbis, peregerunt propositum vino: multo autem fortiùs decepissent alium, eùm nec proprio Patri pepercerint. *opuscul. Bibl. paup. cap.127.*

1504. *Cohabitatio cum mulieribus etiam consanguineis est periculosa.*

Et mansit Lot in spelunca, & duæ filiæ eius, dormivitque maior, & minor cum eo, &c. Vide, quomodò quem Sodoma non vicit, & qui inter peccatores pessimos bonus fuit, & castitas ejus gloriosa prædicatur, cohabitando solus cum solis filiabus peccavit. Ea quo discere debemus, quàm periculosa sit cohabitatio viri etiam spiritualia cum mulieribus etiam consanguineis. O quàm est verum, quod mulier est initium peccati, sagena Infernalis, & lubricum eot ejus ad capiendum lubricos in agua catnalitatis, operaque illius vincula ad trahendum ad lubricitatem peceati: fuge ergo ô homo, si vis non illaqueari à Dæmonibus, mundumque te conservare, consortia mulierum. *lib.4.dist.33.dub.2. & sermon.2. Domin.11.post Pentec.*

1505. *Vitium gulæ, & præcipuè vini quàm periculosum.*

Veni inebriemus eum, &c. Ex hoc patet, quàm perniciosum sit vitium gulæ, & præcipuè ebrietatis. O quanta mala ebrietatem sequuntur, dum ratio subvertitur, dum secreta omnia revelantur, dum omnia turpia committuntur, dum rixæ, & homicidia sæpè generantur. *serm.1. de uno Confess. & opusc.Comp.Theol.lib.3.cap.10. & opusc. diat. sal. tit.4.cap.4.*

1506. *Conceperunt ergo duæ filiæ, &c.* Cur captimitur eonceptus? Nonne sufficiebat narrare incestum? Mysticè significatur, quod similes his duabus mulieribus incestuosis sunt, qui gloriantur de genere, & nobilitate, isti enim concipiunt vanam gloriam de patre. *opusc.diat.sal.tit.7.cap.1.* hinc reprehenduntur Religiosi, qui gloriantur de altitudine perfectionis non habentes opera correspondentia, sicut enim fides sine operibus mortua est, sic & perfectionis status. *In Ioan.c.8.v.39.*

1507. *Partus sequitur ventrem non solùm in esse naturali, sed & morali.*

Peperitque maior filium, cui nomen Moab, & minor Ammon. Nota, quod ea hoc dupliei incestu geniti fuerunt Moabitæ, & Ammonitæ gentes D. eaosæ, & Idololatræ, significaturque, quod partus sequitur ventrem, *lib.4. dist. 36. artic.1. quæst.3. in corp.* Sed id verificatur etiam in moralibus: nam filius dieitur non solùm per generationem carnalem, sed & per imitationem; qui ergo imitantur Diabolum, filij Diaboli dicuntur. *In Ioan. cap.8. v.38. & seq.*



CAPUT XX.

1508. *Prudentia vera, licèt non admittat unquam falsitatem, permittit, quod aliquando taceatur veritas.*

Profectus est Abraham in terram australem, & dixit de Sara uxore sua, quod soror mea est, &c. Abimelech ergo tulit eam. Ergo Vir Sanctus mentitor? Sara erat uaor, non soror: quomodò diait esse suam sororem? Nota hic primò, quod Sara erat filia Aran sui Consobrini, tunc sutem omnes consanguinei dicebantur fratres, ut supra dictur v. 13. Secundò dixit sororem suam esse, scilicet eam ab ipso dilectam amore sororis; sicque falsitatem non diait, sed veritatem tacuit: Sic enim prudentia vera exigit, ut aliquando ob eausam rationabilem veritas taceatur. *op. Bibl. paup.c.53. & lib.3.d.38.a.1.q.2. ad prim.* Tacuit autem veritatem, ne occideretur, & ne uaor captiva possideretur ab alienigenis, certus, quod Deus eam inviolatam servaret. Sic etiam Sanctus Isidorus.

1509. *Caſtitatem matrimonialem ſummè Deus zelat, & punit adulterium.*

Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium, & ait illi, en morieris propter mulierem quam tuliſti; habet enim virum. Cur Deus mortem minatur iſti Regi, cum ignoret Saram eſſe uxorem Abrahæ, credetetque eam liberam? Voluit Deus per hoc patefacere, quantùm zelet puritatem, & caſtitatem matrimoniale. *ep. Bibl. paup. c.* 89. Si ergo Deus minatur mortē ignoranter rapienti Vxorem alterius, quid faciet malitioſis ſcieoter Vxores proximi rapientibus, & Sacramentum Matrimonij prophanantibus? Hinc in lege veteri mors juſſu Dei erat in lege ordinata adulteris, ot videant homines, ait S. Io. Chryſoſt. quàm grave peccatum ſit adulterium. *ſerm. 4. de Apoſt. & Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 4.

1510. *Puritas intentionis, & Innocentia operis ab ira Dei defendit, Deoque placita.*

Et ait Abimelech: In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc: & ait Dominus, redde uxorem viro ſuo, &c. Nota, qood iſte Rex, licèt in ſimplicitate hæc operatus fuerit eredens Saram ſororem Abrahæ; non tamen omninò excuſatur à culpa, ob injuriam factam Abrahæ auferendo per vim ejus ſororem, & tamen Deus admittit hanc excoſationem, ut pateat, quod aliquando opus factum ein puritate intentionis, licèt cum aliqua circnnſtantia non bona, ab ira Dei immunis eſt. Patet etiam, quantùm Deo placeat puritas intentionis, & Innocentia operit, ubi enim eſt duplicitas interiùs, nulla poteſt eſſe fidelitas, vel Dei complacentia. *fer.* 1. *Dom. infrà oct. Epiphan.*

1511. *Vbi non eſt timor Dei, ibi abundat omnis iniquitas.*

Et ait Abimelech ad Abraham, quid feciſti nobis, &c. Reſpondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me propter uxorem meam. Ex quo teſtimonio verè infertur, quod ubi non eſt timor Dei, ibi abondat omnis iniquitas, *ep. Bibl. paup. c.* 58. Et quidem timor expellit peccatum, timor reprimit vitiom, timor cautum facit hominem, atque ſollicitum: Vbi timor non eſt, ibi deſtructio vitæ, ubi timor non eſt, ibi deſperatio. *ep. Phar. lib.* 4. *c.* 41.



CAPVT XXI.

1512. *Viſitatio, quam facit Dominus ad ſuos amicos, maximeque contemplativos quanta bona ſecum afferat.*

Viſitavit Dominus Saram, & concepit, & peperit filium, &c. Vide quanta benignitate, & fidelitate tractat Deus ſuos ſervos, fideliter ei ſervientes: & quia per Abraham, & Saram præcipuè figurantur contemplativi, datur intelligi, quod Deus eos ſæpè viſitat, ipſos fœcundando ſua divioa gratia tanqoam ſponſus ſponſam dilectiſſimam. *In Luc. c.* 1. *v.* 79.

1513. *Differentia concurſus Spiritus Sancti ad hanc conceptionem Saræ, & aliam B. Virginis conceptæ, itidem ex matre ſterili, & aliam Ieſu Chriſti.*

Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſua. Ecce effectus viſitationis divinæ, dum ex ſterili, & naturaliter inhabili, & ſeni dedit filiom: ſed nota, quod cum adfuerit concurſus ſpecialis Spiritus Sancti ad hanc conceptionem, non tamen fuit ſimilis concurſui Chriſti in utero B. Virginis: Nam in hac conceptione operatus eſt Spiritus Sanctus ſupra naturam, quoad modum elevando, vel vificando illam virtutem nativam, quæ erat veluti conſopita in Abraham, & Sara, ſicut & in Ioachim, & Anna; ſed tamen elevando hanc virtutem in carne Abrahæ, & Saræ, non ſanctificavit illam materiam, nec parvulum conceptum, ſicut fecit in conceptione paſſiva B. Virginis Mariæ. Sic etiam in conceptione Chriſti operatus eſt, ut Spiritus Sanctus ſanctificans carnem, & ſanguinem B. Virgnis, & Chriſtum hominem natum, cum hac differentia tamen, quod Virgo nata eſt ex Patre, & Matre per viam generationis naturalis: Chriſtus verò per viam generationis ſupernaturalis ex matre tantùm. *lib.* 3. *d.* 3. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 4.

1514. *Nativitas iuſtorum affert nobis riſum, & exultationem.*

Vocavit nomen eius Iſaac. Cur Iſaac? Quia Iſaac interpretatur Riſus, ideò Iſaac (ait Sara) *quia riſum mihi fecit Dominus.* In nativitate ergo luſtorum naſcitur riſus, & gaudium, quarè in Deo lætandum in recognitiooem tanti beneficij. *In Luc. c.* 1. *v.* 15.

1515. *Vir iuſtus gaudet non tam propriis bonis, quam de alienis proximi.*

Riſum mihi fecit Dominus, quicumque audierit corridebit mihi. Vide quantùm ſapientes hæc mulier, & Abraham nomen riſus impoſuerunt filio, non ſolùm ob lætitiam ipſorum proprium, ſed etiam ut eſſet ad excitamentum lætitiæ proximorum. Talis riſus autem ſignificat jucunditatem ſpiritualem mentis, quæ in juſtis extenditur non ſolùm ad bona propria, ſed & ad aliena. *In Luc. c.* 6. *v.* 21. Charitatis enim proprium eſt facere bonum omnibus commune *l.* 4. *d.* 10. *par.* 1. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 1. & 5. *In Ioan. cap.* 7. *v.* 43.

1516. *Vbi eſt manifeſtatio divinæ gloriæ, ibi mirabilia concurrunt.*

Quis auditurus crederet, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam ſeni? Quaſi dicat: Hoc non eſt naturale, ſed verè mirabile, & miraculoſum, quod de corporibus jam ſenectute exhauſtis Infans naſceretur, & contra naturam Anus lactaret: Hæc & ſimilia, & majora operatur in ſanctis ſuis Deus ad manifeſtandum ſuam gloriam. *In Luc. cap.* 1. *verſ.* 7.

1517. *Patres in educatione filiorum principiis obſtent malorum, ne poſtea fiant incorrigibiles.*

Cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam

ancillam hanc, & filium eius, &c. Cur tanta inhumanitas in matrem, & hunc puerum? Cur voluit, ut ejiceretur è domo? Sed nota, quod per hunc lusum intelligitur confectio imaginum lutearum, & ipsarum adoratio, vel etiam actus lasciviæ, ut dicunt Rabini in hunc locum. Hinc timens Sara, ne filius suus ad similia induceretur admonuit Abraham, & voluit, ut ejiceretur è domo, juxta illud: *Principijs obsta, sero medicina paratur*, quod & fecit Abraham, licèt cum aliqua reluctantia, sic imperante Deo. *In Sap. c.12.& op.Bibl.paup.c.124.* & Lyranus hic.

1518. *Mali à societate bonorum sunt ejiciendi, ne illos corrumpant, præcipuè Hæretici.*

Ejice Ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius Ancillæ cum filio meo. Cur voluit Sara, ut ejiceretur filius Ancillæ, cum ad instantem Saræ petitionem Abraham susceperit hunc ex Ancilla? Nota, quod hoc non fecit zelo vindictæ, vel iræ, sed justitiæ, dictante Spiritu Sancto: Datur enim intelligi, quod in eadem domo Ecclesiæ sunt boni, & mali credentes præcipuè hæretici: qui omnes per Baptismum sunt in Ecclesia regenerati: attamen Ecclesia justè eos ejicit de societate bonorum, non volentes reverti ad sinum matris. *lib.4 d.33.a.1.q.3.* meritò igitur ejicitur mater Ægyptia cum filio, perversæ indolis, quia verè periculosa res est malorum societas, & consortiũ, imò melius est habere malorum odium, quàm consortium: stude igitur socios habere bonos, bonos in consilio, bonos in obsequio contubernales, qui vitæ, & honestatis tuæ custodes sint, & testes. *serm. 3.Dom. 3.post oct.Epiph.*

1519. *Non omnes filij Ecclesiæ admittuntur ad eandem hæreditatem Christi.*

Ejice Ancillam, & filium eius, non enim est hæres filius Ancillæ cum filio meo. Si non erit hæres, quare omninò ejicitur, & privatur aliquali subsidio necessario? Nonne, & Pater tenetur ei alimoniam præstare, etiam jure naturali? sed nota, quod hoc fuit potiùs dictum propheticum: nam datur per hoc intelligi, quod licèt omnes credentes sint filij Christi per Baptismum regenerati, non tamen omnes æqualiter admittuntur ad hæreditatem paternam: Alij enim admittuntur figurati in Isaac, alij rejiciuntur omninò figurati in Ismael: Istiq; sunt filij carnis, carnales, & impij. *In Luc. c. 13.v. 28.* Licèt igitur omnes sint vocati ad Regnum Dei, foris tamen ejicientur canes, venefici, impudici, homicidæ, Idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium, ut dicitur. *Apoc.22.*

1520. *Quantumcumq; malus debet vocari, & excitari ad pœnitentiam.*

Dedit Abraham Ancillæ panem, & utrem aquæ, & dimisit eam cum puero, &c. Ergone tantùm providit Ancillam pane, & aqua? sed fuit hoc factum propheticum, & à Spiritu Sancto dictatum. Per panem intelligitur pœnitentia, quæ est panis doloris, per quem pervenitur ad panem consolationis divinæ. *In Luc. cap. 14. v. 15.* Datur intelligi, quod quantumcumq; sit aliquis perversus, numquam tamen in hac vita deserendus est, sed ei proponendus, & offerendus panis pœnitentiæ, ut tandem resipiscat, & ad vineam Ecclesiæ veniat, saltem hora undecima. *serm.2.Dom.septuagesima.*

1521. *Iracundi, vindicativi, & fratrum persecutores ejiciuntur ab hæreditate Christi.*

Ejice Ancillam, & filium eius, &c. Cur cum superba Ancilla adnumerat filium parvulum Ismael? Nota suprà. *cap.16.v.12.* dictum est quod Ismael est ferus, & crudelis in omnes, præcipuèq; in fratrem suum, significatq; hominem iracundum, vindicativum, fratrum persecutorem, qui ab hæreditate Christi ejicitur; soli enim mites possidebunt terram. *serm.4.Dom.2.post oct.Epiph.*

1522. *Innocentes & ad Deum recurrentes in persecutionibus à Deo exaudiuntur.*

Levavit puer vocem suam, & flevit, & exaudivit Dominus vocem pueri. Nota, hunc puerum fuisse adultæ ætatis, scilicet decem & octo annorum, ideò cum esset usus rationis capax, & ab Abraham instructus in ijs, quæ ad salutem Animæ spectant: flevit quidem, & levavit vocem suam, scilicet ad Deum recurrendo in tanta necessitate: Deusq; ipsum exaudivit, ei subsidium conferendo: Per hoc datur intelligi, quod Deus facillimè exaudit, & vivificat sua gratia Innocentes, pœnitentes, & persecutionem pro amore Dei patientes. *Psalm.118.v. 3.v.8.*

1523. *In justis aliquando subrepit delectatio sensualis absq; consensu.*

Vidit Agar puteum aquæ, & implevit utrem, deditq; puero bibere. Nota in hoc facto significatur in utre facto ex coreo Animalis, delectatio bestialis, quæ à parte inferioris offertur Animæ viventi, quæ aliquando ob subreptionem, vel negligentiam ex ea bibit absq; consensu, nec excedit peccatum veniale. *Psalm.118.cap.6.v.3.*

1524. *Correctio moderatè, & mansuetè facienda à Prælatis debilibus, & ex ignorantia peccantibus.*

Abraham increpavit Abimelech propter puteum, quem vi abstulerat servi illius. Nota quod Abraham mansuetè increpavit Abimelech ob violentiam factam à suis servis, eo quod Abimelech hos ignorabat: Per quod datur admonitio Prælatis, quod non eodem modo semper cum omnibus correctio est facienda, sed cum mansuetudine corrigendi sunt debiles ignoranter peccantes. *Psalm. 118. cap.2.v.5.*

1525. *Mali, etiam potentes expavescunt Deum timentes, & à Deo protectos.*

Iura per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpiq; meæ, &c. Sic dixit Rex Abimelech Abrahæ: sed quid timebat Rex potens ab Abraham advena? Non est id mirum. Impij enim cum vident aliquem, etiam pauperem Deum timentem, & justum à Deo protectum, etiam ipsum formidant. *Op.Bibl. paup.cap.39.*



CAPUT XXII.

1526. *Tentatio à Deo eſt ad bonum, & majorem profectum tentati.*

Tentavit Deus Abraham, &c. Quid eſt quod audio? Ergone Deus tentat, & provocat ad malum? Nonne ſolus Diabolus tentator? Nota quod multiplex eſt tentatio, ſcilicet bona ad bonum, & mala ad malum: Diabolus malè tentat ad malum: Deus teotat, ſed in bonum, ſcilicet ad probationem majorem virtutis ſervorum ſuorum. Cum igitur Deus nos tentat, tunc veluti nobis pulſum palpat, ad hoc ut experiatur, vel manifeſtetur, vel exerceatur virtus noſtra, eiuſq; gloria. *Op.Comp.Theol. lib. 2.c.66.op.Centil.p.1.ser.2.& lib. 2. d.21.a.2.q.1. in Corp.& ſerm.18.Hexaem.& in orat.dominicam,& in Luc.cap.5.v.14.& cap.8.v.5.6.& in Io.c.6.v.6.*

1527. *In omnibus operibus Dei ad extra, præcipuè in præceptis, & conſilijs exigit à nobis conformitatem noſtræ voluntatis cum ſua.*

Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, & offer illum in holocauſtum, &c. Si Deus nolebat, ut occideretur Iſaac, cur Deus impoſuit Abrahæ hoc præceptum fruſtratorium? ſed attende myſterium. Hoc fuit præceptũ datũ à Deo Abrahæ, non ut finaliter haberet effectum executionis, ſed tantùm ad probationem fidei, & obedientiæ, & ut induceret ipſum ad ſe perfectè conformandum cum eius divina voluntate in omnibus, & per omnia: & hoc eſt, quod Deus in omnibus ſuis operibus ad extra prætendit. *Op. Centil. p. 3.ſerm.34.& op.de Eccleſ. Hier.p.1.c.4.& l.1.d.48.a.2.q.1.& 2.ad 47. dub. 5.*

1528. *Ob peccatum originale quilibet homo meretur mortem.*

Tolle filium tuum, & offer illum, &c. Si occiſio hominis innocentis eſt à Deo prohibita, quomodò hic ſine culpa præcedenti præcipitur? licèt enim Deus nollet executionem huius juſſionis, per hanc tamen induxit animum Abrahæ in conſenſum talis occiſionis. Sed Reſp. Quod occidere eſt malum, quia prohibitum, non ſecundùm ſe: Unde occidere hominem, etiam innocentem eſt malum reſpectu hominis, quia Deus homini id vetat: non verò in ordine ad Deum ratione peccati originalis, ob quod quilibet eſt reus mortis infligendæ ſibi à Deo, & ideò Deus potuit eam de Jure committere Abrahæ. *l.1.d.47.a.1.q.4.ad 3.*

1529. *Omnia præcepta divina ordinata ſunt ad dirigendas operationes noſtras, vel ad inſtruendum noſtrum intellectum.*

Tolle filium tuum, &c. Sed cur præcepit Abrahæ, ut filium occidat, ſi non vult eius executionem? Reſp. quod in præceptis à Deo datis reperitur varietas finium: In aliquibus enim vult executionem, in alijs probationem, in alijs inſtructionem tantùm. *l.1.d.47.dub.5.& Centil.p.3.ſect.34.*

1530. *Vult Deus, ut in obſequium fidei captivemus intellectum noſtrum.*

Tolle filium tuum, & offer illum, &c. Vide quomodò in hoc præcepto apparet prima facie maxima contradictio: Deus enim hic præcipit, ut puer occidatur, & paulò ante promiſerat Abrahæ, quod ex ipſo multiplicandi eſſent credentes in Deum, ſicut ſtellæ Cœli, & tamen Abraham abſq; conſideratione huius contradictionis obedientiſſimum ſe oſtendit, in quo elucet eius fides viva, & maxima, vel enim credidit Deum reſuſcitaturum Iſaac, vel ſubmiſit intellectum in obſequium fidei: ſciebat enim ſummæ veritati ſummè eſt credendum, cui debemus redigere mentem noſtrã in obſequium Dei, & credere, quæ ſunt ſuprà rationem, & contra experientiam omnium ſenſuum: Id enim à nobis Deus exigit ad augendum noſtrum meritum. *ſerm.14. Hexaem. op. Diat. ſal.5. cap.3.& l.3.d.38.a.1.q.2.ad 1.& op.Brevil.p. 5.cap.7.*

1531. *Perfecti viri aſcendunt in montem contemplationis ad oblationes Deo faciendas.*

Tolle filium tuum, & offer illum ſuper unum montem, &c. Cur ſuprà montem ab ipſo monſtratum? Nota, quod mons eſt locus aptior ad oblationes divinas, & ſignificat ſtatum contemplationis: In hoc ſtatu à viris juſtis offeruntur victimæ, & Sacrificia Deo chariſſima. *In Luc.c.9.v.28.*

1532. *Chriſti oblatio in Cruce, & in miſſa præfigurata in hoc facto.*

Tolle filium tuum, quem, &c. & offer illum, &c. Nota, quod Abraham præfiguravit Patrem æternum, Iſaac, Chriſtum, Aries humanam naturam, Vepres coronam ſpineam, ſtrues lignorum Crucem ſanctam; in qua Pater æternus obtulit ſibi ipſi Sacrificium gratiſſimum, quæ omnia repræſentantur in Sacrificio miſſæ: & hinc in Canone miſſæ fit ſpecialis mentio de Sacrificio Abrahæ. *In Luc. c. 24.v.26.& op.expoſ.miſſæ c.4.& ſerm.1.in cœna Dom. in Ioan. c.19.v.17.& c.18.v.12.& ſerm. 14.Hexaem.*

1533. *Captivatio voluntatis in obſequium obedientiæ Deo debita oſtendit perfectionem noſtram, quia ſecundùm majorem, vel minorem captivationem, etiam menſurabitur perfectio noſtra.*

Tolle filium Iſaac, & vade in terram viſionis, & offer illum, &c. Cur Deus volens ab Abraham Sacrificium, ipſi præcipit, ut ſe transferat ad terram viſionis? Quænam eſt hæc terra viſionis? Terra hæc viſionis erat mons cæteris altior, ex quo poterat videri terra in circuitu, in quo poſtea ædificatum eſt Templum Salomonis: myſticè terra viſionis eſt ſecretum conſcientiæ: In hoc vult Deus, ut Religioſus intret aliquando, & diligenter conſpiciat, utrum diligat Deum: Ibiq; rectè perſpiciet, & cognoſcet hoc, ſi ſe videat paratum ad exemplum Abrahæ offerre ſua, & ſe ipſum abſq; ulla reſervatione, nempe excludendo à ſe demulcentiam conſanguinitatis, & carnalitatis, proprietatis avaritiam, & illecebram delectabilitatis. Oh felix ille homo, qui ad talem expropriationem pervenit, ſicut Abraham; nam verè inter perfectos obedientes adnumerari merebitur. *ſerm.4.Dom.18.poſt Pentec.*

1534. *Perfecta oblatio filiorum à parentibus Deum timentibus præfigurata in hoc facto.*

Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, &c. Nota, quod hæc verba contioue diriguntur à Deo ad parentes: Tolle filium tuum, & ad Deum vade, offerq; illum Deo Patri, scilicet ad eius seruitium: hæc enim oblatio est Deo charissima. *ferm. 2. fer. 2. Pentec.*

1535. *Traditur in hoc facto norma perfectæ orationis, & ascendendi ad perfectionem.*

Tolle filium tuum, & offer illum super unum montium, &c. Vide quomodò Deus præcipit, ut fiat hæc oblatio super uoum montium. Cur super montem altissimum? Iste mons est altitudo, & apex mentis nostræ, & fidei sacræ, per quam ad Deum appropinquamus: mons quidem est altus, ad quem non potest ascendere carnosus, & carnalis, sed tantùm spiritualis: ut autem faciliter ascendere possit homo, debet relinquere pueros, & Asinum ad ima, scilicet omnes cogitationes terrenas, & carnales, & cum puero Isaac, scilicet cum spiritu solo iter arripere, dicendo: Intentiones, cogitationes, voluntas, affectiones, & omnia interiora mea, venite, & ascendamus in montem visionis, in montem Domini, ubi Dominus videt, & videtur; sicq; faciendo oblationem, & orationem Deo charam offert. *In Luc. c. 6. v. 12. & cap. 9. v. 18. & ferm. 2. Dom. 16. post Pentec.* Hæc igitur est anima fidelis quæ non gressibus corporis, sed virtutibus dispooit ascensiones in corde suo de virtute in virtutem procedendo: Hæc meretur videre Deum Deorum in Sion, scilicet in retributione. *ferm. 2. Dom. 18. ibidem.*

1536. *Cognoscere Dei est ostendere nobis aliquam veritatem priùs occultam.*

Ne extendas manum: nunc cognovi, quod timeas Deum. Ergo Deus priùs non noverat Abrahæ assignationem? Nonne omnia perfectè novit? sed Resp. quod Deus perfectè noverat: sed dicit, *nunc cognovi:* quia cognitam nobis fecit virtutem Abrahæ, priùs occultam ad exemplum, & profectum nostrum. *op. de essentia, & invisibilitate Dei.*

1537. *Mysterium Crucifixionis Christi hic præfiguratum.*

Levavit oculos suos Abraham, viditq; post tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Nota verba, signa mysteria: Abraham prohibitus est Sacrificare puerum, sed loco illius obtulit Arietem inter vepres hærentem: Per quæ significata est oblatio Christi in Cruce, in qua Divinitas remansit intacta, & humanitas oblata inter brachia Crucis: Dicitur autem Christus Aries, vel Agnus, quia factus est agnus, ut oves redimeret. *ferm. 3. in Parascev. In Luc. cap. 15. v. 4. op. de Dono scientiæ c. 4.*

1538. *Hæretici vident Christum inter vepres; veri fideles vident ipsum in Cruce Redemptorem.*

Levavit oculos, & vidit Arietem inter vepres hærentem, &c. Nota quod iste Aries visus est inter vepres, & postea super struem lignorum oblatus, significaturq; duplex visio Christi: Alia fit inter vepres, estq; Hæreticorum, qui Christum vident inter vepres suorum errorum, in quibus per superbiam detinentur. In Cruce videtur à suis fidelibus clarè, ut Redemptor. *In Luc. c. 6. v. 44.*

1539. *Institutor Religionis præfiguratus in Abraham, & à filijs imitandus.*

Levavit oculos, & vidit Arietem, quem obtulit, &c. Nota hic, quod Abraham dimittendo patriam fuit figura fundatoris, & institutoris Religionis, qui relinquendo omnia Arietem obtulit, scilicet carnem suam domando, & se totum Deo dicando, propositus est à Christo in exemplar suis filijs, ut si filij Abrahæ se profitentur, etiam opera talis Patris faciant: Non enim est gloriandum de professione, nisi fuerit operum competentium perfectio. *In Ioan. c. 8. v. 41.*

1540. *Viri spirituales ea, quæ carnis sunt extinguunt: Carnales verò ea, quæ sunt spiritus.*

Levavit oculos, & vidit Arietem, quem obtulit, &c. Cur dicitur Abraham priùs levasse oculos, postea loco Isaac, obtulisse Arietem? Nota mysterium. Per Isaac significatur spiritus, & pars superior Animæ: Per Arietem pars carnis inferior: daturq; intelligi, quod serviens Deo debet elevare ad Deum spiritum; & ea, quæ carnis sunt occidere: Contra verò faciunt carnales, qui spiritum Dei extinguunt; & ea, quæ sunt carnis, vivere faciunt. *fer. 2. Dom. 15. post Pentec.*

1541. *Christus in Cruce omnibus expositus nunc, & in fine mundi ex Cruce iudicabit mundum.*

Appellavitq; nomen loci illius, Dominus videt. Unde usq; hodie dicitur, *In monte Dominus videbit:* Vide Phrasim huius Textus. Primò locus, in quo facta est oblatio Arietis, appellatus est *Dominus videt*, scilicet de præsenti; postea appellatus, *Dominus videbit* in futuro. Quid est hoc? Quomodò subsistit prior appellatio, Dominus videt, cum posteriori, Dominus videbit? sed nota mysterium. Locus illius, ut dictum est significabat montem Calvariæ, in quo Christus in Cruce est oblatus: De Cruce ergo Dominus videt, scilicet omnibus expositus est Redemptor, & in redemptionem omnium hominum. *l. 4. d. 9. a. 2. q. 1.* Subditur. *Dominus videbit*, scilicet in die iudicij: quia Crux erit Thronus, in quo iudicaturus est Christus totum mundum, ibiq; apparebunt lancea, Corona spinea, clavi, spongia, & huiusmodi, & Dominus Iesus cum stigmatibus suis, qui clamabit dicens, Videte qualia vobis, in vobis, & pro vobis passus sum; & tamen ingrati omnia contempsistis: Ite ergo maledicti in ignem æternum. *op. stim. div. am. p. 1. c. 12.*

1542. *Christus in Cruce, & in Eucharistiâ omnibus expositus.*

Dominus videt: Dominus videbit. Cur fit hæc mutatio temporis præsentis in futurum? Iam dictum est, hoc fuisse in figuram crucifixionis Christi, qui ex Cruce vidit omnia attrahens ad se ipsum omnes: sed cum jam fuerit transacta hæc crucifixio,

cifixio, ecce, quod Dominus Ieſus in alia Cruce myſtica, nempe in Eucharistia poſtea expoſitus eſt omnibus Iudæis,& Gentibus.*l.4.d.9.a.2.q.1.& op. expoſ. miſſæ c.4.* Hinc levatur Chriſtus à ſacerdote in miſſa, Primò ad gratiam Patris ob peccata perditam obtinendam: Secundò exponitur omne bonum nobis in hac, & futura vita neceſſarium: Tertiò ad rememorandum jus, quod ex morte Chriſti habemus in Cælo. Quartò ad oſtendendam potentiam, ſapientiam, & bonitatem divinam. Quintò ad lætificandam Eccleſiam. Sextò ad ipſum imitandum, & ſequendum: unde Dominus ibi videt eos, qui ipſum ſequuntur, & imitantur, &c. *op. expoſ. miſſa c.4.*

1543. *Iuramentum cum debitis conditionibus ſanctum, & meritorium.*

Per memetipſum juravi, dicit Dominus, &c. Cur dicit, *per memetipſum*? quia majorem non habuit: Per quod reijcitur error Manichæorum aſſerentium, omne juramentum de ſe eſſe opus malum: Idq; eſt falſum, quia juramentum factum cum debitis cauſis ſpectat ad majorem cultum Dei. *l. 3, d.39.a.2.q.1.*

1544. *Deus ſæpe cum iuramento promittit nobis, ut fidem in eo ſine haſitatione habeamus.*

Per memetipſum juravi, &c. Cur toties in ſcriptura multa promittit Deus mèdio juramento? Ad quid hoc? quia Deus vult nobis oſtendere immobilitatem ſui conſilij, & ut in promiſſis nobis ab ipſo factis ſine hæſitatione ſpem, & fiduciam habeamus. *In Luc.c.1.v.73.& in ſap.c.18.*

1545. *Boni ſunt ſtellæ Cæli: mali arena maris tandem in ipſo abſorbendi.*

Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli, & ſicut arenam maris. Cur ad ſtellas Cæli addidit arenam maris? quia in Eccleſia Chriſti ſunt boni, & mali: Illi ſignificantur per ſtellas Cæli, iſti per arenam maris, qui tandem in Inferno demerguntur. *ſer. 4. Dom.4.poſt oct. Epiph.*

1546. *Offerentes Deo ſeipſos, & ſua, & præcipuè carnem, à Deo benedicti.*

Benedicam tibi. Cur promittitur hæc benedictio Abrahæ? quia obtulit gratum Deo Sacrificium, ſcilicet ſuæ voluntatis, & propriam carnem in filio, ut intelligeremus, quod qui Deo ſeipſos offerunt, & maximè carnem ſuam per pœnitentiam, à Deo ſunt benedicti. *ſer. 4. Dom. Trinit. & ſer. 1. Dom.15.poſt Pentec.*

1547. *Impoſitio manuum, & benedictio in ordine ſacro præfigurata in Abraham.*

Benedicam tibi. Quomodò? quia Deus in figura humana impoſitione manuum eum benedixit, in figuram impoſitionis manuum, & benedictionis, quæ in collatione ordinis ſacri intervenit. *lib.4. d.24.p.2.a.1.q.4.in fine.*

1548. *Benedictio Dei diffuſa ad Gentiles credentes: maledictio in Iudæos infideles.*

Benedicentur in ſemine tuo. Nota, quod dicit omnes gentes, quia Deus non eſt acceptator perſonarum, notanter tamen nominantur gentes quia ſpecialiter benedictio Chriſti præfigurati diffuſa eſt ad gentes credentes: maledictio è contra ad Iudæos incredulos, ac perfidos. *In Pſal. 135. & in Luc.c.1.v.17.*

1549. *Benedictio ſpiritualis, & temporalis à Chriſto, & per Chriſtum ad nos deſcendit.*

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Sed qualis eſt hæc benedictio? Benedictio non ſolùm ſpiritualis bonorum ſpiritualium, ſed & temporalis ad nos per Chriſtum deſcendit, quia ab ipſo, & per ipſum omnia nobis bona eveniunt. *ſer. 5. de una Virgine.*

1550. *In Maria, & per Mariam omnis benedictio ad nos deſcendit.*

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Sed in qua terra collocabitur hoc ſemen? In Maria Virgine, quæ Terra benedicta fuit: ima, & infima, per humilitatem, ſole illuminata per fidem: ſolis ardore excocta per charitatem, arida per caſtitatem, fœcunda per operationem, firma per patientiam: In hac Terra collocatum eſt hoc ſemen, ex quo nobis omnis benedictio provenit. Tanta autem erat in terris penuria, quod niſi Dominus hoc ſemen ſeminaſſet, totus mundus perijſſet. *ſer. 4. Dom. ſexag. & ſer. 5. de una Virgine.*

1551. *In Regno Chriſti principatus verus eſt in ſubiectione ſenſualitatis ad rationem.*

Audi nos: Princeps Dei es apud nos. Sic reſponderunt filij Heth Abrahæ: ſed quo fundamento recognoſcunt Advenam, & Peregrinum Principem apud ſe? quia cognoverant, quod Abraham erat vir timens Deum, & ideò appellant eum Principem, nempe ſpiritualiter: verè enim magnus Princeps in Eccleſia Dei, qui dominatur propriæ voluntati, partemq; carnis continet ſubjectam rationi. *Op. de Eccleſ. Hier. p.1.c.1.*

1552. *Chriſtus Princeps bonorum, Diabolus malorum.*

Audi nos: Princeps Dei es apud nos. Nota, quod dicunt Abrahæ figuranti Chriſtum, *Princeps Dei es apud nos*: ſcilicet, ut legunt Septuaginta, & Caldæus, *Princeps, à Deo, & coram Deo es apud nos*: ergo Chriſto directa ſunt hæc verba à ſuis ſequacibus: ſicut à malis Diabolo: Princeps inferni es apud nos. Princeps igitur eſt Chriſtus fidelis, pacificus, clemens, & juſtus è contra, Diabolus fraudulentiſſimus in promiſſione, inquietiſſimus in tentatione, crudeliſſimus in proditione, injuſtiſſimus in retributione. *ſer. 2. in Dom. 3. poſt oct. Paſche.*

1553. *Pecunia ad ſepulchrum, & perditionem conducit.*

Abraham appendit pecuniam monetæ probatæ. Nota, quod Abraham pecunia monetæ probatæ emit agrum in ſepulturam uxoris ſuæ defunctæ. Advertunt autem hic ſacri Hiſtorici, quod in toto contextu Sacræ Scripturæ prima emptio mediante pecunia, & moneta probata hic, memoratur facta ad emendum locum pro ſepultura uxoris defunctæ

ctæ, & hoc non sine magno mysterio:& quodnam mysterium hic innuitur? sed recurre ad ea, quæ dixit S. Petrus Simoni mago offerenti pecuniam ad emendum donum prophetiæ, & miraculorum. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*: Pecunia enim onerat, & citius demergit in profundum avaritiæ, & postea in Infernum: qui ergo pecunia se onerat, stercore, & excrementis se onerat, ut citius in profundum Inferni præcipitet. *serm. 1. de S. Martha.*

CAPUT XXIV.

1554 *Christus antiquitùs præfiguratus.*

Pone manum tuam super femur tuum, *&c.* Sic dixit Abraham ad servum suum, &c. Tunc enim vidit diem Christi, & gavisus est (ut dixit Christus) prævidit enim tunc ꝑ de semine suo oascitutum Christum,& in Cruce moriturum. Vide ergo, quod toties Christus in veteri Testamento fuit præfiguratus. *In Io. c.8.v.53.*

1555. *Servorum fidelitas, & obedientia qualis debeat esse.*

Tulitq; servus decem Camelos, & abijt, &c. Vide qualem fidelitatem, & obedientiam exercet iste servus Domino suo Abraham: statim enim ac ei præcepit, ut iter in Mesopothamiam, obedivit fidelissimè: sciebat enim, quod Dominus malos servos damnat jussa dominica spernentes. *fer. 2. Dom. 21. post Pent. & op. Bibl. paup. c. 36. & op. Phar. l. 1. c. 13.* unde dicit Apostolus. *servi obedite Dominis vestris, sicut Domino.*

1556 *Beata Virginis pulchritudo, & puritas super omnes sublimissima.*

Et ecce Rebecca egrediebatur puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro. Nota hæc dicta esse de Rebecca in gratiam Beatæ Virginis figuratæ in illa: Virgo enim fuit Virginum, scilicet pulchra in corporis Virginitate, pulchrior in Animæ puritate, & pulcherrima in Prolis fœcunditate, Virgoq; incognita, quia voverat, se non cognoscituram virum. *In Luc. c. 1. v. 34. & fer. 3. Dom. 14. post Pentec.*

1557. *Annunciatio facta per Archangelum Mariæ hic præfigurata.*

Et ecce Rebecca egrediebatur Virgo pulcherrima, &c. Vide quomodò Abraham volens nubere hanc Virginem cum Isaac suo filio, misit ad eam servum; cur non ivit ipse? cur non misit filium? Nota, quod etiam Pater æternus volens desponsare filium cum humana natura, misit Gabrielem ad Mariam Virginem ad consensum quærendum. Missus est igitur Gabriel ad Virginem Mariam: Virginem carne, Virginem mente, Virginem perfectione, & corpore sanctam. *In Luc. c. 1. v. 27. & 34.*

1558. *Gratia Mariæ Virginis immensissima, in cuius comparatione, aliorum sanctorum gratia est pusilla.*

Occurrit Rebecca servus, & ait, Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua. Nota, quod sicut servus iste sitiens petijt à Rebecca Pauxillum aquæ, sic petenda est à nobis aqua divinæ gratiæ, de qua qui biberit, non sitiet in æternum. *In Luc. c. 22. v. 12.* Sed à quonam petenda est hæc aqua? De hydria huius Virginis, nempe de plenitudine gratiarum Mariæ Virginis: sic enim omnes homines, sancti, & Angeli dicunt: quia de plenitudine eius accipiunt universi: Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, Iustus gratiam, Angelus lætitiam: Dicitur autem *Pauxillum aquæ*, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ, ergo quæcumq; gratia aliorum est pusilla in comparatione gratiæ Mariæ, quæ fuit immensissima, quoad longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profunditatem; longitudo eius subvenit omnibus eam invocantibus usque ad novissimum diem: Latitudo eius replet orbem Terrarum, sublimitas invenit restaurationem Cælorum, & profunditas obtinet remissionem sedentibus in tenebris, & in umbra mortis. *Op. spec. B. V. loc. 5. & 6. & 7.*

1559. *Gratia divina in quocumq; minimo gradu est efficax ad tollendam sitim terrenarum, & ad saliendum in vitam æternam.*

Da mihi Pauxillum aquæ de hydria tua ad sorbendum. Sed quid sibi jovabit pauxillum aquæ ad extinguendam sitim ardentem, quæ in tanto itinere te torquet? Cur non petis tantum aquæ, quæ satis sit ad refocillandam Animam? optimè dixit *pauxillum aquæ*: Hæc aqua est gratia Spiritus Sancti, quæ in quocumque gradu minimo hausta sufficit ad extinguendam sitim Animæ, ad ipsam refocillandam, & ad saliendum in vitam æternam. *In Luc. c. 22. v. 12.* Nec mirum, quia hæc aqua à fonte vitæ oritur, sitim spiritus itinerantia ad æterna quo ad temporalia extinguit: Vigorem ad æterna itineranti spiritui tribuit, & vitam æternam confert. *Op. de septem itinerib. etern. itin. 2. d. 7.*

1560. *Servi Dei ad hospitalitatem, & opera misericordiæ propensi.*

Bibe Domine, & Camelis tuis potum tribuam. Vide quàm propensa hæc Anima ad hospitalitatis, & operum misericordiæ exercitium: ideò mirum non est, si à Deo suis muneribus fuit cumulata. *Op. Bibl. paup. cap. 45.* Virtus autem misericordiæ est una, quæ multiplicat bona spiritualia, & temporalia, & etiam levat in sublimem locum gloriæ. *fer. 1. Dom. 1. post oct. ent. In Io. cap. 2. v. 10.*

1561. *Perfecta pœnitentia effectus quales.*

Et ecce Rebecca habens hydriam in scapula, &c. Nota, mysticè Rebecca est quælibet Anima, quæ volens se expurgare à peccatis, recurrit ad fontem contritionis: & sicut illa effudit aquam in canalibus, sic evomenda sunt peccata in Confessione: & sicut illa deposuit hydriam, & dedit potum servo, & Camelis, sic & pœnitens debet deponere, & effundere eleemosynam, & opera misericordiæ: & deinde in scapula ponere hydriam, scilicet assumere strenuum laborem in sustinentia. *In Io. c. 2. v. 10.*

1562. *Consensus mutuus in matrimonio ex ordinatione divina requiritur.*

Vocemus puellam, queramus eius voluntatem, &c. Vide quomodò ex ordinatione divina cōsēsus mutuus in utroq; Conjuge requiritur. *Op. Bibl. paup. c.89.* Addit hic sanctus Ambrosius in Glossa, quod consensus exigitur à puella, non de desponsatione, quia in hoc se totaliter remisit ad voluntatem Parentum, sed quo ad perfectionem cum Eliezer servo Abrahæ: Non enim decet Virginem eligere sibi sponsum, sed omnimodè dependere à voluntate Patris. *lib. de Abraham cap. ult.*

1563. *Studium Sacræ doctrinæ ducit ad vitam.*

Deambulabat Isaac per viam, qua ducit ad puteum, cuius est nomen viventis, & videntis. Cur notatur hæc deambulatio Isaac per hanc viam? sed nota, quod infra subditur, quod *egressus fuerat ad meditandum.* Quid meditabatur? Mysteria sacræ Scripturæ: Daturq; intelligi, quod Anima, quæ deambulat per viam, ducit ad puteum vitæ, scilicet quæ in studio sacræ Scripturæ se exercet, ducitur ad vitæ, & sapientiæ cælestis degustationē. *Psal. c. 1. v. 14.*

1564. *Christus sua passione aperuit nobis sensus sacræ Scripturæ ducentis ad vitam.*

Deambulabat Isaac per viam, qua ducit ad puteum viventis scilicet videntis. Felix, qui exemplo Isaac deambulat per hanc viam. Quænam est via, quæ ducit ad visionem Dei, & ad vitam? Hæc via est Christus, eiusq; passio, quæ est veluti clavis aperiens nobis omnes veritates sacræ Scripturæ, & quæ ducit ad veram vitam: sic D. Gregor. & S. Bonavent. *Op. stim. p. 1. c. 7. ser. 2. & 8. & 12. Hexaem & op. de dono intell. c. 5.*

1565. *Anima in contemplatione à terrenis exeat, & surgat ad cælestia.*

Isaac egressus fuerat ad contemplandum, seu ad meditandum in agro. Cur exit Domo vir justus, ut oret, & non potius sequestratus in domo permanet? significatur in hoc status contemplativorum, qui ut se elevent ad Cælestia, debent egredi ab hoc mundo, nempe à terrenis rebus exeundo, & in Campum æternorum ingrediendo. *Op. de sept. itinerib. aterait. itin. 2. d. 7.*

1566. *Qui ad nutum voluntatis divinæ se in munere status sui exercet, orare, & meditari apud Deum dicitur.*

Isaac egressus fuerat ad meditandum in agro. Septuaginta legunt: *egressus fuerat ad se exercendum in agro ad vesperam.* Ergone Isaac ad Campum secesserat, ut se in agro exerceret? Sed quomodò dicitur, quod id fecit ad meditandum, vel ad orandum, ut legit Textus hebræus? Ergo exercere se in agro, est ideo ac orare? Sed vide Dei benignitatem, qui cum diceret, ut sine intermissione oremus: acceptat loco orationis ferventis à nobis omnia opera nostra in charitate facta, & ad sui gloriam ordinata: Non enim cessat orare, qui non cessat benefacere: sive enim sit operans vir intùs, sive manducans, sive dormiens, cum omnia ista propter Deum faciat, ut servire Deo melius valeat, utiq; semper orat. *ser. 5. de uno Confessore, & l. 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 4. corp. & d. 32. dub. 5. & op. expos. Reg. S. Franc. c. 10. & op. Regula nostra c. 1.*

1567. *Amor verus Coniugum est intensior amore ad Patrem, & matrem.*

Patet ex hoc, quod hic dicitur, quod Isaac in tantum dilexit Rebeccam, ut dolorem mortis matris temperaret. *l. 4. d. 37. a. 2. quæst. 1. ad Tertium.*



CAPVT XXV.

1568. *Transitus ad secundas nuptias est licitus.*

Hoc patet in Abraham, qui post mortem Saræ, duxit Ceturam aliam uxorem. *lib. 4. d. 40. a. 3. q. 1.*

Paupertas vera omnia relinquit terrena, & sola cælestia retinet.

Abraham dedit cuncta, quæ possederat Isaac filio suo: filijs autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac, &c. Vide normam perfectæ paupertatis: hæc enim dispergit, & relinquit omnia terrena, quia sunt mobilia: pro se autem retinet cælestia, quæ sunt bona immobilia: sed quænam sunt ista mobilia? Nonne etiam relinquit bona immobilia pro Christo? Adverte, quod omnia terrena sunt bona mobilia, & caduca: Unde Terram Talpis, scilicet avaris, relinquit: lutum, & fimum porcis, scilicet immundis: pulverem serpentibus, scilicet superbis. *Diat. sal. tit. 4. c. 3.*

1569. *Inter carnem, & spiritum continua lucta.*

Duæ gentes in utero tuo sunt, &c. Vide, quomodò etiam in ventre matris Esau, & Iacob luctaotur ad iovicem: suntq; caro, & spiritus, inter quos est contiona pugna: Unde etiam in utero Ecclesiæ adest lucta bonorum cum fratribus falsis, & iniquis. *Psal. 77. v. 45.*

1570. *Iudæorum, & Christianorum semper est continua pugna.*

Duæ gentes in utero meo, &c. Quænam sunt? Iudaica gens, & gentilis, scilicet Christiana: Inter hos est continua pugna, & diversitas sensuum. *In Io. c. 2. v. 7.*

1571. *Ecclesiæ militantis, & triumphantis differentia.*

Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob vir simplex habitabat in Tabernaculis. Vide hic discrimen inter habitatores Ecclesiæ Triumphantis, & militantis: Nam in Iacob figurantur cives cæli, qui in Tabernaculis æternis perpetuo cum quiete manent: Per Esau habitatores Ecclesiæ militantis, qui frui servaotur, laborant, & pugnant in hac vita. *Ps. 145.*

1572. *Studiositas in cultu Dei, signum prædestinationis: Aversio à cultu Dei, signum reprobationis.*

Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob habitabat in Tabernaculis. Si in Iacob præfigurantur prædestinati, in Esau reprobi, quomodò dicitur, quod Iacob habitabat in Tabernaculis, vivebat ne otiosus absq; aliquo exercitio: è contra Esau intentus laboribus, & varijs exercitijs, quibus otium vitabat, & tamen dicitur reprobatus? sed notandum ex Glossa, quod ista Tabernacula erant loca, ubi vigebat cultus Dei: Ideò Iacob totus erat intentus cultui divino: è contra Esau hæc Tabernacula abhorrens, incumbebat venationi, & alijs operibus exterioribus, veluti carnalis, & cupidus: Quid igitur eruitur ex hac doctrina? sed attende mysterium, Verus cultor Dei Deum colit perfectè vivendo, in Deum credendo, & sperando, & amando; Verus cultor Dei totus ait in voluntatem Dei exequendo, hunc Deus diligit, amat, & beatificat: Verus cultor est, qui in actibus sanctis, in Sacrificijs, in oratione, & alijs pijs operibus se exercet. *In Io. collat.* 45. Hinc inferri licet, quod sicut ex studio Deo placendi, seq; exercendi in cultu divino arguitur signum prædestinationis; sic ex opposito, signum est reprobationis abhorrere cultum Dei, & opera pia misericordiæ.

1573. *Gula vitium, quàm malum.*

Vendidit primogenita Esau, &c. Ecce quale malum gulositas: Nam Esau vendidit pro cibo primogenita: sic gulosus pro cibo, vendit vitam æternam, & gratiam Dei. *Diat. sal. tit. 1. c. 8. & in thren. c. 1. & 4. in fine, & comp. Theol. l. 3. cap. 10.*

1574. *Non cibus, sed appetitus in vitio est.*

Et vendidit primogenita lentis edulio. Ergo ne ob comestionem lenticulæ tantum bonum Esau amisit? Nonne cibus iste, cibus est pauperum, & pœnitentium: ex hoc addisce, quod non cibus, sed appetitus est in vitio: quid enim locis, & tempori, & personis conveniat, attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus: fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur: Insipiens autem fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat, & saniùs quisq; maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum: Unde lautiores cibos, plerumq; sine culpa sumimus, & abjectiores, non sine reatu conscientiæ degustamus. Hinc Esau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in Eremo carnes edendo virtutem corporis servavit: sic & antiquus hostis primum sibi hominem, non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentavit. *Op. Apolog. paup. v. 1. a. c. 2.*

Abstinentia quoad cibi qualiter moderanda.

1575. *Peccator pro cibo vendit æternam hæreditatem.*

Vendidit Esau primogenita, &c. Ecce figura expressa stultitiæ peccatoris, qui pro cibo carnalis delectationis vendit primogenituram regni cælestis, scilicet gratiæ, & amicitiæ Dei. *In thren. cap. 1. & c. 4. in fine.*

CAPUT XXVI.

1576. *In observantia mandatorum Dei, & obedientia stat omnis benedictio divina; in transgressione, & inobedientia maledictio.*

Benedicam tibi, &c. & benedicentur in semine tuo omnes gentes, eo quod Abraham obedivit voci meæ, & custodierit præcepta mea. Vide ergo in quonam fundata fuit hæc tam larga Dei benedictio, nempe in obedientia, & observantia mandatorum Dei; ut discas, quod sola observantia mandatorum Dei meretur benedictionem Dei; è contra inobservantia maledictionem. *Psal. 118. c. 1. v. 6.*

1577. *Mansit Isaac in Geraris, & dixit illis viris, quod Rebecca erat soror sua.*

Nota hic, quod prudenter Isaac mendacium non dixit, sed veritatem tacuit ad bonum finem, ut suprà dictum est etiam de Abraham. *l. 3. d. 38. a. 1. q. 2.*

1578. *Felix, & verè dives, qui rectè colit terram cordis sui.*

Seminavit autem Isaac in Terra illa, & invenit in ipso anno centuplum, &c. Ex hoc loco datur nobis intelligentia, quod qui seminaverit opera misericordiæ in terra cordis, centuplum accipiet, non solùm in altera, sed etiam in præsenti vita. *serm. 2. & 4. Dom. sexag. & in Luc. cap. 8. v. 8. & cap. 15. v. 4.*

1579. *A Deo solo prosperitates temporales expectandæ, non à Diabolo.*

Et benedixit ei Dominus, locupletatusq; est, & factus est magnus vehementer, &c. Nota ordinem verborum: primò enim proponit benedictionem Domini, & postea subdit prosperitates temporales: ut videas, quod à solo Deo sunt ista expetenda, & expectanda, ut tanquam villici Dei per hæc æterna bona acquirantur. *In Luc. c. 16. v. 1. & ser. 4. Dom. Trinit.* sic & Divus Aug. *in Glossa.*

1580 *Bona spiritualia centupliciter sunt meliora temporalibus.*

Sevit autem in Terra illa, & invenit in illo anno centuplum, &c. Cur notatur hoc centuplum? Nota, quod hic sacer Textus loquitur de viro justo, & ideò etiam designatur fructus, qui talibus à Deo datur, nempe centuplum spiritualium bonorum, sive in hac, sive in altera vita: Bona enim spiritualia comparata cum temporalibus sunt meliora centupliciter, quia centupliciter consolantur, delectant, & amantur. Insanus igitur est, qui ad hoc centuplum non inhiat. *In Luc. c. 18. v. 30.*

1581. *Vir iustus debet crescere de virtute in virtutem, & ad summum perfectionis inhiare.*

Benedixitq; ei Dominus, & locupletatus est homo, &

ibat proficiens, atq; succrescens, donec magnus vehementer effectus est. Sed quomodò solus Isaac dicitur vehementer magnus effectus? Nonne illa regio abundabat plurimis divitibus, & Principibus? Quomodò solus dicitur magnus vehementer effectus? meritò relictis cæteris dicitur solus magnus, quia in Regno Christi solus æstimatur, qui ad sublimitatem similem inhiat, scilicet qui de virtute in virtutem proficit, & ad summum perfectionis inhiat. Hinc infertur, quod in Religionibus observantibus, non dignitas, non scientia, non habilitas ad negotia, sed solùm probitas, humilitas, & perfectionis tendentia debet æstimari. *In Luc. c. 1. v. 80.*

1582. *Christus aperit nobis puteos aquarum viventium: Diabolus nititur eos obstruere.*

Ob hæc invidentes ei Palæstini omnes puteos obstruxerunt implentes humo. Nota, quod hic traditur figura eorum, quæ fecit Christus ad nostram utilitatem, & Diabolus, è contra nititur ad nostram damnationem: Christus autem aperuit plures puteos nobis, ut aquam vitæ bibere possimus: scilicet puteum sacræ scripturæ, puteum Baptismi, puteum inexaustum bonitatis divinæ gratiæ: ex primo exit aqua sapientiæ salutaris: ex secundo aqua mundans, & lavans Animam: ex Tertio aqua vitalis reficiens in vitam æternam; Aperuit etiam puteum humanæ rationis, ut illum adjumento fidei possimus extingnere sitim, quam habet Anima attingendi virtutem: Hus puteos conatur obstruere Diabolus humo, scilicet malarum cogitationum, & occasionum, peccandi, ne fructus vitales percipiamus. *In Io. c. 4. v. 12.*

1583. *Terrena affectio destruit devotionis spiritum.*

Omnes puteos obstruxerunt, &c. Nota, isti sunt Dæmones, qui, ut obstruant puteos devotionis immittunt terrenas affectiones in corda hominum: sicut enim aqua terræ immixta redditur turbida, & terrea, sic aqua devotionis immixta terrenæ cupiditati deperditur, & relinquit Animam totam terream, ita ut non valeat emittere fletum lachrymarum, & Animam irrigare. *Diat. salut. tit. 7. cap. 3.* Adverte igitur ex hoc, quod ubi admittitur hæc Dæmonum obstructio, non potest haberi divina consolatio, quia duo contraria non possunt esse simul, scilicet spirituales, & carnales deliciæ: delicata est enim divina consolatio, nec datur admittentibus alienam: Infer ergo, quod ideò Deum loquentem interiùs non percipimus, nec eius verba Animam delectant, nec percipimus, nec videmus, quia carnales, & mundanas delectationes admittimus. *serm. 1. de Evangelist. & ser. 1. de Dedic. Eccl.*

1584. *Boni ex eodem fonte vitam percipiunt, unde mali hauriunt mortem.*

Foderunt in Torrente puteum, & ibi fuit jurgium Pastorum, &c. Vide quod jurgium nascitur ob eundē puteū inter pastores Iacob, & Palæstinorū, &c. significatq; quod ex eodem fonte, à quo boni hauriunt vitam, mali percipiunt mortem, & malum: Nam ex sacta scriptura boni exhauriunt salutem, & carnaliter viventes, mortem. *Psal. 14. & in Io. cap. 4. v. 12.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XXVII.

1585. *Mundus est senex fatuus, cæcus, & pluribus vitijs involutus, ubi de senum vitijs.*

Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi eius, & videre non poterat, & vocavit Esau filium suum majorem. Vide in hoc Patriarcha expressam figuram mundi: Nam mundus est senex fatuus, fatua sectans, & faciens, sicut enim Isaac proposuit date benedictionem primogenituræ Esau, quam Deus destinaverat ad Iacob; sic mundus prævertens ordinem à Deo assignatum fatua facit. *fer. 1. Dom. 3. quadrag.* Datur etiam figura vitiorum senum, quorum multi sunt queruli, tristes, impatientes, accidiosi, tenaces, avari, sine consilio, sine prudentia, sine pudicitia, & in multis pejores, quàm juvenes. *fer. 1. Dom. 24. post Pentec. & fer. 3. Dom. 1. Adven.*

1586. *Consilijs Spiritus Sancti acquiescendum est.*

Nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis, &c. Hoc dixit Rebecca Iacob filio suo, sic dictante Spiritu Sancto, ut videas, quod inspirationibus Spiritus Sācti est acquiescendum, & obediendum: Illis verò, quæ à Diabolo, mundo, & carne veniunt resistendum: primæ illuminant intellectum, & ad divinum beneplacitum faciendum conducunt: secundæ nūtiant quæ sunt contra Deum, eiusq; voluntatem. *Op. de septem itin. ætern. itin. 2. d. 6. & op. de septem donis c. 6. & Psal. 110.*

1587. *Deus delectatur nostris malis decoctis contritione, &c.*

Affer mihi duos hædos optimos, ut faciam Patri tuo escam, quibus libenter vescitur; Ergone hædi Deo placent magis, quam Agni? Nunne hædi sunt præsciti? Nota, quod hædus ut plurimùm sumitur in malo sensu: Unde potest significare iniquitatem: Sed quomodò dicitur, quod Deus libenter vescitur talibus cibis iniquitatis? Vescitur Deus libenter his cibis, scilicet excoctis contritionis igne: Vescitur igitur libenter cibis detestationis peccatorum, tam carnalium, quàm spiritualium. *In sap. c. 8.* Cibi ergo expetiti sunt salus hominis, detestatio Iniquitatis, & conversio peccatorum. *In Io. cap. 4. & collat. 23.*

1588. *Iudæi non credunt Christum Deum, quia cæci sunt.*

Et non cognovit Isaac Iacob, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Nota per Isaac senem, & cæcum significari Iudæos iam cæcos, qui non possunt capere, quomodò sub pellicula carnis omnipotentia Dei lateret in Christo: Hinc negant Christum esse Deum. *fer. 3. Dom. 1. Adu.*

1589. *Christus sub pelle humanitatis texit divinitatem, in manibusq; suis foramina conservavit, ut efflueret nobis ejus gratia.*

Pelliculasq; hædorum circumdedit manibus. Ecce qua arte Christus texit suam Divinitatem, dicitur q; tectus in manibus, scilicet ejus omnipotentia contecta pelle Humanitatis; hujus autem manus quinque

quinque foramina aperuit, scilicet quinque vulnera, ut per ipsa nobis immitteret, & diffunderet fontes divinæ gratiæ. *ser.3.Dom.1.Adv.*

1590. Prædicator non connectens bonum exemplum cum prædicatione, habet vocem Iacob, scilicet Christi; manus autem, scilicet opera Esau: habens autem vocem, & manus Iacob, connectendo scilicet vitam cum verbo, reddit dulcem melodiam auribus Dei. *In Psal.49.*

1591. *Sacræ Scripturæ figuræ, & parabolæ non sunt mendacia, sed mysteria.*

Ego sum primogenitus tuus. Quomodò id poterat verè dicere Iacob, si verè non erat Esau? Et si hoc fuit mendacium patens, quomodò à Sacra Scriptura hoc factum laudatur, & dicitur, quod ista protulerit inspiratione Spiritus Sancti? Respond. quod Iacob hæc dixit inspirante Deo: licèt enim non esset Esau quoad personam, erat tamen quoad dignitatem, quam sibi à Domino vendicaverat: sic etiam revelatum fuit Rebeccæ, postea Isaac, qui ob id noluit mutare benedictionem: quare hoc dictum est non secundùm intellectum litteralem, sed mysticum; & significabat Christum tectum humanitate, & Adam peccatorem exteriùs ostendentem. *l.3.d.38 dub.4.& q.1.q.2.& l.4. d.30.a.1. qu.1.ad 1. & op. sententiæ sement. l.3.d.38.*

1592. *Offerentibus Deo munera recto corde benedictiones Domini dantur.*

Surge, comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Vide quomodò impetravit Iacob benedictionem paternam: Offerentibus enim Domino munera, & cultum sanctum, dantur à Deo benedictiones. *ser.4. Dom.Trinit.*

1593 *Osculum Animæ ad Deum per amorem obtinet benedictionem divinam.*

Accede ad me, & da mihi osculum. Cur Isaac vult, ut Iacob ipsum osculetur antequam ei benedictionem impertiatur? quia hoc est proprium Dei: Vult enim, ut osculum tanquam præparatio condigna præcedat ad suam benedictionem: osculum autem Deo datur, cum ipsi unimur per amorem, ad quod consequitur plenitudo omnis benedictionis divinæ. *In Luc.c.15.v.20.*

1594. *Amor Dei est condimentum omnium affectionum, & virtutum, sine quo nihil sapiunt.*

Accede ad me, da mihi osculum fili mi, &c. Cur in fine prandij, vel cœnæ voluit Isaac osculum filij? Cur non priùs? Nota mysterium: In osculo significatur exercitium amoris in Deum. Voluit igitur, ut ad finem comestionis ciborum adderetur osculum, ut intelligeremus, quod amor, & charitas in Deum est condimentum omnium aliorum ciborum, scilicet, affectionum, & virtutum, & tantò plus sapiunt Deo, quantò plus de hoc habuerint condimento: nec potest esse virtus, vel devotio, quæ ex amoris radice non pullulat. *op. de perfec.relig.l.2 c.24.& 73.*

1595. *Mariæ Virginis ministerio parata est Eucharistia nobis.*

Paravit Rebecca cibos, sicut noverat velle patrem illius, &c. Quomodò sciebat Rebecca, quod vellet Isaac cibos coctos tali modo? Sed nota mysterium: Rebecca fuit figura B.Virginis, cujus ministerio coctus est, & paratus cibus in ejus Utero, ut in clibano, cibus vitalis postea exponendus coram Deo in Eucharistia. Cibus est iste, quem Spiritus Sanctus omni delectamento, & suavitate condivit: Dulcis visui per contemplationem limpidam: dulcis auditui per inspirationem cælicam: dulcis olfactui per suavitatem odoriferam: dulcis gustui per masticationem sapidam: dulcis tactui per sensionem amabilissimam: hoc fructu, hoc cibo cives superni recreantur, delectantur, & satiantur. Ideò ô Virgo Virginum benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, ora quo & nos reficiamur. *op. de dono sap.c.5.*

1596. *Tolerantia passionum est signum faciens cognoscere filios Dei.*

Accede ad me, ut te tangam, & probem, utrum sis filius meus, an non. Cur ad probationem auditus voluit Isaac addere tactum? quia non auditores legis, sed factores justificabuntur. Addidit igitur tactum, quia sic facit Deus cum suis, nempè per tactum tentationum, persecutionum, tribulationum probans utrum homo sit filius legitimus, an adulterinus? Per hunc tactum habetur certum testimonium dilectionis Dei, & victoris nostræ. Unde quando Deus immittit tribulationem aliquam, dicit tibi: Accede ad me, ut te tangam, & probem utrum sis filius meus, an non. *In Luc. cap.21. vers.13.* Nec id est mirum: nam per tribulationes Deus probat hominem utrum sit suus amicus: purgat, & emundat. *op.de perfect. relig. l.2. c.1.* Sic & in Iob dicit, *manus Domini tetigit me.*

1597. *Deus tentando, & affligendo ad se invitat, & attrahit suos amicos.*

Accede ad me, ut te tangam, & probem, &c. Si iste tactus est tribulatio, flagellum, infirmitas, martyrium, mors, persecutio, quomodò convenit cum ipsa tribulatione accessus, & amplexus ad Deum, & non potiùs elongatio? Cur cum Deus minetur, ut non puniat, ut ait D.Bernardus, non dicit servo suo, elongare, recede à me, quia te volo ponere, & tangere? oh miræ benignitatis altissime Deus! qui nos tentas, non ut capiamur, non ut fugiamus à te, sed ut timentes, ad te potiùs tutissimum fugiamus more bonæ matris facis Domine, quæ filium suum à se elongatum videre desiderans, & amplexari per terribile aliquod timorem inducit, & extendens brachia filium accipit fugientem, cum gaudio sibi arridet, & oscula dulcia elargitur. Oh felix tentatio! quæ ad divinos amplexus fugere nos compellit. *op.stim.div.am.p.3.c.12.* Ecce fructus tentationum, & tribulationum, quæ non elongant nos à Deo, sed ad Deum, & ad ejus amplexum impellunt.

1598. *Benedictionem suam Deus largitur accedentibus ad eum, vel puritate, vel pœnitentia.*

Et benedixit ei, &c. Nota, quod primo loco Isaac dedit benedictionem Iacob: Secundo loco Esau: Iacob adeptus exhibitione ciborum: Isaac effusione lacbrymarum: Per quod datur intelligi, quod in Iacob Innocentes obtinent benedictionem divinam innocentia sua, & simplicitate: In Esau pœniten

nitentes. *ser.1.Dom* 18 *post Pent.* Vult igitur Deus, & vocat omnes,& innocentes,& peccatores.

1599. *Exemplum bonæ conversationis benedictionem à Deo attrahit.*

Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam benedixit illi, &c. Cur ad sensum fragrantiæ vestimentorum Isaac prorupit in benedictionem filij? Nota, quod vestis mysticè est bona conversatio externa, per cuius bonum odorem, scilicet per bonam famam benedictionem à Deo consequitur: Nam innocens manibus,&c.accipiet benedictionem: Sed heu multi non fragrant, sed fœtent per infamiam malæ vitæ: Isti non benedictionis,sed maledictionis, vestem habent. *serm.3. Dom.19.post Pent.& serm.4.in Epiph.*

1600. *Christi humanitas omnium virtutum odorem nobis immisit ad captandam benedictionem divinam.*

Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Nota, hæc sunt verba Patris ad filium, per quæ datur intelligi, quod Christus in Ecclesia expositus fuit ut ager, vel hortus omnium virtutum floribus, & odoribus plenus: In hoc horto fragrat flos olivæ suæ pietatis:Rosæ sapientiæ divinæ, lilij munditiæ purissimæ, & omnibus est aliis virtutibus dives: Exhibetur in Ecclesia omnibus, ut in ipso quisque inveniat omne bonum, & omnium virtutum exemplar. *In Io. collat. 84.op. de Eccles.Hier.p.4.c.7.& in l.4. sent. in prol. & ser.5. in nativit.*

1601. *Vestis charitatis est, quæ sola fragrat odorem Deo, & cæteris virtutibus tribuens omnem odorem bonitatis.*

Statimque ut sensit fragrantiam vestis, &c. Hæc vestis est charitas, quæ sola obtinet benedictionem à Deo: ipsa enim est forma, & valor cæterarum virtutum. *Diæ.sal.tit.5.c.1.*

1602. *Christus ager plenus floribus, & odoribus, pro cuius acquisitione omnia sunt relinquenda.*

Ecce odor filij mei,sicut odor agri pleni. Cur comparatur agro pleno? & si ager iste est plenus;quid est, quod hanc plenitudinem efficit? Plenus thesauro omnium bonorum; sic est Christus, qui in agro humanitatis continet Thesaurum Divinitatis:Pro hoc agro acquirẽdo debemus vendere omnia transitoria, & caduca: & in eo seminare semina orationum, benedictionum, desideriorum, & bonorum operum, si volumus à Deo benedictionem, quia iste ager est, cui benedixit Dominus, scilicet repletus omnibus bonis, & de cujus plenitudine omnes accipere possumus. *serm.5. in Nativit.Dom.*

1603. *Ecclesia Catholica est ager plenus omni odore virtutum.*

Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, &c. Habetne Christus alium agrum præter humanitatem? Attende, quod ager plenus est etiam Ecclesia Catholica, in qua sunt omnium virtutum odores, Martyrum, Virginum, Confessorum, ideò ejus odor redolet per totum mundum: ad hunc agrum colendum mittuntur prædicatores, & Prælati, & Contemplativi, ut continuè germinet flores. *In Luc.c.17.v.35.& op.de 7. itin.ætern. itin.3.d.7.*

1604. *Maria Virgo est ager, in quo sunt absconditi Thesauri omnium gratiarum.*

Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Si odor tam fragrans inerat Vestibus Christi: Vnde nam hæc vestis desumpsit tantum odorem? De agro Beatæ Mariæ Virginis:Maria Virgo enim est ager, in quo Thesaurus Angelorum, & Dei Patris est absconditus: ager, qui est plenus odoribus omnium bonorum, plenus fama, honore; odor ejus est sicut Cinamomum exterius in actione,seu in cortice conversationis: sicut balsamum interius in unctione devotionis: sicut mirrha in amaritudine passionis. Ob felix! qui omnia vendit, ut emat agrum istum. *opusc. spec. B.Virg lec.7.*

1605. *Maria Virgo ager plenus benedictionibus omnibus.*

Sicut agri pleni, cui benedixit Dominus. Maria Virgo est ager verè plenus,quia plena est gratia:est & benedictus, quia benedictus fructus ventris sui: verè super omnes agros benedictus propter filium: benedictus inquam benedictione divina, Angelica, & humana. *op.spec. B.Virg. lec.14. & in Luc. c.1.v.42.*

1606. *Maria Virgo est ager, quæ emisit odorem per totum mundum.*

Sicut agri pleni, &c. Maria Virgo est ager, quæ odorem suavissimum per totum mundum effudit, nempè filium Dei factum hominem. *op. de Eccles. Hier.p.4.c.7.*

1607. *Conservans Virginitatem, & puritatem ager Christi plenus odore fragrantissimo.*

Sicut odor agri pleni. Nota, quod Christus in Ecclesia habet plures agros fragrantissimos:inter quos principem locum tenet homo conservans propter Christum Virginitatem, & puritatem, cujus odor Deo ita redolet, ut attrahat omnem ab ipso benedictionem, scilicet temporalem, spiritualem, & sempiternam.*ser.5.de una Virgine.*

1608. *Prædicator convertens Animas est Iacob offerens cibum dulcem Deo.*

Surge, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi Anima tua. Nota, quod cibus à Christo exoptatus est salus Animarum: Dum ergo Prædicator mittitur in agrum Domini ad venandas Animas per prædicationem,cum eas convertit ad pœnitentiam, potest Christo dicere, surge, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi Anima tua. *In Luc.c.19.v.16.*

1609. *Benedictio Isaac data Iacob expenditur.*

Det tibi Dominus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, &c. Nota, quod benedictio data ab Isaac Iacob filio suo fuit opus Dei, & à Spiritu Sancto inspirata, & ideò in Cœlis confirmata. *lib.4. d.30. q1. ad 1.*

1610. *Sacra*

1610. *Sacra Scriptura, & Prædicator est ager producens, frumentum, Vinum, & Oleum.*

Det tibi Deus de rore Cæli, & de pinguedine terra abundantiam frumenti, Vini, & Olei. Cur hæc solùm tria expressit? Nonne & ab agro procedunt alij fructus? Sed nota, quod in his tribus genericibus fructuum veniunt cæteri omnes, intelliguturque per hæc tria ubertas omnium desiderabilium, nec sine mysterio in his tribus involuitur omne aliud bonum corporale: quia Sacra Scriptura, in qua Deus inclusit omnia desiderabilia, significatur per hunc agrum, qui ministerio Prædicatorum tanquam cultorum ejus emittit frumentum quantùm ad Allegoriam: Vinum, quantùm ad Tropologiam; & Oleum quantùm ad Anagogiam: Vnde germinatio Sacræ Scripturæ est uberrima, & continens omnia bona homioi necessaria ad salutem, & Ecclesiæ Sanctæ. *ser. 14. Hexaem.*

1611. *Compunctio cordis est ros Cæli ministerio Prædicatorum, mediante Verbo Dei immissus peccatoribus.*

Det tibi de rore Cæli, &c. Vide Iacob anxium, & sollicitum, ut obtineat hanc benedictionem paternam: mysticè idem accidit accedenti ad audiendum Verbum Dei: nam sæpe accedens corde arido, & indevoto, & recipiendo Verbum Dei prædicatum, obtinet rorem Cæli, scilicet compunctionem externam, in cujus virtute fructum refert optimum. *op. de Eccles. Hier. p. 4. c. 5.*

1612. *Vis lachrymarum in peccatore quantùmcumque magno expenditur.*

Auditis Esau sermonibus Patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi Pater mi, &c. Vide quanta sit vis lachrymarum etiam in maximis peccatoribus; sicut enim Esau reluctantem patrem flexit, & vi fletus magni obtinuit benedictionem; sic & quilibet peccator obtinebit benedictionem gratiæ à Deo, quantumcumque offenso, & irato, si cum lachrymis ad eum recurrit: Nam lachrymarum tanta est vis, ut quodammodo vim inferant Deo, & de ipso triumphent. Oh lachryma victoriosa! quid mirum, si vincis Diabolum, cum etiam vincas Deum, & accusantibus inimicis, silentium imponis, & quando, que sententiam ab ore Iudicis rapis. *serm. 3. in Cœna Domini.*

1613. *Benedictio divina confert bonam voluntatem, & gratiam Spiritus Sancti.*

In pinguedine Terra, & in rore Cæli erit benedictio tua. Nota, quod in hac benedictione data ab Isaac filio Esau significatur, quod per lachrymas, & contritionem peccatorum etiam mali, & pessimi à Deo obtinent conversionem malæ voluntatis in bonam, & simul rorem gratiæ Spiritus Sancti. *ser. 1. Dom. 9. post Pentec.*

1614. *Christus tribuens nobis Sacramentum Eucharistiæ videtur evacuasse suos Thesauros, nihilque ei amplius superesse ad nobis conferendum.*

Frumento, & Vino stabilivi eum, & tibi fili mi post hæc, ultra quid faciam? Occurrunt benè consideranti hæc verba plures difficultates: Quomodò si supra stabilivit Iacob frumento, Vino, & Oleo, nunc reticens Oleum, solùm mentionem facit frumenti, & Vini? Præterea, quomodò dicit, se nihil aliud habere præter frumentum, & vinum, quo possit Esau ditare: Nonne erant ei plures oves, boves, &c. Nonne, & alia bona mobilia, & immobilia? Sed attende, quia, ut ait Glossa, ad mysteria futura Ecclesiæ dirigebat intentionem, & sensus Spiritus Sancti: nempè allusio fit ad institutionem sanctissimi Sacramenti, in quo omnia bona continentur, & quo collocato, videtur Deus nihil ampliùs posse dare, sed cur hoc? quia Sacramentum Eucharistiæ est cæteris majus: Tum ratione ibi contenti, quod pluribus, & totum, & simul se communicat, nempè totus Christus: Tum ratione gratiæ, quæ secundùm totam plenitudinem ibi continetur: Tum ratione effectuum multiplicium, quos super omnia alia Sacramenta efficit. *lib. 4. d. 8. part. 1. dub. 2.* Hinc exhibito hoc Sacramento videtur, quod nihil aliud superest dandum nobis.

1615. *Persecutores Sanctorum sunt ipsorum adjutores, & servi in executione prædestinationis.*

Servies fratri tuo. Quomodò Esau servivit Iacob? Imò fuit oppositum, cum ob persecutiones ab Esau Iacob illatas exul multo tempore fuerit, & multa damna perpessus sit? Sed nota mysterium. Esau servivit Iacob fratri suo, non obsequio, sed persequendo, & ob id à viriis purgando: Vnde Isaac dictante Deo, cum dixit ad Esau: *servies fratri tuo*; voluit relinquere hanc veluti benedictionem Iacob, nempè constituendo Esau ejus servum, ut sicut hæreditas pascit, & servit necessitatibus, & utilitatibus hæredis, ita & persecutiones Esau pascunt Animam Iacob spiritualiter, eique serviunt pro instrumento ad purgationem vitiorum, & exercitium virtutum. *In Psalm. 134.* Notent hanc doctrinam servi, & amatores Dei, qui volunt piè vivere in Christo, & discant quanti æstimare debeant hanc servitutem, quam eis malè homines persequendo exhibent: Hæc est servitus in schola Christi magni reputata: sic Herodes servivit Innocentibus: sic Tyranni martyribus, &c.



CAPUT XXVIII.

1616. *Filij aliquando tenentur sub mortali sequi præceptum Patris in ducendo uxorem.*

Vocavit Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepit ei dicens: Noli accipere conjugem de genere Canaan, &c. Sed cur hoc præceptum? Nonne Matrimonium debet esse liberum? Per hoc patet, quod in aliquo casu Pater potest ligare filium in contrahendo cum tali, vel tali, quando scilicet vel necessitas gravis urget, vel concurrit motivum grave charitatis; v. g. quod non contrahat cum mala fœmina, &c. & tunc filius tenetur sub mortali obedire: sic Isaac præcepit Iacob, ne contraheret cum mulieribus Cananeis, erant enim Idololatræ, & tandem ejiciendæ à Palæstina. *l. 4. d. 29. a. 1. q. 3.*

1617. *Nuptia*

1617. *Nuptiæ Verbi cum Humana Natura, & Eccleſia hic præfiguratur.*

Vade in Meſopothamiam Siriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui, &c. Cur ad domum Bathuel voluit mittere Iſaac ſuum filium, ut ibi uxorem duceret? Sed hoc factum fuit figura Incarnationis Verbi Dei: Bathuel interpretatur Virgo: miſſum eſt igitur Verbum Divinum ad domum B.Virginis, ut ibi fieret deſponſatio ipſius cum humana natura. Sic Patres in *Gloſſa.* Nota, quod quadruplex deſponſatio Verbi indicatur: prima inter Verbum, & humanam naturam in Incarnatione in Vtero B. Virginis. Secunda inter Chriſtum, & Eccleſiam militantem. Tertia cum Triumphante. Quarta inter Chriſtum, & Animam fidelem in Thalamo conſcientiæ: & dicuntur nuptiæ ob indiviſam unionem, ob affectuoſam dilectionem, ob fæcundam generationem, & ob communem omnium proviſionem. *In Io. collat.* 11. *& ſer.* 1. *Dom.* 8. *poſt Pent.*

1618. *Vocatio multiplex Dei ad hominem hic inſinuatur.*

Vocavit Iſaac Iacob, & benedixit eum, & dixit ei: Vade in Meſopothamiam ad domum Bethuel, &c. Nota, quod per Iſaac intelligitur Deus; per Iacob,qui ſupplantator interpretatur,quilibet Chriſtianus, quem Deus multipliciter ſecundum diverſos ſtatus vocat, ut relinquat mores Cananæorum, ſcilicet peccata, & ſe ad meliorem frugem recipiat, ſic Gloſſa. Vocat quidem Deus tria genera hominum, ad quæ omnia alia habent reduci: Vocat peccatores exiſtentes in regione peccati ad deteſtationem culpæ, & ſupplantationem anteactæ vitæ malæ: Vocat conſervos ad impletionem præceptorum: vocat & perfectos, ſeu Religioſos ad perfectionem vitæ in voluntaria ſupererogatione conſiliorum. *ſermon.* 1. *Domin.ſeptuageſ.*

1619. *Pœnitentia ſola, & rigor diſciplinæ præparat hominem ad Dei viſionem.*

Cum Iacob vellet requieſcere poſt ſolis occaſum, tulit de lapidibus, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. Sed ſi in hoc itinere laſſus vult requieſcere, cur lapides eligit pro lecto? Nota, quod Iacob volebat requieſcere non in hac vita, ſed in Cælo, ubi videtur Deus deorum: Ut igitur ſe præparet ad divinam viſionem elegit non mollem culcitram, ſed lapides, ſciens, quod in alia vita Deus eos vertit in panem refectionis: Daturque nobis intelligi, quod ſola pœnitentia eſt lectus in quo debet vivere, & mori, qui vult ad vitam æternam pervenire: per hancque præparatur homo ad viſionem Dei. *ſerm.*1. *Dom.* 2. *poſt oct. Paſche.*

1620. *Chriſtus triumphavit de Diabolo per mortem, &c.*

Cum vellet Iacob requieſcere poſt ſolis occaſum. Iacob interpretatur ſupplantator, ſignificatque Chriſtum, qui luctam cum Diabolo fecit in Cruce, & poſt ſolis occaſum, ſcilicet tranſitum ſuum de mundo ad Patrem, ipſum ſupplantavit. *ſerm.de Dedicat. Eccleſ.*

1621. *Chriſtus apud nos requieſcit in Sacramento Euchariſtiæ.*

Poſt ſolis occubitum volens requieſcere tulit lapides, &c. Hoc fuit figura Ieſu Chriſti, qui ob amorem ſuum ardentiſſimum volens nobiſcum manere, & requieſcere, inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, in quo collocavit lapides carnis, & ſanguinis ſui. *ſermon. de dedic. Cathedræ.* Vide ergo quomodò Chriſtus requiem quæſivit, & invenit in hoc Sacramento, dum nobis illud communicando, in nos intrat veluti in Thalamo, & lecto.

1622. *Qui vult poſt mortem quieſcere,laboret in die præſentis vitæ.*

Cum Iacob vellet poſt ſolis occaſum quieſcere, &c. Cur non ante ſolis occaſum? quia ſciebat eſſe verum, quod dixit Chriſtus, *me oportet operari, donec dies eſt*; oportet autem operari donec dies eſt, ſcilicet tempore hujus vitæ: Tum propter temporis breviratem, & ejuſdem ad operandum idoneitatem: Tum propter finis vitæ incertitudinem, & mortis ſubitationem, & operandi poſt mortem impoſſibilitatem: Dum igitur tempus habemus, operemur bonum; nam ſtulti ſunt, qui nunc negligunt opera bona. *In Ioann. capite* 9. *verſ.*3.

1623. *Deus oſtendit Iacob Incarnationem futuram Verbi, eiuſque myſterium.*

Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem, &c. Notandum, quod myſterium Incarnationis oſtenſum fuit Iacob, primò per imaginariam viſionem ſcalæ,Angelorum aſcendentium, &c.& deinde introductus fuit ad intelligentiam myſterioſam ſacratiſſimæ Incarnationis dominicæ. *In Sap.cap.*10. *& op. de perfect. relig. lib.*2. *cap.*75. *& Comp.Theolog. lib.*3.*c.*21.

1624. *Chriſtus ſcala, & via per quam homines, & Angeli aſcendunt, & deſcendunt.*

Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, &c. Si ergo Iacob vidit Incarnationem Verbi, ergo hæc ſcala myſticè eſt Chriſtus Ieſus incarnatus ſuper terram: eſt enim ſcala, & via perducens ad Cælum,& Deum: Per hanc ſcalam Angeli, & homines aſcendunt, & deſcendunt: deſcendunt miniſtrando, & laborando, aſcendunt contemplando: oh fœlix! qui hanc ſcalam aſpicit, & ad hanc currit, &c. *op.de Eccleſ.Hier.p.*1. *& opuſcul. Comp. Theol. lib.*4. *cap.*21. *In Luc. c.*24. *verſ.*3.*&* 27.

1625. *Crux Chriſti eſt ſcala, cui innixus eſt Chriſtus, & per quam aſcenditur ad Cælum.*

Vidit in ſomnis ſcalam, &c. & Dominum innixum ſcalæ, &c. Quæ eſt hæc ſcala, cui Chriſtus innixus eſt? Hæc eſt Sanctiſſima Crux, in qua affixus eſt Chriſtus ad ſe cuncta trahens: diciturque

tangere

tangere Cælum, quia Cruce Cælum apertum est, mundus reparatus est: à dextris Lymbus spoliatos, à sinistris Diabolus victus inferiùs: Per hanc Crucem ascendunt homines, & Angeli, & descendunt: Angeli enim per crucem reparantur: homines Crucem amplexantes ad Deum ascendunt. *In lo.c. 19. & collat. 85. op. comp. Theol. l. 4. c. 21. & ser. 2. de S. Andrea.*

1626. *Maria est scala, per quam patet ascensus ad Cælum.*

Vidit in somnis scalam, & Dominum innixum scalæ. Nota, illud verbum, *innixum*: Legunt, Septuaginta & *Dominus incumbebat super eam.* Quænam est hæc scala, super quam Dominus incumbebat, vel requiescebat? Hæc fuit beata Virgo Maria, in qua per Incarnationem incumbebat Verbum: Latera hujus scalæ sunt duæ Tribus, scilicet Sacerdotalis, & regia, ex quibus ortum traxit: Gradus inter calores, sunt ejus privilegia singularia: Cacumen est divinitas ei conjuncta: per hanc scalam descendit Angelus magni consilij, ut nostram assumeret infirmitatem: Ascendunt & Angeli, scilicet, qui per imitationem virtutum ejus ducunt vitam angelicam. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 7.* Vide rectè de hac potest cani sequens Rithmus.

Dormiens Iacob somnio
Scalam vidit contingentem
Cælum: cuius confinio
Deum vidit innitentem,
Angelorum descendentem
Cætum vidit, promissio
Terræ sanctæ per potentem
Datur, & benedictio.
O Maria figuraris
Scala, sed scalam superas,
Ab Angelo salutaris,
Deum hominem generas.
Super virtutes superas,
Per Angelos collocaris,
Genus humanum liberas,
Ergo longè plus bearis. Op laus B. Virginis fig. 6.

1627. *Idem ad laudem, & gloriam Beatæ Virginis.*

Vidit scalam &c. In hac scala designatur Beata Virgo, per quam Deus ad nos descendit: Angeli ibi descendebant, & ascendebant, ut ipsam custodirent tanquam locum habitationis selectissimum, eiq; reverentiam, & obedientiam exhiberent propter dignitatem matris: per ipsam nos oportet redire ad Deum. Hinc Iacob exclamans dixit: *Verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta Cæli*: est Domus propter Christi conceptionem: Porta, propter Christi nativitatem, & scala propter ascensum ad Dominum. Non ergo discedamus ab hac scala, Domo, & Porta, sed ejus pedibus provoluti semper eam salutemus, Ave gratia plena, ut per eam, quæ invenit gratiam, & misericordiam super omnes mulieres in conspectu illius magni Assueri nos gratiam inveniamus, & misericordiam consequamur in auxilio opportuno. *In Luc. cap. 1. v. 38.*

1628. *Idem ad gloriam Beatæ Virginis.*

Vidit scalam &c. Hæc scala est Beata Virgo; cujus cacumen Cælum tangebat: scala Regni cælestis, & gloriæ. *op. laus Beatæ Virg. quinq. 1. & op. Te Dei matrem &c.*

1629. *Humilitas est scala cælestis.*

Vidit scalam &c. Nota, mysticè potest dici, quod hæc scala figurabat Virtutem humilitatis: dicitur, scala ob facilitatem, qua per eam breviter ad Deum ascenditur: ejus extrema imum & supremum sunt amor proximi, & timor supplicij: latera sunt temperantia in prosperis, & patientia in adversis: ejus gradus sunt tres, contemptus mundi, alienatio sui, & humilis amor Dei. *Diat. sal. tit. 7. cap. 1.*

1630. *Fides catholica est scala ad Cælum ducens.*

Vidit scalam &c. Mysticè hæc scala est fides nobis per Christum fabricata post peccatum tanquam instrumentum, ut per eam omnes ad Cælum ascendant, qui salvantur: Latera hujus scalæ sunt humanitas, & Divinitas: gradus sunt duodecim articuli fidei. *op. Diat. sal. tit. 8. c. 5. & ser. 3. fer. 2. Paschæ.*

1631. *Idem de fide.*

Hæc scala est fides: hæc enim specialiter facit Deum per gratiam nobis præsentem: per hanc scalam ascendunt homines angelici per sanctitatem (sed proh dolor!) scala hæc jam plena est Dæmonibus, scilicet peccatoribus. *ser. 3. fer. 3. Paschæ.*

1632. *Vita contemplativa est scala cælestis.*

Vidit scalam &c. Ad quid Iacob elevato in extasim ostenditur scala? ut significaretur, quod contemplationis vita, est scala mystica, in qua Angeli, vel descendentes, vel ascendentes semper vident faciem Dei: scilicet homines contemplativi, vel descendant ad vitam activam, vel ascendant per contemplationem semper vident, & aspiciunt ad Deum præsentem, taliq; pacto sanctus Franciscus ascendebat per hanc scalam. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 11. & op. legenda S. Fran. c. 13. & in Luc. c. 10. v. 42. & c. 24. v. 5. & c. 9 v. 32. & in lo. collat. 10.*

1633. *Vita perfectionis scala cæli.*

Vidit scalam &c. Nota, quod hæc scala est vita perfectionis, & religiosa, cujus cacumen tangit Cælos: cujus gradus sunt beatitudines à Christo numeratæ: Beati pauperes &c. Item & duodecim fructus, Spiritus Sancti, & septem dona ejusdem: per hanc Anima tendens ad perfectionem ascendit de virtute in virtutem. *op. Brevil. p. 5. c. 6. & op. de 7. donis cap. 6.*

1634. *Oratio est scala Cæli.*

Vidit scalam &c. Nempè dum orabat: ergo oratio est scala, per quam Anima ad modum Angeli ascendit

aſcendit in Deum recogitando beneficia à Deo acceptа, & præcipuè paſſiones, & pœnas Chriſti, & deindè deſcendit ad intnendam propriam ingratitudinem. *op.reg. Novit.cap.2.*

1635. *Obedientia eſt ſcala Cœli.*

Vidit ſcalam &c. Nota, quod dum Iacob obedientiam Patris exequebatur, habuit hanc viſionem, ut ei oſtenderetur, quòd obedientia eſt ſcala ad Deum ducens Animam: habetq; ſuos gradus majores, & majoris perfectionis: Per hanc ſcalam aſcendunt Angeli, quia obedientia eſt vita angélica homines imitatores Angelorum faciens, qui ſunt ad miniſterium miſſi à Deo: Hæc ſcala tangit Cœlos, quia eſt vita cœleſtis. *op. Diat. tit. 4. c. 2. & in ſap. c. 10. & in Io. collat. 10.*

1636. *Scala myſtica ſunt ſacramenta Eccleſiæ, per quæ ad Cœlum aſcenditur.*

Vidit ſcalam &c. Iacob ſignificat Chriſtum, qui dicitur vidiſſe per nos, quia lumine fidei facit nos videre ſcalam ab ipſo præparatam ſuper terram; nempe ſacramenta ab ipſo inſtituta: cujus ſcalæ cacumen Cœlum tangit, quia per ipſa ſacramenta tanquam per ſcalam eſt aſcenſus Animarum de corpore exitarum de mundo ad Cœlum, de miſeria ad gloriam, de periculo ad ſecuritatem, de morte ad æternitatem: Ad hanc ſcalam accurrunt Angeli deducentes eas ad gloriam aſcendendo; & etiam deſcendunt, ut homines in terris degentes per ſacramenta promoveant de bono in melius. *ſer. de Dedic. Eccleſiæ.*

1637. *Chriſtus per ſacramenta tanquam per ſcalam confert innumerabilia beneficia.*

Vidit Iacob ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ. Si hæc ſcala ſunt ſacramenta, quomodò dicitur Chriſtus innixus huic ſcalæ? Nota, quod peculiariter dicitur Chriſtus innixus ſacramento Euchariſtiæ, in quo nobiſcum, & in nobis requieſcit, ut dictum eſt. In cæteris ſacramentis, licèt non ſit præſens corpore, eſt tamen ſpiritu, quia per ipſa Animam viventem in carne protegit, & conſervat, & exeuntem de corpore perficit; & conſervat interiùs, dans efficaciam ſacramentis, quibus ſanantur ægrotantis effectus, & exteriùs dans luculentiam documentis, quibus illuminatur cæcitas intellectus. *ſer de Dedic. Eccleſiæ.*

1638. *In via perfectionis nunquã ſtandum, ſed ſemper vel aſcendendum vel deſcendendum.*

Vidit ſcalam &c. & Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Nota quod non vidit ullum Angelum ſtantem, ſed omnes vel aſcendentes, vel deſcendentes: imò ſimul aſcendentes, & deſcendentes: Sed quomodò duo motus contrarij poſſunt ſimul eiſdem ineſſe? Reſp. quod hæc ſcala eſt via perfectionis, in qua ſunt gradus ſcalares virtutum, per quos aſcenditur, in qua neceſſe eſt nos aſcendere ſimul, & deſcendere, ſcilicet aſcendere ad Deum per contemplationem, & deſcendere ad proximum, proximo ſubveniendo: in quo deſcenſu tamen ſimul aſcenditur ad Deum aſpiciendo. Semper igitur ambula, ſemper profice, noli in via deficere, noli retroire, noli deviare: Nota etiam, quod qui deſcendunt ad terram ipſam vilipendendo, & contemnendo, ad Hieruſalem aſcendunt, mundum fugiendo, & ſe à mondo elongando. *op. de 7. donis in com. c. 5. & 6. In Luc. c. 13. v. 33. & c. 9. v. 32. 33. & op. Diat. tit. 4. c. 1.*

1639. *Scala exercitij multiplicis ſpiritualis proponitur juvenibus religioſis.*

Vidit ſcalam &c. Vide hic quomodò myſtica ſcala proponitur omnibus Religioſis & maximè juvenibus, cujus latera ſunt timor, & amor: gradus ſunt ſancta verecundia in omnibus, tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentatio orationis, fuga otij, & diſſolutionum: pura, & frequens confeſſio, libenter ſervire, & infructuoſum conſortium devitare: hæ ſunt margaritæ fulgentes, quæ poſſeſſorem ſuum Deo, & Angelis faciunt gratioſum. *op. 25.*

1640. *Religio eſt ſcala Iacob myſtica: Ubi de felicitate ſtatus Religioſi.*

Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem &c. Hæc ſcala myſticè eſt Religio ſacra, nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata: cujus latera ſunt amor Dei, & proximi (Alij cum D. Hieronymo dicunt, quod latera ſunt veſtis aſperitas, & vitæ vilitas, & humilitas.) In hac ſcala ſunt Angeli aſcendentes, & deſcendentes vita angelica præditi: Angelus enim interpretatur nuntius, ideò Religioſi nuntiant vita; & doctrina mundo Regnum Cœlorum, divinaq; documenta, & Dei voluntatem. Iſtorum Angelorum eſt aſcendere in contemplatione ad Divinitatis Chriſti arcana meditanda, prædicanda, & deſcendere ad imitationem humilitatis Chriſti, item ad prædicandam vitam Ieſu Chriſti, qui etiam modo aſcendebat montem ad orandum, modò deſcendebat ad prædicandum, & benefaciendum miſeris. In quo notandum, quod ſicut iſti Angeli vel aſcendendo, vel deſcendendo, ſemper vident faciem Dei; ſic & Religioſi vel aſcendentes, & incumbentes actibus contemplationis, vel deſcendentes ad opera vitæ activæ, ſemper habent faciem verſam in Deum, ejuſq; Voluntatem. Oh felix, & beatus ſtatus Religionis! *In Io. collat. 10. & op. legenda S. Franciſci cap. 13.*

1641. *Religio eſt veluti Paradiſus cœleſtis.*

Vidit ſcalam, cujus cacumen cœlos tangebat, & Dominum innixum ſcalæ. Quid eſt, ſcalam cacumine tangere Cœlos? Sed his verbis Spiritus Sanctus dat nobis intelligere, quod Religio ſecundùm potiorem partem tangit Cœlos, ideſt eſt ſtatus cœleſtis veluti Paradiſus, ſcilicet nobilis, ſublimis, & altiſſimus, & ſicut aquæ diluvij ad illum locum non pervenerunt, ſic & viri religioſi vitam habent eminentem inſtar Paradiſi, ita quod nunquam ſubmerguntur diluvio peccati. *In Io. collat. 10. op. Diat. ſal. tit. 5. c. 1.*

1641. *Religio Sancti Francisci mystica scala ad Cælum ducens observantes suam Regulam.*

Vidit scalam &c. Sicut omnis ordinata Religio est mystica scala, sic potiori jure id dicitur de Religione sancti Francisci, cujus culmen speciali modo Cælum imitatur: Nam sicut in Paradiso est ordinata Hierarchia Angelorum, in qua descenditur à supremo vertice ad inferiores, & ab inferioribus ascenditur ad summum, sic in hac Regula præcipitur obedientia summo Pontifici, & deinde descenditur ad inferiores per gradus suos: In hac professores istius Regulæ ascendunt per observantiam Votorum, & consiliorum evangelicorum, & simul descendunt ad activam vitam, semper tamen aspicientes ad Deum. *Op. expos. Reg. sancti Francisci c. 1. op. legenda S. Franc. c. 3.* Sed nonne hæc sunt communia cæteris Religionibus Ecclesiæ? Cur igitur dictum est, istam visionem maximè, & speciali modo competere Religioni, & Regulæ sancti Patris Francisci? Sed notandum singulariter est, quod illa Religio est perfectior, in qua austerius castigatur corpus, fructuosius ædificatur proximus, & reverentius colitur Deus: Castigatio corporis consistit in arctitudine vestium, victualium, & verborum; cum austeritate laborum, vigiliarum, & aliarum afflictionum corporalium: Ædificatio proximi in exemplis exhibendis virtutum, documentis scripturarum, remediis sacramentorum, præsidentiis regiminum, judiciis justitiarum, & beneficiis miserationum: Cultus Dei in reverenti, ac vigili frequentatione psalmorum, hymnorum, adorationum, missarum, & aliarum Divinarum orationum. Hæc autem præcellentius reperiuntur in hac Regula, & Religione S. Francisci, ideò dicitur optimè scala cælestis. *op. Apol. paup. Responf. 1. c. 3. & l. 2. d. 4. q. ult. & op. expos. Regulæ c. 1. & ult.*

1643. *In Religionibus sunt etiam mali ad profectum bonorum.*

Vidit scalam, & Angelos ascendentes, & descendentes. Ergone ista scala est medium etiam à Deo se elongandi? si illi Angeli descendebant, ergo se elongabant à Deo, & à Cælo? sed nota, quod Angeli ascendentes sunt qui de virtute in virtutem progrediuntur, & proficiunt ascendentes ad Dei visionem, & contemplationem: Descendentes sunt, qui de vitio in vitium descendunt elongantes se à Deo. *fer. 2. Dom. 16. post Pentecost.* Oh infelices Religiosi descendentes versus Infernum! sed Nota hic, ne mireris, si in Religionem audis esse Angelos descendentes: Nam, cum in conventu Angelorum, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit pravitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi hanc arrogare prærogativam, quod peccatum in eo non sit? Bonis enim expedit, aliquos habere malos secum, qui eis sint majoris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos eorum inardescat zelus, quos corrigere laborent, quibus fieri similes pertimescant, qui eis sint tentationis materia, à quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur; quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur: Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tantò fierent etiam minora: Nec tamen diligendi sunt mali, seu fovendi, sed toleraodi, maximè quorum occulta sunt mala, & alios non inficiant, & est spes de conversione eorum: Ubi autem ista deficiunt, eliminandi sunt, & puniendi: Ne mireris igitur, quod in hac scala ascensionis sint aliqui descendentes. *Op. de sex alis Seraph. c. 3.*

1644. *In Religione ordo rectus debet servari.*

Vidit scalam &c. Cur scalæ assimilatur Religio? Nota in scala sit ascensus, & descensus cum perfecto ordine: Tu ergo, qui es in congregatione, & Religione benè vivis, si vivis ordinaliter, socialiter, & humiliter: ordinaliter tibi, socialiter proximo, & humiliter Deo: Hæc omnia perfectum statum Religionis constituunt. *op. Phar. lib. 1. cap. 27.*

1645. *Scala est sacra Scriptura.*

Vidit scalam &c. Si hæc visio fuit præsagium futurorum, quid nobis indicat hæc scala? Nota, quod hæc scala mysticè est sacra Scriptura, quæ attingit à terra ad Cælum: scilicet in infimo substernit sibi philosophicam cognitionem (omnes enim scientiæ humanæ ancillant sacræ scripturæ) in cacumine tangit Cælum, scilicet elevat intelligentiam mentis, & tribuit dulcedinem mitam Animæ: Huic scalæ innititur Iesus Christus summus Hierarcha, quia ad Christi humanitatem, & Divinitatem percipiendam, & degustandam conducit. *op. Brevil. in proœm. §. de sublimitate &c. & op. princip. sacra Scrip. & ser. 1. Hexaem.*

1646. *Ecclesiastica, & sæcularis dignitas est locus vel Angelorum, vel Dæmonum*

Vidit scalam &c. Angelos quoq; ascendentes, & descendentes. Nota etiam, quod per hanc scalam significatur Prælatura quæcumq; in qua sunt Angeli per bonitatem ascendentes, vel Dæmones descendentes per malignitatem. Sed hic multi hodie Dæmones hanc scalam calcare videntur. *fer. 2. Dom. 16. post Pentecost.*

1647. *Exercitium virtutum constituit scalam Cæli; ad quam accurrunt Angeli ad obsequium justorum maximè tempore mortis.*

Vidit scalam, & Angelos &c. Nota etiam, quod hæc scala est virtutum ordo, & perfectio, cujus latera sunt amor Dei, & proximi: cujus gradus sunt timor, castitas, patientia, & cæteræ virtutes per quas ascenditur ad videndum Deum innixum huic scalæ: sed adverte, quod est necessarium, ut priùs cum Iacob obdormias super lapidem pœnitentiæ usq; ad mortem: Ad hanc scalam accurrunt Angeli ascendentes, & Deo deferentes nostra bona, & descendentes deferendo nostrum obsequium, ea quæ Dei sunt, & huc maximè in mortis tempore. *fer. 4. in Ascens. & corp. Dom. 2. post oct. Pascha. & ser. de Dedicat.*

1648. *Pænitentia cum perseverantia usq; ad mortem introducit in scalam.*

Vidit scalam &c. Attende mysteria, quæ insunt in lapide, in scala &c. Iacob dormiens in lapidibus significat virum deditum gravi pœnitentiæ: hos lapides Diabolus odit, volens verti in panem consolationis terrenæ: Dormitio mortem significat: Scala exercitium virtutum, quæ includuntur inter duo latera, scilicet amorem Dei, & proximi, quæ sunt forma omnium virtutum: Vide ergo, & attende, quod si usq; ad mortem ascendas per pœnitentiam, & virtutes, Dominum Deum tuum in Sion videbis: Si impiè egeris, non Dominum, sed Diabolum ad infernum te descendentem videbis. *serm.* 1. *Dom.* 2. *post oct. Pascha.*

1649. *Prædicatores sunt Angeli ascendentes, & descendentes per scalam sacræ scripturæ &c.*

Vidit scalam, & Angelos &c. Nota, quod Angelus interpretatur missus, significat ergo Prædicatores missos ad prædicandum verbum Dei: Isti se collocant in scala sacræ scripturæ, & prædicando ascendunt ad ostendendam Divinitatem Christi, & descendunt innotescere facientes mysteria Incarnationis, & humanitatis Christi. *In Io. c.* 1. *v.* 51.

1650. *Via perfectionis, & virtutis lata, & facilis, Via peccati angusta, & difficilis.*

Vidit scalam &c. & Dominum innixum scalæ. Quid est, quod Dominus innixus erat scalæ? Ad quid? sed nota, subsequentia verba: *Dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem, & benedicentur in te omnes Tribus terræ.* Quid significat hæc dilatatio? Dilatatio hæc est facilitas, dulcedo, confortatio, quam in via virtutis Christus innixus scalæ promittit, & confert ascendentibus per gradus virtutum: Dilatat enim pœnitentes, & incipientes per iustificationem, & conscientiæ lætificationem: Dilatat & proficientes ad orientem, occidentem, septentrionem, & meridiem, scilicet ad copiosam prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, & temperantiæ frugem: Dilatat & promissiones ad gloriam. *Psal.* 118. *c.* 2. *v.* 16. *& in Luc. c.* 13. *v.* 24. Vide igitur qualiter via Dei est plana, lata, & facilis, & è contra, via mundi, & vitiorum, tortuosa, angusta, & difficilis: Et licet extrinsecè via virtutis videatur angusta, non tamen est talis intrinsecè, quia in ea semper est pax, & assistentia divina: In alia numquam pax, sed solùm tristitia, & labor invenitur. *ser.* 3. *fer.* 3. *Pascha, & serm.* 2. *de S. Antonio.*

1651. *Per Christum omnis benedictio nobis advenit, & in Pentecoste fuit confirmata.*

In semine tuo benedicentur omnes Tribus terræ. Scilicet Ecclesiæ. Per hæc verba, quæ ordinata erant ad ostendendam Incarnationem Verbi, & ad Christum nasciturum ex semine Iacob, datur intelligi, quod per Christum ad nos venit omnis benedictio: Vnde in tempore prædicationis manu, & voce tamquam Episcopus Animarum benedicebat, & in Cruce extendit manus ad benedicendum omnes; voluitq; mittere Spiritum Sanctum in die Pentecostes ad confirmandas istas benedictiones. *Psal.* 117. *& fer.* 1. *Dom.* 18. *post. Pentec.* quibus benedictionibus dignetur Iesus Christus Animas nostras sibi misericorditer unire in perpetuas æternitates.

1652. *Ecclesia est locus omni honore venerandus.*

O quam terribilis est locus iste &c. Cur terribilis appellatur iste locus? sed notandum, quod in his verbis tria prophetavit Iacob primum est lex, quæ data fuit terribilibus signis. Secundum erat Domus Dei, scilicet Templum ibi futurum. Tertium fuit passio Christi ibi futura. Sed tu verte mentem ad Templum, quod appellatur terribilis locus: idest sacer, venerabilis, bonus, & Angelis, simulq; terribilis Dæmonibus, & impiis: Locus igitur iste est locus orationis, locus electus à Deo, ut ibi invocetur nomen ejus, & ut ibi collocetur corpus ejus: Dicitur terribilis, quia est locus divinæ memoriæ attitulatus, Divinæ Eucharistiæ deputatus, & Angelica militia visitatus, ideò dicitur Domus Dei, & porta Cæli. *Psalm.* 118. *c.* 4. *v.* 6.

1653. *In Ecclesia Deus faciliùs revelat sua mysteria.*

Verè Dominus est in loco isto. Sed nonne priùs hoc sciebas, ô sancte Patriarcha? Nonne Deus est ubiq; quomodò iste est locus, in quo Deus est, & non alibi? Sed attende, quod cum loquatur de loco, in quo futurum erat Templum, voluit insinuare, quod Ecclesia est locus, in quo est non solùm Deus per essentiam, præsentiam, & potentiam, ut in quolibet alio: sed cum non sit locus communis, sed talis, in quo beneplacitum est coram Deo, ut legit Caldæus, ibi est Deus per gratiam specialem orantibus, & per præsentiam corporalem sui corporis, & per occultorum revelationem: Ibi enim illuminat mentem, & inflammat affectum & assistit orantibus speciali privilegio. *Op. Comp. Theol. l.* 1. *c.* 17. *& Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 6. Intellige ergo ex hoc, quàm Deo magis placeat oratio facta in Ecclesia, quàm in aliis locis communibus.

1654. *Ecclesia debet esse immunis ab omni irreverentia, & prophana actione.*

Verè non est hic aliud, nisi Domus Dei & porta Cæli. Si non est aliud Ecclesia nisi Domus Dei, ergo omnibus usibus humanis debet esse evacuata, ab inferiori potestate exempta, soli Deo dedicata, divino cultui, & sacris ministeriis deputata: & ideò dicitur Domus orationis: Domus igitur orationis gloriosa majestate, sancta, & munda puritate, magna amplitudine, decora speciositate: à qua excludi debent vendentes oves simplices, scilicet simulantes sanctitatem: Vendentes boves laboriosos, scilicet prædicantes pro quæstu; & vendentes Columbas, scilicet vendentes dona Spiritus Sancti, & nummularij, scilicet vendentes justitiam pro pecunia. *In Ioan, collat.* 14. *& fer.* 4. *de Dedicat. Ecclesiæ.*

1655. *Ecclesia*

1655. *Ecclesia est Porta cælestis.*

Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & Porta Cæli. Quomodò Ecclesia dicitur porta Cœli?porta Cœli,quia in Cœlum nullus potest intrare,nisi priùs intret in Ecclesiam Dei, & per eam, eujus claves datæ sunt Prælatis ejus.*l.4.d.18.p.1.a.1.q.1.*

1656. *In Ecclesiam intratur solùm Christo ductore per viam pœnitentiæ.*

Verè non est aliud, nisi Domus Dei, & porta Cæli. Sed quis introducet nos in hanc domum Dei, & portam Cœli? Nota, quod antecedenter Christus dixerat: *Ero ductor tuus*: Christus enim ambulantes per viam pœnitentiæ, ducit in hanc domum suam, & in Cœlùm. Oh Felix pœnitens, qui non solùm habet Angelum, sed & Christum custodem, & ductorem! *fer. 5. Dom. 1. Adventus.* Cum igitur ô homo vadis ad Ecclesiam ad orandum, ad immolandum,ad opera pœnitentiæ, Christus fit tuus ductor.

1657. *Vbi est pax, ibi Domus Dei, & à Deo habitata, & est Dæmonibus terribilis.*

*Oh quàm terribilis est locus iste &c.*Cor terribilis? Nota quod in hoc loco Iacob viderat scalam Cœli, Angelos ascendentes, & descendentes ordinatim, & uno corde, & Anima concordi, & ideò vidit fideles in Ecclesia per concordiam congregandos. Hinc infertur, quod ubi est concordia fidelium, ibi est domus Dei verè terribilis Dæmonibus, qui non timent jejunia, vigilias, castitatem; quia de his omnibus traxit in laqueum ruinæ; sed concordes, & unanimiter viventes in domo Dei conjuncti Deo, & sibi invicem per charitatem, timorem, dolorem ingerunt Diabolo.*op. Phar. l.1.c.27.* A loco igitur, ubi regnat concordia absunt Dæmones, & concurrunt Angeli, è contra: Vbi discordia, ibi absunt Angeli, accurrunt Dæmones.

1658. *Virgo Maria Domus Dei.*

Verè non est hic aliud, nisi domus Dei &c. Si Iacob vidit Incarnationem Verbi futuram. Cur appellavit locum illum Domum Dei? Nota, quod vidit Verbum nasciturum in Carne in utero,& ex utero Virginis Mariæ,ergo jure appellavit locum, ubi nasciturus erat Christus, domum Dei:Domus igitur fuit Dei Beata Virgo, sic constructa à sapientia cœlesti, repleta omni gratia, & fœcunditate superna & gloria Divinæ Majestatis à supremo Rege suo Nomini sacrata. *op.spec.B.Virg. lect. 7.& 10.& 14.& op. laus B.Virg.fig.12.*

1659. *Beata Virgo Maria Domus Dei, & porta Cæli, per quam solùm in Cælum intratur.*

Non est hic aliud, nisi Domus dei, & porta Cæli. Vide quomodò Deus aperuit Cælum, exposuit scalam, & portam: Sed quænam est porta hæc:Et si suprà dictum est, Iacob vidisse scalam & Angelos descendentes, & ascendentes, quomodò nunc dicit, se non videre, nisi domum Dei, & portam Cæli? Iam supra dictum est, scalam hanc esse Beatam Virginem Mariam, & quia nullus potest intrare in Cælum, nisi per eam, ideò appellatur domus Dei, & porta Cæli. Est igitur Maria Virgo porta vitæ, ianua salutis:Porta Paradisi Chrystallina. Ad hanc recurre, si vis ingressum obtinere in Cælum. *In Luc.c.1.v.38.op.Psalt. in Ps.46.& op. Litaniæ Beatæ Virg.& op.stim.p.3,c.16.*

1660. *Fides Catholica est scala, & porta Cæli.*

Verè non est hic aliud nisi &c. Quomodò scala conversa est in domum Dei,& portam Cœli?Nota, quod hæc privilegia sunt propria,& concessa mysteriis sacræ scripturæ, & sublimitati fidei; Iam dictum est, quod sacra scriptura est scala ducens ad Deum, igitur fides catholica erit etiam scala, & porta in Cælum introducens, nec ullus poterit intrare, nisi per eam.*fer.3.fer. 2. Pascha.*

1661. *Surgens ad statum pœnitentiæ habet adjutorem Christum.*

Surgens ergo mane Iacob,tulit lapidem, quem supposuerat capiti &c. Cur sumpsit lapidem,dum surrexit è somno? Nota, quod per lapidem significatur pœnitentia, per quem ergo Iacob viderat tot mysteria, & Cælum apertum,statim è somno surrexit, & tulit lapidem pœnitentiæ; ut daretur nobis intelligi, quod qui surgit à somno peccati, ut viam salutis incedat,debet pœnitentiam assumere, in quo itinere habet custodem, & ductorem Christum. *fer.5. Dom.1.Adu.*

1662. *Memoria beneficiorum Dei conservanda.*

Surgens mane,tulit lapidem,& erexit in titulum, fundens oleum desuper. Quodnam mysterium est in hoc facto? Privilegiatus fuit Iacob à Deo per revelationem tot mysteriorum: Ideò in memoriam tanti beneficij erexit lapidem in titulum, forsan etiam fabricando Altare:datur & intelligi,quod memoria jugiter est habenda de beneficiis à Deo receptis, naturæ, fortunæ, & gratiæ, numquam oblivioni tradenda.*fer.3.Dom.5.post.Pentec.*

1663. *Altarium consecratio præfigurata in hoc mysterio.*

Tulit lapidem,& erexit in titulum fundens oleum desuper. Nempè ipsum velut altare consecrando: Hinc altarium consecratio introducta est ductu Spiritus Sancti in Ecclesia. *ferm. 3. de dedicat. Eccles.*

1664. *Vsus, benedictio, & expositio sacrarum Imaginum in Ecclesia præfigurata in hoc facto.*

*Tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.*Quid est hæc erectio lapidis in titulum, in monumentū?Quænam cæremonia fuit hæc?Sed nota pulcherrimum mysteriū:Septuaginta legunt: *Erexit statuam.* Quid est statua, nisi Imago repræsentans Imaginatum? Ergo Imaginem erexit: Sed cujus est hæc Imago & superscriptio? Resp. Doctores in *Glossa*, quod fuit in memoriam mysterij, quod vidit: Vidit namque Incarnationem futuram

Verbi in utero virginis, ejus nativitatem, & crucifixionem: Ergo si hæc statua repræsentabat hoc mysterium, debemus piè dicere, quod ille lapis vel ministerio Angelorum, vel alio modo mirabili conversus, & aptatus fuerit in statuam repræsentantem vel Beatam Virginem habentem in utero, vel in brachijs Iesum, vel ipsum Iesum pendentem in cruce. Hincq; inferre licet, quod ex tunc expositio, & consecratio sacrarum Imaginum, & earum adoratio, maximè Christi Iesu, & Beatæ Virginis fuerit inchoata,& postea in Ecclesia inspiratione Spiritus Sancti prædicata: Ideòq; fudit oleum desuper eam consecrans ad usum sacrum. Addo, quod cum viderit sanctus Patriarcha Angelos descendentes, & ascendentes,& Dominum innixum scalæ, & appellaverit hunc locum scalam, Domum Dei, & portam Cæli, licet inferre quasi protectione honorentur loca à Deo, & Angelis, in quibus adsunt similes Imagines Christi,Beatissimæ Virginis,& sanctorum.Hæc dicta volo desumpta ex lectione Septuaginta secundùm piam considerationem fundatam super doctrinam Theologorum de sacris Imaginibus. Et hinc adoratio Imaginum Christi, B. Virginis Mariæ non est idololatriæ actus, sed cultus sanctus, & pios sanctè introductus in Ecclesia Dei ad utilitatem maximam nostram.*l.3.d.9.a.1.q.2.op.de dono piet,c.2. op. de decem precep. ser.2. &c.*

1665. *Necessaria, & non superflua à Deo petenda, & desideranda.*

Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum &c. Vide qua moderatione à Deo iste justus quærit,& desiderat res temporales:scilicet custodiam Dei ad vescendum, & vestimentum &c. ergo necessaria, & non superflua sunt petenda, & desideranda, non ea, quæ ad pompam, & luxum faciunt. *Op. Phar. l.4.c.13.in fac.*

1666 *Præsentia Divina quot bona afferat ipsam exercentibus.*

Si fuerit Dominus mecum &c. Quid dicis ô sancte vir? Nonne Deus est ubiq; & per consequens cum omnibus hominibus, & etiam tecum? sed nota: quod valde differt dicere, Deus est in aliquo, & Deus est cum aliquo: Deus est quidem ubiq; in omnibus rebus, sed non dicitur esse cum omnibus, sed tantùm cum existentibus in gratia: Cum his dicitur esse: nam,ly, cum,significat associationem importantem mutuum auxilium,& conformitatem voluntatum: unde Deus propriè non dicitur esse cum malis, quia Deo non conformantur; nec Dei auxilijs convertuntur in ijs, quæ ad salutem suam spectant, sed contradicunt;cum bonis est Deus, & boni cum Deo. Hinc supposita tali associatione, & gratiosa præsentialitate Dei, vide quot bona consequantur (subdit enim) *& custodierit me in via, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum, quo operiar;*nempe panem gratiæ, & vestimentum bonæ gratiæ, scilicet Eucharistiæ,vel gratiæ sanctificantis:Ista enim à Deo dantur benè secum conversantibus. *ser.4. in vigil. Nativit.& l.1.d.37. dub.1.*

1667. *Privilegia maxima, & mirabilia Ecclesiæ, & Templi Deo sacrati.*

Et lapis iste, quem erexi in titulum,vocabitur Domus Dei. Vide quot repetitiones facit iste sanctus Patriarcha de Domo Dei: priùs vidit scalam plenam Angelis. Secundò eam appellavit Domum Dei, portam Cæli. Tertiò appellavit locum, vel civitatem Bethel,idest,domum Dei,quæ priùs vocabatur Luza, eratq; Hierusalem. Quartò tandem prædicit, ipsam appellandam domum Dei:cur toties repetit eum tot circumstantiis hoc nomen domus Dei? Sed sciendum quod tunc prævidit, & prædixit in illo loco fabricandum esse processu temporum Templum à Salomone, & ita cæremoniis sacris dedicandum esse Deo, idq; in figuram adventus Filij Dei in Carnem.Hinc scias privilegia maxima à Deo impetienda esse sacris Templis Deo dicatis; de domo Dei cum tot præconiis loquitur. Domus igitur Dei dicitur Ecclesia, quia sanctis, & divinis operibus mancipatur, quia Angelorum, & sanctorum custodiæ deputatur: sunt enim milites, qui custodiunt sacra Templa: quia habitantur à Christo per corporalem præsentiam in Eucharistia, quia Deus exaudit ibi orantes, & concedit faciliter quidquid petitur. *ser.1.& 2.& 4. de Dedicatione &c.*

CAPUT XXIX.

1668. *Christus fundavit Ecclesiam, & exposuit Sacramenta, præcipuè Baptismum pro omnibus hominibus.*

Profectus ergo Iacob, venit in terram orientalem; & vidit puteum in Agro,tres quoq; greges ovium accubantes juxta eum &c. Iacob, ut aliàs dictum est, significabat Christum,qui veniens in mondù fundavit Ecclesiam significatam per terram orientalem, in quam ingressus posuit puteum, scilicet lavacrum Baptismi pro omnibus generibus ovium, scilicet hominum baptizandorum in fide Trinitatis, quia sacramenta exposuit omnibus, ut possent salvari. *In Io.c.4.v.10.*

1669. *Christus aperuit nobis obscuritates Scripturæ veteris.*

Putei os grandi lapide claudebatur. Ad quid notatur hæc clausio? Nota, quod puteus significat sacram Scripturam, quæ erat alta, scilicet profunda,& obscura:Sed venit Christus, tollere obscuritates,& aperire mysteria ejus: est enim clavis David &c.*In Io.c.4.ser.3.Hexaem.& in Ps.118.c.2.v.13.*

1670. *Duritia Cordis tollit devotionem, & compunctionem.*

Os putei grandi lapide claudilur. Ad quid notatur hæc singularitas, quæ videtur frustratoria; Sed totum dictatum à Spiritu Sancto est,ut daretur intelligi quale impedimentum sit illud, ob quod Anima non irrigatur gratia spiritus sancti, & devotione, fervoreq; nempè, quia clauditur lapide grandi; Quis est iste lapis tam grandis? Lapis grandis est cordis duritiès,& incompassio, scilicet in Deum, & proximum. Nisi igitur tollas hunc lapidem, non irrigabitur Anima. *op.Diat.tit.7.c.3.*

1671.*Virgo fugiat virorum affatum, & conversationē si suum pudorē vult conservare.*

Iacob osculatus est Rachel, quæ elevata voce flevit. Cur fles ô Virgo?*quia Iacob vir ignotus est osculatus me.* Disce ergo ô Virgo ad omnem viri affatum pavere, & fugere: non enim flere didicisses, nisi proximum cognovisses, nisi cum viro allocuta esses. *op. Phar.l.1.c.38.*

1672. *In perfectionis via festinantia, & sollicitudo exigitur.*

At Rachel festinans nuntiavit Patri suo. Rachel statim ac intellexit Iacob suum consanguineum, festinanter cucurrit ad patrem, & nunciavit ei adventum: Mysticè datur intelligi quod, quando quis vocatur à Deo ad participationem mysteriorum divinorum, & ad viam perfectionis, debet cum festinantia currere in via perfectionis, nec moras trahere alioqin non perveniet ad bravium. *In Luc. cap. 1. vers. 29.*

1673. *Religio diligenda est à Religiosis tamquam sponsa, & pro ea vacandum est contemplationi.*

Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis. Cur septem annis & non octo, & non sex? Septem anni significant totum tempus vitæ: Hæc sponsa significat Religionem, hæc diligenda est, ut sponsa, & pro ea vacandum est contemplationi toto tempore vitæ. *In Eccles. c. 9.*

1674. *Ducens uxorem propter pulchritudinem, & similes respectus tanquam finem secundarium; non peccat; requiritur tamen motivum principale honestum, scilicet finis matrimonij.*

Servivit septem annis pro Rachele. Cur septem annis servivit pro Rachele, & non pro Lia natu majore? quia Rachel erat decora facie, & venusto aspectu: Lia lippis oculis. Sed hic quæritur, an peccaverit Iacob, cum dicat scriptura: *fallax gratia, & vana est pulchritudo &c.* Sed Resp. quod ducere uxorem, ob pulchritudinem, gratiam, divitias, & similia motiva inducentia, & minus principalia, non est peccatum; & si concurrit peccatum, solùm est veniale, dummodo habeatur pro fine principali procreatio filiorum, vel remedium. Patet ergo, quod non inficitur matrimonium, si quis ducit uxorem propter pulchritudinem, & similia, tamquam ob finem secundarium &c. *l. 4. d. 30. a. 1. q. 3.* Nota tamen, quod non est improbabile, quod Iacob peccaverit etiam venialiter ob ultimatam intentionem amoris erga pulchritudinem Rachelis: nota etiam, quod in ducenda uxore attendendæ sunt bonitas, virtus, & similes. *l. 4. d. 30. dub. 6.*

1675. *Cognoscens aliquam credens esse Vxorem, excusatur à peccato.*

Et vespere introduxit Liam &c. Nota quod excusatur Iacob à peccato, quia cognovit Liam credens esse Rachelem: Vnde postea per novum consensum fuit verum matrimonium. *lib. 4 dist. 30. art. 1. q. 2. ad primum, & d. 27. a. 2. q. 2. ad ultimum.*

1676. *Ad contemplativam vitam debet præcedere activa.*

Et vespere introduxit Liam. Cur voluit priùs Deus, ut Iacob desponsaret Liam, postea Rachelem? Sed ad significandum mysterium: Nam per Rachelem significatur vita contemplativa: per Liam activa: debet ergo præcedere vita activa ad contemplativam secundùm ordinem à Deo constitutum. *Ps. 21. sap. c. 8. Ps. 118. v. 59. In Luc, c. 17. v. 11. & c. 10. v. 42.*

1677. *Amor Christi in Ecclesiam, & in Animam nostram subjecit ipsum passionibus.*

Videbantur dies ejus pauci præ magnitudine amoris. Iacob servivit septem annis pro desponsanda Rachele dilecta, & præ amore ardentissimo dies servitutis septem annorum videbantur pauci: Ex quo patet, quid fecit Christus, pro desponsatione Ecclesiæ, & Animæ nostræ, & quo ardore, & voluntate servivit pro ea ad mortem: Cum enim maximam pœnam pateretur in sensu, tamen ratio, & ejus charitas modicos reputabat omnes illos cruciatus *l. 3. d. 16. a. 1. q. 2. corp.* Quanta igitur dignatio Christi, quanta Charitas, qualis amor: ministrat, & servit nobis ille, cui ministrant Angeli: si igitur fraudando servum tuum mercede unius anni peccas, quantò magis subtrahendo Dei filio Animam tuam, pro qua servivit toto tempore vitæ suæ, pro qua Animam suam in tuo servitio dedit? *ser. 1. & 3. Dom. 1. post oct. Pascha.*

1678. *Amor sanctorum in Deum facit magna pati, & pro nihilo reputari.*

Quæcumq; magnæ passiones tamquam nihilum reputantur à sanctis. Idq; patet in perpessione tot laborum Iacob pro Rachele, quam ardenter diligebat. *In sap. c. 3.* Nihil enim amanti difficile est. *ser. 5. de Phar. martyrum.*

1679. *Sobrietas antiquorum patrum in actibus carnalibus, etiam licitis quanta.*

Imple hebdomadam dierum hujus copulæ &c. Vide quam sobrij fuerint antiqui in actibus carnalibus: non enim licebat statim transire ab una ad aliam uxorem. *In Luc. c. 1. v. 23.*

1680. *Gloria à Deo non confertur, nisi post cursum vitæ pœnitentialis &c.*

Imple hebdomadam dierum, & hanc quoq; dabo tibi. Iam desponsatus fuerat Iacob cum Lia; Sed ad desponsationem cum Rachele fuit necesse, ut transire faceret hebdomadam integram: Datur intelligi per hoc, quod post desponsationem Liæ, scilicet vitæ pœnitentialis, solùm desponsatio cum gloria potest admitti: necesse enim est, ut priùs pœnitentiam agas, si vis ad gloriam pervenire. *In Luc. c. 9. v. 28. & Psal. 131.*

1681. *Ad Eucharistiam ne accedas pollutus, & immundus.*

Imple hebdomadam dierum, & hanc quoq; tibi dabo &c. Cur voluit Deus, ut hebdomada dierum compleretur ante conjunctionem cum Rachele? Nota, quod per Liam intelligitur operatio carnalis: per Rachelem bona spiritualia: & præcipuè copulatio Animæ cum Eucharistia: Daturq; intelligi, quod non est accedendum ad sacramentum Eucharisticum recipiendum, nisi post purgationem, & emundationem; nam Oza percussus est, volens tangere Arcam, quia nocte antecedenti cognoverat Vxorem. *In Luc. c. 1. v. 23.*

1682. *Activa*

1682. *Activa & contemplativa in perfectione se habent tanquam excedentin & excessa.*

Videns Dominus, quod Iacob despiceret Liam, aperuit Dominus Vulvam ejus. Vide quomodò Iacob ex Lia habuit plures filios, existente Rachele sterili: Si Lia significat vitam activam: Rachel contemplativam, ergo fœcundior, & melior erit vita activa, quàm contemplativa? Nonne dixit Christus, quod Maria elegit optimam partem, scilicet contemplativam? Sed Resp. quod respectu personarum se habent tamquam excedentia, & excessa, si quoad statum, contemplativa est melior: Activa tamen est fœcundior operibus, quia incumbit pluribus operibus pietatis: Contemplativa verò est diuturnior, & securior. *Psalm.* 118. *v.*88.



CAPVT XXX.

1683. *In fæcundatione Iacob præfigurata est generatio multiplicata filiorum Christi.*

In hoc capite narratur multiplicatio filiorum Iacob, quæ fuit figura multiplicationis filiorum factæ per Christum in Ecclesia mediante fide. *ser.*4. *Hexaem.*

1684. *Ex maternitate divina Virgo Maria benedicta agnoscitur inter omnes mulieres.*

Dixit Lia: hoc pro beatitudine mea: Beatam quippè dicent me mulieres. Cur beatam? Nempè pro fæcunditate mirabili, quam habuit: Sed quænam beatitudo fuit ista? Sed nota, id esse dictum in figuram Beatæ Virginis, quæ verè ex dono maternitatis divinæ, & beata & benedicta inter omnes mulieres fuit. *In Luc. c.*1. *v.*45.

1685. *Contemplativi non debent relinquere opera vitæ activæ.*

Abstulit Deus opprobrium meum &c. Cur sterilitas erat in lege veteri opprobrium? Sed nota, quod id reduci debet ad sensum mysticum: nam cum per Liam generantem filios intelligatur vita activa fæcunda operationum sanctarum: per Rachelem sterilem, vita contemplativa, quæ sibi soli prodest: hinc dum & hæc generat filios, dicitur liberata esse ab opprobrio. Sed quodnam opprobrium est illud? Opprobrium est in via Domini, si quis incumbens contemplationi, negligit fructus actionis: est enim maximus error eorum, qui totos se dedicant contemplationi, omittendo opera activæ, & purgativæ, quia hæc debet commisceri cum contemplativa, est enim Maria soror Marthæ; sunt & consobrinales hæ duæ, & cohabitant pariter. *Psal.*118.*c.*2.*v.*6.*& op. medit. Vita Christi c.*58.

1686. *Cohabitatio sanctis portat benedictionem Dei in rerum multiplicatione, & prosperitate, & protectione.*

Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te. Sed in quonam hæc benedictio venit ad Laban? Benedictio, scilicet protectio, & assistentia divina in rebus, & familia &c. propter cohabitationem, & merita viri justi. *op. Bibl. paup. c.*119.

1687. *Ex Christo venit omnis nostra prosperitas, & benedictio.*

Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te &c. Hæc dixit Laban Iacob, sed nos verius id dicere possumus Christo, ex quo omnis nostra benedictio, & rerum prosperitas nobis obvenit. *In Luc. c.*9.*v.*16.*& op. Bibl. paup. c.*5. *& ser.*4. *Dom. Trinit. & ser.*5 *de una Virgine.*

1688. *Prædicator debet post prædicationem ad solitudinem, & contemplationem reverti.*

Iustum est, ut aliquandò provideam domui meæ &c. Vide, quod Iacob post tot labores vult redire ad propria: Sic fecit beata Virgo Maria post Visitationem Elisabeth: Sic & debent facere Prædicatores post scilicet suam prædicationem, redeundo ad propria exercitia orationis, & contēplationis: Qui enim vult alios docere, debet interiori affectu terrena contemnere, & exterioribus actibus alios præcellere. *In Luc. c.*5.*v.*80.*&* 56. debet & se priùs calefacere, ut alios possit calidos, & ignitos reddere.

1689. *Ante adventum verbi in Carne homines erant inopes: post, facti sunt divites.*

Modicum habuisti antequam venerim, & nunc dives effectus es, benedixitq; tibi Dominus ad introitum &c. Vide, quales benedictiones influxerit Dominus ob societatem Iacob Laban socero suo: Sed hæc dicta fuerunt in figura Christi, qui veniens in mundum invenit humanum genus redactum in maximam paupertatem: dissipaverat enim omnia bona spiritualia per septem vitia capitalia, & redactum in incommodum famis, in servitutis opprobrium, & mendicitatis miseriam: Sed ad adventum Christi in societatem nostram in carne, ecce quod venerunt nobis omnia bona. Oh bone Iesu, quàm dulciter cum hominibus conversatus es, quàm abundanter, & multa magna largiri bona dignatus es, quàm fortiter enim, quàm aspera pro hominibus passus es! *ser.*3.*Dom.*4.*Adu. In Luc. c.*15.

1690. *Gradus ascendentis ad perfectionem per vitam activam, & contemplativam exponuntur exemplo Iacob.*

Iustum est, ut aliquandò provideam Domui Iacob. Nota, quod Iacob solùm cogitavit redire ad patriam postquam habuit sex filios ex Lia, & Ioseph ex Rachele: Cur non antea hæc cogitavit? At id factum est ad nostram mysticam instructionem. Tendens enim ad perfectionem, priùs debet exerceri per vitam activam significatam in Lia, & in sex gradibus, per sex filios: Primus est habitus exterior religiosus. Secundus sunt cæremoniæ exteriores. Tertius mores exteriores. Quartus opera pœnitentiæ. Quintus studium familiare, & peculiare ad exercitium mortificationis, & virtutum. Sextus est nucleus affectualis virtutis: & indè gignitur Ioseph, scilicet pertrahi debet ad vitam contemplativam, in quo statu cupit Anima dissolui, & esse cum Christo in patria cælesti. *op. de perfect. religios. l.*2.*c.*21.

1691. *Pastorum Animarum qualis obligatio.*

Pascam pecora tua. Ecce quod Iacob, ut locupletaret exhibuit denuò suum ministeriū Labā socero in

pascendo

pascendo pecora. Daturque per hoc intelligi, quod proprium est Pastorum pascere non seipsos, sed oves sibi commissas pascuis scripturarum: debent & imponere mandata dutis, & caroalibus animis, pusillis onera dispensationum, & sanis consilia solida, & hortamenta fortia. *In Io. collat.* 90.

1692. *Christus verus Pastor Animarum dedit Pastoribus exemplum, &c.*

Pascam oves tuas. Hoc dixit Iacob Laban: Hoc & dixit Christus Patri: fui enim verus, & bonus Pastor, qui sicut dicitur à pascendo, sic & pascit Christus nos oves suas per doctrinam, per se, & per alios docendo. Item per Eucharistiam dans carnem suam in cibum, sanguinem in potum, & Animam in pretium. *fer.* 1. *&* 2. *post oct. Pascha.*

1693. *Bonus Pastor pascit, malus depascit oves Christi.*

Pascam oves tuas. Nota, quod dicit, *pascam.* Pastor enim dicitur vel à pascendo, vel à depascendo: Nam bonus pastor pascit verbo, & exemplo oves suas; malus depascit per rapacitatem, & crudelitatem oves Christi. *In Io. collat.* 49.

1694. *Ovium Christi color, & ovium Diaboli qualis.*

Tollens Iacob virgas populeas virides, &c. Vide qua arte usus est Iacob ad hoc, ut suæ oves dignoscerentur diversæ ab ovibus Laban: per quod datur intelligi quod sicut oves Laban erant albæ, & nigræ, oves Iacob verò varij coloris, scilicet, ut legunt Septuaginta, *punctis respersa*: sic oves Diaboli sunt nigræ per peccata, & albæ per simulationem: oves verò Christi sunt varij coloris; videntur quidem nigræ, sed tales tantùm per reputationem, sed interiùs sunt albæ per iustificationem, nempe apud Deum sunt albæ, apud se nigræ. *fer.* 2. *Dom. prima post octavam Pascha.*



CAPUT XXXI.

1695. *Ad Perfectionis metam, & tandem ad Cœlum pervenitur per exercitia vitæ activæ, & contemplativæ.*

Surge, & revertere in terram tuam, &c. Vide, quod Dominus præcepit Iacob, quod cum Rachele, & Lia, & filijs, & rebus suis reverteretur in terram suam: Daturque intelligi mysticè, quod per exercitia Liæ, scilicet vitæ activæ, & Rachelis, scilicet contemplativæ ad metam perfectionis, & tandem ad gloriam pervenitur. *In Psal.* 21.

1696. *Deus peculiarem custodiam exercet servorum suorum fidelium.*

Ego sum Deus Bethel, &c. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, &c. Vide qua cura Deus providit Iacob in suis necessitatibus: nam iussit, ut reverteretur in terram nativitatis suæ: sic enim erat proprium Dei protegere, & custodire fideliter sibi servientes. *Sap. c.* 10.

1697. *Idem confirmatur.*

Dixit ad Laban: Cave, ne quidquam asperè loquaris contra Iacob. Ecce nova protectio, & assistentia Dei, quam exercet cum Iacob, nolens, quod Laban iratus, nec verbum asperum contra ipsum loquatur. *Psal.* 118 *c.* 2. *v.* 2.

1698. *Charitas Christi prohibet asperam locutionem cum proximo.*

Cave, ne quidquam asperum loquaris contra Iacob. Idque dicitur continuè nobis à Deo: non enim vult, ut contra proximum aliquid mali, vel malè aliquid dicamus; sed mansuetè cum eo tractemus. *Psal.* 118 *c.* 2. *v.* 7.

1699. *Diabolus non potest in nos aliquid, nisi à Deo permissum.*

Cave ne quidquam asperum loquaris contra Iacob, &c. Nota, quod Laban est figura Diaboli: Iacob figura servorum Dei: Dicit igitur Deus Diabolo: Cave, ne quidquam, &c. Vide quod non solum Diabolus non habet potestatem nocendi nobis, sed nec loquendi, id est tentandi, nisi quantùm à Deo permissum fuerit: est enim inermis contra nos: Ex quo patet quanta sit divina pietas in nos, &c. *op. de perfect. religios.* l. 1. *c.* 2. *& in Luc. c.* 8. *v.* 31. *&* 32.

1700. *Diabolus quærit retrahere osculis, idest prosperitatibus ad statum religiosum conversos.*

Cur ignorante me fugere voluisti? non es passus, ut oscularer filios meos, & filias? Hæc dixit Laban ad Iacob clam ab ipso recedentem: Eadem dicit Diabolus conversis ad Dominum: blanditur enim, ut fallat, arridet, ut noceat, allicit ut occidat, promittit, ut decepta mens abducatur ab intentione pœnitentiæ; & quærit suos osculari, scilicet in falsa securitate eos perseverare, sicquè eos fraudulenter occidere. *fer.* 2. *Dom.* 3. *post oct. Pascha.* Oscula igitur Diaboli sunt prosperitates, voluptates, vanitates, quibus retrahere à Deo nititur homines conversos, ut tandem in Infernum protrahat, contra quem sedulò vigilare, & fortiter decertare debemus.

1701. *Commiscens cum veritate Sacræ Scripturæ vanitates reprehenditur.*

Scrutatus es omnem supellectilem meam, &c. Sic conquerebatur Iacob cum Laban, dum quæreret Idola sua: Idem & conquerendo à Deo dicitur Prædicatoribus, & expositoribus Sacræ Scripturæ, qui cum dogmatibus sacræ scripturæ audent commiscere Idola sua, scilicet falsas suas imaginationes, & vanitates ridiculas: Isti enim veluti Idololatræ apud Deum reputantur. *Psal.* 118. *c.* 9. *v.* 1.

1702. *Christus quàm sollicitus die, noctuque de nostra salute.*

Die, noctuque, æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, &c. Hæc verba indicant qua solicitudine, laboribus, pœnisque custodierit gregem suum sanctus hic vir Iacob: quæ in Personam Christi rectè transferuntur, qui in procuranda

ſalute ovium ſuarum, die noctuque ſollicitum ſe oſtendebat, non parcens vigiliis, laboribus, pœnis, & omnibus laborioſis operibus. *In Luc. capit. 4. verſ. 40.*

1703. *Deus cuſtodit laborantes, & ex laboribus ſuis diteſcentes.*

Die, noctuque urebar æſtu. Vide ſub quo fundamento erexerit, & elevaverit Iacob fabricam ſuarum divitiarum, nempè in laboribus, induſtriis, & ſudoribus ſuis, ideóque à Deo cuſtoditus ſemper & protectus fuit: Per hoc addiſcant homines diteſcere non ex laboribus, & ruinis proximi, ſed ex proprio labore: tales enim divitiæ ſtabiles ſunt, & tales divites ſub protectione Dei vivunt. *Sapien. cap. 10.*

1704. *Contra hoſtes ſemper eſt dimicandum in via ſpirituali, maximè à Prælatis.*

Die, noctuque urebar, &c. Talis fuit inſignis vigilantia hujus Sancti Patris Iacob: Daturque inſtructio omnibus nobis, ſed maximè Prælatis, quali ſolicitudine, & vigilantia contra hoſtes noſtros, ne oves Animarum rapiant, & ne contemplationem rerum cæleſtium impediant. *In Luc. cap. 2. verſ. 8.*

1705. *Sine auxilio Dei non poſſumus nos defendere ab hoſtibus, & occurrentibus periculis.*

Die, noctuque urebar æſtu, & gelu. Vide quot labores, quot pericula, quot pœnas perpeſſus eſt iſte vir juſtus die, noctuque: ſed nota, quod ſolùm mentionem facit de æſtu, & gelo: per quæ duæ tentationes maximæ nobis inſinuantur magis periculoſæ: nempe æſtus proſperitatis accendentis amorem nimium in temporalia: & gelu, ſcilicet adverſitatis nobis influens timorem nimium, ſcilicet nos perrahens ad accidiam, & torporem in Dei via: à quibus ſine ſpeciali Dei auxilio non poſſumus liberari; ideò indigemus à Deo confortari. *fer. 2. in Cœna Domini.*

1706. *Prælati, ſeu Paſtores Animarum qualem obligationem habeant in regimine ovium.*

Die, noctuque urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, ſic ſemper per viginti annos ſervivi tibi, &c. Oh felix ille Paſtor, qui in cura ovium hæc verè poteſt dicere in morte: nempe, quod verè pavit oves verbo, & exemplo; quod expoſuerit vitam, & omnia ſua periculis obviando, oves defendendo, & labores ſuſtinendo: ſed de multis verificatur id, quod dicitur. *Zach. c. 11. ô Paſtor, & Idolum derelinquens gregem.* Paſtor nomine, Idolum re, quia non adimpleat opera boni Paſtoris. *In Io. collat. 49.*

1707. *Prælati tenentur reddere Chriſto oves, ob ipſorum negligentiam perditas.*

Ego damnum omne reddebam, &c. Sic verè dixit Iacob Laban: nempè quando aliquod damnum accidebat ob voracitatem luporum, occurrens in ovibus, totum reſtituebat in integrum Domino: Per quod datur intelligi obligatio Paſtoribus Animarum, qui tenentur Deo reddere rationem de omni damno illato in cura Animarum; tot enim mortibus mori digni ſunt, quot in ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. *ferm. 4. Domin. poſt oct. Epiphan.* Oh miſeri, & infelices, varè audaces qui de ſuis vineis non colligunt niſi ſpinas, & tribulos! Iſti fures ſunt, & latrones, non cuſtodes, neque cultores in illis. *op. Phar. l. 1. c. 12.*

1708. *Mundus decipit ſuos ſequaces: Item & Diabolus.*

Immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus, &c. Vide quid facit mundus, & Diabolus figuratus in Laban, quia multa promittit, ſed nulli ſervat promiſſionem, omnes homines fallens in via: & hoc eſt, quia ejus gloria eſt falſiſſima, & vaniſſima, & ideò cum in neceſſitatibus promittit auxilium, præſtat potiùs impedimentum: ergo fuge mundum, ejuſque promiſſiones, alioquin deceptiones ejus non poteris evitare. *fer. 1. de S. Andrea Apoſt. & fer. 1. Dom. 3. quadrag.*

1709. *Iuramentum promiſſorium eſt parium cum paribus.*

Teſtis eſt Dominus, qui præſens reſpicit, &c. Nota, quod hæc conventio inter Laban, & Iacob, & hoc juramentum, quod ambo ſimul fecerunt, fuit promiſſorium, quod fit inter pares circa aliquam rem adimplendam. *fer. 3. de decem præceptis.*



CAPVT XXXII.

1710. *Maximum Dei beneficium, quod in hoc vitæ itinere deputati fuerint ad noſtram cuſtodiam Angeli.*

Iacob autem abiit itinere, quo cœperat: fuerunt ei obviam Angeli Dei. Vide effectus divinæ providentiæ circa hunc virum Dei amicum: Sed attende, quod datur per hoc intelligi, Deum mittere unicuique noſtrum obviam Angelos in itinere hujus vitæ: maximum quidem eſt hoc beneficium, quod ex hoc cuſtodia angelica nobis à Deo confertur. *lib. 2. d. 11. per totum præcipuè a. 2. quæſt. 1. & ſer 17. Hexaem.*

1711. *Caſti ſunt ſocij Angelorum: luxurioſi ſocij Diaboli.*

Caſtra Dei hæc ſunt. Cur Iacob comitivam Angelorum appellavit Caſtra Dei? Nota, quod caſtra dicuntur à Caſtitate, & puritate, per quod denotatur, quod caſti, & puri ſunt veluti Angeli Dei, & Angelorum ſocij in hac, & alia vita: è contra luxurioſi ſunt ſocij Diaboli, & à conſortio Angelorum excluſi. *ferm. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

1712. *Dæmones permiſſi à Deo ad nos tentandum, ſunt Dei miniſtri.*

Caſtra Dei ſunt hæc. Quis crederet, quod non ſolùm Angeli boni, ſed & Dæmones poſſunt dici Caſtra Dei, quia cum omnia Deo ſerviant Angeli boni ad nos mittuntur, ad inducendum nos ad bonum

bonum, & ad subjiciendum nos ipsos Deo: mali verò Deo militant, dum nos tentando, sunt occasio majoris boni, & meriti. *Psalm.118. vers.90.* Et hinc infertur, quod boni, & mali dicuntur castra Dei, etiam homines: sed differenti modo. Nam mali serviunt Deo, quatenus de ipsis Deus facit quidquid vult: boni verò Deo serviunt, quia ab ipsis adimpletur, & fit voluntas Dei. *Psal.34.*

1713. Christus ut Redemptor hominum, & Angelorum Reparator ascendit in Cælum cum duabus turmis, scilicet Angelorũ, & Beatorum hominum: Et hujus mysterij figura præcessit in hoc, quod Iacob in redeundo ad patriam, divisit homines, & jumenta in duas turmas. *op. Comp. Theolog.l.4.c.24.*

1714. Per baculum Crucis Christus transivit ad Patrem; sic dicebat Iacob. *In baculo meo transivi Iordanem. op. Comp. Theol.l.4.c.21.*

1715. *Meditatio dominicæ passionis est dispositio ad celebrandum Pascha, ad receptionem dignam Eucharistiæ.*

In baculo meo transivi. Quid est transire, nisi Pascha celebrare? Ergo baculo debet quis accedere ad Pascha: nempe meditatione Crucis, & Passionis Christi debemus nos præparare ad dignè sumendam Eucharistiam. *opusc. Comp. Theol. lib.6. cap.16.& 17.*

1716. *Duplex ordo Prædicatorum, scilicet bonorum, & malorum invenitur in Ecclesia: Item & duplex ordo hominum, scilicet bonorum, & malorum pascendorum.*

In cujus figura Iacob in transitu Iordanis, divisit homines, & pecora in duas classes: Deus enim etiam utitur ministerio malorum prædicatorum ad pastum ovium suarum. *In Luc.c.19.v.19.*

1717. *Munera excæcant oculos at pulvis, compescantque sæpe iram Potentum.*

Quod noscens Iacob, munera misit ad Esau, ut ipsum erga se redderet placatum. *opusc. Bibl.paup. c.76.& In Luc.c.10.v.11.& sap.c.10.*

1718. *Luctandum est cum Deo exemplo Iacob in oratione, &c.*

Et Vir luctabatur cum eo (scilicet Iacob) *usque mane.* Quæritur quis fuit iste vir luctans cum Iacob tota nocte? Sed Respond. quod iste fuit Angelus repræsentans Personam Dei: quæ lucta, vel fuit manualis, scilicet cum corpore ab Angelo assumpto: vel potiùs spiritualis; Daturque nobis intelligi, quod sicut Iacob cum Deo luctatus est, & quodammodò Deum vicit: sic & nos debemus luctare cum Deo orando, plorando, humilitate, lachrymis, desiderijs piis, & exercitiis spiritualibus, & quodammodò eum compellendo ad concedendum quod petitur: nam Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; nec coronabitur, nisi qui legitimè certaverit: sic enim gloriosior est perceptio gloriæ, & coronæ. *serm.1.Dom.9.post Pentecost. & serm.2. de S.Lucia Virg.& Psal.77.*

1719. *Luctandum est cum Carne, & Diabolo.*

Et ecce Vir luctabatur cum eo. Cur cum Iacob iste Angelus voluit luctare, quod non legitur fecisse cum aliis sanctis? Quia Iacob interpretatur, luctator, & supplantator, & quia egregiè luctavetat contra carnem, & in utero, & contra perfidiam fratris, & contra Laban, scilicet contra Diabolum, triumphans de omnibus inimicis: hinc etiam voluit, ut compleret omne genus luctæ, addens hanc quartam luctam cum Deo. *Psal. 77.* Daturque nobis admonitio, quod si volumus assequi perfectam victoriam, debemus certare fortiter contra carnem, contra falsos fratres nos ad malum provocantes, contra Diabolum, die, noctuque nobis insidiantem. *ser.2.de S.Lucia Virgin.*

1720. *Militantibus, datur benedictio gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera.*

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Cur petit benedictionem à Deo post luctam? quia sciebat, quod militantibus datur benedictio; & ut intelligeremus, quod si volumus benedictionem gratiæ, & gloriæ à Deo, oportet, ut militemus, & pugnemus cum carne, cum Diabolo, & cum ipso Deo. *ser.1.Dom.9.post Pentec. & ser.2.Dom.Trin.& ser.2.de S.Lucia.*

1721. *Deus orationibus Sanctorum quasi tenetur, & veluti ligatur, ne in peccatores suam exerceat Iustitiam.*

Dimitte me, aurora est. Quid est hoc, quod audio? Deus ne tenetur ita ligatus à Iacob, quod indiget veluti humiliter ab ipso petere, ut dimittatur? Oh mira dignatio Dei nostri! qui licèt sit omnipotens, tamen ita vincitur, & veluti ligatur orationibus sanctorum, quod videtur teneri, & suaviter cogi, ne in peccatores irascatur. *l.4.d.45.q.3. q.1.2. & 3. & In Luc.c.16.v.16.*

1722. *Luctandum cum Christo, ut ab ipso impetremus benedictionem.*

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Multi Patres volunt, quod iste Angelus luctans cum Iacob repræsentaret Personam Verbi incarnati: Ex quo addiscere debemus, quod tempore alicujus tribulationis, vel tentationis, & maximè de prædestinatione debemus Christum brachiis cordis amplecti, cum ipso luctare actibus humilitatis, confidentiæ, orationis, &c. & ei fidenter dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, imò confidentiæ confidentiam superaddendo suprà Iacob illum dicere, etiam si appareat aurora, etiam si benedixeris mihi, non dimittam te nunc, & in æternum. *op. stim.div. am.p.3. c.13.* Nota, quod hoc maximè faciendum est nobis in missa, quando elevatur Christi corpus captivum in Hostia: sicut enim quando quis captivus tenetur non dimittitur, nisi det magnam pecuniam; sic & nos fidenter Christo dicere debemus: Mane bone Iesu, & in hac amorosa captivitate non te dimittam, nisi benedixeris mihi, & benedicendo, nisi mihi remissionem peccatorum, & Regnum cæleste conferas. Oh mira pietas Dei, & dignatio Iesu Christi. *op.expos.Missæ c.4.*

1723. *Apparente Maria in mundo, venit ad nos benedictio.*

Dimitte me, quia aurora eſt: & ait: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Cur apparente aurora ſolùm Iacob petiit benedictionem à Deo? Sed nota, quod Aurora eſt Beata Virgo Maria, qua ſurgente, deſcendit ros benedictionis in mundo: Vt diſcas, quod ſi vis benedictionem gratiarum à Deo obtinere, debes recurrere ad Deum mediante aurora; ad hanc accede, & gratia, & gloria repleberis. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 7. & op. ſpec. B. Virg. lect. 13.*

1724. *Sancti à Deo accipiunt nomina ex aliqua prærogativa à Deo ipſis collata.*

Iacob nequaquam vocaberis ſed Iſrael: Iſrael videns Deum, vel Princeps cum Deo. Ex qua mutatione nominis patet, quod Deus ſanctos ſuos ſpecialiter honorat, volens illorum virtutes, & prærogativas præmiare. *in Luc. c. 1. verſ. 47.*

1725. *Prælati, ſi cum Deo orationibus pugnabunt, fortes contra homines, & adverſarios erunt.*

Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? Vide, qualem fiduciam Deus impreſſit in corde Iacob, ne timeret eum Eſau: Ex quo inſtructio datur Epiſcopis, & Prælatis, quod ſi volunt reſiſtere viriliter violentiæ hominum, & adverſariorum, debent prius certare cum Deo fiducia, & oratione. *In c. 6. v. 14.*

1726. *Fide, & pœnitentia mitigatur ſeveritas Dei.*

Si contra Deum fortis fuiſti, &c. Quomodò fuit contra Deum fortis? fuit fortis fide, & actibus pœnitentiæ: ſic enim mitigatur Dei ſeveritas, & inclinatur ad exauditionem. *In Luc. c. 16. v. 16.*

1727. *Non poterit quis videre Deum, niſi prius fuerit Iacob, ſcilicet luctator.*

Non ampliùs vocaberis Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Cur Iacobi nomen fuerit veluti à Deo deletum in hoc viro, & ſubrogatum eſt Iſrael? Iacob, ut dictum eſt, interpretatur luctator, ſupplantator, expectans Deum: Iſrael interpretatur, videns Deum: daturque intelligi, quod enim Iacob poſt luctam cum carne, mundo, & Diabolo, poſt expectationem benedictionis paternæ, & deſponſationis cum Rachele, & mercedis à Laban, cum tantis præcedentibus laboribus, poſtea ad metam pervenerit præmij expectati, & præcipuè divinæ viſionis: Datur per hoc nobis intelligi, quod ad viſionem, tum contemplationis, tum divinæ cognitionis, & gloriæ non poteſt perveniri, niſi poſt luctam, poſt actus pœnitentiales, poſt intentam expectationem. *Pſal. 131. & Pſal. 118. cap. 3. v. 14. & cap. 5. verſ. 3. & ſer. 1. Dom. infra oct. Nativit. & ſer. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & ſerm. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph. & ſerm. 4. Domin. 2. quadrag.* Vnde habetur communiter auctoritas: quod non poteſt eſſe verus Iſraelita, qui priùs non fuerit verus Iacobita. Vgo Cardinalis.

1728. *Nomen Dei ineffabile, & incomprehenſibile, & terribile.*

Dic mihi (ait Iacob) quo appellaris nomine? & reſpondit: Cur quæris nomen meum? Cur Deus ſuo dilecto ſervo nunc non exprimit ſuum nomen? Hoc fuit, quia nomen Dei eſt mirabile, horribile, terribile, & glorioſum. Mirabile quidem, quia omnia judicante, & à nemine judicari poteſt: horribile, ſcilicet gentiliter viventibus: terribile vitioſis, & glorioſum virtuoſis. *Pſalm. 118. cap. 4. verſ. 7.*

1729. *Nomen Sanctiſſimum Ieſu fons omnis benedictionis.*

Quid quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco. Nota diligenter, quod Iacob optans ſcire, & quærens quale ſit nomen Domini cum ipſo luctantis: quaſi reprehenditur ab ipſo Deo dicente, *quid quæris nomen meum?* & ſtatim ſine alio medio ei contulit benedictionem. Cur Deus non reſpondit, ego ſum Deus, ut toties in Sacra Scriptura legitur ab ipſo factum? Præterea, cur ſtatim ei contulit benedictionem, poſtquàm dixit, quid quæris nomen meum? Sed nota verba, ſigna myſteria. Sancti Patres *in Gloſſa* dicunt, quod in hoc factu data fuit imago expreſſa Dominicæ Incarnationis, & quod iſte Vir luctans cum Iacob fuit Verbum Divinum, quaſi indutum corpore: Vnde interrogatus à Iacob de nomine: reſpondit, Cur quæris nomen meum, quod eſt Ieſus: ſed ſufficit, ut in effectibus experiaris virtutem mei nominis per benedictionem, quam tibi confero, & benedixit ei in eodem loco, &c. In confirmationem hujus veritatis mentem, & oculos mitte ad id, quod dicitur *Lucæ cap. 2. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum fuerat ab Angelo prius quam in utero conciperetur.* Nota dicitur, *vocatum*, non impoſitum, quia ab æterno ſibi impoſitum erat, & ante Incarnationem ab Angelo declaratum, & poſtea manifeſtatum in Incarnatione: nomen hoc eſt nomen ſalutis, & benedictionis, nec aliud nomen ſub Cælo datur, in quo poſſit haberi ſalus. Nomen hoc à Prophetis prophetatum eſt nomen virtuoſum, quia ſuperat hoſtes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes: Nomen gratioſum, quia in ipſo fidei fundamentum habemus, ſpei firmamentum, charitatis augmentum, juſtitiæ complementum: Nomen gaudioſum, quia jubilum, in corde, melos in aure, mel in ore, ſplendor in mente: Nomen utique delicioſum, quod paſcit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit ſcriptum, inſtruit factum: Nomen revera glorioſum, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, ſermonem mutis, greſſum claudis, vitam mortuis. O nomen benedictum, à quo venit nobis omnis benedictio. *op. meditat. Vitæ Chriſti cap. 8. & 100. & op. de quinq. ſolemnit. ſolemn. 3. In Luc. cap. 1. v. 21. &c. In Io. collat. 65. op. Comp. Theol. l. 4. a. 12. & l. 3. d. 18. dub. 2.*

1730. *Qui vult ad contemplationem Viſionis divinæ pervenire, debet priùs luctari cum hoſtibus in vita activa.*

Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Quid dicis ô Sancte Patriarcha? ergo ne beatus tunc fuiſti? Poterat ne quis cum hac carne mortali

mortali videre gloriosè Deum? Nota, quod hæc visio non fuit, sicut est visio Beatorum, sed fuit elevatæ, & perfectæ contemplationis: hanc enim confert Deus post luctam vitæ activæ: qui enim luctatur viriliter cum carne, mundo, & Diabolo, introducitur à Deo per somnum contemplativæ ad visionem mysteriorum cælestium. *Op. de septem itineribus ætern. iter. 4. dist. 5. In Ioan. cap. 1. v. 18.*

1731. *In visione mentali Christi crucifixi stat salus nostra.*

Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est Anima mea. Sed quid vidisti? est ne oculus tuus tam purgatus, quod possit Deum videre? Nota, quod vidit Verbum carne indutum, scilicet Christum crucifixum non oculo corporeo, sed spirituali, elevando se à corporeis, & mundanis rebus, & in Deum se erigendo: Vidit, inquam, Christum pœnis afflictum, in quo salutem suam recognovit: Daturq; nobis instructio, quod vita æterna est videre Christum, & hunc crucifixum: debet enim Primò videri pœnis afflictus, ut in nobis omnis carnalitas destruatur. Secundò debet videri omnibus rebus destitutus, ut in nobis destruatur omnis cupiditas. Tertiò humilis, & abjectus, ut in nobis destruatur omnis pompositas. *ser. in Convers. S. Pauli Apostoli.*

1732. *Ex visione Christi crucifixi interna venit omnis refectio spiritualis Animæ.*

Vidi Deum, & salva facta est Anima mea. Quomodò salva Anima? Nonne adhuc tibi restat grandis via, antequam Anima feratur ad videndum Deum in gloria? Nota: dicit *salva facta est Anima mea*: idest repleta dulcedine gloriæ: nempe ex visione Crucifixi omnis refectio spiritualis redundavit in Animam meam. Oh sancta visio, fœlix salus, & refectio. *ser. 1. de S. Thoma Apostolo.* Vide ergo ô Anima, quomodò qui videt, & contemnit mundum deficientem, carnem inficientem, Diabolum seducentem, meretur videre Christum reficientem. *ser. 1. de S. Thoma Apostolo.*

1733. *Alij in via Dei claudicant in bono, alij in malo.*

Angelus tetigit nervum Iacob, & claudicabat pede. Cur voluit Deus, ut Iacob claudicaret pede? Nonne *tertio Regum c. 18. v. 21.* repræhenduntur claudicantes in duas partes? sed nota, quod hic dicitur, quod Iacob claudicabat uno pede. *In 3. Regum.* repræhenduntur claudicantes utroq; pede: quid est hoc? quia alij claudicant in bono, alij in malo: Iusti claudicant uno pede in bono, scilicet non confidentes de se ipsis, & de sua rectitudine, sed innixi totaliter in Deo ambulant super amorem Dei, tenentes alterum pedem veluti suspensum, scilicet amorem mundi: Alij autem claudicant malè utroq; pede, scilicet confidentes in se ipsis, & immersi in amore mundi, prætendunt Deo servire, quod est impossibile. *Psal. 79. & In Luc. c. 14. v. 21.*

1734. *Iudæi uno pede ambulant: Christiani utroq; pede.*

Quam ob causam non comedunt nervum filij Israel. Cur non comedunt de illa parte nervi, qui emarcuit in Iacob? Ut indicetur, quod sicut Iacob claudicabat materialiter uno pede, ita & ipsi claudicant spiritualiter, quia unum Testamentum credunt: Christiani verò, & vetus, & novum recipientes, utroq; pede ambulant. *Psal. 79.*

1735. *Iusti splendent interiùs, nigrescunt exteriùs.*

Et emarcuit nervus, ortusq; est ei statim sol, & claudicabat pede. Nota hæc tria. Primò emarcuit nervus. Secundò dicitur, ortus est ei sol: quomodò ei, & non toti mundo? Tertiò, claudicabat pede quid hæc significant? sed attende mysterium: Iacob per altissimam contemplationem elevatus est in Deum, eiq; ortus est sol, scilicet lumina interiora Animæ redacta fuerunt ad complementum contemplationis: statimq; exteriùs apparuit claudus, & cum nervo corrupto, quia contemplativus: exteriùs quidem niger, & deformis apparet, & interiùs est pulcher, & luminosus, ut sol: ut discas, quod, qui exteriùs vult apparere mundo, numquam interiùs illuminabitur, & videbit Deum. *ser. 20. Hexaem.*

1736. Angeli nos custodientes sua benedictione mitigant tentationes, & fortificant Animam: sicut patet in Iacob, qui fuit fortificatus, & benedictus ab Angelo. *l. 2. d. 11. a. 2. q. 1. in finem.*



CAPUT XXXIII.

1737. *Qui elevatos oculos mentis habet ad Deum, præcavet omnia pericula, & videt quæ sibi sunt necessaria.*

Elevans autem oculos Iacob, vidit Esau venientem, &c. Ad quid notatur hæc oculorum elevatio? Nota mysterium; Iam Iacob ad contemplationem divinorum elevatos fuerat, oculos in Deum fixos habebat, ideò faciliter præcognovit pericula imminentia, & adjutus à Deo, prudenter providet ad salutem sui, & suorum: Ut pateat, quod qui levat oculos mentis ad Deum per fidem, & dilectionem, & amorem, & ipse Deus suos inclinat ad nos, manusq; levat ad nostrum auxilium. *Psal. 122.*

1738. *Prælati onera imponant secundùm habilitates subditorum, compatiendo tamen parvulis, & debilibus.*

Sicut videro parvulos meos posse, sequar vestigia tua, &c. Sic dixit Iacob ad Esau: figuramq; gessit prudentis Prælati, qui subditos debet regere, eisq; onera imponere secundùm habilitates proprias, & præcipuè compati debilibus, & infirmis, imperfectisq; *Op. de sex alis Seraph. cap. 4.*

1739. *Rigor excedens Prælatorum ruina est subditorum.*

Habeo oves, & boves fœtas mecum, quas, si plus in ambulando fecero laborare, morientur. Vide pietatem huius Prælati: Attendant Prælati sensum internum à Spiritu Sancto in his verbis, & advertant, quod non omnia possunt omnes, nec omnes possunt æqualiter esse perfecti; Unde non imponant onera graviora parvulis, & teneris in Christo, quàm valeant portare, nec exigant ab eis,

ea, quæ vires ipforum excedunt:nam qui parvulos imperfectos, & aliquam bonam voluntatem habentes,quafi fœtus in utero,plus urget in exercitio virtutis, quàm fecundùm gratiam, quam acceperunt, etiam illud, quod habent, fuprà vires agitando, extinguunt in eis: Ponite igitur ô Prælati onera, producite ubera, pecora lactate, ut quiefcant: & fi interdum feveritate opus fit, paterna fit, non tyrannica. *Op.de fex alis Seraph.c.4.*

1740. *Chriftus nobis fua propofuit, alia adoranda, alia admiranda, alia imitanda.*

Præcedat Dominus meus ante fervum fuum, & ego fequar veftigia eius. Nota, quod hoc dicere debet quilibet Chriftianus Chrifto magiftro, qui ante nos fuis mirabilibus operibus præceffit, ut nos veftigia eius fequeremur: fed ne decipiaris ô Chriftiane, quia alia funt opera Chrifti folùm à nobis veneranda, & admiranda, nempe quæ refpiciunt eius potentiæ, & fapientiæ fublimitatem, & profunditatem: effet enim præfumptio: Alia propofuit imitanda, nempe opera humilitatis:per hæc debemus ambulare veftigia cum timore filialis reverentiæ,& in hoc eft gloria major Chriftianorum.*fer.1.Dom.4.quadrag.*

1741. *Prælatorum vita eft norma vivendi fubditis.*

Præcedat Dominus meus fervum fuum, & ego fequar veftigia eius. Nota, quod dum eliguntur in Prælatos aliqui à fubditis, dicitur eis, *Præcedat Dominus meus, &c.* Non non folùm verbo, fed magis exemplo debent præcedere fubditos: Tunc enim fecundùm divinæ voluntatis beneplacitum, quando pafcunt gregem fuum fcientia quantùm ad verbum, & doctrina quantùm ad exemplum, quia plus movent operum exempla, quàm verborum.*fer.1.Dom.1.poft oct.Pafche.*

1742. *Idem confirmatur:qualis Prælatus, tales fubditi.*

Præcedat Dominus meus, &c. Nota, quod dicit, *præcedat*,non dicit, loquatur,concionetur, difcurrat:fubdit,*& ego veftigia eius*, non dicit verba, fed veftigia fequar: & hæc eft potiffima prædicatio Prælatorum, quæ ad oculos, non ad aures terminat,fcilicet exemplo vitæ: & ficut Geometra docens pingit in fabulo figurarum demonftrationes, ut quod dicit, meliùs capiatur, fic Prælatus exemplo Chrifti, qui cœpit priùs facere, & poftea docere, debet omnibus virtutum exemplis præcedere:ficut enim de correctis exemplaribus correcta fcribuntur volumina, de corruptis corrupta: fic tenaciùs,fecuriùs, & veriùs inhæret doctrina operum,quàm verborum. *Pfal. 125. & op. de fex alis Seraph.c.6.*

CAPUT XXXIV.

1743. *Curiofitas via eft ad ruinam Animæ.*

Egreffa eft Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius, &c. Nota, quo ordine proceffit hæc Virgo ad malum. Primò dicitur, *egreffa eft, ut videret mulieres*; deinde *oppreffa eft, & corrupta.* Ex quo addifcendum eft, qualiter ex curiofitate eorum,quæ ad proprium officium non fpectant, nec utilia funt, tantùm malum fubfequutum eft: fed mirum non eft:nam Dina fuit filia Evæ,quæ etiam ob curiofitatem vanam cecidit. *Op. Bibl. paup. c. 122.* Curiofitas autem, cum exterius inveftigat vitam proximi, fua intima nefcit, & Curiofi animus, quantò eft peritior alieni, tantò ignarior fit fui.*In Luc.cap.14.v.19.*Noli igitur quærere, quod quifq; dicat, vel faciat,evita curiofitatem, omitte curam,quæ ad caufam tui non pertinet. *Op. Phar. l.3.c.7.*

1744. *Studium affumptum ob curiofitatem diffipat bona Animæ.*

Egreffa eft filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quid ad te ô Virgo pertinet fcire facta mulierum alienigenarum, & idolatrarum? Ecce quod per hoc inftruuntur ftudentes, ne nimis curiofi in inutilibus doctrinis fint, quia magna pars intelligentiæ perditur, vel corrumpitur propter curiofitatem, & tamen nihil pretiofius intelligentia: Curiofitas autem devotionem omnem tollit, quia curiofi funt veluti vefpæ, quæ non habent favum mellis, ficut Apes, nempe vacui laude, & devotione, & fi habeant fplendorem fcientiarum. *ferm.1.Hexaem.& fer.5. op de decem præcep.* Unde ficut ob curiofitatem Dina proftituta eft: fic curiofitas eft proftitutio libidinofa intellectus humani paffim quamlibet veritatem amplexantis, & cum ea adulterantis,avertens Animam ab ijs,quæ funt falutis.*In Ecclefiaft. c.1.*

1745. *Incautus,& curiofus afpectus in maxima mala præcipitat.*

Egreffa Dina filia Liæ, ut videret mulieres, &c. O Dina quid neceffe eft ut videas mulieres alienigenas?quæ neceffitas?quæ utilitas? An fola curiofitate?& fi otiosè vides, non tamen otiosè videris. Serva ô mulier, ô Virgo commiffum, cave prohibitum,ne perdas conceffum:Quid huc,illucq;tam crebro vagantia lumina jacis?fi culpa non eft,culpæ tamen occafio eft, & indicium commiffæ, & caufa committendæ.*Diæta falut.tit.4.c.4.& op.Phar. l.3.c.7.& op fpec.Difcipl.p.1 c. 24. & op. de perfect. Relig.l.1.c.39.& op.Bibl.paup.c.122.*

1746. *Afpectus mulierum curiofus quàm noxius.*

Cum Dinam vidiffet Princeps Sichen Terræ, adamavit eam,& rapuit, & dormivit cum ea. Vide gradus, per quos præcipitatus eft ifte juvenis incautus. Primò afpexit Dinam: Secundò ipfi placuit: Tertiò adamavit:Quartò rapuit:Quintò dormivit cum ea, & vi oppreffit, & tandem mortem cum toto fuo populo incurrit:Ex quo difce,quod oculi prima tela funt libidinis,vifio prima concupifcentia mulieris: & quod mulieris afpectus mortem inducit: fit igitur recto retributionis examine, ut qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori cordis oculo non injuftè cæcetur. *Op. Phar.l.3.c.7. & op.Diæt.tit.4.c.4.*

1747. *Difciplina*

1747. *Disciplina sancta in locutione, & in visu suadetur.*

Egressa est Dina, ut videret: quam cum vidisset Sichen, &c. Quomodò tam præcipitanter prostituta est hæc Virgo? At credendum est, quod cum Dina egressa est è domo, ut videret, & ipsa visa non solùm fuit, sed etiam cum hoc Principe collocata fuerit; sic & Eva non solùm vidit lignum pulchrum visu, sed colloquium habuit cum serpente; ut pateat quale malum sit evagatio oculorum, & mala custodia oris, & oculorum: si igitur ô homo disciplinam non servaveris oris, & oculorum, imitator eris Dinæ, & Evæ, imò & Diaboli. *Op. spec. discipl. p. 1. cap. 14. & op. de perfec. religiof. l. 1. cap. 39.*

1748. *Exitus è Domo alius bonus, alius pessimus.*

Egressa est Dina, ut videret mulieres, &c. Cur damnatur iste exitus tamquam Animæ perniciosus, & origo tot malorum? exitus autem est Abrahæ à Deo præceptus, cum dixit ei, *exi de Terra tua, &c.* quia exitus alius est bonus, & meritorius, scilicet exitus à triplici domo, scilicet à mundo, à carne, & à propria voluntate: mundus est domus carnis: Caro Domus propriæ voluntatis, & propria voluntas domus serpentis: mundus adulatur per occasiones: Caro suggerit per causam, scilicet seipsa, & voluntas captivat per affectum: ex his dabet Anima egredi. *Psal.* 113. Egressus malus, & pessimus est à se ipso per curiositatem, cupiditatem, & nimiam credulitatem, ex quibus omnia mala consequuntur; ut patet in Dina, & in hoc facto. *Op. spec. discipl. & de perfec. religiof.*

1749. *Virginum custodia, & solitudo qualis esse debet: & parentes quantùm in hoc debent esse soliciti.*

Egressa est Dina, ut videret mulieres, &c. Ad quid exis Domo ô Dina sergone sine comite huc, illucq; progrederis? & quomodò tam negligenter à parentibus, & maximè à matre sinitur tam liberè cursitare per vias, & Domos allenigenarum sola? Discite ergo Patres, quàm cautè custodiendæ sunt filiæ vestræ: discite ô Virgines malos exitus, egressus huius Virginis, & ex ipsius lapsu vestros cavete. Virgo, quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis, vore querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu: maturam ergo Virginem mihi priùs gravitas morum nunciet pudore obvio, gressu sobrio, vultu modesto, & pœnitentia integritatis antecedant signa virtutis. *Op. Phar. l. 1. cap. 28. & op. de sex alis Seraph. c. 4.* Sed proh dolor! Virgines nostris temporibus tales non sunt; quæ antè corruptæ sunt, quàm aptæ: portæ sensuum non claudùntur: vallum nullum: omnia indisposita sunt, & oportet, quod nuptui priùs tradantur, quàm ad tempus pubertatis attingant, ne priùs fortè stuprentur, quàm maritis tradantur. *serm. 1. de S. Agnete.*

Prælati tenentur omnes occasiones peccati in subditis evitare.

Dina, egressa est, ut videret, &c. Cur tam liberè sinitur Dina evagari? Id fuit incuria Patrum: Discant hoc exemplo Prælati subtrahere omnes occasiones scandali, opportunitates peccandi suis subditis, maximeq; illorum, qui vacillant in studijs virtutum, ne videant unde infirmentur, & ne sæpe permittant eos extra domum vagari; sed per exhortationes crebras exemplis patientiæ, & duris correctionibus præservent eos, donec convalescant. *Op. de sex alis Seraph. c. 4.*

1750. *Deserens proprium munus, & ad alienum non sibi pertinens attendens, subjicitur tentationibus, & deceptionibus Diaboli.*

Dina egressa est, ut videret mulieres regionis illius. Quid ad te pertinet scire mores, & gesta alienigenarũ mulierum: est ne hoc tuum munus! Hinc quia sua neglexit studia, alienas actiones curans, extra proprium ordinem evagando, correpta est: sic faciunt, qui causa propria derelicta, aliena facta observando, ad id, quod suum non est, divertunt. *In Luc. cap. 14. v. 19. & op. Bibl. paup. cap. 122.*

1751. *Duplex regio, scilicet mundi; & Cæli: In illa ruina, in ista salus invenitur.*

Dina egressa est, ut videret, &c. Cujusnam regionis? Regionis scilicet Sichimorum: mysticè datur intelligi, quod duplex est regio, scilicet mundi, & Cæli: Regio mundi est malorũ, & est longinqua à Deo, regio inquam peccati: Regio Cæli est bonorum, scilicet regio gratiæ, & gloriæ. *Psal. 54.* Qui igitur egrediuntur ad videndum, & imitandum habitatores regionis mundi corrumpuntur à Diabolo: qui ad imitandum habitatores Cæli, à Deo protreguntur, & in fine coronabuntur.

1752. *Mariæ Virginis solitudo contraria Dinæ vagationi, &c.*

Dina egressa est, &c. Vide quale discrimen inter Mariam Virginem, eiusq; imitatrices Virgines, & Dinam, eiusq; sequaces; nam de Dina legitur, quod egressa est ad evagandum, & ideò corrupta: de Maria Virgine, quod mansit in dumo Elisabeth, sedula obsequutrix, non circuiens domos, & vias, ut curiosa investigatrix de cæteris adolescentulis. Discant Virgines ab hac Virgine beatissima. *In Luc. cap. 1. v. 56.*

1753. *Qui ad exteriora dilabitur, facilè traditur à Diabolo.*

Dina egressa est, &c. Nota istam egressionem: Dina est Anima, quæ cum intùs habitat in seipsam collecta immunis est ab omni periculo? At dum egreditur castrum, & domum mentis ad exteriora, in maxima pericula incedit traditionis, & peccatorum. *fer. 2. Dom. quinquagesimæ.* Anima enim cum habeat suum supremum, scilicet rationem spiritus, quantò magis tedit ad interiora, tantò magis ascendit, & approximatur, unitur q; Deo; ergo tantò magis à Deo se elongat, quantò ad exteriora egreditur. *l. 2. d. 8. p. 1. a. 1. quest. 2.*

1754. *Anima*

1754. *Anima carnalis conglutinatur cum carne, & fit tota carnea, & immunda.*

Conglutinata eſt Anima Sichem cum Dina: triſtemq; delicijs dilinivit. Vide effectus peccatorū carnalium: Dina myſticè eſt caro, Sichem Anima: dum enim tentationi ſuccumbit, trahitur Anima deorſum à carne, & per concupiſcentiam incurvatur, fitq; tota carnalis. *Pſal.* 118. *cap.*6. *v.* 1. *& lib.* 2. *d.* 31. *a.* 2. *q.* 1. *corp.*

1755. *Caro, & Anima tamquam duæ ſorores bibent in æternum in eodem Calice, vel Vinum dulcedinis Paradiſi, vel fel Draconum in Inferno.*

Conglutinata eſt Anima eius cum ea. Quid eſt, conglutinata eſt Anima Sichem cum Dina? Conglutinata ſiunt ſcilicet Caro, & Anima tamquam duæ ſorores, & ideò bibent in æternum in eodem Calice iræ infernalis, vel in Calice beatitudinis. *ſer.* 2. *Dom.* 4. *poſt oct. Paſcha.*

1756. *Diabolus conatur vertere ſalubrem triſtitiam in delicias carnales.*

Triſtemq; delinivit blanditijs. Vide qua atte iſte Princeps conatur delinire triſtitiam huius puellæ, quam ſenſit de ſua proſtitutione, nempe blanditijs, promiſſiſq; ut magis ſecum conglutinaretur in fœdo amore: ſic facit Diabolus, qui triſtitiam pœnitentiæ ſemper conatur vertere in dulcedinem voluptatis, proponendo titillationes, delicias, voluptates carnis, quæ tamen in fine vertuntur in fel aſpidum. *ſer.* 4. *Dom.* 2 *poſt oct. Paſchæ.*

1757. *Terra in poteſtate veſtra eſt: exercete, & negotiamini, & poſſidete eam.* Hæc, & alia promiſſa propoſuit Princeps Sichem, ut Iacob, & filij eius permanerent in ſua ditione, & confœderarentur ſimul. Et id fuit figura promiſſionum, quas Diabolus cum arte facit his, quos ad ſuas partes trahere tentat: ſic fecit cum Chriſto, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraverit me, quia mea ſunt, & cui volo, do illa:* Sic enim opponit cupidis, & avaris mundanæ pulchritudinis delectamenta, ut eos inducat in laqueum, & interitum perditionis æternæ. *ſer.* 2. *Dom.* 1 *quadrag.*

1758. *Diabolus omnia nihil exiſtimat, & omnia exhibet oblectamenta pro hominis Anima.*

Tantùm date mihi puellam hanc uxorem. Vide, quomodò Diabolus omnia huius mundi bona promittit pro Anima noſtra: ſic dixit Chriſto. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me, &c.* Sic & *cap.* 14. *Geneſis: Da mihi Animam, cætera tolle tibi, &c.* Vide ſuprà *ad cap.* 14.

1759. *Peccatum eſt ſicut vulnus in corpore: facillimeq; in principio curatur, ſed poſtea ob conſuetudinem, difficillimè.*

Die autem tertio, quando graviſſimus dolor vulnerum erat, acceptis gladijs Simeon, & Levi omnes necaverunt. Cur in tertium diem differunt filij Iacob vindictam de ſuis hoſtibus? quia vulnus in Corpore in principio permittit ſe tangi, & premi, & inveſtigari; ſed poſt tertium diem, non ſine magno dolore tangitur: ſic eſt peccatum in Anima: nam in principio citò curatur, ſed poſtea facta conſuetudine, non permittit peccator ſe per correctionem tangi, cum in profundum venerit. *Op. Diæta ſal. tit.* 1. *c.* 2.

1760. *Correctio Prælatorum facta cum zelo immoderato, & livore, non ſolùm non proficit, imò magis nocet, &c.*

Dixit Iacob filijs ſuis, qui occiderunt omnes Sichimitas: Turbaſtis me, & odioſum feciſtis iſtis habitatoribus, &c. Hoc rectè, & verè dixit ſanctus Vir, videns, quod hæc vindicta fuit non zelo rectitudinis, ſed immoderato, & amaritudinis livore: Per hoc erudiuntur Prælati, ut advertant, quod ſicut nimia pietas diſſolutionem diſciplinæ parturit; ſic & zeli ſtudium, dum plus eſt, quam oportet, in iracundiæ, & aliorum malorum effectum vitium tranſit: Charitas igitur ſit, quæ zelum ſupprimat ſpiritum temperet, & totum ordinet. *Op. Phar.* l. 3. *cap.* 35. *& in Luc. cap.* 9. *v.* 54. *&* 55. *&* l. 3. *d.* 15. *a.* 2. *q.* 3. *corp.*

CAPUT XXXV.

1761. *In corde Altare Deo eſt erigendum, ibi ſua offerre debemus.*

Dixit Dominus ad Iacob: Aſcende Bethel, & habita ibi, facq; Altare Deo. Vide quod Deus poſt tribulationes multas, fecit aſcendere Iacob in Hieruſalem, quæ tunc dicebatur Bethel, & præcepit ei, ut faceret Altare, in eoq; Sacrificium offerre in actionem gratiarum pro tot beneficijs: Nota, quod idem unicuiq; noſtrum dicitur aſcendere in Bethel, ideſt in domum internam mentis, ibiq; fac Altare, ſcilicet erige cor tuum tanquam Altare: quo expurgato ab omni fœditate idolorum, noſtra debemus Deo offerre: Altare enim eſt cor noſtrum. *Pſal.* 25. *& ſerm.* 1. *de ſancto Laurentio. & op. Diæt. tit.* 2. *c.* 6.

1762. *Non poteſt quis ad viſionem, & contemplationem Dei pervenire, niſi prius emundato corde.*

Iacob dixit, &c. Abijcite Deos alienos de medio veſtri, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra: ſurgite, & aſcendamus in Bethel, ut faciamus ibi Altare, &c. Nota hic ordinem iſtum: primò vult, ut abiectis Idolis, fiat mundatio exterior, & interior; poſtea ut omnes aſcendant in Bethel, ſcilicet in Domum Dei, quæ eſt Ieruſalem, ſcilicet viſio pacis, & ibi erigant Altare: quodnam myſterium hic nobis indicatur? Datur nobis intelligentia, quod qui vult videre in contemplatione Deum, debet prius mundare templum cordis ab omni Idolo rerum creatarum: Anima enim contemplativa in ſolo Deo, eiuſq; viſione quieſcit. *ſerm.* 5. *Dom. infrà oct. Nativit.*

1763. *Deus vult totum cor noſtrum, non diviſum.*

Abijcite Deos alienos de medio veſtri, &c. Nota, hæc

hæc dici à Deo singulis nobis, qui volumus ipsi servire: vult enim totum cor, primò ad credendum, scilicet, ut vita à fide, & corde non discordet. Secundò ad pœnitendum, scilicet vult, ut ad contritionem interiorem respondeat satisfactio exterior. Tertiò ad benè vivendum, ideò subdit, & *mundamini, & mutate vestimenta vestra*, scilicet per sanctitatem cordis, & operum. Quartò ad obediendum. Quintò ad orandum. Sextò ad diligendum interius, & exterius Deum. *Ser. 2. Dom. 17. post Pentec.*

1764. *Transitus à vita activa ad contemplativam est à lucta ad visionem Dei.*

Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Vide quod jam prænunciatum fuerat ab Angelo, nunc à Deo in actu exercito conceditur Iacob: nempe post luctam, & tribulationes deducitur ad visionem contemplationis divinæ: sic factum est in seraphico nostro Patre sancto Francisco, sic & cuicunq; viro proficienti in via Dei: post vitam activam intratur in Israel scilicet elevatur in excessum mentis, in quo videt Deum. *Op. itiner. mentis c. 7.*

1765. *Hæretici redeuntes ad Ecclesiam inter filios Ecclesiæ computantur per Baptismum.*

Erant filij duodecim Iacob, &c. Nota, quod filij geniti ex Ancillis computati sunt inter liberos: Ad significandum, quod filij hæreticorum, dum redeunt ad Ecclesiam per Baptismum computantur inter filios Ecclesiæ. *l. 4. d. 30. a. 1. q. 3.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XXXVI.

1766. *Divitiæ temporales inducunt divisionem; spirituales unionem.*

Divites erant valde, & simul habitare non poterant Esau, & Iacob. Cur habitare simul non poterant? quia erant valde divites: sed cur divitiæ impediebant unicam cohabitationem duorum fratrum? Ne mireris: hoc est proprium bonorum temporalium, quia tot portiones oportet facere, quot participantes: ideò alter alteri invidet, quia non potest habere simul, quod alius participat. Non sic sunt bona spiritualia, quæ unitatem, non divisionem generant. *Op. de perfec. Religios. l. 2. c. 17.*

1767. *Lachrymæ eijciunt Diabolum de Anima.*

Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine. Cur notatur hæc inventio facta ab isto Ana? Ana interpretatur sanctificatus, & signat pœnitentem, qui mediantibus aquis calidis lachrymarum, reddit Animam à quacumq; immunditia separatam, veluti; solitariam, & ideò tali aqua calida eijcitur de Anima Diabolus, & peccatum. *Diat. salt. tit. 2. c. 1.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XXXVII.

1768. *Ioseph filij Iacob quanta puritas, & innocentia, &c.*

Ioseph accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo. Ex hoc patet quanta esset justitia, & innocentia Ioseph ex detestatione peccatorum fratrum suorum. *Sap. c. 10.*

1769. *Peccatum contra naturam dicitur pessimum omnium.*

Accusavit fratres suos crimine pessimo. Quodnam erat hoc crimen tam pessimum? Communiter dicitur fuisse peccatum sodomiæ, ut pateat enormitas tanti sceleris. *Ser. 6. de decem præceptis.*

1770. *Qui vult à Deo diligi, debet esse puer.*

Ioseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus adhuc puer. Quomodò dicitur puer, si erat sexdecim annorum, & non potius adolescens? Puer quo ad simplicitatem in intentione, amicabilitatem in operatione, tractabilitatem in cognitione, & humilitatem in conversatione; istiq; à Patre Deo diliguntur. *In Luc. cap. 18. v. 16.*

1771. *Ordo in correctione qualiter servandus.*

Accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo. Cur non servavit ordinem à Domino institutum in correctione? Cur immediatè accusavit fratres, & non prius eos correxit inter se, & ipsos? Quia ordo impositus à Deo, est ut prius fiat correctio inter corrigentem, & peccantem, deinde coram testibus, & tandem apud Ecclesiam, est congruitatis tantum, scilicet quando est spes emendationis, & majoris boni: sed si est timor majoris mali, & maximè incorrigibilitatis, vel odij, tunc immediatè deferendum est peccatum Prælato, ut fecit Ioseph. *In Luc. c. 17. v. 3.*

1772. *Verbum indutum est à Patre veste humanitatis.*

Fecitq; ei Pater Tunicam polimitam. Idest unionem colorum. Hoc fuit figura Incarnationis dominicæ: Pater æternus enim induit Filium suum Tunica nostræ humanitatis varijs partibus, & passionibus subjecta. *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 5. & ser. 2. Dom. Palm.*

1773. *Ecclesia est Vestis Christi.*

Fecitq; ei Tunicam polimitam. Hæc mysticè est Ecclesia: quæ facta est ex multis filis, scilicet fidelibus, hacq; induitur Christus, & gloriosus comparet. *Psal. 135. In Io. c. 19. v. 25.* Ecclesia autem est pulchra vestis fide, spe, & charitate, pulchra in conjugatis, pulchrior in viduis, & pulcherrima in Virginibus. *Ser. 6. in rogat.*

1774. *Ex invidia oritur odium.*

Oderant eum, &c. Vide, quod fratres oderant Ioseph: quod odium ortum est ex invidia, quam in fratrem habebant. *Centil. p. 1. ser. 19.*

1775. *Singularitas amoris in subditum aliquem evitanda à bono Prælato.*

Videntes autem, quod à Patre plus amaretur, oderant eum, &c. Vide, quomodò singularitas dilectionis

 indignationem,

Indignationem, & invidiam generat in alios: Ideò diligenter est à Prælatis cavenda. *Op. de sex alis Seraph.c.6.*

1776. *Mali oderunt, & persequuntur semper bonos.*

Oderant eum, &c. Cor oderant qoia erant perfidi & pessimi, & Ioseph optimus: mali enim semper oderunt bonos, eosq; persequuntur; Idq; fuit figura odij Iudæorum in Christum. *In Luc.c.21.v. 17.& In Ioan.c.15.v.21.*

1777. *Mali Christiani persequuntur Christum.*

Oderant eum, &c. Nota, quod Ioseph Christum significat, fratres eius malos Christianos, daturq; intelligi, quod mali Christiani persequuntur Christum. Hi enim perfidam legationem peccatorum suorum, & malorum operum mittunt, quibus Dominum suum Christum abijciunt, & super se regnare nolunt. *fer.3.Dom.inf.oct. Ascens.*

1778. *Creaturarum omnium productio insinuat generationem Verbi Divini.*

Vidi Solem, & Lunam, & stellas undecim adorare me. Sic dicebat Ioseph figura Christi geniti ex Patre: nam sol, idest spiritualia, Luna, idest temporalia clamant Verbum genitum, & ideo undecim stellæ, adorabant Christum sanctum. Nam omnis generatio creaturarum est, vel per diffusionem, ut splendoris à luce, caloris ab igne, fluvij à fonte, imbris à nube: vel per expressionem, ut speciei ab objecto, imaginis à sigillo, sermonis à loquente, & cogitatus à mente: vel per propagationem, ut germinis à semine, prolis à ventre, arboris à radice, quæ omnia indicant generationem Verbi, ablata quacumq; imperfectione. *fer.11.Hexaem.*

1779. *Omnes creaturæ Deo fideles sunt, excepto homine, qui contra Deum solus est rebellis.*

Vidi Solem, & Lunam, & stellas undecim adorare me, &c. Cur undecim, & non duodecim stellæ ipsum adorant? Nota, quod hic est Christus, qui ab omnibus creaturis adoratur significatis in undecim generibus generationum, & in sole, scilicet in bonis spiritualibus, & in Luna, scilicet in temporalibus: quem omnes creaturæ recognoscunt, cui fideliter obediunt, solo homine excepto, qui cum omnia propter ipsum facta sint, & Deus est humanatus, tamen incedit adversus Deum, nec ei obedire dignatur. *fer.11. Hexaem, & fer. 1. de uno Confessore.*

1780. *Qui Deum deserit ob creaturarum amorem, procedit errans in agro huius mundi.*

Invenit eum vir errantē in Agro. O infelix Ioseph! Cur ambolas errando per Agrum? quia discesserat à Patre, quia quærebat fratres suos in desertis: Vide figuram patentem stultorum, qui Deum deserentes, currunt per vias creaturarum ad delicias, & voluptates mondi: Isti procedunt errantes in vita sua: O quot inveniuntur ab Angelis sic errantes! *fer.1.Dom.5.post oct.Epiph.*

1781. *Conspiratio, & amicitia malorum in bonos, & Iudæorum in Christum præfigurata in conspiratione fratrum Ioseph: quàm Deo detestabilis.*

Mutuo loquebantur, &c. Vide quid facit invidia in corde istorum fratrum Ioseph, quia enim ei invidebant, jam etiam oderant illum, & hinc excæcato corde, conspiraverunt in ipsum mutuo sermone provocantes seipsos ad malum: Idq; fuit figura eorum, quæ fecerunt Pharisæi, & Iudæi in Christum. *In Luc.c.6.v. 11. & 18.* Et talis est amicitia malorum, quæ est pessima: nam malum adiutum malo, totum magis fit malum. Quot igitur sunt tales in mundo, qui cum perficere sua mala vota non valeant, alios perversos associant, ut sic, quod cupiunt, ad complementum adducant. *fer. 10. de Apostol.*

1782. *Mali in malum conglutinati habent sua invitatoria ad malum provocantia, quibus respondet Iudex Christus: Discedite à me, &c.*

Venite, & occidamus eum, & mittamus eum, &c. Si jam isti fratres mutuo conspiraverant in Ioseph, cur addunt, venite, invitantes se mutuo? sed notandum, quod sicut in Ecclesia Dei sunt diversa invitatoria secundùm diversitatem festorum, sic & in synagoga Diaboli habent enim superbi invitatorium vanitatis, habent & invidi invitatorium iniquitatis, ut isti fratres, sic & avari, &c. *Sap.c.2.* sic & Iudæi volentes occidere Christum.

1783. *Pastorum, & Prælatorum tria genera sunt in Ecclesia, bonorum, & malorum.*

Mutuo loquebantur, &c. Notandum, quod inter hos fratres quidam volebant occidere Ioseph, quidam abscondere in Cisterna sicca, & quidam volebant ipsum vendere mercatoribus: per quod significatur mysticè, quod duo sunt genera Pastorum malorum in Ecclesia conspirantium contra Christum: & unum bonorum: Qui enim malè vivunt, & male docent, occidunt in Christo Animas fratrum: qui abscondunt frumentum verbi Dei, nolentes prædicare, & docere, ut tenentur, abscondunt Christum in Cisterna veteri sicca, seu, corde arido, & compassione fraterna nudato: qui volunt salvare Ioseph, vendendo ipsum, scilicet propter Christum prædicando, sicut boni Prælati salvantes Animas, & saluti earum incumbentes, &c. *Op.Phar.lib.1.c.11.& 12.14 & 17.*

1784. Christi passio præfigurata in persona Ioseph, qui fuit à fratribus venditus, nudatus, illusus, occisus, & positus in Cisterna: sic & Christus. *fer.3.inParasceve.op.Comp.Theol.l.4.c.5.& l.6.c.17.In Io.cap.18.v.12.& c.4.v.25.& In Luc. cap. 18.v.32.& c.22.v.5.& cap.23.v.33.& c.24.v.27. In Io.c.19.v.6.& op.lignum vitæ.*

1785. *Christus noster frater, & Caro.*

Frater enim noster, & Caro nostra. Hoc dicebat Ruben de Ioseph, qui cum esset figura Iesu Christi, dat nobis intelligere, qood Christus, cum sit noster frater, & caro nostra, ad ipsum possumus confidenter confugere in nostris necessitatibus. *Op.de dono Intell.c.6.& in sapientia c.5.*

1786. *Invidia*

1786. *Invidia est fera super alia vitia pessima.*

Fera pessima devoravit Ioseph. Quæ est hæc fera pessima, nisi invidia: quia cætera vitia opponuntur uni virtuti, invidia verò omnibus bonis, & virtutibus contrariatur. *Dict. tit.* 1.*cap.*4.*In sap. cap.*6.

1787. *Humanitas Christi exponitur ab Ecclesia in Cruce ad conspectum Patris scissa quinq; vulneribus ad impetrandam misericordiam.*

Vide, si tunica filÿ tui est, an non? Sic miserunt fratres Ioseph ipsius tunicam sanguine madidam, & discissam ad Patrem. Nota, quod idem fit in Ecclesia de Christo, cuius, scilicet Humanitas in Cruce exposita ostenditur Patri discissa quinq; vulneribus, & madida sanguine, ut ipsum ad pietatem moveat. *Op.Comp.Theol.l.*4.*cap.*5.*op.Lignum Vitæ.*

1788. *Humanitas Christi exposita fuit per odium à Iudæis in Cruce Matri Virgini, & à nobis itidem exponitur ad misericordiam impetrandam.*

Vide, si tunica filij tui sit, &c. Accipe hæc Verba, & vide Matrem Virginem ad pedes Crucis stantem, & audi Angelos, vel sanctum Ioannem sic cum Maria alloquentem: Idem & nos dicere debemus: Vide ô Maria mater misericordiosissima Vestem humanitatis Christi in tuis castissimis visceribus opere Spiritus Sancti contextam: & una cum ipso confugientibus nobis ad te, veniam postula, ut digni habeamur effugere ab ira ventura. *Op.lignum Vitæ.*

CAPUT XXXVIII.

1789. *Gentilitatis status ante Christi adventum quam infelix.*

Thamar mutata habitu in bivio sedit. Thamar ista erat nurus Iudæ, & vidua, & descendebat ex gentilitate, seq; induerat habitu meretricio, ut Iudam socrum suum ad concubitum traheret; significatq; statum gentilitatis infelicem, quæ in bivio sedebat, scilicet, non unam fidei, viæq; viam tenebat, sed pluribus erroribus in habitu veluti meretricio deserviebat non uni superstitioni, sed pro libito immundorum spirituum sectabatur errores. *In Luc.c.*19.*v.*33.*&* 34.

1790. *Non omnis ignorantia, & error excusat à peccato.*

Quam, cum Iudas vidisset, suspicatus est esse meretricem, &c. Nota, quod hæc suspicio excusavit quidem Iudam ab incestu, non verò à fornicatione, quia non omnis error, & ignorantia excusat à peccato. *Psal.* 118.*s.*3.*v.*7.

1791. *Gentilitas in conversione ad Christum præcessit Iudæos, fuitq; præfigurata in ortu duorum filiorum Iuda, & Thamar.*

Instante partu apparuerunt gemini in utero, &c. Nota mysterium pulchrum: In his duobus filijs significantur duo tempora novi Testamenti, scilicet vocationis gentium, & Iudæorum. Zatam autem primò ex utero extendit manum ad quam obstetrix ligavit coccinum, qui retraxit postea manum, & rumpendo membranas, exivit prius Phares: significaturq; quod Iudæi primò crediderunt, & postea retraxerunt manum in primitiva Ecclesia; & sic exivit Phares, scilicet vocatio gentium: sed postea in fine mundi. Populus Iudæorum convertetur ad Christum. *fer.*16.*Hexaem.*

CAPUT XXXIX.

1792. *Fidelitas Ioseph Patriarchæ erga Dominum suum mirabilis.*

Quomodo possum facere hoc malum, & peccare in Dominum meum. Vide inter tot mirabiles virtutes huius Iusti, quàm admiranda fuerit eius fidelitas in Dominum suum. *ferm.* 18. *Hexaem.*

1793. *Christus præfiguratus in Ioseph, qui reliquit pallium in manu fœmina.*

Qui relicto pallio in manu eius, fugit, &c. Nota, hic est Christus, qui reliquit vestimentum humanitatis in manu Synagogæ, magis eligens spoliatus à carnis pallio in carcerem mortis descendere, quàm adulterinæ plebis acquiescendo voci temporaliter gloriari. *Op. Lignum Vitæ.*

1794. *Religiosus debet nudus sequi Christum nudum.*

Et relicto pallio in manu fœminæ fugit. Oh quam digna figura eorum, qui ad Religionem confugiunt, qui relinquentes pallium, scilicet omnia; nudi nudum Christum sequuntur. In hocq; stat summa sequelæ Christi. *Op. expos. Reg. c.*2.*& in Luc.c.*5.*v.*28.

1795. *Deus in extrema necessitate in se confidentem etiam miraculosè adiuvat.*

Tradidit Ioseph in Carcerem, &c. Vide in quas angustias redactus sit innocens Ioseph: postquam enim venditus fuerat à fratribus. Dum gratia Principis fruebatur, ecce, quod in carcerem detruditur: At divina providentia in hoc facto maximè enituit: nam mediante hac carceratione, & tribulatione evectus est ad sublimitatem gratiæ Regis super omnes ministros eius: *In sap.c.*16.

CAPVT XL.

1796. *Omnes homines in hac vita vivunt veluti vincti in carcere, & afflictione, ſed cum differentia exitus finalis: quia non pœna, ſed cauſa facit martyrem.*

Et miſit eos in carcerem Principis militiæ. Nota, quod in iſto carcere erant tres captivi, ſcilicet Ioſeph, Pincerna, & Piſtor Regis. In Ioſeph innocentes: In Pincerna, qui peccavit, & liberatus eſt, pœnitentes: In Piſtore, qui peccavit, & ſuſpenſus eſt, impœnitentes ſignificantur: Daturq; intelligi, quod omnes homines, quicumq; illi ſint, vivunt in carcere, & afflictione huius vitæ, ſed cum differenti exitu finali: Idemq; oſtendit Chriſtus in Calvario: nam ſicut in monte Calvario tres Cruces, & tres crucifixi erant: Prima Latronis obſtinati: Secunda Latronis confitentis: Tertia Chriſti Innocentis ſine culpa pœnam ſuſtinentis: ſic in hoc mundo tria ſunt genera hominum: quidam enim macerant carnem pro peccato, & non prodeſt, quia non pœnitent: Alij macerant carnem pro peccato, & prodeſt, quia pœnitent: Alij macerant carnem nullum peccatum habentes: Prima pœna eſt Diaboli, eiuſq; martyrum. Secunda eſt iuſtorum pœnitentium. Tertia eſt Innocentium: hi duo ultimi tandem ad gloriam perveniunt: ſed primi inchoant Infernum in hac vita, in Inferno in æternum cruciandi: Nec id eſt mirum, quia ſecundum rectam philoſophiam, manet diſſimilitudo paſſorum ſub ſimilitudine paſſionum: quia ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula paleæ comminuuntur, & frumenta purgantur: ſic una & eadem vis irruens nos probat, purificat, eliquat: malos damnat, & vaſtat, & exterminat: quæ omnia facit non varia actio, ſed diverſa cauſati diſpoſitio: nec paſſiones de ſe ſunt meritoriæ, ſed ſolùm ex cauſa movente, & ea voluntate ſuſtinente. *ſer. 4. de Vno martyre, & Pſal. 21. & ſerm. 2. de S. Andrea. & ſerm. 1. feria 3. Pentec.*

1797. *Mundi bona ſunt ſomnium, & umbra.*

Somnium vidimus, & non eſt qui interpretetur nobis, &c. Somnium vidiſti? ſed quid eſt ſomnium? Nonne eſt phantaſma apparens, & decipiens ſenſus, & imaginationem? quid ergo vidiſtis? ſed hic diligenter eſt notandum, quod duplex inſomnium proponitur: aliud Piſtoris, qui tandem ſuſpenſus obijt: aliud Pincernæ, qui liberatus eſt: ſignificatq; duplex ſomnium, ſcilicet bonorum, malorumq; mali enim in carcere huius vitæ ſomniant, credentes, hanc vitam tranſitoriam, & vanam eſſe feliciſſimam: ſicut enim in ſomno eſt vanorum ſomniorum multiplicatio, & inanis lætificatio, & ſine cauſa contriſtatio, & malorum imminentium ignorantia, & inconſideratio: ſic accidit malis, qui ſe in his rebus caducis mundi ſe immergunt. Concupiſcentia enim carnis eſt præſtigiatrix ſenſuum, quia ſenſibus oſtentat pulchra, occultat vilia, & turpia, deludens ſenſus ſpirituales, & oculum rationis, obſcurando bona Animæ ſpiritualia, & eſt ſophiſtratria mentis, quia ſuis vilibus mercibus occultat onera ſub honoribus, pericula ſub dignitatibus, dolores ſub delicijs, languores ſub divitijs, & tamen omnia ſunt vanitas, omnia pertranſeunt, omnia evolant, omnia ſicut fumus evaneſcunt. Væ igitur, qui amant talia. *In Ioan collat. 51. & ſer. de Animab. purgat. & op. de contemptu ſaculi.*

1798. *Somnium bonorum facit videre res, ſicuti ſunt.*

Aliud ſomnium Pincernæ: Videbam coram me vitem, &c. Nota, quod in hoc ſomnio verè iſte Pincerna vidit ſuam liberationem, & exaltationem, ſignificatq; ſomnium bonorum: Illuminati namq; à Deo vident, & noſcunt res ſicuti ſunt, nempe nulla eſſe tranſitoria ex fine penſant, qui hanc vitam miſeram, & omnem afflictionem temporalem propter Deum reputant ſomnium: ideò omnia iſta caduca abhorrentes, ſolùm ad cæleſtia aſpirant. *Op. de contemptu ſeculi.*

1799. *Contemplativorum ſomnium quam dulce, & utile.*

Videbam coram me, &c. Nota, quod in hoc inſomnio iſte vir vidit ſuam liberationem, & exaltationem apud Regem: Talis eſt ſomnus Contemplativorum veluti illorum, qui incipiunt dormitare, videntur tamen ea, quæ circa ſe fiunt aliquo modo ſentire, & intelligere, ſed pro ſapore non advertunt, niſi velint ſibi vim facere, ut ad ſe plenius revertantur. Amor enim Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem, & ab exterioribus abſtractam ſua virtute Deo conglutinat, & coniungit; & quantò Amor vehementior, & intelligentior, & lucidior eſt, tantò vehementius mentem in ſe rapit, quorum tandem omnium, quæ ſub Deo ſunt, plenè oblita in ſolo contemplationis divinæ radio liberè figatur, licèt breviter veluti in quodam ſomnio, idest coruſco luminis cælitus emicantis, quia Corpus aggravat Animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſuum multa ſimul cogitantem, revocans Animam ad ſe ipſam: Unde poteſt dicere: *ego dormio, & cor meum vigilat*: Oh virtuoſum vinum, dulce ſomnium, ſuavis ſomnus. *Op. de Perfect. religioſa l. 1. c. 72.*

1800. *Pœnitens per imitationem operum pœnalium Chriſti extrahit dulcedinem cæleſtem.*

Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim, &c. Nota quod hoc fuit ſomnium præpoſiti pincernarũ Regis Ægypti, qui in carcerem detruſus eſt, &c. quod ſomnium fuit expoſitum à Ioſeph, qui prædixit eius liberationem, &c. Hoc ſomnium exponitur myſticè tali pacto: Vitis hæc eſt Chriſtus habens tres propagines, ſcilicet naturam humanam, divinam, & corporalem: proponitur autem hæc Vitis onuſta dulcedine Paradiſi pœnitentibus, qui relinquentes humanas, & mundanas conſolationes, ſeſeq; applicantes operibus pœnitentialibus, colligunt ex hac Vite divinas conſolationes, & dulcedines. *In Ioan. collat. 67.*

1801. *Qui Christo non manet unitus, humorem gratia, & vita non potest habere.*

Videbam vitem habentem tres propagines, &c. Vitis est Christus. Nota, quod istæ propagines emiserunt flores, & fructus, eo quod junctæ erant viti: Daturque intelligi, quod qui non manet unitus Viti Christo, non poterit recipere humorem gratiæ, & vitæ: In solo enim Christo est vita. *In Io.collat.67.*

1802. *Quale vinum amoris divini exprimatur ex corpore Christi.*

Videbam vitem tres propagines habentem. Iam dictum est, hanc vitem esse Christum: Tres propagines esse corpus, animam, & Divinitatem. Nota ergo quale vinum exprimatur ex singulis propaginibus: Et primò ex corpore: scilicet ex meditatione beneficiorum, quæ nobis corpore exhibuit in Incarnatione, in passione, & in communione sui corporis: si enim fructus hujus propaginis colliges, & exprimes, mitæ dilectionis vinum percipies in calice mentis tuæ. *serm.3. Dom.1. post oct. Epiph.*

1803. *Vinum dulcissimum ex propagine Anima Christi.*

Secundò, ex secunda propagine, scilicet Animæ collige fructus beneficiorum, quæ nobis per Animam exhibuit, nempe relinquendo corpus in Eucharistia, ut esset Animæ nostræ hospitium perpetuum; Item, & educendo Animas ex Inferno, & pro nobis continuè interpellando in Cælis. Ex horum meditatione, vinum item divinæ dilectionis percipere poteris. *ser.3.ibidem.& in Io.collat.13.*

1804. *Vinum dulcedinis divina ex Divinitate Christi.*

Tertiò tertia propago Christi est Divinitas, ex qua tot beneficia corporalia, spiritualia, & æternalia nobis prodierunt a Christo: Si hæc exprimes meditatione, vinum item dulcedinis æternæ percipies, & vitam cælestem habebis. *serm.3. Dom.1. post oct. Epiph.*

1805. *Fides Trinitatis beata meditata, vinum dulcissimum Anima confert.*

Videbam vitem tres propagines habentem. Nota mysticè: Hæc vitis est fides de tribus Personis divinis, de qua meditata exprimitur Vinum æternæ jucunditatis in præsenti, & postea in cælesti gloria. *ser.2.Dom. Trinit.* Nota autem, quod hic tibi proponitur ô Anima mare magnum: nempè Vnitas, Attributa, perfectiones divinæ, & infinita motiva, ex quibus jucundari, & fruitionem cælestem percipere poteris.

1806. *Ex vite pænitentia exprimitur vinum mirabilis virtutis.*

Videbam vitem tres propagines habentem. Nota, quod mysticè potest dici pœnitentia vitis habens tres propagines, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem; cujus fructus sunt lachrymæ, quæ emittunt vinum, quod receptum in calice Animæ habet vim mirabilem sanativam Animæ, purificativam vitæ, & confortativam spiritus: Hoc vinum est charitas, quo valde delectantur Angeli sitientes salutem peccatorum *ser.3.Dom.12.post Pent. In Io.collat.13.& in Luc.c.13.vers.33.*

1807. *Evangelica doctrina vinum expressum à Christo dulcissimum.*

Videbam vitem, &c. Iam dictum est, Christum esse hanc vitem habentem tres propagines, ex quibus fructus, & vinum dulcissimum expressum est: suavia enim dicta, quæ salvator prædicavit sunt uvæ hujus vitis, ex quibus expressit vinum Evangelij: bonum quidem vinum: Vinum enim est liquor purus, sapidus, clarus, salubris, virtuosus, manans de vite: Et Evangelium est vinum sapidum sano palato, & jucundum, bonum ob generositatem vitis, ob solis cælicam irrorationem, ob temperatam maturitatem, ob omnis impuritatis segregationem: Hoc vinum posuit Christus in mensa Ecclesiæ nobis potandum ad degustationem cælestis jucunditatis. *In Io.collat.13.*

1808. *Tria vota religiosa sunt tres propagines, & tres dies post quos Iustus restituitur in regnum caleste.*

Tres propagines sunt tres dies, post quos, &c. Nota, mysticè tres dies sunt tria vota religiosa, castitas, obedientia, & paupertas, post quos tres dies vir ea in carcere vitæ observans, restituetur in vitam æternam. *In Luc.c.13.v.33.*

1809. *Tres vita spirituales, scilicet purgativa, illuminativa, & unitiva sunt medium perveniendi ad statum perfecta amicitia cum Deo.*

Tres propagines sunt tres dies, &c. Nota mysticè hi tres dies sunt tres viæ, scilicet purgativa, illuminativa, & unitiva, per quas debet vir justus ambulare, & tandem pervenire ad vitam æternam. *In Luc.c.3.v.33.*

1810. *Trina dissolutio cordis, gula, & tactus ad pœnam aternam conducunt.*

Tres adhuc dies, post quos auferat Pharao caput tuum, &c. Hoc dixit Ioseph Pistori Regis, qui educatus è carcere suspensus est: Mysticè per hos infaustos dies intelliguntur cordis dissolutio, oris voracitas, & tactus voluptas, per quæ ad suspendium Inferni ducitur Anima in his immersa. *Psal. 118.c.8.v.8.* Cave ergo ô miser peccator in carcere culpæ detentus, in his vitiis involutus: nam si non emendaveris vitam tuam pessimam, laqueus mortis æternæ tibi est paratus.

1811. *Crux pœnitentia facit redire in gratiam divinam peccatorem.*

In die tertio magister pistorum suspenditur, & magister pincernarum in gratiam restituitur. Datur per hæc intelligi, quod non potest aliquis vivere, & redire in gratiam supremi Principis, nisi aliter suspendatur in Cruce: sic in homine est corpus, & Anima velut in carcere hujus vitæ: debet autem suspendere in Cruce pœnitentiæ corpus, sicque spiritus in gratiam Domini pristinam restituit. *ser. 2. Domin. infrà octav. Epiph.*

1811. *In adversitatibus recordamur, in prosperitatibus obliviscimur beneficiorum Dei.*

Et succedentibus prosperis præpositus Pincernarum oblitus est interpretis sui. Vide quam sit verum, quod in prosperitatibus recalcitramus obliviscentes beneficiorum Dei, & gratitudinis debitæ Deo: E contra in adversitatibus recordamur eorundem, &c. *Psal.118.c.10.v.9. In Eccl.c.9.*



CAPVT XLI.

1813. *Visiones imaginariæ à Deo provenientes non sunt signum evidens sanctitatis, & prædestinationis.*

Post duos annos vidit Pharao somnium. Nota hoc somnium fuisse visionem imaginariam, & præsagium futurorum: sed dubitatur, ergone huic impio concessæ fuerunt visiones à Deo propheticæ? maximè, ut videas, hæc dona esse gratis data, communia bonis, & malis: ne ergo ex his, & similibus gratiis homo se credat habere inditium certum sanctitatis. *op. de perfectio. religios.l.2.c.74.75. & serm.3. Hexaem.& In Ioan.c.11.v.51.* Vide ergo, quod non qui dicit Domine Domine intrabit in regnum, sed qui fecerit voluntatem Patris.

1814. *Christi resurrectio gloriosa præfigurata in eductione Ioseph à carcere.*

Eductum Ioseph de carcere totonderunt, ac veste mutata, &c. Nota, hic fuit figura Iesu Christi, qui eductus de carcere in die resurrectionis, attonsus est ablata ei coma mortalitatis, vestitus gloria constitutus est Dominus totius mundi. *op. Comp. Theolog.l.4.c.23.& op. lignum vitæ.*

1815. *Deus in se confidentes numquam deserit, eisque subvenit in tempore opportuno.*

Eductum Ioseph de carcere totonderunt, &c. obtulerunt Regi. Vide ordinem divinæ sapientiæ, & providentiæ in hoc facto, effectusque confidentiæ Ioseph in Deum: nam tali ordine mirabili processit liberando eum à macula infamiæ, mendacea ostendens uxorem Putiphatis, & ejus servos, qui omnes postea recognoverunt errorem suum: Deus enim nunquam deserit in se confidentes. *In Sap. cap.10.*

1816. *Nunc Ecclesia Dei abundat frumento Verbi Dei: tempore Antichristi patietur penuriam.*

Septem anni erunt fertilitatis, & postea sterilitatis. Hoc somnium fuit præsagium futurorum, non solùm pro illo, sed & pro novissimo tempore in Ecclesia, in qua modò est maxima copia verbi Dei: sed tempore Antichristi erit fames Ægyptiaca. *fer. 3. Dom.1. post Pentec.* Ex quo infertur, quod ubi abundat prædicatio Verbi Dei, ibi est copia omnium bonorum, ubi deficit, ibi potissimum signum iræ divinæ.

1817. *Idem confirmatur.*

Septem anni fertilitatis, & septem anni sterilitatis, &c. Vide, quo ordine hic proceditur ab abundantia frumenti ad sterilitatem omnia destruentem: mysticè datur nobis intelligi, quod ubi est abundantia prædicationis verbi Dei, ibi omne bonum: ubi deficit, ibi fames destruans omnia bona: sic & legitur de prodigo filio, qui invenit famam devastantem illam regionem, in quam abierat: meritò enim iste egere cæpit, qui thesauros scientiæ Dei, divitiarumque cælestium altitudinem dereliquit: sic enim sapientia adveniente, veniunt omnia bona pariter cum illa, ipsa abeunte, omnia bona recedunt, & supervenit egestas. *In Luc.c.15.v.14.*

1818. *Septem vitia capitalia in Animam advenientia, septem dona Spiritus Sancti, & septem virtutes, scilicet Cardinales, & Theologicas, dissipant.*

Septem boves pingues, &c. postea septem tenues deformes, quæ priores consumpserint, &c. Nota, quod, ut dictum est, hoc fuit præsagium futurorum, quæ eventura erant in nobis: nam per septem boves pingues intelliguntur, ait Glossa septem virtutes, scilicet quatuor Cardinales, & tres theologicæ, vel septem dona Spiritus Sancti: Sed quomodò visa sunt hæc consumpta à septem bobus macilentis, & squallidis? quia istæ repræsentant septem vitia capitalia contraria donis, & virtutibus Spiritus sancti: nam sicut per donum timoris introducitur virtus humilitatis, & donum pietatis proximum ad se dulciter invitat: donum scientiæ hominem interius pacificat: donum fortitudinis vigorem mentis ad operandum tribuit: donum consilij thesauros cælestes sapienter inquirit: donum intellectus reficit mentem cælestibus deliciis: donum sapientiæ totum hominem castitati, & libertati restituit: E contra superbia aufert hominis Deum destruendo humilitatem: invidia contra pietatem aufert homini proximum: ira contra donum scientiæ aufert seipsum: tristitia, & accidia contra fortitudinem spoliatum flagellat: avaritia contra donum consilij flagellatum ejicit: gula contra donum intellectus ejectum seducit: luxuria contra sapientiam seductum senectuti subjicit. Vide igitur quod tanta bona homini data in Baptismo valuti devorantur à vitiis ab homine introductis. *op. de septem donis cap.3.*

1819. *Tempus aliud est custodiendi facultates, & aliud eas erogandi.*

Nunc ergo provideat Rex virum sapientem, & quintam partem fructuum congreget in horrea. Vide, quomodò Ioseph à Deo illuminatus non solùm interpretatur somnium, sed & consilium Regi dat, & non tantùm ipsi Regi, sed & toti regno utile, nempè ut congregaret partem fructuum superabundantium pro tempore futuræ egestatis: Per hoc datur intelligi, quod tempus est aliquando custodiendi divitias, & tempus eas erogandi, nempè tempore necessitatis, hoc enim exigit vera prudentia, & providentia. *In Eccles. cap.3.* Non propter hoc dives divitias accepisti, vel eas conservare debes, ut thesaurizes, vel ut in lasceivia consummas, sed ut in eleemosynam expendas: Nunquid

quid enim tua sunt, quæ habes? Quæ pauperum sunt bona, tibi credita sunt, etiam si ex laboribus justis, vel ex hæreditate paterna possessor factus fueris. *epist.Phar.lib.1.cap.43.* Et Ioseph apud fratres suos persecutiones patitur, apud extraneos honoratur? Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua: Id patet in persona Ioseph, qui à Rege Pharaone ad summum Principatum post ipsum sublimatus est; Id in Christo etiam, ut patet. *in Luc. cap.4.v.25.*

1820. *Spiritus Sanctus apertè non est revelatus in veteri testamento, sed reservatum id fuit novo.*

Num invenire poterimus virum, qui spiritu Dei plenus sit. Nota, quod non dicit (qui Spiritu Sancto, sed spiritu Dei,) quia revelatio Spiritus Sancti manifesta reservata fuit ad novum testamentum. *In Luc.c.1.v.67.*

1821. *Ioseph Sponsi B. Virginis excellentia præfigurata in hoc Ioseph.*

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus Populus obediet, uno tantum Regni solio te præcedam, ecce constitui te super universam terram Ægypti. Vide ad quantam dignitatem sublimatus est Ioseph; sed tu ab isto Ioseph transfer mentem ad alium præfiguratum in ipso, scilicet ad Ioseph sponsum B. Virginis, cui datum est Christum nutrire, & custodire toti mundo. *In Luc.c.23. v.50.* Dic ergo consequenter, quod Christus suum patrem putativum, & nutritorem sublimavit super omnes homines, & Sanctos, & Angelos, voluitque, ut omnes obediient suo Imperio.

1822. *Fides cum operibus est Amicorum Dei.*

Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus. Cur in manum Ioseph posuit Rex annulum de manu sua? Nota, quod annulus significat signaculum fidei, hoc Rex posuit in manum Ioseph, ut intelligamus, quod amici Dei debent habere fidem operibus conformatam. *In Luc.c.15. vers.22.*

1823. *Virtus miraculorum reposita est à Christo in fidei veritate, & communicata suis servis.*

Tulitque Rex annulum de manu sua, &c. Vide, quod Rex proprium annulum dedit in manu Ioseph ad significandum, quod post personam Regis Ipse habebat potestatem super totum Regnum: Mysticè Christus communicat suis amicis signaculum fidei, quo signantur promissa in cordibus fidelium. *In Luc.cap.15.v.22.* Datur etiam intelligi, quod virtus miraculorum, licèt omnia fiant solùm Deo principaliter operante, tamen ministerialiter tradita est habentibus fidem Christi Iesu, dicente ipso *in Ioan.cap.14. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* O quanta est efficacia fidei Iesu Christi. *In Ioan. cap.14.*

1824. *Sanctus Ioseph Sponsus Beatæ Virginis Currus filius Dei.*

Et fecit ascendere eum super currum suum secundum clamante præcone, &c. Vide Ioseph sublimatum ad supremam dignitatem ascendentem super currum secundum: Nota, hic est Christus, qui supra currum primum, & secundum ascendit; sed quisnam est iste currus primus, & secundus? Eleva mentem tuam ad Ioseph, & Mariam itinerantes in Ægyptum, & de Ægypto redeuntes, & videbis parvulum Iesum modò ascendentem in primum currum, scilicet inter brachia B. Virginis, modò in secundum inter brachia Ioseph Sponsi. Compatere ergo eis, ó anima, quia labor difficilis, & magnus, & longus est tam ipsis, quàm puero Iesu, & vade cum eis, & adjuva puerum portare, & servias in omnibus, fuit autem istud iter duorum mensium, & plurium. *op. Medit. vitæ Christi c.12. & 13.*

1825. *Christus solus verus salvator.*

Et vocavit eum salvatorem Ægypti. Salvator fuit Ioseph dictus ob providentiam frumenti, &c. Sed id fuit figura Iesu Christi, qui non Ægyptum solùm, sed totum mundum salvavit, ideò dicitur Iesus. *In Luc.c 4.v.43.*

1826. *Ioseph Sponsus Beatæ Virginis Salvator aliquo modo mundi dici potest.*

Et vocavit eum salvatorem Ægypti. Pharao mutavit nomen Ioseph in salvatoris Ægypti nomen, sed jam diximus præfigurasse Ioseph Sponsum B. Virginis, qui Christum nutrivit, & eum præservando à crudelitate Herodis, etiam ipsum reservavit toti mundo. *In Luc.cap.23.v.50.* Ergo poterit dici, quod sit Salvator Salvatoris mundi.

1827. *Deus sua infinita providentia ordinat malum ad bonum, & malos ad exequutionem suæ voluntatis.*

Patet hic, quia usus est Pharaone, & Ægyptiis ad exaltationem justi Ioseph, & ad providendum mundo in tempore tantæ penuriæ. *Eccles. cap.5.* Totus igitur mundus, & omnes Creaturæ serviunt ad exequutionem divinæ voluntatis, velint, nolint; nec est, qui ejus possit resistere voluntati. *lib.1.distinct.47. artic.1. quæst.1. & serm.1. Dom. 4. post octav. Epiphan. & sermon.2. Domin. 20. post Pentecost.*

1828. *Cultus disparitas matrimonium Ioseph cum Ægyptia non annullavit.*

Deditque Rex illi uxorem filiam Putipharis Sacerdotis, &c. Quæritur, an hoc matrimonium fuerit licitum ob cultus disparitatem? sed respondetur, quod cùm non reprehendatur à S. Scriptura, fuit licitum, & à Deo inspiratum, quia in tali disparitate cultus non erat periculum perversionis in Ioseph. *lib.4.dist.39.art.1.q.1.*

1829. *Avaritia inducit oblivionem propriæ salutis.*

Natique sunt Ioseph duo filij, antequam veniret fames, vocavitque primogenitum Manasses, & secundum

cundum Ephraim. Cor primò Manasses, secundò Ephraim. Nota, quod Ephraim interpretatur crescens: Manasses verò oblivio, voluitque his duobus nominibus sibi ipsi exponere pulchrum mysterium, scilicet quod ubi intervenit augmentum divitiarum, & amor inordinatus, intervenit etiam oblivio propriæ salutis. *op. Diæt. sal. tit. 1. c. 6.*

1830. *Paupertas Spiritus gloriosum, & divitem coram Deo reddit.*

Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, &c. Vide, quomodò Ioseph totam suam exaltationem à Deo recognoscebat; & nobis dat intelligere, quod excellentia paupertatis spiritus est, quod facit crescere, & gloriosum reddere hominem. *In Luc. cap. 7. v. 22.*

1831. *Prælatorum, & Concionatorum providentia, & fidelitas qualis esse debeat in eorum ministerio.*

Omnesque Provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, &c. Vide fidelitatem, prudentiam, authoritatem, vigilantiam Ioseph in dispensando frumenta non solùm Ægyptiis, sed & exteris; daturque instructio Prælatis, & Concionatoribus dispensantibus frumenta salutis, quomodò se gerere debeant cum subditis, & cum omnibus sine acceptione personarum. *In Luc. cap. 12. vers. 42.*

CAPUT XLII.

1832. *Deus exigit ab homine providentiam humanam non vitiosam, nempè, ut se adjuvet humano modo, quantum potest.*

Dixit Iacob filiis, quarè negligitis: descendite in Ægyptum, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere. Sed ò bone Iacob, cur ad Deum, in quo tam confidis, quem in omnibus semper auxiliatorem sollicitum invenisti, ad eum non confugis in tanta necessitate? Cur tam longum iter præcipis filiis, eosque in tot labores, & pericula exponis? Sed optimè id disposuit sanctus senex, sciebat enim quod providentia humana non est vitiosa, imò necessaria, & à Deo præcepta: namque vult ut homo se adjuvet, quantum potest: quo adimpleto debet postea in Deo se totum committere; sollicitudo enim solùm, quæ venit ex diffidentia Dei prohibetur, quasi Deus non habeat curam de nobis, non verò sollicitudo, quæ est pars providentiæ, & prudentiæ. *In Luc. cap. 9. vers. 12. & cap. 12. vers. 22.*

1833. *In mundo omnia licèt à nobis videantur aliqua inordinata, rectissimè à divina providentia sunt ordinata.*

Descendentes igitur fratres Ioseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, &c. Ecce qualis ordo hic exponitur divinæ providentiæ: isti vendiderunt captivum Ioseph, de ipsoque erant veluti obliti, quasi nō amplius inter viventes esset; sed divina providentia mediante inopia, & penuria eos conducit, ut sub potestate Ioseph traderentur, & ut patetet sua rectissima providentia, simulque virtus sublimissima Ioseph. *In Sap. cap. 10. & in Eccles. cap. 5.* In ditione Domini omnia sunt posita, & divinæ voluntati omnis virtus famulatur, ita ut & ex his, quæ sibi videntur contraria, divinus honor eliciatur, licèt à malis, & peccatoribus hoc non intendatur. *fer. 2. Dom. 20. post Pentec.*

1835. *Christus cognoscit peccatores, sed ab eis non cognoscitur, cognoscetur autem in judicio.*

Ioseph ipse fratres cognoscens non est cognitus ab eis. Vide, quod sicut Ioseph cognoscebat fratres, ab ipsis non erat cognitus, sic & de multis peccatoribus id verificatur, qui cùm cognoscantur à Christo collatione beneficiorum, tamen ab ipsis non agnoscitur Ipse, sed tamen in judicio extremo ipsum cognoscent iudicem terribilem. *In Sap. c. 3. vers. 10.*

1836. *Deus durius videtur agere cum suis amicis ad maiorem ipsorum profectum, & ostensionem maioris amoris.*

Cum agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur ad eos. Cur ò bone Ioseph sic durè tractas fratres tuos, quos finaliter vis exaltari? Cur non statim teipsum præbes ad eorum notitiam? Sed id fecit quia tali ordine melius manifestata est ejus pietas, & amor, sic facit etiam Deus cum suis, quibus videtur iratus multoties; attamen tentationibus, & rigoribus amicos suos torquet ad ipsorum maiorem profectum, & ut clariùs tandem percipiant dilectionem, & charitatem, qua ab ipso diliguntur. *op. de prof. Religios. lib. 2. cap. 2. & in Ioan. c. 3. v. 36.*

1837. *Conscientia est irrefragabile testimonium.*

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, &c. Ecce quale testimonium est conscientia; facit enim fateri peccata velit, nolit homo, idque maximè dicent damnati in die judicij. *In Sap. cap. 17.* idque maximè à Iudæis dicetur, En sanguis Christi exquiritur. *In Luc. c. 11. v. 50.*

1838. *Afflictiones à Deo immissæ in nos sunt pœna nostrorum peccatorum.*

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, &c. Oh quàm benè, & verè dicebant: sic & hæc verba deberent in ore nostro continuè resonare, quando affligimur tentationibus, & pœnalitatibus, sunt enim fructus nostrorum peccatorum, quibus Christum offendimus. *fer. 4. de plur. Martyr.*

1839. *Obedientiam Deus exigit promptam in prosperis, & adversis.*

Tollensque Simeon, ligansque illum ipsis præsentibus, &c. Ioseph cur detinuit inter fratres suos solùm Simeonem? & cur ligare ipsum fecit? Hoc fuit factum mysticè; Simeon interpretatur auditio, sive audiens mœrorem significatque obedientes cum mœrore in adversis, istique sunt veluti ligati, & captivi, nempè illi Religiosi, qui solùm formidine pœnæ, & cum murmure obediunt:

Deus

Deus autem vult à nobis promptam obedientiam tam in prosperis, quàm in adversis: hæc enim licèt mœrorem sensui adducat, tamen gaudium spiritui causat. *ser.3.Dom.3.Advent.*

1840. *Obediens cum mærore, vel coactè captivus non Christi, sed Diaboli.*

Tollensque Simeon, eum ligavit, &c. Cur Simeon ligatur? Simeon est, qui tenetur & se constrinxit voto obedientiæ: qui verò, vel cum mærore, vel coactè obedit, ligatus est, idest servus coactus, & fictus Christi, verus Diaboli: Sicut enim obedientia prompta reddit hominem non solùm famulum, sed & amicum Dei, sic inobedientia facit de Angelo Diabolum, & de innocente peccatorem. *serm.1. Dom.octav.post Pentec. & op.sim.p.3.c.11. & opusc. Pharet. lib.2.cap.44.*

1841. *Antiqui Patres sciebant januam Cœli esse clausam, omnesque justos in sinum Abrahæ post mortem deduci.*

Id patet ex verbis Iacob, qui dicebat filiis suis, *deducetis canos meos cum dolore ad Inferos. lib.4.dist. 45.art.1.q.1.*

1842. *Quod magis diligitur, cum majori dolore perditur.*

Deducetis canos meos cum dolore ad Inferos. Cur cum tanto dolore? quia dubitabat se fore amissurum Benjamin, sicut perdiderat Ioseph quos super alios filios tenerius diligebat, quia quod intensius diligitur, eò majori dolore amittitur. *In Luc. c.9. v. 38.* Noli igitur diligere mundum, & ea quæ sunt mundi tam tenaciter, ne incurras in vehementem, & intolerabilem dolorem in morte.

1843. Non est mendaciũ dicere aliquid, quod scitur non esse verum: id tamen non assertivè, sed tentando, vel interrogando, ut dixit Ioseph fratribus. *Per salutem Pharaonis exploratores estis. lib.3. dist. 38. art.1.q 2.ad 1.*

CAPUT XLIII.

1844. *Ubi deficit prædicatio divini Verbi, deficit & copia bonorum operum, & fames, inopiaque crescit spiritualis animarum.*

Interim fames omnem terram vehementer premebat; consumptisque cibis dixit Iacob ad filios, revertimini, & emite nobis pauxillum escarum, &c. Cur premebatur terra fame? quia filij Iacob noluerunt descendere in Ægyptum ad emendum escas? Mysticè hæc inopia est defectus bonorum operum, qui premit Ecclesiam eo quia renuunt Prædicatores descendere in Ægyptum, scilicet in mundum prædicare Verbum Dei, sic Ugo Carensis. Videant hoc Prædicatores: sicut enim magnum peccatum est, cùm indigenti Dives non dat eleemosynam, ita majus peccatum est, cùm sciens non communicat doctrinam: qui enim abscondit frumenta maledicetur in populis: Hinc infer, quod cætera opera pietatis post ùs sunt omittenda, & postponenda prædicationi Verbi Dei. *In Luc.c.9.v.60.*

1845. *Prædicationis munus non debet exerceri sine humilitate, & oratione prævia; istæ enim dant efficaciam prædicationi.*

Respondit Iudas, &c. Si vis Beniamin mittere nobiscum, pergemus & nos, sin autem non vis, non ibimus, &c. Nota, quod Iudas non vult descendere in Ægyptum sine Benjamin natu minimo: quid est hoc? Benjamin interpretatur filius dexteræ, & cùm esset minimus natu, significat verum humilem Deo carum. *Psalm.118. cap.9. vers. 13.* Non vult ergo Prædicator descendere ad prædicandum nisi cum humili oratione: hæc enim dat efficaciam prædicationi, sic & Christus noluit prius assumere officium prædicationis, antequam se exerceat in operibus humilitatis, ut Prædicatoribus daret instructionem assumendi hoc exercitium non cum boatu, & pompa, sed humiliter. *opuscul. Meditat. vita Christi cap.18.* Et hinc isti sine Benjamin introducti in conspectu Ioseph detrusi sunt in carcerem, postea adducto Benjamin introducuntur in domum cum Ioseph ad convivium, quia benè docere, & malè vivere quid aliud est, quàm se sua voce damnare: prædicatio enim sine sancta vita, & opere potiùs pœnam meretur, quàm præmium; istique sunt de quibus dixit Christus, *Dicunt, & non faciunt. In Luc.cap. 10. vers.1. & opusc. Pharet. lib.1 cap.14. & 15.*

1846. *S. Antonij Patavini excellentiæ præfigurata in Beniamin.*

Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi. Nota perbellum mysterium de S. Antonio, nam Ioseph Christum significat, isti fratres significant fratres minores, istisque dixit facta Christus de S. Antonio, iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi, idest cujus nomen tam famosum est in mundo: Iste inquam est, cujus sanctitas est tam excellens, cujus charitas tam ardens, parvulus, quia fuit ad discendum docilis, ad obediendum flexibilis, ad amandum tam habilis, ad indulgendum tam facilis, ad accipiendum gratiam, & gloriam tam velox. *serm.1. de S. Antonio Patavino.*

1847. *Misericordiam quoad affectum sumpsit Christus ex Virgine Maria.*

Commota sunt viscera eius. Quomodò si Ioseph Christum significabat, dicitur, quod commota sunt ejus viscera? Nota, quod Deus habet misericordiam, effectum scilicet, prout dicit effluxum bonitatis in miserum, non verò affectum, sed hac indigebat Christus ut homo ad redemptionem hominis patiandam: hinc ipsam assumpsit Christus cum humanitate desumpta in visceribus Beatæ Virginis. *lib.4.dist.46.a.2.q.1.& 3.& 4.& in Luc. c.1. v.78.* hinc dicitur Mater misericordiæ, quia cum Christo genuit misericordiam. Vide *op.spec.B.Virg. lect.5.& 9.& op.Psalt.Psal.50.& 96.& op.in salve;* facit ad hoc id, quod dicitur *Psal.88. Misericordia ædificabitur in Cœlis.* Adde, quod Maria est Cælom Cælorum, & domus ædificata à sapientia divina repleta omnibus bonis, & præcipuè manna misericordiæ, & pietatis. *op. spec.B.Virg. lect.5. & 7. & 14. & opusc. Psalt. Min.* Ideò potest dici, quod

hæc miſericordia affectus ædificata eſt in domo Mariæ.

1848. *Ad eſum Agni Euchariſtici non admittuntur incircumciſi, & Ægyptij.*

Illicitum eſt Ægyptiis comedere cum Hebrais, &c. Cur hoc? quia Ægyptij erant incircumciſi: non enim ſimul poſſunt convenire in convivio præparato à Chriſto, ad quod ſolùm admittuntur confitentes, & immunes à peccatis. *ſerm.3. in circumciſ.*

1849. *Invitatio, & conventio ad convivia moderata licita eſt, & actus urbanitatis.*

Ponite panes, &c. Ioſeph fecit convivium fratribus ſuis: Per quod patet, quod etiam apud joſtos licita ſunt convivia moderata, & facta urbanitatis, & curialitatis cauſa, nempe facta ad fovendam charitatem, pietatem, & amicitiam: Nota tamen, quod dicitur, *Ponite panes*, eſtque ſtylus Sacræ Scripturæ, (ait Gloſſa) exprimentis convivia moderata, quia damnantur ea, quæ incentivum ſunt ebrietatum, & aliorum malorum, & Gaſtrimargiæ. *In Luc.cap.14.v.12.*

1850. *In Religionibus conſuetudo piè, & ſanctè introducta, ut majores & ſeniores junioribus præcedant, & omnes ſuo loco ſient.*

Sederunt coram eo Primogenitus juxta primogenita ſua, & minimus juxta ætatem ſuam. Vide unde ortum habuerit ordo ſedendi, & procedendi in publicis functionibus in Religionibus, quo Antiquiores junioribus ætate præceduot: ſic Vgo: *Omnia enim* (ait Apoſtolus 1. *Cor. cap.*14.) *honeſtè, & ordinatè fiant*; & in Paral. 1. *capit.*30. *Miniſtri Domini ſtabant ſecundùm ordinem ſuum in miniſterio. op.ſpec.diſcipl.p.1.c.6.*

CAPUT XLIV.

1851. *Ex ore Prædicatoris boni emittitur poculum divinæ Sapientiæ auditoribus.*

Scyphum meum argenteum, & pretium pone in ore ſacci iunioris, ſcyphus iſte in quo augurari ſolet Ioſeph, &c. Nota hiſtoriam hanc, nam per hunc ſcyphum voluit Ioſeph prius contriſtare, poſtea conſolari fratres: Myſticè ſcyphus argenteus eſt Sacerdos, & concionator clarus ſcientia, mundus vita, cujus oris miniſterio, quaſi ſcypho mundo auditoribus doctrinæ ſalutaris eloquium, poculumque præfulgens propinat. *op. de Eccleſ. Hier. p.4.cap.5.*

1852. *Paulus Apoſtolus minimus natu inter Apoſtolos fuit præditus doctrina cæleſti ſuper cæteros.*

Pone in ore ſacci Benjamin ſcyphum, &c. Cur in ore junioris, ſcilicet Benjamin voluit Ioſeph, ut poneretur ſuus ſcyphus argenteus? Hoc fuit præſagium futurorum in Paulo Apoſtolo, qui deſcendit de Benjamin, fuit enim vocatus poſt alios ad Apoſtolatum: ſed Chriſtus in ejus ore, & corde poſuit ſuper omnes cæleſtem doctrinam, ut poſſet propinare poculum ſalutare toti mundo. *opuſc. de Eccleſ.Hier.p.4.c.5.*

1853. *Deus in hac vita innocentes probat tentationibus, ut in futuro eos altius coronet.*

Invenit ſcyphum in ſacco Beniamin. Cur in ſacco potius Benjamin? quia Benjamin interpretatur filius dexteræ, & ſignificat innocentes, & electos, in quorum ſacco, ſcilicet anima abſconduntur ſcyphi, ſcilicet divina gratia ſub humilitatis habitu, & pœnitentiæ, ſed aperto ſacculo corporis tunc manifeſtum fit, quantum dilexerit eos Dominus. *op.de Eccleſ.Hier.p.4.cap.5.*

1854. *Prædicatores qualem ſpiritum cæleſtis ſapientiæ à Deo in oratione recipiunt, talem communicant Auditoribus.*

Invenit ſcyphum in ſacco Beniamin. Cur Prædicatores aſſimilantur ſcyphis: qui ſcyphus, quale vinum recipit, tale & communicat bibentibus; ſic & Prædicator qualem ſpiritum conſervat in anima, talem & communicat auditoribus. *opuſc. de Eccleſ. Hier part.4.cap.5.* Non igitur eſt mirum, ſi Prædicator ſpiritum Dei non habens non fructificat in Eccleſia, cum & ipſe careat ſpiritu Dei.

CAPUT XLV.

1855. *Chriſti Ieſu miſericordia, & pietas maximè oſtenditur in eos, qui ipſum peccatis tradiderunt.*

Non ſe poterat ultra cohibere Ioſeph multis coram aſtantibus. Vide miram pietatem Ioſeph, ſed majorem in Chriſto, qui licèt agnoſcat peccatores ipſum vendidiſſe, & tradidiſſe pro aliquo bono temporali, tamen ſua innata pietate ferè non valens ſe cohibere ipſos oſculatur, ipſis miſeretur, & reconciliatur. *ſer.4. Dom.5.poſt Pentec.*

1856. *Adventus Chriſti in mundum, licèt fuerit opus puræ pietatis divinæ ſecundùm ſubſtantiam: tamen ſecundùm congruitatem fuit ob merita SS. Patrum, & Beatæ Virginis.*

Non ſe poterat ul tra cohibere Ioſeph, &c. Cur non poterat amplius ſe cohibere? quia commotus maximè fuerat lachrymis, & precibus fratrum ſuorum implorantibus pietatem: Ecce figura pulcherrima Incarnationis Dominicæ, nam licèt hæc quoad ſubſtantiam fuerit opus divinæ pietatis, non meriti creati, tamen audiens clamores, lachrymas, orationes, neceſſitates antiquorum Patrum, & maximè Beatæ Virginis non potuit ultra ſe cohibere, quin ille qui abſconditus prius fuerat apud Patrem, non ſe manifeſtaret ſumendo carnem. *lib.3. diſt.4. art.2. queſt.1. & 2. & 3.*

1857. *Chriſtus*

1857. *Christus visus in carne se ostendit nostrum fratrem.*

Ego sum Ioseph frater vester, &c. Vide, quomodò Christus se manifestavit in carne fratrem nostrum, ut in ipsum credamos, & confidamus, & ad ipsum confugiamos. *ser. 4. Dom. 5. post Pentecost.* Frater noster est Christus, scilicet pro participatione gratiæ, quam habet nobiscum pro eadem hæreditate, & quia est ejusdem naturæ, & quia diligit nos ut frater fratrem. *Psal. 48.* Noli ergo trepidare accedere ad Christum, quia frater tuus est, & caro tua per omnia tentatus absque peccato, ut misericors fieret, & nobis condescéderet. *ser. 4. Dom. 5. post Pent.*

1858. *Peccator vendit Christum pro modica delectatione, quo non obstante invitatur à Christo ad pœnitentiam.*

Ego sum Ioseph frater vester quem vendidistis, &c. Oh quoties dicit hæc Christus ad peccatorem. Ego sum Christus, quem vendidisti toties pro aliqua delectatione temporali, hæc verba Christus sæpè dirigit ad cor peccatoris, ut resipiscat, dicitque sum frater tuus, ut confidens in ejus pietate reconcilietur ei. *ser. 4. Dom. 5. post Pentec.*

1859. *Christus maximè flevit super maiores peccatores.*

Osculatusque est Beniamin, & flevit, &c. Cur super Benjamin maximè flevit Ioseph? quia erat minimus natu, & cæteris magis distans à paterna hæreditate; nempè hic est Christus, qui vidés Christianum minimum natu, & maximum peccatorem magis distantem ab hæreditate Regni Cælestis principaliter flevit super illum, ne ergo propter innumera peccata tua, ô homo, diffidas de divina pietate. *serm. 4. Dom. 5. post Pentec.*

1860 *Christus præparavit homini cibum cælestem, Diabolus verò cibum infernalem, & homo stultus potius cibum Diaboli eligit.*

Venite ad me, & dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Quid est medulla terræ? Si Ioseph promittit fratribus suis omnia bona; quomodò postea restringit hæc in medulla terræ? Medulla terræ idest cibus omnia bona continens, hicque est Christus, qui nobis præparavit medullâ pro cibo; scilicet Sacram Scripturam, & Eucharistiam; in qua sunt omnia bona, cibus est communis Angelis, & hominibus. *op. de dono scientiæ, c. 3. & 4. & op. de preparat. ad Missam cap. 7.* Sed nota, quod Diabolus præparat cibum porcorum; imò seipsum, & homo potius se convertit ad cibum porcorum relinquendo cibum cælestem. *In Luc. c. 15. v. 15. & fer. 2. fer. 2. Pasche.*

1861. *Ira, & contentio fugienda à sequentibus Christum maximè in Religionibus.*

Ne irascamini in via. Vide, quod solùm eos adtr onet, ut fugiant iram, & contentionem, hæc enim in sacris Confraternitatibus est causa malorum ferè omnium, ideò fugienda est à sequentibus Christum. *Psal. 118. c. 2. v. 13. & in Lucam c. 10. vers. 4. & c. 22. v. 24.*

1862. *Christo Domino post Passionem, & Resurrectionem data est potestas super totum mundum.*

Ioseph vivit, & dominatur in tota terra Ægypti, &c. Ecce quid fécit Dominus huic justo post tot tribulationes: Sic Christo Domino post Passionem, & Resurrectionem data est potestas in Cælo, & in terra. *op. lignum vita.*

✥✥✥✥✥✥✥✥✥✥✥:✥✥✥✥✥✥✥

CAPUT XLVI.

1863. *Qui vult cum Christo regnare, debet prius seipsum per carnis macerationem Deo in victimam offerre.*

Profectus est Israel cum omnibus, & mactatis victimis Deo ad puteum, &c. Cur ô Sancte Senex non expectas, & non differs hanc oblationem in Ægyptum? Cur potius non procedis ad Ioseph regnantem? quia qui vult cum Ioseph scilicet Christo regnare, debet priùs mactare seipsum, scilicet cor, & carnem per macerationem, & pœnitentiam. *serm. 4. Dom. 2. post oct. Pasch. & serm. 2. in festo om. sanct. & op. Pharet. lib. 2. c. 17. & seq.*

1864. *Duodecim Apostoli à Christo missi in Mundum præfigurati in duodecim filiis Iacob.*

Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt Ægyptum, &c. Nota hic, quod duodecim filij Iacob fuerunt figura duodecim Apostolorum, qui à Christo in mundum sunt missi prædicare Evangelium, &c. *In Luc. c. 6. v. 13.*

1865. *In Sacra Scriptura sæpè nomine animæ venit totus homo.*

Omnes animæ egressæ de femore Iacob. Nota hic per animam non intelligi solùm spiritum rationalem, quia iste creatur à Deo immediatè, sed usus Sacræ Scripturæ est, ut sæpè nomine animæ veniat homo. *lib. 2. dist. 38. quæst. ult.*

1866. *Deus suos vulnerat, & medetur, torquet, ut consoletur.*

Iam lætus moriar quia vidi faciem tuam. Ecce quomodò Deus suus amicos vulnerat prius, & postea medetur, nam post tot tribulationes Iacob plenè est confortatus, & consolatus à Deo. *In Luc. c. 9. v. 43. & cap. 2. v. 29.*

1867. *Pastores animarum quinam verè sint.*

Viri Pastores sumus. Nota, quod Israelitæ dicuntur viri Pastores: Cur addit *Viri*? Cur non sufficeret dicere simpliciter, *Pastores sumus*? Nota, quod viri Pastores debent esse viri, non fœminæ: nempè sunt illi, qui pascunt gregem Domini exemplo vitæ, verbo doctrinæ, & subsidio orationis devotæ; qui oppositum faciunt, non sunt Pastores, sed lupi rapaces. *ser. de SS. Sim. & Iud.*

1868. *Boni Prælati Eccleſiarum debent eſſe viri, non mulieres.*

Viri Paſtores ſumus. Cur viri? Nonne & mulieres poſſunt cuſtodire ovium greges? Poſſunt cuſtodire quidem greges ovium materialium, ſed minimè ovium Chriſti: Quicunque ergo ad curam animarum præficitur, debet eſſe vir, non mulier. Cur hoc? Quia mulierem excellit vir quantum ad dignitatem in principiando, quia ex viro, non ex muliere ortum trahunt omnes, tum quantum ad virtutem in agendo, & quantum ad auctoritatem in præcedendo. *lib.3.diſt.12.art.3.quæſt.1.* Vir autem quoad virilitatem, & virturem, quia debet eſſe vir per rectam ordinationem ad Deum in ipſo confidendo, amando, & obediendo; item per rectam ordinationem ad ſeipſum innocenter vivendo, item ad proximum compatiendo, docendo, tolerando, & orando. *ſer.1.de uno Confeſſ.*



CAPUT XLVII.

1869. *Iuſtus habitans in terra corpore, anima converſatur in Cælis.*

In optimo loco fac eos habitare. Sic præcepit Pharao, ut Iſraelitæ collocarentur in optimo loco, ſed quis eſt iſte optimus locus? Terra Geſſen: Geſſen interpretatur deſiderium cordis: Per hoc datur intelligi, quod viri Iſraelitæ licet corpore habitant in Ægypto, ideſt in mundo, deſiderio tamen, & corde habitant in optimo loco, ſcilicet in Cœlo per fruitionem bonorum Cœleſtium. *ſer.2.in feſto om.ſanct.*

1870. *Quale diſcrimen inter bona temporalia, & ſpiritualia.*

In optimo loco. Cur dicitur Geſſen optimus locus? Nonne & aliæ regiones erant optimæ? ſed jam dictum eſt, quod per hanc terram intelliguntur bona ſpiritualia animæ, per quod datur diſcrimen inter ipſa, & bona temporalia; quia temporalia afferunt ſecum inquietudinem in cogitatu, inſatiabilitatem in appetitu, cæcitatem in intellectu, & ſterilitatem in fructu, è contra ſpiritualia non poſſunt violenter auferri, nec amitti, nec reſolvi, nec putreſieri, vel comburi, maximèque Cœleſtia. *ſer.1.in feſt.om.ſanct.*

1871. *Homo dum in terra moratur, peregrinus eſt.*

Ad peregrinandum venimus in terra: dies peregrinationis mea 130. annorum. Cur appellantur à Iacob dies vitæ ſuæ, dies peregrinationis? Vt ſcias, ô homo, te eſſe peregrinum in hac vita, ut ibi ſubſtantiam colloces, ubi patriam habes. *In Eccleſ. cap.7.& Pſal.114.*

1872. *Dies vitæ noſtræ dicuntur mali, & parui.*

Dies peregrinationis mea centum triginta annorum parui, & mali. Cur parui, & mali: Mali dicuntur dies vitæ noſtræ, quia ſine peccatis non ducitur præſens vita: Parui, quia vir juſtus ob ſuam humilitatem reputat ſemper dies vitæ ſuæ malè expenſos. *In Luc.cap.11.v.13.& ſer.3. Dom. infrà oct.Epiph.* Ex Primo habetur motivum agendi pœnitentiam, ex Secundo ſe humiliandi.

1873. *Votum paupertatis reddit hominem peregrinum in hac vita.*

Dies peregrinationis mea, &c. Nota hanc terminum peregrinationis, non dicit proſtitutionis, quia Peregrinus importat voluntarium laborem, paupertatem, & non permanentiam: ſic Religioſus ob votum paupertatis quod non aſſumitur vi, ſed ex mera libertate, ideò libenter: Addit *centum triginta annorum*, ut indicetur perſeverantia contra quoſdam, qui defectus peregrinorum nolunt pati, nec ullam inopiam: Addit *parui, & mali*, ut indicetur, quod cum humilitate debent ſuſtineri incommoda paupertatis. *ſer.3.Dom.infrà oct.Epiph.*

1874. *In manu Mariæ eſt ſalus noſtra, ideò cum lætitia eſt ei ſerviendum.*

In manu tua eſt ſalus noſtra, reſpiciat nos tantum Dominus noſter, & læti ſerviemus tibi. Hoc dixit Iacob Regi Ægypti, ſed melius id dicitur à nobis Mariæ Virgini: In manu tua ſalus, & vita conſiſtunt, lætitia perpetua, & Æternitas glorioſa: conſolare nos in terra peregrinationis noſtræ, & releva paupertatem noſtram. *Opuſc. Pſalt. Pſal. 71.& 131.*



CAPVT XLVIII.

1875. *Gentilitas poſt Chriſtum tranſiit ad dexteram: Iudæus ad ſiniſtram.*

Qui extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, &c. Vide quo præſagio Iacob voluit benedicere duos filios Ioſeph, ſcilicet majorem, & minorem natu, cancellatis manibus, eos benedixit ponens dexteram ſuper minorem natu poſitum ad ſiniſtram, & ſiniſtram ſuper majorem natu: Cur fecit hoc? Quodnam myſterium? Nota, quod per Ephraim minorem intelligitur Gentilis Populus; per Manaſſem Iudaicus Populus, & licet prius eſſet Iudaicus Populus vocatus ad fidem, tamen tranſijt ad ſiniſtram occidendo Chriſtum, & in ipſum credere nolendo, & Gentilis tranſijt ad dexteram per fidem veram Chriſti. Et in huius myſterij ſignum ſacerdos collocans ſibi ad collum ſtolam facit tranſire dexteram partem ad ſiniſtram, & ſiniſtram ad dexteram. *Opuſc. Expoſ. Miſſæ cap.2.*

1876. *In hac vita collocans ſuam ſpem in temporalibus oblivioni in morte tradetur, collocans in Cæleſtibus benedicetur.*

Qui extendens manum, &c. Nota hic quod Iacob poſuit dexteram ſuam ſuper Ephraim, qui interpretatur frugifer, & ſiniſtram ſuper Manaſſem, qui interpretatur, oblivio, & ſignificatur, quod qui collocant dexteram ſcilicet ſpem ſuper temporalia bona ſignificata in ſiniſtra, oblivioni in morte tradentur, & ad ſiniſtram Iudicis traſient: qui verò collocant ſuam ſpem in ſpiritualibus tenentes in hac vita ſiniſtram quoad abjectionem

rem terrenorum, in fine collocabuntur ad dexteram Christi, fit enim alterna mutatio è contrario in contrarium de dextera in sinistram; & de sinistra ad dexteram, scilicet de dextera consolationum temporalium in æternam tristitiam, & è contra. *Opusc. de Eccles. Hier. p. 1. cap. 5. & in Luc. cap. 16. v. 25.*

1877. *Deus suo occulto judicio alios tractat asperè, alios benignè.*

Qui extendens manum, &c. Vide ex hoc, quàm occulta sunt judicia Dei, nam contra voluntatem Ioseph Pater suus misit manum sinistram super majorem natu, & dexteram super minorem, nam occulto suo judicio alijs extendit manum per punitionem, & alijs extendit benedicendo, & protegendo. *Psal. 80.*

1878. Iacob donavit Ioseph prædium proximum Samariæ, ubi erat fons, apud quem postea Christus [vo]cavit ad se Samaritanam mulierem. *In Ioan. cap. 4. v. 5.* Unde dixit *hic v. 22. Do tibi partem unam extra fratres tuos.*



CAPUT XLIX.

1879. *Deus congregat suos in Ecclesia ob multiplicem finem.*

Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. Cur voluit prædicere iste sanctus senex suis filijs futura in novissimis temporibus, & voluit eos prius simul congregatos? Quia Deus congregat justos in Ecclesia ob plures fines, scilicet ad sui gloriam exaltandam, ad exercitium virtutis, & ad melius cognoscendum Divina Sacramenta: Ecce fructus mirabiles Congregationum, quæ institutæ sunt in Ecclesia. *In Luc. cap. 3. v. 17.*

1880 *Religionum mendicantium institutio in Ecclesia, quàm utilis, & necessaria, & præfigurata in testamento veteri.*

Congregamini filij mei ut annuntiem, &c. Nota, quod hic sanctus senex vocat omnes suos filios, scilicet duodecim; sed quæritur, an etiam in hoc numero connumerentur Ephraim, & Manasses filij Ioseph; & respondetur, quod Deo dictante fuerunt additi à Iacob numero duodenario, & idcò ipsis benedixit, & prædixit in capite præcedenti futura: sed quid mysterij in hoc facto elucescit? Cur addit ad filios etiam Nepotes? Nota perbellum mysterium; In numero duodenario significantur Episcopi, & alij Clerici sacerdotes vocati in hæreditatis Christi sortem: sed voluit ijs superaddere Ordines Mendicantium, ut Coadjutores Episcoporum; & Ecclesiasticorum incumberent saluti animarum, quos ideò inspirante Deo Vicarius Christi cum hilaritate suscepit, pietateconfovit, authoritate roboravit, & potestate desendit, & ut Patriarcha Iacob filios accrescentis Ioseph multipliciter benedixit: piè in hoc providens saluti animarum, & in nullo præjudicans authoritati Pontificum, tanquam ornans, non deornans Ecclesiasticam Hierarchiam. *Opusc. Apolog. paup. resp. 4. cap. 3.*

1881. *Luxuria pessimi effectus.*

Ruben effusus sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris, &c. Ecce effectus pessimus luxuriæ, ex qua luxuriosus contrahit maledictionem Divinam: unde licèt voluptuosus videatur crescere in prosperitatibus, hoc augmentum tamen est sicut hydropici, & maximè noxium. *In Ioan. collat. 19. & in Psal. 41.*

1882. *Vindicativi, & iracundi Deo exosi, & maledicti.*

Simeon, & Levi vasa iniquitatis bellantia, &c. maledictus furor eorum, &c. Per hoc patet, quod Deo sint exosi iracondi, vindicativique, & à Deo maledicti, & separati. *In Luc. cap. 6. v. 11. & Opusc. Diæt. tit. 6. cap. 2. & Opusc. spec. B. Virg. lect. 15. & Opusc. lignum vitæ.*

1883. In hoc capite ubi proponitur benedictio, & præsagium futurorum in persona Iudæ filij Iacob habetur Prophetia nobilissima, & clarissima de Christo venturo. *Opusc. Princip. S. Script. & ser. 14. Hexaem & in Luc. cap. 19. v. 35. & c. 24. v. 47.*

1884. *Sicut Christus medijs passionibus, & violentia, sic & eius sequaces solum ad Cœlum valent pertingere.*

Catulus leonis Iuda: ascendisti ad prædam: requiescens accubuisti ut leo, &c. Vide; quomodò Christus descendens de Iuda ad prædam ascendit, scilicet violenter; & medijs passionibus, sic & omnes, qui ipsum imitantur volentes ad Cœlum pertingere, nam violenti rapiunt illud. *In Luc. cap. 16. v. 16.*

1885. *Mors, & resurrectio Christi hic prædicta, & præfigurata.*

Catulus leonis Iuda, ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti ut leo; & quasi leæna, quis suscitabit eum? Notant Philosophi, quod Catuli leonum tribus primis diebus, & noctibus dormiunt, & Patris fremitu suscitantur, hacque metaphora indicatur, quod Christus accubuit in Cruce moriendo; & quod Divina virtute suscitatus est. *In Ioan. cap. 12. v. 34. & ser. 2. in sabb. S. & ser. 5. in Pasch.*

1886 *Prophetia de Christi Adventu clarissimè verificata est tempore Nativitatis eius ex regimine Herodis.*

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat, &c. Ecce quod cum tempore Nativitatis Christi Herodes regnaverit in Iudæa primus Alolphorum, seu advenarum; patet Christum advenisse verum Messiam ex hac prophetia, cum tunc cessaverit & regnum, & sacerdotium in natione Iudæorum. *In Luc. cap. 1. v. 5. & cap. 2. v. 3. & cap. 3. v. 1.*

1887. *Christus expectatus ab omnibus gentibus.*

Ipse erit expectatio gentium. Vide quàm verum sit, quod Christus ab omnibus fuerit expectatus: & merito, quia bonum est præstolari cum silentio

falutare Dei: Ex qua Prophetia Iudæi poterant fcire Adventum Chrifti, nec ullam excufationem habebant. *In Luc. cap. 8. v. 40. & in Ioan. cap. 4. v. 25.*

1888. *Chriftus venit vocare Gentiles, & Iudæos.*

In huius fignum Angelus annunciavit Incarnationem in Civitate Nazareth, quæ erat in confinio Iudæorum, & Gentilium. *In Luc. c. 1. v. 27.*

1889. *Vocatio per Chriftum gentium, & Iudæorum prædicta in hac Prophetia.*

Ligans ad vineam pullum fuum, & ad vitem afinam fuam. Hæc Prophetia verificata eft in die Palmarum, qui ufus eft primò pollo, deinde Afina, quæ fignificabant populum Gentilem, & Iudaicum, quos vocerat ligare fibi qui eft vitis, vinculo charitatis: Et nota, quod primò ufus eft pullo, quia primò vocavit populum gentilem minifterio Apoftolorum, qui jactaverunt veftimenta fua fuper eum, & in fine mundi vocabit Iudæos: affimilatur autem viti, quia portavit bonum vinum Evangelij in hac vocatione. *In Luc. cap. 19. v. 35. & In Ioan. collat. 67.*

1890. *Chrifti fanguinis efficacia qualis in Ecclefia.*

Lavabit in vino ftolam fuam, & in fanguine uvæ pallium fuum. Nota, quod fanctus Patriarcha prophetavit adventum Chrifti, eius paffionem, inftitutionem Sacramentorum, fundationem Ecclefiæ, ideò dicit, *Lavabit in vino*, fcilicet fanguine veftem fuæ humanitatis in paffione, & virtute fanguinis lavabit Ecclefiam ipfam mundando à peccatis. *Opufc. fumma de Effentia.*

1891. *Chriftus expreffit de fuo Corpore vinum cæleste ad refectionem animarum.*

Lavabit in vino ftolam fuam, &c. Quoddam vinum eft hoc: Nota, hoc vinum eft fanguis Chrifti, quod expreffit de torculari Crucis, per quod reficiuntur boni, & in gloria bibent illi, qui probati inventi fuerint per torcular Crucis, remanentibus fœcibus ad depreffionem malorum in Infernum. *In Thren. cap. 1. v. 15.*

1892. *Vinum Eucharifticum eft fanguis Chrifti, qui in Miffa offertur ad lavandam Ecclefiam, & fideles.*

Lavabit in vino ftolam & in fanguine uvæ pallium. Nota, quod prius dicit vinum, poftea appellat fanguinem, quia alluditur ad vinum, quod in Altari quotidie offertur pro peccatis, & quia eft vinum in fpecie, & io re fanguis Chrifti, ideò in torculari Crucis expreffus expofitus eft in Ecclefia ad mundationem animarum. *In Luc. cap. 19. v. 35. & fer. 2. in Cœna Domini.*

1893. *Lachrymæ funt vinum refectionis, & fanguis mundans animam.*

Lavabit in vino ftolam fuam, & in fanguine uvæ pallium. Si erit vinum quomodò dicitur fanguis? Nota, quod hoc miraculum verificatur in lachrymis compunctionis, quæ lætificant cor, & mundant animam. *fer. 3. Dom. 12. poft Pentec.*

1894. *Relinquens maius bonum pro minori ob obedientiam magis meretur.*

Pulchriores funt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Quid eft oculus pulchrior vino? Nota, quod vinum fignificat opus bonum, vel Sacrificium: Qui autem ob obedientiam omittit vinum hoc, fcilicet opus bonum etiam majus, pulchrior cumpatet in confpectu Dei: melior eft enim obedientia, quàm victimæ. *Opufc. Pfal. 118. cap. 3. v. 5.*

1895. *Negotiatio, & Mercatura eft opus indifferens, & licitum.*

Zabulon in littore maris, &c. Hic prædicit, quod hæc Tribus exercere debebat mercaturam, quæ de fe non eft mala, fed indifferens. *lib. 4. dift. 16. p. 1. dub. 13.*

1896. *Pœnitentia eft navis ducens animam ad portum.*

Zabulon in littore maris, & in ftatione navium pertingens ufque ad Sidonem. Myfticè fignificatur, quod Chriftus providit in Ecclefia navem, quæ eft fecunda tabula poft naufragium, qua anima eripitur à naufragio, & ducitur in ortum. *In Ioan. cap. 6. v. 21.*

1897. *Dei præfentia quanta bona parit in anima.*

Iffachar afinus fortis accubans inter terminos vidit requiem, quod effet bona, & terram, quod eft optima, & fuppofuit humerum fuum ad portandum. Nota, quod myfticè fignificatur per Zabulon, qui interpretatur memoria Dei, vel vir mercedis, quod exercens fe in continua memoria, & præfentia Dei facilè portat adverfitates huius vitæ, & oblivifcitur horum terrenorum, folùm tendens ad mercedem æternam. *In Ioan. collat. 56.*

1898. *Mercenarij boni laborant pro vita æterna, & abundant meritis.*

Iffachar afinus fortis, &c. Iffachar interpretatur, vir mercedis, eftque ille, qui pro mercede æterna laborat, ifteque ditator panibus fidei, fpei, & charitatis. *In Luc. cap. 15. v. 17.*

1899. *Antichriftus prædicitur ex Tribu Dan, eiufque malignitas.*

Dan coluber in via, ceraftes in femita, &c. Nota, quod multi ex hoc textu dicunt, quod Antichriftus nafciturus eft de Tribu Dan, eiufque malignitas, & exterminatio per ipfum futura in Ecclefia quatuor cornibus ceraftis, fcilicet callida perfuafione, miraculorum ficta operatione, donorum largitione, & tormentorum exhibitione. *Opufc. Comp. Theol. lib. 7. cap. 9. & fer. 15. Hexaem.*

1900. *Prædicator fine perfectione Evangelica eft fubiectus deceptionibus Diaboli.*

Mordens ungulas equi, ut afcenfor cadat retrorfum. De Dan id dicitur fignans Diabolum, vel Antichriftum, qui mordebit, vel expilabit ungulas equorum,

equorum, ut ascensor cadat retrorsum; per equum autem intelligitur Prædicator veritatis, qui portat verbum Dei per orbem: per ungulas intelligitur perfectio Evangelica; sicut autem equus sine fixione ungularum nihil valet, sic Prædicator sine perfectione Evangelica, & ideò subjectus est casui, & ruinæ. *fer.* 15. *Hexaem.* Si igitur in hoc equo bonus miles fueris, & hostes superaveris, tunc coronaberis, si non, fallax equus eris ad salutem. *fer.* 3. *Dom.* 10. *post Pentec.*

1901. *Incedens per viam peccati incidit in potestatem serpentis infernalis.*

Fiat Dan coluber in via. Quid est coluber in via? Coluber iste est serpens Infernalis, qui in via peccati habitat, & in sui possessionem reducit, quem videt ambulare in hac via. *In Psal.* 94. Cave ergo, ne à Diabolo capiaris, cave à vinculis peccati, cave, ne ad patibulum Inferni vinctis manibus per peccatum traharis, insta orationibus, ut eripiaris à tam crudeli possessore. *serm.* 3. *Dom.* 11. *post Pentec.*

1902. *Diabolus conatur, ut homines cadant retrò, non ante.*

Fiat Dan coluber, &c. ut ascensor cadat retrorsum. Cur retrorsum conatur Diabolus homines præcipitare, non in faciem? Quia cadere retrorsum est peccare, & simul oblivisci, vel non advertere ad pœnam, quæ consequitur, ideò, ut homines peccent sine consideratione suppliciorum, quæ à Deo sunt impijs parata, totum conatum adhibet Diabolus. *In Ioan. cap.* 18. *v.* 9. *& in Luc. cap.* 17. *v.* 16.

1903. *Iesus salvator unica spes à nobis expectanda & desideranda.*

Salutare tuum expectabo. Quid est salutare Dei expectare? Notant hic Interpretes, quod cum Sanctos Patriarcha prædixisset futurum Messiam, ne autem crederent Samsonem futurum Iudicem de Tribu Dan, & liberatorem Populi, foreque ipsum Messiam, post Prophetiam Dan subdit, *salutare tuum expectabo*, idest Iesum salvatorem, idest non hunc, sed Iesum expectando liberatorem, & redemptorem Mundi: dicitur autem, *salutare*, quia est salus nostra, ad quam nostra spes, & cor debet tendere: sed adverte, quòd differenter dicitur expectatio nostra, & expectatio Iudæorum, nam Iudæi ipsum expectant venturum, ideò etiam frustratoriè, Nos ipsum expectamus jam incarnatum, ut salvos nos, & beatos efficiat. *In Thren. cap.* 3. *v.* 18. *& in Psal.* 118. *cap.* 3. *v.* 9. *& in Luc. cap.* 2. *v.* 25. *& fer.* 4. *Dom.* 1. *Advent.*

1904. *Contemplativa vita præbet animæ delicias Cœlestes.*

Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. Aser interpretatur beatitudo, ideo proponitur hic panis figura contemplativæ vitæ, quæ est panis dulcis præbens delicias Regibus. *In Luc. cap.* 14. *v.* 15. *& cap.* 22. *v.* 19.

1905. *Eucharistia præbet animæ delicias regales.*

Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. Nota, quod hic præfiguratur Sacramentum Corporis, & sanguinis Christi in pane, hoc enim verè præbet delicias omnes animæ. *In Luc. ibidem.*

1906. *Eloquia Domini continent omnia bona, & velociter illuminant, & mundant.*

Nephtali cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Nota, quod Nephtalim interpretatur latitudo, dicitur autem, *Cervus* quia significat qualitates eloquiorum, & verbi Dei, quod velocissimè erudit, & mundat animam: sic, & Apostoli tanquam cervi à Christo electi velociter portaverunt per orbem verbum Dei. *Psal.* 118. *cap.* 1. *v.* 11. & Glossa.

1907. *Ioseph Patriarcha gratiam invenit coram Deo, & hominibus.*

Filius accrescens Ioseph, & decorus aspectu, &c. Vide, quomodò iste Ioseph crevit, & profecit non solùm sanctitate, & gratia apud Deum, sed cum esset decorus aspectu, etiam apud homines. *In Luc. cap.* 2. *v.* 80.

1908. *Prælatus debet esse Ioseph, scilicet intendens sua, & aliorum utilitati.*

Filius accrescens Ioseph. Per Ioseph, qui interpretatur, augmentum, intelligitur Prælatus: sicut enim Ioseph totus fuit intentus profectui non solum in se, sed & in alijs, sic debet esse Prælatus. *In Luc. cap.* 23. *v.* 52.

1909. *Christus voluit ligari, ut nos è vinculis liberaret.*

Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, &c. Nota, quod sicut Ioseph pervenit ad tantam sublimitatem per carcerationem, & vincula; sic Christus voluit ligari, ut nos eriperet à vinculo peccatorum. *fer.* 3. *Dom.* 11. *post Pentec.*

1910. *Christus Pastor, & lapis pro nobis.*

Inde Pastor egressus est, lapis Israel. Quomodò dicitur Ioseph Pastor, & lapis? Pastor pascens Israel, & lapis idest sustentaculum: Hoc competit Christo, qui fuit Pastor, quia venit quærere ovem perditam dicitur lapis egressus de Virgine Maria sine virili concursu, & junxit duos angulos in structura Cœli, scilicet Angelos, & homines, vel naturam Divinam, & humanam. *fer.* 3. *in Nativitate.*

1911. *Omnes benedictiones antiquorum sanctorum congregatæ sunt in B. Virgine Maria.*

Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, & vulvæ. Vide hic quomodò S. Senex aggregavit omnes benedictiones in unum omnium bonorum, sed cuinam hæc propriè competunt nisi B. Virgini Mariæ, hæc enim sola fuit benedicta super omnes Creaturas. *In Luc. c.* 1. *v.* 42.

1912. *S. Paulus priùs Lupus, postea Agnus.*

Beniamin Lupus rapax mane comedet prædam, & vespere dividet spolia. Nota, hæc fuit Prophetia de

de Paulo Apoſtolo, qui fuit priùs lupus perſequens Chriſtianos, fuitque de Tribu Beniamin, poſtea fuit Angelus perſequutus à Iudæis, & Gentilibus. *In Luc. cap.* 10. *v.* 3.

1913. *Prælatus debet deponere omnem feritatem.*

Beniamin lupus, &c. Talis debet eſſe Prælatus; electus enim ad prælaturam debet exemplo Pauli deponere omnem feritatem, & agnus fieri, ut boni foveantur, & mali tolerentur. *In Luc. cap.* 10. *v.* 3.

1914. *Occultans bona ſpiritualia furatur occultè Regnum Cœlorum.*

Beniamin lupus rapax. Tales ſunt, qui dimittentes temporalia, bona occultè faciunt vitantes laudes humanas ſolo teſtimonio Divino contenti; iſti furantur Cœlorum Regnum, comedentes prædam cœleſtem. *In Luc. cap.* 16. *v.* 16.

1915. *Pœnitens colligit pedes ſuos in tumulo Pœnitentiæ.*

Iacob collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obijt, &c. Oh felix, qui colligit tali pacto ſuos pedes, ſcilicet in lectulo pœnitentiæ terminando ſic vitam ſuam. Infelix, qui eos colligit in lectulo luxuriæ, vel in patibulo ſuperbiæ, vel in igne avaritiæ. *fer.* 3. *Dom.* 18 *poſt Pentec.*



CAPUT L.

1916. *Debet homo condire corpus ſuum aromatibus, ut Deo placeat.*

Præcepit Ioſeph medicis, ut aromatibus condirent patrem. Ad quid hoc condimentum ordinatum eſt in cadavere hoc? Per hoc Chriſtus dat nobis intelligere, quod ſummè Deo placet, qui aromatibus condit ſe, ſcilicet bonis operibus, cogitationibus pijs, & ſanctorum orationibus. *In Luc. cap.* 23. *v.* 56.

1917. *Planctus ſuper mortuos eſt actus pietatis.*

Flevitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus, &c. Vide, quomodò tunc erat mos iſte pius plangere ſuper mortuos, & maximè juſtos. *In Eccleſ. c.* 3.

1918. *Maximum ſcandalum eſt Prædicatorum, quorum vita diſcordat verbo.*

Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, &c. Hoc dixerunt fratres Ioſeph nomine Patris ſui ad Ioſeph timentes, ne mortuo Patre ſe vindicaret de eorum malitia indigna: Oh quot ſunt impij Prædicatores, de quibus poteſt dici, quod eorum malitia eſt maxima contra Chriſtum, quorum ſcilicet vita diſcordat à verbis, quia maximum ſcandalum ingerunt in Eccleſia. *Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 11.

1919. Voluntati conſequenti, & abſolutæ Dei non poſſumus reſiſtere, unde totus Mundus nihil poteſt contra ipſum. *lib.* 1. *diſt.* 47. *art.* 1. *quæſt.* 1.

1920. *Prælati quomodò debent tractare ſubditos.*

Nolite timere, &c. Vide, quomodò Ioſeph conſolatus, & confortatus eſt ſuos fratres, ut daret exemplum Prælatis, & omnibus juſtis, nempè debere conſolari ſubditos verbo, ſubſidio, & exemplo. *Pſal.* 118. *cap.* 4. *v.* 2.

1921. *Chriſtus Ieſus adventu ſuo viſitavit homines ſedentes in tenebris Ægypti.*

Poſt mortem meam viſitabit vos, & aſcendere faciet de terra iſta, &c. Hæc dixit Ioſeph ante mortem ſuam ſuis fratribus prædicens viſitationem futuram per Mediatorem Ieſum Chriſtum. *In Luc. cap.* 1. *v.* 7. *& cap.* 7. *v.* 16.

1922. *Maximum Dei beneficium in locis ſanctorum reliquijs ditatis.*

Poſt mortem meam Deus viſitabit vos. Cur poſt mortem, & non ipſo vivente promiſit hanc Dei viſitationem? ſed nota ſequentia. *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Cur præcepit hanc aſportationem ſuorum oſſium? Nota, quod id factum eſt Deo inſpirante, nobiſque indicante, quod Deus benignè viſitat loca, in quibus adſunt oſſa, & reliquiæ ſanctorum; ſic exponunt plures SS. Patres, loca enim, quæ adorantur reliquijs ſanctorum, ſunt benedicta à Deo, & ſanctificata, præſentiaque ipſorum ſanctorum, & Angelorum munita. *fer.* 5. *in Dedicat templi.*

1923. *Qui vult in gloriam transferri, & in Chriſtum transfigurari, debet aromatibus ſpiritualibus animam condire.*

Mortuus eſt Ioſeph, & conditus aromatibus, &c. Vide, quomodò non ſolum Iacob, ſed & Ioſeph poſt mortem conditus eſt aromatibus: Per quod ſignificatur, quod ſicut iſti viri ſancti in ſignum ſanctitatis fuerunt conditi poſt mortem aromatibus; ſic datur nobis intelligi, quod felix illa anima eſt, quæ aromatibus virtutum condita in loculo corporis degens quotidiè proficiendo perenni vitæ reſervatur: ſi enim cuſtodita fuerit in fide, ſpe, & charitate, & bonis operibus per gratiam Chriſti merebitur pervenire ad ſpeciem Divinitatis contemplandam facie ad faciem: hæc enim ſunt aromata, quæ Chriſto placent. *In Luc. c.* 23. *v.* 56.

Ob utinam mereamur, & nos ad hanc transfigurationem pervenire cum Petro, Iacobo, & Ioanne in montem gloriæ cuius myſterium celebrat Eccleſia hac die, in qua Deo opitulante, & Seraph. Doct. S. Bon. ſuffragante dedimus finem huic ſeraphicæ expoſitioni ſacræ Geneſis ad gloriam Dei benedicti, &c. Amen.

LIBRI



LIBRI EXODI PROLOGUS.

POST Librum Genesis immediatè sequitur Liber Exodi: Exodus Græcè, Latinè dicitur exitus, seu itinerarius: Odos enim interpretatur iter, vel via: Hebraice dicitur Vellesemoth, idest, & hæc sunt nomina; nam Hebræorum mos est libris Sacræ Scripturæ pro titulo affigere principium libri: qui ordo est valdè congruus, tum Historiæ, tum mysterio: quia cum in Genesis fine narretur ingressus filiorum Israël in Ægyptum; sic in principio hujus Libri notatur egessus ejusdem populi ex Ægypto, & deinde datio legis. Mysticè verò, cum in Genesi actum sit de carnali propagatione hominum ex primo parente, per quam nascimur filij iræ, & separatione filiorum Israël à cæteris nationibus, in hoc libro consequenter agitur de spirituali regeneratione facta per Christum ad statum gratiæ: Totus igitur iste liber præfigurabat Christum, nempe in Moyse prius occultato, postea revelato, in liberatione populi captivati, in interemptione populi captivantis, in virga miraculosa, in latione legis, & sic in similibus; & alijs figuris, quibus iste sacer liber est refertus, exponuntur, veluti in Paradiso cælesti bona infinita nobis per Christum exhibita.

CAPUT I.

1. *Apostoli, & Prædicatores a Christo electi, ut coadjutores ad liberationem captivorum.*

Hæc sunt nomina duodecim filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iacob. Nota, quod hoc fuit præsagium futurorum, nempe, quia Christus missus est, ut liberaret hominem ex Ægypto culpæ, intravit in hunc mundum, & suos in hoc opere adjutores elegit Apostolos duodecim, per quos procreandi erant filij spiritualiter in Ecclesia: & quia numerus duodenarius significat universitatem, significantur & cæteri coadjutores, Prædicatores, & Prælati, quorum ministerium ordinatum est ad filiorum procreationem spiritualem, & ad liberationem captivorum Diaboli. *In Luc. c. 6. v. 13.*

2. *Qualem familiam amet, eligatque Christus inter suos.*

Hæc sunt nomina eorum, qui ingressi sunt Ægyptum, singuli cum domibus suis introierunt, &c. Cur specialiter notentur familiæ ingressæ in Ægyptum cum suis ducibus, & capitibus: sed jam dictum est, quod hic præfigurati sunt Apostoli, Prælati, & Concionatores à Christo electi, ut coadjutores ipsius in salutem Animarum: sed advertendum, quod Christus habet & suam familiam, quam valdè diligit, nempè contemplativos, activos, & compositos ex utraq; vita: hosque eligit Christus in sua domo, & valdè diligit, quia sic constituunt domum ipsius valdè compositam, & ordinatam. *In Ioan. c. 16. v. 4.* Unusquisque etiam habet in domo Animæ suam familiam, scilicet vires sensitivas, rationales, & intellectuales, habitus infusos, & acquisitos, quæ omnia debent ordinari in domo Dei in exercitus virtutum contra hostes, & vitia. *op. de septem donis in communi c. 4. & 6. & de dono Consil. c. 5.*

3. *Christus suis nomen imposuit, malos relinquens sine nomine.*

Hæc sunt nomina filiorum Israël, &c. qui venerant & multiplicati sunt nimis: Interea surrexit novus Rex in Ægypto, &c. Notandum hic, quod filiorum Israël nomina per tribus suas exprimit: quando verò loquitur de novo Rege Ægypti

 tacetur

taceτur ipſius nomen, ſed tantum dicitur, quod ignorabat Ioſeph; Cur hoc? Cur reticetur nomen Regis Ægypti, & exprimitur nomen filiorum Iſraël? quia Deus omnibus Sanctis nomina vocat, quia eorum notitiam habet: ſcripta ſunt enim nomina eorum in Cælis? è contrario Dominus nomina impiorum non nominat approbando; hoc patet in Lazaro, (*Luc.c.16.*) quem nominat, & in divite, cujus nomen tacet. *ferm. 1. Dom. 4. poſt Pentec.*

4. *Multitudo bonorum cor unum habet: malorum multitudo diſperſa.*

Multiplicati ſunt nimis, & repleta eſt terra. Nota hic, quod de filiis Iſraël ſpecificatur multitudo: de Ægyptiis nequaquam: Cur non etiam in medium ponitur multitudo Ægyptiorum? quia Iſraëlitæ vivebant ſub una fide, & cultu; ideò ſequentium Chriſtum cor erat unum, ob id multitudo Deo chara; mali autem ſunt in diverſa diſperſi, quorum alij habent cor ſuperbum, alij luxurioſum, alij avarum? Tales ſunt Chriſtiani nomine, non corde, ſicut vulpes Samſonis conjunctæ caudibus, faucibus diviſæ erant. *ferm. 2. Dom. poſt Pent.*

5. *Invitatorium malorum in matutino Diaboli quale.*

Venite, ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicet &c. Nota quomodò iſte Princeps invitat ſuos ſequaces ad oppreſſionem bonorum: hoc enim eſt invitatorium malorum in matutino Diaboli, dum mutuò ſe invicem hortantur ad malum. *In ſap. cap. 2.*

6. *Bonorum Deus conſervat memoriam in mundo, ad ipſorum laudem; malorum ad confuſionem, & ignominiam.*

Venite opprimamus eum &c. Cur Deus conſilia impiorum hic memorat? Cur non potius in oblivionem tradit opera eorum? quia Deus vult, ut conſervetur memoria bonorum, ad ipſorum laudem: malorum autem ad ipſorum vituperium, & confuſionem. *In ſap. c. 2.*

7. *Sapientia diabolica & Chriſtiana qualiter differant.*

Venite ſapienter opprimamus eum &c. Nota hanc connexionem, *ſapienter opprimamus eum*; et gone in oppreſſione injuſta concurrit ſapientia? Nonne ſapientia de Cælo eſt, & ad bonū inclinans? ſed attende, quod alia eſt ſapientia è Cælo, alia ex Inferno: prima eſt ſapida ſcientia, in qua lux cæleſtis dirigit intellectū ad veri cognitionem, & ſapor erigit affectum ad boni ſaporoſam dilectionem: hæcque mentem, quam inhabitat purificat, pacificat, & quietat: Diabolica verò eſt carnalis, & mundana, quæ pejus præponit meliori; eſtq; ordinata ad perditionem ſui, & aliorum: hæc vias ad peccandum exquirit, proximos conculcare ſtudet, pecuniam malè congregat bella diſponit, invidiam provocat. *ferm. 1. de ſancto Gregor. & op. de dono ſap. cap. 1. & op. de Eccleſ. Hierar. p. 1. c. 3.*

8. *Calliditas Diaboli in tentando, quam ſagax.*

Venite ſapienter opprimamus eum. Quid eſt ſapienter opprimere, niſi callidè, aſtutèq;? Ecce ſapientia Diaboli in tentando, qui mira calliditate omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi ſemper quærit cauſas nocendi, ubi quemquam viderit ſtudioſius occupari. Novit enim iſte antiquus hoſtis, cui illecebras gulæ ingerat, cui vitus invidiæ infundat, cui blandimenta luxuriæ objiciat, cui vana ſuperbiæ incitamenta promittat: novit, quem metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione ſeducat. *op. ſolil. cap. 1.*

9. *Diabolus utitur miniſterio hominum ad ruinam noſtram.*

Venite, ſapienter opprimamus eum. Ad quoſnam dirigitur hoc invitatorium? Nonne ipſe Rex erat ex ſe ſufficiens ad hanc oppreſſionem? Minimè, quia indigebat miniſterio ſuorum. Sic eſt Diabolus, qui eum de ſe non poſſit opprimere hominem, utitur hominum malorum miniſterio: Habet enim aliquos ſibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingeniis utitur, & linguis. *op. ſolil. c. 1. & ſer. 2. fer. 4. Pentec.*

10. *Diabolus non opprimit niſi volentes.*

Venite, ſapienter opprimamus eum &c. Nota hanc connexionem, *ſapienter opprimamus*: quia hæc eſt vox Diaboli, qui ſapienter, id eſt callidè per blanditias, primò inſtigat hominem ad malum, quia non habet poteſtatem in hominem niſi blandiendo, inſpirando, ſeducendo: cui ſi homo ſe voluntariè ſubjiciat, tunc ipſum opprimit violenter: Inſidiando enim circumvenit, minando terret, ſuadendo blanditur, deſperando frangit, promittendo decipit, & opprimendo rapit, & occidit volentem. *lib. 2. d. 21. dub. 3. a. 2. queſtion. 3. ad 4.*

11. *Civitas Diaboli ædificatur à malis, ut ibi habitet.*

Ædificaveruntq; urbes tabernaculorum &c. Nota, quod Ægyptij opprimentes Hebræos, cogerunt eos ad ædificandum civitates luti, lateris, & palearum miniſterio: Per quod ſignificatur, quod quando homo ſe ſubjicit Diabolo, cogitur ædificare habitationes ipſi Diabolo, luto, & igne, ſcilicet æſtu cupiditatis, & concurſu malæ voluntatis. *In Pſalm. 126. & 59. & in Io. cap. 9. v. 6.* Vel in luto ſignificatur luxuria, & avaritia, per quas homo in ſervitutem Diaboli introditur, & ſemper in ſpurcitia verſatur. *Op. Diæt. tit. 1. c. 9. & op. Comp. Theol. l. 3. c. 19.*

12. *Boni quò magis tentationibus probantur, tantò magis proficiunt in bono.*

Quantò magis eos opprimebat, tanto magis creſcebant. Ex hoc manifeſtè patet utilitas tribulationum

lationum in bonis, quia quò magis à Deo probantur, eo magis fœcundantur in Anima, & in virtutum profectu: oh felix, & bona tribulatio, quæ deprimit, ut exaltet. *lib. 4. d. 15. p. 1. dub. 2.*

13. *Quàm infelix servitus Diaboli, mundi, & Carnis.*

Oderant Ægyptij filios Israel, & affligebant eos operibus duris, luti, & lateris, omniq; famulatu, quo in terra operibus premebantur. Vide quàm ignominiosa, & vilis est servitus malorum, qui se voluntariè subjiciunt Dæmoni, mundo, & Carni, & peccato, & præcipuè in peccato avaritiæ & luxuriæ, in qua nunquam datur requies: Malos enim est servus tot dominorum, quot vitiorum. *In Ioann. Collat. 42. serm. 2. de sancto Nicol.*

14. *Diaboli crudelitas in suos quanta, & qualis.*

Diabolus opprimit suos in luto luxuriæ, & latere avaritiæ, & in paleis superbiæ, nec eos unquam sinit requiescere. *In sap. c. 10.*

15. *Deus permittit, quod mali vexent bonos ad eorumdem profectum.*

Vitam ducebant in operibus luti &c. Vide hic judicia Dei occulta, quomodò permittit, ut boni à malis vexentur ad ipsorum majorem profectum, & malorum acriorem punitionem. *Op Bibl. paup. cap. 110.*

16. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Qui masculini sexus fuerint, in flumen projicite: si fœminini, reservate &c. Hoc fuit præceptum Pharaonis factum obstetricibus, ut suffocarent masculos in flumine: volebat enim exterminate nationem Israeliticam; Sed Deus hoc consilium diabolicum interrupit, & ob id punita est Ægyptus in suffocatione Ægyptiorum in aquis maris rubri, ut pateret, quod per quæ quis peccat, per hæc & punitur. *In sap. cap. 11.*

17. *Mendacium veniale Deo exosum; potest tamen stare cum actu pietatis meritoriæ.*

Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis &c. Notatur hic pietas obstetricum, & timor Dei, ob quem non obtemperarunt impio præcepto Regis Ægypti, reservabant masculos: Sed quomodò dicunt, quod erant timentes Deum, si postea, ut se defenderent à punitione, hoc mendacium dixerunt Regi: nempe non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ, quia mulieres Hebrææ sibi ipsis, dum pariunt obstetricandi exercent officium: quod erat falsum? fuerunt ne remuneratæ ob hoc mendacium? sed diligenter est hic notandum, quod peccaverunt quidem mulieres venialiter, ob id erant dignæ aliqua pœna; sed tamen hoc peccatum veniale non abstulit meritum actui pio, quem exercuerant reservando parvolos ad vitam, quia peccatum veniale non tollit totum meritum actui bono. *l. 3. d. 38. dub. 1.*

CAPUT II.

18. *In Moyse parvulo absconditο figuratur Christus absconditus propter Herodis crudelitatem.*

Nota, quod in hoc facto figuratus est Christus, qui parvulus occultatus est propter metum Herodis. *op. princip. S. script.*

19. *Pulchritudo aliquando est licitè amata, aliquando illicitè.*

Et videns eum elegantem abscondit tribus mensibus &c. Vide, quomodò pulchritudo de se allicit ad amorem: Sed attende, quod quando non transcendit affectum naturalem, tunc licitè, & indifferenter amatur; Si verò excedit in noxia voluptate, tunc illicitè amatur. *op. de sept. itin. æ itin. 4. d. 3.*

20. *Anima per contritionem exuitur filiatione Diaboli, & fit filia Dei.*

Descendebat filia Pharaonis in flumine, & invenit ibi puerum &c. Vide quomodò Deus omnia disponit, etiam contraria ad id, quod ipse intendit: Sed mysticè datur nobis intelligi, quod filia Pharaonis, scilicet anima in peccato est filia Diaboli: Si descendit in flumen lacbryma rum, & contritionis invenit puerum Iesum, & tunc exuens se tali turpitudine, fit filia Dei. *serm. 1. in vigilia Nativit. Dom.*

21. *Invenitur Christus in corde virtutibus contexto.*

Quæ cum vidisset fiscellam invenit in ea parvulum vagientem &c. Mysticè Moyses parvulus in fiscella juncea stans est Christus, qui à descendentibus in flumen pœnitentiæ invenitur, & in corde contexto virtutibus permanet; nec alibi invenitur. *serm. 1. in Vigilia Nativit.*

22. *In conversatione exemplari proximorum invenitur Christus, scilicet inter bonos.*

Invenit parvulum in fiscella &c. Quid significat hæc fiscella pluribus iuncis contexta? significat congregationem bonorum simul in sancta conversatione, & charitate unitorum, in medio eorum invenitur Christus. *ferm. 1. in vigil. Nativit.*

23. *Sanctus Iacobus Apostolus figuratus in Moyse invento in fiscella.*

Viditq; puerum in fiscella &c. Moyses surgens ex aquis, & adoptatus in filium filiæ Regis Ægypti factus ex Dux dominici populi: Ecce, quod fuit figura sancti Iacobi Apostoli, qui de mari fuit vocatus à Christo, & à divina sapientia adoptatus factus est Dux Dominici gregis. *ferm. 1. de S Iacobo.* Idem & dic de Petro, Andrea, & Ioanne vocatis de mari.

24. *Christus figuratus in Moyse: à sola Virgine matre lactatus.*

Puella vocavit matrem, & dixit ei filia Pharaonis, accipe puerum, & nutri mihi. Quid est nutri mihi? Sed hoc fuit figura Christi Iesu, qui à Patre datus est Beatæ Virgini, ut ipsum lactaret, & nutriret in redemptionem hominum, & satisfactionem pro peccatis nostris: Unde à sola Virgine Maria lactatus est. *In Luc. cap. 11. v. 27.*

25. *Christus figuratus in Moyse, qui Diaboli imperium subvertit, exaltatus à Patre super omnes.*

Adultumque Moysen tradidit filia Pharaonis &c. Ecce figurâ Iesu Christi, qui de aquis mortalitatis assumptus, Diaboli subvertit imperium, & tanto sublimatus est honore, ut in nomine ejus omne genu flectatur. *op. lignum vitæ.*



CAPUT III.

26. *Qui vult in amorem perfectum Dei rapi, separet se à terrenis.*

Moyses pascebat oves Iethro, cumq; minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitq; ei Dominus in flamma ignis &c. Vide quo ordine Moyses reductus est ad perfruendum visione Dei: primò pascebat greges Iethro? deinde ad interiora deserti, cui Deus apparuit, & ostendit gloriam suam: per quæ significatur, quod qui vult ascendere ad amorem extaticum, & ad illustrationes divinas percipiendas, debet ducere gregem sensuum, & passionum, & ad superiora, & sequestrare se ab omni adulterino affectu creaturarum, propter sponsi unicum affectum: & tunc introducitur Anima ad saporem quietativum omnium passionum, superferendo se supra omnia sensibilia, omniaque intelligibilia cum phantasmatibus, scilicet, non per ænigmata, & figuras; & hæc visio omnium est perfectissima, quæ in hac vita haberi potest. *serm. 2. & 9. Hexaem. op. de septem itin. ætern. iter. 3. d. 2. & 4. In Luc. c. 9. v. 28. & op. de perfect. religios. l. 2. c. 75. & serm. 6. in Nativit.*

27. *Deus per humilia introducit suos in altum.*

Moyses pascebat oves Iethro &c. Cur voluit Deus, ut qui futurus erat Dux populi sui, & in sublimitate Principatus collocandus, se exerceret per quadraginta annos in tam vili ministerio pastoris? quia volebat Moysen exaltare ad sublimissimum statum: hinc prius ordinavit, ut se humiliaret, & in vili exercitio probationem faceret; humiliat enim, ut sublevet. *ser. 17. Hexaem.*

28. *Christus pascit suas oves multipliciter.*

Moyses pascebat oves Iethro &c. Nota hic est figuratus pastor verus, scilicet Christus qui pascit suas oves per doctrinam, per gratiam, & Eucharistiam. *serm. 2. Dom. 1. post oct. Pascha.*

29. *Christus invenitur in corde ferventi ab ovibus ex diligentia boni pastoris.*

Moyses pascebat oves, & minavit ad interiora &c. Hoc est munus boni Prælati, qui exemplo, & verbo ducit oves suas ab exterioribus ad interiora, in quibus invenitur ignis amoris divini, & Christus. *serm. 2. Dom. 1. post oct. Pascha.*

30. *Mons, & solitudo locus magis ad contemplationem aptus.*

Minavit gregem ad interiora deserti: ad montem Dei. Cur minavit greges ad interiora deserti, & ad montem? Cur non ad alia pascua? mysticè significatur, quod mons, & desertum, seu solitudo est locus magis aptus ad contemplationem, & orationem. *In Luc. cap. 9. vers. 28. & cap. 3. vers. 3.*

31. *Deus utitur Angelis loco sui in apparitionibus.*

Apparuit ei Dominus. Nota, quod hic dicitur: *Deus apparuit*: fuit autem Angelus, ut notat Apostolus, *in Act. Apost. cap. 7.* quia utitur eorum ministerio, quia se ostendit per subjectam materiam. *Psalm. 6.*

32. *Qui avertit se ab inferioribus ad superiora, à Deo trahitur & ad Dei visionem.*

Apparuit ei Dominus. Ecce fructus sequestrationis ab inferioribus, nempe visio Dei: sic tu, si vis ad superiora trahi, si vis videre Deum, relinque inferiora, diverte terrena. *In Ioan. collat. 88.*

33. *In Beata Virgine, ut Rubo ardente apparuit Christus.*

Apparuit Dominus in flamma ignis de medio Rubi, qui ardebat, & non comburebatur. Quid est iste Rubus ardens? iste est beata Virgo Maria, de quâ canitur ista laus

Mater tua virginitas
Rubo montis ostenditur
Horeb, cujus viriditas
Per ardorem non uritur:
Sic nec tua corrumpitur
Virginalis integritas,
Dum ventre tuo iungitur
Humanitatis Deitas.
Opusc. laus B. Virg. fig. 7.

34. *In Christi humanitate collocata fuit Divinitas ardens, & consumens.*

Apparuit ei Dominus de medio Rubi &c. Cur Deus in deserto Horeb apparuit de medio Rubi? Vide figuram Incarnationis dominicæ. In deserto enim mundi in Rubo humanitatis apparuit Divinitas sine combustione peccati, & corruptionis: Ad hunc Rubum, qui vult accedere, solvat calceamenta

cæmenta affectuum terrenorum. *ferm. 1. de Circumcisione.*

35. *Incarnatio ostensa Moysi: ejusq; mirabiles effectus.*

Apparuit ei Dominus de medio Rubi &c. Nota quod hæc revelatio sensibiliter facta est Moysi de Incarnatione futura: nempè ostendit ei unionem futuram inter Divinitatem, & humanitatem, inter æterna, & temporalia. *Op. de septem itin. atern. itiner. 5. d. 3.*

36. *In passione humanitas ardebat, & Divinitas non consumebatur.*

Apparuit ei Dominus de medio Rubi. Oh quàm verum est, quod Christus in hoc deserto se præcipitavit in ignem in medio Rubi, scilicet passionum: in quo Rubus humanitatis ardebat, & patiebatur, sed Divinitas erat illæsa. *ferm. 2. in Parasc. cev. & comp. Theol. l. 4. c. 5.*

37. *In corde ardente amore Dei apparet Dominus.*

In medio Rubi apparuit Dominus. Hic est cor ardens charitate Dei: in hoc apparet Dominus, & suam visionem, & fruitionem confert. *fer. 2. Dom. 1. post oct. Pascha & op. spec. B. Virg. & in Luc. cap. 1. verf. 27.*

38. *Vterus Virginis Mariæ est Rubus ardens.*

Apparuit de medio Rubi. Nota medium Rubi est uterus Beatæ Virginis, in quo Verbum indutum carne apparuit sine combustione carnalis concupiscentiæ. *In Luc. c. 1. v. 27. op. sp. B. Virg. lect. 11.*

39. *Exigit specialem intentionem à nobis Deus, quando loquitur.*

Vocavit Dominus Moyses, Moyses. Cur ingeminat nomen? Id fit ad captandam attentionem specialem ad ea, quæ dicturus est: Id fit à Deo nobiscum, quando pluries pulsat ad cor, & invitat ad auditionem suorum verborum, & inspirationum. *In Luc. cap. 10. v. 41.*

40. *Qui ad Deum vult accedere, debet deponere vetustatem peccati, & novum induere habitum.*

Solve calceamentum de pedibus tuis. Cur præcipit Deus depositionem calceamentorum? Nonne calceati possunt homines ad Deum accedere? Nota, quod hæc calceamenta significant vetustatem peccati: Dixit igitur, *solve calceamentum de pedibus tuis* id est, si vis ad me accedere, depone vetustatem peccati, & novitatem vitæ assume. *In Luc. cap. 15. v. 29.*

41. *Volenti Deo servire omnia temporalia abdicanda.*

Solve calceamentum de pedibus tuis &c. Nota, quod hoc dicitur omni volenti in Religionem intrare, & Deo servire: Solve calceamentum, scilicet vetustatem peccati, & veteris vitæ: Nota, quod dicit, solve calceamentum de pedibus tuis, idest affectibus, quod perfectè implent, qui transitoriis abdicatis, non solùm peccata, sed etiam occasiones fugiunt peccatorum, veteriq; fermento per puram confessionem plenius expurgato in vitæ novitate perfecta, soli prælignur Domino militare: & hæc ratio, quare ingressis in Religionem in principio præcipitur, ut confessionem peccatorum generalem ante omnia præmittant: malorum namq; confessio, initium est bonorum, quia ordinis status, res, & reatos rejicit. *op. specul. discipl. p. 1. cap. 1.*

42. *Opera mortua reficienda; viva sunt facienda à Dei servis in cuius figuram multi religiosi discalceati incedunt.*

Solve calceamentum de pedibus tuis &c. Quid est solvere calceamentum de pedibus, nisi rejicere vestes de pellibus animalium mortuorum factis? Significatur ergo, quod opera mortua Deus non vult, sed viva, scilicet facta in gratia: In cujus figuram multi religiosi discalceati incedunt, scilicet ad significandum, quod eorum vita est ab omni carnalitate aliena. *In Ioan. c. 1. v. 27. & op. Ap. paup. resp. 4. c. 1.*

43. *Contemplativus debet se exuere ab omnibus imaginibus creaturarum.*

Solve calceamentum de pedibus tuis. Nota, quod pedes Animæ sunt intellectus, & affectus, quibus ad Dei fruitionem itur: Isti pedes ab omnibus pellibus, id est creaturarum imaginibus mundandi sunt ab Anima contemplativa, & in Deum per fidem immediate ferri debent: Ideò sponsa in canticis dicebat, se lavasse suos pedes, scilicet expurgasse ab omni sensibilitate creata. *op. de septem itin. aternit. iter 4. d. 7.*

44. *Aliquando Deus vult à nobis reverentem recessum, aliquando humilem accessum.*

Ne accedas huc: solve &c. Cur præcipit Deus Moysi iam dilecto, ut non ad ipsum accedat? Nonne præcipiebat David omnibus Dei servis dicens, *accedite ad eum*? Nota, quod Deus aliquando vult, ut quis non accedat ad se ob majorem reverentiam, ut hic: aliquando vult humilē accessum, ut fit ad receptionem Eucharistiæ. *l. 4. d. 10 p. 1. q. 1.*

45. *Ecclesia locus sanctus, in quo cum maxima reverentia est standum.*

Locus enim, in quo stas, Terrà sancta est. Cur terra sancta? Respondet Vgo de S. Victore, ob divinam præsentiam: Sed nonne Deus ubique est præsens? quomodò igitur dicitur ille locus sanctus ob Dei præsentiam? Nota, quod iste locus sanctus est Ecclesia, in quia Deus specialissimo modo se exhibet præsentem in Eucharistia, & ideò sanctus locus dicitur, quia sanctis operibus mancipata, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri sacrificij oblationi. Vide igitur quanta cum reverentia standum est in hoc loco sancto. *ferm. de Dedicat. & iterum ferm. 1. & 3. de Dedicat.*

46. *Deus maximè compatitur afflictis.*

Vidi afflictionem populi mei &c. Septuaginta legunt: *Videns vidi afflictionem &c.* per quam repetitionem denotatur, quod Deus maximè compatitur positis in afflictione, maximeq; vexatis à Diabolo, eosq; oculo misericordiæ aspicit, ne in desperationem cadant. *In Psal.31.In sap.c.10.& In Luc.c.19.v.41.& cap.5.v.20.*

47. *Gratiam prævenientem Deus omnibus exhibet, & deinde concomitantem.*

Vidi afflictionem populi mei. Cur præmittit ad liberationem populi hanc visionem? Nonne sciebat hoc Moyses? Vt daret intelligi, quod Deus peccatorem prius vidit, idest videre facit per gratiam & illuminationem prævenientem, & deinde, per concomitantem concursum ad peccatoris liberationem. *In Luc.c.15.v.10.*

48. *Christi adventus in carnem præfiguratus in hoc loco.*

Descendi in Ægyptum, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum &c. Quomodò dicitur Deus descendisse in Ægyptum? Nonne Deus est ubique? Nota, quod Deus dicitur descendisse scilicet ad sumendam carnem nostram: & dicitur descendisse in Ægyptum, scilicet assumendo pœnalitatem nostræ miseriæ, ut virtus potentissima ad roborandum nostram impotentiam, & ut patienter sustinendo mala pœnæ, in nobis deleret mala culpæ, seque tradendo in manibus Iudæorum, nosq; liberaret de manu Aegypriorum, id est Dæmonum, & in suscipiendo mortem temporalem destrueret mortem æternalem: Vide qualis descensus fuit iste Domini nostri Iesu Christi. *ser. 2.Dom.10. post Pentec.*

49. *Deus per pauca, & parua promissa introducit mentem ad magna videnda.*

Et educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam &c. Vide quomodò rudi populo Deus de præsenti vita aliquid promittit, ut in futuro robustius solidaret, & largiendo terram, cælestia suaderet, & ut percipiens quod videbat, speraret, quod non videbat: *Sic sanctus Gregor.* Sic enim per ista pauca inducebat populum illum ad magna credenda. *serm. 14. Hexaem.*

50. *Anima recipiens verbum Dei terra bona est, & fructifera.*

Educam de terra illa in terram bonam &c. Vide quid facit Deus ad Animam descendens, illam enim in terram bonam, & fructiferam reducit, dum verbum Dei in ea recipitur. *In Luc. cap. 18. vers. 8.*

51. *Obedientia sola debet movere Concionatorem ad suum munus obeundum.*

Veni mittam te ad Pharaonem. Nota, quod sicut Moyses rectè obivit suum monus, quia à Deo vocatus est, & ipe sex obedientia sola missus est Sic hæc est ex potioribus conditionibus concionatorum, qui ad liberandum homines ex Ægypto de manu Diaboli mittuntur, nempè obedientia, ob quam dicitur à Christo concionatori. *Veni mittam te &c. In Lucam Proœm.*

52. *Moyses à Iudæis contemptus figura Iesu Christi.*

Veni, mittam te ad Pharaonem &c. Moyses fuit primus servus, de quo locutus est Christus Iudæis, *Luca cap. 20.* qui missus ad inquirendum fructum vineæ, quem Iudæi irritavetunt cum Aaron, & ideò figurabat Christum à Iudæis reprobatum *In Luc.c.20.v.10.*

53. Concionator missus ad concionandum debet se priùs humiliare, & totum se obedientiæ committere, diceteq; cum Moyse, *quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? In Luc. proœm.*

54. *Nomen proprium Dei est ego sum qui sum, vel qui est, & quare.*

Si dixerint mihi, quid est nomen ejus? Dixit Deus ad Moysem: Ego sum qui sum: qui est misit me ad vos. Quid sibi vult hoc nomen: *Ego sum, qui sum, vel est?* Cur dicitur hoc esse nomen proprium Dei? quia solùm hoc nomen significat substantiam divinam absolutam, independentem, & infinitam: cætera verò important secum aliquam imperfectionem, scilicet, vel in significatione, vel in modo significandi. *l.1.d.2.dub.4. & Comp. Theol.l.1.cap.1.& cap.23.& in Ioan.c.8.v.24. & 28.& collat.16.*

55. *Esse absolutum Dei est primum speculabile in Deo.*

Ego sum qui sum; qui est misit me ad vos. Si hoc est nomen proprium Dei, ergo primum speculabile circa Deum, est ejus esse absolutum, ob idque & manifestissimum, & perfectissimum; quia si ejus esse est absolutissimum, & independens, ergo quicquid est, ab eo est, & dependet: & ideò omnia creata repræsentant hoc esse Dei. *serm. 10 & 11. Hexaem. & op. Princip. Sacr. scrip.& in sap. cap.13.*

56. *Idem de hoc nomine Ego sum qui sum.*

Ego sum, qui sum,& qui est misit me ad vos. Cur non dicit, qui erat misit me, sicut D. Ioannes dixit: *In principio erat verbum?* Nota, quod hic exprimitur nomen absolutissimum Dei: Sanctus Ioannes verò exprimere intendebat æternitatis durationem divinæ, & processionem coæternam Verbi ex Patre: At in hoc nomine comprehenditur coexistentia ad omne tempus, & ob id etiam æternitas. *In Ioan.cap. 1. v. 1. & collat. 1. & In sap.cap.13.*

57. *Deus summa veritas.*

Ego sum qui sum. Si hoc nomen est essentiale Deo, quia est suom esse absolutum, & independens, ergo est summa, & indeficiens veritas: Hinc vete dicebat Christus de se ipso: *Ego sum via,*

via, & veritas. In Luc.cap.16.v.11.& cap.20.v.36. & In sap.cap.13.

58. *Deus specialem amoris prærogativam in suos amicos involvit in suo Nomine.*

Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Cur post expressionem sui nominis Deus se appellat Deum Abraham? Respond. ut specialem prærogativam amoris in suos servos exprimeret. Nota autem hic, quomodò Deus paulatim seipsum prodidit: Nam in tempore legis se dixit Deum unum, & postea tempore legis gratiæ, se esse trinum. *In Psalm. 139. & 128. & op. Itiner. ment.cap.5.*

59. *Incarnatio promissa Filiis Israel existentibus in Ægypto.*

Visitans visitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto &c. Nota hanc repetitionem visitationis Divinæ: Nam, (ut ait Glossa) importat specialem prærogativam amoris, qui maximè ostensus est à Deo in Incarnatione: & ideò in his verbis promisit visitationem futuram per Incarnationem, per quam eduxit hominem de servitute Ægypti. *In Luc.cap.1.v.68.*

60. *Christus medicus prius hominem vulnerat, ut postea medicum quærat.*

Visitans visitavi vos. Quid est visitans visitate? Nota quod alia est visitatio Dei per correptionem, & tribulationes, quas Dominus suis immittit: percutit enim affligendo, ut Christum medicum quærant. *serm. 3. Dom. 14. post Pentecost.*

61. *Multiplex visitatio Dei expenditur.*

Visitans visitavi vos. Vide qualem curam Deus habet de nobis. Visitat enim nos multipliciter: primò ad corrigendum delinquentes, ut Legatus Provinciam: secundò ad justificandum pœnitentes, ut medicus ægrotum: Tertiò ad docendum ignorantes, ut magister discipulum: Quartò ad excitandum negligentes, ut Princeps populum: Quintò ad promovendum operantes, sicut vinitor vineam suam: Sextò ad conservandum obedientes, ut pastor gregem: Septimò ad fæcundandum contemplativos, ut sponsus sponsam: Octavò ad adjuvandum pugnantes, ut Rex exercitum: Nonò ad consolandum patientes, ut sanus infirmum: Decimò ad remunerandum operarios sicut Pater familias perseverantes. *In Luc.cap. 7. vers.79.*

62. *In transitu pœnitentiali requiritur iter trium dierum.*

Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino. Cur præcipit Deus, ut quærant filij Israel à Pharaone licentiam trium dierum ad itinerandum in desertum, & Domino immolandum, cum certum sit plurium dierum iter fuisse necessarium? Mysticè datur intelligi, in transitu à statu peccati ad statum veræ pœnitentiæ requiri tres diætas pœnitentiæ, scilicet contritionem, Confessionem, & satisfactionem: Sine istis tribus partibus non potest quis perfectè recedere ab Ægypto culpæ. *op. Comp. Theol. lib.6. cap. 23. & fer.4.Dom.4. Adu. & fer.3.Dom. inf.oct. Ascens. & In Luc. cap. 13. vers. 33.* Et in hujus veritatis signum Christus per tres dies requievit in sepulchro, quia per has tres diætas requiescit Christus in corde pœnitentis. *serm. 3. Dom. inf. oct. Ascens.* *Vide infra ad Exodi v. 2. & 3. & ad cap. 8.*

63. *Per notitiam legis veteris triplicem pervenitur ad notitiam legis Evangelicæ.*

Ibimus viam trium dierum. Ergone per tres tantum diætas ituri erant Iudæi in Terram promissionis? Nonne plures annos consumpserunt in deserto antequam ad dictam Terram pervenirent? Sed hoc fuit dictum ad mysterium maximum insinuandum, & ad docendum, quod ad perveniendum in Terram promissionis, scilicet ad statum legis gratiæ, iter trium dierum requirebatur, scilicet triplex notitia rerum legis Mosaycæ, visualis, vocalis, & manualis existens in visis, in dictis, & in operibus: Sic enim per figuras manuales volebat Deus allegoricè ducere hominem in notitiam rerum invisibilium comprehensarum in doctrina Evangelica, quia lex vetus ducit in cognitionem Evangelij. *In Psalm. 118. cap.1.v.14.*

64. *Triplex notitia prærequiritur ad ascendendum in cognitionem divinorum.*

Ibimus viam trium dierum. Quia volebat Deus ducere suos electos in apicem montis, scilicet in notitiam divinorum, proposuit eis tres diætas, quarum prima est sicut vespera: secunda sicut mane: Tertia sicut meridies: In prima ascenditur per vestigia creaturarum secundùm propriam existentiam: In secunda, secundùm existentiam earumdem in intelligentia nostra: In tertia secundùm existentiam earumdem in arte, & ideis divinis: Et ecce scala, per quam per creaturas ascensus fit in Deum, tanquam in primum principium. *op.itin.ment. cap.1.& op.de septem itin.æternitatis.itin.5. d.2. & 4.*

65. *In Christo habemus scalam ascendendi in Deum.*

Ibimus viam trium dierum. Quænam est hæc via, per quam tres diætas insumere debemus, ut ad Terram promissionis possimus ascendere? Nota, hæc via est Christus: in hac triplex diæta proponitur consideranda, scilicet triplex substantia Christi, corporalis, spiritualis, & divina: per quarū considerationem, & meditationem Anima nostra consurgit ad Deum diligendum, ex tota mente, ex toto corde, & ex tota Anima, in quibus consistit, & vera sapientia, & observantia perfecta legis divinæ. *op.itiner. ment. c.1.*

66. Fidei

66. *Fides vera ducit nos in notitiam Sanctissimæ Trinitatis*

Ibimus viam trium dierum. Quæ est via trium dierum proposita filiis Israel? Hæc est fides catholica, quæ ducit nos in notitiam sanctissimæ Trinitatis. *serm.3.Dom.Trinit.*

67. *Deus ut Dominus rerum transfert eas pro libito ab uno possessore ad alium.*

Postulabit mulier à vicina sua vasa argentea, & spoliabitis Ægyptum. Quæritur hic, an hæc ablatio rerum facta ab Hebræis fuerit licita? Respondetur: quod fuit licita & meritoria: quia cum Deus sit supremus rerum Dominus transtulit dominium ab Ægyptiis ad Hebræos. *lib. 4. d. 15. p. 2. art. 2. quæst. 1. ad primum.* Sed dices: ergone furtum erit licitum? Nonne Deus prohibet illud? Resp. quod aliqua sunt opera, quæ ideò sunt mala, quia prohibita, ut est furtum: Vnde ablato præcepto, non amplius sunt mala: hinc talis ablatio, quia à Deo fuit præcepta, non fuit mala, sed bona. *l. 4. d. 47. a. 1. quæst. 4. ad arg. & d. 31. a. 2. q. 2. in Comp.*

68. *Scientiæ Gentilium sunt ancillæ sacræ Scripturæ.*

Et spoliabitis Ægyptum &c. Quid est mysticè spoliare Ægyptum? Nota per vasa, & divitias Ægypti significantur Gentilium scientiæ: Istas enim voluit Deus à sacris Scriptoribus, & Theologis tolli, ut veluti ancillæ Sacræ Scripturæ inserviant ad ditandum eos, & ad melius eam intelligendam. *op. princip. sac. Scripturæ.*



CAPUT IV.

69. *Deus non operatur miracula, nisi prius cognoscatur à nobis indigentia.*

Respondens Moyses ait, non credent mihi: Dixit ergo ad eum, quid est quod tenes in manu tua &c. Cur volens Deus in Moysis cor imprimere fidem, petit, quid teneat in manu sua? Cur voluit, ut prius virgam adspiceret, antequam in serpentem commutaret? quia quando vult miraculum aliquod patrare, vult, ut prius agnoscatur inopia, & status, ex quo fit transitus per miraculum ad alium statum: Vult enim, ut miraculorum patratio à Dei virtute cognoscatur; sicq; interrogat prius Moysem, quid in manu teneret, nempe virgam ligneam, ut miraculum ipsius conversionis in serpentem magis pateficat: Sic *In Ioan. cap. 6.* antequam multiplicaret panes, interrogavit Discipulos, unde emendi essent panes ad reficiendum turbas. *In Io. cap. 6. v. 5.*

70. *Christus cum esset immortalis, in Incarnatione factus mortalis.*

Projecit virgam in terram, & versa est in colubrum. Cur Deus voluit, ut virga in terram projecta verteretur in colubrum? per virgam significatur Divinitas Christi, quæ in Incarnatione versa est in colubrum, scilicet, cum Christus per Divinitatem esset immortalis, per Incarnationem factus est mortalis: Mors enim significatur per serpentem. *In Ioan. c. 3. v. 15.*

71. *Correctio divina aliis vertitur in pœnam æternam: aliis in dulcedinem cælestem.*

Et versa est in colubrum &c. Cur hæc virga qua Deus voluit, ut patrarentur tot miracula, præcipuèq; educerentur aquæ de petra, voluit ut prius in serpentem verteretur? Vt significaretur, quod virga correctionis divinæ aliquibus vertitur in colubrum, scilicet æternæ damnationis: aliis verò inserviat ad extrahendam aquam contritionis, & lachrymarum, & istis vertitur in dulcedinem gratiæ, & consolationis. *fer. 4. Dom. 2. post oct. Paschæ.*

72. *Avari manus leprosa: misericordis sana, & munda.*

Mitte manum tuam in sinum. Quid voluit significare per manum prius factam leprosam, & deinde mundatam, dum extracta est è sinu? Vt daretur intelligi, quod qui contractam habet manum ad dandum pauperibus, & ad accipiendam pecuniam per usuram, rapinam & furtum, leprosam habet manum, & immundam: Si verò extrahitur ad largiendum in usus pios, tunc efficitur munda. *ferm. 1. Dom. 3. post Pentec.*

73. *Dominus vult agnosci Dominus mortis, & vitæ, sanitatis, & infirmitatis.*

Protulit manum leprosam, postea mundam. Per hoc edocemur, quod in manu Domini est mors, & vita, sanitas, & infirmitas. *In Luc. cap. 6. vers. 10.*

74. *Pœnitentia sanat Animam à Lepra peccati.*

Protulit manum mundam &c. Cur ex sinu retracta est manus sana, quæ prius fuit Leprosa? Nota, quod sinus est pœnitentia, ex qua retrahitur manus Animæ munda. *ferm. 2. Dom. 2. post oct. Epiphaniæ.*

75. *Qui mittitur ad prædicandum debet se coram Deo humiliare.*

Obsecro Domine, non sum eloquens &c. Vide quomodò Moyses ad officium salvatoris populi destinatus, fatetur suam imperitiam: ut instruantur concionatores, quod missi ad concionandum, debent se totos committere sacræ obedientiæ, & à Deo expectare facundiam, cum humana mens, nec cogitare,

cogitare, nec proferre aliquid dignè potest sine Deo. *In Luc. proœm. & in sap. cap. 10. In fine, & in Psal. 77.*

76. *Allocutio Dei interna perfectior externa.*

Ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum. Cur ex allocutione divina Moyses dicitur factus impeditioris linguæ? Nota, quod allocutio Dei fuit externa: daturq; intelligi, quod allocutio externa Dei est imperfectior interna: nam illa externa facta per Prophetas dicitur impeditioris linguæ: Interna verò affert præsentiam Dei, & illuminationem mentis admirabilem, & infusionem gratiarum. *Op. de dono intellectus c.6.*

77. *Deus Prædicantibus ex obedientia assistit.*

Quis fecit os hominis? Ego ero in ore tuo. Vide, quod Deus volens mittere Moysen ad Pharaonem, promittit ipsi suam assistentiam: Datur per hoc intelligi, quod Deus peculiari modo assistit Prædicatoribus, qui ex obedientia ad erudiendum populum mittuntur; vult autem, ut omnes addiscant, se esse omnium primum principium, & quod ab ipso solo sapientia est expectanda. *In Luc. proœm. & c.21.v. 14. & in sap. c.10.in fine, & serm. 10. Hexaem*

78. *Charitas fraterna qualem lætitiam cordi afferat.*

Aaron frater tuus, ecce ipse egreditur in occursum tuum, videnſq; te lætabitur corde. Vide quid operetur in corde charitas fraterna, nam & occurrit necessitatibus fratris, & lætitiam cordi ingerit: Ideò sanctus Pater Franciscus præcipit suis fratribus, ut quando se mutuo occurrunt, lætitiam mutuam, & familiaritatem inter se ostendant. *Psal. 118. c.5. v. 10.*

79. *Obduratio qualis est à Deo.*

Ego indurabo cor Pharaonis, &c. Intellige de obduratione, quæ est pœna ordinata ad punitionem culpæ: non verò prout dicit defectionem à Deo, quia ab ipso talia obduratio non potest esse. *lib. 1. d. 40. a. 4. q.2. & op. de invisibilitate Dei.*

80. *Circumcisio spiritualis Animæ, qualiter facienda, & quàm necessaria.*

Tulitq; illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, &c. Nota, quod sicut sub pœna mortis præcepit Dominus Sephoræ; ut circumcideret filium: sic datur intelligi, quod per petram pœnitentiæ debet Anima circumcidi ab omni superfluitate, & peccati, si vult Deo vivere. *serm. 2. de Circumcis.*

CAPUT V.

81. *Per triplicem legem Deus ducit omnes homines ad beatitudinem.*

Deus vocavit nos, ut eamus viam trium dierum. Nota, quod hic ponitur via trium dierum, scilicet trium legum, per quas Deus duxit, & ducit homines ad salutem, scilicet per legem naturæ, per legem scriptam, & per legem gratiæ. *In Luc. c.13. v. 33.* Vide supra ad Caput 3.

82. *Qui sunt, qui nesciunt Deum.*

Respondit Rex: quis est Dominus? nescio Dominum, &c. Vide quomodò iste impios fatetur se non agnoscere Deum: Oh quot hoie similes: Alij enim verbo, & facto negant se noscere Deum: Alij dicto fatentur, sed factis negant. *In Sap. cap. 16.*

83. *Qui avertunt juvenes ab ingressu Religionis sunt similes Pharaoni.*

Quarè sollicitatis populum ab operibus suis? Hæc dicebat Pharao Moysi, & Aaroni: Hæc eadem dicunt mundani viris spiritualibus sollicitantibus juvenes ad exeundum de Ægypto, & ad ingressum in Religionem, suntque similes Pharaoni, impugnantes viros spirituales, & vocatos ad Religionem verbis, & factis cogentes ad dura opera lateris, & ad jugum importabile servitutis. *Op. Apol paup. resp. 4. c. 3.*

84. *Fundamentum fabricæ mundi labile: vitæ spiritualis verò stabile.*

Nequaquam dabitis paleas ad conficiendos lateres, sed ipsi colligant, &c. Cur lateres Ægypti coquerentur igne paleæ? ut per hoc discas discrimen inter fundamenta fabricæ mundanæ vitæ, & spiritualis: nam illud est ex lateribus coctis palea, idest labile, & vanum: Istud est coctum ex charitatis incendio, ideò stabile. *Op. Diat. sal. tit. 5. cap. 2.*

85. *Vita iniquorum laboriosa, & difficilis.*

Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Vide quomodò Deus figuram ostendit eorum, qui in Ægypto mundi serviunt Diabolo: nam isti stulti, dum veluti profugi ejiciuntur à Deo, fugiunt bonum, & ad malum se convertentes, disperduntur ad colligendas paleas vanitatum; quia cum se à Deo separant, in multa evanescunt, & per tot loca dispersi, quot sunt vitia, in quæ sunt distracti: O quàm laboriosa est vita malorum. *serm. 3. Dom. 4. post oct. Epiph.*

86. *Flagella iniquorum à Diabolo inducta.*

En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum. Vide figuram expressam sequacium Diaboli, qui varijs flagellis tribulationum cæduntur. Nam aliqui ob inopiam peiores fiunt furando,& res alienas rapiendo:alij blasphemant:alij propter injurias odiunt, & occidunt. Et nota, quod Diabolus flagellis suis inducit pronitatem ad peccandum, multiplicitatem peccatorum, & diuturnitatem in peccatis. *serm. 2. Dom. Quinquages.*

87. *Boni flagello linguæ malorum à Diabolo flagellantur.*

Et famuli tui flagellis cædimur. Nota, quod hoc dicere possunt Dei electi, qui utiq; à Diabolo continuè flagellantur flagello linguæ. *ferm. 2. Dom. quinquages.* mali enim ex instigatione Diabolica in bonos insurgunt, eosque persequuntur detractionibus, injurijs, & malis operibus. *Ibidem.*



CAPVT VI.

88. Deo in Scriptura imposita sunt multa nomina ad indicandam aliqualiter eius multiplicem perfectionem: Unde hic appellat se Dominum, dicens. *Ego Dominus, & Nomen meum Adonai. lib. 1. d. 22. art. 1. quæst. 2. & lib. 3. d. 25. a. 2. quæst. 1.*

89. *Deus vult dare gratiam, sed prius vult à nobis rogari.*

Audivi gemitum filiorum Israel, & recordatus sum pacti mei, &c. Cur expectat Dominus, ut filij Israel gemitu petant executionem promissionis jam factæ terræ promissionis? Cur non statim eius possessionem tradidit? quia voluit, ut cognoscerent suam ipsorum indigentiam, & ideò, ut ad ipsum gemitibus, & precibus recurrent; licèt enim Dominus promittat, & velit dare beneficia, & aliquando etiam immediatè, & concedat sine precibus, vult tamen, ut plurimum, quod interveniant, vel preces Ecclesiæ, vel propriæ. *In Luc. c. 4. v. 38.*

90. *Omnipotentia Dei in liberando nos à periculis, tunc maximè elucet, quando jam casus est desperatus, & humana deficiunt.*

Educam eos de ergastulo Ægyptiorum. Cur appellat Ægyptum ergastulum? Ægyptus est regio vastissima: ergastulum est locus parvus, & carcer, in quo rei ligati sunt ad opera ardua facienda, ait Glossa, ex quo difficillimè quia evadit. Apellat ergastulum, ut indicet, quod oppressio filiorum Israel erat ad tantas angustias redacta, quod sola divina omnipotentia poterat eos liberare. *In Sap. c. 16.*

91. *Religiosorum obligatio qualis.*

Caath filij sunt Amram, & Isaar, &c. Notandum quod per istas tribus significantur Religiosi, & ministri varij Ecclesiæ, & quia inter filios Israel numerantur filij descendentes à Caath, ex tribu Levi, quorum officium erat portare Arcam, & Altare, & mensam propositionis cum vasis suis, involuta tamen, & cooperta, ut patet *in Num. & Paralipom.* Caath autem interpretatur patiens, vel componens; ideò per hos significantur Religiosi optimi, qui student, & componunt interiorem hominem, in quo Christus inhabitat per fidem; & se exercent in extirpatione vitiorum, & in acquisitione virtutum; ordinando se ipsos rectè ad Deum, & ad proximum; ut cordis sanctuarium Deo exhibeant, & isti sunt viri religiosi Deo chari. *Op. de perfect. relig. l. 1. c. 3.*

92. *Circumcisio linguæ necessaria servienti Deo.*

Et ait Moyses coram Domino: en incircumcisus labijs sum ego, &c. Vide humilitatem Moysis coram Domino: fatetur enim se incircumcisum labijs, & ideò inhabilem ad verba Dei loquendum coram Pharaone: Dat nobis intelligi, quod qui vult dignè Deo ministrare, debet circumcidere se ab incauta locutione. *ferm. 2. de Circumcisione.*



CAPVT VII.

93. *Deus servos suos Deos constituit.*

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Vide beneficentiam Dei in servos suos, qui licèt divinitatem essentialiter non possit communicare: nuncupatione, & adoptione tamen eos Deos constituit, talesque sunt Iusti, recti, veraces, & sapientes. *In sap. cap. 14. & serm. 4. Dom. 4. quadrag.*

94. *Dæmonis potestas qualis in productionibus, & generationibus formarum corporalium.*

Vocavit autem Pharao sapientes, & maleficos, & per incantationes Virgæ eorum versæ sunt in Dracones. Quæritur hic, an verè fuerint serpentes, & an Diaboli ministerio potuerint illæ virgæ converti in serpentes? & si hoc admittitur, ergo potuerunt & alia quæcumq; animalia generare? sed respondetur, quod Dæmonum potestas non est in quolibet ad quodlibet: hoc enim est solius Dei omnipotentis: Nec item possunt animalia perfecta effotmare, sed tantùm educere illas formas ex seminario materiæ corporeas, quæ non indigent longa, & multa dispositione

dispositione, ut sunt animalium imperfectorum, quæ ex putri etiam generantur, ut ranarum, serpentium, &c. Idq; non est verum miraculum, sed tantùm opus mirabile. *l.2.d.7.p.2.a.2. & op. Comp. Theol.l.1.c.28.*

95. *Peccatum convertit Angelos in Dracones.*

Virgæ versæ sunt in Dracones. Mysticè istæ virgæ sunt Angeli apostatici, quæ in terram projectæ, scilicet per peccatum in Dracones conversæ sunt. Ecce, quod peccatum Angelos malos convertit in Dracones. *serm.3.Dom.1.Advent.*

96. *Christus abstulit virtutem Diabolo.*

Virga Aaron devoravit virgas eorum. Mysticè Virga Aaron est Christus emissus ex Sion, qui dominatur in medio inimicorum: ideò devoravit suppeditando Dæmonum malitiam, & compressit eorum potestatem. *serm. 3. Dom. 1. Advent.*

97. *Gratiæ subtractionem sequitur cordis obduratio.*

Cor Pharaonis induratum. Quomodò induratum? nempè per gratiæ subtractionem, & hæc ex culpa hominis non ex Deo principaliter obvenit. *l.1.d.40.a.4.& Psal.94.*

98. *Potentia Diaboli subversa.*

Cor Pharaonis induratum, &c. Nota, quod Pharaonis cor dicitur hic immutatum, aggravatum, & induratum, per quæ significatur triplex subversio per peccatum secuta in Diabolo: nempe ejus cor immutatum ad irrationalem furiam: aggravatum ad dementem concupiscentiam; & induratum ad phantasiam protervam: Unde Diabolus dicitur bestia, demens, & phantastica; ex quo patet, quod licèt naturalia remanserint in Dæmone; per peccatum tamen fuerunt alterata, & subversa, & obnubilata in malum. *Psal. 118.cap.5.v.6.& l.2.d.7.p.2.a. 1. q. 1.* Et si quæras, quomodò Dæmones, cum sint sapientissimi, tamen sæpè errant. Resp. quia, cum sint præsumptuosi, & curiosi, exire volunt in judicando extra suam sphæram, ideò & veritatis tramite in errorem labuntur. *l.2.d.7.ibidem.*

99. *Cur data est à Deo Dæmoni tanta potestas, & præcipuè fallendi homines.*

Virga eorum versæ sunt in Dracones. Cur Deus permissis Dæmonibus dedit potestatem exercendi magicas artes? nonne hoc redundat in ruinam hominis? Resp. quod Deus reliquit integra naturalia Dæmoni; & ideò Deus permittit, ut possit exercere magicas artes; Primò ad fallendum fallaces sicut Ægyptios, & ipsos magos: Secundò ad monendum fideles, ne tale quid pro magno desiderent, cum videant etiam malos facere hujusmodi: Tertiò ad exercendum patientiam, & fidem justorum. *Op. Comp. Theol. lib. 2. cap. 27.*

100. *Per miracula Deus patefieri vult suam potentiam.*

Aqua versa est in sanguinem, &c. Nota, quod hoc fuit initium portentorum, quibus Deus ostendit suam omnipotentiam in Ægypto: hoc enim Deus intendit in patratione miraculorum. *serm.9.& 14. Hexaem. & serm.1.in Epiph.*

101. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Aqua versa est in sanguinem. Cur voluit Deus, ut prima plaga fuerit inversio aquæ in sanguinem? Ut pœna responderet peccato, quia ut sacrificarent sculptilibus effuderunt sanguinem filiorum: occiderunt enim parvulos Hebræorum in aqua fluminis. *serm. 7. de decem præceptis, & Glos.Interl.*



CAPUT VIII.

102. *Perjuri, & blasphemi à Deo puniuntur.*

Ascenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti. Hæc est secunda plaga Ægypti, per quã significatur, quod ranæ, scilicet blasphemi, & perjuri à Deo sunt maledicti: sicut enim rana est animal clamosum, quod se ipsam clamando consumit: sic & blasphemi, & perjuri stabilitatem veritatis perdendo seipsos consumunt. *serm. 7. de decem præceptis.*

103. *Detractores sunt ranæ Diaboli Deo exosi.*

Ascenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægipti. Oh quot ranæ Inferni videntur in terra: sunt autem detractores, qui in aquis immundis habitant, & sua crocitatione alios inquietant. *ser. 4.Dom.3.in quadrag.& serm.7.op.de decem præceptis.*

104. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Et extendit manum Aaron, virgam tenens, percussitq; pulverem, & facti sunt sciniphes in hominibus, & jumentis. Nota, quod sciniphes est musca parva valdè inquietans homines, maximè per os, & nares: & hæc tertia plaga Ægypti culpæ est proportionata, quia adorabant sculaputum sub specie serpentis: Mercurium sub specie canis: Iovem sub specie Arietis: Apim sub specie bovis: & ideò qui adorabant bestias nempè Leones, & ursos, sed per animalcola puniti fuerunt, ad retundendam eorum superbiam. *In Psal.77. & in sap. c.16.& ser.7.de decem precep.*

105. *Devotio in Deum, & res divinas quietem: Indevotio turbationem animi affert.*

Et facti sunt sciniphes, &c. Nota, quod pulvis terræ, scilicet amor terrenorum devotionem animi in res divinas tollit, & hæc veluti sciniphes inquietudinem, & vexationem parit in corde: è contra devotio quietem, & tranquillitatem:

 hæc

hæc enim non aliter potest haberi. *ferm.7. de decem præcep.*

106. *Mala cogitationes, & desideria in dolorem, & tristitiam terminant.*

Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes. Cur ex pulvere terræ voluit Deus producere sciniphes, & non potius ex alia materia? pulvis terræ est terra lutea, & vilissima in minutissimas partes comminuta: Ideò significat, quod facillimè, & multifariè procedunt sciniphes ab anima terrena, nempe cogitationes, & desideria terrena, in quæ mens tam sæpè revolvitur: dicitur autem verti in sciniphes, scilicet in dolorem, & tristitiam: sicut enim hæc musca canina acutè pungit, & affert dolorem magnum, sic & talia desideria terrena ferunt secum æternas remorsiones conscientiarum. Cavendum ergo est ab istis muscis, quæ tot mala pariunt in Anima. *ferm.4.Dom.2.post oct.Pasche.*

107. *Sine fidei adjutorio non potest haberi cognitio tertia personæ Trinitatis, nec redemptionis Christi.*

Digitus Dei est hic. Nota, quod cum magi se se opposuerint ope Dæmonum alijs duobus primis signis, non valentes id facere, in hoc tertio signo fatentur, quod hæc multiplicatio portentosa sciniphum erat miraculosa, & effectus divinæ omnipotentiæ: Unde defecerunt in tertio signo: Per quod significatur, quod, cum sapientes Gentiles lumine naturæ cognoverint Deum primam causam, & aliqualiter (licèt imperfectè) eius fœcunditatem ab extra in ordine ad Verbum: sine fidei adjutorio tamen nullatenus potuerunt pervenire ad notitiam tertiæ Personæ Divinæ, nec etiam operis redemptionis Christi, quia est opus merè divinum, & supernaturale. *l.3.d.1.p.1.a.1.q.4.& ferm.9.Hexaem.*

108. *Miracula sunt propria catholicorum non hæreticorum.*

Digitus Dei est hic, &c. In hoc tertio signo defecerunt magi: sic & hæretici in hoc deficiunt, nempe in patratione miraculorum: hoc enim est catholicorum, non hæreticorum. *Op. Comp. Theol. l.1.c.17.*

109. *Digitus Dei in sacra Scriptura multipliciter sumitur.*

Digitus Dei est hic, &c. Quid est digitus Dei? Nota, quod communiter sumitur pro tertia Persona sanctissimæ Trinitatis, quia sicut digitus cum manu, vel brachio, & cum corpore sunt unum in natura, ita Spiritus Sãctus est unum cum Patre, & Filio: Dicitur autẽ Spiritus Sanctus digitus, quia ipso dictante scripta sunt secreta cælestia, & operata miracula: aliquando etiam sumitur pro tota Trinitate: aliquando pro donis Spiritus Sancti. *In Psal. c.43. In Luc. cap.11.v.30. In Ioan. c.8.v.9.& op. de invisibilitate Dei, & in sap.c.17.*

110. *Perversi quàm difficilè resipiscant.*

Digitus Dei est hic. Vide quomodò isti impij fatentur se cognoscere divinam potentiam ostensam per miracula; obdurati tamen remanserunt in sua malitia: sic enim perversi, licèt cognoscant Dei potentiam, & pœnam ab ipso malis præparatam, difficillimè tamen convertuntur. *ferm.3.Dom.3.quadrag.* Væ igitur ijs, qui in hunc profundum se præcipitant.

111. *Gratia Dei necessaria ad notitiam sapientiæ supernæ.*

Digitus Dei est hic. Vide, quod sicut isti magi per miracula divina reducuntur ad notitiam potentiæ divinæ: sic & potentiæ Animæ non potestunt ad cognitionem sapientiæ cœlestis pervenire nisi ductu digiti Dei, scilicet gratiæ eius. *ferm.2. Hexaem.*

112. *Gradus quibus ad Deum pervenitur sunt tres.*

Ibimus viam trium dierum, &c. Nota, quod gradus perveniendi ad Deum est triplex, scilicet trium partium pœnitentiæ: vel status innocentiæ, pœnitentiæ, & contemplationis. *In Luc. cap.11.v.58.& op. Comp. Theol. l.6.c.13. Vide supra ad cap.3.& 5.*

113. *Muscæ vexant Ægyptios, non Iudæos, idest spirituales.*

Venit musca per terram Ægypti, &c. Nota, hæc fuit quarta plaga, qua Deus Ægyptios vexavit: sed adverte, quod hæ muscæ erant caninæ: habent autem tres proprietates, sunt animalia volatilia, vilissima, & lædentia, pungentiaq; valdè: Per quos mysticè significantur malæ cogitationes, quæ ubiq; & quocumq; tempore, etiam orationis, volant, & mentem occupant: Item & rancorosæ affectiones, quæ pungunt cor: Item & delectationes carnales vilissimæ: Istæ muscæ caninæ inficiunt Ægyptum, scilicet mundanos, non verò habitantes in Gesseo, scilicet toto corde se dedicantes religiosis actibus, & pœnitentiæ: Gessen enim interpretatur Victima holocausti: ergo, qui se Victimam in holocaustum Domino per mysticam unionem cum Deo offerunt, non turbantur ab his muscis caninis. *ferm.7. de decem præcep. & ferm.1.Dom.2.post Pentec.*



CAPUT IX.

114. *Homicidarum pœna qualis.*

Ecce manus mea erit super agros, equos, Asinos, Camelos, Oves, & boves pestis valdè grandis. Hæc fuit quinta plaga Ægypti, scilicet mors jumentorum. Nota, quod appellatur pestis valde grandis: sed nonne fuisset, talis si in homines etiam cecidisset? Resp. quod per jumenta, quæ absq; usu rationis suas feras inclinationes exercent, significantur homines iracundi, qui alios occidere audent: Istis Deus immittit pestem valdè gravem, quia, qui gladio alium occidit, gladio perit divinæ vindictæ tanquam vile jumentum. *ferm.7. de decem præceptis.*

115. *Bona temporalia sunt despicienda, quia facilè perduntur.*

Ecce manus mea super agros, iumenta, &c. Vide, quod Deus super bona externa immittit sæpè hanc plagam, ut discamus non ipsis cor affigere, cum tam faciliter possint amitti, nempe ab interiori per mortem, ab exteriori per violentiam, & à superiori per pestilentiam, & ab inferiori per ruinam: solùm igitur in spiritualia cor est affigendum, quæ non possunt tolli, nisi nobis volentibus. *In Luc.c.14.v.5.*

116. *Deus immittit pestem in peccatorem maximè luxuriosum, redactum in bestiam per peccatum.*

Ecce manus mea super equos, &c. pestis valde gravis. Nota, quod Deus immittit pestem in jumenta, ob quam mortua sunt: Mysticè per pestem, quæ affert mortem, intelligitur pœna, quam affert secum peccatum, nempè mors culpæ, & gehennæ, ait Glossa: Hanc autem Deus immittit super jumenta; quænam sunt ista jumenta? Sunt luxuriosi bestialiter viventes, ratione non utentes: luxuria enim adeò fœdat hominem, non solùm quoad Animam, sed & quoad corpus, ut jam non animal rationale, sed potius animal brutum debeat appellari, eo quod ad modum bestiæ, quod est inferius, scilicet sensualitas facit, ut dominetur superiori, scilicet rationi: Ideò luxuriosus est veluti bestia mancipata ad pascendum animalia immunda. *serm.4.Dom.3.post Pentec.* Cave igitur ô homo ab hac peste: Cave à luxuria, ne in jumentum converraris vilissimum.

117. *Adulterorum, & luxuriosorum pœna qualis.*

Erunt in hominibus, & jumentis ulcera, & vesicæ turgentes. Cur hac sexta plaga voluit Deus punire Ægyptios? Nota, quod hæc ulcera causata fuerunt ex cinere de igne facto, ut (ait Glossa Lyrani) sicut Ægyptij malè tractaverunt Iudæos in decoctione luti, & lateris, sic per quæ peccaverant, per hæc & punirentur: mysticè significatur pœna adulterorum, qui habent vesicas turgentes; scilicet carnem infectam: vesicæ enim nascuntur ex nimio humore faciente pruritum, qui facit, ut homo scalpat se; & postea doleat: sic qui luxuriatur, primò delectatur, postea dolet, quia subjicitur multis pœnis à Deo inflictis. *serm.7.de decem præceptis.*

118. *Ex peccatis nascitur confusio elementorum, & grando, & ignis.*

Grando, & ignis mixta pariter confundebantur, &c. Vide in hac septima plaga, quod contraria contrariis mixta sunt, nec unum contrarium destruit aliud, nempè grando ignem, & è converso: quomodò ergo conciliantur ista contraria? conciliata sunt sic ordinante divina vindicta in peccatores: quia dum agitur de vindicandis peccatis, pugnat orbis terrarum contra insensatos: ex peccatis ergo nascitur grando, ignis sterilitas, aliaque mala temporalia. *In Sap.c.19.c.5.* & 16. & ideò hæc confusio elementorum erit etiam ante judicium ut in inferno ad vindictam malefactorum. *In Luc. cap.21. vers.26. & lib.4. dist.44.part.2.art.2.q.2.*

119. *Rapiens aliena meretur perdere sua.*

Et percutit grando, ignis omnia, &c. Cur Deus voluit auferre hac plaga omnia bona temporalia Ægyptiis? quia erant fures, rapuerunt que Iudæis, quod ipsis debebatur: ideò tanquam furibus Deus abstulit & propria, & aliena: furtum enim est grando omnia devastans bona. *serm.7.de decem præceptis.* Vnde ne mireris ô homo, si videas rem alienam usurpantem in totale exitium præcipitari.

120. *Non locus, sed impietas est quæ damnificat.*

Terra Gessen, ubi erant filij Israel, nihil mali patiebatur. Cur Deus exemit hanc Provinciam Ægypti ex dictis plagis? quia habitabatur ab electis, & justis: Cæteræ verò regiones, ab iniquis; ut videas, quod non locus, sed impietas, & peccatum attrahit flagella iræ Dei: Ideò etiam jumenta, quæ grandinem effugerunt, mortem non potuerunt effugere. *In Sap.c.5.* & 19. Hinc infertur, quod peccator ferens secum peccata, portat etiam secum inseparabiliter pœnalitates, & castigationem vindictæ divinæ.

121. *Confessio peccatorum facta solùm formidine pœnæ Deo exosa.*

Peccavi, & nunc: Dominus iustus; & ego & populus meus impij. Nota istam pulchram confessionem Pharaonis, & tamen mala non evasit: Cur hoc? quia fuit coacta confessio; & facta solùm formidine pœnæ, & absque intentione obediendi, vel citandi peccatum. *fer.2.in rogat.*

122. *Diversitas intentionis diversificat etiam actionem eamdem.*

Peccavi. Sic dicit Pharao: Sic & Saul. 1. *Reg. c.26.* & David 2. *Reg.c.12.* & tamen solùm David obtinuit ex tali confessione remissionem peccati. Cur hoc discrimen? quia ex diversitate intentionum diversificatur etiam actio moralis: primis duobus carebat intentio obediendi Deo, & vitandi in posterum peccata: David verò veram contritionem habuit. *fer.2.In rogat.* & *op. Bibl.paup.c.16.*

123. *Obligatio Prælatorum, & Sacerdotum qualis erga subditos ad Dominum.*

Extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, &c. Cur Moyses volens liberare Ægyptum ab illa sexta plaga extendit manus suas ad Dominum? Vt pateat quale sit officium Prælatorum, & Sacerdotum, qui orando corde ad Dominum, per devotionem debent extendere manus ad proximum, ipsum subveniendo. *op.de Eccles.Hier p.4.c.5.*

124. *Oratio à Iustis facta pro peccatoribus sæpè exauditur.*

Etendit Moyses manum ad Dominum, & cessaverunt tonitrua. Quomodò Moyses orat pro obstinatis? ut scias, quod sæpè oratio Iustorum etiam pro peccatoribus, & indignis exauditur. *op. Bibl.paup.c.16.*



CAPUT X.

125. Quod permittitur à Deo sæpè in Sacra Scriptura dicitur per Antropopathos à Deo factû, ut patet hic, ubi dicit Deus, *Ego indurabo cor Pharaonis*, scilicet permissivè. *In Psal.25.*

126. *Mendacium destruit omne bonum.*

Locusta operuerunt totam terram Ægypti, & vastaverunt omnem herbam virentem. Vide figuram expressam mendacis: mendacium enim est veluti locusta, quæ dentibus, & labiis veritatem conculcat; sine qua omnia sunt arida, & sine fructu. *ser.7. Hexaem.*

127. *Pusillanimitas in tribulatione causa ruinæ spiritualis.*

Nonne vides, quod perierit Ægyptus, &c. Ita dixerunt servi ad Pharaonem, ut permitteret Iudæos exire de Ægypto: sed quæritur an hæc persuasio ortum habuerit ex vera contritione, vel charitate. Respond. minimè, sed tantùm ex formidine pœnæ, & ex pusillanimitate. Talesque sunt illi spiritu debiles, qui in tribulatione positi, diffidentes de divino auxilio rebelles fiunt: sicque intuitu propriæ fragilitatis pereunt periculo interioris indignationis, per quod in desperationem incidunt. *serm.1. Dom post oct. Epiph.*

128. *Avaritia, & cupiditas excæcant Animam.*

Extendit Moyses manum, & facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti. Hæc est nona plaga, qua percussus est Ægyptus, nempe per tenebras: Sed cur appellantur horribiles? idest densæ & caliginosæ: dicuntur autem horribiles, quia significant cæcitatem mentis, quam incurrunt cupidi, & avari, & quia avaritia est Idolorum servitus, quia nihil scelestius, hinc dicuntur horribiles. *ser. de decem præcep.*

129. *Qui exterius volunt boni apparere, interius autem, & occultè sunt iniqui, versantur in caligine tenebrosa.*

Facta sunt tenebræ horribiles. Nota, quod tribus diebus factæ sunt tenebræ palpabiles, ita quod non se mutuò poterant aspicere, nec se movere de loco ad locum, ac si essent vinculis alligati: Sic sunt illi, qui in occulto sunt scelesti, licèt exterius appareant boni: Isti enim vivunt involuti in tenebris, & constricti infidelitatis vinculo. *In Sap. cap.17.*

130. *Obstinati in malo cæcitatem palpabilem contrahunt mentis.*

Facta sunt tenebræ horribiles. Meritò istis obduratis Deus immisit hanc plagam: obstinatio enim in malo fert secum magnam cæcitatem mentis. *In Sap.c.19.*

131. *Mali vivunt in tenebris: Iustis nunquam occidit sol lucis supernæ.*

Vbi erant filij Israel erat lux. Vide quid facit Deus suis sequacibus: nam viventibus in peccato semper tenebræ insunt: Iustis verò lux superna oritur absque occasu: Ideò Gentiles Philosophi vivebant involuti in tenebris: adveniente luce fidei, illuminati sunt Christiani. *serm.4. Hexaem. & l.2.d.13. a.1.q.2. & In Luc.c.5.v.26. In Sap.c.18.*

132. *Tyranni inhiant ad spolia subditorum.*

Ite sacrificate Domine tantùm, & armenta remaneant, &c. Vide tyrannidem hujus Regis, qui dimittere volebat Iudæos, sed priùs eorum bona temporalia expoliare intendebat. *opuscul. Bibl. paup. cap.109.*



CAPUT XI.

133. *Deus, ut Dominus rerum pro libito transfert proprietatem rerum de uno in alium possessorem.*

Dices ergo omni plebi, ut postulet à vicino vasa aurea, & argentea. Hic insurgit maxima quæstio: quomodò Deus dispensaverit in præcepto de non furando? Sed Respondetur, quod cum Deus sit Dominus absolutus rerum transtulit proprietatem istarum rerum ab Ægyptiis ad Israelitas: Vnde non fuit furtum. *l.4. d.15. art.2. quæst.1. ad argum. & serm.6. de decem præceptis. Vide infra ad finem cap.12.*

134. *Quàm verum sit, quod Deus maximè honorat, & magnificat servos suos.*

Fuit Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti coram servis Pharaonis, & omni populo. Cur notatur hæc magnificentia, & æstimatio Moysis apud Ægyptios, & non potius eius sanctitas? Respondetur, ut pateat, quod qui quærunt tantùm gratiam, & gloriam apud Deum, inveniunt gratiam, & gloriam, etiam apud homines: Proprium enim est Dei servos suos magnificare multipliciter, gratiam conferendo, miraculis illustrando, dignitatibus sublimando, & tandem ad cæleste Regnum perducendo: sic egit cum Moyse. *In Sap. cap.19. in fine.*



CAPUT XII.

135. *Agni Paschalis oblationis significatio ordinata ad Christum oblatum in Cruce, & in Eucharistia.*

Decima die mensis huius tollat unusquisque Agnum per familias &c. Cur voluit Deus hanc cæremoniam, & occisionem Agni à populo Israelitico? Notandum hic, quod præcepit Deus, ut in die decima præpararetur Agnus, & in quarta-decima die

die occidesetur: & per hoc figuratus est Christus Iesus, qui in Cruce oblatus est, ut liberaret hominem à servitute Diaboli: Item & in Eucharistia, per quam celebratur sanctum Pascha à Christianis. *op.Comp.Theol.l.6.c.12. In Ioan c.1.v.29.& collat.8. In Luc.c.22.v.1. & 7. & op. sententia sententiarum, lib.4.d.8.*

136. Christus celebravit, & consecravit in pane azimo, ut patet hic, ubi Deus præcepit oblationem Agni cum pane azimo. *In Luc. c.22. vers.7. & serm.5.in Cœna Dom.*

137. *Quarè Ecclesia celebrat festa secundùm revolutionem Solis, & non Lunæ, ut celebrant Iudæi, excepto festo Paschatis.*

Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; Notandum, quod Iudæi celebrant sua festa secundùm revolutionem Solis, excepto Paschate: Cur hoc discrimen? Cur in Paschate videtur Ecclesia iudaizare? Respond. quod synagoga in tenebris ambulat, & minuenda erat: Ecclesia verò in lumine Evangelij ambulat: Ideò secundùm motum solis hæc celebrat sua festa: Iudæi verò secundùm motum Lunæ: Sed cur in Paschate Resurrectionis, & per consequens, & Pentecostes Ecclesia adspicit ad motum Lunæ, sicut Iudæi? Respondetur, quia Paschalis solemnitas celebratur in commemorationem Resurrectionis præteritæ, & simul in præfigurationem futuræ: Et ideò in hoc Ecclesia habet aliquam conformitatem cum synagoga: in quo tamen non iudaizat, cum celebrat Pascha in Dominica post quartam decimam diem Lunæ. *l.2 d.14 p.2.dub.4.*

138. *Per signum Sanctæ Crucis applicatur nobis sanguis Christi, & liberamur ab inimicis.*

Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum: Et erit vobis sanguis in signum in ædibus. Cur voluit Dominus, ut sanguine Agni intingerentur postes, & superliminaria domorum, & ad quid ordinabatur hoc signum? Respond.ad liberationem Iudæorum significandam è captivitate Ægyptiaca: Sed quia hæc contingebant in figuris: per hoc figurabatur signum Sanctæ Crucis, per quod fit applicatio sanguinis Christi, & liberatur homo à captivitate Diaboli. *ferm.in Exalt.S.Crucis & ser.1. in Invent. SanctæCrucis. & Psal.23.*

139. *Signum Sanctæ Crucis nos munit contra Diabolum.*

Et sument de sanguine, &c. Cur sanguine voluit Deus signari superliminaria domorum? Voluit per hoc nobis assignare figuram virtutis Sanctæ Crucis, qua signati in fronte, vel signatis domibus, januis, frontibus, & mente à Dæmone liberi fiamus. *ferm.1.& 2.In Invent.S.Crucis.& ser.in exalt. & ferm.* 1.In Dedicat.Templi. *Et in Luc.c.14.v.27. & l.3.d.19.a.1.q.4.*

140. *Signum Sanctæ Crucis excitare nos debet ad imitationem passionis Christi.*

Erit vobis sanguis in signum. Quodnam signum? & ad quid significandum? Iam dictum est, quod per hoc signum sanguinis Agni significatur signum Sanctæ Crucis: hoc debet esse in signum, scilicet rememorativum passionis Christi, & excitativum ad ipsius imitationem. *ferm. in Dedicat. Templi.*

141. *Digna Eucharistiæ receptio praexigit veram pœnitentiam.*

Et edent carnes nocte illa assas igni cum lactucis agrestibus. Vide quid exigat digna comestio Agni Eucharistici: nempè assationem per ignem, & comestionem lactucarum agrestium; scilicet amaritudinem pœnitentiæ: Unde nota quod in azimis voluit Christus consecrare, quia talis panis immunis erat ab omni fermento: ut significaretur, quod purissimum corpus non debet sumi, nisi à perfectè purgato per pœnitentiam. *ferm.5.in Cœna Domini. Et in Luc.c.22.v.7.*

142. *Differentia recipientium Sacram Eucharistiam dignè, & indignè qualis.*

Non comedetis crudum quid ex eo, neque coctum aqua, sed assum tantùm igni. Cur reiicit manducationem agni cocti in aqua, vel crudi? Ad quid ordinantur ista, quæ prima facie videntur vilissima? Imò in hoc apparet mira in nos Dei beneficentia, quia per hæc usitata introducit mentem ad cognitionem mysteriorum altissimorum: Sed quid significat Agnus crudus, vel coctus in aqua? Datur intelligi diversitas manducantium Eucharistiam: Alij enim ipsam manducant crudam, & crudo corpore, scilicet sine consideratione, & devotione, & valdè insipidè, & negligenter: Alij coctam aqua, scilicet audientes sapientia mundana, & carnali spiritu, & ratione ducti discurrere arcana sacramenti hujus: Illi autem, qui humili corde divinæ virtuti innixi, & ignito amore, ferventes accedunt ad ipsam, carnes Christi assas igni per pœnitentiam, & infusionem Spiritus Sancti comedunt: Primi, & secundi rejiciuntur à mensa Domini: Tertij admittuntur à Christo tanquam veri filij. *ferm. 8. in Nativitate Domini.*

143. *Arcana Sacramenti Eucharistiæ tantùm ex revelatione Spiritus Sancti possunt cognosci.*

Si quid residuum fuerit igne comburetis. Quarè jussu Dei comburendum est de Agno Paschali id, quod non potest à nobis comedi? nempe dat nobis intelligere, quod id, quod non possumus capere de hoc Sacramento Eucharistico, igni committendum est, scilicet Spiritui Sancto, nempè in obsequium fidei mens subjicienda. *fermon.5. in Cœna Domini.*

144. *Obedientia requiritur ad celebrandum Pascha, scilicet transitum ad Dominum.*

Renes vestros accingetis, &c. Cur hanc præparationem præcepit Deus Israelitis, antequam exirent de Ægypto? Id fuit ad magnificandam virtutem obedientiæ: nam omnis religiosus status, ut omnis transitus ad Dominum, & ad perfectionem præ exigit obedientiam, tanquam medium dispositivum. *In Luc.c.22.v.22.*

145. Prædicati

145. *Prædicatores debent moveri ex obedientia,& exempla ſanctorum ſectari.*

*Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, &c.*Ecce quid præcipitur Prædicatoribus volentibus Paſcha celebrare, id eſt traoſire ad terram promiſſam cum ſois auditoribus: primò ſe committere obedientiæ, deinde veſtigiis Sanctorum calceati incedere, ipſorum exempla ſectando. *In Ioan.c.1.v.27.& In Luc. c.22.v.13.*

146. *Modus celebrandi ſpiritualiter Paſcha traditur.*

Eſt enim Phaſe, id eſt tranſitus Domini. Vide quanta vult Deus præmitti ad hunc tranſitum:per quod quilibet noſtrum invitatur ad imitationem ſpiritualem Iſtorum,ſcilicet præparando corda noſtra Domino, per obedientiam & obſervantiam mandatorum, & ſic tranſitum facere à viſibilibus ad inviſibilia, à temporalibus ad æterna, de morte ad vitam. *In Luc.c.22.v.13.*

147. *Sanguis Chriſti placat Deum, miſericordiamque clamat.*

Et videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens. Ad qnid promittit Deus, ſe aſpectutum ſanguinem Agni?Erat ne iſtud ſignum ſenſibile, ipſiuſque aſpectus neceſſarius, ne percuteret ſimul cum Ægyptiis Iudæos? Sed transfer mentem ad ſanguinem figuratum Chriſti in Cruce effuſum,& in Euchariſtia oblatum,& audi clamorem hujus ſacratiſſimi ſanguinis: clamat enim melius,quàm ſanguis Abel,ſcilicet miſericordiam, quia ejus aſpectus placat Deum iratum, & miſericordiam facit effluere in nos.*ferm.1.& 3.Dom.paſſ. & fer.2. in Cœna Dom.& ferm.3.Dom.15.poſt Pent. & ferm.3.Dom.1.Advent.*

148 *Sanguis Chriſti in Iudicio ſalvabit electos, & confundet reprobos.*

Et videbo ſanguinem, & tranſibo vos, &c. Vide qualem promiſſionem facit Deus ſuis electis:Hæc plaga mortis inflictæ primogenitis Ægyptiorum fuit figura diſtrictæ vindictæ,quam Chriſtus exercebit in die Iudicij: Dat intelligere, quod in iudicio virtute ſanguinis ſui ſalvabit electos, & confundet reprobos, ejuſque ſanguis erit in confuſionem damnatorum, & conſolationem gloriamque ſalvandorum. *fer.1.Dom.paſſionis.*

149. *Per quæ quis peccat,per hæc & punitur.*

Percutiam omne primogenitum, &c. & percuſſit Dominus omne primogenitum, &c. Cur Deus hac decima plaga voluit percutere Ægyptum per primogenitorum mortem, & non potius per patrum occiſionem? quia per quæ quis peccat, per hæc & punitur: Ægyptij enim voluerunt interficere parvulos Iudæorum: hinc Deus eis reddidit proportionatam pœnam. *In Sap.c.18.*

150. *Patres puniuntur, vel præmiantur in filiis,ſi malè,vel benè eos educaverint.*

Percutiam omne primogenitum, &c. Cur in primogenitorum morte puniuntur Ægyptij? Iam dictum eſt, quia voluerunt occidere parvulos Iudæorum: Sed aliud arcanum eruitur: Nam Iudæi per oblationem Agni factâ ab ipſis ſimul cum pueris,meruerūt liberari & ipſi,& pueri,Ægyptiorum filiis interfectis.*Sap.c.18.*Ex quo inferri licet,quod patres perverſi puniuntur ſæpè per mortem filiorum, & ex oppoſito, Patres ad cultum Dei filios traheutes, merentur liberari à multis malis.

151. *Carnalis concupiſcentia aufert primogenituram Cæli.*

Percuſſit primogenita. Cur hæc pœna terminavit ad mortem primogenitorum? Nota, quod in hoc decima plaga reſpondeat ad decimum præceptum Decalogi, in quo prohibetur concupiſcentia, ſignificatur, quod concupiſcentia eſt, quæ aufert nobis primogenituram Cæli: Ex hac enim orta eſt omnis malitia in mundo. *fer.7. epuſc. de decem preceptis.*

152. *Prælati, & maiores ſcandalum inferentes ſubditis, & minoribus ſubiacent iræ divinæ.*

Percuſſit omne primogenitum. Cur in primogenitis punitur Ægyptus? quia primogeniti, & maiores erant ſcandalum inferiorum: Daturque intelligi, quod majores præſtantes occaſionem ruinæ minoribus malo ſuo exemplo, tunc iræ divinæ,& judicio Dei ſubjiciuntur, morteque repentina ſæpè pereunt. *Diæt.tit.3.c.4.*

153. *Angeli Cuſtodes ſæpè nos liberant ab impedimentis nos retrahentibus à profectu ſpirituali.*

Percuſſit primogenita. Certum eſt, quod iſta occiſio facta eſt miniſterio Angelorum: Sed cur primogenita, & non potius alios filios occiderunt? ſed notandum, quod ob primogenitorum bonum, ut plurimum laborant patres magis, quàm propter alios filios: Ideò per primogenita intelliguntur impedimenta principalia nos retrahentia à bono, & inducentia ad malum; & hæc miniſterio Angelorum retrahuntur, & à nobis tolluntur. *lib.2. d.11.a.2.q.1.ad ultim.*

154. *Spiritus mundanus gignit in nobis primogenita vitiorum: Spiritus Dei ea percutit, & deſtruit.*

*Percuſſit primogenita ab homine uſque ad pecus.*Sed cur poſt plagam tenebrarum conoectuntur primogenita pecorum cum hominibus? Sed nota quod myſticè datur intelligi, quod in nobis ſunt primogenita utriuſque generis, quæ gignuntur ex tenebris Ægypti, ſcilicet humana, eſtque arrogantia ſanctitatis, & primogenita pecorum, quæ eſt ſuperbia vanitatis; quæ tamen percutiuntur, & diſſipantur à divino ſpiritu. *In Pſal.134.*

155. *In Ægypto huius mundi ubique luctus, clamor, & dolor.*

Non erat domus, in qua non iaceret mortuus, ortuſque eſt clamor magnus. Vide, quod ex morte primogenitorum in Ægypto in quacumque domo erat clamor, fletus, dolor *Sap. c.18.* Ecce expreſſa figura

figura hujus mundi: Nam in hoc mundo mundani implentur multis miseriis, opprimuntur magnis calamitatibus, & affliguntur diversis pœnalitatibus, & quod pejus est, quod in eis deberet esse materia exercendæ virtutis, & occasio salutis, & gratiæ, ob furorem impatientiæ convertuntur in augmentum culpæ. *fer. 1. Dom. 5. post oct. Epiph.* Vide, quàm verum sit, quod iu hoc mundo ortus est clamor, & fletus incessanter: nam etiam puer à planctu incipit, nec ridere potest: nascitur Propheta calamitatis, lachrymæ sunt testes miseriæ hujus mundi: nō adhuc loquitur, & prophetat. *op. Phar. l. 1. c. 7.*

156. *Pœnitentia recidivorum vana.*

Surgite (ait Pharao) & egredimini, &c. Urgebantque Ægypty populum exire de terra, &c. Vide quomodò Ægyptij pœnis à Deo illatis coacti sunt dimittere populum Dei, sed tamen postea ad prius propositum impium redeuntes tentaverunt ipsum revocare, & detinere. *In Sap. c. 19.* Et hæc est pœnitentia recidivorum, qui flagellis coacti pœnitent, & statim, quia affectum ad peccatum non dimiserunt, ad idem flagitium redeunt: & hæc est pœnitentia falsa, coacta, & despecta, qualis fuit in Iuda, & est in damnatis. *op. Comp. Theol. l. 6. c. 21.*

157. *In schola tribulationum addiscunt mali veram sapientiam.*

Surghe, & egredimini: Urgebantque Ægypty populum, &c. Vide quomodò Ægyptij hucusque obdurati vixerunt in dimissione populi, sed postquam afflicti sunt morte repentina primogenitorum, cōmoti clamore, & fletu virorum, & mulierum, dimiserunt Israelitas; ut videas, quod impij solùm in schola flagelli addiscunt veram sapientiam. *fer. 7. de decem præceptis.* Vide etiam ex hoc, quod Deus veluti præliatur contra Animam peccatricem, dum spina, vel armis tribulationum eam pungit, & facit, ut convertatur. Infelix ergo est illa Anima, quæ in hoc prælio non vincitur, & à peccato non cessisseit, nec corrigitur. *fer. 1. in oct. Pasche.*

158. *Deus ut Dominus rerum absolutus tollit ab uno res temporales, & ad alium transfert.*

Et petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, &c. Nota quod, ut etiam supra dictum est, hoc non fuit furtum, cum Deus sit absolutus rerum Dominus, qui transtulit dominium harum rerū ab Ægyptiis ad Iudæos, & hoc justissimè in compensationem damnorum istis illatorum. *l. 1. d. 47. a. 1. q. 4. & l. 2. d. 40. dub. 2. & l. 4. d. 15. a. 2. q. 1. ad 5. & lib. 4. d. 31. a. 2. qu. 1. & op. sent. sentent. l. 4. d. 37. & In Sap. c. 10.* Hinc discamus, quod sæpè justo Dei judicio res tēporales ab uno ad alium possessorem transeunt: sic exigente justissima Dei providentia, & peccatis nostris, maximeque contra justitiam, & Charitatem proximi cōmissis: idque continua experiētia patet.

159. *Deus sæpè in pœnam oppressionis pauperum tollit à divitibus facultates, & eas transfert in dominium aliorum.*

Et petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, &c. Cur Deus voluit spoliare Ægyptios, & onerare Israelitas in hoc transitu? Cur eos rebus temporalibus expoliatos non fecit discedere ab Ægypto? Ut pateat, quod divina providentia sæpè custodit substantiam divitum, ab ipsisque eam tollit in beneficium pauperum oppressorum. *In Sap. c. 10.* Ut videas, quod sæpè impij laborant in congregando substantiam hujus mundi, & justi in labores eorum introierunt, quod continua experientia quotidie videtur.

160. *Ecclesiæ Doctores, & Sancti etiam à Gentilibus exempla virtutum desumunt.*

Petierunt vasa aurea, & argentea ab Ægyptiis, &c. Cur voluit Deus ditare suos sequaces rebus Gentilium? Ut videas mysticè quod sancti Doctores, & justi, etiam à Gentilibus desumere possunt exempla virtutum, Verbi gratia sobrietatis, castitatis, &c. *serm. 3. fer. 3 Pentec.*

161. *Fides Catholica incomparabiliter magis ditat intellectum veritatibus supernis super doctrinam Gentilium.*

Et petierunt vasa, &c. Cur voluit Deus, ut populus, qui tot deliciis in terra promissionis ditandus erat, etiam spoliaret Ægyptius vasis aureis? ut cognosceret discrimen bonorum idulolatrantium, & fidelium: nempè pauca esse ea, quæ ab Ægypto portaverunt in comparatione eorum, quæ postea in terra promissionis possessuri erāt, or discamus, quod, licèt divitiæ plurium veritatum, & virtutum desumi possint à Gentilibus, sunt tamen parui momenti in eo nparatione eorū, quæ ex penu fidei Catholicæ eruūtur, ut pateat, quod sciētiæ humanæ ancillantue fidei, & scripturæ Catholicæ. *op. pr. sacr. scrip.*

162. *Prædicatores sunt spoliatores Ægypti, & Dæmonis pro Christo: Iniqui pro Diabolo.*

Petierunt vasa, &c. Nota quod Christus quotidie idem facit per Prædicatores, qui sunt sui spoliatores Ægypti, scilicet mundi, & Diaboli: Vide sæpè Deus ditat Iudæos, id est confitentes, & Prædicatōres, & Ecclesiam spoliis Ægyptiorum, scilicet Animabus à Dæmone liberatis: sed (proh dolor) multi è contra spoliant Iudæos, & ditant Ægyptios, scilicet auferendo Animas Christo, & eas in manu Diaboli deducendo per scandala, &c. *op. Bibl. paup. c. 108. & serm. 3. Dom. 4. post Pentec.*

163. *Veri servi Dei non franguntur tribulationibus.*

Os non confringetis ex eo. Cur noluit Deus, ut frangerentur ossa Agni? sic etiam nec voluit, ut Christi veri Agni ossa comminuerentur? Ad indicandum, quod membra Christi solida, uti sunt Apostoli, & ejus veri sequaces non franguntur tribulationibus, sed quacumque adversitate advenientes, stabiles remanēt in ejus obsequiis. *In Io. c. 19. v. 37.*

164 *Prælatorum, & Prædicatorum in Ecclesia est conservare in Dei servitio debiles, & infirmos, eosque stabilire.*

Os non confringetis ex eo. Iam dictum est per ossa Christi intelligi Prælatos, Apostolos, & Prædicatores: Sed cur appellantur ossa? quia sicut ossa continent stabiliter extera membra debiliora: sic & isti debent continere verbo, & exemplo in virtute debiliores, & infirmantium mores. *In Ioan. c. 19. v. 37.*

165. *Qui volunt cum Chriſto celebrare Paſcha debent tranſire de vitiis ad virtutes.*

Hæc eſt Religio Phaſe, &c. Quænam Religio eſt hæc,quam ſub præcepto Dominus filiis Iſrael impoſuit ? Nota quod Phaſe eſt nomen Hebraicum, & interpretatur tranſitus : quia fuit feſtum à Domino præceptum in memoriam exitus Hebræorum de Ægypto : Voluitque & ipſis , & multo magis Chriſtianis indicare, quod ſpiritualiter debet fieri à volentibus celebrare verum Paſcha, nempè tranſeundo de Ægypto , ſcilicet à vitiis ad virtutes , à paſſionibus carnis ad gratiam , & ſobrietatem mentis. Qui ergo volunt tranſire cum Chriſto capite, debent celebrare Paſcha tranſeundo dictis modis. *In Ioan.c.13.v.1.*

166 *Tranſeundum eſt ex hoc mundo tanquam à ſtabulo , ſeu hoſpitio ad patriam.*

Hæc eſt Religio Phaſe. Cur titulum Religionis dat Dominus huic feſto , & non tot aliis ſolemnitatibus, quas præcepit celebrari ? quia hoc feſtum eſt inter omnia celebertimum , & myſticum:Nota autem , quod iſte tranſitus litteraliter fuit Iudæorum ex Ægypto in terram promiſſionis : voluit autem Dominus indicare , quod iſte mundus aliud non eſt , niſi Ægyptus , ſeu poriùs ſtabulum , vel hoſpitium Diaboli principis tenebrarũ,in quo non debemus permanere , ſed ab ipſo tranſire ad patriam : Vtere ò Chriſtiane hoc mundo, ita tamen, quod te non decipiat mundus, quem intraſti : Iter agis, exiturus veniſti, non remanſurus : tibi enim dicitur, *in Eccleſ.c.19. Tranſi hoſpes* : ſtabulum eſt hæc vita noſtra : utere nummo , quomodò utitur viator in ſtabulo, menſa, calice, urceo, lectulo, dimiſſurus,non permanſurus. *In Ioan.c.13.v.1.*

167. *Quot modis ſpiritualiter debeamus celebrare Paſcha.*

Hæc eſt Religio Phaſe. Nota hic iterum quod non ſine maximo myſterio tribuitur nomen Religionis Phaſe, & Paſchati , quia in hac celebratione invitatur homo ad opera ſanctiora : Legitur autem in Sacra Scriptura quadruplex Paſcha celebratum : primum fuit in egreſſu populi de Ægypto : Secundum fuit celebratum ex præcepto Domini à filiis Iſrael in deſerto *Num.9.* Tertium fuit celebratum à Ioſia & populo in Hieruſalem *ex 2. Paral.c.35.* Quartum à Chriſto Ieſu in morte:& ſic traduntur gradus vitæ ſpiritualis , quibus à nobis procedendum eſt ab hoc mundo ad Deum : Nam per primum Paſcha ſignificatur,quod homo debet tranſire ex Ægypto,ſcilicet à vitiis ad virtutes:Per ſecundum ſignificatur,quod homo debet trãſire de paſſionibus carnis ad ſobrietatẽ mentis,ſcilicet per exercitium virtutum:Per tertium, quod homo debet tranſire ab amore rerum creatarum ad amorem ſolius Creatoris,ſicut Ioſias celebravit Paſcha poſt deſtructionem omnium abominationum templi: Per quartum,quod homo debet cum Chriſto tranſire à ritu legalis obſervantiæ ad veritatem legis Evangelicæ , & à mortalitate hujus vitæ ad æternitatem gloriæ ; & ſicut Chriſtus immolatus eſt Paſcha noſtrum; ſic & in ipſo,ut in capite tranſeamus ad Cælum. *In Io.c.13.v.1.*

168. *Quinam excluduntur ab eſu fructuoſo Eucharistiæ.*

Hæc eſt Religio Phaſe : omnis alienigena non comedet ex eo : Advena, & mercenarius non edent ex eo : ſi quis circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Cur hæc tria genera hominum ſcilicet alienigena, mercenarius,& incircumciſus excluduntur à comeſtione Agni Paſchalis ? Nota quod hoc Phaſe fuit figura comeſtionis Agni Euchariſtici , à qua tria genera hominum excluduntur,ſcilicet incircumciſi;nempè qui irreverenter accedunt ad ſumendam Euchariſtiam.In hujus figura Oza 2. *Reg.c.6.* fuit percuſſus , quia tetigit Arcam Domini. Secundò Alienigenæ,ſcilicet infideles : Tertiò immundi ſcilicet habentes peccatum mortale. *op. Comp. Theol. l.6.c.16.& ſer.3.in Circumciſione.*

169. *Agni paſchalis manducatio fuit figura mortis , & reſurrectionis Ieſu Chriſti, per cuius merita fuerunt Iudæi liberati.*

Hæc eſt Religio Phaſe. Cur appellatur nomine religionis iſtud feſtum ? quia per celebrationem hujus tranſitus fuerunt liberati Iudæi ab Ægyptiorum furore, ſed tamen per merita Chriſti Redemptoris, cujus paſſio , & mors figurabatur. *In Sap.c.18.*

170. *Servi emptitij , non verò incircumciſi, & advenæ admittuntur ad eſum Euchariſtiæ.*

Hæc eſt Religio Phaſe. Cur excluſio plurium, & aliorum admiſſio ad eſum Agni paſchalis appellatur religio ? Sed nota , quod Religio propriè eſt actus juſtitiæ, quo colitur Deus cultu debito ſummæ majeſtati : Vnde indigni excluduntur ab hoc cultu,& digni admittuntur.*op.Phar.l.4.c.19.& Centil.p.3.ſ.44. & Comp.Theol. l.5. c.37.* Datur igitur nobis intelligi, quod ad cultum, & eſum Euchariſtiæ non admittitur excommunicatus tanquam alienigena,vel ſeparatus:Item nec advena, ſcilicet, qui nuper venit ad fidem, neque adhuc firmus eſt, quod eſt contra illos , qui de enormibus peccatis tardè venientes ad confeſſionem, & pœnitentiam, ſtatim volunt communicari : Item neque mercenarius , qui pro lucris temporalibus Domino ſervit: Sed quidem admittitur ſervus emptitius , ſcilicet, qui emptus eſt ſanguine Chriſti, & fideliter ſervit Chriſto. *ſer.3.de Circumciſ.*

Nota pe- ſo qu- nto ante digne pœnitentiam, & poſtea raptim in Paſchate accedunt ad eſum Euchariſtiam.

171. *Obſervantia legis liberat à malis imminentibus.*

Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Dominus, & eduxit eos Dominus eadem die. Cur notat ſacer Textus,quod eadẽ die,quo filij Iſrael exequuti ſunt mandatum Dei, eos Dominus eduxit ? Cur non in ſequenti die. Vt intelligas, quàm fidelis ſit Dominus in præmiando , quia enim citò , & diligenter exequuti ſunt mandatũ Domini:hinc & meruerunt liberari ab Ægyptiorum manibus , & ab Angelo exterminatore. *Sap.c.18.*

172. *Iniqui ad bonam frugem vitæ non ſe conferunt, niſi coacti flagellis, & multoties id faciunt fictè.*

Nec Iudæi poterant fermentari cogentibus Ægyptiis

eos exire. Quomodò Ægyptij, qui antea tam duri fuerunt in dimissione Iudæorum, nunc tam ferventes sunt, cogendo, & impellendo eos ad exeundum? quia in ultima hac plaga à Deo ipsis immissa mortis primogenitorum coacti flagellis conversi sunt: Hoc enim est proprium cordium obstinatorum, solùm se ad Deum convertere, cum flagellantur: Sed quia hæc non fuit vera pœnitentia, statim ad suam priorem malitiam reversi sunt, persequentes Iudæos. *Sap.c.18.*

CAPUT XIII.

173. *Dominus exigit à nobis primitias rerum in signum superioris dominij, & in signum, quod Christus assumpturus erat, ut primogenitus primitiva nostræ carnis.*

Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus, quam de iumentis: mea enim sunt omnia. Cur Deus voluit hoc sacrificium primogenitorum, & non potiùs aliorum? Voluit Deus primogenita offerri, tum in signum sui dominij: subdit enim, *mea sunt omnia*: Tum in figuram assumptionis faciendæ à Christo, qui primitiva nostræ carnis assumpsit, nempè sine corruptione, & fœditate, & secundùm omnem virtutem, & qualitatem affectæ. *l.3.d.3.p.2.dub.2.*

174 *Maria Virgo, licèt non obstringeretur hac lege, tamen ob humilitatem & obedientiam subijcere se ipsi volait.*

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam. Nota, hanc legem obligasse omnes mulieres, quæ parituræ erant secundùm cursum naturalem: ergo Beata Virgo, quæ purissima, & clausa Virgo remansit in partu, & post partum, non tenebatur huic legi, & tamen in exemplum humilitatis, & obedientiæ eam observare voluit: Per quod & nos invitamur ad imitationem tantæ humilitatis, & obedientiæ. *In Luc.c.2.v.22.23.& 24.*

175. *Deus à nobis exigit gratitudinem, & recognitionem beneficiorum suorum.*

Mementote huius diei, in qua egressi estis de terra Ægypti, & de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto. Cur ad recordationem hujus egressus exigit D. ab Israelitis, & non potiustot aliorum beneficiorum, quæ eis toties contulit? quia liberatio ipsorum à tam dira servitute, maximè supet omnia extollit divinam omnipotentiam, ideò exigit etiam majorem gratitudinem. *ferm.1.Dom.Palm.*

176. *Liberatio à servitute Diaboli, & vitiorum est maximum inter omnia Dei beneficium.*

Mementote huius diei, in qua egressi estis. Cur hoc beneficium verbis tam gravibus in memoriam reducit? quia ad nos diriguntur: sumus enim per Christi virtutem liberati meliùs, quàm filij Israel à servitute Pharaonis, scilicet Diaboli, à collectione palearum, scilicet vanarum cogitationum, à congregando lutum, scilicet immundarum delectationum, sive affectionum, à coufectione laterum, scilicet pravarum operationum, & à constructione Civitatum, scilicet irrevocabilium aversionum. *ferm.1.Dom.Palm.*

177. *Mundus est domus servitutis, in qua Diabolus opprimit suos.*

Mementote huius diei, in qua egressi estis de Ægypto, de domo servitutis. Cur addit Ægypto domum servitutis? Erat ne forsan in eo unica domus Domus dicitur jute Ægyptus, & domus servitutis, quia sicut in una domo habitantes variè operantur: Sic in hoc mundo Diabolus opprimit suos in hoc luto avaritiæ, in catenis luxuriæ, & in paleis superbiæ: qui ergo non vult opprimi ab hac dura servitute, egredi debet de hac domo, & intrat in domum Christi scilicet Pœnitentiæ, & sanctitatis. *fer.2.Vig. Nativit.*

178. *Christus liberavit nos ab hac triplici servitute.*

Mementote diei huius, &c. Cur in memoriam tam sedulò reducit Deus hoc beneficium, cum & alia forsan majora eis antea, & post contulerit? Id dicitur specialiter de hac die, quæ fuit figura redemptionis faciendæ à Christo, qui ideò in hunc mundum venit, ut nos liberaret ab hac triplici servitute, nempè à lateribus luxuriæ per puritatem, à luto avaritiæ per paupertatem, & de paleis superbiæ per humilitatem: Voluit enim nasci de Virgine, pannis involui, & in stabulo collocari: & ut homo egrederetur de servitute Diaboli, venit ipse in servitutem hominis. *fer.2.In Vigil Nativit.*

179. *Religiosus debet semper vivere qualis fuit prima die.*

Mementote huius diei, in qua egressi estis. Cur dicit memorandam esse diem egressus, & non potius ipsius liberationis ab Ægypto? Nota id dici profitentibus in Religione, & volentibus proficere de virtute in virtutem; Vult enim, ut in memoriam semper habeant diei exitus à sæculo, & ingressus in Religionem: nempè illius bonæ voluntatis, cum qua ingressi sunt in Religionem, ut à fervore illius nunquam retardent: Vnde quidam volens ingredi Religionem, quæsivit à quodam Sancto Patre, ut patet in vitis Patrum, quomodò vivere deberet, at ille dixit ei: Vide qualis fueris prima die, & sic semper vive: hoc est considera statum voluntatis tuæ in prima die, qua Religionem intrare disposuisti, quàm humilis tunc fueris, quàm paratus tunc obedire ad omnia, tam aspera, quàm despecta, quàm patiens ad correctiones, & penurias, & labores, quàm verecundus, & timoratus, quàm solicitus, ut emendares vitam tuam, & etiam dies, quos in sæculo perdidisti recuperares: quàm parum curans rumores sæculi quærere, vel referre; nec detractionibus intentus, nec aliquibus curiositatibus occupatus: & quomodò fugisti, & abjecisti omnes carnales affectus, & te totum obtulisti Domino holocaustum vivum, ut nihil deinceps in te vivat de peccati vita, sed tota maceretur, & immoletur Domino obedientiæ ferro per Prælati tui ministerium: secundùm hanc formam vivere semper postmodùm stude, ne aliter in schola Religionis dedisceres, & retrocedere magis, quàm proficere videaris. *op.de prof.Religiosa l.1.c.1.*

180. *Lex Dei ante oculos mentis semper habenda, & manibus, & operibus contrectanda.*

Azima comedetis septem diebus: & erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, & ut lex Domini semper sit in ore tuo. Quid est quod Deus præcipit io manu portandum ut signũ, simulque ante oculos, & in ore? Hæc est lex Domini: Dicitur enim lex à ligando, quia ligat cordis consilia, oris eloquia, & manuum exercitium: hanc vult Deus à nobis haberi aote oculos cordis, & per exercitia operum. *Psal.* 18. *c.* 5. *v.* 13.

181. *Memoria Crucis, & Crucifixi à nobis semper habenda.*

Et erit quasi signum in manu tua, &c. Quodnam est hoc signum, quod ante oculos, & in manibus, & in ore portare debemus? signum hoc est Christus, & crux: signũ scilicet Misericordiæ suæ in nos: Vide quàm mira sit pietas Domini salvatoris, qui cum tota die offendatur à nobis, non tamen à nobis sua beneficia retrahit, sed continuam misericordiã nobis impendit, & nunc per interna consilia, nunc per externa carnis verbera, nunc per scripturæ documenta, nunc per beneficia, & nunc æterna comminando supplicia, bonaque promittendo æterna nos cogit ad Regnum. Proponit igitur nobis signũ misericordiæ donativum, scilicet seipsum in Cruce positum, ut dum ab omnibus videretur, omnes etiam deprecarentur, ut nobis misericordiam impetraret: hoc signum non est recedendum à corde, & ab opere. *ser. in Exalt. S. Crucis.*

182. *Lex divina est columna per diem & noctem.*

Dominus autem præcedebat eos per columnam nubis, & ignis, &c. Cur voluit ostendere filiis Israel viam per columnam, & non potius per aliquod aliud? Quia columna hæc significabat legem divinam: Est enim columna, & trabes, & ignis, quia est mentis illuminatio, & virtutis stabilimentum, ostendens omnia, scilicet quid et quomodò agendum, & quiescendum. *ser.* 1. *Hexaem.*

183. *Eucharistiæ beneficium à nostra memoria nunquam est recedendum.*

Azima comedetis septem diebus: Erit hoc signum quasi in manu tua, &c. Quid est hoc signum? si est comestio Azimi panis, quomodò portandum est in manu, & ante oculos? Sed loquitur hic de Paschate, in quo passio dominica est signata. *serm. In exalt. S. Crucis*: nempè de Sacramento Eucharistiæ: hoc enim vult Deus, ut sit signum, non solùm rememorativum, scilicet dominicæ charitatis in nos, sed & demonstrativum, & sanctificativum: Vult ergo ut ipsum ante oculos cordis semper habeamus, & in manu per correspondentiam devotionis, & sanctorum operum. *In Luc. c.* 22. *v.* 19.

184. *Domini Dei providentia in suos quàm exacta.*

Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore: nunquam defuit columna nubis, & ignis. Cur providit Deus columnam nubis & ignis? Vt patefieret mirabilis Dei providentia in suos: Per diem enim providit columnam nubis, ut illis esset velamentum ab æstu diei, & per noctem columnam ignis, ut esset ipsis loco stellarum lucentium. *Sap. c.* 10. *& op. Bibl. paup. c.* 1.

185. *Fides est columna lucida credentibus, & obscura infidelibus.*

Dominus autem eos præcedebat per columnam nubis, &c. Si illa columna erat tam lucida, ut demonstraret viam in nocte Iudæis: ergo & Ægyptiis etiam? Minimè: Nam ex parte Israelitarum erat lucida, & ex parte Ægyptiorum erat obscura, & tenebrosa: Talisque est fides catholica, quæ credentibus lucet, & Infidelibus est obscura, quia ipsi sunt rebelles lumine. *Diat. sal. tit.* 5. *c.* 3. Nota etiam fidem dici columnam nubis, & ignis, quia habet vim illustrandi ad ipsam venientes, & stabiliendi per virtutis constantiam, & quietandi cor. *ser.* 1. *Hex.*

186. *Christus est Dux noster protegens ab æstu vitiorum, & illuminans tenebras errorum.*

Dominus autem præcedebat eos per columnam, &c Nota, quod per hanc columnam præcedentem, & ducentem per desertum Iudæos, figurabatur Christus, qui ut Dux noster ducit suos per desertum hujus mundi, eosque protegens ut nubes ab æstu vitiorum, & illuminans contra tenebras errorum: Noli ergo deserere hunc ducem: Væ eis, qui derelinquunt ducem Christum, obterant to vitiis creaturatum, & nutus eorum pro Deo amant. *ser.* 1. *in Epiph.*

187. *Columnæ ducentes populum Dei sunt Sacerdotes, Apostoli, & Angeli.*

Dominus præcedebat eos per columnam, &c. Quæritur hic, An fuerit unica columna, an duplex? Respondetur fuisse unicam, quia Deus erat ductor eorum: erat etiam multiplex, quia per duplicem columnam eos dirigebat. Per hoc significatur, quod loco Christi, columnæ ducentes populum, ipsumque illuminantes, & defendentes sunt, primò Sacerdotes, & Ecclesiæ Rectores. *ser.* 1. *in Epiph.* Item sunt Apostoli, Item & Angeli custodes. *Psal.* 77.

188. *Christus in Eucharistia est columna nubis, & ignis, &c.*

Dominus autem præcedebat eos, &c. Iam dictum est, hanc columnam significasse Christum, qui ratione humanitatis, & carnis est columna nubis, & ratione divinitatis, est ignis lucens: Vnde per carnem nos protegit: per divinitatem nos illuminat. *Psal.* 77. *In thren. c.* 3. *v.* 44.

189. *Christus per nubem carnis contemperat ignem, & lucem divinitatis.*

Dominus præcedebat eos per columnam nubis, & ignis. Quomodò, si erat nubes, se ostendebat illa columna ignem? Iam dictum est, hanc fuisse figuram Christi, qui contemperabat lucem Divinitatis per nubem humanitatis, ut in eum possent intendere acieм oculorum homines. *In Luc. c.* 9. *v.* 34.

190. *Sacra*

190. *Sacramentum Corporis Christi est columna nubis, & ignis.*


Dominus præcedebat eos per columnam, &c. Si unica erat columna, quomodò in ipsa continebatur nebula, & simul ignis, vel lux? quia figurabatur Corpus Christi in Eucharistia, quod veluti ignis latet sub nebula Sacramenti: Unde species Sacramentales sunt veluti nubeculæ continentes gloriam Domini, scilicet Corpus Christi. *serm.1. In Dedicat.Templi.*

191. *Christus erit nubes bonis: ignis malis in Iudicio.*

Dominus præcedebat eos per columnam nubis per diem, & ignis per noctem. Cur utitur igne, & non potius stella, vel alio corpore lumioso? Nota; quod dies est vita justi, non vita peccatoris: In die ergo iit nube, in nocte verò in igne apparuit Dominus, quia ipse in Iudicio proteget bonos, uret malos: Væ igitur impijs, qui non in obumbratione, sed in igne erunt. *serm.2.in Ascens.*

192. *Sapientia divina lux, & umbraculum.*

Dominus præcedebat eos per columnam, &c. Nota, hæc columna est divina sapientia, noritiaque practica virtutum, illuminans, & præcedens per diem, & noctem, oempe in exercitio virtutum dirigit, & illustrat mentem in via tenebrosa huius vitæ. *In sap.c.7.*



CAPUT XIV.

193. *Pœnitentia ex puro timore à peccatoribus assumpta facilè evanescit.*

Pharao persequetur vos, &c. immutatumque est cor Pharaonis, & servorum eius super populum, &c. Mirum quidem est, quod dum adhuc ultima plaga primogenitorum occisorum ab Angelo exterminatore recens erat, & dum actu plorantes erant Ægyptij, iamque dimiserant, pœnitentia ducti, populum, statim audientes egressum Israelitarum, se accinxerunt, ut eos persequerentor, & occiderent: Quomodò tam citò ad prima peccata, & persequutiones reversi sunt? sed id mirum non est: pœnitentia enim istorum fuit ob timorem flagelli, & non ex amore: binc falsa fuit, & tam citò evanuit: Carebant enim pietate religionis in Deum, & compassionis in proximum. *In sap. cap. 19.* Hinc vide quàm debilis sit conversio, & confessio eorum, qui solùm formidine pœnæ, vel ob censuras Ecclesiæ eam arripiunt: facillimè enim ad vomitum statim redeunt.

194. *Obduratio non est à Deo, nisi permissivè sed à peccatoris voluntate.*

Indurabo cor Pharaonis, &c. Ergone obduratio est à Deo? Respondetur esse à Deo permittente: procedereque à Dei voluntate consequente, non antecedente: poterant enim pœnitere, sed nolebant: & licèt de se non possent complere, & perficere pœnitentiam jam inchoatam, tamen nec voluerunt petere auxilium ad talem perfectionem necessarium, nec cooperari ad vocationes tam multiplicatas Dei; Ideò ex culpa ipsorum ad talem obdurationem devenerunt. *In sap. c. 19.* Hinc vide, quàm periculosum in peccatore sit non obtemperare, & reijcere impulsus, & inspirationes divinas; sic enim sæpe in profundum peccatorum, & obstinationem præcipitant.

195. *Diabolus toto conatu quærit suis tentationibus in ingressu Religionis imprimere fluctuationem cordis.*

Et persequetur vos, &c. Levantes autem oculos filij Israel videntes Ægyptios post se, timuerunt, & clamaverunt, &c. Duo hic innuuntur: primom est persecutio denuò mota à Pharaone in Israelitas exeuntes de Ægypto: secundum est timor, & fluctuatio ipsorum Israelitarum. Hic autem nota, quod hoc continuè Diabolus tentat facere contra noviter conversos, & intrantes Religionem: ipsos enim studiosè persequitur, nunc apertè, nunc occultè, & sæpè sub specie boni, quod est periculosius; & si ipsi fluctuant mente circa propositum ingressuræ, vel ingressæ religionis: tunc vires majores præbent tentatori, & multò magis quando intervenit tarda, tepidaque repulsio, & dejectio spiritus desolati: Unde sanum consilium est, ut sicut Moyses conatus est tollere omnem timorem à corde filiorum Israel: sic & ipsi curent stabilire cor suum omninò, & confirmare in sancto proposito, confidentes in Domini misericordia, & recolentes quanti viri, juvenes, & Virgines quantumcumque fragiles potuerunt, & possunt, quod se posse desperant: qui enim dedit bonum velle, dabit & posse. *Op.spec.Discipl.p.1.c.2.*

196. *Ex obduratione impiorum, & permissione afflictionis electorum magis relucent divina judicia eiusque iustitia, & misericordia.*

Pharao persequetur vos, & glorificabor in Pharaone. Quomodò dicitur Deus glorificari ex peccato, & malitia Pharaonis: forsan peccatum impij inservire potest ad majorem glorificationem Dei? Ita: permittit enim Deus reprobos indurari, & electos affligi, ut aliqua miracula operetur, & inde cognoscatur amplius, & laudetur eius Iustitia, & misericordia. *Op.Bibl.paup.c.2.*

197. *Pusillanimitas Deo displicet.*

Videntes filij Israel Ægyptios post se, timuerunt. Mirum est quomodò isti, qui tot mirabilia viderant, & experti fuerant protectionis peculiaris divinæ, sic timuerint? sed nota hunc esse effectum pusillanimitatis vitiosæ, quæ toties in diffidentiam de divina protectione ipsos redoxit. *Op.Bibl.paup. c. 83.* Cave ergo à pusillanimitate, quæ in diffidentiam de divina protectione, & in torporem erumpit, & ex qua oriuntur multa damna spiritualia. *Op.spec.an.c.3.*

198. *Volubilitas plebis quanta, & quàm facilis.*

Timuerunt, & clamaverunt ad Dominum, & dixerunt ad Moysem, forsitan non erant sepulchra in Ægypto

Ægypto, &c. Vide, quàm nobilis, & inſtabilis fuit iſte populus; quomodò ſe credere, & confidere in Domino ſe profitetur, modò recedere à Deo, modò murmurare contra Moyſeo, &c. *Op. Bibl. paup.cap.* 104.& 83.

199. *Silentium exigit Deus à ſuis.*

Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Cur imperat Moyſes ſilentium filijs Iſrael, dum ipſe ad Deum clamat, & auxilium expoſtulat à Domino? Vt intelligas, quod ſpirituales viri, qui cum Deo ſæpe loquuntur tardi eſſe debent ad loquendum. *Op.Bibl.paup.cap.*93. Unde in ſchola Chriſti, verum eſt, quod Religionis initium eſt linguæ frænum. *Op.ſpecul.Diſcipl.p.*2. *cap.* 1. *& de Perfect. relig.l.*2.*c.*2.

200. *Bonus Prælatus ſubditos confortat in ſuis periculis.*

Nolite timere, ſed ſtate, & videte magnalia, &c. Vide quàm ſedulus eſſet Moyſes in confortando ſubditos infirmos, debiles, & indigentes, eoſque ſublevando in tanto periculo. *Op. Bibl. paup. cap.* 102. Pietas enim, & fraterna compaſſio eſt in Prælatis neceſſaria in ſuos ſubditos infirmos, debiles, & indigentes. *Op.de ſept. alis Seraph.c.*4.

201. *In Deo confidendum in periculis: & cum ſilentio expectandum divinum auxilium.*

Nolite timere: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis: Cur imperat, ut dum Deus ſe exhibet in ipſorum adjutorium, ipſi taceant? Vt taceant interius, expectando divinum ſubſidium, & confidendo in Deum: ſic & Chriſtus in exemplum confidentiæ divinæ, tacuit ad interrogationem Herodis. *In Luc.*23.*v.*9.

201. *Oratio mentalis eſt clamor grandis apud Deum.*

Dixit Dominus ad Moyſen: quid clamas ad me? Mirum eſt hoc: cum non legatur Moyſen ullam vocem, vel clamorem emiſiſſe ad Deum: quomodò igitur dicit Deus, quid clamas? Moyſes clamabat voce interiori, ſcilicet cogitatione, & pandendo ſuum deſiderium Deo: Oratio enim mentalis eſt clamor verè grandis ad Deum. *Op. Bibl. paup. cap.* 16.*& Pſal.*118.*&* 161. *& op.medit vita Chriſti cap.* 62. Cum tacito ore ſola mens ſua deſideria pandit Deo, & affectum cordis Deo effundit, & eum per amorem totus complectitur, vel cum reverentia adorat, tantò ſe latius diffundens, quanto plura valet comprehendere affectus, quàm lingua exprimere. *Op.de perfect.relig.l.*2.*cap.*66.

203. *Chriſtus Ieſus figuratus in Virga Moyſis, qua tot mirabilia fecit.*

Tu autem eleva Virgam ſuper mare, &c. Ad quid hæc elevatio? Nonne poterant dividi Aquæ maris ſine hac elevatione? Nota, quod hæc Virga elevata fuit figura Ieſu Chriſti in Crucem elevati, in cuius virtute tot mirabilia facta ſunt. *In Luc. cap.* 24. *v.* 27. Et hæc eſt Virga virtutis Dei, per quam Ægyptij ſunt flagellati, ſcilicet Dæmones, ſiccata ſunt Maria, & alia mirabilia facta. *ſerm.*14. *Hexaem.*

204. *Per Angelos hæc inferiora à Domino reguntur, & cuſtodiuntur.*

Tollenſque Angelus Domini, qui præcedebat caſtra filiorum Iſrael, abijt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis: ſtetit inter Caſtra Ægyptiorum, & Caſtra Iſrael. Cur de loco ad locum Angelus ſe tranſtulit? Cur qui præcedebat, nunc à tergo Iſraelitarum ſe collocat: Nonne poterat etiam filios Iſrael defendere ſtans ante illos? Poterat quidem, ſed id factum eſt, ut pateret, qua cura ſuos Angeli cuſtodiant: Per Angelos enim regit Deus hæc inferiora. Vt videas, quod Angeli noſtram pugnam faciunt, nec juvare nos ceſſant, niſi victoria prius obtineatur. Ipſi ſunt propugnatores noſtri, qui pro nobis adhuc viventibus bellant, qui in morte nos juvant, qui nos poſt mortem aſſociant, qui nos Deo repræſentant, & noſtros defectus coram eo ſuis orationibus excuſant: ſic per Angelos Ægyptij ſunt in mare ſubmerſi, & filij Iſrael liberati. *ſerm.de Angelis. Op. de Eccleſiaſt. Hierarch. p.*1.*cap.*1.

205. *Chriſtus eſt Angelus, qui miſſus eſt à Patre, ut nos præcederet doctrina, & exemplo, & ſequeretur cuſtodia tutela.*

Angelus abijt poſt illos. Cur qui præcedebat, poſtea eos ſequitur? Nota, hic eſt Chriſtus, qui à Patre miſſus, nos præceſſit doctrina, & exemplo, & omnes ſequitur cuſtodiæ tutela. *Op. Eccleſiaſt. Hierarch.p.*1.*c.*1.

206. *Fides catholica credentibus eſt lux, non credentibus tenebra.*

Et cum eo pariter columna nubis, & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent, &c. Quomodò erat nubes tenebroſa, & ſimul illuminans? quomodò iſta duo oppoſita ſimul uniti valebant? Erat hæc columna filijs Iſrael luminoſa: Ægyptijs verò tenebroſa: ſic & fides catholica credentibus eſt luminoſa, Infidelibus tenebroſa. *Diat.tit.*5.*cap.* 3. Sic etiam dicitur de Chriſto. *Luc. cap.* 2. quod poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum: In ruinam malignorum, & in reſurrectionem, & ſalutem bonorum, quia quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. *ſerm.* 1. *Dom infra oct.Nativit.*

207. *Potentia Dei quàm mirabilis in ſuis operibus.*

Diviſaque eſt Aqua, &c. Memorandum, & terribile miraculum fuit in diviſione, & exſiccatione maris rubri quando tranſierunt filij Iſrael ſicco pede: Ægyptij verò fuerunt in medijs undis involuti, idque magnificat mirabiliter divinam potentiam. *Op.Bibl.paup.cap.*1.

208. *Per qua quis peccat, per hæc & punitur.*

Ferebantur Ægyptij in profundum. Cur voluit Deus punire Ægyptios in aqua tam ſeverè, & non potius in terra? quia ſic exigebat divina Iuſtitia: ut cuius cor non potuit tot prodigijs, & vocationibus, dum viveret emolliri, corpus eius totaliter in aqua mergeretur, ut per quæ peccaverant etiam

etiam puniuntur. *Op.Bibl. paup.cap.* 133. Vt hinc appareat quanta sit Dei severitas erga delinquentes. *Op.Bibl.paup.c.*120.

209. *Impij timent bonos, quando non est amplius tempus.*

Dixerunt Ægyptij fugiamus Israelem. Vide quomodò mali videntes bonos à Deo protegi ipsos timent. *Op. Bibl.paup. cap.* 38. Dixerunt fugiamus Israelem, quando non erat amplius tempus, cum autea non aspicerent, nisi ad præsentem Israelitarum afflictionem. *Sap.c.*15.

210. *Efficacia quanta Sacramentorum.*

Divisa est aqua, & transierunt per medium sicci maris. Cur voluit Dominus, ut filij Israel transirent per medium, & profundum maris, & non potius super aquas, ut Petro evenit? sed nota, quod hæc in figura contingebant illis: hoc profundum maris significabat efficaciam Sacramentorum, in quibus destruuntur opera tenebrarum, & conferuntur arma lucis, & dona gratiarum, per quæ trausfertur homo de potestate tenebrarum in Regnum filij claritatis Dei. Nota autem, quod filijs Israel exeuntibus de Ægypto divisa est aqua in transeundo per medium sicci maris: Introeuntibus autem in terram promissionis per arentem alueum, scilicet Iordanem à Domino siccatum transierunt. Per quod significatur, quod Sacramentorum efficacia est profundum maris, in quantum liberat primò à culpa, & introducit in amaritudinem pœnitentiæ; est & profundum fluminis in quantum liberat à miseria, & introducit in dulcedinem gratiæ. *l.1.sent.in proœm.*

211. *Lachryma submergunt Dæmonem, & eius tentationes.*

Submersi sunt, nec unus ex eis remansit, &c. Istæ aquæ maris rubri mysticè sunt aqua lachrymarum, in qua submerguntur Dæmones, & tentationes. *Diætit.*7.*c.*3. Si ergo vis vincere Diabolum, ad lachrymas recurre, in hocque mari ipsum suffoca. *ferm.*3.*in Cœna Dom.*

212. *Sacramentum Baptismi delet omnem culpam, & pœnam.*

Submersi sunt, nec ex eis unus remansit. Quarè Deus voluit, ut omnes submergerentur? quia figurabat mare rubrum Sacramentum Baptismi, per quod submerguntur, & delentur omnia peccata quoad culpam, & pœnam. *l.4.d.4.p.1.a.1.q.* 1. *&* 2. Nota, quod submersi sunt Ægyptij, & filij Israel exierunt securi: sic peccata per Baptismum submerguntur, & baptizatus liberatur ab omni malo. *Comp.Theol.l.*6.*c.*9.

213. *Transitus spiritualis ad Dei notitiam, & amorem quomodò faciendus per viam negationis.*

Filij Israel perrexerunt per medium sicci maris, &c. Cur Deus voluit, ut filij Israel pergerent per medium maris, & deinde per desertum ad terram promissionis possidendam? Cur non usus est alio miraculo? quia id fuit figura transitus à nobis faciendi in hoc mari magno mundi ad Dei notitiam, & amorem, nempe relinquendo creaturas, vel per viam negationis, auferendo à Deo, quod suum non est. v. g. Deus non est hæc creatura, nec ista, nec illa, & tali pacto non aufertur à Deo, sed attribuitur ei nubiliori modo quod suum est, quàm intelligat intellectus. *ferm.*2.*Hexaem.*

214. *Filij Dei transierunt per mare rubrum de vanitate in veritatis sapientiam: Ægyptij verò submerguntur in scientijs terrenis.*

Filij Israel perrexerunt per medium sicci maris: & Ægyptij submersi sunt. Quid est hoc quod Deus potius non interfecit Ægyptios manu angelica, sed voluit ipsos submergere in profundo maris? Datur nobis intelligi, quod mare est iste mundus varius, & instabilis plenus vanitatibus: qui ergo volunt transire sicco pede ad terram promissionis, debent esse filij Israel, qui totum studium suum ponunt qualiter à vanitatibus transeant in regionem veritatis: non enim potest quis discedere à falso, & accedere ad verum per amorem, nisi elongetur à vanitate, ita ut non sit delectatio, nisi in solo Deo: Ægyptij verò transeundo submersi sunt: & quinam sunt isti miseri? Hi sunt, qui à veritate ad vanitatem transeunt, qui amant commutabile bonum, transitorium, & vanum, sicut transivit Adam, sic Lucifer: Hic transitus enim facit omne malum: primò enim proijcitur homo in culpam, & deinde in eternam judicij. *ferm.*19.*Hexaem.* qui ergo sistunt in notitia, & amore creaturarum, nec se elevant ad notitiam, & amorem Creatoris, submerguntur in mari vanitatum.

215. *Transeundum est à creaturis ad Christum Crucifixum, in quo est totius bonitatis plenitudo.*

Perrexerunt filij Israel per medium sicci maris. Iam dictum est nobis ostendi in hoc transitu, quid à veris filijs Dei faciendum est in hoc transitu, & itinere huius vitæ: sed advertendum est, quod in hoc transitu requiritur Virga sanctæ Crucis præcedens, ad quam debet homo aspicere, & ad Christum salvatorem per fidem, spem, charitatem, devotionem, laudem, & jubilationem, & sic meditando transire mundum istum sensibilem, & semetipsum, & intrare desertum relinquendo Ægyptum, ibique gustare manna absconditum, scilicet Iesum Christum. *Op.Itiner.ment.c.*7.

216. *Creaturæ irrationales cum sanctis habent pacem: cum malis inimicitiam, & bellum.*

Et aqua filijs Israel erant quasi pro muro à dextris, & à sinistris, in quibus submersi sunt Ægyptij. Nota Dominus voluit ostendere tot mirabilia in bonum omen pro filijs Israel, & in malum pro Ægyptijs: ut scias, quod licèt pax hominis cum creaturis irrationabilibus fuerit perdita per peccatum Adæ, tamen ex dono speciali, adhuc creaturæ servant pacem cum sanctis, non verò cum malis, contra quos pugnant bestiæ, & cæteræ creaturæ insensibiles: & meritò, & justè, quia peccando se subdunt voluntariè bestiæ avaritiæ, aquæ luxuriæ, & igni superbiæ: Unde sicut Ægyptij in aqua

aqua ſubmerſi ſunt, ſic & homines porcorum more viventes ſubmerguntur in aquis luxuriæ. *ſerm.2.fer.3.Paſche.*

217. *Tranſitus ſpiritualis per mare huius ſaculi eſt diverſus ſecundùm varia merita, & demerita.*

Filij Iſrael perrexerunt, &c. Cur Deus non fecit tranſire filios Iſrael ſuper aquas? Sed nota, quod filij Iſrael tranſierunt per aquas: ſanctus Petrus verò ſuper aquas: Ægyptij verò tranſeuntes ſubmerſi ſunt; ut intelligatur, quod in ſtatu legis Scriptæ tranſitus bonorum erat minus perfectus, quàm in ſtatu legis evangelicæ, ſicut eſt etiam tranſitus ſæcularium, & Religioſorum:qui autem tranſeunt benè operando inter aquas, ſicut Iudæi, ſunt ſæculares, qui terrenis inhiantes, mare huius ſæculi tranſeunt per obſervantiam mandatorum Dei, tamen pedibus affectuum terram tangont: hicq; ſtatus eſt imperfectus:qui verò cū Petro trāſeunt ſuper aquas, ſunt perfecti, qui mare huius ſæculi contemnentes, ſub pedibus calcant,ſuntque perfecti, & Religioſi: qui verò, ſcilicet Ægyptij tenebroſi per vitia tranſeunt, iſti ſubmerguntur, quia vanitas eorum cor rapit, curioſitas ſeducit, cupiditas allicit,voluptas deducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia, & ſic miſeri ſubmerguntur in vitijs omnibus.*ſerm. 1.fer.4.Dom.Pentec.*

218. *Sequitur idem conceptus.*

Filij Iſrael perrexerunt, &c. Nota quod filij Iſrael tranſierunt per aquas ſicco pede: ſanctus Petrus ſuper aquas, ſed tamen uſque ad genua merſus eſt: Pharao cum ſuis totaliter ſubmerſus eſt ut plumbum:Per quos varios modos ſignificatur diverſus tranſitus factus inter undas huius mundi:Alij enim tranſeunt ſicco pede hunc mundum,& non merguntur, quia ſine plumbo peccati ſunt: ſic fuit Chriſtus, quia ſine peccato (ſic & Virgo Beatiſſima:) Alij merguntur, ſed non ſubmerguntur, ut Petrus, & alij Iuſti; quia ſuperant per pœnitentiam ſua peccata: Alij ſubmerguntur ob multum plumbum peccatorum, quæ ad fundum trahunt tranſeuntes, ſuntque impij. *Pſal. 65.*



CAPVT XV.

219. *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen Domino, &c.*

Hoc eſt unum ex quatuor canticis, qui referuntur in veteri Teſtamento. Canticumque eſt victoriæ in laudationem ob victoriam à Deo tributam filijs Iſrael.*Pſal.149.*

220.*Gratitudo debetur Deo, & laus ob beneficia ab ipſo exhibita.*

Tunc cecinit, &c. Nota quod hucuſque non legitur, filios Iſrael aliquid locutos fuiſſe, niſi cum ad Moyſen confugerunt ob timorem Ægyptiorum, ſed prima verba ipſorum fuerunt actionis gratiarum ob tantum beneficium:ad quod Canticum concurrerunt viri, & mulieres, & parvuli. *Sap.c.10.in fine.*Invitamur igitur, & nos ad Deum laudandum, eius magnificentiam cum exultatione, & admiratione extollendo, pro eo quod ipſe eſt, & pro eo, quod nobis facit. *Op.de perfect.relig.lib. 2.cap.62.*

221. *Beati in Cælo canunt hymnum triumphi, & victoria de inimicis,mundo,carne, & Diabolo reportatis.*

Tunc cecinit Moyſes, &c. Hoc eſt figura triumphi, quem canunt Beati in Cælo poſt victoriam reportatam de Diabolo, mundo, & carne: & ſubmerſo Pharaone, & exercitu eius in mari: ô quale gaudium poſt tam grave periculum. *Op. ſoliloqu. c.4.& op.meditat.vita Chriſti cap.96.*

222. *Deus ſe veluti ſenſibilem nobis reddit per beneficia homini collata.*

Iſte Deus meus; & glorificabo eum, &c. Nota illud nomen demonſtrativum: quomodò dicunt, *Iſte Deus*, eratne forſan tunc Deus ſenſibus demonſtrabilis, ſicut poterat dici de Chriſto, hic eſt ſalvator mundi? Reſp. per ſe Deum non eſſe ſenſibus ſubjectum, ſed tantùm per effectus; & cum tot ſimilia beneficia contulerit filijs Iſrael, jure meritò dicunt, Iſte Deus meus: hoc eſt audibilis ſanctitate doctrinæ, viſibilis virtute potentiæ, tangibilis benignitate benevolentiæ, odorabilis redolentia famæ, & guſtabilis ſuavitate ſapientiæ.*In Ioan.c.4.v.42.*Hinc infertur, quod nulla excuſatione poteſt homo ſe defendere in ignorantia Majeſtatis divinæ.

223. *Solus Deus abſolutè Dominus omnium poteſt recognoſci: & in ipſo ſolo confidendum.*

Dominus omnipotens nomen eſt illi, &c. Cur dicunt Dominus, & non potius Deus? Id dicitur, quis in tam mirabili facto verè Dominum omnipotentem ſe demonſtravit, ex quo cognoverunt eum Dominum ſuper omnes, & excellentī ſublimitate, & incoarctabili extenſione, & interminabili poteſtate: fatentur ergo in hoc verbo, quod poſt nullum alium eundum eſt, ſed tantùm ad ipſum Dominum Deum confugiendum, & meritò:nam oppoſitum facere eſt apoſtatare, & retrocedere,amittereque regnum. *In Ioan.Coll.35.*

224. *Currus Diaboli quatuor rota ſunt.*

Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Quarè toties in ſacra Scriptura replicatur ſubmerſio Curruum Pharaonis:quia Diabolus habet ſuum Currum, per quem conducit ſuos ſequaces in Infernum; quatuor rotæ eius ſunt luxuria, vanagloria, avaritia, & fraudulentia, & per hæc vitia præcipitat Diabolus in omnia alia mala. *In Lucam cap. 22. v. 44.* Felix ergo ille eſt, qui à tali Curru,& curſu ſe liberat.

225. *Sceleratiores homines ſunt Principes Diaboli, ipſiuſque cibus electus.*

Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro. Si ſupra dixerat totum exercitum Pharaonis ſubmerſum fuiſſe cum ipſo Rege, cur nunc ſpeciatim nominat electos Principes eius:meritò iſti ab alijs ſecernuntur,

fecernuntur, ut videas quod Principibus Diaboli, scilicet sceleratioribus major debetur pœna, & quod Diabolus eos specialiter in profundum Inferni trabit tanquam pinguiores porcos, & cibum electum ipsius. *ferm. 4. Dom. 29. post Pentecost.*

226. *Mare rubrum cur sic dictum: significatque Christi sanguinem, & passionem.*

Submersi sunt in mari rubro. Cur dicitur mare rubrum, cum aqua non sit rubra? Respondetur dici mare rubrum ex colore, quem trahit ex terra rubra adjacente. *In sap. c.10.* Significatque Christi passionem, & sanguinem, in quo Israel, idest fideles salvantur. *ferm. 2. Parasceve.*

227. *Homo lapis, vel pro ædificanda cælesti Hierusalem, vel pro ædificando inferno.*

Descenderunt in profundum quasi lapis. Cur lapidibus assimilantur homines? quia homo est lapis, vel pro ædificanda Hierusalem, vel Inferno. *ferm. 2. in Pascha.* Pro Hierusalem justi sunt: pro inferno peccatores.

228. *Dei potentia à nobis magnificari debet maximè ob dejectionem potentiæ diabolicæ.*

Dextera tua magnificata est in virtute. Quænam magnificentia facta est dexteræ Dei? Potestne Deus major fieri? minimè quoad se: sed à nobis magnificandus est, maximè in dejectione potestatis diabolicæ, quæ à dextera Dei, scilicet à Filio fuo ablata, vel diminuta est, ne nobis nocere possit, sicut vellet. *ferm. 4. Dom. 15. post Pentec. & in sap. c. 19.*

229. *Ira Dei in hominem quid sit.*

Misisti iram tuam, &c. Quomodò dicitur Deus irasci? pertubaturne eius animus? minimè: sed consistit in judicio, quo irrogatur pœna, sicut fecit cum Pharaone. *Op. Bibl. paup. cap. 11. & op. de invisibil. Dei.* Sic & boni, sanctè irascuntur, mali malè.

230. *Dei providentia dexteram suam adhibet, ne Diabolus ordinem universi deturbet.*

Dextera tua magnificata, & percussit inimicum, &c. Vide providentiam Dei justam: quæ ordinem universi perturbari vetat: Unde ne Diabolus, de sua malitia, & peccato, qui turbaverat totum universum, reportaret intentum, à dextera Dei, scilicet à filio Dei incarnato fuit percussus, & punitus. *ferm. 1. in Pascha.*

231. *Spiritus Sanctus bonis dulcis est, & benignus: malis severus: qualis eris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

In spiritu furoris tui congregata sunt aquæ, &c. Quid est in spiritu furoris? ergone Spiritus Sanctus est spiritus furoris? Spiritus Sanctus est benignus bonis; spiritus furoris malis. *Psal. 47.* Sic congregatio aquarum fuit in salutem filiorum Israel, & in perditionem Ægyptiorum. *Sapien. cap. 5.*

232. *Ante Iudicij diem Aquæ maris, quasi paventes nutabunt.*

In spiritu furoris tui congregata, &c. Quomodò congregatio aquarum potest dici effectus furoris Dei, si hæc fuit ob salutem filiorum Israel? Iam dictum est fuisse in salutem bonorum, & perditionem malorum: sed tamen hoc fuit figura eorum, quæ ante diem Iudicij eventura sunt in elementis, quæ velut paventia nutabunt, & trement. *In Luc. cap. 21. v. 25.*

233. *Aqua gratiæ elevat Animam: Aqua peccati submergit eam.*

Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Cur in aquis voluit Deus eos submergere? quia hæc est differentia aquæ vivæ, & aquæ mortuæ, quod illa, quæ est gratia sublevat, & vivificat: Ista est peccatum submergens Animas. *In Ioan. Coll. 39.*

234. *Peccatum est maximum pondus demergens Animam in profundum Inferni.*

Submersi sunt quasi plumbum, &c. Cur assimilat hic Ægyptios plumbo? Nota, quod supra comparaverat eos lapidi, nunc plumbo: & hoc ut indicaret ponderositatem peccati trahentis Animam ad profundum. *ferm. 3. Dom. 10. Pentec. & ferm. 3. Dom. 1. post oct. Pascha.*

235. *Peccator de vitio in vitium descendit, & tandem ad profundum submergitur.*

Submersi sunt quasi plumbum, &c. Suprà dicit sacer Textus, quod descenderunt, nunc dicitur, quod submersi sunt, quasi plumbum: si descenderunt, ergo non fuit ista ruina subita? Cur igitur nunc dicitur submersi? Dicitur prius descenderunt: quia Ægyptij de vitio in vitium descenderunt, sed postea in profundum pervenerunt, in quo remanserunt submersi: hocque est proprium obstinatorum. *ferm. 2. Dom. 16. post Pentec.* Vnde Aquæ Ægyptiorum sunt fluctus vitiorum, in quibus peccatores submerguntur. *ferm. 3. in die Cinerum.*

236. *Qui multiplicat peccata, manifestè se exponit periculo submersionis subitæ.*

Submersi sunt quasi plumbum, &c. Cur eos comparat plumbo absolutè? quia multa, & gravia peccata ita aggravant Animam, ut quasi plumbum eam submergant in profundum; qui parum plumbi habet, facilius se sublevat: peccatum enim est omnis gravissimum. *Psal. 65. & ferm. 3. Dom. prima post oct. Pentec.*

237. *Deus operatur miracula, ut ab omnibus timeatur & honorificetur.*

Quis similis tui in fortibus, magnificus, &c. Vide quomodò Moyses post liberationē ostendit, Deum

venerandum, timendum, & laudandum à nobis: Id enim exigit Deus à nobis ex mirabilibus, quæ operatur. *In Luc. cap. 1. v. 65. & cap. 8. v. 25. & cap. 9. v. 43.*

238. *Mirabilia Sanctiſsimæ Trinitatis decantantur in hoc verſu.*

Magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis faciens prodigia. Ideſt terribilis eſt Pater in poteſtate: laudabilis filius in veritate: mirabilis faciens Spiritus Sanctus in bonitate: Magnificus in ſanctitate Trium Perſonarum. *ſerm. 1. Dom. SS. Trinit.*

239. *Salvator noſter nos liberavit à poteſtate Diaboli, & mirabilis fuit in tota ſua vita.*

Quis ſimilis tui, &c. Hoc fuit figura noſtræ liberationis factæ à Chriſto de manu diabolicæ poteſtatis, ideò congruè dicitur Chriſtus magnificus in fortitudine, poteſtates diabolicas in profundum abiſſi demergendo: magnificus in ſanctitate, ſcilicet fidelem populum à percuſſione mortis æternæ per effuſionem proprij ſanguinis liberando: laudabilis in paſſione propter amorem benevolentiæ, & charitatis: atque terribilis in Reſurrectione propter ſplendorem gloriæ, & claritatis: & faciens mirabilia in Aſcenſione, propter elevationem corporis tendentis ad dexteram Patris. *ſerm. 1. Dom. 4. Adventus.*

240. *Chriſtus Dux noſter in itinere huius vitæ.*

Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti. Hoc aptiſſimè dicitur de Chriſto Redemptore, qui fuit Dux Univerſalis, miſericors per deſertum huius mundi: Unde væ ijs, qui derelinquunt hunc ducem. *ſerm. prim. in Epiph.*

241. *Mundana concupiſcentia turbat etiam Principes.*

Tunc conturbati ſunt Principes Edom, &c. Cur Principes Edom dicuntur conturbati, & non tot alij inimici filiorum Iſrael? Edom interpretatur mutus, vel ſanguineus, vel terrenus, quibus vanitatem, voluptatem, & cupiditatem intelligimus; & per hoc datur intelligi, quod Principes, & potentes ſe immergentes in his vitijs vivunt conturbati ſine ulla requie. *Pſal. 118. cap. 11. v. 1.*

242. *In Iudicio, qui in hoc mundo vivunt ſine timore exareſcent præ timore.*

Irruat ſuper eos formido, & pavor, &c. Cur ſuper tales Principes comminatur timor, & pavor? quia in adventu Iudicis in Iudicio, qui in hoc mundo florere videntur, exareſcent, timebunt, & pavebunt: In illis tunc, quibus in hac vita fuit ſecuritas, & gaudium, non erit niſi timor, & luctus. *In Luc. c. 21. v. 26.*

243. *Religioſi obedientia qualis eſſe debeat.*

Fiant immobiles quaſi lapis. Cur Moyſes tot mala hia, licèt, inimicis imprecatur? Nonne potius id eſt actus vindictæ? Imò orabat pro ipſorum ſalute: Dicitur igitur, *fiant immobiles quaſi lapis:* ideſt reddantur immobiles ad nutum Dei. Talis eſſe debet Religioſus: non ut paraliticus, quorum membra moventur, non ad imperium capitis: ſic Religioſus perverſus eſt, qui ſe movet, non ad imperium Prælati: Bonus verò eſt immobilis, nec movetur niſi ad nutum ſuperioris. *Diet. ſal. tit. 4. cap. 1.*

244. *Chriſtus eſt propitiatorium, & ſanctuarium, ut ad ipſum omnes confugiant.*

Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ. Quodnam eſt hoc ſanctuarium à Domini manibus firmatum? litteraliter loquitur de propitiatorio legis: Myſticè alluditur ad Chriſtum, cuius humanitas eſt ſanctuarium à Divinitate inhabitatum, & in Eccleſia expoſitum, ut homines per ipſum ad Deum confugiant, & ut audiat eos deprecantes, & eorum poſtulationibus condeſcendat. *Eccleſiaſt. Hierarch. p. 4. cap. 6.*

245. *Dei poteſtas eſt incoarctabilis, & illimitabilis.*

Dominus regnabit in æternum, & ultra, &c. Quid eſt in æternum, & ultra? forſan fieri poteſt additio æternitati? minimè: ſed id dicitur ad majorem expreſſionem poteſtatis divinæ, quæ eſt incoarctabilis, quia univerſitatem creaturarum includit: eſt & illimitabilis, quia terminum durationis excludit. *Op. princip. S. Script. & In Ioan. coll. 35. & op. ſpec. Beatæ Virg. lect. 8.*

246. *Currus Diaboli eſt mala ſocietas, qua ducit ad Infernum.*

Ingreſſus eſt enim Pharao cum Curribus, &c. Cur toties fit mentio de Curribus Pharaonis? Vt ſignificaretur, quod impius ſine Curribus non ducitur ad præcipitium: Currus autem Diaboli eſt mala ſocietas, quæ quatuor rotis, ſcilicet voluntate, operatione, obſtinatione, & conſuetudine corrupta ſimul currit: Oh quot per hos currus Diabolus præcipitat. *ſerm. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſchæ*

247. *Maria, eiuſque nomen eſt mare amarum Dæmonibus per ipſam oppreſſis.*

Reduxit ſuper eos aquas Maris. Cur toties replicat hanc ſubmerſionem? Vt indicaret, quod non ſolùm Dominus eos ſua poteſtate ſubmerſerat, ſed etiam id fecit per concurſum maris amari: quid eſt hoc mare amarum? Maria Virgo: Maria enim interpretatur mare amarum, quia Chriſtus Dominus per Mariam abſtulit vim Diabolo: eſtque mare amarum Dæmonibus, quia non ſic timent hoſtes viſibiles Caſtrorum multitudinem, ſicut aëreæ poteſtates Mariæ nomen ſanctiſſimum ac venerandiſſimum, patrocinium, & exemplum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

248. *Per exercitium quatuor virtutum cardinalium redditur muſica dulcis auribus Domini, præcipuè in actione gratiarum.*

Sumpſit ergo Maria Propheteſſa ſoror Moyſis Tympanum, &c. Si canticum ſupra poſitum fuit in laudem Dei cantatum à Moyſe, & filijs Iſrael, cur

cur hic separatim fit mentio de eodem à Maria Prophetissa, & cæteris mulieribus decantatum? Vt daret intelligi, quod non solùm viri, sed & mulieres, omnisque sexus debent Deo gratias reddere pro beneficijs communiter receptis, & ut exprimeretur prima ex mulieribus prophetissa veteris testamenti, quæ fuit Maria: aliæ verò tres fuerunt Delbora, Holda, & Anna, in quibus significantur quatuor virtutes cardinales, quæ in Anima residentes verum Sacrificium Deo gratum offerunt: Per Mariam verò significatur fortitudo: Interpretatur enim amarum mare, & dominatrix: hæc virtus verò exercet & patientiam in adversis, & magnanimitatem in rebus arduis. *In Luc.cap.2.v.38.& op.meditat.vitæ Christi.cap.97.*

249. *In Cœlis Animæ laudes continuè cantant pro superatis inimicis in hac vita.*

Sumpsit Maria Tympanum, &c. Meritò in hoc canticum proruperunt, fuitque figura actionis gratiarum, quam decantant in Cœlis Animæ beatæ pro cunctis adversantibus superatis. *Op.meditat. Vitæ Christi.cap.97.*

250. *Invitamur ad Christi passionem meditandum, & imitandum.*

Sumpsit Maria Tympanum; &c. Cur specialiter fit mentio de Tympano à Maria sumpto in decantatione huius Carminis? Nota, quod Maria interpretatur amarum mare, significatque Animam fidelem; & devotam: mare rubrum significat Christi passionem,& sanguinem,in quo Israel, idest fideles salvantur: Tympanum significat Christum in Cruce extensum, sicut pellis extenditur in Tympano super lignum: Tympanum ergo sumit, qui Christum in Cruce meditatur, & imitatur, & ad gratiarum actionem pro tanto beneficio excitatur *ferm.2.in Parasceve.*

251. *Impius est equus Diaboli currens de vitio in vitium.*

Equum, & ascensorem projecit in mare, &c. Cur mentionem facit de submersione equorum, cum ipsi nullum peccatum admiserint? Vt mysticè daretur intelligi infelicitas impiorum, qui sunt equi Diaboli; quos de vitio ad vitium nunc equitat, donec in infernum simul cadant: è contra equi Christi fideles, sunt Iusti, super quos sedet Christus currere eos faciens de virtute in virtutem ad Cœlum. *ferm. 3. Dom. Palm. & ferm. 2. Dom.3.post oct.Pascha.*

252. *Mobilitas, volubilitasque populi, & inclinatio ad murmurationem quanta.*

Cumque venissent in solitudinem non invenerunt aquam, & murmuravit populus. Vide denuò, quàm volubilis; mutabilisque est plebs, & quàm facilè ad murmurationem, & seditionem contra Prælatos se ostendat. *Op.Bibl.paup.c.50.& 104.*

253. *Prælatus debet pro subditis clamare in oratione ad Dominum.*

Moyses clamavit ad Dominum, &c. Hoc est munus boni Prælati clamare, & orare ad Dominum pro subditorum salute,etiam quando subditi murmurant contra ipsum. *Opusc. Bibl. paup. cap.102.*

254. *Lignum Crucis dulcem reddit omnem amaritudinem huius vitæ.*

Dominus ostendit Moysi lignum, quod cum misisset in aquas, versæ sunt in dulcedinem. Quid figurabat hoc opus, & conversio amaritudinis aquarum in dulcedinem? fuit figura virtutis sanctæ Crucis: Crux enim omnem amaritudinem huius vitæ dulcem reddit. *Op. Comp. Theolog. l.4.cap.21. & ferm 4.Dom.2. Palm.* In omnibus igitur tuis adversitatibus, in periculis, in prosperis, cor in Cruce, Crux in corde tuo sit:& tranquillum, beatumque te faciet. *Op.laudissimus de Cruce.*

255. *Dominus in suis operibus vult, at eius potentia cognoscatur.*

Ostendit ei lignum, quod cum misisses in aquas; &c. Per hoc voluit eis patefacere magnitudinem suæ potentiæ. *ferm.2.in Epiph.op.Bibl.paup.c.1.*

256. *Legis veteris amaritudo dulcorata per virtutem Crucis.*

Quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Vide quàm mirabilis sit Deus, per infusionem ligni convertit amaritudinem in dulcedinem; voluitque ostendere, quod per Crucem in mundum missam, dulcoratæ sunt amaritudines legis veteris: Per Crucem enim discimus diligere inimicos, quod est contrarium dicenti, odio habebis inimicum, omniaque terrena despicere. *Op expofit. missæ cap.4.*

257. *Electio duodecim Apostolorum,& septuaginta Discipulorum præfigurata in lege veteri: Illi sunt fontes, à quibus derivata est aqua doctrinæ Evangelicæ: Isti sunt Palmæ, per quas Ecclesia triumphavit de suis inimicis.*

Et venerunt in Helim, ubi erant duodecim fontes; & septuaginta palmæ. Cur Deus voluit, ut ad talem locum pergerent filij Israel? Id figurabat electionem duodecim Apostolorum, & septuaginta duorum Discipulorum: Helim interpretatur robusti, vel deficientes, & significat Ecclesiam, in qua sunt perfecti, & imperfecti: Duodecim fontes sunt Apostoli; & septuaginta palmæ sunt Discipuli, in quibus fundata est Ecclesia. *ferm.4. Dom. Palm.* Additi verò sunt duo Discipuli ad septuaginta, quia Apostoli prædicaverunt duodecim tribubus:& Discipuli septuaginta duabus linguis variorum populorum; & hoc, quia septuagenarius numerus continet septiformem numerum donorum Spiritus Sancti necessarium ad observantiam decem præceptorum Decalogi, & duorum præceptorum charitatis: Vel quia septuaginta duo continet horas trium dierum, quia fidem Trinitatis prædicare debebant secundùm triduanum circuitum solis Christi, scilicet Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis. *In Luc.cap.10.v.1.& Luc.cap.6.v.13.& Ioan.cap. 6. in fine.*

258. *Fides cum operibus tribuit victoriam de inimicis.*

Et venerunt in Helim, ubi erant duodecim fontes, & septuaginta palmæ. Nota, quod per hos duodecim fontes significantur duodecim Articuli fidei prædicatæ per Apostolos: quia verò fides sine operibus mortua est, ideò septuaginta palmæ juxta fontes debent esse; nempe fides debet esse juxta opera virtuosa, quæ per septem dona contra septem vitia adimplentur per observantiam decem mandorum. *serm. 4. Dom. Pal.*

259. *Virtutes cardinales nisi sint informatæ à virtutibus Theologalibus ad nihil inserviunt.*

Et venerunt in Helim, ubi erant duodecim fontes, &c. Cur voluit Dominus, ut filij Israel castrametarentur in loco, ubi erant duodecim fontes? Nota quod duodenarius continet quaternarium ter in se ductum, significatque quatuor virtutes cardinales, quæ ne sint informes, & nudæ sicut erant illæ Philosophorum Gentilium debent esse vestitæ tribus virtutibus Theologicis, ita quod v.g. Prudentia debet esse fidelis, sperans, & amans, & sic de cæteris; sic autem faciunt Animam mundam. *serm. 7. Hexaem.*



CAPUT XVI.

260 *Israelitarum inconstantia, & eorum propensio ad murmurationem quanta.*

Et venit omnis multitudo de Helim, & murmuravit populus contra Moysen, &c. Vide iterum inconstantiam populi Iudaici, & quàm propensus fuerit ad murmurationem, signum maximum eius diffidentiæ in Deum: Ubi notandum est, quod quando abundabat cibo, tunc confitebatur Dominum: quando deficiebat, tunc in murmurationem, & seditionem præcipitabat: *In Ioan. cap. 6. v. 41. & 44. In Luc. cap. 9. v. 12. & op. Bibl paup. c. 81. & 114.* O quot sunt similes Iudæis, qui in prosperitatibus laudant Deum, quia habent quidquid desiderant: At in adversitatibus à Deo deficiunt: Non sic sancti, & Iusti, qui plus formidant prospera, quàm adversa, quia Dei servos prospera deijciunt, adversa verò erudiunt. *Op. Phar. l. 4. c. 48.*

261. *Deus Providentissimus Pater etiam in indignos.*

Utinam mortui essemus, &c. Sic dicebant isti murmuratores, & ingrati: Vide tamen, quàm benignus; & providens est Deus noster, qui sicuti istis ingratis providit sic & continuè facit cum Christianis tam ingratis. *serm. 1. Dom. 6. post Pentec.*

262. *Tentare Dei quid sit.*

Ecce ego pluam panes de Cælo, ut tentem utrum ambulent in vijs meis. Ergone Deus tentat nos? Sed nota, tentare Dei est nos probare per aliquam tentationem, vel prosperitatem, & per ipsam nos inducere in cognitionem nostræ miseriæ, & suæ Divinæ pietatis. *Op. de Invisibilit. Dei & op. Bibl. paup. c. 13.*

263. *Deus nihil intentatum relinquit, ut nos revocet à malo, & inducat ad bonum.*

Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus. Ergone tanta opulentia conceditur à Deo istis ingratis? Sed ex hoc manifestatur divina largitas, & pietas in hominem, qui nihil intactum relinquit, ut à malo ipsum resipiscat; ideò providit Deus carnes, & panes in abundantia istis ingratis, ne amplius ad carnes, & ad reditum Ægypti inhiarent. *In sap. c. 16.*

264. *Concessio gratiarum, quæ petuntur aliquando signum est Iræ Dei.*

Pluit illis manna, &c. Cur tot gratijs Deus eos tam ingratos cumulat? Resp. quod Deus aliquando facit miracula, & impertitur quod anxiè petitur, ut confundat petentes, & magis eos ingratos puniat. *Op. Bibl. paup. c. 1. & 11.*

265. *Ad exortum Mariæ Virginis Ros benedictionis super nos descendit.*

Mane quoque ros jacuit per circuitum Castrorum. Cur in mane, scilicet auroræ exortu voluit Deus mittere de Cælo tantam copiam roris? quia sicut veniente aurora abundat ros: sic nascente Virgine ros benedictionis, & gratiæ incepit mundi superficiem irrigare, & corda credentium adimplere: & ideò, qui benedictionibus gratiæ, & gloriæ repleri desiderat, accedat ad Auroram, requirat Mariam. *Op. Eccles. Hierarch. p. 4. cap. 7.*

266. *Quid sit manna à Deo datum filijs Israel.*

Hic est panis de Cælo descendens. Si erat ros, quomodò dicitur panis? Et quomodò dicitur de Cœlo descendisse? Nota, quod manna loco panis datus est à Deo, quia omnis saporis habebat suavitatem; dicitur etiam panis, quia figurabat panem Eucharistiæ; diciturque de Cœlo, idest de Cœlo aëreo: licèt enim naturaliter haberet saporem panis, quasi oleati, & cum melle mixti, per divinam virtutem tamen habebat sapores diversos. *Sap. c. 16.*

267. *Eucharistia habet omnem saporem: Aliaque mirabilia figurata sunt in Manna.*

Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum, habens omnis saporis condimentum. Si figurabat Eucharistiam, quomodò dicitur habere omnem saporem, scilicet aliorum Sacramentorum? & si hoc, ergo alia Sacramenta sunt superflua. Resp. quod dicitur habere omnem saporem: omnem, idest perfectum: Vel si, ly, (omnem) sumitur distributivè, intelligitur quantum ad rem contentam, vel quantum ad actum cibandi, non quantum ad alia, vel alios effectus: sicque alia Sacramenta non superfluunt. *l. 4. d. 8. p. 1. a. 1. q. 2.* Manna igitur est Eucharistia: primò,

quia

quia est panis Angelorum, scilicet Sacerdotum: Secundò, quia cælitus, scilicet cælesti virtute paratus: Tertiò, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, & devotione recipitur. Vnde dicitur habere omnem saporem: Quartò, quia eum ipso ros gratiæ descendit, & datur: Quintò, quia manna apparet, ut semen Coriandri albi: sic Christus sumitur sub nebula candida. Sextò, quia manna sex diebus, & non in Sabbato colligebatur, sic Christus in præsenti sub Sacramento sumitur, sed in futuro non; ipsum enim videbimus sicuti est. Septimò, quia sicut usque ad ingressum Terræ promissionis in deserto per quadraginta Annos nutriti sunt filij Israel, sic usque ad finem mundi fideles Ecclesiæ nutriuntur. *In Sap.c.16.*

268. *Eucharistia, quia est Sacramentum, & sacrificium excellit cætera Sacramenta.*

Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit. Nota quod Deus præcepit, ut sumerent manna pro cibo necessario ad vitam alendam, & deinde jussit Aaron, ut reponeret etiam in Vase in tabernacula: Ad quid voluit, ut servaretur in Tabernaculo? Quia figurabat Sacramentum Eucharistiæ, quod cætera sacramenta excedit in hoc, quod est Sacramentum, & cibus spiritualis, & simul sacrificium sic de Cælo nobis datur, & non sumimus, & simul in cultum ejus offerimus, & in Ecclesia permanenter servatur. *l.4.d.8.p.1.a.1.q.2.*

269. *Christus in Eucharistia est æqualiter in tota hostia, & in qualibet parte.*

Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus reperit minus. Vide insigne miraculum: nam Manna collectum, sive in maxima, sive in minima quantitate reperiebatur semper in æquali quantitate quantum erat necessariũ ad uniuscujusque alimentum: Per hoc figurabat aliud majus miraculum, quod fit in Eucharistia, in qua Christus continetur æqualiter totus in majori, & minori, & qualibet particula hostiæ. *l.4.d.11.p.1.a.3.q.1.*

270. *In Eucharistia Corpus, Anima, & Divinitas Christi continetur.*

Manna erat quasi semen Coriandri album, gustusque ejus quasi simila cum melle; & *Num.11.* dicitur, *& quasi panis oleati.* Cur hanc simplicem compositionem voluit Deus comprehendere in Manna? Vt significaretur, quod in Eucharistia est quasi simila ex parte corporis, quasi oleum ex parte Animæ, & quasi mel ex parte Divinitatis: In simila enim, quæ est farina purissima sine fursure significatur munditia corporis Christi; in oleo verò gratia Animæ, qua fuit unita à Spiritu Sancto. *fer.4.in Cœna Dom. & fer.6.ibidem.*

271. *Multiplex miraculum intervenit in transubstantiatione Corporis Christi.*

Ecce ego pluam vobis panem de Cælo. Si de Aere inferiori descendebat ros, quomodò dicitur de Cælo datus? Sed nota, quod in his verbis innuuntur mirabilia, quæ contingunt in Eucharistia. Primò formæ sensibilitas per illam particulam demonstrativam (*Ecce*) fit enim per eam demonstratio formæ ad oculum, ut dixit etiam Sanctus Ioan.Baptista. *Ecce Agnus Dei, Io. cap.1.* Secundò gratiæ multiplicitas per particulam (*pluam*:) sicut enim pluvia habet multas stillas, sic hoc Sacramentum habet multos effectus, & gratias. Tertiò naturæ hujus Sacramenti sublimitas per particulam (*de Cælo*) nempè mirabilem modum producendi panem, qui per verba transubstantialia, quasi de Cælo descendit. *fer.5. in Cœna Dom.*

272. *Vbi adest Eucharistia ibi assistunt exercitus Angelorum.*

Ecce ego vobis pluam panem de Cælo. Cur dicitur de Cælo, si è Cælo non descendit, sed remanet in Cælo Christus? Remanet quidem, sed præsentialiter etiam descendit in pane Eucharistico: dicitur que de Cælo, ut intelligatur ibi cælestem familiam adesse: cælestesque Choros intervenire. *serm.5.In Cœna Dom.*

273. *Eucharistiæ mirabiles effectus nunquam debent à nostra mente removeri.*

Pluam vobis panes de Calo, &c. Manna autem; quadraginta annis filij Israel manducaverunt in deserto. Mirabile est, quod cum tot alia portenta patraverit Deus ad utilitatem populi Israelitici, nulla tamen toties memoriæ refricantur, sicut istud de Manna. Cur toties fit de hoc repetitio, & in veteri, & novo testamento? quia cum manna esset figura Sacramenti Eucharistiæ, & cum hoc omnia alia à Deo nobis collata bona superet, ideò etiam hoc toties memoriæ refricatur, ut ad fidem nos inducat, quod si possibile fuit quadraginta Annis sine messe, & frumento continuo illorum vitam conservare, multò magis & nunc ipse veniens potest dare vitam. *In Io.c.6.v.59.*

274. *Eucharistia habet omne delectamentum suavitatis.*

Iste est panis, quem dedit vobis de Cælo, &c. De hoc pane dicitur, quod habebat omne delectamentum suavitatis. Quomodò id verificatur de Eucharistia? quia in Eucharistia Christus est totum: panis, vinum, vestis, lux, & omne bonum. *In Ioan.collat.32.* Et sicut divina virtute manna deserviens uniuscujusque voluntati, convertebatur; ita & panis Christi mirabiliter delectat contemplativos, & devotos. *fer.6.In Cœna Domini.*

275. *Eucharistia maximè confortat in laboribus huius vitæ.*

Filij autem Israel comederunt manna quadraginta Annis in deserto. Cur providit eos in deserto hoc cibo manna, & non alibi? Vt eos confortaret in tam laborioso itinere, & ut daret intelligi, quod cibus Eucharisticus est maximè confortativus in laboriosa hujus vitæ actionibus, & tentationibus. *serm.6.in Cœna Domini & Comp. Theologi. l.6. c.12. & 15.*

276. *Christus in Eucharistia mors est malis, vita bonis.*

Nota, quod mirabilia, quæ erant in manna, nunc sunt in esca Corporis Christi: sicut enim manna mirabilem habuit saporem secundùm desiderium cujuscumque, sic Corpus Christi: & sicut ad solem liquefiebat, & ad ignem indurabatur; sic Corpus

Chrifti ad Solem gratiæ liquefcit tibi ad falutem; ad ignem verò concupifcentiæ indurarur tibi ad damnationem: unde ficut loco gratiæ intravit in Iuda Diabolus: fic loco gratiæ in indignis fimiliter intrat. *fer.2 fer.2.Pentecoftes.*

277. *Chriftus fine læfione Virginalis puritatis natus, & nobis exhibitus in Sacramento à Beatiffima Virgine.*

Panis de Cælo,&c. De Cælo dicitur veniffe,& tamen in Terra colligebatur: quid fignificat hoc:de cælo ideft de utero Mariæ: quia Chriftus Iefus de Terra Virginali fine cultura maritali exhibitus eft. *fer.3.inVigil.Nativit.* De Maria ergo, & à Maria habemus Manna euchariſticum.

278. *Incarnatio Verbi eft manna maximè confortans hominem.*

Pluit illis Manna de Cælo. Quid eft pluere de Cælo Manna, nifi Verbum Divinum Carnem fomere: Incarnatio igitur fuit manna maximè confortans hominem in itinere hujus vitæ. *Compendium Theol.l.4.c.9.* Venit igitur Verbum de Cælo, non à loco egrediendo, nec per fpatium progrediendo, nec ad locum ubi non erat accedendo,nec quod erat amittendo; fed quod non erat, fcilicet humanitatem affumendo, & hic panis dat vitam mundo. *Ioan. Collat.32.*

279. *Verbum, & doctrina facra eft manna confortans Animam.*

Ifte eft panis de Cælo defcendens. Nota, quod Anima habet fuos cibos fpirituales, quibus confortatur, inter quos maximè confortativus eft fermo, & Verbum Dei. *lo.collat.31.& 33.*

280. Item pœnitentia eft manna fuftentans Animam: flatu enim fuo Anima pafcitur, cum ad fuperna gaudia flendo fublevatur. *In Ioan. collat. 31.* Item manna fignificat divinam contemplationem, quæ mirabiliter reficit Animam. *Io.In collat.31.*

281. *Tranfeundum eft per defertum ad pœnitentiam, & à pœnitentia ad fapientiam cæleftem, & deinde ad vitam æternam.*

Nota, quod filij Ifrael tranfeuntes ab Ægypto per mare, & deinde per defertum, in quo guftaverunt manna; & Tertiò per Iordanem in Terram promiffionis, fignificatur in figura triplex ftatus à nobis faciendus in hac vita, & primò à culpa ad pœnitentiam: Secundò à pœnitentia ad fapientiam,& exercitium virtutum: & Tertiò ad vitam æternam. *In Luc.c.21.v.33. & in Pfalm.118.cap.6. verf.3.*

282. *Poft afflictionem Deus influit confolationem.*

Pluam panem de Cælo, &c. Cur in deferto Deus pluit Manna; & non alibi? Hæc eft mira difpenfatio divina, quia non datur confolatio cibi cæleftis, nifi præcedat afflictio cibi terreftris: Vnde Deus filiis Ifrael pluit Manna de Cælo in Deferto afperitatis,& penuriæ, non in Ægypto fertilitatis, & abundantiæ. *fer.2.Dom.1.Quadrag.*

283. *Dominus non vult in nobis nimiam follicitudinem temporalium, fed ut quotidie ad ipfum recurramus.*

Colligat unufquifque quantum fufficit, &c. Cur Deus noluit, ut colligere manna poffent pro pluribus diebus, fed tantùm quotidie pro quolibet die, excepta die fexta, in qua juffit, ut colligeretur pro die etiam Sabbati? Voluit per hoc defignare, quod quotidie panem gratiæ,& cibum Animæ petere debemus dicentes, panem noftrum quotidianum da nobis hodie: voluit & indicare, quod qui dat hodie, cras quoque dare paratus eft, tantùm non negligamus petendo, colligere, quantum fufficit ad falutis profectum. *opufc. de profect.Religiof. l.2.c.70.*

284. *Indignè communicantes recipiunt verum Sacramentum, fed non rem Sacramenti.*

Et manna fcatere cœpit vermibus, & computruit. Quare Deus voluit, ut manna putrefceret collecta per plures dies? Quia id erat figura indignè recipientibus Sacramentum Euchariftiæ: licet enim Sacramentum non computrefcat: computrefcunt tamen recipientes malè ob malum, quod eis confequitur. *l.4.d.9.a.2.q.1.ad 3.*

285. *Qui poteft prædicare Verbum Dei, & non prædicat maledictione dignus eft.*

Quidam colligentes manna ufque mane, & computruit, &c. Nota, quod contra præceptum Domini aliqui collegerunt manna plufquam eis fufficiebat pro fingulo die,& abfcondebant; fed ftatim computruit fcatens Vermibus. Hic datur intelligi,quod qui manna Verbi Dei non colligunt, ut difpenfent aliis, fed abfconditum tenent, fcilicet, cum fint idonei ad prædicandum, tamen officium prædicandi,vel fufcipere renuunt,vel fufceptum verbum negligenter, & percepta dona abfcondunt: Ifti computrefcunt tanquam à Domino maledicti. *In Luc.c.19.v.20.*

286. *Euchariftia eft effectus amoris Dei;bona bonis, mala malis.*

Cumque incaluiffet Sol, liquefiebat. Nota quod ad folis expofitionem liquefiebat; ad ignem verò indurabatur. Cur hæc differentia? manna hoc eft Sacramentum Euchariftiæ,quod ad calorem folis, fcilicet ex amore Chrifti nobis liquefit per fuavitatem, & refolvitur in gratiam: Ad ignem autem, fcilicet amoris mundani, & carnalis induratur hominis ad damnationem. *fermon.3. In Vigil. Nativitatis.*

287. *Mane vigilandum ad orationem.*

Colligebant autem mane finguli, &c. Cur mane voluit Dominus, ut colligeretur manna? Litteraliter, quia oriente fole liquefiebat: fpiritualiter datur nobis intelligi, quod qui vult manna gratiæ, debet prævenire Solem,fcilicet mane vigilando. *In Sapien. c.6.*

288. Dies

288. *Dies festus exactè est custodiendus ex præcepto Domini.*

Die autem sexto colligebant cibos duplices, &c. Cur in hoc die? quia dies parasceve erat, idest dies præparationis, scilicet necessariorum pro sabbato sequenti, ut observare possent exactè diem Sabbathi. *In Ioan.cap.19.vers.14.Bibl.paup.cap.19.In Luc. cap.23.v.54.*

289. *Præparatio, & collectio necessariorum etiam Religiosis pauperibus conceditur pro pluribus diebus.*

Die autem sexta colligebant cibos duplices. Vide quod aliquando possunt fratres minores, licèt extrema paupertate obstricti congregare necessaria pro pluribus diebus, dum Dominus pro die sabbati præcepit, filios Israel congregare necessarium cibum in sexta die. *op.Determinat.circa Reg. sancti Francisci qu.7.*

290. *Dies festus exactè custodiendus sub pœna mortis.*

Et sabbatizavit populus die septimo. Nota id factum esse ex præcepto Domini, cujus inobservantia morte puniebatur. *In Luc.c.6.v.2.*

291. *Gradus, quibus Anima conducitur ad Dei unionem.*

Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suæ die Sabbati, & sabbatizavit populus. Cur in celebratione Sabbati voluit Dominus, ut nullus egrederetur domum propriam? Et quid est manere apud semetipsum? Nota hoc dicitur nobis, ut addiscamus modum, & gradus requiescendi, & inhærendi Deo: primò enim cum labore mentis evagationes comprimere debemus; & ad Deum colligere: deinde ex usu hujus studij facilius cor cohibere, & secum habitare discere: & tandem requiescere, & delectabiliter Deo inhærere, ita quod avulsio ab hujus quiete est talibus desolatio, & tribulatio non modica. *op.de Perf.Relig.l.2. cap.72.* Vide igitur ô Anima in quo centro quietem tuam potes invenire: nempè non in creaturis, sed in solo Deo.

292. *Quid agere debeat fidelis post receptionem Eucharistia.*

Maneat unusquisque apud semetipsum. Quid est manere apud semetipsum post sumptionem mannæ? Nota, quod hic datur modus quo recipi, & conservari in se quis potest fructus, & effectus Eucharistiæ post ejus sumptionem: debet enim manere apud seipsum, scilicet ad interiora se colligere, & cum honore & devotione in hospitio pectoris tractare cum Christo. *opusc.Centil.par.3.sect. 50. & op.de præpar.ad Missam cap.14. & op. Instructio Sacerd.*

293. *Maria Virgo Vas singulare, in quo positum est manna Verbi Dei.*

Sume vas unum, &c. Nota, hoc Vas mysticè est Beatissima Virgo: Vas quidem unum, sanctum, dignum, nobile, egregium, gratum, laudabile, venerabile, in quo manna cælicum Verbi positum est, ut nobis servetur. *op.laus. B. Virginis fig.8.& Psal. 53.* unde Ecclesia cantat Vas honorabile, vas insigne devotionis.

294. *Incarnatio in Ventre Virginis Mariæ præfigurata in Manna posito in Vase.*

Sume Vas, & repone ibi manna, &c. Cur in Vase voluit reponi manna? Vt præfiguraretur Incarnatio futura in Ventre Virginis Mariæ. *opusc. Comp. Theol. l.4.c.5.*

295. *Eucharistia est una secundùm fidem, sed tamen Sacramenta in ea fuerunt diversa per diversa tempora.*

Filij autem Israel comederunt manna per quadraginta annos, &c. Cur notatur comestio mannæ per quadraginta Annos, dum habitarent in Deserto? Quia id figura fuit comestionis spiritualis factæ à Iustis in Deserto hujus vitæ: Vnde dicitur, 1.*Cor. c.10. Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*, scilicet non manducatione Sacramentali, sed spiritali, quæ est per fidem, & charitatem: per hocque datur intelligi, quod semper Eucharistia fuit una per fidem, non tamen in ea fuerunt eadem signa, & Sacramenta. *lib.4.d.24.p.1.a.2.q.3.ad 2.*

296. *Gradus perveniendi ad requiem divinæ dulcedinis proponuntur.*

Et sabbatizavit populus. Cur voluit Dominus, ut per sex Dies filij Israel colligerent manna, & non etiam in septima die, cum hoc opus non esset laboriosum; & servile? Vt nobis indicarentur gradus, & modi perveniendi ad requiem dulcedinis Sapientiæ cælestis: nam primò est moderatio in vestibus externis. Secundò sunt externæ cæremoniæ observandæ. Tertiò mores exteriores compositi, & disciplina in corporis gestibus: Quartò opera pœnitentiæ: Quintò studium familiare extirpandi vitia; & exercendi virtutes: Sextò perfectio vitæ consistens in affectu virtutis: & ingressu in contemplationis statum: & in hac sexta die duplices cibos colligere debet Religiosus, scilicet bonæ actionis, & piæ affectionis, ut in septima frui possit dulcedine cælestis sapientiæ; qui autem hac sexta die hos cibos non colligit, in septima inanis remanebit. *opuscul. de perfect. religios. l.2. cap.22.*

CAPUT XVII.

297. *Crux est virga, qua Christus petra percussus emisit flumina sanguinis; & gratiarum.*

Percuties Virga petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus, &c. Vide quomodò pietas immensa Domini, dũ murmurabat populus, & rixabatur cum Moyse, tanto miraculo dedit ei aquam percussione petræ, ut ostenderetur ejus potentia. *Bibl. paup. c.1.* Idque factum est in figuram, quod Christus Iesus petra viva percussus Virga Sanctæ Crucis emisit flumina largissima sanguinis, & Aquæ, quibus Animæ nostræ sanantur, & lavantur. *opuscul expos.*

expoſit. Miſſa capit.4. & In Sapient. capit. 11.

298. *Deus aliquando deſolatiōne aliqua interiori tentat ſuos amicos.*

Et vocavit nomen illius loci tentatio: quia tentaverant Dominum dicentes, eſtne Dominus in nobis, an nō? Vide in qualem tentationem inciderat populus iſte poſt tot mirabilia viſibiliter pro eo à Deo facta. Idque indicat, quòd aliquando Deus permittit ſuos amicos ita deſolatos interiori conſolatione, quod quaſi inſanit homo, & palpitat ex vehementi mœrore dicens, eſtne Deus in me, an non? quæ tentatio non valet melius ſuperari, quàm patienter tolerando, & humiliter expectando, donec benignitatis ſuæ vultum dignetur oſtendere, & manum largitatis aperire, ut Cælum, quod ſupra ſe quaſi æneum ſentitur, ſtillas gratiæ influat. *op. de perfect.religioſā lib.2.c.2.*

299. *Deus punit ſuos ad ſalutem, impios ad damnationem.*

Percuties Petram, & exibit aqua, &c. Vide quale diſcrimen fuit inter Ægyptios & Iſraelitas: nam Ægyptij abundabant aqua, filij Iſrael carebant: ſed illis hæc abundantia verſa eſt in ruinam, quia converſa eſt in ſanguinem, & tandem in aqua ſubmerſi ſunt: ſed filiis dilectis providit Deus miraculosè aquam, ut biberent, & refocillarentur: Vnde cum ſuis miſcet cum miſericordia conſolante diſciplinam corrigentem, ſed miſericordem, & levem, ſcilicet in ſalutem. *In Sap.c.11.*

300. *Oratione pluſquam pugna vincuntur hoſtes.*

Moyſes, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis, &c. Cur dum Aaron, & qui pugnabant contra Amalecitas Moyſes, & Hur aſcenderunt in montem? Cur dux, & Princeps Populi in tanta neceſſitate deſeruit ſuos? Sed nota, quod Moyſes aſcendit in montem, ut oraret pro populo: plus enim Moyſes, orando, quam Aaron pugnando fecit. *op. Bibl.paup.c.16.* Datur etiam intelligi, quod Prælatus tempore neceſſitatis debet orare pro ſubditis, & medius ſtare inter Deum, & ipſos. *op.Bibl. paup.c.102.*

301. *Orandum eſt mente à terrenis elevata.*

Moyſes, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cur aſcenderunt ſeparati à populo? Vt daret nobis intelligi qualis debet eſſe oratio perfecta: nempè elevata à terrenis: eſt enim aſcenſus mentis in Deum, & ideò in hujus figuram etiam Moyſes manibus elevatis ad Cælum orabat. *In Luc.c.6. verſ.12.*

302. *Diſpoſitio Corporis in actu orationis multum iuvat aliquando Animam.*

Cumque levaret Moyſes manus vincebat Iſrael: Sin autem paululum remiſiſſet ſuperabat Amalec, &c. Si ad elevationem, vel remiſſionem manuum Moyſis tanta differentia conſpiciebatur, quid eſt, quod tali extremo motu indicare volebat Deus? Voluit Dominus nobis indicare, quod licèt oratio fiat elevatione mentis in Deum, tamen multoties externa forma multum juvat Animam: ſicut è contra mala diſpoſitio Corporis multum debilitat Animam, ne ad Deum elevetur: Vnde ſi mens in Contemplatione vult ferri in Deum, multum juvabit, ſi Corpore totaliter erecto, & facie ad Cælum verſa ſuperius, vel flexis genibus in oratione ſtabit: Si enim faciem verſus terram inclinaret, facilè impediretur actualis tendentia, vel in parte maxima ceſſaret: Cum ipſum deſiderando appetat, qui eſt ſupra ipſum ineffabiliter collocatus: Idque etiam patet in illis, qui de aliqua materia cogitant ſubtilius ſe profundendo, vel etiam in illis, qui loquuntur de arduis, in quibus eſt neceſſaria diſpoſitio Corporis, ut ſemper ſe interioribus quod eſt exterius configuret. Hæc regula tamen exceptionem habet aliquando, ut quando quis in meditādo, vel flēdo pro peccatis, poteſt eſſe alia diſpoſitio corporis, ut ad ſimilitudinem Publicani ad terram aſpiciat, &c. *op.Myſt.Theol.c.3.p.3.*

303. *Orando vincuntur hoſtes; dimittendo orationem hoſtes roborantur.*

Cumque levaret manus Moyſes, vincebat Iſrael, &c. Vide mirabilem vim orationis: Moyſes eſt Religioſus de Aquis ſæculi abſtractus: Amalec verò tentatio Carnis, manus Moyſis ſunt affectus, & memoria: quando iſta elevamus ad Deum, hoſtis tentationis ſuccumbit: quando ad terrena eas demittimus, hoſtis roboratur, & ratio eſt, quia oratio elevat mentem ſupra ſe ad Deum, purificat ejus affectiones, & deſideria caſtificat, intellectum illuminat, & Dei amorem infundit, ex quo generatur horror peccati, & deteſtatio carnalis voluptatis; Voluntas roboratur contra tētationes, & ipſæ tentationes debilitantur; ideò ſemper eſt orandum, quia ſine ipſius auxilio nihil poſſumus facere, ut rore ſuæ gratiæ extinguat in nobis ignem concupiſcentiæ. *op.de perfect. Religioſ.l.1.c.39.*

304. *In Chriſto quieſcit Eccleſia, & ſuſtentatur.*

Manus Moyſis graves erant: ſumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit, &c. Quid indicate voluit Deus hac cæremonia? Vt daretur intelligi, quod Eccleſia niſi ſuſtentaretur à Chriſto, non poſſet ob laſſitudinem conſervari, & quieſcere. *Pſal.84.* Vbi nota quod dicitur, manus Moyſis fuiſſe graves, ſed ad ſuppoſitionem lapidis non amplius laſſabantur. Indicaturque quod legalis Iuſtitia erat gravis, quæ nec miſericordiam, nec medicinam præſtabat: ſed ad adventum Chriſti facta eſt levis, & efficax per Evangelicam legem. *In Luc. c.10.v.37.& l.3.d.40.a.1.q.3.*

305. *Correctio iuſta Prælatorum eſt ſalus ſubditorum: negligentia eſt eorum ruina.*

Manus Moyſis erant graves, &c. Cur voluit Deus, ut manus Moyſis, & non potius Aaron elevarentur ad reportandam victoriam Iſtaelitarum? Sed nota, quod Moyſes erat Prælatus ſupremus, cujus authoritas judicialis ſignificabatur per manus elevatas, ad quam elevationem concurrit etiam Aaron, per quod ſignificatur poteſtas Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Iudicum: quando talis poteſtas elevatur in correctione ſubditi, tunc ipſi contra hoſtes infernales triumphant: Si autem per negligentiam remittitur, deficiunt, & vincuntur. *ſerm.4.Dom.1.poſt oct.Paſch.*

306. *Oratio*

306. *Orationi Deo chara debet iungi operatio manuum.*

Cumque levaret manus Moyses vincebat Israel, &c. Cur ad orationem junxit Moyses elevationem manuum? Nonne est cor, quod orat, & quod Deus respicit? Vt significaretur, quod cor exigit manus scilicet Corona, & victoria obtinetur contra hostes Animæ, si cum voce orationis, manus bonæ operationis leventur. *serm. 2. Dom. 13. post Pentec. & Compendium Theol. l. 5. c. 36.*

307. *Sacramentum Baptismi fortificat Animam, &c.*

Fugavitque Israel Amalech, &c. Nota, quod populus transito mari rubro, quod significabat Baptismum, fugavit Amalech: significatque per Baptismum vires Animæ augeri, & triumphare de passionibus nostris. *Comp. Theol. l. 6. c. 9.*

308. *Oratio Iustorum facta pro proximo citius, & facilius exauditur, quàm pro seipso.*

Cumque levaret manus suas, &c. Cur ad levationem manuum statim vincebantur hostes? Quomodò tam citò exaudiebatur oratio Moysis? quia pro populo, & proximo oratio fundebatur à Moyse clypeo precum ignitarum, & hasta compassionis armato: hæc enim oratio citius, & securius à Deo exauditur, quàm si fundatur pro seipso. *op. Mystic. Theol. c. 3. p. 3.*



CAPVT XVIII.

309. *In Ecclesia sanctâ providit Deus varios gradus Prælatorum, & Præsidentium.*

Non bonam rem facis: stulto labore consumeris: ultra vires tuas est negotium: provide de omni plebe viros potentes, &c. Cur voluit Deus, ut varia officia essent distributa in Ecclesia, cum sæpè id sit occasio discordiarum? Sed id meritò, & sanctè sancitum est, quia cum per unum, vel per paucos non posset singulis fidelium in omnibus saluti necessariis satisfieri, plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate vocarentur. Sanctè ergo disttributio Ecclesiarum, & Parochiarum, triplici de causa instituta est. Primò propter Rectorum sollicitudinem peculiarem: Secondò propter utilitatem subditorum, quia facilius reguntur, & expeditius singulis potest satisfieri per plures ministros, quàm per paucos: Tertiò propter deprehendendas fraudes hæreticorum, & latebras peccantium: hinc Moyses solus non valens onera multitudinis populi sostinere, partitus est Tribunis, Centurionibus, Quinquagenariis, ac Decanis, ut majores majora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta tamen sibi plenitudine potestatis, in Typo futuræ dispositionis Ecclesiæ militantis, cujus principalis ordinarius Prælatus est in summo Pontifice. *opuscul. Quare fratres minores prædicant, &c.*

310. *Tribunus, Centurio, Quinquagenarius, & Decanus quid sint.*

Constitue Tribunos, &c. Tribunus est qui super mille viros præsidet. Centurio super centum: Quinquagenarius super quinquaginta: Decanus super decem: Decurio, & Decanus sunt idem: dicitur tamen Decurio propriè, qui de ordine Curiæ administrat. *In Luc. c. 7. v. 2. & c. 23. v. 50.*

311. *Eligendorum ad Prælaturam conditiones enumerantur.*

Provide tibi de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam. Nota quod in his verbis enumerantur conditiones eligendorum ad Prælaturas: Dicit igitur primò: *Provide de omni*: per quod excluditur consanguinitas. Secundò, *Plebe*, per quod excluditur nobilitas. Tertiò, *Viros*, per quod excluditur fragilitas. Quartò, *potentes*, per quod excluditur pusillanimitas. Quintò, *timentes Deum*, per quod excluditur superba potestas. Sextò, *in quibus sit veritas*, per quod excluditur falsitas. Septimò, *& qui oderint avaritiam*, per quod excluditur cupiditas. *ser. 1. de Sancto Matthia.* Nota etiam, quod cum dicitur hic viros potentes, alia littera legit, *viros sapientes. In Ioan. c. 3. v. 12.* Hæc igitur est præcipua conditio, nempè sapientia, scilicet sapida cognitio experimentalis cum amore Dei, *op. de perfect. religios. l. 2. c. 27. & l. 3. d. 35. a. 1. q. 3.*

312. *Prælati electi super alios, debent esse cæteris meliores, & in virtutibus experti.*

Provide tibi ex omni plebe viros potentes, seu sapientes, ac timentes Deum. Vide qualem obligationem habeant Prælati, qui ut alios bonos faciant, debent bonitatis disciplinam priùs in se studiosè exercendo didicisse, & ex frequenti usu in habitum vertisse, ut sicut Christus, in se prius faciant, quæ verbo ducturi sunt: Et hinc inveniuntur multi, qui in se sunt boni, sed super alios positi inutiliter, insipienter, & nequiter alus præsunt. *opusc. de sex Alis Seraph. c. 1.*

313. *Prælati superiores Dominationum Choro respondent.*

Inferiores, & subordinati, Virtutũ Choro respondent in Ecclesia. Provide tibi viros, &c. Nota quod primò loco ponitur Moyses tanquam habens supremam potestatem, & sic in ordine Ecclesiastico respondet Dominationum Choro Angelico, qui sic aliis præest, quod illos illuminat, perficit, & purgat, tamen ab illis non illuminantur. Inferiores autem, & subordinati respondent Ordini virtutum Angelico, ut sunt Decani, Præpositi, Archidiaconi, & quicumque Iudices Ordinarij, sive delegati, qui lites sopiunt, & desidentes causas, discordes ad concordiam revocant, & reducunt, & tales sua officia providè, & viriliter exequentes conformitatem habent cum Ordine Virtutum, qui sequitur Ordinem Dominationum: nam sine virtute non potest tale expedire officium: Idcò dicitur Moysi: Vltra vires tuas est negotium, solus sustinere non potes. *op. Eccles. Hierarch. p. 2. c. 1.*

314. *Principatus Eccleſiaſticus eſt ſuperior temporali.*

Elige de omni plebe viros potentes, Tribunos, Centuriones, &c. Cur hic primò poſuit Prælaturam ſub nomine ſæcularis Poteſtatis, cum Eccleſia non oratur his nominibus ? Quia in lege veteri Sacerdotium ſubdebatur Regno: Vnde dicitur infra, *cap. ſequenti: Elegi Vos in Sacerdotale Regnum,* ubi Regnum ponitur ſubſtantivè, & Sacerdotium adjectivè: At in lege Evangelica è contra Regnum ſubditur Auctoritati Eccleſiaſticæ: Vnde Sanctus Petrus dicit: *Vos eſtis gens Sancta, Regale Sacerdotium*; ubi ponitur ſubſtantivè Sacerdotium, & adjectivè Regnum: Ideò in lege veteri Reges poterant amovere ab officio ſummos Sacerdotes: Nunc verò Pontifices ex cauſa poſſunt amovere Reges, & Imperatores: hinc etiam nomina officiorum murata ſunt in Decanos, Præpoſitos, &c. *op. Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 1. & l. 4. d. 24. p. 1. dub. 3. In Luc. c. 1. v. 5.*

315. *Poteſtates ſæculares cuſtodiantur ab ordine Angelico Poteſtatum: debentque malorum audaciam refrenare.*

Provide tibi Viros potentes. Cur dicitur potentes? potentes, ideſt apti ad exercendam poteſtatem in alios: Vt videas, quod poteſtas Regum, & Principum inter homines à Deo eſt ordinata, ut ipſorum metu malorum audacia refrenetur: Ideò ipſis in ordine à Deo conſtituto reſpondet Ordo Angelicus Poteſtatum, quarum munus eſt præeſſe Principibus, & à quibus hi debent diſcere modum, quo regere habeant ſubditos, ſcilicet ſapienter regendo, ordinatè vivendo, & potenter malum reprimendo, & vindicando, innocentibus parcendo, & protegendo perſonas miſeras, non ſuperbiendo de tali poteſtate. *op. Eccl. Hierarch. p. 2. c. 3.*

316. *Principes, & Prælati provide debent audire ſapientum, & aliorum conſilium, ipſumque ſequi in bonis.*

Provide tibi viros ſapientes, &c. Quibus auditis Moyſes fecit omnia, quæ ille ſuggeſſit. Mirum valdè eſt, quod Moyſes acquieverit conſilio viri gentilis: Cur tam citò obedivit? Vt videas quàm humilis eſſet Moyſes: licèt enim eſſet Prælatus, & Princeps tantæ multitudinis; licèt loqueretur facie ad faciem cum Deo, attamen ob humilitatem ſuam utile conſilium, & correctionem Viri pagani, non deſpexit, ſed ei humiliter acquievit. *opuſc. Bibl. paup. 43. & 97. & 100.* Quarè Prælatus valdè circumſpectus eſſe debet, ut ad munera ſua non impetu feratur, ſed maturo conſilio prudentum, & ſpiritum Domini, & conſilij divini habentium. *op. de ſex Alis Seraph. c. 7.*

317. *Prælati Eccleſiaſtici cura præcipua eſt rerum ſpiritualium.*

Eſto tu in iis quæ ſunt ad Deum. Vide quomodò Prælati in iis, quæ Deum reſpiciunt, maximè debent ſe occupare, alios verò delegare in iis, quæ ſunt temporalia. *op. de ſex Alis Seraph. c. 7.*

318. *Prælati debent eligi ſapientes.*

Provide tibi ex omni plebe potentes, & ſapientes. Si Deus vult, ut eligantur viri ſapientes, Cur elegit Chriſtus in Apoſtolos, & Prælatos Eccleſiæ viros ignotus, & omni doctrina carentes? Hinc enim Nathanael rejecit à numero Apoſtolorum, quia erat Doctor in lege: Reſpond. quod Chriſtus elegit idiotas, quia ipſe ſua virtute poterat eos facere, & de facto fecit ſapientes, & ut pareat converſionem Imperatorum, Sapientum, & potentum feciſſe ob divinam virtutem, non ob doctrinam, & perſuaſionem humanam; & ſi Paulus tanquam Doctor legis electus eſt in Apoſtolum, id fuit tantùm poſt Aſſumptionem ſuam in Cælum: Vnde ſeipſum tanquam abortivum appellat: ſed quia nos in noſtris electionibus non poſſumus facere hæc miracula, hinc eligendi ſunt ſapientes, ideſt experimentalem cognitionem ſui officij habentes. *ſer. 2. de S. Matthia, & In Ioan. c. 1. verſ. 48.*

319. *Qui habiles ſunt, & eliguntur non debent renuere, & retrahere ſe ab exercitio Prælaturæ.*

Provide tibi Viros potentes, &c. Et Moyſes fecit hæc omnia. Vide, quod non legitur, aliquem ex electis renuiſſe ſuccumbere oneri impoſito: Vt intelligas, quod qui eligitur, & habilis eſt, non debet renuere, ſed in obſequium Domini ſervire. *Pſalm. 118. cap. 5. verſ. 15.*

320. *Vita Prælatorum eſt ſpeculum, & exemplar ſubditis.*

Provide tibi Viros, &c. Cur tot conditiones, in eligendis ad prælaturas exigit? Quia vita Prælatorum debet eſſe ſpeculum ſubditis expoſitum, *ſerm. 1. de S. Matthia.* Elige ergo talem, qui te ducat ad Deum, non ad ignem Inferni. *ſer. 4. Dom. 19. poſt Pentec.*

321. *Avaritia longè debet eſſe à Prælatis.*

Provide tibi viros, qui oderunt avaritiam. Cur nominat hic ſolùm avaritiam, à qua immunes ſint, qui eliguntur in Prælatos? quia avaritiæ vitium eſt cæteris perículoſius in Iudicibus, & Prælatis. *opuſc. Bibl. paup. cap. 73.* Vnde legitur, quod quidam ductus fuit ad Infernum, & vidit Neronem, qui fuit auro cupidiſſimus, in balneo auro liquefacto pleno, & Dæmones ſuper eum liquefactum aurum infundentes, cum videret alios Iudices ad Infernum deportari, clamavit ad eos: O amici noſtri, ò venale genus hominum, venite ad me in baleum mecum, qui ſimiliter amavimos aurum, pervertimuſque Iudicium. *ſerm. 1. de S. Matthia.*



CAPUT XIX.

322. *Aſcenſus Animæ ad Deum ſuadetur.*

Moyſes autem ad Dominum deſcendit, vocavitque Dominus eum de monte, &c. Cur volens Moyſes cum Deo tractare, & orare aſcenditad verticem

cem montis? Nonne est Deus ubique, & in omni loco potest orari? sed observa gradus orationis Moysis: Primò enim à senioribus sequestratur: Secundò ascendit in montem: Tertiò intrat caliginem; Per hoc datur intelligi, quod qui vult in Deum ascendere per perfectam unionem, debet relinquere omnes creaturas, & in Deum solùm intrare. *ser. 2. Hexaem.*

323. *Qui populos instruere debet, prius ascendat ad Deum.*

Moyses ascendit ad Dominum postea venit ad populum, &c. Cur priusquam loqueretur populo, voluit ascendere ad montem? Vt indicaret, quod, qui vult descendere ad erudiendum alios, debet prius ascendere ad Deum, qui ignis est illuminans, & accendens Animam. *serm. 22. Hexaem. &c.* O Felix Prædicator ille, qui prædicando aliis, orationis studio sedulò ante, & post prædicationem studuerit.

324. *Qui in interiora intrat in oratione ascendit montem ad Dominum.*

Moyses ascendit ad Dominum. Cur volens orare Moyses ascendit ad montem: nec enim ad perfectam orationem id est necessarium, dicente Domino; *quia venit hora, quandò nec in monte hoc, nec Hierosolimis adorabitis? Ioan. c. 4.* Respondetur: quod ascensus in montem materialem non est necessarius; nisi forte ad quærendam solitudinem, & sequestrationem ab hominibus, sed id debet fieri spiritualiter intrando in interiora Animæ? Si igitur quæris montem altum, prius descende; ut attingas per humilitatem: Si quæris altum locum, intus perhibe templum Deo: In templo vis orare? In te ora, sed prius esto templum; quia in templo suo exaudit Dominus. *In Ioan. c. 4. v. 23.*

325. *Religiosi debent ascendere per contemplationem ad Deum, & descendere per actionem ad proximum.*

Ascendit Moyses ad Dominum & statim venit ad populum. Cur statim post alloqutionem cum Domino, reversus est ad populum? Cur non diutius permansit in tali loco ab hominum conversatione sequestratus? Vt daretur intelligi, quod munus Religiosi Deo dicati est accedere ad Deum per contemplationem, ad orandum Deum, & descendere per actionem ad consulendum proximum, exemplo Moysis, imò Christi. *In Ioan. collat. 10.*

326. *Deus nos portat ministerio Angelorum eorumque protectione nos defendit.*

Vos vidistis quomodò portaverim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi. Quandonam portati fuerunt filij Israel super alas Aquilarum? Id non legitur uslibi? Per Aquilas intelliguntur Angeli, qui velut Aquilæ irreverberatis oculis solem Deitatis æternaliter contemplantur. Alæ eorum sunt ministeria ipsorum, quarum una est ministerium defensionis à malo, altera promotionis ad bonum: his alis angelicis portavit Deus filios Israel: iisdem alis tanquam motricibus portant nos Angeli in via ambulantes, *ser. 3. Dom. 23. post Pentec.* ô qualis obligatio nostra ad Angelos.

327. *Deus peculiari beneficio eligit suos, & ab ipsis exigit correspondentiam gratitudinis.*

Vos vidistis quomodò portaverim vos, &c. Hoc dixit Deus volens in memoriam filiis Israel revocare discrimen, quomodò egit cum Ægyptiis eos puniendo, & cum ipsis eos eligendo in populum peculiarem, exigens in iis debitam notitiam tot beneficiorum; & gratitudinem: hæc & itidem inculcat nobis. *In Ioan. c. 8. v. 52. & Diat. tit. 10. c. 6.*

328. *In gloria Deus in memoriam revocat beneficiorum à Beatis receptorum.*

Vos ipsi vidistis, &c. Hæc verba Christus in Cælo canit Beatis, ut in memoriam reducat beneficia innumerabilia eis collata. *op. Diat. sal. tit. 10. c. 6.* & eadem nobis hic insinuat, ut invitet nos ad recolenda beneficia divina, dum in hac mortali vita degimus.

319 *Beneficia filiis Israel collocata fuerunt figura eorum, quæ prædestinatis contulit Christus.*

Vos ipsi vidistis, &c. Ista verba ordinat Christus prædestinatis, quasi diceret: Vos, submersis Ægyptiis, idest mundi amatoribus in mari rubro, idest in peccato, & tandem in Inferno, ad Terram promissionis, scilicet Paradisi adduxi, & super alas contemplationis Angelicæ vos elevavi ad speculandum adventum meum, & omnia mysteria gratiæ. *Diat. sal. tit. 10. c. 6.*

330. In lege scripta Sacerdotium erat inferius Regno: In lege gratiæ est superius. Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale. Vide supra *ad c. 18. n. 6.*

331. *Christi Incarnatio fuit promissa filiis Israel in Deserto, & Moysi.*

Veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Cur voluit Dominus apparere Moysi in caligine nubis, & non potius in splendore irradiantis? quia nubes erat indicium præsentiæ Divinæ Majestatis, & ut contemperaretur divina lux, ut in ipsum posset intendere oculos: Fuit tamen id figura futuræ Incarnationis Verbi, in qua Caro, velut nubes contemperabat lucem Divinitatis, & quia fuit veluti vehiculum divinæ lucis in nos, & quia per ipsam effluxit Deus aquam divinæ gratiæ: Humanitas autem Christi dicitur nubes, quia sicut nubes de mari ascendit, & formatur, ita de amaritudine, & pœnalitate humanæ naturæ, & etiam ex Maria Virgine traxit originem. Hinc erudiuntur Contemplativi, ut in meditando, non tantùm erigant oculos ad Deitatem, sed etiam ad humanitatem Christi obumbrantem: hæc enim coadjuvat potius ascensus ad Divinitatem. *In Luc. c. 9. v. 34.*

Contemplativi debent aciem figere in Divinitatem, & simul humanitatẽ Christi.

332. *Obedientia superioribus tanquam Deo præstanda.*

Veniam ad te in caligine nubis, &c. Vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Cur dicitur, *& credat tibi*, & non potius mihi? Deo enim, non homini loquenti debebant credere? Nota: quia homo non est nisi organum, per quod Deus loquitur; & ideò non homini facit injuriam, qui non obedit, sed Deo, cujus ordi-

nationi reſiſtit: ob idque non eſt attendendus homo, qui præcipit, & imperat, ſed Deus, qui præcipientium corda inhabitat, & legem obedientiæ ipſis mediantibus præcipit, & demandat: Qui igitur mediantibus ſuis ſuperioribus ad Principem omnis poteſtatis, ſcilicet ad Deum totaliter convertuntur, ipſius imperio humerum ſubjicientes ad dignitatem Principatuum Angelorum merito obedientiæ reducuntur: hoc enim eſt proprium hujus ordinis adjuvare tales obedientes. *op. Eccl. Hierarch. p. 3. c. 1.*

333. *Virtus temperantiæ præparat corda ad illuminationes divinas.*

Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua. Ad quid Deus addidit, ut ad ſanctificationem adderet ablutionem veſtium? Voluit per hoc ſignificare, quod qui vult ſanctificationem Animæ, debet lavare veſtimenta ſua per virtutem abſtinentiæ, & temperantiæ. *In Luc. c. 2. v. 21.*

334. *Lixivio Pœnitentiæ lavandæ ſunt veſtes internæ Animæ, & exteriores converſationes.*

Vade ad populum, &c. & lavent veſtimenta ſua. Nota, quod præcipiuntur filii Iſrael lavare veſtimenta: ſed quomodò? qua aqua? Sed attende, quod *in Num.* 19. datur modus conficiendi lixivium ad lavanda veſtimenta: ſic enim dicitur, *Tollent de cineribus combuſtionis, & mittent aquas vivas ſuper eos in vas.* Aqua viva eſt aqua Contritionis, ſeu lachrymarum: Cinis eſt memoria mortis: In Vaſe ergo cordis commiſce aquam Contritionis cum memoria tuæ incinerationis: & ſic hoc lixivio lavabis veſtes ſcilicet interiores, & exteriores quoad converſationem: ſicque ſanctificaberis. *ſerm. 2. in die Cinerum.*

335. *Perfecta ſanctificatio exigit emendationem futuræ vitæ.*

Vade ad populum, & ſanctifica eos, & lavent veſtimenta ſua, &c. Cur ad ſanctificationem addit ablutionem veſtimentorum? ſi jam ſupponitur ſanctificata Anima, ad quid additur ablutio externa veſtium? Optimè hoc ordine procedit Deus: Vult à nobis ſanctificationem in Anima per lavacrum pœnitentiæ, ſed addit ablutionem veſtium, ſcilicet emendationem vitioſæ conſuetudinis, & converſationis, alioquin ad nihil juvabit ſanctificatio, & in hoc ſtat propoſitum bene vivendi in futuro. *ſer. 1. Dom. 2. quadrag.*

336. *Sanctificatio perfecta exigit contritionem, bonam converſationem, & ſatiſfactionem.*

Hodiè, & cras lavent veſtimenta, & ſint parati in diem tertium. Cur tres dies exigit Deus ad præparandum filios Iſrael? Nota quod per tres dies intelliguntur tres ſtatus bonorum, ſcilicet Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Primi debent præparari per puram contritionem, & proficientes per bonam converſationem, & perfecti per puram ſanctificationem. *ſer. 1. in Vig. Nativit.*

337. *Tres ſunt partes pœnitentiæ præparantis ad ſanctificationem Animæ.*

Et lavent veſtimenta, &c. ſint parati in diem tertium. Nota, quod per tres hos dies ſignificantur tres partes pœnitentiæ, quibus illuminamur, dum per veram pœnitentiam ſanctificamur. *ſer. 3. in Dedicat. Eccleſ.*

338. *Prædicatio Chriſti præfigurata in ſtatu legis ſcriptæ.*

Eſtote parati in diem tertium. Cur in diem tertium, & per tres dies voluit hanc præparationem Deus? Nota hic ſumi diem pro Anno: Idque fuit figura præparationis prædicatæ à Ioanne Baptiſta: Tertio enim Anno Chriſtus apertè prædicavit Evangelicam doctrinam. *Luc. c. 3. v. 37.*

339. *Continentia etiam ab actu licito aliquando eſt neceſſaria ad recipiendam perfectam ſanctificationem, vel ad celebrandam ſanctificationem, celebremque ſolemnitatem.*

Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris. Cur id, quod à lege matrimonij admittebatur: nunc vetatur à Domino? quia etiam aliquando appetitus in licitis per continentiam eſt reſtrenandus. *Pſal.* 118. *c. 4. verſ.* 12. Hinc in Concilio Eliberitano: *de conſecrat. d.* 11. dicitur, quod volens communicare debet abſtinere ab uxore aliquibus diebus antecedentibus, quod tamen eſt intelligendum de conſilio, & de congruo, & non ex præcepto, ſed ad majorem reverentiam Sacramenti. *lib. 4. d.* 12. *part. 2. art. 2. quæſt. 3. & In Luc. cap. 1. verſ.* 23. Poteſt etiam intelligi hæc prohibitio acceſſus ad uxores ſpiritualiter, ita ut velit prohibere acceſſum ad carnalitatem, vel ſenſualitatem tamquam ad uxorem, ſicut ſignificatur in Eva uxore, cui uxori appropinquare non debet ſpiritus, ne ſeducatur, & ne affectum purum in non purum, & ſpiritualem in carnalem convertat. *ſer. 2. in Vigil. Nativit.*

340. *Lex Scripturæ Sacræ non eſt humana, ſed tota à Dei ſapientia inſtituta.*

Venit Moyſes, & convocatis maioribus natu populi expoſuit omnes ſermones, quos mandaverat Dominus: & reſpondit omnis populus ſimul: Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, &c. Cur Dominus Deus voluit prius exquirere conſenſum populi antequam legem dictaret? Nonne ipſe eſt Dominus abſolutus in omnibus? quia hoc eſt diſcrimen inter legem humanam, & divinam, quod lex humana eſt conſtitutio populi, qua majores natu ſanxerunt, ſimul cum plebibus aliquid: lex autem Scripturæ Sacræ à Sapientia Dei ſolius eſt inſtituta, nihilo adinventionis humanæ permixto, populi tantum Hebraici de ſuſcipienda lege requiſito conſenſu, ipſius legis impoſendæ, non expreſſis articulis, ſed tantùm inviolabilis autoritatis Dei præcipientis pondus exprimere intendens: Vnde dicitur *Apoc.* 22. procedere à ſede Dei. *op. Principium Sacræ Scripturæ.*

341. Lex

341. *Lex divina data fuit populo cum signis praecedentibus, & concomitantibus, & consequentibus ad majorem ipsius authoritatem significandam.*

Et ecce coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura. Cur voluit Deus, ut ad promulgationem legis hæc signa concurrerent? Nota, quod plura signa præcesserunt ad præsagiendam legis approbationem. Alia cōcomitata sunt ad sanciendam legis institutionem: Alia subsequuta sunt ad conficiendam legis approbatæ promulgationem ut per hoc pateret authoritas Dei præcipientis, pondus, & utilitas, & necessitas eiusdem legis. *Op. princip.sacræ Scripturæ.*

342. *Gradus ascendendi ad Deum per unionem traduntur.*

Et ecce coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &c. Nota, quod primò Moyses dedit operam sanctificationi per ablutionem vestimentorum, deinde audivit tonitrua, &c. & postea post promulgationem legis ex *cap.* 24. jussus est ascendere montem cum senioribus, & tandem ab omnibus separatus intravit in medium caliginis: Per quæ mirabilia voluit Deus ostendere varios gradus, quibus Anima spiritualiter ascendere potest ad unionem Dei perfectissimam. Primò enim expurgandus est animus à sensibilibus. Secundò ab omnibus non puris separari debet. Tertiò audiuntur tonitrua, videntur fulgura, scilicet multa arcana superna videntur; & hinc ascenditur ad contemplationem Dei cum senioribus, scilicet potentijs rationabilibus per revelationem rationum exemplarium creaturarum in Deo relucentium, & tandem post prædicta separatur ab omnibus intelligibilibus prædictis, & intrat in caliginem ignorantiæ, nempe unitur Incomprehensibilitati Divinæ, quam non penetrat intelligentia; quæ ignorantia omnium clarissima est, & in se claudit, & velat secretissimè omnes cognitiones comprehensivas: eo modo fere, quo lux stellaris absconditur in luce meridiana, qui ultimos gradus consistit, non in cognitione intelligibili, sed fit per ardentissimam dilectionem, & experimentalem notitiam. ô felix, qui fit dignus ingredi in hanc caliginem luminosam. *Op. de septem itinerib. aetern.Itin.5.d.6.*

343. *Lex Evangelica est lex amoris:lex mosayca est timoris.*

Et ecce coeperunt audiri tonitrua, &c. Cur voluit Dominus,ut hæc signa terribilia præcederent promulgationem legis: quod non est factum in lege Evangelica?Ad ostendendum, quod Mosayca erat lex timoris,&rigoris:Evangelica verò benignitatis,& amoris,quam Christus promolgavit cum dulcedine stans in medio discipulorū, eos familiariter docendo. Ratio autem huius fuit differentia personarum, quibus promulgata est lex: Iudæi enim erant duræ cervicis, & ad malum proni: Post aduentum Domini Iesu, homines sunt magis persuasibiles.*l.3.d.40.a.1.q.1.* Hinc lex Moysis dicitur lex figuræ, lex pœnæ, litteralis, occidens, timoris, servitutis, & oneris: Lex Evangelica dicitur lex veritatis, gratiæ, spiritualis, vivificans, amoris,libertatis,& facilitatis.*Centil.p.3.sect.31.*

344. *Dominus descendit in fumo, in nube, in igne spiritualiter in Animam.*

Nubes coepit operire montem, qui totus fumigabat: & Dominus descendit in igne, &c. Cur ostendit Dominus se per nubem,fumum,& ignem?Vt ostenderetur, quod Dominus descendit ad incipientes in fumo contritionis:Ad proficientes, in nube devotionis,quæ hominem dulci lachrymarum nube perfundit, & ad perfectos in igne dilectionis: Amor enim charitatis semper ardet, & numquam extinguitur.*serm.1.in Vigil.Nativit.*

345. *Bona Contritio, & Confessio peccatorum facit Deum descendere in Animam.*

Totus mons Sinai fumigabat, eo quod descendit Dominus super eum tanquam ignis. Quid est, quod ad descensum Domini in montem Sinai fumus, & ignis aderat? Nota quod Sinai mons est quilibet servus Christi bonus, qui debet totus fumigare per dolorosam cordis compunctionem, & exterius per lachrymosam oris confessionem suorum peccatorum, cum descendit Dominus super eum tanquam ignis ad illuminandum per splendorem veritatis, & ad inflammandum per ardorem charitatis.*serm.2.Dom.20.post Pentec.*

346. *Contritio peccatorum accendit Animam amore, & zelo.*

Totus mons Sinai fumigabat, &c. Ad quid iste fumus?Nota,quod statim ac Moyses separavit filios Israel extra Castra: statim mons fumigare coepit, visusque est Deus descendere in igne. Per quod datur intelligi, qui Dominum vult contemplari debet exire, & separari à Castris mundi, à mundi malitia, & à societate vitiorum, & postea mons Animæ debet fumigare per contritionem, & tunc descendit Dominus super eum in igne zeli, vel amoris:zeli,scilicet contra vitia,& ignis amoris in Deum.*serm.1.Dom.15.post Pentec.*

347. *Verba Dei sunt ignis illuminans, & dirigens Animam in tenebris huius vitæ.*

Eo, quod descendit Dominus super eum tanquam ignis. Cur cum igne descendit Dominus? quia ad Moysen loquebatur, ut indicaret, quod verba Dei sunt ignea: scilicet ignis illuminans Animam, ne in tenebris huius vitæ cadat in lutum peccati, & in foveam Inferni:Lucerna hæc est clarior sole. *serm prim.In Cœna Dom.*

348. *Contemplationis exercitium quanta bona afferat.*

Totus mons Sinai fumigabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. Nota, quod non sine magno mysterio Dominus se ostendit super montem istum cum igne, ut iudicaretur status contemplativæ vitæ: est enim mons locus magisterij, quia vita contemplativa abundat cognitione: est & locus sacrificij, quia vita hæc abundat devotione, & oratione: est & locus incendij propter radios solis, quia vita hæc abundat charitate, & hinc in montem descendit Dominus in igne. *In Luc.cap.9. v. 29.* Dicitur autem Dominus descen-

dere in igne, quia hic ignis charitatis inchoat in via, ſed totum cor occupat in patria. *In Luc. cap.13.v.21.*

349. *Oratio, & Sacrificium Deo charum requirit praecedentem ſanctificationem Animae.*

Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam eos. Cur voluit Dominus praecedentem ſanctificationem ſacerdotum? nonne accedens ad Dominum, accedit, ut Sacrificetur? Voluit Dominus oſtendere, qua puritate debeant ſacerdotes, & offerentes Deo Sacrificia accedere ad offerendum Sacrificium, & qualiter immineat Dei zelus puniens in eos, qui impurè, & indignè ad ipſum accedunt. Hinc etiam Oza dicitur percuſſus à Deo, quando tetigit Arcam, quia nocte cognoverat Uxorem. *In Luc. cap.1.v.23.*

350. *Sacerdotes debent eſſe ſanctificati pro ſe, & pro populo.*

Sacerdotes, qui accedunt ad me, ſanctificentur, ne percutiam eos. Quid eſt, quod Dominus denuò repetit pro ſacerdotibus ſanctificationem faciendam? Nonne ſupra legitur, omnis populus ſanctificatus à Moyſe? Nota, quod in lege veteri ſanctificatio fiebat vel per ignem, vel per aquam, fiebatque vel pro emundatione à peccato pro dedicatione cultui divino, & pro confirmatione in bono. Prima igitur ſanctificatio pro peccato facta eſt communis omni populo: Haec Secunda, & Tertia ordinata eſt pro Clericis, & Religioſis; debent igitur eſſe ſanctificati, non ſolùm quia cultui divino dicati ſpiritualiter, ſed & confirmati in bono, quia ſunt columnae, & ſtabilimentum in populo; ſanctificati ergo quo ad ſe, & quo ad aliorum ſalutem. *ſerm.3. In dedicatione Templi.*

351. *Exercitia contemplationis, quae eſt paucorum, & actionis, quae eſt multorum exarantur.*

Cumque eduxiſſet eos Moyſes de loco Caſtrorum in occurſum Dei, ſteterunt ad radices montis. Notandum eſt valdè, quod cum Moyſes iret in occurſum Dei, duxit ſecum populum, ſed tamen ſtetit populus ad radices montis, nec amplius voluit Deus, ut procederet. Cur voluit Moyſen cum Aaron ſolo aſcendere ad verticem montis, & reliquos etiam ſacerdotes remanere ad radices? Cur hoc privilegium omnibus non conceſſit? Ut intelligamus, quod paucorum eſt otium contemplationis: multorum vero eſt exercitium actionis: Turba enim non permittitur aſcendere, quia non capit ſublimia: hinc apex montis competit contemplativis, & campeſtria plana laborantibus; ſic etiam legitur de Chriſto, quod in monte oravit, docuit, Majeſtatem ſuam demonſtravit, Patris vocem Apoſtolis pandit: Deſcendens autem, à turbis acceptus eſt, pulſatus à miſerorum fletu, infidelitatis peccata exprobravit, malos ſpiritus expulit. Per primam denotantur quatuor actus contemplativae, ſcilicet oratio, lectio, cognitio divinorum, & revelatio ſecretorum: Per ſecundam quatuor actus activae vitae, ſcilicet viſitatio miſerorum, compaſſio, increpatio vitiorum, & neceſſitatum revelatio: Haec à Praelatis debent fieri, qui talibus actibus debent occurrere ſubditis. *In Luc. cap.9.v.37.*

CAPUT XX.

352. *Dei mandantis authoritas, & bonitas debet nos excitare ad obſervantiam mandatorum Dei.*

Locutus eſt Dominus, &c. Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. Cur antequam mandata ſua obſervanda proponeret Deus praemiſit haec verba? nonne ſatis ſciebant filij Iſrael, ipſum eſſe Deum? Hoc praemiſit, ut ſuam authoritatem ſummam in memoriam eis reduceret: Additque, *qui eduxi te de Aegypto, &c.* ut ſua potentia, ſapientia, & benevolentia in ipſos oſtenſa, excitaret, & moveret ad obſervantiam ſuorum mandatorum. *Op. decem precep. ſer.1.*

353. *Notitia Creatoris, & Reparatoris inducit hominem ad obſervantiam mandatorum Dei.*

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo ſervitutis. Cur praemiſit ad explanationem mandatorum haec verba? Nota, quod ad plenam mandatorum explanationem, quaedam debent praemitti, ſcilicet, quae pertinent ad mandatorum cognitionem: & ſunt duo fundamenta fidei: primum eſt notitia Creatoris: ſecundum eſt notitia Reparatoris, ſuntque veluti duo radij, vel duo oculi nos ſemper dirigentes in viam mandatorum, ſicut homo prius aperit oculos, quàm ambulet: Dicit igitur (*ego Dominus*), indicans ſuam potentiam Patris: addit, (*Deus*) indicans ſapientiam Filij: addit, (*tuus*) indicans bonitatem Spiritus Sancti: In hoc, quod dicit, (*ego*) identitatem eſſentiae notat, ſignificans ſe Deum Trinum, & unum, Creatorem univerſorum: ſcilicet, ego ſum, qui te feci in eſſe naturae & gratiae, cui debes obedire, & quem debes adorare. Addit poſtea, (*qui te eduxi de Terra Aegypti*): Hoc dictum eſt litteraliter Hebraeis quoad corporalem eductionem de Aegypto, ſed ſpiritualiter omnibus, quoad ſpiritualem eductionem de Aegypto aeternae damnationis, de peccato primi hominis: ſicut enim illi educti fuerunt poſt comeſtionem Agni Paſchalis, & per aſperſionem ſanguinis liberati ab Angelo exterminatore: ſic nos per Verbum incarnatum educimur de diabolica ſervitute per eſum Carnis ipſius in Sacramento Altaris, & per ſanguinem eius in Baptiſmo. *Op. de decem precep. ſerm.2.*

354. *Ex nomine Dei infertur infinita aequitas ipſius, & fundamentum praeceptorum ipſius.*

Ego ſum Dominus Deus tuus. Cur praemittit ad publicationem praeceptorum notitiam ſui nominis? quia in hoc nomine Dei comprehenditur ſuperexceſſiva Dei dignitas omnem auctoritatem excedens, item & eius poteſtas illimitabilis: Item & aequitas inobliquabilis, qua fovet, & approbat bona, & delet, & reprobat mala: Et hinc eius auctoritatem, & aequitatem expreſſit in hoc nomine, (*Deus*) ut pateret quanti ponderis eſſent eius praecepta. *Op. princip. ſacra Scrip.*

355. Praecepta

355. *Præcepta Dei sunt conformia, & descendentia à lege naturæ: Et præcipuè Deum colendi.*

Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Cur præmisit id, quod filijs Israel notum erat, scilicet, quod ipse erat Deos? sed nota, quod prius voluit Deus, ut Moyses ascenderet simul cum Aaron in montem, & deinde subdidit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, tradendo præcepta observanda: & per hoc voluit indicare, quod volens pervenire ad intelligentiam mandatorum Dei, debet ascendere in montem, idest eminentiam mentis:& hoc subdit, *ego sum Dominus Deus tuus*, ut pateficret, quod secundùm impressionem lucis æternæ, & veritatis divinæ lex naturæ est nobis data, & secundùm illam lucem documenta legis divinæ suscepimus: Cum autem ens primò cadat in Animam, hocque vel est increatum, vel creatum, hinc etiam duplex oritur Iustitia: Vna per quam ordinamur ad ens increatum,alia ad ens creatum:& secundùm hanc duplicem Iustitiam, duplex tabula Moysi data: prima,& secunda: In prima dantur præcepta ordinantia ad ens increatum, & quia hoc habet ut causa omnium efficiens summam Majestatem, ut formalis, exemplarisque summam sapientiam, & veritatem, & ut finalis summam bonitatem; hinc præcipitur adoratio summæ Majestatis in primo præcepto; summæ veritatis recognitio in secundo, amor summæ Bonitatis in tertio præcepto. In secunda Tabula ordinantur,quæ respiciunt ens creatum, quæ fundantur in illis duobus præceptis naturæ. *Quod tibi vis, alteri feceris; & quod tibi non vis, alteri non feceris.* Ex quibus patet quam justa, quàm sancta, quàm utilia, quàm observabilia sint divina præcepta. *Op. de decem præcept. serm. 1. 2. & seq. ad 5. op. Bibl. paup. 21.*

356. *Sapientia, & Bonitas divina elucescit in ordine, & modo, quo nobis tradidit præcepta.*

Non habebis Deos alienos coram me, nec facies sculptile, &c. Cur Deus incepit præcepta à lege negativa, cum in novo Testamento inceperit ab affirmativis,dicens: *Diliges Dominum, &c. sic Matt. cap. 4.?* Resp. quod Deus tradidit præcepta brevissimo modo, ne oneraretur nostra memoria, clarissimo modo, ne offuscaretur nostra intelligentia, & facillimo modo, ne revocaretur nostra voluntas. Tradidit autem prima præcepta per negationem, quia simul voluit revocare ab Idololatria, & implicate cultum Dei in affirmativa, quæ tamen clarius exposita sunt in Evangelica lege. *serm. 2. op. de decem præcept.*

357. *Ad Idololatriam reductivè spectant omnes superstitiones, & errores Dei Majestatem, Veritatem, & Bonitatem tangentes.*

Non habebis Deos alienos,&c. Non facies sculptile, neque similitudinem, &c. Vide quid Deus restrinxerit in his tribus verbis, in quibus removetur à nobis non solùm Idololatria, sed & prohibentur omnes actus, per quos avertitur mens humana à reverentia Creatoris sui, & ideò vetantur omnes prophanæ pactiones Dæmonum,omnes falsæ superstitiones, & adinuentiones errorum, & omnes perversæ appretiationes creaturarum. Ad pactiones Dæmonum reducuntur omnes artes magicæ, sive sint ad transmutationem naturarum, ut fecerunt magi Pharaonis: sive sint ad ludificationem sensuum, ut faciunt Incantatores, & Histriones: sive sint ad investigationem futurorum contingentium: Ad superstitiones veniunt omnes errores contra fidem, ut hæresis, perversio sensus sacræ Scripturæ, & similes: Nomine perversæ appretiationis creaturarum, venit Idololatria superborum, avarorum, & lascivorum. *serm. 3. In op. de decem præceptis.*

358. *Idololatria Christianorum est per superbiam, avaritiam, & luxuriam.*

Non facies tibi similitudinem, quæ est in Cœlo, in aquis, in terra, &c. Quid est facere tibi similitudinem rerum creatarum? Nonne possunt pingi, & repræsentari per picturam,vel sculpturam creaturæ? Nota quod non prohibentur picturæ creaturarum, sed dicit, non facies tibi similitudinem, id est Idolum, & ipsius æstimationem, nempè non habebis in tanta æstimatione res creatas, ut propter eas Deum tuum, ejusque cultum deseras: Prohibet igitur nimiam appretiationem creaturarum, ita, quod homo amorem præcipuum, quem debetet ponere in Deo, ponat in bono creato, sicut faciunt ambitiosi, qui summè diligunt seipsos; avari qui summè diligunt nummum, & gulosi, & luxuriosi, qui summè diligunt ventrem pro Deo. *Op. de decem præcept. serm. 2. op. Diæt. salutis tit. 3. c. 2.*

359. *Imaginum adoratio suadetur, & qualiter facienda.*

Non facies tibi similitudinem, &c. Ergo hic prohibetur omnis Imago, eiusque adoratio? Et tamen in Ecclesia adorantur Imagines? Resp. quod tempore legis prohibebantur Imagines Dei, quia nondum Deus factus erat homo, & ob periculum erroris: sed nunc piè, & sanctè introductus est usus, & adoratio Imaginum sacrarum post adventum Dei in Carnem, & hoc ob simplicium ruditatem; picturæ enim rudibus inserviunt loco librorum. Secundò ob affectuum tarditatem, scilicet ad excitandam nostram devotionem in his, quæ pro nobis, & in exemplum nostri à Christo, & sanctis gesta sunt. Tertiò propter memoriæ labilitatem, scilicet, ut videntes Imagines recordemur beneficiorum nobis impertitorum, & operum virtuosorum ab ipsis gestorum. Et quia Imago v.g. Christi introducta est ad repræsentandum eum,qui pro nobis crucifixus est,idcò omnis reverētia,quæ ei offertur, exhibetur Christo, & personæ repræsentatæ: Est igitur adoratio Imaginum non absoluta, sed respectiva, scilicet in ordine ad Prototypum: Vnde cultus, qui exhibetur Imaginibus Christi est latriæ: Cultus, qui exhibetur Imaginibus Mariæ Virginis hyperduliæ: Imaginibus sanctorum est Duliæ: Cultus verò, qui exhibetur Cruci, vel particulæ Crucis Christi, in qua verè pependit est cultus Latriæ, Tum ratione formæ crucifixum repræsentantis, Tum ratione materiæ, quia tetigit Christum, fuitque Instrumentum nostræ salutis: Cæteris autem Crucibus præstatur honor, & adoratio ratione figuræ, idest prout repræsentat Christum crucifixum: Crux autem materialiter tantùm considerata exigit non adorationis

rationis cultum, ſed tantùm quamdam venerationem, ſicut & Sacramenta. *lib. 3. d. 9. a.1.q.2.& ſeq.per totum.op. Comp. Theol.lib.5.cap.60.Opuſc.de dono pietatis c. 2.*

360. *Idololatria multiplex in Infidelibus & in Chriſtianis prohibetur.*

Non facies ſimilitudinem, ſeu Imaginem, quæ in Cælo eſt, & quæ in terris eſt, & quæ in aquis. Notandum eſt diligenter quali ordine procedit hic ſacer Textus, nam in his verbis voluit comprehendere omnem Idololatriam veram, & moralem: Unde primò prohibet Deos alienos: in quo peccant Iudæi, qui expectant Meſſiam, ideſt Antichriſtum, & Saraceni, qui adorant Mahometum: Item & ſculptilia, in quo peccant Gentiles, qui colunt ſtatuas: Et hæretici, qui non credunt de Deo, niſi, quod imaginatione, & phantaſia confingunt: Item & ſimilitudinem, vel imaginem eorum, qui ſunt in Cœlo, ut faciunt ſuperbi, qui diligunt ſuper omnia homines: Item eorum, quæ ſunt in Terra, ut Avari, qui colunt pecuniam, & divitias: Item eorum, quæ ſunt in aquis, ut faciunt voluptuoſi, qui ſectantur voluptates, & delicias. *Op.Comp.Theol.l.5.c.60.*

361. *Timor, & Amor requiruntur ad obſervantiam præceptorum.*

Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, &c. Ad quid ſubjungit, ſe eſſe Deum fortem zelotem, &c. nonne ſuffecerat dixiſſe in principio huius ſermonis, ſe eſſe Deum, ad quid id duplicat? Quia cum omnia præcepta ſint, vel affirmativa, ut homo faciat bonum; vel negativa, ut vitet malum, impoſſibile eſt, ut hæc exequatur, ſcilicet, ut vitet malum ſine timore, & faciat bonum ſine amore; ſicut enim avis volare non poteſt ſine duabus alis, & homo ambulare ſine duobus pedibus, ſic nec perfectus eſt homo obſervator præceptorum Dei, niſi ſit repletus timore, quod habetur ex conſideratione divinæ ſeveritatis, & amore, quod habetur ex conſideratione divinæ Bonitatis. Hinc ait Deus ut incuteret timorem, *Ego ſum Deus fortis zelotes*, ideſt fortiſſimum habens zelum eorum, qui oderant me: & volens imprimere amorem ſubdit, *faciens miſericordiam, &c. Op. de decem præceptis ſerm.2.& in Pſal.45.op.Bibl.paup.cap.40.*

362. *Deus pronior eſt ad miſericordiam, quàm ad ſeveritatem.*

Ego ſum Deus fortis zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filios, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me. Cur loquens Deus de ſua miſericordia, addit, *viſitans in millia*, quod non dicit, dum minatur pœnam, ſed tantum ſimpliciter dicit, viſitans iniquitatem Patrum in filios? Id dicit ad oſtendendum, quod Dei miſericordia, & Benignitas tranſcendit ultionem iniquitatum. *ſerm.2.In op. de decem præcept.*

363. *Quomodò ſit verum, quod Deus puniat filios ob peccata parentum.*

Viſitans iniquitatem Patrum in filios, &c. & faciens miſericordiam, &c. Quomodò alius eſt qui peccat, alius eſt qui vapulat? Ergone puniuntur innocentes pro peccatoribus? Reſp. primò, quod aliquando Deus punit parentes in filijs, quando tollit eos de mundo ad majorem pœnam Patrum, ut evenit in pueris ſodomitarum, quod tamen ordinatur in majus bonum ipſorum filiorum. Reſp. ſecundò, quod cum filij ſint imitatores paternorum ſcelerum, punit peccata Patrum cum peccatis filiorum uſque ad tertiam, & quartam generationem, ſcilicet temporaliter. *ſerm. 2. in op. de decem præceptis & In Luc. cap.13.v.5.& l.3.d.32.a.1. q.1.ad 3.& In Ioan.cap.9.v.1.& l.2.d.33.a.1.q.1.*

364. *Amor latam, & facilem viam mandatorum Dei.*

Viſitans iniquitatem, &c. & faciens miſericordiam, &c. Cur addidit hic, *faciens miſericordiam in millia.* quod non addidit agens de punitione? Reſp. Vt magis incuteret amorem, quàm timorem. Amor viam mandatorum latam, & facilem reddit; amantibuſque eſt lata; non amantibus eſt arcta. *Op. de decem præcept.ſerm.2.& In Luc.c.1.v.72.*

365. *Fidelis Confeſſio ſummæ Veritatis præcipitur, & abnegatio einſdem prohibetur in ſecundo præcepto.*

Non aſſumes nomen Dei in vanum, &c. Vide ordinem pulcherrimum præceptorum Dei: nam in primo præcepto præcipitur humilis adoratio ſummæ Majeſtatis: hic autem qualificatur talis adoratio, nempe vult, ut recognoſcatur ſumma Veritas, & removeatur quidquid ei poteſt eſſe contrarium, ob id præcipit juramentum verum, quando neceſſitas urget, & vetatur falſum; ſicut & omnis blaſphemia, & omne peccatum linguæ contra Deum. *ſerm. 3. op. de decem præcept. & op.Diat.ſal. Tit. 3. cap. 1. & Comp.Theol.l.5.cap.61.& ſap.c.14. & l.37.dub.2.& a.2.q.3.& op.ſpec.Animæ cap.2.*

366. *Sanctificatio diei feſti præcipitur à Deo, & quàm Deo chara.*

Memento, ut diem ſabbati ſanctifices. Cur voluit Deus ſanctificationem diei ſabbati? Et cur nos ſanctificamus diem Dominicam? Reſp. quod in hoc præcepto aliquid morale, aliquid figurale, aliquid cæremoniale, & aliquid ex utroque mixtum: ut morale ſignificat, quod Deus ab homine ſemper requirit, ut ſibi habitaculum cordis præpararet, & eidem aliquando vacaret, & per dilectionem eidem adhæreret: Vt figurale ſignificat à quo opere ceſſandum eſt, ſcilicet ab opere peccati, & quid credendum, & expectandum ſit, videlicet quies paſſionis Chriſti in ſepulchro: Vt cæremoniale verò importat determinationem diei ſeptimæ, in qua Chriſtus requieſcere debebat in ſepulchro, & Deus ceſſavit ab omni opere; & quantum ad hoc in lege evacuatum eſt, quia jam Chriſtus requievit, veritate adveniente mutata eſt hæc dies in Dominicam in memoriam beneficij redemptionis, & in præſignationem futuræ reſurrectionis. *lib.3.d.37.dub.3.& op.de decem præcept.ſerm.4.In Luc.c.23.v.54.op.Bibl.paup.*

367. *In*

367. *In sanctificatione festorum continetur integra observantia aliorum praeceptorum.*

Memento, ut diem sabbati sanctifices. Cur anteposuit huic praecepto hoc verbum, *memento.* Cur non etiam caeteris praeceptis? quia in huius praecepti observantia perfecta caetera etiam memorantur, & continentur. Dum enim homo vacat sibi, & Deo, melius cognoscit quid agendum, & quid vitandum: Unde quodammodò facit ad aliorum moralium integram impletionem. *lib. 3. d. 37. dub. 3. & op. Comp. Theol. l. 5. cap. 62.*

368. *Opera servilia, & carnalia prohibentur in die festo.*

Sex diebus operaberis, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo. Cur dicit diem sabbati esse Domini Dei? Nonne & caeteri dies sunt Dei? Et quomodo omne opus prohibetur in septimo die? Vt videas, quod septima dies tota est deputanda ad cultum Domini Dei, & ideò prohibentur illa opera, in quibus homo inhiat terrenis lucris, ut quae sunt praeter necessitatem, & per quae Anima detinetur, maximè circa haec interiora, ne se, nec Deum suum recolat: & haec sunt opera servilia, & etiam opera carnalia, ut ebrietates, lites, & jurgia, choreae, quae maximè libertati spiritus repugnant. *l. 3. d. 37. dub. 3.* Nota tamen, quod ad Praelatos Ecclesiae spectat determinate quomodò, & qualiter ab operibus exterioribus cessandum sit. *lib. 3. Ibidem.*

369. *In die festo quaenam sunt facienda.*

Memento, ut diem sabbati sanctifices, &c. Nota, quod in hoc praecepto exigitur à Deo exhibitio dilectionis in Deum, ad quam requiritur divina vocatio convertens Animam in Deum; Item Christi imitatio in operibus: Item cessatio ab operibus servilibus: primum habetur secundùm opera septem, quorum tria sunt intrinseca, scilicet meditatio, oratio, & exultatio; ex quibus exercetur contemplatio: Alia quatuor sunt, lectio, psalmodia, Sacrificium, & adimpletio divinae legis: secunda scilicet imitatio Christi, quae consistit in sex operibus misericordiae, & Tertia est cessatio ab omni opere servili. *Op. de decem praecept. serm. 4.*

370. *Transgressores diei festi sunt similes damnatis, & Daemonibus.*

Memento, ut diem sabbati sanctifices. Cur dicit memento, ad memoriam revocans hoc praeceptum? quia transgressores huius praecepti videntur memoriam amisisse, non reminiscentes, quòd Deus in sex operibus fecit mundum, & in septimo requievit: Quod Martyres, & sancti laboraverunt in mundo, & nunc requiescunt in Caelo; & quod Diabolus, & damnati soli sunt, qui semper laborant, & nunquam requiescunt, quibus tales transgredientes hoc praeceptum sunt similes: Imò isti quasi sanctificant totam septimanam, vacantes enim operibus licitis, in sex diebus, & in die festo operibus illicitis, dantes Animam Diabolo. *Op. Diet. salutis tit. 3. c. 1.*

371. *Traditur modus celebrandi sabbatum mysticè.*

Memento, ut diem sabbati sanctifices. Cur appellatur dies festus dies sabbati? sabbatum interpretatur quies: In hoc ergo Christus requievit in sepulchro: per hoc denotatur, quod homo per sex aetates debet cum Christo contribulari, & crucifigi, ut in morte sua habeat sabbatismum: Dicitur etiam hic dies magnus, quia tunc facta est impletio figurae per veritatem, & tunc cessavit sabbatum, cum fuit impletum, & dies Dominicus successit celebrandus, quia jam habemus veritatem diei septimae, per Christi quietem, expectamus resurrectionem, & glorificationem octavae, quae jam in Capite nostro inchoata est, & consummabitur in resurrectione generali: Dicitur etiam hic dies sabbatum Domini, scilicet quies à perpetratione peccati: Dicitur, & quies contemplationis, & status Religionis, & observantiae Evangelicae perfectionis. *In Luc. c. 13. v. 54.*

372. *Honor, & obedientia parentibus exhibenda à filijs.*

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Cur Deus collocavit quarto loco hoc praeceptum, & tanquam primum secundae Tabulae? quia cum praecepta Decalogi ordinant hominem ad Deum, & ad proximum: post ordinationem ad Deum, primo loco sese offert in ordine praeceptorum ad proximum dilectorum honor debitus parentibus, est enim nobilior caeteris. Nota autem quod in hoc verbo, *Honora*, continetur obligatio reverentiae debitae Patri, item obedientiae, & beneficentiae: primum ei competit ratione originis: secundum ratione regiminis: tertium ratione benefactoris. *serm. 5. de decem praecept. & l. 3. d. 37. dub. 4.*

373. *In hoc praecepto continetur honor debitus etiam alijs.*

Honora Patrem, & Matrem tuam. Cum debeamus etiam alijs reverentiam, obedientiam, & beneficentiam, cur tantùm fit mentio de Patre, & Matre? quia cum parentes sint proximiores, & magis caeteris benefacientes filijs, hinc solùm fit mentio de parentibus; cum enim in hoc praecepto ordinetur homo ad proximum, hinc in ipso continetur obligatio etiam ad alios. *l. 3. d. 37. dub. 4.*

374. *Honor exhibitus parentibus meretur longevitatem vitae, & felicitatem: quae maximè debetur pietati.*

Vt sis longaevus super terram, &c. Cur huic praecepto tantùm promittitur longitudo vitae, & non potius beatitudo vitae? Quia in hoc praecepto maximè commendatur pietas, cui plusquam caeteris actibus debetur misericordia Dei, & quia vita inter alia maximè amatur; hinc promittitur longitudo vitae: quae vita corporaliter promittebatur populo carnali, sed spiritualiter nobis promittitur vita spiritualis, & beatitudo. *lib. 3. d. 37. dub. 4.* Nota etiam, quod longaevitas non attenditur secundùm materialem cursum, sed secundùm valorem: & ideò honoranti parentes honore reverentiae debetur vita honorifica, honoranti obedientia, debetur vita jucunda, & honoranti honore beneficentiae debetur vita opulenta. Nota etiam quod nomine Patris venit primò Pater, & Mater

 naturalis:

naturalis : Secundò fupervenit Princeps, qui eft Pater auctoritate: Tertiò Tutor, magifter, & Defenfor: Quartò fenex maximè antiquitatis: Quintò indigens adjutorio : Sextò amicus, fcilicet omnis Chriftianus ratione proximitatis : Septimò omnis homo. *Op. de decem precept. ferm.5.*

375. *Inhonorantium parentes pœna qualis.*

Honora parentes, &c. Nota, quod inhonorantium pœna prima eft inobedientia fuorum filiorum; per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur: Secunda eft infamia Iuris, & facti, & privatur hæreditate. Tertia, ut plurimum moriuntur mala morte, & horribili. Quarta, citò moriuntur. *Op. Diat. fal. tit. 3. c. 3.*

376. *Longitudo vitæ, & dierum confiftit in bonitate, & fanctitate majori.*

Honora Patrem, &c. ut fis longævus fuper terram. Videtur hæc promiffio falfa, cum multi Iovenes honorantes Patres, citò moriuntur ? fed Refpondetur, quod hæc longævitas non confiftit principaliter in longitudine dierum materialium, fed in bonitate, & fãctitate vitæ: Dicitur enim de ijs in *fap. c. 10. Confummatus in brevi explevit tempora multa, & pauci in multos computantur*; & è contrario de malis dicitur, quia longiores funt dies bonorum, quia meliores, non quia diutius vivant: breviantur enim, ne mali fiant, vel pejores. *Ecclef. c. 7.*

377. *Homicidium, ira, & iniuria in proximum prohibetur, & ad quos extenditur præceptum.*

Non occides. Nota, quod in hoc præcepto fecundùm intellectum legiflatoris ordinatur homo ad vitandum nocumentum honoris in vita corporali, & ideò prohibetur ira prorumpens in iniurias vel in verbera, vel in vitam. *Op. de decem preceptis ferm. 6. & lib. 3. d. 37. dub. 5. & op. Comp. Theol. l. 5. c. 64. & Diat. tit. 3. c. 4.* Nota etiam, quod homicidium prohibitum hic fit vel libidine vindictæ, vel ex crudelitate, vel interpretativè, fcilicet, vel omittendo, vel confulendo, vel detrahendo, vel odiendo : occidere autem hominem fecundùm ordinem legis in Iudicibus eft licitum, quia illud homicidium non fit ut ab homine, fed ut à Deo præcipiente. *Op. de decem precept. ferm. 6.*

378. *Peccata carnalia quarè prohibita.*

Non mœchaberis. Hic folùm videtur prohibitum adulterium, & non cæteri actus carnales, ut fornicatio, mollities, &c. Cur ergo extenditur ad alios actus carnales, cum maximè fub nomine prohibitionis gravioris non intelligi debeat minus gravetfed Refpondetur, quod in præceptis fecundæ Tabulæ prohibentur omnes actus ordinati ad nocêdum proximo: hinc, quia quantum ad peccatum carnis magis offenditur proximus per adulterium, ideò illud expliciiè hic prohibetur : Non per hoc tamen ftat, quin prohibeantur omnes alij actus illiciti coitus, & abufus illorũ membrorum, & omnia illicita affectio repugnans legibus matrimonij : & ob id actus, qui fiunt ad provocationem libidinis, & impugnationem caftitatis, prohibentur, funtque adulterium, fornicatio, ftuprum, facrilegium, inceftus, & peccatum contra naturam. *lib. 3. d. 37. dub. 6. & op. de decem preceptis ferm. 6. Expofit. Reg. S. Franc. c. 2.*

379. *Peccatum luxuriæ, & præcipuè mœchia eft morbus contagiofus, & peftilens.*

Non mœchaberis. Si hic prohibetur omnis actus etiam internus libidinofus, & contra caftitatem, cur poftea in fexto præcepto fit fpecialis prohibitio actus interni? Ad denotandum, quod peccatum luxuriæ eft vilis infirmitas, & morbus contagiofus, qui folo afpectu, ficut Bafilifcus inficit hominem, tabefecteque faciens, & ægrotare hominem, & ut pateat per hanc repetitionem eius vilitas, & quàm Deo fit exofum : ift enim major mercatura Diaboli, & univerfalius peccatum cæteris : quia Diabolus pro uno peccato lucratur duas, & plures fæpè Animas, nullique parcit, fe extendens ad omne genus hominum : Vnde cum Diabolus habeat feptem filias, fcilicet fuperbiam, quam dedit mulieribus & ambitiofis ; ufuram mercatoribus, rapinam militibus, & magnatibus, fimoniam Clericis, hypocrifim Religiofis, luxuriam tamen pro univerfis refervavit. *Op. Diat. fal. Tit. 3. c. 5.*

380. *Furtum quodlibet hic prohibetur à Deo.*

Non furtum facies. Nota hic prohiberi omnem illicitam rei alienæ ufurpationem invito Domino; eft enim contra Ius naturæ. *l. 3. d. 37. dub. 7. & op. de decem precept. ferm. 6. & Diat. tit. 3. cap. 6.*

381. *Mendacium quodlibet eft Deo exofum.*

Non loqueris contra proximum tuum falfum teftimonium. Nota, quod hic prohibetur quodlibet mendacium, five fit officiofum, fcilicet quod nulli obeft, & alicui prodeft: five fit jocofum, quod nulli prodeft, & nulli obeft: five fit perniciofum, fivè cum juramento, fivè fine juramento : mendacium enim eft falfa vocis prolatio cum intentione fallendi. Cum autem Deus nõ poffit recedere à veritate, fequitur quod nec poffit difpenfare in mendacio, & quod fit ita prohibitum, quia ex natura fua eft malum. *Op. de decem precept. ferm. & l. 3. d. 3. dub. 8. & d. 38. per totum. Diat. Tit. 3. c. 7. op. Comp. Theol. 5. cap. 66. 59. & 67.*

382. *Lingua mala perverfitas qualis, & plurimorum peccatorum radix.*

Non loqueris contra proximum falfum teftimonium. Hic exprefsè prohibetur falfificatio Teftimonij in Iudicio : ergo alij actus linguæ non videntur prohibiti ? fed Refpondetur hic prohiberi omnes actus noxios proximo, qui fiunt per linguam: imò omnis ufus illicitus, & malus linguæ, fcilicet blafphemia, murmur, defenfio peccati, perjurium, mendacium, detractio, accufatio, multiloquium, verbum otiofum, fcurrilitas, indifcretio, convitium, contentio, bonorum derifio, pravum confilium, fufurratio, maledictio, peccatum bilinguium, rumor, jactantia, & fecreti revelatio. *Op. Diat. fal. Tit. 3. cap. 7.*

383. *Lingua vel ut inftrumento Dei debemus uti, vel ut inftrumento Diaboli.*

Non loqueris, &c. Cur præceptum peculiare facit Deus in ordine ad linguæ ufum? quia lingua, fi in bonum utaris, erit lingua Dei, & à Spiritu Sancto mota: fi in malum, erit iftrumentum Diaboli. *ferm. 1. Dom. 13. Pentec.*

384. *Innocentia*

384. *Innocentia cordis quoad concupiscentiam cupiditatis, & carnis praecipitur.*

Non concupisces rem proximi tui, nec uxorem eius, &c. Vide quomodò Deus vult in nobis non solùm innocentiam in actibus externis, sed & cordis, per quam rectè juxta legem naturæ, & divinam ordinatur homo ad proximum suum. *Op. de decem precept. serm. 7. & Diat. sal. Tit. 3. c. 8.*

385. *Concupiscentia cupiditatis, & carnis est febris, & radix omnium malorum.*

Non concupisces, &c. Cur Deus, cum præceperit actus interiores malos ut inclusos in exterioribus supra positis, hic tamen explicitè denuò eos prohibet? Resp. ne detur ulla excusatio, & ut sciamus quod ex hac duplici concupiscentia tanquam ex fonte, & radice fit transfusio omnium aliorum malorum, & peccatorum: Unde in hoc præcepto prohibet Deus omnia mala: est enim febris, qua omnes filij Adæ febricitant, generans omnes alias infirmitates spirituales. *Op. de decem praceptis serm. 7.*

386 *Videre in sacra Scriptura sumitur aliquando pro quolibet alio sensu: Voces enim Dei facta, non verba.*

Cunctus autem populus videbat voces, &c. Quomodò dicitur videbat, & non potius audiebat? Quia videre in sacra Scriptura aliquando stat pro audire, vel sentire aliquo sensu. *lib. 4. d. 1. p. 1. dub. 2. & op. de perfect. religios. l. 2. c. 75.* Addit Philo hic *Dicitur videbat, quia humana vox auditur, quin quacumque Deus dicit, non verba, sed facta sunt.*

387. *Transgressores divina legis puniuntur gravissimè à Deo.*

Cunctus populus videbat voces, sonitum buccina, &c. Nota, quod ante, & in actu promulgationis legis, & post voluit Deus hæc portenta ostendere, ad incutiendum timorem in corda audientium. *Centil. p. 3. sect. 32.* Ex hoc voluit indicare, quod Deus transgressores horum præceptorum puniret graviter: sicut enim transgredientes legem Imperatoris punitur, & pœna corporis, & pœna bonorum mobilium, & immobilium, & pœna patibuli; multo magis transgressores legis divinæ puniontur pœna Corporis, & Animæ: item pœna bonorum mobilium, scilicet amissionis gratiæ, & immobilium, scilicet amissionis gloriæ: Item, & patibulo Inferni: & sicut homini, qui ducitur ad patibulum velantur oculi corporis, ligantur manus, & nudatur vestibus: sic transgressores velantur in oculis rationis, ligantur in manibus operationum, & nudantur veste conversationis humanæ. *Op. Diat. sal. Tit. 3. c. 9.*

388. *Transgressores divina legis puniuntur spiritualiter decem plagis Ægyptiorum.*

Cunctus populus videbat voces, &c. ad incutiendum timorem. Sed ad quid iste timor? Ut intelligerent, quod sicut per decem plagas Ægyptij fuerunt puniti, sic & per alias decem plagas puniuntur à Deo transgressores divinæ legis: Plagæ Ægyptiorum fuerunt sanguis, ranæ, sciniphes, muscæ, animalium pestis, vesica, grando, locusta, tenebræ, & mors primogenitorum, quæ vastaverunt Ægyptum: sic & decem plagæ spirituales corrumpunt mundum istum: suntque sanguis, scilicet luxuria: Ranæ, scilicet loquacitas, & peccata linguæ: sciniphes, scilicet invidia: musca, scilicet Ira, & indignatio: pestis animalium, scilicet accidia: vesica turgens, scilicet superbia: grando, scilicet peccatum injuriæ, Locusta, scilicet gula: Tenebræ, scilicet cæcitas ignorantiæ: Mors primogenitorum, scilicet scandalum: Unde sicut post has plagas Ægyptij submersi sunt in mari; sic & transgressores legis divinæ, si non egerint pœnitentiam submergentur in Inferno cum Diabolo, & Angelis eius. *Op. Diat. sal. Tit. 3. cap. 10.*

389. *Ad vitandam transgressionem mandatorum incutit Deus in nos timorem.*

Cunctus populus videbat voces, &c. Cur voluit connectere hæc signa timoris cum promulgatione legis. Resp. ad incutiendum timorem in eos, ut notatur hic *vers. 20.* & ut adverterent, quod transgressores legis multis bonis privantur temporalibus, & spiritualibus: Item & in multa flagitia permittuntur ruere, & in multa pericula cadunt. *Op. de decem praceptis serm. 11*

390. *Fides incutit timorem, & reverentiam in Deum.*

Timore concussi steterunt procul, dicentes, loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus, &c. Cur potius expetunt verba Dei à Moyse, & non immediatè à Deo? quia fides incutit timorem, & reverentiam ad Deum. *In Luc. c. 7. v. 3.*

391. *Per timorem custodit Deus hominem à culpa.*

Et ait Moyses, nolite timere, ut enim probaret vos venit Deus ad vos, & ut terror illius esset in vobis. Quomodò exhortatur Moyses filios Israel, ne timeant, & postea, dicit, quod Deus ostendit illa signa, ut terror illius esset in eis; si Deus volebat in eis terrorem, cur dicit, nolite timere? sed nota, quod Deus nolebat in eis timorem vitiosum, sed bonum, & sanctum, ut sic eos custodiret à transgressionibus: sicut enim sapiens medicus præbet non solùm infirmo medicinam curantem à morbo, sed & præservantem à recidiva: sic & Deus per timorem eos volebat à culpa liberare, & à futuris præservare: sic facit timor Domini. *Op. Diat. Tit. 6. cap. 1.*

392. *Prælatus, & Prædicator debet scientia, & moribus se hominem de Cœlo ostendere.*

Vos vidistis, quod de Cœlo locutus sum vobis. Cur de Cœlo dicit Deus se locutum, & non potius de monte Sinai? sed nota, quod quando Deus tradit præcepta, & eos dirigens in via Dei, dicitur de Cœlo loqui volens per hoc indicare, quod officium alios judicandi, docendi, & prædicandi, panem verbi Dei exhibendi auditoribus est cæleste, & divinum, & quod nemo ipsum debet assumere, nisi exemplo Dei cælestem naturam habeat in scientia, & moribus, probitateque vitæ. *Op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 3.*

393. *Altare Chriſtus eſt de terra Virginea fabricatus.*

Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper illud, &c. Cur de terra voluit ſibi fabricari altare, & non potius de auro? quia per hoc præfigurata eſt Incarnatio Verbi: Hoc Altare eſt Chriſtus de terra, ſcilicet de Virginea carne fabricatus, ſuper quod offerenda ſunt noſtra ſacrificia. *Pſalm.* 25.

394. *Altaria ideò eriguntur in memoriam mirabilium Domini.*

Altare de terra facietis mihi, &c. Cur voluit, ut Altare erigeretur? ſubdit Dominus, *in quo fuerit memoria nominis mei*: Ad indicandum, quod quilibet debet eſſe memor Sacramentorum Dei, ad credendum, & confitendum. *In Luc. c. 1. v. 63.* Altaria igitur eriguntur in Eccleſia, ut ad eorum aſpectum memores ſimus Sacramentorum Chriſti, & ut excitemur ad actus fidei, & laudis divinæ.

395. *Vbi eriguntur Altaria, ibi locus eſt orationis, & venerabilis.*

Altare de terra facietis, &c. Nota, quod Deus præcipit hic, ut in omni loco, in quo offerenda erant Sacrificia erigeretur Altare, ut in eo offerrentur Victimæ: Datur intelligi per hoc, quod licèt in omni loco debeatur reverentia Deo, tamen peculiaris veneratio debetur Deo in oratorio, ubi eſt Altare: & hoc ratione venerabilis nominis, & venerabilis agminis, ſanctorum Angelorum; eſt enim locus divinæ memoriæ attitulatus, divinæ Euchariſtiæ deputatus, & divina, & Angelica militia viſitatus. *Pſalm.* 118. *cap. prim. verſ.* 6.

396. *Trinitatis æqualitas in Perſonis oſtenditur.*

Non aſcendas ad Altare meum per gradus. Cur non vult, ut aſcendatur per gradus ad Altare? Id myſticè dictum eſt: Nam per Altare ſignificatur Trinitas Perſonarum Divinarum: Iubet ergo Deus, ut non aſcenderetur ad Trinitatis cognitionem, vel adorationem per gradus, ſcilicet tollendo æqualitatem earum. *lib. 1. d. 25. dub. 4. & op. expoſitione miſſa cap. 4.*

397. *Decem Præcepta Decalogi ſunt fundamenta, & regulæ omnium legum, & bonorum, quæ ſunt in moribus.*

Nota, quod decem præcepta Deus dedit in hoc loco: Cur decem? quia decem prædicamenta ſunt fundamentum eorum omnium, quæ determinantur in Dialectica, & partes orationis ſunt fundamenta in Grammatica eorum, quæ exprimi poſſunt per ſermonem: ſic & decem hæc præcepta ſunt fundamenta, & regulæ omnium legum, & omnium bonorum. *ſerm. 1. In op. de decem præceptis, &c.*

CAPVT XXI.

398. *Præcepta judicialia præponi debent ceremonialibus.*

Hæc ſunt judicia, quæ propones eis. Nota, quod in hoc, & ſequentibus capitibus Deus proponit judicialia præcepta neceſſario obſervanda, quæ erant ſecundùm dictamen Iuſtitiæ & charitatis, & ideò reprehenſi ſunt à Chriſto Phariſæi *Luc. cap. 11. eo*, quod præpoſuerunt cæremonias his præceptis. *In Luc. cap. 11. v. 42.*

399. *Servi debent ſervire, obedire, & cuſtodire, maximè ſervi Dei.*

Si emeris ſervum hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo anno egredietur liber gratis. Vide quod Deus vult, ut qui eſt ſeruus ſerviat ſicuti decet, ſcilicet ſervitute operoſa, timoroſa, & moroſa, ſerviendo, obediendo, & cuſtodiendo. *Pſalm.* 118. *cap.* 8. *v.* 13. Idque faciendum à nobis maximè ad Deum, ut libertatem aſſequi mereamur in ſeptimo anno, ſcilicet in gloria.

400. *Prælati debent incumbere, ut ſubditi audiant Verbum Dei.*

Et perforabit aurem eius ſubula, &c. Cur præcipit Deus, ut perforetur auris ſervi illius, qui recuſabit exire de ſervitute? Myſticè id dicitur Prælatis, qui debent amovere omnia impedimenta in ſubditis etiam rebellibus, ut audiant Verbum Dei. *In Ioan. cap.* 18. *v.* 11.

401. *Habens libertatem poteſt ſe licitè facere, & vendere in ſeruum.*

Et ſi ſit ei ſeruus in ſempiternum. Ex hoc patet, quod qui eſt liber poteſt ſe vendere, & facere ſeruum. *lib. 2. d. 6. art. 3. q. 2. in fundam.*

402. *Viri percutientes uxorem peccant.*

Si quis percuſſerit uxorem prægnantem ſubsidebit damno illato, &c. Nota, quod hanc legem fecit Dominus, ut oſtenderetur honor, qui debetur matrimonio: Unde graviter peccant viri, qui percutiunt uxores, niſi forte, ſi non ſervant fidelitatem. *ſerm. 1. Dom. 24. poſt Pentec.*

403. *Pœna Talionis à Deo fuit ordinata in lege.*

Oculum pro oculo, &c. Cur Deus præcepit cum tanto rigore, ut oculus erueretur pro oculo? &c. quia eſt hæc Iuſtitia legalis, ſcilicet pœna Talionis indicta in lege. *Pſalm.* 142. *& Centil. part.* 3. *ſect.* 32.

404. *Lex Evangelica dulcior, & mitior legali.*

Oculum pro oculo, &c. Vide quale diſcrimen inter legem Evangelicam, & Moſaycam; nam in Moſayca

Mosayca permittebatur pœna rigorosa Talionis; in Evangelica præcipitur, ut inimicus diligatur, & reddatur bonum pro malo. *op.expos.Missæ.c.4.*

405. *Scandalizans tenetur reddere Animam scandalizatam Deo.*

Si quis aperuerit Cisternam, cecideritque bos in ea, reddat Dominus Cisternæ pretium. Cur Dominus id præcepit? Certum enim est, talem Dominum Cisternæ de Iure communi non teneri ad restitutionem bovis, vel asini, qui in Cisternam cadit? Nota, quod hic ostenditur mysticè, quàm grave sit peccatum scandali: Vult enim Dominus indicare, quod si quis aperuerit Cisternam, scilicet dederit, scandalizando, occasionem alteri cadendi in foveam peccati, tenetur non solùm restituere Animam suam, sed Animam scandalizatam Deo: gravissimum est ergo hoc peccatum scandali. *In Luc. c.17.v.2.*

406. *Scandalizans furatur Animas Christo Domino.*

Qui aperuerit Cisternam, &c. Cur Dominus fecit hanc legem specialem de obligatione restitutionis pretij pro bove, vel jumento in Cisternam cadente? & hoc intelligitur de Anima occasione scandali in peccatum lapsa, ut dictum est, quarè hanc legem pro restitutione ipsius fecit? Quia Anima est Christi hæreditas. *Psal.32.* De Populo, quem elegit in hæreditatem. *serm.4. Dom.19. post Pentecost.* Quia thesaurus est Christi. *fer.3. fer.2. Pascha*: qoia Christus triginta tribus annis servivit pro Anima nostra, ipsamque emit sanguinis pretio; Igitur, qui tali mercenario Animam non solùm propriam, sed & alias aufert per peccatum, & scandalum, malumque exemplum; similis est illis, qui effuderunt sanguinem Christi. *serm.3. Dom. prim.post oct.Epiphan. & fer.3. post oct.Paschæ.* Quia qui alium ad peccatum mortale inducit, ipsum, quantum est in illo, occidit. *serm.2.Dom.8. post Pentec.*

CAPUT XXII.

407. *Furans rem alienam, non solùm restituere tenetur ipsam, sed etiam damnum illatum.*

Si quis furatus fuerit, restituet quatuor oves pro una ove. Cur quatuor oves pro una ove? quia non solùm furans tenetur restituere rem ablatam, sed etiam resarcire damna illata. *In Luc.c.19.v.8.*

408. *Potestas dominandi est à Deo data hominibus etiam super vitas subditorum.*

Maleficos non patieris vivere. Hic infertur, quod potestas dominandi in homine super alium hominem à Deo est data: Vnde exigente Iustitia potest superior auferre vitam alteri. *l.2. d.44.a.2.quæst.1. & l.3.d.37. dub.5. op. de decem præceptis serm.6. In Ioan.c.18.v.31.& 39.*

409. *Magicæ scientiæ à Deo damnatæ, & eorum professores.*

Maleficos non patieris vivere. Qui sunt malefici? sunt magicæ artis professores, scilicet Pyromantiæ, Geomantiæ, aliarumque similium, quæ sunt damnatæ à Iudice Deo, & à Iure Canonico excommunicatæ; & quia earum professores sunt instrumenta Diaboli demergentes Animas suas, & aliorum in Infernum; & quia ducunt in oblivionem divinorum beneficiorum, & in omnia alia mala. *op.princip.Sacr.Script.*

410. *Qui divinum honorem creaturæ tribuit pœna mortis punitur.*

Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. Vide quomodò vult Deus sibi soli præstari divinum honorem sub pœna mortis, cum sit crimen læsæ majestatis: Idque dictatur à lumine naturali. *op. de dono pietatis c.2.* ergo rapiens honorem Deo debitum per vanam gloriam, & superbiam, dignus est morte.

411. *Vsura à Deo damnata.*

Si pecuniam mutuam dederis, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes eum. Vide, quod Deus prohibuit usuram, dicitur autem ab usu æris, sitque quando venditur id, quod est commune, scilicet tempus. *op. de decem præceptis serm.6. & op. specul.Animæ.c.2.*

412. *Exactiones Principum facta contra subditos pauperes, & contra charitatem, à Deo damnatæ.*

Si pecuniam mutuam dederis, non urgebis eum quasi exactor. Nota, quod si exigere pecuniam pro usu pecuniæ mutuatæ est rapina: multò magis erit rapina in Principibus exigentibus per exactionem vectigalium à subditis, quando sunt pauperes, & positi in necessitate. *op.spec.animæ c.2.*

413. *Prælati, ut Dij, & Dei personam repræsentantes honorandi sunt à subditis.*

Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Vide quomodò Deus præcipit subditis, ut non solùm ipsis obediant, sed nec etiam quod obloquantur, murmurent, vel injurient, &c. *op.Eccl; Hier.part.3.cap.1.*

414. *Decimarum solutio ad quid à Deo instituta.*

Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. Cur ordinavit Deus solutionem decimarum? Vt præfiguraret liberationem hominis à Deo factam primò in filiis Israel ex Ægypto: Secundò à Christo post suum adventum. *In Luc.c.15.v.8.*

415. *Decimas temporum debemus nos Deo offerre.*

Decimas tuas, & primitias non tardabis reddere. Cur decimam partem, & non nonam, vel undecimam præcipit Deus offerri? quia decimus Ordo Angelorum cecidit, & debet in homine restaurari;

ideò ſignatur hæc oblatio in decima drachma ab homine amiſſa, & à Chriſto recuperata? hinc & primitias temporum Deo offerimus ſcilicet quatuor tempora, & quadrageſimam. *In Luc.c.15.v.8. & In Pſal.93.in Titulo.*



CAPUT XXIII.

416. *Societas malorum vitanda.*

Non ſequaris turbam ad malum faciendum. Cur dicit turbam, & non virum iniquum? quia mali ſocij ſunt turba Diaboli, quæ ſæpè ſalutem impedit. *ſerm.2.Dom.23.poſt Pentec.* Verè periculoſa eſt malorum ſocietas ubique: Periculoſa eſt in Cælo: Unde ſocij Luciferi cum eo corruerunt: periculoſa in mundo, quia ad peccatum, & perditionem trahit: periculoſa eſt in Inferno, quia cumulat pœnam. *ſer.3.Dom.5 poſt oct.Epiph.*

417. *Prædicator debet ſeiungi à turba, & præcellere alios in actibus exterioribus.*

Non ſequeris turbam, &c. Cur prohibet Moyſi, ut non ſequatur turbam? Nonne & ad ipſum ſpectabat curam aliorum habere? Non vult Dominus, ut qui præſunt aliis, & alios inſtruere debent, eum turbis ſe immiſceant, ſed ut ab eis ſequeſtrentur, & in actibus exterioribus alios præcellant. *In Luc.c.5.v.3.* Sed cur vult Deus, ut à turba ſeparentur? quia turba eſt prona ad malum,& à Ieſu revocat potius, quàm ad Ieſum perducat: Sic & Chriſtus, dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. *In Luc.c.19.v.3.*

418. *Iudices qua circumſpectione debeant in iudicando procedere.*

Non ſequaris turbam, nec in iudicio plurimorum acquieſcas ſententiæ, ut à vero devies. Vide quali circumſpectione Iudex debet procedere, ne à vero deviet; ne ſit præceps in proferendum ſententiam, nec indiſcuſſa cauſa judicare debet, nec qualibet mala audita ipſum movere debent, nec paſſim dicta ſine probatione credere. *In Ioan.c.7.v.24. & In Luc c.23.v.24.*

419 *Vir iuſtus debet condeſcendere ad ſublevandum innocentem.*

Si occurreris bovi inimici tui, aut aſine erranti, reduc ad eum. Cur ſpecificat hic bovem inimici,& non dicit bovem proximi tui? Myſticè Bos, vel Aſinus inimici, eſt Anima per devia errans ſub ductu Diaboli. *ſerm.3. Dom. Palm.* Præcipitur igitur Viro ſpirituali, ut non ſolum feratur in Deum per contemplationem, ſed & ad proximum per compaſſionem, ipſum revocando à malo, & reducendo ad Deum. *op.Eccleſ.Hier.part.1.c.12.*

420. *Benefaciendum eſt amicis, & inimicis.*

Si videris Aſinum odientis te, iacere ſub onere, ſublevabis eum. Vide quomodò Deus vult, ut beneficentiam exterioris obſequij exhibere debeat quilibet cuilibet, ſive amico, ſive inimico. *In Luc. c.6. verſ.30.*

421. *Iudex procedat ſecundùm acta, & probata.*

Inſontem & Iuſtum non occides: quia averſor impium. Ex hac lege patet, quod in Iudicio requiritur diligens audientia, & cognitio certa, ſcilicet per teſtes, & ſecundùm rectum ordinem Iudicij. *In Ioan.c.7.v.51.*

422. *Avaritia, & acceptatio munerum removenda à iudicibus*

Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes,& ſubvertunt corda Iuſtorum. Vide quàm immunes debeant eſſe Iudices ab omni avaritia:Deus enim ab eis vult removere omnem occaſionem perverſionis Iudicij: quia munera excæcant ita oculos Animæ ut non poſſint videre Deum, & veritatem. *op. Eccleſiaſt.Hier.p.2.c.2.& ſerm.3.fer.4. Paſcha.* Sed quomodò fiunt cæci? Cæci fiunt diſſimulantes cauſas divitum; non verò in cauſis pauperum, quas diſtrictè examinant, pareentes Camelo, & non culici: Penſa igitur, quàm damnabilis ſit avaritia in Iudicio injuſto, cum deteſtabilis ſit in juſto. *ferm.3 Dom.quinquag.& ſerm.7.in op.de decem præceptis.*

423. *Altiſſimum gradum paupertatis ſpiritus exigit Deus à Iudicibus, & Prælatis.*

Non accipies munera,&c. Ergone præcipit Deus, omnia etiam ſponte oblata reſpuere? Nonne eſt licitum, iſta accipere. Reſpond. quod hoc dicitur in ſublimitate poſitis: exigit enim Deus ab his totalem expropriationem, & altiſſimum gradum paupertatis, qui conſiſtit in reſpuendo etiam ſponte oblata. *op.de gradibus Virt.c.8.*

424. *Seminandum eſt,& laborandum in hac vita, ut bona collectio, & quies in alia habeatur.*

Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius: Anno autem ſeptimo dimittes eam. Cur ſex annis, & non potiùs quinque, vel ſeptem? Sex anni ſignificant tempus vitæ præſentis: ſeptimus aliam vitam ſignificat:Igitur in hac vita mortali, quæ ſex ætates continet,ſeminanda ſunt bona opera, & laborandum ab eo, qui vult quieſcere,& frui acquiſitis in alia vita.*ſer.2.Dom.in ſexag.*

425. *Iuramentum ſuperſtitioſum prohibetur.*

Per nomen externorum Deorum non iurabis, neque audiatur ex ore veſtro. Cur vetat Deus talia juramenta? quia ſunt ſuperſtitioſa, & otioſa. *Pſal.118. c.7.v.10.* ex quo patet, quod iurare per Deos alienos eſt illicitum,quia jurant per quod non debent, & ſi eſt falſum, tunc jurant, quod non debent: Unde dupliciter peccant. *In ſap.cap.14.in fine.* Patet etiam, quàm deteſtabilis ſit abuſus plurium Chriſtianorum, qui jurant ſæpe per Deum Bacchum, Martem, &c. ſubdit enim Deus, neque audietur ex ore veſtro.

426. *Reverentia Divinæ Maieſtatis maximè demonſtratur in cultu Religionis.*

Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.

bitis. Cur Deus ordinavit haec trinam solemnitatem? Vt scilicet exhiberent reverentiam Divinæ Majestati debitam per cultum religionis, quod ad exemplum nostrum voluit Christus observare. *In Luc.c.2.v.41.& In Ioan.c.2.v.14.& c.12.v.55.*

427. *Cultus Religionis observandus à quolibet statu.*

Tribus vicibus, &c. Cur tribus vicibus omnibus id præcipiebatur? Vt daretur intelligi, quod cum tres sint status, qui ad cultum Religionis se applicant, scilicet Incipientes, Proficientes, & Perfecti, quilibet istorum debet se per tres vices, vel per triduum applicare ad hunc cultum; Incipientes per triduum contritionis, Confessionis, & satisfactionis; Proficientes verò, & Religiosi per triduum trium Votorum: Perfecti verò per triduum, scilicet sequestrationis à creatis rebus, quietationisque in Deo, item & lucidæ cognitionis, vel contemplationis divinorum attributorum: Item & perfectæ dilectionis per charitatem internam. *fer.2.3.& 4.Dom.inf.oct.Epiph.*

428. *Ad orationem, & Templum nemo debet apparere vacuus gratia, & virtutis.*

Septem diebus comedes azima, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de terra Ægypti; non apparebis vacuus in conspectu meo, &c. Quid est, quod Deus non vult, ut quis ante ipsum appareat vacuus? quia vult ut fideles cum sinceritate procedant toto tempore vitæ, & quod cum ad cultum suum; scilicet ad templum orationum incedunt, non appareant vacui gratiæ, & veritatis; væ igitur iis, qui audent se præsentare in Ecclesia, vel divinis officiis, vel oratione vacui. *Psal.118.c.3.v.14.*

429. *Hypocrisis vitanda à servis Dei, & maxime à Prædicatoribus.*

Non immolabis super fermento sanguinem victimæ. Nota, hoc præceptum debere sumi mysticè: nam per fermentum intelligitur hypocrisis, quæ sicut fermentum corrumpit imperceptibiliter, & universaliter; ut videas quantum debeat elongari à cunctis operibus nostris, maximeque à prædicatione verbi Dei, quæ est veluti victima sanguinis Christi. *In Luc.c.12.v.1.*

430. *Deus in hac vita non punit impios totaliter, sed paulatim, ut detur locus pœnitentiæ.*

Non ejiciam eos à facie tua uno anno, sed paulatim. Cur, ut ostenderet majorem amorem in suos Deus, non expulit inimicos suos in una vice? quia in correptione vult, ut appareat sua misericordia: non enim immittit flagella omnia simul, sed paulatim, & successivè. Idque facit, ut daret locum pœnitentiæ, & aliquibus peccassis, alij corrigantur. *Sap.cap.12.*

431. *Deus permittit malos inter bonos, ut per malos, boni exerceantur, & per bonos mali convertantur.*

Non ejiciam, &c. Hoc patet in hoc Textu, dixit enim Deus, quod nolebat ejicere uno anno, sed paulatim inimicos, ne terra in solitudinem redigeretur. *serm.10.de Apostol.* Discant etiam ex hoc viri spirituales, quod perfectionis status non unico actu, sed paulatim acquirendus est, ut detur locus pugnæ continuæ cum hostibus, & exercitatio virtutum.

432. *Angeli sunt nostri custodes, & defensores, ut tutè possimus operari.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, &c. Cur Dominus utitur ministerio Angelorum, ad quod ipse per se sufficit? Respond. quod deputatio Angelorum ad custodiam hominum magis exaltat Dei potentiam, sapientiam, & misericordiam; potentiam, quia per hoc ministerium Angelis impositum ostendit, ipsos debere obedire sibi, volens honorari non solùm in se, sed etiam in servis suis: Tum etiam quia magis ostenditur sua potentia vincendo adversarios, non solùm per se, sed & per servos suos: Sapientiam, quia vult gubernare infima per media, & media per suprema: misericordiam, cum in nullo deest in iis, quæ spectant ad salutem nostram. Hinc dedit hominibus ministros custodientes, & auxiliantes Angelos. *l.2.d.11.a.1.q.1.*

433. *Angeli custodes præcedunt nos ad opera bona auxiliando, & custodiunt, impedimentum removendo.*

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat, &c. Cur vult, ut præcedat? quia, cum Angeli sint nostri custodes, eorum officium est præcedere nos in operibus bonis auxiliando, & custodire impedimenta removendo: provocant igitur omnibus modis nos ad opera bona. *fer.1.de Angelis.*

434. *Angeli sunt nostri socij in hoc exilio: testes operum nostrorum.*

Ecce ego mitto Angelum, &c. Nota quale beneficium est hoc, dum Deus ministerium Angelorum ordinavit in nostrum beneficium, ut essent nostri ministri in exilio, consortes in Regno, & testes nostrarum operationum. *fer.1.Dom.16.post Pentec.*

435. *Angelorum consortium habemus in hoc mundo, ut eis præsentibus, non audeamus malum facere.*

Ecce ego mitto, &c. observa eum, & audi vocem ejus. Vide ad quid deputati sunt Angeli ad nostram custodiam, ut scilicet non solùm nos in bono custodiant, & liberent à malis, sed ut eorum gaudium augeamus obtemperando eis, & ut observemus eos: nempe ne audeamus perpetrare malum eis præsentibus. *fer.1.Dom.10.post Pentec.*

436. *Angeli offerunt orationes nostras Domino.*

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c. Ad quid præcedit nos Angelus? Sed nota, quod statim ac oratio tua de ore procedit, suscipitur ab Angelo, & offertur ante Deum. Vnde dicitur, *in Apocal.cap.*8. quod Angelus ante Altare habebat Thuribulum aureum in manu sua; ut daret de orationibus Sanctorum: Cave ergo, ne Angelus tuos

tuos custos inter alios Angelos vacuo Thuribulo appareat: sed Thus orationis tuæ possit offerre Christo. *serm.4.In Epiph.*

437. *Angeli nobis præstant plurima beneficia.*

*Ecce ego mitto Angelum,&c.*Per hoc datur intelligi, quod Angelorum officium est primò obsistere in malis, ponendo impedimenta frequenter, ne labamur in peccata: Secundò resistere adversariis, & repellere hostilia tentamenta: Tertiò peccatores in peccatum lapsos illuminare, & excitare ad pœnitentiæ lamenta: Quartò interpellare apud Deum pro nobis, & impetrare gratiarum charismata: Quintò confortare, conformare & promovere ad exercitia virtutum. Sextò exhibere nobis salutaria documenta,& revelare mysteria nostræ Patriæ: Septimò mentem nostram elevare, & inflammare voluntatem: Octavò perferre in conspectu Dei omnia opera bona: Nonò perducere nos ad Regna Cælestia. *ser.de S.Michaele.*

438. *Angeli Custodes à nobis debent honorari.*

Observa eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes. Vide quid à nobis est faciendum ob tot beneficia angelica, nempe sunt à nobis valde diligendi, honorandi,& prædicandi, ne ipsorum beneficiis videamur ingrati. *serm.1.de Angelis.*

439 *Angelorum verba sunt à nobis recipienda.*

Audi eum,&c. Vide quomodò non sunt à nobis contemnenda verba nunciorum Dei, & ideò Deus incredulos punit. *In Luc.c.1.v.20.*

440. *Gratia Dei est Angelus missus ad nos.*

Ecce ego mitto Angelum,&c. Nota, quod Angelus interpretatur Missus, scilicet à Deo; ergo & gratia Dei in nos immissa nomine Angeli venit, per quam à peccatis liberamur & à potestate Sathanæ,& Dæmonum eruimur. *op.Eccl.Hier.p.1.c.1.*

441. *Christus Angelus ad nos missus.*

Ecce ego mitto, &c. Hoc nomen Angeli est nomen officij, non naturæ; ergo competit pluribus: sed tamen primario competit Christo, qui missus est à Patre ad nos in hunc mundum, ut nos illuminaret, & à peccatis purgaret, nosque Deo reconciliaret, repararetque. *op.ut supra.*

442. *Prædicatores sunt Angeli ad nos missi.*

Ecce ego mitto, &c. Nota, quod etiam Prædicator potest dici Angelus missus, qui pro aliorum salute laboris ministerium assumit ad illuminandum, ad docendum, & dirigendum hominem in viam salutis. *op.de Eccles.Hier.p.1.c.1.*

443. *Terrorem Deus aliquando immittit in peccatores, ut à peccatis resipiscant.*

Mittam terrorem meum, &c. & crabrones prius, &c. Nota, quod Crabro est timor acerrimus pungens Cor. Cur hos terrores immittit Dominus priusquam fuget inimicos filiorum Israel? Ut corrigerentur, & resipiscerent à peccatis, ut daret eis locum pœnitendi. *Sap.c.12.*

444. *Diligere tenemur amicos, & inimicos saltem affectu.*

Non inibis cum eis fœdus; nec habitent in terra tua, &c. Cur præcipit Deus filiis Israel, ut evitent suos inimicos, imò ut eos occidant? Nonne dilectio inimicorum fuit semper de præcepto? Respon. quod quantum ad effectum semper tenemur diligere inimicos: sed non semper quantum ad effectum, quia tenemur diligere naturam hominis, & odisse, & fugare malitiam. *l.3.d.30.a.1.q.3.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CAPUT XXIV.

445. *Contemplativus debet separari à turbis, & ascendere in montem.*

Ascende ad Dominum tu, & Aaron,& Nadab, & Abiu,& septuaginta senes ex Israel, &c. Cur voluit Dominus, ut seniores cum Moyse ascenderent? Ut significaret, quod viri spirituales debent separari à Turbis, & ascendere in montem contemplationis. *In Luc.c.6.vers.12.& c.9.v.28.& c.3.v.21.*

446. *Martyrium, & carnis mortificatio est Baptismus lavans Animam.*

Tulitque Moyses dimidiam partem sanguinis, & respersit in populum, &c. Nota, quod inter alios modos mundandi à Deo assignatos in lege, hic fuit mirabilis, quia significabatur, quod Martyrium, & pœnitentia habet maximam vim mundandi Animam. *Diat.Sal.Tit.7.c.5.*

447. *Sanguis Christi emundat nos à peccatis.*

Et respersit populum, &c. Cur voluit, ut sanguine aspergeretur populus, quo potius fœdaretur, & non potius aqua? Per hoc significatur primò, quod per sanguinem Christi sanctificandus, & à peccatis mundandus erat mundus. Secundò quod per memoriam passionis ejus mundatur Anima à peccatis. *ser.3.in Dedicat.*

448. *Christus regnat in perpetuum super Angelos, & electos.*

Et viderunt Filij Israel sub pedibus eius quasi opus saphirini,& quasi Cælum serenum. Ergone Deus habet pedes? sed adverte, quod hic demonstrata fuit Incarnatio Verbi futura, ejusque Regnum: Nam per pedes significabatur Incarnatio, quæ Divinitati subjecta est: per lapidem sapphirinum intelligitur natura Angelica; & per Cælum serenum sancta Ecclesia electorum, super quas duas creaturas Christus in perpetuum regnat. *op. de summa essentia Dei.*

449. *Angelorum puritas quanta.*

Et viderunt sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi Cælum serenum. Nota, quod per istud opus mirabile intelliguntur Angeli, qui sub Deo

Deo quasi scabellum sunt, & compatantur Cælo sereno, quia eorum natura serena est absque obumbratione carnalium passionum,& absque infectione motuum,vel affectionum carnalium. *op. Eccles. Hier.p.4.c.1.*

450. *Per sex gradus ascenditur ad montem contemplationis.*

Post sex dies vocavit Deus Moysen de medio caliginis. Nota hic Deum in nube sex diebus se abscondisse, & postea vocasse Moysen de medio caliginis. Cur in septimo die? Vt significaretur, quod per varios gradus ascenditur ad montem contemplationis, nempè à creaturis ad Deum, ejusque attributa. *op. Itiner.ment.c.1.*

451. *Status contemplationis celat omnem cognitionem in fruitione Dei.*

Ingressus Moyses medium caliginis, ascendit in montem. Quomodò dicitur ascendere in montem perfectionis, si moratur in medio caliginis?Resp. quod dicitur medium caliginis summus status contemplationis: quia sicut Moyses separatus est prius ab iis, qui secum viderant locum Dei, unitusque est Deo subtracta visione omnium rerum creatarum, sic & iste gradus summus subtrahit mentem ab omni intelligentia creata, & intra caliginem, scilicet celando omnem cognitionem comprehensivam in causa prima, unitur perfectissimè Deo intellectualiter cognito per affectivam dilectionem multò meliori cognitione, quæ est super intellectum. *op.de septem itiner.æternit.itin.3. d.3.v.4.& Itin.5.d.6.*

452. *Christus ascendit in Cælum in medium nebulæ, ut nos ascenderemus per fidem.*

Ingressus Moyses medium nebulæ fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Nota, quod hoc fuit figura Christi, qui post quadraginta dies ascendit in Cælum, in quo fuit susceptus per nubem: Vt hinc addisceret Christianus, quod debet ascendere de veritate in veritatem, non statuendo terminum virtutis, quia sic desineret esse virtuosus: fundamentum verò,seu medium hujus ascensus est fides, quæ est caligo, sed cum lumine:per fidem autem fundatur in nobis Christus, Animaque proficit ad virtutes politicas, & purgativas. *serm.1. Hexaem.*

453.*Fides est medium ascendendi ad Deum.*

Ingressus Moyses in medium caliginis ascendit in montem. Nota, quod Moyses ad radices montis duodecim holocausta obtulit; deinde ad medium montis, & tandem ad supercilium pervenit. Cur incepit ascensum offerendo duodecim holocausta? Duodecim holocausta, sunt duodecim Articuli fidei, ut significetur, quod fidei perfectio est fundamentum, quo Christus habitat in nobis, & exercetur Anima in virtutibus politicis; & hinc procedituı ab Anima, auxilio, & lumine fidei ad medium montis per virtutes purgativas, & deinde pervenit ad summitatem per virtutes purgati animi: primus gradus virtutum politicarum est secundùm rationem ordinare in finem media: Secundus gradus est despicere omnia, quæ sunt in mundo, & in solum Deum omnem cognitionem dirigere: Tertius gradus est figere se totaliter in Deo. *ferm.1. Hexaem.*

454. *Ieiunij gradus tres Deo chari.*

Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ergo jejunavit ibi quadraginta diebus. Nota igitur, quod tres gradus sunt in Iejunio:primus est jejunare pro satisfactione peccati: Secundus est jejunare ad honorem Dei: Tertius jejunare cum exercitio virtutum:Primus est bonus,significatusque est in jejunio Moysis,qui post transitum ab Ægypto, ascendit in montem: Secundus est melior, figuratusque in jejunio Eliæ: Tertius in Iejunio Christi. *op.Diæt.sal.Tit.2 c.7. In Luc.cap.4. v.2. op. Bibl.paup.c.87.*

455. *Oratio exigit sequestrationem à Turbis & assiduitatem cum Deo.*

Et fuit ibi quadraginta diebus, &c. Quid fecit Moyses his diebus? Respond. quod jejunavit, & oravit; Daturque intelligi, quod oratio exigit ascensum montis, sequestrationem à turbis,& assiduitatem. *In Luc.c.6.v.12.*

456. *Ieiunium disponit hominem ad consolationes divinas.*

Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Quid operatus est Moyses in illo tempore? Sacer textus id non exprimit: sed tamen certum est tunc jejunasse, & pertransisse totum illud tempus absque cibo corporali; & in colloquiis divinis se semper exercuisse: ut videas, quod jejunium, & abstinentia est bona, & secuta dispositio ad percipiendas consolationes divinas,& homo refectus consolatione, solet delicias corporales abhorrere. *op.Bibl.paup.c.87.*

457. *Iejunium cum oratione summopere Deo placet, & Animæ iuvat.*

Et fuit ibi quadraginta diebus, &c. Certum est Moysen hoc totum tempus quadragesimale pertransisse in jejunio, & oratione: hinc non est mirum, si tot gratiis spiritualibus à Deo fuerit ejus Anima repleta: quia oratione reficimur suavitate contemplationis, & per jejunium afficimur puritate, & alacritate. *ferm. de Sancto Martino.* Qui orat cum jejunio duplices alas habet, & ipsis ventis leviores: faciliusque per jejunium oratio penetrat Cælum: Item oratio virtutem impetrat jejunandi, & Iejunium promeretur gratiam orandi: Iejunium orationem roborat; & oratio Iejunium sanctificat,& Deo repræsentat: Sunt igitur oratio, & jejunium causæ sibi invicem causæ. *op. Pharetr. l.4. c.45. § de abstinentia, & oratione.*



CAPUT XXV.

458. *Christus est Arca mystica Ecclesiæ.*

*Arcam de lignis Sethim,&c.*Hæc Arca figurabat Christum, ejusque Incarnationem. *ser.14.Hexaem. & serm.4. In oct.Pascha.*

459. Arca mysticè est Sacra Scriptura,quæ est Bi-

Mm bliotheca

bliotheca Ecclesiæ tricamerata ficut Arca Noe, fcilicet continet modum exprimendi triplicem, litteraliter, mysticè, & moraliter; continetque duas Tabulas Testamenti veteris, & novi: nempe legem, & mentem, quæ meditatur, & manna, fcilicet Eucharistiam, nempe corpus Christi his de caufis: Primò quia Arca tranfivit Iordanem, *Iofue, cap.4.* Sic Corpus Christi baptizantis prodeft: Secundò, quia qui Arcam indignè tractabat puniebatur: Sic qui indignè accedit ad Corpus Christi: Tertiò in Arca erant ligna incorruptibilia, fic & Corpus Christi: Quartò in Arca erat Vrna plena manna, & in Corpore Christi eft Anima plena fapientia: In Arca erant Tabulæ, fic in Christo obfervatio legis utriufque. *Pfal.67.*

460. *Arca myſticè eſt Sacra Eucharistia, quæ eſt munimentum Eccleſiæ contra hoſtes.*

Arcam de lignis Sethim compingite. Cur voluit Deus, ut Arcam hanc fabricarent filij Ifrael, fecumque femper ducerent? Hæc Arca figurabat Eucharistiam, quæ habet manna, Vrnam auream; fcilicet Arca eft Corpus Christi, Vrna aurea eft Anima, manna eft Divinitas, hanceque confervat Ecclefia, quia ipfam Dæmones timent, ideò eft munimentum Ecclefiæ pro præfenti vita. *fer.2.Dom.3. Adventus.*

461. Arca eft Anima noftra, quæ ex præcepto Dei debet effe deaurata intus, & foris: Intus, fcilicet in affectu: foris in effectu auro charitatis. *ferm.4.In Epiph.*

462 *Arca ſanctificationis eſt Beata Virgo, pietatis, & gratiæ.*

Arcam de lignis fethim compingite, &c. Scilicet de lignis imputribilibus: Nota, mysticè hæc Arca figurabat Mariam Virginem, de lignis imputribilibus factam, quia Caro Mariæ nequaquam putrefacta eft. *op. ſpec. B.Virg. Lect.2.* Mysticè etiam eft arca, in qua eft manna, fcilicet fuit plena pietatis, & gratiarum. *op.Pſalt.B.Virg.in Hymno: Te matrem laudamus, &c.*

463. *Beata Virgo Maria Arca continens Tabulas legis.*

Arcam de lignis Sethim compingite,&c. Hæc arca Beata Virgo Maria eft, in qua pofuit Deus Tabulas legis, fcilicet divinorum eloquiorum arcana: Vnde dicitur, *Luc.c.2.* quod confervabat omnia verba Dei, conferens in corde fuo tanquam prudens, & difereta. *In Luc.c.2.v.19.*

464. *In Eccleſia conſervatur manna Euchariſtia per Mariam.*

Arcam de lignis, &c. Hæc Arca eft Ecclefia, cui dictum eft: *In Arca iuſſit Deus, ut reponeretur Vas plenum manna:* nempe in hoc vafe Beatæ Virginis fuit repofitum manna: fcilicet Corpus, & Sanguis Christi, ut nobis fervaretur, & ut hoc in potum, & cibum miniftraretur. *op. Laus B.Virg.fig.8.* Item fides eft Arca Ecclefiæ, per quam ducitur Anima ad propitiationem peccatorum. *Diat.Tit.5.c.3.*

465. *Prælatorum qualitates deſignantur.*

Facies, & vectes de lignis Sethim, & deaurabis eos. Quid funt vectes? Vectes dicuntur à vehendo, quia erant ligna, quibus vehebatur Arca: & fignificantur Prælati, qui debent effe de lignis Sethim imputribilibus in fignum caftitatis: quæ ligna funt odorifera in fignum famæ bonæ, deaurata in figuram charitatis: hæc ponebantur in quatuor circulis aureis in figuram meditationia legis, cujus fumma continetur in quatuor Evangeliis: Debent igitur effe inftrumenta vehendi Arcam Domini, fcilicet Ecclefiam, & fideles per falutare confilium, per prædicationemque inducendi plebem, & Animas ad Deum, &c. *In Thren. c.2.& Apol.paup.reſponſ.4.cap.3.*

466. *Prædicatores debent ſemper incumbere ſtudio Sacræ Scripturæ: eorum officium ſublimiſſimum.*

Facies & vectes, &c. & ſemper ſint in circulis aureis, &c. Cur volebat Dominus, ut hæc ligna ftarent in fuis locis, & circulis? Vt femper poffet portari Arca Domini; fignificaturque quod Prædicatores debent femper incumbere ftudio lectionis, ut femper fint parati ad fuum munus exercendum: Ignominiofum enim eft, fi tunc quis quærit difcere, cum debet quæftiones enodare, & prædicare: Hoc ftudium exercetur in credendis, fcilicet per cuftoditionem credibilium, per inftaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, per interventionem precum, per curationem plagarum hoftilium, per prænunciationem infidiarum, & repulfationem hoftilitatum: Et hoc ftudium eft quocumque alio labore, & opere fublimius, nobilius, & utilius Ecclefiæ Dei. *opuſc. Apol.paup.p.4.c.3.*

467. *Crux eſt fundamentum Arcæ Dei, ſcilicet Eccleſia.*

Facies & vectes ex lignis Sethim,&c. Nota etiam quod mysticè per vectes intelliguntur quatuor partes Sanctæ Crucis fcilicet longa & lata: per ipfam enim, portatur Arca Dei, fcilicet per charitatem, humilitatem, obedientiam, & patientiam. *op.Comp.Theol.l.4.c.21.*

468. *Peccatorum remiſſio fundatur in fide.*

Facies & propitiatorium. Quodnam eft hoc propitiatorium? Refpond. quod erat locus fupra Arcam fabricatus, ex quo Deus loquebatur, fignificabatque propitiationem peccatorum, quæ debet fundari in Arca, fcilicet in fide vera. *opuſc.Diat.ſal. tit.5.c.3.*

469. *Chriſtus eſt propitiatorium Eccleſiæ.*

Facies & propitiatorium,&c. Hoc propitiatorium eft Christus Iefus, qui fuper Arcam Ecclefiæ ftat ut propitiatio pro peccatis noftris. *In Ioan. cap.20. verſ.13. & Diat.Tit.5.c.3.*

470. *Sub tegumento Sacræ Scripturæ continetur Chriſtus, eiuſque doctrina.*

Duoſque Cherubim, &c. Ad quid ifti Angeli ponuntur.

nuntur, ut tegant alis suis propitiatorium? Quia duo Cherubim sunt duo testamenta, in quibus tegitur Christus, & continetur tota doctrina Divinitatis, & Humanitatis Christi, hæcque exponitur à Prædicatoribus. *In Ioan.c.20.v.13.& Psal.106.*

471. *Duo modi assignantur contemplandi divina.*

Duosque Cherubim, &c. Quarè duos Cherubim? Cur non tres, vel quatuor? Quia isti Cherubim obumbrabant propitiatorium, quod erat Sanctum Sanctorum, & per hoc intelligitur, quod qui vult intrare in Sancta Sanctorum per contemplationem, debet per duos Cherubim, scilicet per duos modos ascendere, scilicet per contemplationem essentialium, & personalium perfectiunum: primus modus maximè spectat ad vetus Testamentum; secunda ad novum. *op.Itiner.ment.c.5.*

472. *In corde Viri Iusti Scientia, & Sapientia divina debet inesse tanquam in oraculo Dei.*

Duos Cherubim facies ex utraque parte oraculi. Cur ad utramque partem oraculi ponuntur isti duo Cherubim? Oraculum est cor humanum, in quo Iustus debet orare Deum in spiritu, & veritate: In quo quasi à sinistris erigitur Cherubim quoad scientiam in humanis: Vt scias qualiter conversandum sit in medio nationis pravæ: In alia parte quoad sapientiam necessariam in divinis, ut secundùm spiritum divinæ sapientiæ nos cælestibus conformemur. *op.Eccles.Hier.p.1.c.3.*

473. *Per Cherubim figurantur viri perfecti, & præcipuè Prædicatores.*

Faciesque duos Cherubim ex parte utraque oraculi. Cur voluit Dominus de propitiatorio audiri, sub tegumento duorum Cherubim? Nota, quòd dicuntur duo Cherubim, & non unus solus, quia per ipsos significantur Interpretes Dei ad aurea simplicium, &c. Isti sunt duo Cherubim, quia Deum vident per cognitionem, & per munditiam conscientiæ sibi per amorem inhærentes, quia non solùm in seipsis sunt luminosi quoad propria, sed etiam quoad alios ipsos illuminando, & communicando eis illuminationes supernas; & ideò tanquam interpretes Dei ad aures simplicium laicorum, & ipsorum laicorum ad aures Dei assimilantur Cherubim sub cujus operationibus Deus auditur. *op.Eccles.Hier p.1.c.3.*

474. *Vetus, & novum Testamentum est de Christo.*

Respiciantque se mutuò versis vultibus ad propitiatorium. Quomodò se poterant mutuò respicere, si vultum versum ad propitiatorium habebant? Hoc est mirabile in hac fabrica: Isti duo Cherubim significant vetus, & novum testamentum, quæ se mutuò aspiciunt, fed versis vultibus ad propitiatorium, scilicet ad Christum, quia omnes Scripturæ, & Prophetiæ se mutuò respiciunt, sed principaliter ad Christum habent respectum. *In Luc.c.23.v.27.*

475. *Ad Christum in Cruce positum semper est aspiciendum.*

Duos Cherubim, &c. respiciantque se mutuò versis vultibus ad propitiatorium, &c. Iam dictum est, hos Cherubim significare viros justos, & spirituales: Hi debent aspicere ad propitiatorium, scilicet ad Christum super Arcam Crucis collocatum; & hoc plena conversione, scilicet omnes suos actus, & opera ad ipsum ordinando, per fidem, spem, charitatem, devotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem & jubilationem, per quæ pascha, scilicet transitum per mare sæculi hujus faciens, ad degustandum in hoc deserto manna absconditum, & requiescendum cum Christo in tumulo, quasi exterius mutui; & si id peragant, eis dicetur, hodie mecum eritis in Paradiso, ut factum est cum beato Francisco. *op.Itiner.ment.c.6.& 7.*

476. *Vltra præmium essentiale, datur aureola, scilicet accidentale præmium in gloria.*

Facies & Coronam altam quatuor digitis, & ultra hanc, aliam Coronam aureolam. Quid significat hæc multiplicatio Coronæ? Nota, quod ultra Coronam magnam, aliam quoque parvam continebat propitiatorium, ad designandum, quod qui Sancta Sanctorum intrant, scilicet in Cælum, ultra præmium substantiale, datur à Deo aliud præmium accidentale: Sed notandum, quod hæc Aureola non datur, nisi certantibus in magna pugna aliqua in actu exteriori: Vnde datur Martyribus, qui se pro Christo passionibus exposuerunt: Doctoribus, qui alios per prædicationem converterunt, & Virginibus pro corpore Christo incorrupto servato. *lib.3.d.33.art.2 quæst.3. opusc.Comp. Theol. lib.7.c.29.*

477. *Corona, & Mensa panis cælestis proponitur in sacra Scriptura fidelibus eam audientibus.*

Et pones super mensam panes propositionis, &c. Nota, quod super mensam hanc erit Corona, & simul Aureola: Quodnam mysterium in hac cæremonia significatur? Respond. quod mensa hæc est Sacra Scriptura: hæc habet Coronam, quia in præsenti nos reficit pane verbi Dei, & in futuro coronam promittit: Corona hæc fuit alta quatuor digitis, scilicet per doctrinam quatuor Evangelistarum ad ipsam pervenitur: Aureola verò, quæ super coronam fundatur, Doctori Sacræ Scripturæ datur: Duodecim panes propositionis, duodecim Articulos fidei significant, qui proponuntur in Symbolo Apostolorum: In hac mensa tot fercula sunt, quot præcepta, consilia, virtutes, & exempla commendantur in scriptura: Proponuntur panes, scilicet Articuli, quia fine isto pane, vel qui non retinent malè vivendo hos mensæ cibos, signum mortis est. *serm.5. Dom.2. quadrag.* Nota etiam, quod dicuntur panes propositionis, quia per singulos Sabbati dies proponebantur in hac mensa. *Luc.c.6. v.4.* Hinc infert, quod panes doctrinæ sacræ debent proponi in singulis festis diebus populo à Sacerdotibus.

478. *Apoſtolis in Eccleſia ſuccedunt Epiſcopi.*

Et pones in menſa duodecim panes propoſitionis. Cur dicuntur panes propoſitionis, & ſunt duodecim? Menſa hæc eſt Eccleſia; duodecim panes ſunt duodecim Apoſtoli; & ſicut ſingulis ſabbatis loco priorum proponebantur alij duodecim panes: ſic loco duodecim Apoſtolorum ſuccedunt Epiſcopi eorum Vicarij: Vnde dicebat Pſaltes. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Pſal.*68.

479. *Sacramentum Euchariſtiæ proponitur ſolùm charitatem habentibus, & orantibus.*

Et pones ſuper menſam panes propoſitionis, &c. Nota, quod ſuper unumquemque panem erat patera aurea cum pugillo thuris: Menſa hæc eſt Sacramentalis Euchariſtia, in qua panis Euchariſticus proponitur cum patera aurea, ſcilicet habentibus charitatem,& devotionem orationis.*Pſ*68.

480. *Crux eſt Candelabrum illuminans Eccleſiam.*

*Facies & Candelabrum,&c.*Nota per hoc Candelabrum ſignificari ſanctam Crucem, quæ totum mundum illuminat.*ep.Comp.Theol.l.*4.*c.*21.

481. *Septem dona Spiritus Sancti ſunt lucernæ illuminantes Animam.*

Facies & Lucernas ſeptem, &c. ideſt ſunt dona Spiritus Sancti illuminantia Animam. *In Luc.c.*11. *verſ.*34.

482. *Eccleſia militans fundata ad ſimilitudinem Triumphantis.*

Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Nota, hoc dictum eſſe Christo Domino,qui Eccleſiam militantem ad ſimilitudinem Triumphantis fundavit. *op. Incendium amoris c.*3.

483. *Ordines Eccleſiæ ſunt ad ſimilitudinem triumphantium Ordinum.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, &c. Vide quomodò rectè ordinata eſt Eccleſia militans ad ſimilitudinem Triumphantis. Sicut enim in Cælo ſunt Ordines Angelici, qui illuminati illuminant, & miniſtrant: Sic in Eccleſia militante ſunt novem Ordines Eccleſiaſtici, ſcilicet quatuor ordines minores, & tres majores, & Epiſcopatus, & Pſalmiſtatus, licèt ordines ſint tantùm ſeptem. *lib.*4.*d.*24.*art.*3. *quæſt.*4. *& opuſc. Eccleſ. Hierarch. part.*1. *cap.*1. Hinc diſcendum eſt, quod noſtrum eſt ordinare in terra converſationem noſtram ad ſimilitudinem ordinum Angelicorum.*Eccleſ.Hier. part.*1.*cap.*1.

484. *Chriſtus eſt noſtrum exemplar, cui debemus conformari, ſi volumus eſſe prædeſtinati.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Quodnam eſt hoc exemplar, & quinam eſt iſte mons? Mons eſt Chriſtus, vel Eccleſia, vel Calvariæ locus, in quo proponitur exemplar, ſcilicet vita Chriſti, ut vitam noſtram veræ ejus conformemus, vias ejus tenendo, & veſtigia ejus ſequendo: Sic enim erit etiam exemplar noſtræ prædeſtinationis.*l.*3.*d.*1*s.a.*1.*q.*2. *& In Ioan.collat.*61.

485. *Vita Prælatorum eſt exemplar vitæ ſubditorum: Vnde Prælati mali præcipitant Ieſum de ſupercilio Montis.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, &c. Cur poſitum eſt exemplar in monte, & non alibi? Mons eſt locus altus, elevatus, & omnibus inferioribus patens: Eſtque ſtatus Prælatorum, qui dicuntur montes, quia ſicut montes primò illuminationes ſolis recipiunt, & deinde deſcendunt ad Valles,ſic & illuminationes, divinæque illuſtrationes, debent primò recipi à Prælatis, & deinde per bonæ vitæ exempla, in ſubditos tanquam in Valles tranſmittere: Vita enim Prælati ſicut forma ſigilli ceræ imprimitur cordi ſubditorum, eo quod in aliis movent corda ſubditorum opertum exempla, quàm verba: Væ igitur illis Prælatis, qui ratione ſtatus induunt Ieſum uſque ad ſupercilium montis, ut Iudæi, tamen inde præcipitant eum in cordibus ſubditorum propter mala exempla. *ſer.*4. *Dom.*2.*quadrag.op.Eccleſ.Hier.p.*4.*c.*3.

486. *Chriſtus, ut ſummus Prælatus Eccleſiæ eſt ſequendus, & imitandus.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, &c. Cur non dixit ſecundum exemplar, quod tibi in montibus monſtratum eſt, ſed dixit in monte ſingulariter, cum in pluribus montibus Deus plura docuerit myſteria Moyſem? Dixit in monte, non in montibus, quia licèt materialiter in multis montibus multa Myſteria revelaverit Moyſi,tamen omnes figurabant unum montem ſpiritualem, ſcilicet Chriſtum: ſicut enim in exercitu unus eſt Dux,& gubernator, ita in Eccleſia unus eſt mons, ſeu exemplar ſcilicet Chriſtus, cujus eſt præcedere, præcipere, & oſtendere: hominis eſt ſequi, obedire, & ei per omnia conformari, ſequendo veſtigia humilitatis, pietatis, charitatis, & aliarum virtutum, ſicut fecerunt Sancti. *ferm.*1. *de Sancto Nicolao, & ſer.*5. *de Apoſtol.*

487. *Perfectio viri Iuſti debet conformari ſtatui Beatorum.*

*Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.*Si iſte mons ſignificat ſtatum Beatorum, ut docent communiter Sancti Doctores, quomodò poteſt homo in hac vita conformari illi ſtatui perfectiſſimo? Sed nota,quod cum Eccleſia militans ſit formata ad inſtar Triumphantis, neceſſe eſt etiam, ut merita præmiis, & viatores Beatis conformentur: & ſicut in gloria eſt triplex dos, in qua conſiſtit perfectio præmij, ſcilicet ſummæ pacis tentio, ſummæ veritatis viſio, & ſummæ charitatis fruitio: ſecundùm quod triplex eſt ordo, in quacumque Hierarchia cæleſti per ternas differentias: Sic qui vult ad illam beatitudinem per merita pervenire, debet in hac vita iſtorum trium perfectionem acquirere, ſicut poſſibile eſt viatori, ſcilicet ſaporem pacis, ſplendorem veritatis, & dulcorem charitatis: In his tribus requieſcit Deus tanquam in ſolio proprio:

Ad

Ad primum gradum pervenitur per viam purgativam: ad secundum per illuminativam; & ad tertium per unitivam. *Op. Incendium amoris c. 3. & op. de profectu Religios. l. 2. cap. 24. & op. Myst. Theol. cap. 3. p. 1.*

CAPUT XXVI.

488. *Habitus, & status Religionis consistit in observantia omnium ordinationum etiam minimarum.*

Tabernaculum verò ita facies, &c. Notandum, quod Deus præcepit Moysi, ut in Tabernaculo essent plura velaminum genera intra se protegentia, vel decorantia, scilicet pelles hyacinthinæ, pelles Arietum rubricatæ, saga cilicina, cortina, tabulæ parietum, & plura alia, quod verè mirum est; quarè Deus voluerit, ut Tabernaculo deserviret tot varia etiam minima? sed hoc fuit figura qualitatum status Religionis, in quo sunt plura ordinata, ad obtinendas, & conservandas virtutes, quæ sunt veluti tegumenta virtutis vel ad decorem, vel ad custodiam virtutis ordinata; alia enim sunt, quæ respiciunt habitum exteriorem, & exercitia interna: Alia, quæ spectant ad decorem, alia ad custodiam virtutum, in quibus non pura virtus consistit, sed quædam virtutis ombra, & lucentis intrinsecus demonstratio signalis, ita quod nec exteriora sunt anteponenda virtutibus, nec tamen omittenda: omnia enim sunt ordinata ad perfectè statum Religionis conservandum. *Op. de perfect. religios. l. 2. c. 22.*

489. *Virtutes Cardinales qualiter debeant esse formatæ, & ordinatæ in Anima.*

Tabernaculum verò ita facies. Notandum, quod quatuor principaliter ordinata sunt à Deo ad ornatum Tabernaculi, scilicet cortinæ, pelles hyacinthinæ, saga cilicina, & pelles Arietum rubricatæ: Item & quatuor colores, scilicet byssinus, hyacinthinus, purpureus, & coccinus: & hoc cum notabili mysterio: nam figurabantur in hoc quaternario quatuor virtutes cardinales: Cortina, & byssinus color respondet temperantiæ: Pelles hyacinthinæ cælestis coloris, prudentiæ: saga cilicina, coccinea, Iustitiæ: & pelles Arietum rubricatæ fortitudini: Ornant ergo Tabernaculum Animæ, istæ quatuor virtutes, si à fide originatæ sunt, & à spe sublevatæ, & à charitate completæ. *serm. 7. Hexaem.*

490. *Exemplum bonorum trahit alios ad imitationem.*

Cortina sibi iungantur mutuò, &c. Cur voluit Deus, ut istæ cortinæ sibi mutuò jungerentur? Nota, Cortina erat operimentum exterius Tabernaculi, & significatur externum exemplum, & operatio virtutis; daturque intelligi quod sicut cortina cortinam sibi unitam trahit; sic præbens bonum exemplum per abstractionem ab illicitis, reducit alios ad castitatem, & virtutum imitationem. *Op. Eccles. Hierarch. p. 3. cap. 2.* sic pennæ, & alæ quatuor animalium, quæ vidit Ezechiel, erant junctæ alterius ad alterum: ait D. Gregor. quia exemplum bonum unius percutit, & excitat alium ad imitationem.

491. *Opera Iustorum sunt ornamentum Ecclesiæ.*

Facies & operimentum aliud tecto de pellibus, &c. Cur voluit Deus, ut Tabernaculum cooperiretur pellibus varijs? pelles istæ significant sanctos, præcipuè Martyres, & ipsorum opera: his tectè ornatur Ecclesia, quæ est mulier circumdata varietate, scilicet diversorum operum Sanctorum. *Psal. 48. & in Thren. cap. 3.*

492. *Tabernaculum sanctificatum est Cor, & Anima Iustorum.*

Eriges Tabernaculum, &c. Nota, quod ultra partem exteriorem, erat interior, in qua posita erat Arca Domini, quæ pars discernebatur ab alia per Velum, & dicebatur sanctuarium; & deinde hæc secunda pars per aliud Velum discernebatur, & dicebatur sancta sanctorum; & per hoc figuratur, quod Anima licèt sit separata ab illicitis ex parte corporis, adhuc subjecta est quibusdam motibus affectionum velantibus nobis lumen veritatis: Vnde si absolvatur ab his motibus, tunc fiet sancta sanctorum quia liberè fertur in Deum, eritque Tabernaculum Deo charum. *serm. 3. de dedicat.*

493. *Mysteria divina non omnibus æqualiter revelanda, & exponenda.*

Inseretur autem velum per circulos, &c. Hoc velum tegebat sancta sanctorum populo, intra quod non licebat intrare, nisi sacerdotibus. Quid est, quod solis sacerdotibus, & non cæteris, nec etiam ministris ostendebatur apertè sancta sanctorum? Vt daret intelligi, quod mysteria sacra non æqualiter omnibus sunt aperienda, nec Deus æqualiter ea suis servis ostendit, & communicat. Alijs enim ostendit per operationes sensuum; alijs per solam virtutem fidei; alijs per visiones imaginarias; alijs verò ibi charissimis apertè. *Op. de profec. Religiosorum l. 2. cap. 75.*

494. *Prædicatio principaliter ordinata est ad extirpationem fraudum Diaboli.*

Mensa stabit in parte Aquilonis. Cur voluit Deus collocari mensam Tabernaculi ad partem Aquilonis? Aquilo in sacra Scriptura significat partem Diaboli: Cur in hac parte ponitur mensa Dei? Hæc mensa erat in qua proponebantur panes sacri, & significabat mensam prædicationis, in qua exponuntur panes doctrinæ divinæ: Versa ponitur ad partem Aquilonis, per quam significatur Diabolus, eiusque fraudes: Ad hanc partem igitur vertitur prædicatio, ut extirpentur eius fraudes. *Op. exposit. Regul. sancti Francisci cap. 9.*

CAPUT XXVII.

495. *Altare facies de lignis sethim.* Cur ordinavit Altare ligneum in Tabernaculo, & non potius lapideum? quia figurabat Crucem ligneam Christi,

 in

in qua acceptissimam oblationem obtulit Christus Dominus. *Op.Comp.Theol. l.4.c.11.* Dicitur autem Crux Altare, & propter altitudinem, & propter immolationem quasi Alta ara.*Psalm.15.* Vnde voluit, ut esset hoc altare quadrangulum, & quadratum, sic etiam Crux fuit quadrata. *Op. expost. missæ cap. 3. & serm. 3. in oct. Pascha.* Significatur ergo, quod sicut de Cruce accepit Ioseph Corpus Christi cum devotione, & fervore; sic & de Altari debes accipere Corpus Iesu cum magna devotione, & fervore. *serm. 3. Dom. in oct.Pascha.*

496. *Gradus humilitatis tres assignantur.*

Altare facies, &c. tres cubitos habens in altitudine. Cur tres, & non quatuor cubitos? quia qui vult offerre Deo sacrificium charum, debet ascendere per humilitatis tres gradus, quorum primus est subesse majori, nec præferre se æquali: secundus est subesse pari, nec se præferre minori, nec velle præferri:tertius est subesse minori, & nemini præferri. *Op. Diæt.sal.Tit.7.c.1.*

497. *Gradus ascendendi in Deum tres assignantur.*

Facies & Atrium Tabernaculi. Nota, quod cum Anima ascendere possit ad Deum contemplandum per vestigium Creatoris existens extra nos, & per imaginem existentem intra nos, & per lumen Veritatis æternæ inditæ in Anima: Hinc trea gradus assignantur in hac fabrica Tabernaculi: primus gradus figuratur in atrio ante Tabernaculum facto: secundus gradus in alio atrio magis interiori: & tertius in sancto sanctorum per contemplationis lumen in se. *Op. Itiner.mentis cap.5.*

498. *Verbum Dei est lucerna semper lucens Animæ, &c.*

Ardeat lucerna semper in Tabernaculo, &c. Hoc figurat mysticè verbum Dei, quod illuminat tabernaculum Animæ, & Ecclesiæ interius, & exterius.*Psal.118.cap.v.9.*



CAPUT XXVIII.

499. *Non sufficit servire Deo, sed requiritur, ut serviatur sanctè, & justè, maximè à sacerdotibus.*

Applica quoque ad te Aaron cum filijs suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi, & sanctificati ministrent mihi, &c. Cur Aaron, & filij fuerunt à Deo separati à cæteris? Aaron fuit figura eorum, qui serviunt Christo, & præcipuè sacerdotum, quibus datur methodus, quod non solùm debent separari à cæteris mundanis, sed sanctè, & justè servire Deo, scilicet quoad se, & quoad proximum: Vnde dicitur, quod sanctificati debent Domino ministrare,& hoc sub pœna mortis;subditur enim hoc in fine capituli, *ne iniquitatis rei moriantur.In Luc.c.1.v.75.*

500. *Sacerdos, & Prælatus, & Prædicator debet habere charitatem Dei, & proximi, & opere implere, quod docet.*

Accipient coccum bis tinctum, &c. Cur vestem bis tinctam,vult, ut hi sacerdotes accipiant?Vestis est charitas,debet esse bis tincta,quia Sacerdos,& Prælatus, & Prædicator debet indui hac veste bis tincta, quia qui charitatem erga alium non habet, prædicatoris officium assumere non debet, debet etiam imbui intelligentia, & operatione. *In Psal.106.*

501. *Doctores, & Prædicatores, & Prælati debent esse ornati omnibus virtutibus.*

Faciesque superhumerale de auro, &c. Addit, *Sap. cap. 18. In rationali extendes: totus orbis terrarum.* Cur voluit Dominus, ut concurreret in hac veste aurum, hyacinbus, purpura, coccus bis tinctus, & byssus opere polymito texta? Item quatè voluit in superhumerali duos lapides totum humerum tegentes?quia voluit, ut ista significarent quatuor alementa,duo Emispheria,solem,Lunam,& stellas; ut indicaretur, quod in bonis sacerdotibus, Prædicatoribus, & Prælatis debent relucere sol ferventis charitatis, Luna misericordiæ, stellæ munditiæ,& castitatis:Item & quatuor elementa, scilicet virtutes Cardinales, quoad vitam exteriorem, & activam, & omnes aliæ virtutes. *Opusc. Eccles. Hierarch.p.4.c.5.& Sap.c.18.*

502. *Duodecim Apostoli figurati in duodecim Tribubus, & in duodecim lapidibus pretiosis, &c.*

Sumesque duodecim lapides, &c. Sculpes in eis nomina filiorum Israel. Ideft Tribuum, quodque fuit figura duodecim Apostolorum,sicut & figurati fuere in duodecim lapidibus pretiosis vestis Sacerdotalis.*In Luc.c.6.v.13.& Sap.cap.18.in finem.*

503. *Ornamenta spiritualia sacerdotis, & Prælati quænam.*

Rationale quoque judicij facies, ponesque in eo quatuor ordines lapidum. Cur volnit Dominus, ut ornaretur rationale quatuor ordinibus lapidum pretiosorum? Quia per istos lapides significantur quatuor virtutes Cardinales, quæ ductæ per ternarium Theologicarum componunt numerum duodenarium: hinc prudentia debet esse fidelis, sperans, & amans, & sic de cæteris; collocatæque sunt ad quatuor partes mundi ita quod ad orientem est sinceritas temperantiæ cum alijs quatuor: Ad meridiem serenitas prudentiæ: Ad Aquilonem stabilitas constantiæ: Ad occidentem suavitas Iustitiæ:Istæque debent relucere in Prælatis,&c.*serm. 7.Hexaem.*

504. *Conditiones Prælatorum enumerantur.*

Rationale quoque judicij facies, ponesque in eo quatuor ordines lapidum. Hæc exigebat Deus in pectore rationalis:per quod ostenditur, quod Prælatus tunc ingreditur sanctuarium, ut Domino ministret, quando suscipit curam Animarum; est enim hoc gratissimum Deo Sacrificium: Ad hoc autem

autem ut debitè exerceat suum officium inter alia virtutum insignia debet rationis judicio quatuor ad officium suum spectantia in corde versare: primum est quomodò in statu debito commissos sibi guberoet, ut boni proficiant: secundum quomodò lapsos corrigat: tertium exteriora negotia debitè disponere: quartum quomodò in his se custodiat, & tegat. *Op. de sex alis Seraph. c. 7.*

505. *Divina providentia disponit omnia ordinatè per totum mundum.*

Rationale judicij facies. Cur hæc vestis appellatur rationale judicij? quia significat statuoi superioris, & maximè Dei, qui rationabiliter, & aptè sua providentia significata in hoc rationali judicat, & disponit omnia per quatuor ordines, scilicet per totum orbem. *sap. c. 18. in fine.*

506. *Sanctitas sacerdotum qualis debent esse: & quænam pœna sit impijs parata.*

Sanctificabitque illos; ut Sacerdotio fungantur mihi, ut ministrent mihi in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Vide ex hoc, quod ministri sacri, qui Domino ministrant debent esse prædìti, & ornati sanctitate, & Iustitia, & qui secus fecerint, puniuntur morte mala. *In Luc. cap. 1. v. 75. & cap. 25. v. 2.*

CAPUT XXIX.

507. *Christus, & eius Sacrificium præfiguratum fuerunt in lege veteri.*

Tolle Vitulum de armento, duos Arietes, & panem, &c. Ad quid ista voluit Deus in Sacrificijs; quia præfigurabant Christum, ejusq; Sacrificium. *serm. 14. Hexaem.*

508. *Gratia lavatur Anima perfectissimè.*

Cumque laveris Aaron cum filijs, indues eum, &c. Cur voluit Dominus, ut antequam induerentur ministri paramentis sacris, lavarentur aqua? Nota tamen, quod invenitur triplex expiatio in lege veteri: Alia per aquam, alia per aspersionem sanguinis, *ut Exod. cap. 24. v. 8.* & alia per unguentum unctionis, *ut Exod. cap. 30. v. 25.* Et hæc tria figurabant triplicem Baptismum, quo mundatur Anima, scilicet fluminis, sanguinis, & flaminis: primò mundantur infideles; secundò martyres, & tertiò pœnitentes, quæ trinæ ablutiones obtinent suum effectum mediante gratia: Unde sequitur, quod aqua, scilicet divinæ gratiæ habet vim mundandi Animam perfectè. *Op. Diat. salut. Tit. 7. c. 5.*

509. *Christi, & Religiosi debent esse excellenter mundificati unctione Spiritus Sancti super alios.*

Et oleum unctionis fundes super caput Aaron, consecrabiturque hoc ritu. Cur oleo, & non aqua voluit, ut Sacerdos consecraretur Domino? quia per oleum significatur unctio Spiritus Sancti; taliqne ritu voluit Dominus, ut Sacerdotes consecrarentur Domino, ut daret intelligi, quod Clerici, & Religiosi debent esse super alios excellenter mundificati unctione Spiritus Sancti. *Diat. sal. Tit. 7. cap. 5.*

510. *Fides sanctificat Animam, cum per opus probatur.*

Panes quoque qui sunt in Canistro, in vestibulo Tabernaculi testimonij comedent, ut sit placabile Sacrificium, & ut sanctificentur offerentium manus. Quid est hæc comestio panum positorum in vestibulo Tabernaculi? Nota, quod panes isti erant duodecim: significabantque duodecim Articulos fidei positos in corde humano, qui sunt in vestibulo Tabernaculi testimonij, quia proponuntur cuilibet fideli, ut sanctificentur offerentium manus, quia tunc fides sanctificat, cum probatur per opus. *serm. 3. In Dedicat.*

511. *Numerus duodecim Articulorum fidei est tantùm in unu, & vera Ecclesia.*

Panes; qui sunt in Canistro comedent, &c. Duodecim erant panes: Cur in unico Canistro, & non potius in duodecim ponuntur, sicut positi sunt, qui superfuerunt in miraculo multiplicationis panum à Christo? Iam dictum est quod per hos panes intelliguntur duodecim Articuli fidei: Et ponuntur in unico canistro quia una est Ecclesia, quæ fundari debebat super duodecim Apostolos, & una fidei credulitas, & confessio est in hac una Ecclesia. *serm. 3. In Dedicat. & l. 3. d. 25. a. 1. q. 1. & l. 4. d. 47. a 1. q. 1.*

512. *Solùm perfecti viri comedunt de pane dulcedinis divinæ, & fructuum Spiritus Sancti.*

Panes, qui in Canistro sunt comedent, ut sit placabile Sacrificium. Cur voluit Deus, ut ministri jam sanctificati comederent hos duodecim panes, ad hoc ut offerrent placabile Sacrificium? Et cur non decem, non quatuordecim? Nota, quod numerus duodenarius est inter alios mysticus: In eo enim significatur superabundans perfectio, quia est numerus excrescens, quia eius partes divisæ, quæ sunt. 6 4. 3. 2 1. simul aggregatæ summam totius excedunt, & constituunt sexdecim; & rursus dividitur in duos senarios, qui senarius est primus perfectorum: sicque significatur perfectio in duplici vita, scilicet in activa, & contemplativa cum supererogatione consiliorum, & ista est, quæ vendicat sibi dignitatem super alios. *l. 4. d. 47. a. 1. q. 1. & l. 3. d. 25. a. 1. q. 1.* In duodenario igitur numero superabundans dilectio spiritualis continetur (sicut & in duodenario fructuum Spiritus Sancti) & charismatum spiritualium exuberantia, quibus fruitur, & delectatur Anima sancta, & tunc homo ad contemplationem idoneus fit, & ad aspectus, & complexus sponsi, & sponsæ qui fieri habent secundum sensus spirituales, quibus videtur Christi sponsi summa pulchritudo sub ratione splendoris; auditur summa harmonia sub ratione verbi, gustatur summa dulcedo sub ratione sapientiæ comprehendentis otrumque verbum, & splendorem; adoratur summa fragrantia sub ratione verbi inspirati in corde: attingitur summa suavitas sub ratione Verbi Incarnati inter nos habitantis corporaliter, & reddentis se palpabile, osculabile, amplexibile per ordinatissimam charitatem quæ mentem

Numerꝰ duodenarij perfectio.

Duodecim fructus Spiritus Sancti reficiunt Animã mirabiliter.

tem noſtram per ecſtaſim, & raptum tranſire facit ex hoc mundo ad Patrem. *Op. Brevil. p. 5. c. 6.* Vide igitur, quomodò per duodenatium numerum pervenitur ad deguſtandum Deum, & ad acceptabile Sacrificium offerendum.

513. *Eccleſia quanta ſit dignitas ex præſentia Euchariſtiæ.*

Sanctificabo Tabernaculum teſtimonij, & habitabo in medio filiorum Iſrael. Quid eſt, quod ſanctificato Tabernaculo, Deus promittit ſe habitatorum in medio filiorum Iſrael? Nota, quod hoc fuit figura ſpecialis habitationis Dei in Eccleſia materiali: nam in ea dedicata in honorem, & cultum Dei habitat corporaliter per præſentiam Sacramentalem: ſic etiam figuratum hoc fuit, quando in dedicatione domus Domini *ex 3. Regum c. 8.* nebula implevit domum Domini: Verum enim eſt, quod Dominus dicitur habitare in nebula, quia Domini noſtri Ieſu Chriſti Corpus latet ibi ſub Sacramenti nebula. *ſerm. 1. in Dedicat.*

514. *Sanctificationem ſpiritualem Animæ ſequitur habitatio Dei in ea.*

Sanctificabo Tabernaculum teſtimonij, & habitabo in medio, &c. Nota, quod per Tabernaculum hoc intelligitur myſticè Anima, quæ ſicut Eccleſia materialis, ſanctificatur à Deo per aſperſionem aquæ, ſcilicet compunctionis, & contritionis: Item per ſignificationem ſanctæ Crucis, pœnitentiæ, & mortificationis carnis, per quam diſcernuntur ſervi Dei à ſervis Diaboli: Item per inunctionem lætitiæ & gaudij ſpiritualis, quæ ex pœnitentia gignitur: Item per illuminationem, ſcilicet honeſtæ converſationis. *ſer. 5. In Dedicat.*

515. *Chriſtus habitavit inter nos ad noſtram ſalutem.*

Et habitabo in medio eorum, &c. Quomodò habitavit? Nonne eſt ubique? Hæc fuit prædictio adventus Chriſti in carnem: habitavit enim inter nos factus homo humilis ad obediendum, obſequioſus ad miniſtrandum, lætus, & delectabilis ad conſolandum, & munificus ad tribuendum. *In Ioan. collat. 5.*



CAPUT XXX.

516. *Crux Chriſti eſt Altare.*

Facieſque Altare, &c. Vide ſupra ad cap. 27.

517. *Aureola datur Virginibus, Doctoribus, & Martyribus.*

Facieſque ei coronam aureolam. Vide ſupra cap. 25.

518 *Eleemoſyna valet ad remiſſionem peccatorum, oblata ad cultum Dei, & ſublevamen pauperum.*

Suſceptamque pecuniam, quæ data eſt à filijs Iſrael trades in uſus Tabernaculi, ut ſit in monimentum eorum coram Deo, & propitietur Animabus eorum. Vide hic ô homo, quod pecunia oblata ad cultum Dei, vel ad neceſſitatem pauperum, ad propitiationem prodeſt: Redime igitur te homo, dum vivis, redime te ipſum, dum potes; redime te, dum pretium habes in manibus; redime, ne dum mors amara te prævenit, & vitam ſimul, & pretium perdas: miſericordia enim eſt optima interventrix, quia plus valent in morte preces miſericordiæ, quàm Sanctorum. *ſerm. 2. Dom. 10. poſt Pentec. & ſerm. 1. Dom. 1. poſt pentec.* Nota hæc ultima verba, plus enim Deo placat ſubventio pauperum, quàm ædificatio Altarium, & Eccleſiarum, ornamentorumque magis ad pompam, quàm ad neceſſitatem inſervientium.

519. *Miſericordia in proximum ſanctificat Animam in Tabernaculum Dei.*

Sumptoque oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur. Cur voluit Dominus, ut Tabernaculum, & vaſa ſacra oleo ungerentur? Vt ſignificaretur ſanctificatio Animæ, quæ oleo compaſſionis, & pietatis ungit, & ſublevat omnia Vaſa, ſcilicet membra Chriſti, quæ habitant in tabernaculo fragilitatis noſtræ ad tempus. *ſerm. 5. In Dedicat.*

520. *Virtutes principales, quibus ſacerdos, & Religioſus ſanctificatur, explicantur.*

Sume tibi aromata, &c. facieſque unguentum, & ex eo ungas Aaron, &c. Nota, quod Deus ordinabat omnia hæc ad profectum Animæ: ordinavit enim confectionem unguenti, quo ungi deberent ſacerdotes, & miniſtri Altaris, ut daret intelligi, quomodò ſanctificari debent ſacerdotes: Quinque igitur erant ingredientia ad confectionem unguenti, ſcilicet mirrha electa, Cinnamomum, Caſſia, Calamus, & oleum olivatum: mirrha pura, & electa eſt illa, quæ ſponte manat ab arbore, & pretioſior quàm illa, quæ ex arboris inciſione, ſignificat pœnitentiam, quæ ſit in juventute, eſt gratioſir Deo, quàm illa, quæ fit in ſenectute: Cinnamomum eſt cinerei coloris, & cum frangitur, emittit quandam nebulam ſpiramenti redolentis etiam viſibilis, ſignificat humilitatē, quæ debet eſſe in Clericis, & Religioſis, de quibus debet manare viſibiliter ſpiramentum odoris, ideſt redolentia humilitatis per exemplum ædificationis: Caſſia, quæ creſcit in aquis ſignificat fidem Eccleſiæ ex aquis Scripturæ proficientem: Calamus eſt Arbor aromatica, cuius cortex facit ſonum, ſignificatque in Clericis officium Eccleſiaſticum, quod debet eſſe aromaticum per diviſionem, & ſonorum per divinæ laudis expreſſionem: Oleum olivarum ſignificat dulcedinem compaſſionis, quæ debet eſſe in Clericis, & Religioſis: his omnibus efficitur unguentum, & thymiama Deo gratiſſimum, quibus ſanctificatur ſacerdos, & Deo conſecratur: ſignificatur autem, quod Clerici, & Religioſi debent eſſe mundificati unctione Spiritus Sancti. *Diet. ſal. Tit. 7. cap. 5.*

Mirrha Cinnamomum Caſſia Calamus Oleum olivarū quid ſignificent.

521. *Pœnitentia in juventute Deo gratiſſima.*

Sume mirrham puram, & electam. Ad quid voluit Deus, ut adhiberetur mirrha electa ad conſecrandum ſacerdotes? Vt daretur intelligi, quod ſicut mirrha eſt, qua conditur caro, ne putreſcat: illaque eſt purior, quæ ſponte manat ex arbore, quàm

quàm quæ ex incisione, sic pœnitētia est Deo gratior quæ fit in juventute, & quod cato prius mirrha condienda est, ut sit putissima antequam vermibus sit corrupta: contra fatuitatem multorum, qui mirrha pœnitentiæ nolunt se ungere, donec toti putrescant vermibus peccatorum. *Diat. sal. Tit. 7. cap. 5.*

522. *Martyrium est Sacrificium Deo gratum quocumque alio.*

Sume tibi aromata, &c. & ex eo unguentum, &c. Nota, quod cum hæc unctio esset singularis, & ultima, qua consecrabantur sacerdotes, significat consecrationem Deo super omnes charissimam, scilicet Martyrij perfectionem. *Diat. sal. Tit. 7. c. 5.*

523. *Fides cum devotione, & opere thymiama Deo charissimum.*

Sume tibi aromata, thymiamaque unguentary facies, &c. Nota, quod per hoc thymiama significatur fides mixta cum devotione, & opere: hoc debet Anima fidelis componere, & ungere pedes Iesu. *Ioan. Col. 55.*

524. *Christus sanctificat omnia Sacrificia, & sine ipso factum est nihil.*

Sume tibi aromata thymiamaque compositum opere unguentary, &c. Sed quid, si deficeret unguentarius? quis est, qui poterit præparare hoc thymiama? Cur non reliquit Deus, ut à quocunque alio componeretur? sed nota, quod hoc fuit figura mysteriorum nostræ legis: Christus enim fuit iste unguentarius faciens pigmenta suavitatis, & sanctitatis: Datur que intelligi, quod Sacrificia legis veteris, licet essent redolentia odorem gratum, tamen non placabant Dominum: sed adveniente Christo, qui non aliunde mendicabat odorem; sed ipse in se redolebat, & ad alios derivaturus erat, obtulit seipsum Deo Patri in odorem suavitatis: fecitque pigmenta suavitatis, & sanitatis instituendo Sacramenta novæ legis. *l. 4. In prol.*

525. *Reverentiam Templi maximè zelat Deus.*

Tollesque aquam, lavabunturque Aaron, & filij eius manus & pedes, quando ingressuri sunt Tabernaculum. Vide qualem reverentiam Templi exigit Deus, maximè à ministris Altaris. *Op. Bibl. paup. cap. 20.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPVT XXXI.

526. *Sapientiam necessariam Deus infundit in eos, qui ab ipso vocantur ad ministrandum sibi.*

Vocavi ex nomine Beseleel filium Vri, & replevi illum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, &c. Cur inter alios istum replere voluit tot donis? Vt sciret facere opera Tabernacoli, cum esset à Deo specialiter vocatus. *In sap. cap. 8.* Vide quomodò, cum Deus aliquem eligit ad aliquod ministerium, etiam ei communicat ea, quæ sunt necessaria ad exequendum tale ministerium.

527. *Tota lex continet duo præcepta charitatis in Deum, & proximum.*

Deditque Dominus complens hos sermones Moysi duas Tabulas lapideas testimony scriptas digito Dei. Quare voluit, ut in duabus scriberentur decem præcepta Decalogi? Cur non in unica tantùm? Hoc fuit in signum geminæ charitatis divinæ, scilicet & humanæ: nihil enim aliud continent præcepta Decalogi. *Op. Centiloqu. p. 3. sect. 33.*

528. *Spiritus Sanctus est digitus scribens legem, & sacra scriptura seriem in Ecclesia.*

Deditque duas tabulas scriptas digito Dei. Cur voluit ipse Deus scribere eas suo digito? sed nunquid Deus habet digitos cum non sit corporeus? Respondetur, quod nomine digiti Dei intelligitur Spiritus Sanctus: sicut enim digitus cum mano, & brachio, brachium verò cum corpore sunt in natura unum, sic Spiritus Sanctus significatur per digitum, Filius Dei per brachium, & per corpus Pater, quæ sunt quidem tres Personæ sed unus Deus: per spiritum igitur sanctum dictantem dicitur dictata lex, & tota sacra scriptura. *Opusc. de Essentia Dei: & in Luc. cap. 11. v. 20.*

529. *Præcepta Dei sunt impressa à Spiritu Sancto indelebiliter: Legenda à Prædicatoribus, & recipienda ab auditoribus per opera.*

Dedit duas Tabulas digito Dei scriptas. Cur in Tabulis marmoreis? Ad denotandum, quod leges summi Imperatoris sunt indelebiles, & immobiles, editæ in Concistorio sanctissimæ Trinitatis, quæ à Doctoribus leguntur per catholicam prædicationem, & repetuntur à scholaribus per bonam operationem. *Op. Diet. salutis Tit. 3. cap. 1.* Docet igitur Prædicator auditores tanquam scholares, sed repetitio lectionis ab ipsis facienda est.

530. *Deditque duas tabulas lapideas scriptas, &c.* Cur in tabulis lapideis? Ad demonstrandam duritiem cordis Hebræorum, quia eorum obstinatio, & vecordia erat durissima contra Veritatem. *In Ioan. cap. 8. v. 59.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPVT XXXII.

531. *Sacræ scripturæ modestia quanta in describendis rebus obscenis.*

Et surrexerunt manducare, & bibere, & ludere. Quid est ludere? quisnam erat iste ludus? sed nota quod Spiritus Sanctus per nomen ludi exprimit opera carnis obscena, in quæ præcipitatus est populus post idololatriam. *In Luc. cap. 17. v. 28.* Ex quo apparet, qua modestia utatur sacra scriptura in describendis actibus obscenis. *Op. princ. sacra script.*

532. *Gula vitium præcipitat in omnia mala.*

Seditque populus manducare, & bibere, &c. Et postea in Idololatriam præcipitat. *Op. Bibl. paup. cap. 88.*

533. *Peccator non eſt Dei, nec hominis, ſed Diaboli.*

Peccavit populus tuus. Quomodò populus tuus? Nonne aliàs dixit Deus, hunc eſſe populum ſuum, ut ſupra, *cap.* 3. & pluries alibi? ſed nota, quod Moyſes audiens populum appellare non Dei, ſed ſuum, ſtatim reſpondit. *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum? ſic cap. v.* 12. & deinde *numero* 31. quaſi diceret: non iſte populus eſt meus, ſed tuus: audiens tamen, quod Deus ſubſiſtit in propoſito verbo, dicens: *peccavit populus tuus*: ſubdidit ipſe: *peccavit populus iſte*: Unde notandum, quod non dixit: peccavit populus tuus, vel meus, ſed ait populus iſte: Cur hoc? Vt intelligetur, quod exiſtens in peccato, non eſt Dei, nec viri juſti: & cujuſnam erit? Non alterius, quàm Diaboli. *In Luc. cap.* 15. *v.* 29. *& ſerm.* 1. *de ſancto Matthæo*: Homo enim peccans traditur in manus Diaboli, eiuſque poteſtate. *ſerm.* 1. *Dom. quinquag & In Ioan. cap.* 14. *v.* 31.

534. *Ingratitudo reprehenditur.*

Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt, &c. Sed numquid ſerio dixit Aaron hoc? minimè: ſed ad redarguendam ingratitudinem ipſorum, & ut intelligerent, quod tali enormitate exaſperabant Deum. *Pſal.* 65. Vide igitur, quàm proclivis ſit homo ad ingratitudinem: ſtatim enim ac recipit à Deo beneficium, contra Deum avertitur. *Op. Bibl. paup. cap.* 64.

535. *Dij ſunt Apoſtoli, & Prædicatores per gratiam, educentes Animas de Ægypto culparum.*

Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt, &c. Nota, quod Aaron dixit hæc verba, non aſſertivè, ſed, ut dictum eſt, ad redarguendam ipſorum malitiam; ſed cur talibus verbis uſus eſt, & non alijs, cum in eis videretur fateri multiplicitatem Deorum? Reſp. quod talibus verbis eſt uſus, quia iſta verè poſſunt dici de Apoſtolis, & Prædicatoribus, qui ſunt Dij, non natura, ſed gratia, qui educunt Animas ab Idolorum cultu, à ſtatu peccati ad lumen fidei. *ſerm. de SS. Simone, & Iuda.*

536. *Oratio fervens Iuſtorum pro proximo vincit, & quaſi cogit Deum, ne puniat peccatores.*

Ait Dominus ad Moyſen: Dimitte me, ut iraſcatur furor meus, &c. Quid eſt hoc, quod audio: ergone Deus ligatus erat, vel vi tenebatur à Moyſe? ſed ex hoc cognoſcitur, quanta ſit virtus orationis fuſæ pro ſalute proximi: nam orantis pro ſe multoties ceſſat fervor, nec tam facilè exauditur à Deo, quia ſervili fidelitate commodum ſibi procurat: qui verò pro ſalute proximi ſollicitus eſt in orando, Deum ita vinculo orationis ligat, ut videatur aliqualiter cogi Deus, ne puniat, vel itaſcatur eius furor: Talis fuit Moyſes, qui ita frequenter pro populo ſuo oravit, & eum à multis malis liberavit. *Opuſc. myſtic. Theol. cap.* 3 *p.* 3. *& op. Bibl. paup. c.* 3. *& ſerm.* 3. *Dom.* 21 *poſt Pentec.*

537. *Vir juſtus nec indignatione, vel perſecutione commotus unquam ceſſat orare pro alijs.*

Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum iſtum, &c. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, &c. Sed cur in hæc verba tam ſibi noxia exit? Aut dimitte me, &c. Nonne iſte eſt populus, qui tecum toties ingratus eſt, & contra te toties inſurrexit? Hic nota, quod pateſit magis pervicacia iſtius populi, & benignitas viri juſti, qui non ceſſavit unquam benefacere ipſi, licèt indigno, & ingrato, & pro ipſo orationes ignitas Deo fundere: fuitque figura Chriſti, qui licet offenſus, orabat pro inimicis. *In Luc. c.* 20. *v.* 12. *op. Bibl. paup. c.* 21.

538. *Orans debet aſſumere varias formas cum Deo, ut ſervi, amici, filij, & conſiliarij, &c.*

Ne quæſo dicant Ægyptij: callide eduxit nos, &c. quieſcat ira tua, &c. Vide quomodò Moyſes aſſumit cum Domino familiariter figuram familiaris amici, & domeſtici conſiliatij: ſed quomodò, & quali fiducia id facit Moyſes veluti conſilians Divinam Majeſtatem? Nonne videtur hic actus potius temeritatis, & irreverentiæ? Nequaquam: Petitio noſtra aliquando uno modo formata hæſitationem facit, quaſi non debeat admitti: aliter verò formata fiduciam exauditionis reportat: nam orans rectè cum Domino, formam ſervi aſſumit, Dominum, & Iudicem ſuum humiliter, & timoroſè ad miſericordiam provocando: Aliquando aſſumit formam familiaris amici, & domeſtici quaſi conſulens Domino, ut hoc faciat, vel hoc, adducens cauſas, cur hoc debet fieri: ut hic ex fiducia magna facit Moyſes: Aliquando formam filij aſſumit: & omnibus iſtis modis eſt bona oratio. *Op. de perfect. religioſ. l.* 2. *cap.* 68.

539. *Oratio, quæ involuit memoriam ſanctorum facilius exauditur.*

Memento Domine Abraham, Iſaac, &c. Cur in memoriam Dei reducit Abraham? Nonne recordabatur Deus horum Iuſtorum? quia facilius exauditur oratio, in qua interponitur memoria ſanctorum, ſic etiam ſit in miſſa. *Op. expoſit. miſſa c.* 4.

540. *Oratio reddit placatum Deum.*

Placatuſque eſt Dominus, &c. Vide quomodò oratio reddit placatum Deum, eiuſque iram avertit. *Op. de perfect. religioſ. l.* 2. *c.* 66. *Op. Bibl. paup. c.* 16.

541. *Prædicatio divini verbi qualis eſſe debet ad reſecanda peccata.*

Ponat unuſquiſq; gladium ſuper fœmur ſuum, & occidat unuſquiſq; fratrem, & proximum ſuum. Quid eſt ponere gladium ſuper fœmur ad occidendum fratrem? ſed nota, quod myſticè per gladium intelligitur vel divinum verbum, vel divini verbi prædicatio: gladius enim bonus debet eſſe, non ratione baltei, vel vaginæ acutæ, ſed ratione ſubtilitatis, & acuminis: ſic eſt bona prædicatio vera, & acuta ad abſcindenda peccata abſque acceptione perſonarum: Vera enim prædicatio verbi divini debet eſſe acuta ad abſcindenda peccata. *In Ioan. cap.* 18. *v.* 11.

542. *Prælatus caveat ab acceptione perſonarum.*

Et redite de porta in portam per medium Caſtrorum.

Nota, quod cum Deus vellet punitionem accipere de Idololatria impiorum, præcepit militibus, ut redirent de porta in portam per medium Castrorum. Cur & ad quid iste progressus? Voluit Deus significare, quod illi, quibus spectat ex officio præesse, & punire subditos malos, debent cavere ab acceptione personarum; & ideò dixit, *& occidat unusquisque fratrem, & proximum. In Luc. cap.17.v.11.*

543. *Liber vitæ continet salvandos indelebiliter secundùm finalem iustitiam: secundùm præsentem verò continet delebiliter.*

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. Videtur hoc mirabile dictu, & fere inintelligibile: Ergo Moyses eligit potius deleri de libro vitæ, & per consequens esse de numero damnatorum, quàm videre punitionem iustam impiorum? sed notandum, quod in libro vitæ alij scripti sunt delebiliter, scilicet secundùm præsentem iustitiam, & simplicem notitiam: alij indelebiliter, secundùm finalem iustitiam, & scientiam approbationis, & in hoc scriptos erat Moyses: sciens ergo, quod deleri non poterat, hæc pronunciavit, sed dices: ergo hæc dixit non ex corde, sed potius irridendo? Nequaquam: fuit enim hic actus proprius filij confidentis de dilectione paterna, quo videtur non tantùm obsecrare, quàm imperare Patri, ut exaudiat eum, experiam erga se benevolentiam allegans: Non igitur rogat se deleri de libro vitæ, sed ea fiducia, qua præsumit se non delendum de libro, petit illud remitti, non dubitans se exaudiendum; unde, & quod petit, impetrat. *lib. 1. d.41.a.1 q.1.op.de perfecti.religios.lib.1.cap.68. In Luc.cap 10.v.20. In Psalm. 68.* Ex quo vide quanta sit divina largitas in hominem Dei amicum, ac qualis fiducia in suis servis inseratur.

544. *Charitas intensa, & æstuans in corde facit aspirare etiam ad impossibilia.*

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, &c. Si sciebat Moyses, se esse scriptum indelebiliter in libro vitæ, quomodò proponit quod est impossibile? Hoc non est mirum: cum sit proprium amoris ardentissime æstuantis in corde diligentis Deum, & proximum, vertere quodammodo mentem in sanctam insaniam, & tendere in impossibilia, vel velle cogere Deum. *Opusc. de septem itineribus æternitatis, itiner. 4. d. 5. art. 2.*

545. *Mansuetudo in Prælato non debet præiudicare zelo Dei, & impedire punitionem malorum.*

Ponat unusquisque gladium, &c. Nota, quod Moyses instantissimè oravit ad Dominum pro impetranda venia huius Idololatriæ, & postea eos severè punivit; ut pateat qualis zelus debeat foveri in corde Prælati etiam mitissimi. *Op. Bibl. paup.cap.51.* Vide etiam, quod ob zelum Dei Prælatus debet in iram sanctam prorumpere aliquando. *Bibl.paup.cap.95.*

CAPUT XXXIII.

546. *Angeli custodia sua removent impedimenta boni, & occasiones mali, & actiones peccandi.*

Vade, ascende de loco isto: mittam præcursorem tui Angelum, ut eijciam Chananæum, &c. Sed cur sine ministerio Angelorum, ex se ipso Deus non eijcit Ihimicos populi sui? Quia utitur etiam ministerio Angelorum, quorum est removere impedimenta boni, occasiones mali, & actiones peccandi, ut fecit cum filijs Israel. *Opusc. Comp. Theol. lib. 2. cap. 18. & opusc. Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

547. *Gratia Dei quænam mirabilia operetur in Anima.*

Eijciam Chananæum, & Amorrhæum, &c. Nota, per Angelum significatur gratia à Deo immissa in Animam, per quam anima perfectissimè custoditur, & peccatum expellitur, & Dæmonum potestas evacuatur, quæ significantur in expulsione Gentium. *Opusc. Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

548. *Adventus Christi qualis finis.*

Mittam Angelum, &c. Hic est Christus missus à Patre, ut præcederet nos, & custodiret in via, & introduceret in terram promissionis, scilicet in patriam Beatorum. *Opusc. Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

549. *Lex divina loquitur cunctis ea, quæ sunt agenda, & fugienda.*

Descendebat columna nubis, loquebatur cum Moyse. Quis erat, qui loquebatur? Scriptura dicit, quod columna nubis loquebatur: sed quando id dicitur? habebatne linguam? etatne animata? Hæc columna nubis significat legem Dei, quæ est veluti lingua Spiritus Sancti indicans omnia, & quomodò agenda, & omnibus quomodò quiescendum est. *serm.1. Hexaem.*

550. *Deus ut plurimum loquitur suis servis in hac vita per Angelos.*

Loquebatur Dominus ad Moysen facie, ad faciem, ut solet homo cum amico suo. Quomodò dicitur Deus loqui Moysi, si supra Deus protestatus est se velle recedere à Moyse? Resp. quod in hac locutione Deus usus est ministerio Angeli loquentis in persona Dei. *lib.2.d.10. a. 3. quæst. 2.* Sic usus est ministerio Angeli in illa voce. *Hic est filius meus, &c.*

551. *Mites admittuntur ad familiaritatem Dei.*

Loquebatur, &c. Cur hoc privilegiũ concessum est Moysi, & non alijs: Hoc fuit, quia mitissimus erat inter alios: mites enim facilè ad suã familiaritatem

tanquam amici admittuntur à Deo. *Diat. ſal. Tit. 1.cap.2.*

552. *Notitia Dei de homine juſto eſt approbationis.*

Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam coram me. Quomodò dicit Deus, ſe ex nomine cognoviſſe Moyſen? Nonne omnia perfectiſſimè comprehendit? Loquitur de notitia approbationis: ſuum enim agnoſcere eſt approbare ſuos electos. *In Ioan. cap. 11.v.10.*

553. *Inventio gratiæ apud Deum Animam perfectè quietam reddit.*

Si inveni gratiam apud te: Inveniſti gratiam apud me, &c. Quid eſt invenire gratiam apud Deum? Gratia hæc eſt electionis, & perfectionis; ſivè contemplationis etiam, ſpiritualiſque delectationis, quæ ex plenitudine divinæ cognitionis, & dilectionis in Anima generatur: hæc gratia mentem quietat, & pacificat, & veluti ſedem quietiſſimam ad divini ſuperadventus ſuſceptionem præparat, & coaptat. *Op. de Eccleſ. Hierarch. p.1.c.1. In Luc.c.1.v.30.*

554. *Prælati inveniunt gratiam coram Deo exercendo munus ſuum.*

Inveniſti gratiam coram me. Quid eſt invenire gratiam coram Deo? Invenire gratiam eſt invenire ſanctitatem, & doctrinam divinam: Sanctus igitur Moyſes dicitur inveniſſe gratiam coram Deo, quia populum docebat, & regebat non ſolùm verbis, ſed, & exemplis. *In ſap.c.11.in principio.*

555. *Videre faciem, & gloriam Dei in hac vita, & in alia quid.*

Oſtende mihi faciem tuam, & gloriam tuam. Quo animo petebat hoc Moyſes à Deo? Petebat hoc ex magna fiducia in Deum: petebat, inquam, videre gloriam Dei in hac vita; ſcilicet opera eius miraculoſa, & magnificentiam eius in ſubjecta creatura, & in alia vita, ſicuti eſt. *In Ioan. cap. 12. v. 41. & in Luc.cap.9.v.27.& in Ioan.cap. 5.v.38.*

556. *Orationis exauditio aliquando differtur in profectum orantis.*

Oſtende mihi faciem tuam, &c. Si tam familiaris erat Deo Moyſes, ſi veluti Deum ratione ligavit, ut ſupra dictum eſt, quomodò nunc non exauditur, ſed poſtea? quia Deus ob plures cauſas aliquando differt exauditionem; & præcipuè aliquando differt communicationem gratiæ in aliud tempus magis utile petenti, & congruum. *Op. de perfect.religioſ.l.2.cap.71.*

557. *Deus eſt omne bonum per æquivalentiam.*

Oſtendam tibi omne bonum. Quid eſt omne bonum? ſi petebat tantùm videre faciem Dei? quia frui Deo eſt frui omni bono. *l.3.d.26.a.1.q.2.ad 2.*

558. *In Dei fruitione eſt fruitio omnium bonorum.*

Oſtendam tibi omne bonum. Quomodò omne bonum, ſi hoc eſt multiplex creatum, & Deus eſt unus, & unicum bonū? Quia licèt omnia ſint multa, & Deus unus; tamen, quia in Deo eſt ſimpliciſſima unitas, ſereniſſima veritas, & ſinceriſſima bonitas, ideò eſt in eo omnis virtuoſitas, omnis exemplaritas, & omnis communicabilitas, ac per hoc ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, & hoc quia omnipotens, omniſciens, & omnimodè bonum, ideò ipſum videre, eſt eſſe beatum. *Op. Itiner.mentis cap.5.* Hinc intellige, quod in gloria eſt conſummatio, & perfectio omnis boni. *ferm.2. de Angelis.& In Luc.c.12.v.31.*

559. *Stantes in ſermone, & in ſervitute Chriſti mortem non videbunt in æternum.*

Ego oſtendam omne bonum. Sed quomodò Deus promittit hoc Moyſi, ſi paulo ante ei dixerat, quod non poteſt quis videre Deum, & vivere? ſed attende, quod dicitur, non viſurum Deum facie ad faciem in hoc ſtatu mortali, ſcilicet per apertam viſionem: quando verò dicit: *Ego oſtendam tibi omne bonum*; id verificatur per ſpecialem revelationem: Voluit enim dicere, quod ſtantes in ſervitute Chriſti per imitationem, non guſtabunt mortem, ſed tranſibunt ad vitam æternam. *In Luc.c.9.v.27.*

560 *Qui habet Gratiam Dei, Deoque adhæret, habet omne bonum.*

Ego oſtendam omne bonum. Sed quid eſt hoc omne bonum? Hoc eſt Regnum Dei, ſcilicet gratia Dei adhærens cum Deo per unionem, & contemplationem; qui hoc habet, habet omne bonum. *Luc.c.12.v.42.*

561. *Solus Deus eſt bonus, & in ſolo Deo habetur, & ab ipſo ſolo.*

Ego oſtendam tibi omne bonum. Quodnam eſt hoc omne bonum? Nonne ſunt alia multa bona præter Deum? Dicitur Deus omne bonum, ſcilicet per eſſentiam, quia ſolus eſt finis ultimus omnium creaturarum, & ab ipſo ſolo emanat bonitas in creaturam: Vnde bonitas creaturæ comparata ad divinam, non eſt bonitas. *In Luc. cap. 18.v.19.& In Ioan.collat.6.& coll.60.* Hinc intelligendum, quod in ſolo Deo, & ab ipſo ſolo habetur bonum. *In Ioan.coll.65.*

562. *Divina prædeſtinatio ex parte Dei habet ſolum ipſius beneplacitum: ex cauſa verò creaturæ habet etiam meritum fundatum in gratia Dei.*

Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Ergone merita ad nihil deſerviunt in prædeſtinatione? Ergone Deus non tribuit gloriam ex meritis? ſed dicendum, quod ſi conſideretur Deus ſecundùm ſe, nullam cauſam habet miſerendi, niſi ſuam divinam voluntatem: ſi ex parte prædeſtinati, vel juſtificati, adeſt aliqua ratio, ob quam Deus plus vult juſtificare, & ſalvare hunc, quàm alium: nempè merita eius de congruo, vel de condigno:

gno: Nota tamen, quod Deus hos effectus reducit in suam voluntatem, nec aliam rationem adducit, ut discamus vivere cum timore, & nihil meritorum nobis attribuere. *l.1.d.41.a.1.q.2.& in Luc.c.12.v.32.*

563. *Deus quomodò à suis videri potest in hac mortali vita.*

Non videbit me homo, & vivet. quomodò hoc verum est, dum supra dictum est, quod loquebatur cum Deo Moyses facie ad faciem? Respond. quod Deus (loquendo ordinariè) non potest videri à viatore in sui essentia, & claritate: Dicitur autem locutum fuisse facie ad faciem, & ipsum vidisse palam, ut daretur intelligi familiaritas Dei ad Moysen, quantum ad apparitionem, cum loqueretur ei palam, scilicet in subjecta creatura: Notatur etiam familiaritas, quantum ad contemplationem, quia non tantùm fulgebat visione corporali, aut imaginaria, sed etiam intellectuali, & summa. *lib.2. d.8.q.1.dub.2.& lib.3.d.14.art.1.q.3.& l.2.d.23.a.2. quæst.3.*

564. *Qui vult videre Deum, debet mori, vitamque huius mortalitatis, & peccatorum deserere.*

Non videbit me homo, & vivet. Ergone oportet mori? quomodò ergo asseritur de aliquibus sanctis, quod in hac vita viderunt Deum? quia mortaliter homo debet mori ex hac vita caduca, & corporali, & separari ab ipsa, seque totum ferre in Deum super omnia creata. *lib.2. dist.25. part.2. quæst.ultim.*

565. *Amor extaticus facit videre Deum: Ad quod requiritur mors spiritualis.*

Non videbit me homo, & vivet. Si cum hac mortalitate non potest videri Deus, quomodò dixit supra, *ostendam tibi omne bonum*? Nota; quod loquitur de morte morali, scilicet separatione ab omni sensibilitate, quæ ad visionem, & fruitionem summi boni est necessaria: Oportet igitur, ut qui vult ad summum statum perfectionis ascendere, moriatur, & expolietur hac vita sensibili, scilicet à sensibilitate, imaginatione, æstimatione, imò ab intellectione, & in verticem ascendere; ubi est acies amoris extatici, qui est sequestrativus ab omni adulterino affectu propter sponsi affectum unicum: soporativus propter quietationem omnium potentiarum; sursum activus propter anagogias cælestium desideriorum: intemptivus propter jugulationem carnalium impedimentorum, ad quem pervenit perfectissimè Moyses. *serm. 2. Hexaem.* Qui hanc mortem diligit, videre potest Deum: moriamur ergo, & ingrediamur in caliginem, imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus, transeamus cum Christo crucifixo in hoc mundo ad Patrem. *op.Itin.ment.c.7.* Necesse est igitur, ut spiritus contemplativus moriatur mundo prius, & mundus sibi, & ex tunc ingredietur in æterna Tabernacula, & ibi abscondetur. *opusc.de sept. Itiner. æternit.Itin.3.d.6.In Ioan.c.1.vers.18.serm.1. In Convers.S.Pauli.*

566. *Incarnatio filij Dei promissa Moysi.*

Posteriora mea videbis, &c. Quæ sunt posteriora Dei? habetne partes, ut corpus? Hic fuit promissa Incarnatio Filij Dei, qui per Angelum tali pacto locutus est Moysi. *op.de essentia Dei.*

567. *In præsenti vita anteriora, scilicet Divinitatem non potest videre homo: benè autem posteriora, scilicet humanitatem.*

Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Nota quod per anteriora intelligitur Divinitas: per posteriora, humanitas assumpta à Verbo. *Psal. 138.* Ostenditur igitur nobis in hac vita contemplanda humanitas Christi, ut in altera videre possimus Divinitatem.

568. *Proponitur contemplativis consideratio fixa Christi incarnati, & crucifixi.*

Posteriora mea videbis. Si per posteriora intelligitur humanitas Christi, quomodò à nobis videtur, cum sit exaltata in Cælum? Proponitur humanitas Christi videnda, non oculis corporis, sed spiritus; igitur videri potest clausis oculis ad mundum. Proponitur ergo Christus crucifixus videndus à nobis: Primò, in pœnis, & passione, ut omnis in nobis destruatur carnalitas: Secundò rebus destitutus, & pauper, ut omnis in nobis destruatur cupiditas: Tertiò humilis, & abjectus, ut omnis in nobis destruatur prosperitas. *serm.1. In Conversione S.Pauli.*



CAPUT XXXIV.

569. *Pœnitentia est baptismus reducens Animam ad Innocentiæ statum.*

Præcide duas Tabulas instar priorum, & scribam super eas. &c. Nota, quod priores Tabulæ fuerunt factæ à Moyse: Cur ergo Deus voluit, ut denuò aliæ renovarentur? Per hoc datur intelligi, quod duplex est Tabula: prima est Innocentiæ, quæ per Baptismum habetur; Si aliquando contingit eam frangere, Deus providit secundam Tabulam pœnitentiæ, ut Innocentia iterum recuperetur. *Diæt.Tit.3.c.1.* Sed cur in Tabulis lapideis voluit ea inscribi? ad denotandum, quod scribenda erant in tabulis cordis, & quia stabilia erant, nec cessare debebant, sicut cæremonialia, & judicialia. *lib.3. d.37.a.1.q.3. ad 5.*

570. *Servi Dei debent esse semper parati ad actus illicitos fugandum.*

Esto paratus mane, ut ascendas ad montem. Cur dixit Deus Moysi, ut esset paratus ad ascendendum? Nonne semper erat paratus ad obediendum Domino? Nota, quod hoc dixit Deus Moysi, & continuè ad cor Iustorum Deus sic loquitur, ut sint semper parati ad obediendum Deo, ad abstinendum ab illicitis, & ad sustinendum. *Psalm.118. cap 4.vers.12.*

571. *Divina Iuſtitia reprobat mala, & favet, & approbat bona.*

Deus magne, & miſericors, & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, & auſers iniquitatem, &c. Vide, quomodò à Moyſe exaltatur divina æquitas, quæ conſiſtit in favendo, & approbando bona, & reprobando mala. *opuſc. princip. Sacr. Script. & Pſal. 61.*

572. *Vir juſtus loquitur in oratione cum Deo ad modum non tam deprecantis, quàm imperantis.*

Si inveni gratiam in conſpectu tuo, obſecro, &c. Vide quantam vim habeat confidentia juſtorum in Deum, qui quaſi filius confidens de dilectione paterna, non tam obſecrat, quàm imperat Patri, ut exaudiat eum, expertam erga ſe benevolentiam patris, allegans, ſicut Moyſes faciebat. *op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 68.*

573. *Præcepta Decalogi ſunt de dictamine naturæ, & facilè intelliguntur.*

Obſerva cuncta, quæ hodie mando tibi, &c. Cur Dominus immediatè tradidit populo, & brevibus verbis Decalogi præcepta? Cæremonialia autem longo ſermone, & mediante Moyſe? Reſpond. quia præcepta Decalogi erant innata dictamen naturæ, & ideò modica indigebant expoſitione, poterantque ſimplices ſtatim ea capere: Non ſic cæremonialia, & judicialia, quæ indigebant majori inſtructione, & magis ſpectabant ad Iudices, & Sacerdotes. *l. 3. d. 37. a. 1. q. 3.* Ea hoc intellige, quod in Iudicibus, Prælatis, & Sacerdotibus debet eſſe major ſcientia.

574. *Anima tradita in poſſeſſionem Diaboli per peccatum, debet Deo reſtitui.*

Ejciam ante faciem tuam Amorrhæum, Chananæum, &c. Cur voluit Deus auferre ex poſſeſſione ſuorum bonorum iſtos populos? Nonne erat hoc contra legem naturalem? Reſpond. quod iſti populi primò vi expulerant filios Sem de terra illa: Vnde Dominus voluit reſtituere illam terram propriis Dominis; filij enim Iſrael deſcendebant de ſemine Sem: Per hoc autem voluit ſignificare, quod debemus reformare, & in virtutes mutare vires Animæ, jam per vitium tranſactas in dominium Diaboli, & ad Dei legem eas reducere. *op. de perfect. religioſ. l. 1. c. 11.*

575. *Ieiunium quadrageſimæ aliud mæroris, aliud gaudij.*

Fuit ergo ibi quadraginta diebus, &c. & non manducavit, &c. Nota, quod de tribus quadrageſimalibus jejuniis fit mentio in Sacra Scriptura, ſcilicet Moyſis, Eliæ, & Chriſti; prima duo fuerunt mæroris: Tertium gaudij: Hinc Seraphicus Pater Franciſcus tres quadrageſimas ordinavit in Regula, ſcilicet duas ex præcepto, & unam ex conſilio, Duæ primæ ſont mæroris: prima mæroris eſt pro deletione culpæ, fuitque Moyſis, & eſt quadrageſima hyemis ante Natale: Alia mæroris eſt pro amotione miſeriæ, vel ad mala imminentia præcavenda, eſtque quadrageſima Eccleſiaſtica: Tertia eſt gaudij, & vocatur communiter Benedicta, eſtque Chriſti, quia per eam Animæ vires recreantur, quia ſignificat abſtinentiam ab omni delectatione carnali, quæ affert maximum gaudium animæ. *op. Expoſit. Regulæ c. 3.*

576. *Ambulans per vitam contemplativam facie pulchrificatur, & viſu clarificatur.*

Videntes faciem cornutam Moyſis, timebant accedere ad eum, &c. Nota hic, quod iſte eſt effectus perfectæ contemplationis: nempè facies Animæ pulchrificatur, & illuminatur, ita ut aliquando ad extra talis lux appareat, ut viſum eſt in multis Sanctis, maximè in D. Benedicto. *opuſc. de ſeptem Itin. æternit. Itiner. 3. d. 5. Et In Luc. c. 9. v. 31.*

577. *Prælati debent in ſe lucere, & alios illuminare.*

Videntes faciem cornutam, &c. Hoc eſt munus Prælati, qui debet in ſe eſſe luminoſus per conſcientiæ puritatem, & ad alios lumen doctrinæ, & ſanctæ converſationis diffundere. *op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

578. *Corpus Chriſti velatur accidentibus ob debilitatem noſtri viſus.*

Nec poterant intendere in faciem eius; poſuitque velamen ſuper faciem ſuam. Nota, hoc fuit figura Chriſti, qui in Euchariſtia velatur accidentibus, non ſolùm ob meritum fidei quantum ad bonos, & indignitatem, quoad malos; ſed etiam quia non poſſet à nobis Corpus Chriſti glorificatum videri ob claritatem ejus. *op. Comp. Theol. l. 6. c. 16.*

579. *Divinitas meritò velata fuit velo humanitatis, ut poſſet à nobis videri.*

Poſuit velamen ſuper faciem ſuam. Nota ſic fuit Chriſtus, qui Divinitatem velavit humanitate, ut in eam poſſemus aciem oculorum figere. *In Ioan. cap. 1. verſ. 14.*

580. *Sacra Scriptura erat antiquitus velata, nunc eſt aperta.*

Poſuit velamen ſuper faciem ſuam. Cur velabat faciem? quia id fuit figura velaminis legis ſcriptæ: Nunc verò per adventum Chriſti ablatom eſt velamen, & in ſignum ejus traditur in principio Miſſæ Sacerdoti liber clauſus, poſtea aperitur. *Pſal. 66.*



CAPUT XXXV.

581. *Deus requiem quærit in nobis, maximè in diebus feſtis.*

Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis Sanctus; Sabbatum requies Domini: qui fecerit opus in eo morietur. Ecce quàm ſolicitus eſt Dominus obſervationis feſtorum, cum tot in lege replicaverit hanc obſervantiam, quàm diligentiſſimè vult à nobis. *In Luc. c. 6. v. 2.*

582. *Deus*

582. *Deus requiescit in Anima Iusti, & Iustus in Deo.*

Septimus dies requies Domini. Quomodò requies Domini ? Ergone requie indiget Dominus? Attende Dei clementiam, & bonitatem: Nam Deus tam amat nostram quietem spiritualem, quæ per virtutes obtinetur, quod quando nos requiescimus in eo, in nobis dicitur requiescere. Et nota, quod per sex dierum decursum pervenitur ad septimum diem, sic per septem dona Spiritus Sancti ad requiem Dei pervenitur. *serm. 1. & 2. in Sabb. S.*

583. *Carens Iustitia, & Sanctitate requies Diaboli fit.*

Septimus dies erit vobis Sanctus. Si Sanctus, ergo cum sanctitate est celebrandus; ergo, qui caret sanctitate, & iustitia, in eo requiescunt Dæmones: requiescit enim diabolus in occultatione peccatorum, in delectationibus carnis, & in cæteris vitiis. *serm. 1. & 2 in Sabb. Sanct.*

584. *Oblationes facienda sunt de propriis facultatibus non de alienis.*

Prono animo offerat unusquisque aurum, argentum, &c. Quodnam aurum habebant filij Israel in deserto, nisi illa pretiosa, quæ abstulerant ab Ægyptiis: Ergone facienda est oblatio ex re aliena? Nequaquam, sed debet fieri ex rebus propriis, non alienis, invito Domino: Dominus autem transtulit dominium illarum rerum ab Ægyptiis ad Hebræos, ut alias dictum est. *l. 4. d. 15. p. 2. a. 2. q. 1.*

585. *Dona voluntaria, non coacta vult à nobis Dominus.*

Cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicarunt. Cur non ex præcepto fuerunt impositæ istæ oblationes ? quia Dominus vult à nobis dona voluntaria, non coacta: hæc enim non placent Domino: In corde igitur devoto, & ex devotione obediendum est Domino, in talique corde prompto requiescit Deus, velut in Throno. *op. Eccles. Hierarch. p. 1. c. 4. ad finem. & Psal. 118. c. 7. v. 12.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CAPUT XXXVI.

586. *Sanctorum merita tegunt, & defendunt Ecclesiam.*

Fecit & opertorium Tabernaculi de pellibus Arietum rubricatis. Cur de istis pellibus voluit Deus coopertum Tabernaculum ? Pelles istæ significabant iustitiam, & merita Sanctorum, præcipuéque martyrum, quibus tegitur, & defenditur Ecclesia. *Psalm. 48.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CAPUT XXXVII.

587. *Anima iusti vestita est foris, & intus vestitu charitatis.*

Vestiuitque Arcam intus, & foris auro purissimo. Nota, hæc Arca est cor, vel Anima, quæ ut sit Tabernaculum Dei debet esse ornata intus, & foris auro charitatis: Nota etiam, quod dicitur de auro purissimo vestita: Aurum purum est, si in operatione, purius in locutione, & purissimum, si in intentione non sit falsificata dilectio. *ser. 4. in Epiph.*

588. *In Deo Attributa sunt idem cum essentia.*

Fecit & labium per gyrum, & coronam auream, &c. Nota, quod labium, quod quandam protensionem, & prominentiam habet, significat Divinam essentiam per appropriata ad creatoras, scilicet per Attributa divina appropriata Personis divinis, quæ tamen sunt in gyro, quia sunt in Deo idem, licèt diversa quoad connotata. *op. Compendios. principium.*

589. *Vltra coronam gloriæ essentialis Deus specialiter aliquibus Sanctis addit Aureolam.*

Fecit & coronam Aureolam super Altare thymiamatis. Quarè super hoc Altare, & nō super cætera? Hoc Altare significat quosdam Sanctos eminentis virtutis, scilicet Virgines, Martyres, & Doctores, quibus ultra gloriam essentialem, confert, & aureolam, scilicet quoddam gaudium accidentale speciale. *op. Comp. Theol. l. 7. c. 29.*

590. *Pietas, & compassio proximi maximè inter alia opera bona placet Deo.*

Composuitque oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiama, &c. Nota, quod hoc balsamo composito ex oleo, & chrismate significatur pietas, & compassio proximi: sicut enim oleum exteris liquoribus supernatat; sic & pietas super omnia opera: Chrisma significat largitatem operis externi, conservatque sanctitatem Animæ. *serm. 3. In dedicatione.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CAPUT XXXVIII.

591. *Humilitas se evacuat, ut impleatur Dei gratia.*

Fecit & Altare holocausti cavum. Cur non plenum ? quia significabat humilitatem, quæ est veluti Altare, super quod offerri debent nostra sacrificia, debetque esse concava, & inanis quoad æstimationem, ut impleatur igne dilectionis, lignis compassionis, & Victima devotionis. *opusc. Diat. sal. Tit. 7. c. 5.*

592. *Sacra Scriptura eſt lavatorium mundans Animam.*

Fecit & labrum aneum cum baſi ſua, cum ſpeculis mulierum, &c. Nota, quod per hoc lavaturium ſignificatur Sacra Scriptura, cujus lectio mundat Animam, & maculas tergit. *op.Diat.ſal.Tit.7.c.5.*

593. *Sacra Scriptura eſt ſpeculum.*

Fecit & labrum cum ſpeculis mulierum. Quarè cum ſpeculis fecit hoc labrum? quia cum Sacra Scriptura ſignificetur in hoc lavatorio, datur intelligi, quod ipſa eſt veluti ſpeculum, quod maculas oſtendit. *op.Diat.ſal.tit.7.c.5.& ſerm.2.Hexaem.* Et ſicut ex multis ſpeculis fit multiplicatio radiorum, ſic ſapientia perfecta conſurgit ex multis myſteriis Sacræ Scripturæ. *ſerm.2.Hexaem.*

594. *Lachrymæ contritionis mundant animam.*

Fecit & labrum aneum. Quod ſignificabat eor plenum profluvio lachrymarum, quibus Animæ lavantur. *In Ioan.c.5.v.4.*

CAPVT XXXIX.

595. *Duodecim articuli fidei ornant veſtem Eccleſiæ, ipſamque ſtabilitate fundant.*

In duodecim lapidibus erant ſcripta duodecim nomina Tribuum, &c. Iſti lapides ſunt duodecim articuli fidei, ſuper quos fundatur ſtabiliter Eccleſia: hi debent portari in pectore, ſcilicet in corde, & in humeris, ideſt in operatione: portabanturque in humeris, quia auxilio, & ductu articulorum fidei, facilius portantur onera, & labores hujus vitæ. *ſerm.1.In Pentec.*

596. *Sancti ſunt ſepes Eccleſiæ, & ſtabilitas eius.*

In duodecim lapidibus, &c. Nota, quod Sancti Angeli ſunt ſepes Eccleſiæ ipſam cuſtodiendo; Sancti verò ſunt muti ex lapidibus eam ſtabilientes. *In Luc.c.10.v.9.*

597. *Charitas eſt veſtis inconſutilis, ob idque indiviſa.*

Fecerunt & Tunicas byſſinas opere textili. Nota, quod per iſtas Tunicas ſignificatur veſtis charitatis, quæ eſt indiviſa, contexta non opere humano, ſed divino ex charitate Dei, & proximi. *In Ioan. c.19.v.24.*

CAPUT XL.

598. *Gloria & majeſtas Domini oſtenditur in nube.*

Poſtquam omnia perfecta ſunt, &c. nube operiente omnia. Cur nube voluit Dominus operire Tabernaculum, &c. Ad oſtendendam majeſtatem ſuam: Sic & in Transfiguratione facta eſt nubes lucida. *In Luc.c.9.v.34.*



LIBRI



LIBRI LEVITICI
PROLOGUS.

PRIMÒ notandum, quod cum in Levitico contineatur varietas Sacrificiorum, ista erant ordinata ad præmonstrandum, quod in fine temporum, unum verum sacrificium offerendum erat in Christo, qui est verus Agnus, Aries, & Vitulus. *op. Principium Sacræ Script. & serm. 14. Hexaemer.*

CAPUT I.

1. *Christus Vitulus Saginatus oblatus pro nobis.*

Immolabisque vitulum coram Domino, fundentque Filij Aaron Sanguinem per circuitum: Nota iste Vitulus fuit figura Jesu Christi pro nobis occisus, & oblatus, manducandos à nobis in Altaris Sacramento: Vitulus saginatus, quia omnibus bonis est repletus, & suavissimus ad spiritualem cibum. *In Luc. c. 1. vers. 23.*

2. *Christus Agnus nobis exhibet suum sanguinem.*

Masculum absque macula agnum offeret fundens Sanguinē per circuitum super Altare. Iste Agnus est Christus, cujus Sanguis super Altare Crucis fusus est, per circuitum scilicet de manibus, pedibus, & latere: tu autem ô homo funde quotidie hunc Sanguinem super altare cordis, per circuitum, cogitando devotè, pensando attente: membra agni veri in Cruce divisa sunt, non abscissione, sed quadrifica extensione: sunt etiam super ligna Crucis imposita, & non defuit ipsi ardor ipsum cogens mortem pati pro nobis reconciliandis Patri per suavissimum odorem passionis ejus. *serm. 3. Dom. post Advent.*

CAPUT II.

3. *Effectus, & plura mirabilia Eucharistiæ enarrantur figurata in oblatione similæ, olei &c.*

Sacerdos tollet pugillum plenum similæ, & olei ac totum thus, & ponet memoriale super Altare in odorem suavissimum Domino &c. Ad quid tot ingredientia in hac oblatione? Nota hoc fuit figura Sacramenti Eucharistici; est enim memoriale perpetuum: simila significat carnem Christi; sicut enim simila caret furfure, sic caro Christi mundissima: per oleum gratia animæ Christi: & per thus divinitatis latria, & honor significatur, per similam ergo carpimus propitiationem contrà culpam, sustentationem per gratiam, & promotionem ad gloriam. *ser. 4. in can. Domini.*

4. *In sacrificio panis Eucharistici est memoriale passionis Christi expressum.*

Offeres sacrificium coctum in clibano, scilicet panes absque fermento conspersos oleo &c. In hoc sacrificio figurabat memoriale perfectissimum, quod repræsentatur in oblatione Eucharistiæ Passionis Christi: nam sicut simila est farina de grano triturato, & mola attrito, ex qua fit panis coctus in clibano: sic Christus fuit granum trituratum in flagellatione; contritus in mola Crucis; missus in Clibanum sepulcri quoad corpus, & inferni quoad animam; quod Sacrificium de clibano debuit esse, sine fermento, scilicet culpæ, & ignorantiæ, oleoque conspersum; scilicet gratiæ. *serm. 4. in Can. Domini.* Vide igitur, quàm sanctum panem, & immaculatum sacrificium Christus pro nobis in Cruce obtulit: oh mira bonitas Domini Jesu.

5. *Eucharistia est panis coctus in clibano uteri Virginalis.*

Offeres sacrificium coctum in clibano &c. Cur voluit Deus in oblatione panem coctum in clibano? Hoc sacrificium figurabat oblationem panis Eucharistici; qui fuit in clibano uteri virginalis formatus, & igne Spiritus Sancti coctus, & exhibitus mundo dicitur descendisse à Cælo. *in Psal. 53. & 538. & 40.*

6. *Christus panis oblatus in sartagine, & Craticula.*

Si oblatio tua fuerit de sartagine, vel de craticula. Hic est Christus, qui in sartagine positus, scili-

cet in Cruce expoſitus, ut panis: in craticula verò eſt idem Chriſtus in morte: ſicut enim in craticula tranſit per foramina, ſic Chriſtus de morte tranſivit ad vitam. *Pſalm.* 53. vel panis in ſartagine eſt Chriſtus in paſſione: in craticula in Cruce. *Pſ.* 138.

7. *Sacra Scripturæ præcipui ſenſus enarrãtur.*

Fiat oblatio de pane in clibano, in ſartagine, & in Craticula. Hic panis eſt ſacra Scriptura, qui in clibano proponitur in hiſtoria abditus, ut in clibano: in ſartagine verò proponitur moraliter, & in craticula allegoricè. *Pſal.* 40.

8. *Oblatio quælibet eſt grata Deo, ſi ſit ſine fermento hypocriſis.*

Omnis oblatio quæ offertur Domino abſque fermento fiet, &c. Nota quod ut oblatio tua ſit Deo grata debet eſſe immunis à fermento, ſcilicet hypocriſis, quæ conſiſtit in fraudulentia doctrinæ, & malitia vitæ, quæ debet elongari à devotione ſpirituali à prædicatione verbi Dei: ſicut enim fermentum inflat, & inflando vanum facit, & diſponit ad corruptionem; ſic ſuperbia inflando introducit, & hinc inundare facit hypocriſim corrumpentem animam. *in Luc. c.* 5 2. *v.* 1.

9. *Sacrificium offerendum in odorem ſuavitatis, & vitæ, & non mortis.*

Adolebit ſuper Altare in odorem ſuavitatis. Nota quod omnia Sacrificia debent offerri Domino in odorem vitæ, ſcilicet cum gratia, & non in odorem mortis. *Pſal.* 44.

10. *Sacrificia noſtra debent offerri, cum ſale ſapientiæ, & diſcretionis, & bonæ converſationis.*

Quicquid obtuleris, ſale condies. Cur cum ſale? quia ſal ſignificat ſapientiam, & bonum exemplũ; cum ſale igitur debẽt offerri Sacrificia, ſcilicet cum exemplo, & verbo, & ſapientia cœleſti. *Luc. c.* 14. *v.* 34. Id autem conſiſtit in hoc, quod nec ad dexteram per nimium laborem, nec ad ſiniſtram, per nimium teporem, à via regia declines. *op. de prof. religioſ. l.* 2. *cap.* 1.

CAPUT III.

11. *Deus exigit in omni oblatione interiorem ſapientiam.*

Omnis adeps erit Domini. Ad quid Deus volebat adipem? quia adeps, erat pinguedo interior; ſic in oblationibus exigit præcipuè partem, ſapientiamque interiorem, lætitiam cordis, immunemque à ſuperbia. *Pſal.* 62.

CAPUT IV.

12. *Ignorantia eſt propria hominis, quæ intervenit in omni peccato.*

Anima, quæ peccaverit ex ignorantia, &c. Nota quod hoc dicitur peccatum animæ, quia eſt proprium hominis, non Diaboli; qui peccat ex malitia; homo verò ex ignorantia, quæ aliqualiter intervenit in quocunque peccato.

13. *Peccator effertur de culpa ad gratiam, per Rectores, per doctores, & orationes bonorum.*

Vitulum autem efferet ſacerdos extrà caſtra; atque comburet. Cur vult Deus ut vitulus efferretur extra caſtra, & poſtea in ſacrificio combureretur? Nota hic ſignificari liberationem peccatoris à culpa; à qua liberatur per Rectores, per doctores, & per orationes ſanctorum, debetque ſeparari de mundi malitia, ac malorum ſocietate, effetturque, ut per martyrium, vel pœnitentiam immoletur in Altari fidei, & comburatur igne Contritionis, vel amoris. *ſer.* 1. *Dom.* 15. *poſt Pentec.*

14 *Oratio fuſa pro alijs placet ſummopere Deo.*

Rogabit pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Vide quomodò Deus non eſt contentus, ut peccator pro ſe ipſo offerat ſacrificium, ad remiſſionem ſuorum peccatorum obtinendam, ſed etiam vult ut ſacerdos pro eo fundat preces ad Deũ: Valet enim homini aliena oratio, ſi adſit ipſi aliena contritio nempe devotio, & dolor reſpondens devotioni, & dolori orantis. *ſerm.* 3. *Dom.* 21. *poſt Pent.* Hic etiam nota, quod præfigurata eſt poteſtas Apoſtolica, quam poſtea tradidit Chriſtus Apoſtolis ad ſolvenda peccata. *In Luc. c.* 7. *v.* 10.

CAPUT V.

15. *Circumciſio membrorum noſtrorum eſt neceſſaria ad obtinendam munditiam cordis.*

Anima, quæ tetigerit mortuum immunda erit. Ergone anima, & non potius corpus, poteſt tangere corpus mortuum? ſenſus tactus eſt corporis, non animæ? ſed nota quod dicit, anima, nempè partem pro toto, quia enim omnes ſenſus vigent virtute animæ, quæ eſt tota in toto, & in qualibet parte; ideò dicit, *anima quæ tetigerit, &c.* ut pateat quod cum anima moveat omnes ſenſus debemus eam circumcidere in ſenſibus ne tangat quid mortuum: ſcilicet viſum pudicitia, auditum caſtimonia, olfactum modeſtia, guſtum temperantia, tactum caſtimonia; ſic enim caro noſtra erit munda. *Pſal.* 85. *Deus conſulit paupertati hominum.*

16. *Quod ſi non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Vide quomodò Deus etiam vult ſacrificium à pauperibus ſed proportionatum ipſorum ſtatui: ideò conſulit, & compatitur eorum paupertati. *In Luc. cap.* 2. *v.* 14. *& in Ioan. c.* 12. *v.* 14.

17. *Deus vult gemitum interiorem, maximè ab activis, & contemplativis.*

Quod ſi non, &c. duos pullos, &c. Cur bina animalia erunt aut turtures? quia à ſervientibus Deo vult duplicem gemitum turturis, ſcilicet amoris, & devotionis, maximèque à contemplativis; qui gemitus ſignificatur in turture, vult & gemitum geminatum columbæ, ſcilicet pro peccatis proprijs, & pro alienis; competitque maximè activis. *in Luc. cap.* 2. *v.* 24.

CAPUT VI.

18. *Quod vi extorquerit aliquis, est rapina, & obligat ad restitutionem.*

Anima, qua vi extorserit, convicta delicti reddet que extorsit &c. Hic prohibetur rapina quævis tenendo, vel adulando, vel violentis precibus extorquendo ab aliquo servitium, vel aliquod temporale. *op. spec. anima c. 2.*

19. *Ignis amoris Dei debet semper ardere in corde nostro: accenditurque & conservatur memoria Passionis Cristi.*

Ignis autem in Altari meo semper ardebit; quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto, adolebit desuper adeps pacificorum. Nota quod hoc intelligi debet spiritualiter nobis dictatum: unde advertendum, quod hoc Altare est cor nostrum; ligna sunt Dei beneficia, sunt & Christi naturalia in morte pro nobis tradita, & per ipsa alia, scilicet sacramentalia, spiritualia, redemptionalia, & æterna, quæ Sacerdos Christus, per singulos dies subjicit, dum quotidie beneficia nobis expendit, vel impensa, vel impendenda ad mentem nobis reducit: Hæc ergo ligna sunt, hi sunt carbones vivi, quibus cor nostrum ardere debet, per dilectionem, & fumare per contritionem. *ser. 2. fer. 2. Pascha & in Luc. c. 12. v. 9.*

20. *Fervor ignis gratiæ Spiritus Sancti in ara cordis nostri conservatur cinere humilitatis.*

Ignis in altari meo semper ardebit &c. Ara Dei est cor fidele; ignis est fervor gratiæ Spiritus Sancti: Hic ignis in hoc altari semper conservatur cum cinere scilicet humilitatis: Homo enim quantò plùs ad Deum accedit, tantò plùs infirmitatem propriam cognoscit: Contrà autem verò delinquit, qui contrà conscientiam agit &c. *fer. 2. in die cinerum.*

21. *Amor Dei est ignis, qui semper ardet.*

Ignis in altari meo ardebit. &c. Nota quod ignis secundùm naturam suam semper ardens est: sic & amor Dei semper ardet, & nunquam extinguitur. O Deus meus accende in me tuum ignem! *ser. 1. in vigil. Nativ.*

22. *Christi Passionis meditatione accenditur, & fovetur ignis divini amoris.*

Ignis in altari meo &c. Nota altare est cor: Sacerdos Spiritus, ligna sunt pœnæ, passio, & Crux Christi; sicut igitur ignis appositione lignorum augetur, & conservatur, nè deficiat; sic & nos ardorem ignis Spiritus Sancti, lignis Crucis Christi, ejusque passionis, per jugem, & devotam meditationem conservare, & nutrire debemus. *fer. 4. & 5. in Pentecoste.* Debes igitur ô anima singulis diebus nutrire ignem devotionis, in cordis Altari per ligna Crucis, & memoriam passionis Christi *op. de perfectione vitæ. c. 6.*

23. *Per exempla Sanctorum conservatur ignis Spiritus Sancti in corde.*

Ignis in Altari meo. &c. Hic ignis est amor Dei: Hic in corde semper ardebit, si exempla Sanctorum, tanquam ligna subjiciemus, ea meditando. *fer. 5. in die Pentecostes.*

24. *Ignis amoris Dei accenditur, per receptionem gratiæ, conservaturque bonis operibus.*

Ignis in altari meo &c. Nota quod iste ignis, est amor Spiritus Sancti; qui gratia divina inflammatur conservaturque, & nutritur lignis bonorum operum. *ser. 1. de Sancto Laurentio.* Nota tamen quod nutriri debet non paleis, sed lignis; scilicet non vanitate, sed operibus solidis: Item & lignis siccis, non madefactis; scilicet non operibus carnalibus, vel fluidis, sed ab omni humore malo siccatis; est igitur viris spiritualibus hoc igne ardentibus fortiter operandum, quia amor Dei non est otiosus: operatur autem magna si est; si autem operari renuit, amor non est. *ser. 2. de Sancto Laurentio.*

25. *Ignis amoris Dei, & devotionis nutritur in corde lignis divinæ laudis.*

Ignis in Altari meo semper ardebit &c. Nota; quod iste ignis est devotio in Deum: hic ignis in corde conservatur, & ardet semper, si vir devotus, tamquam bonus Sacerdos subjicit ligna divinæ laudis. *op. de sex alis seraph. c. 8.*

26. *Oratione accenditur, & fovetur ignis devotionis in altari cordis: traditurque modus orandi.*

Ignis in Altari meo semper ardebit &c. Audi ô Sacerdos scilicet sacris exercitiis spiritualibus deditus, cum deprehenderis ignem devotionis per negligentiam in altari cordis tepuisse manè; scilicet appatente prima lucis cognitione, subjice ligna orationis, & si capis scire in qua sylva invenire possis ligna hic necessaria: ecce ante oculos tuos magnam sylvam: scilicet occasiones tibi continuè occurrentes: magna quidem sylva, & abundè ligna supplicationum ministrans, sunt peccata propria quotidiana; & antiqua: magna sylva negligentiæ nostræ, & miseriæ, & defectus vitiorum, & gratiarum, & vitia tam spiritualia, quàm carnalia, & tentationes, & varij eventus, quibus pulsamur, & incommoda, quæ patimur, vel timemus; vel pro quibus dolemus, non tam pro nobis; quàm pro aliis: magnæ sylvæ sunt omnia, quæ desideramus habere, pro quibus omnibus oramus, ut impetremus; similiter omnia beneficia collata; pro quibus agere gratias debemus, item pro defunctis orare; ut à peccatis solvantur, & pro gloria Beatorum Deum collaudare magnam materiam, quasi perpetuus ignis nutrimenta ministrat, quo superpositi operis holocaustum reddat odorem suavitatis. *op. de perf. relig. l. 2. c. 69.*

27. *Ignis amoris Dei quomodo ſemper poſſit conſervari accenſus.*

Ignis in Altari meo ſemper ardebit &c. Nota, quod ſemper debet eſſe accenſus iſte ignis; ſemper enim debet mens Deo dedita, per aliquam piam occaſionem ſe aſſuefacere ad Deum erigere, orando, ſupplicando, gratias agendo, laudando pro omnibus cauſis in omni tempore offerentibus; ſicque verificatur illud Chriſti; *Oportet ſemper orare, & numquam deficere. Luc. c. 18.* & aliud Apoſtoli monitum 1. *Theſ. c. 5. ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, & in Pſal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore. op. de prof. religioſ. l. 2. c. 69.*

28. *Ad Sacerdotes, & Religioſos potiſſimum ſpectat conſervare ignem charitatis in corde.*

Ignis in altari meo ardebit &c. Nota, quod hoc præceptum datum fuit Sacerdotibus, ut addiſcerent Sacerdotes, & Religioſi, qui veluti Seraphim igniti ſunt Deo viciniores, quoad officium ſuum, tales etiam debent eſſe, per contemplationem, & laudis continuationem ſicut Seraphim clamant ſemper alter, ad alterum, Sanctus, Sanctus &c. & propter charitatis intenſionem, cujus exceſſus, & incenſio plus exigitur in ipſis, quàm in aliis, præſertim cum ſint ipſi Altare Domini, in quorum corde, & corpore juge Sacrificium Domino immolatur, & ideo ignis in hoc altari eſt continuè accendendus. *op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 2.*

CAPUT VII.

Meditatio Paſſionis Chriſti proponitur.

Sanguis Victima per gyrum Altaris fundetur &c. Hic eſt Sanguis Chriſti. *Vide ſuprà ad cap. 1. num. 2.*

CAPUT VIII.

29. *Veritas, & Doctrina ſunt cingulum reſtringens animam, ne effluat, in varias curioſitates.*

Aſtringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina, & veritas. Hæc erat ſingularis cæremonia Sacerdotis, dum ad Altare miniſtrabat; per quod ſignificatur, quod veritas, & Doctrina in Sacerdotibus, ita conſtringit animam, ne in varias curioſitates diſfluere poſſit: hocque maxime ſpectat ad Sacerdotem, qui debet eſſe adſtrictus cingulo pœnitentiæ, diſciplinæ, authoritatis, & potentiæ, & caſtitatis virtute; item & patientiæ, & fortitudinis. *in Ioan. c. 21. v. 19.*

30. *Ambitio, & Contentiones diſſipant legem Dei.*

Moyſes unxit caput Aaron, & conſecravit &c. Scilicet in ſummum Sacerdotem. Nota igitur, quid facit Ambitio, & contentio: nam cum ex juſſu Dei, unus ſummus Sacerdos deberet eſſe inter Judæos; poſtea ob contentiones ortas ex ambitione, conſtitutum fuit, ut plures eſſent, ut patet in tempore Chriſti. *in Ioan. c. 11. v. 51.* Hinc patet, quod propter ambitionem veniunt Schiſmata in Eccleſia.

CAPUT IX.

31. *Ignis Spiritus Sancti devorat quod eſt imperfectum in anima, & transformat eam in ignem cæleſtem.*

Ignis egreſſus à Domino, devoravit holocauſtum &c. Nota, quod fuit hoc figura adventus Spiritus in Apoſtolos in die Pentecoſtes, & in animas Sanctas: Ignis enim Spiritus Sancti devorat quicquid eſt imperfectionis in anima, & eam transformat in naturam igneam, & cæleſtem. *op. Eccleſ. Hierarch. &c. p. 4. c. 2.* Hinc Sancta Eccleſia ad hunc finem orat dicens; *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium &c.*

CAPUT X.

32. *Irreverentia Templi graviter punitur à Domino.*

Adab, & Abiu filij Aaron offerentes ignem alienum, occiſi ſunt igne egreſſo à Deo. Cur mulctantur iſti Sacerdotes? quia cum ille locus ſacer erat locus maximæ reverentiæ, unde ob loci irreverentiam interfecti ſunt à Domino *in Luc. c. 1. v. 11.* Diſce igitur quali reverentia adſtare debeas in loco Sacro.

33. *Offerens Sacrificium, debet continere in corde ignem non alienum, ſcilicet charitatem.*

Interfecti ſunt ab igne egreſſo à Domino. Cur interfecti ſunt hi duo Sacerdotes? quia obtulerunt Sacrificium cum igne alieno, ſcilicet cum cupiditate in corde: Offeramus igitur Sacrificium in altari cordis igniti per charitatem, ob quam Sacrificium eſt Deo chariſſimum, abijciamus ignem alienum, ſcilicet cupiditatem, ne pereamus cum his Sacerdotibus. *Pſalm. 137.*

34. *Sacerdotum munus eſt eſſe Sanctos &c.*

Sanctificabor que in ijs, qui appropinquant mihi &c. Nota, quod hic loquitur de Sacerdotibus, qui debent eſſe Sancti, & ſuper alios ſervare legem Dei, maximè quoad compaſſionem proximi. *In Luc. c. 10. v. 31. & cap. 1. v. 11.*

35. *Chriſtus Sanctificando animam, ipſam ignitam reddit igne cæleſti.*

Sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi &c. Quid eſt hæc Sanctificatio? hæc eſt à Chriſto infundente ignem ſuum. gratiæ, ignitos reddi ipſum

ipsum recipientes. *op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 6.*

36. *Vini abstinentia suadetur ex consilio.*

Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui. Hoc præcepit Deus Aaroni, & filiis suis: ergone hoc vetitum est Sacerdotibus novæ legis? Nequaquam, sed tantum ex consilio hoc traditur; significaturque quod vini abstinentia, & temperantia valde ad perfectionem conducit. *op. apol. paup. resp. 1. c. 1.* datur etiam intelligi, quod debet vas Deo mancipatum cælestique gratiæ, à sæculi illecebris abstinere. *in Luc. c. 1. v. 15.*

37. *Ebrietas damnabilis est, maxime in Sacerdotibus.*

Vinum, & omne quod inebriare potest &c. Vide quàm exosa sit Deo ebrietas, maximè in Sacerdotibus, cum omnem occasionem per hanc prohibitionem ab ipsis Deus auferat. Ebrietas autem habet plures gradus: prima est cum aliquali obnubilatione rationis, secunda est per organorum cordis aggravationem; tertia est per subversionem rationis, & membrorum ligationem, & hæc est pessima Deo exosa. *in Ioan. c. 2. v. 10. &c.*



CAPUT XI.

38. *Accedens ad mensam verbi Divini, vel Panis Eucharistici debet prius sumere spiritualiter, & manducare talem cibum per meditationem, & considerationem.*

Animal quod non ruminat immundum erit &c. Cur immundum? quia significat, qui sint indigni ad accessum mensæ cælestis: scilicet qui non ruminat verbum Dei, vel mysteria mannæ cælestis per considerationem Sanctorum mysteriorum. *in Luc. c. 14. v. 8.* Hinc ergo omnia mala in mundo, quia fidē habentes, non recogitant corde ejus mysteria.

39. *Lex Dei meditanda, ut observetur, item & Sacra Scriptura, ut intelligatur.*

Animal quod non ruminat &c. Quid ergo debet ruminare? Hic est homo fidelis, qui debet, ut sit mundus, legem Dei, & Sacram Scripturam masticando ruminare per considerationem. *Psal. 138.* Unde legitur de Maria Virgine, quod conservabat omnia verba Christi conferens in corde. *sap. cap. 8.*

40. *Non sufficit audire verbum Dei prædicatum, nisi meditando ruminetur, & quæ meliora, & tibi necessaria retineantur.*

Animal quod non ruminat immundum erit. Si Verbum Dei est cibus animæ valens ad omne bonum, ad quid additur hæc ruminatio? nonnè sufficit ipsum audire? Nequaquam, frustra enim verbum Dei auditur, frustra hic cibus, & panis animæ sumitur manducandus, nisi mente teneatur; sæpius ruminetur, & vivaci intelligentia cogitetur. spiritualiter igitur debes ô anima verba Dei ruminare, & præcepta mente servare: sic enim parum valet scholari, si ad scholas primus vadat, & magistri verba aure percipiat, si nihil ex auditis retineatur: ergo ad exemplum formicæ, quæ inter grana hordeacea solùm frumentum eligit, ea colligit, & conservat; debes ad prædicationis auditum meliora eligere; & in memoria ad perpetuam dulcedinem retinere. *serm. 2. de uno S. Doctore a. 4.*

41. *Contritio in corde debet servari, ad conservandam animam mundam.*

Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat comedetis. Ad quid quærit Deus animalia habentia ungulas scissas? & quarè hæc, & non alia eligit inter munda? Ut scias quod, qui inter munda, & electa membra vult adnumerari, debet corda per contritionem pro malè gestis scissa, & divisa portare. *ser. 2. de uno S. Doctore.*

42. *Contemplatio evehit hominem in altum.*

Omne quod habet pinnulas, & squamas comedetis. Cur concedit Deus de piscibus, solùm habentibus pinnulas, & squamas? Nota quod hoc discrimen est inter volucres, & pisces, quod illi volare liberè possunt in altum: pisces autem, qui habent pinnulas, & squamas, solum per vices super aquas saltibus levantur: sic in contemplatione Angeli liberè volant sursum; at homines corpore aggravante, solùm saltibus elevantur; sed posteà corpore aggravante citò coguntur relabi: isti autem non possunt tam libere volare in altum, ut Angeli; tamen etiam à Deo admittuntur inter mundos, & sibi charos. *In thren. prol. a. 1.*

43. *Vera contritio datur salientibus in altum per contemplationem.*

Quidquid ambulat super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram comedere debetis. Nota, quod ista habentia crura longiora retrò, ut sunt bruchus, locusta &c. ita saltant, quod videntur volare super terrā; significantque homines, qui licèt sint aggravati corpore, in altum elevantur, per contemplationē utique suoi mundi & accepti, & à Deo visitati per dulcedinem cœlestem. *In thren. prolog.*

44. *Conversans debitè cum Deo, à Deo ipso sanctificationem acquirit.*

Sancti estote, quia ego Sanctus sum. Sed quæ connexio est inter hæc verba? Si Deus est Sanctus, quomodò hinc infertur Sanctitas in homine? Sed nota, quod hæc verba dicta sunt à Deo Sacerdotibus principaliter, & quia isti continuò conversantur cum Deo; conversatio autem familiaris facit imprimere mores, & qualitates unius in altero; hinc ex tali conversatione vult Deus, ut Sanctificationem accipiant ad similitudinem Dei. *In sap. c. 17. in principio & in Luc. c. 1. v. 75.* His ergo potest dici cum Sancto Sanctus eris, & cum iniquo iniquus.



CAPUT XII.

45. Ad mundandam animam debet offerri par turturum & columbarum. *Vide ſuprà cap. 5.*

46. *Oratio, cum innocentia, vel pœnitentia, continentiaque mundat animam, ſummèque Deo placet.*

Orabit pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur. Nota, quod oblatione agni, vel columbarum, vel turturum facta à Sacerdote, mundabatur mulier: Per quod debet intelligi, quod Oratio, cum agni innocentia, vel cum pœnitentia columbæ gementis, & cum continentia turturis virtuoſa eſt ad mundandam animam *fer. 2. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*



CAPUT XIII.

47. *Præceptum Confeſſionis præfiguratum in veteri teſtamento.*

Plaga lepra, ſi fuerit in homine adducetur ad Sacerdotem. Nota quod Deus impoſuit, ut Sacerdos legis veteris, judicaret inter lepram, & lepram; quod eſt mirum: nam hoc officium ſpectat ad medicos, non ad Sacerdotes; Cur ergo hoc onus Sacerdoti imponit? quia per lepram ſignificantur peccata mortalia: Voluit igitur hic præfigurare Deus præceptum confeſſionis auricularis; licèt enim Deus mundet per interiorem contritionem, nihilominùs ligat ad ſacramentalem confeſſionem: in quo facto ſicut & Chriſtus præcepit illi leproſo ab ipſo mundato, ut oſtenderet ſe Sacerdoti; datur intelligi, quod officium Sacerdotale, eſt omnibus venerandum, & ad curationem peccatorum neceſſarium, & quod ad Sacerdotes ſpectat diſcernere inter lepram, & lepram, ſcilicet inter peccatum, & peccatum. *in Luc. c. 5. v. 14.*

48. *Conjux leproſus poteſt petere debitum, & alter tenetur reddere non verò ſemper cohabitare.*

Omni tempore quo Leproſus eſt, ſolus habitabit extrà caſtra. Ex hac lege videtur, quod ſi maritus, verbi gratia, ſit leproſus, debet omninò ſeparari ab uxore, nec ipſa teneatur reddere debitum petenti: Attamen reſpondetur, quod cum mutuò ſint matrimonio obligati, tenetur mulier reddere debitum petenti conjugi, ob periculum incontinentiæ, cum non habeat poteſtatem ſuprà corpus ſuum, non tamen tenetur ſemper cum eo cohabitare. *l. 10. d. 32. a. 2. quæſt. 5.*

49. *Superbia eſt vitium lepra ſpiritualis.*

Omni tempore quo leproſus &c. Nota quod ſpiritualiter lepra ſignificat vitium ſuperbiæ: lepra enim tumeſcere facit carnem, item ejicitur ab hominibus, & cum horrore videtur; ſic & ſuperbia tumidam animam facit, redditque hominem alijs exoſum; & id patet quia cum horrore converſationem habent alij cum ſuperbo. *ſer. 1. in Paraſcen. & ſer. 1. in Dom. 3. poſt oct. Epiphan.*

50. *Peccatum Luxuria eſt lepra ſpiritualis fædans animam.*

Omni tempore quo leproſus &c. Nota, quod ſicut lepra gignitur ex abundantia malorum humorum, eſtque horribile malum deformans hominem: ſic luxuria gignitur ex abundantia malarum cogitationum, & deformem animam reddit exoſam Deo, & Angelis. *ſer. 1. Dom. 3. poſt oct. Epiphan. & ſer. 1. Dom. 4. & ſer. 4. Dom. 16. poſt Pentec.*

51. *Lepra ſpiritualis quomodò contrahatur, corde, ore, & ſocietate malorum.*

Omni tempore quo leproſus &c. Nota, quod lepra contrahitur multis modis; ſic & lepra ſpiritualis contrahitur corde, ore, opere, & converſatione. Corde ſcilicet voluntate mala: Ore ſcilicet doctrinis hæreticis, perjuriis, detractionibus, mendaciis, & malis conſiliis; opere ſcilicet cupiditatis, & avaritiæ conſuetudine, & converſatione malorum. *ſer. 1. Dom. 13. poſt Pentec.*

52. *Habens veſtem peccati à Sanctorum converſatione ejicitur à Deo: habens veſtem nuptialem admittitur ad nuptias cæli.*

Veſtis leproſa flammis comburatur. Nota, quod duplex eſt veſtis, alia bonæ vitæ, alia malæ vitæ: prima eſt veſtis nuptialis, qua homo introducitur ad menſam cæli; alia eſt veſtis leproſorum, ſcilicet malæ vitæ, & exemplorum pravorum, qua homo excluditur à ſocietate ſanctorum, & traditur flammis infernalibus, ut comburatur. *ſerm. 3. Dom. 19. poſt Pentec. & ſer. 1. Dom. 13. poſt Pentec.*

53. *Oris cuſtodia neceſſaria ad munditiam animæ.*

Leproſus habeat os veſte contectum. Quarè hoc? quia alitu alios corrumpat; ſpiritualiter verò ſignificatur, quod corrumpunt mores colloquia mala: mores inquam proprios, & aliorum fætido anhelitu. *ſer. 1. Dom. 13. poſt Pentec.*



CAPUT XIV.

54. *Sacerdotibus data eſt virtus à Chriſto ſanandi à lepra peccati.*

Leproſus adducetur ad ſacerdotes. Cur ad Sacerdotes, & non potiùs ad medicos? quià ad Sacerdotes ſpectat lepræ ſpiritualis Iudiciũ; ad ipſos enim competit curatio omnium peccatorum: ex quo apparet efficacia confeſſionis curantis omnem morbum: apparet & dignitas ſacerdotalis, quam qui contemnit ſanari non poteſt; apparet & mira Dei pietas, quæ omnes infirmitates occurentes curat: item & quanta debet eſſe pietas, in miniſtris Dei ad infima membra Chriſti. *in Luc. c. 17.*

cap.17.vers.13. & cap.5. vers.14.serm.1. Domin.13. post Pentec.

55. *Per Christi oblationem habetur sanitas lepræ spiritualis.*

Cum lepra fuerit mundata, offerat duos passeres vivos per se, utrumque ex passeribus immolari videbit, &c. Quarè duos passeres? per hos figurabatur Christus ob humilitatem, quia est vilior inter omnes volucres: unumque immolabitur, scilicet humanitas immolata, cui alter vivus conservabatur, scilicet divinitas. *Psal.101.& in thren.c.3.*

56. *Per plenam fidei confessionem mundatur homo à lepra peccati.*

Offerat qui mundatus est à lepra sextarium o le. Cur mensura senaria olei debebat offerri à leproso, in ejus mundatione? Nota quod per oleum significatur fidei confessio: per sextarium significatur plena fidei confessio; senarius enim numerus est primus inter numeros perfectos: requiritur ergo, quod qui vult à Deo sanitatem perfectam peccatorum, ad Deum recurrat plena fidei confessione. *l.3.d.25.a.1.q.3.ad 2.*

57. *Exercitio operum misericordiæ habetur sanitas animæ.*

Offerat sextarium olei, &c. Nota quod per oleum significatur misericordia; per sex igitur opera misericordiæ habetur plena curatio lepræ spiritualis. *serm.1.Dom.13.post Pent.*

58. *Oratio facit volare animam in cœlum.*

Cumque dimiserit passerem avolare in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur. Cur ad volatum passeris in aërem concitari vult Deus orationem Sacerdotis? quia passer est avis sagax, & significat contemplativum, qui sagaciter, & sedulò perennis orationis à curis sæcularibus sequestratus volat in altum per contemplationem, se suprà se elevando, & tunc dum dilecto suo mentis præsentiam ingerit, aliis etiam patrocinium miserationis implorat. *serm.de SS.Sim.& Iuda.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT XV.

59. *Concupiscentia inficit animam.*

Qui tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua. Nota, quod hic Deus vetat non solùm tangi mulierem patientem fluxum sanguinis; sed & lectum ejus. Cur tam rigidum præceptum fecit? quid maculæ potest contrahi, ex solo contactu lectuli? mysticè hic loquitur de carne, vel sensualitate; cujus lectus est concupiscentia, hanc prohibet tangi; quia solus tactus inficit animam: pervertit enim sensum, amorem excæcat, corpus debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal. *ser.3.Dom.18.post Pentec.*

60. *Fluxus sanguinis est immunda passio, talisque est luxuria.*

Mulier qua patitur fluxum sanguinis non in tempore suo, immunda erit. Cur immunda? primò quia hæc est immunda, & verecunda infirmitas, & cum difficultate sanabilis: Secundò quia significat luxuriam, quæ est immonda & verecunda infirmitas, redditque immundum hominem; ideò meritò comparatur stercori, & luto propter vilitatem, in quo voluitur, tanquam porcus luxuriosus. *In Luc.c.8.v.43.& ser.2.in Parasc.& op.2.& sal.t.1.c.9.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT XVI.

61. *Christus Agnus Dei tollit peccata mundi redimendo, & se immolando.*

Suscipiet Sacerdos ab universa multitudine duos hircos pro peccato, & unum in holocaustum. Cur duos hircos, & non tres? & cur unum tantùm voluit immolari, alium emitti in solitudinem? significat hoc sacrificium illud à Christo faciendum per immolationem sui, pro peccatis totius mundi, in qua immolatione humanitas fuit mortua, divinitas libera extitit. *In Ioan.collat.8.*

62. *Confessio peccatorum Sacerdoti facienda in lege nostra tantùm, non in veteri.*

Aaron offerat hircum, & tunc confiteantur peccata sua, &c. Ergone in veteri lege fuit institutum Sacramentum pœnitentiæ? minimè; Sed tantùm quædam figura data est. Tunc enim solùm oblatio hirci fiebat à Sacerdote, ei autem non fiebat revelatio peccatorum, sed Deo: At in lege Evangelica Sacerdos est mediator non solum, in offerendo; sed & in absoluendo. *lib.4. d.17. p.2. a.1. quæst.2. ad 3.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPVT XVII.

63. *Vita corporalis in sanguine est, quam debemus contemnere pro salute spirituali.*

Anima omnis carnis in sanguine est. Ergone anima est quid corporeum? minimè; Sed ibi loquitur de vita carnali, quæ in sanguine, & per sanguinem conservatur, quam præcipit Christus contemni pro vita spirituali. *in Luc.c.17.v.33.serm. S. Petri ad vincula.ser. 1. de una S. Virg.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT XVIII.

64. *Consanguinitas ex præcepto Dei impedit matrimonium.*

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius. Cur Deus prohibuit matrimonium inter consanguineos? nonne fortiori vinculo amoris consanguinei jungerentur, & meliùs cohabitarent? Sed Respondetur, quod consanguinitas in aliquo gradu matrimonium impe

impedit, & est veritum, tum ex dictamine legis naturæ, tum ex lege divina, quæ usque ad secundum gradum vetuit matrimonium, tum ex statuto Ecclesiæ. Primò enim hoc dictat lex naturæ, quia alio affectu tractandi sunt parentes, & consanguinei; alio verò affectu conjuges: Secundò hoc dictat lex divina propter honestatem: Tertiò dictat lex Ecclesiastica, quæ id vetuit, quia com matrimonium aggenerer propinquitatem, & præstet dilectionis mutuum fomentum, Ecclesia voluit, ut ad extraneos amor extenderetur. Sed cur ad duos primos gradus addidit lex Evangelica, seu Ecclesia alios duos gradus usque ad quartam generationem? Respondetur, quod hoc factum est, ob perfectionem majorem legis Evangelicæ super Mosaycam, tum quia cum consanguinitas ortum habeat ex semine, quod constat ex quatuor humoribus, hinc ad quartum gradum extendit Ecclesia impedimentum: tum etiam quia si plus ultra extenderetur, deficeret ratio fœderandi homines, & aliquando inimicos medio matrimonio, ut experientia patet. *l.4.d.40.à 1.q.2.& 3.*

65. *Cur Deus vetuit Matrimonium inter Patrem, & filiam, inter sororum, & Fratrem, &c. & neptem.*

Non discooperies turpitudinem Patris, & Matris, & Sororis, & neptis. Nota, Meritò Deus vetuit Matrimonium, inter matrem, & filium, vel inter Patrem & filiam, quia ob observantiam debitam parentibus, non etiam quia vis generationis debet procedere, non retrocedere; item inter Frattem, & sororem, & hoc propter honestatem, quæ violaretur discooperiendo turpitudinem sororis; tum quia alio affectu tractanda est soror, alio uxor. *l.4. d.40.a.1.qu.2.& d.41.a.1.quæst.3.*



CAPUT XIX.

66. *In diebus festis prohibentur solùm opera servilia corporalia: Non spiritualia.*

Sabbata mea custodite. Nota quod hæc custodia consistit in abstinentia ab operibus corporalibus servilibus; non à spiritualibus, quæ ad profectum animæ faciunt. *l.4.d.1.p.2.dub.5.*

67. *Periurium pluries prohibetur à Domino, quia est peccatum gravissimum.*

Non periurabis. Perjurium hic prohibetur denuò à Domino, quod ut duplex assertorium, & promissorium, est enim gravissimum peccatum. *In Sap.c.14. & ser.3.de decem precept.*

68. *Scandalum prabens proximo, graviter Deum offendit.*

Non pones coram cæco offendiculum, &c. Nota cæcum hic intelligi simplicem; vult igitur quod evitetur scandalum, & offendiculum proximi: id enim est auferre animas, quæ sunt Christi, & à Christo emptas. *In Luc.c.17.v.2.*

69. *Non detrahendum de aliquo, praeipuéque de Prælatis in eorum absentia.*

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, &c. Surdo quis maledicit, cum in ejus absentia, & retrò de eo murmurat, & detrahit, auferendo bonam famam, maximeque prælatorum, id enim magna perversitas; quæ præcipuè inculcanda est à Prædicatoribus. *op. Epistola. ad Provincialem, & Ecclesc.c.10.*

70. *Acceptio Personarum, & munerum acceptio in Iudicibus, & Prælatis est Deo exosa.*

Non facies quod iniquum est in Iudicio, &c. Nota quod hic prohibetur acceptio personarum, qua præfers injustè personam personæ; item & acceptio munerum in præjudicium Iustitiæ; quod maximè cavendum est à Iudicibus, Prælatis, & Confessariis. *op.Confes.c.1.p.6.*

71. *Qui deficit in correptione fratris sui, ob invidiam, vel ob cupiditatem, vel lucrum dicitur apud Deum ipsum odisse.*

Non oderis fratrem tuum, sed publicè argue eum, ne habeas super te peccatum suum. Nota qualem connexionem habet prohibitio odij, cum correctione fraterna facienda; quia qui desinit corripere proximum ob invidentiam, vel ob cupiditatem, dicitur ipsum odisse, & transgressor fit hujus legis. *In Ioan.c.15.v.21.* Vnde correptio est facienda fratri, maximè cum publicum est peccatum. *In Luc. c.17. vers.3.*

72. *Amicus debetur specialis affectio, super communem aliorum: dicitur enim hic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: sicut proximo debetur affect. o corde, & opere.*

Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Sed cur non dicit proximum, sed amicum? sed nota quod septuaginta legunt, *proximum tuum*, quia omnis proximus debet amari: sicut amicus amatur, imò sicut quia amat seipsum scilicet corde, & opere. *Luc.c.10.v.27.* Ex quibus patet quod mandatum de dilectione proximi est vetus; licèt à Christo dicatur novum; non quoad substantiam, sed quoad modum perfectiorem. *In Ioan.c.14.v.34.*

73. *Charitas est currus, quo anima vehitur in Cælum.*

Diliges amicum (vel proximum) tuum sicut te ipsum. Cur non præcipit hic amorem Dei, vel inimicorum, vel sui? Sed nota quod hic implicitè exponuntur quatuor amores, qui sunt rotæ currus ignei charitatis, quo anima vehitur in cælū: Deus est, qui præcipit, vult ipse priùs amari, proponit amorem proximi, sub quo venit amor amicorum, & inimicorum, & deinde subdit amorem sui. *ser.5. Dom.8. post Pentec.*

74. *Deus prohibet Vindictam.*

Non quæras ultionem, nec memineris iniuria, &c. Ex quo patet, quod in lege veteri etiam tenebātur homines ad dilectionem inimicorum, & prohibebatur vindicta, vel subtractio bonorum ob injuriam acceptam. *l.3.d.30.a.1.q.5.*

75. Non

75. *Non possumus servire Deo, & Diabolo simul.*

Veste quæ ex duobus texta est non indueris. Cur Deus noluit uti veste ex duabus materiis contexta? quia non vult, ut quis quætat servire Deo, simul & mammonæ, vel carni, vel Diabolo. *In Luc. c.16.v.13.* ô quot apparent induti simili veste.

76 *Prædicationis, vel alterius Ministerij publici officium debet assumi Deo vocante, tempore opportuno, & maturo.*

Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea pomifera ligna, &c. Nota hic Deum prohibere filiis Israel ne comedant de fructibus pomorum, nisi quinto anno: Cur tantum tempus exigit in collectione fructuum? sed attende quod hoc mysticè dicitur de intrantibus in terram promissionis, scilicet in Religionem, quibus non est desiderandum aliquod officium publicum, v. g. prædicationis, nec assumendum nisi Deo volente; & postquam sibi ipsis fructificaverint, vel radices virtutis fixerint. His enim assignandus est primus annus per pœnitentiam de præteritis peccatis: Secundus annus est vera conversatio in statu emendationis: tertius annus est jam bonus usus bonæ conversationis; Quartus annus est solius Dei gloriam quætere, & salutem animarum: quinto autem anno puræ ebstitatis fructus comedat, & congreget poma: Sic enim prædicatio, & alia ministeria erunt fructuosa, sibi & aliis, & sibi ipsi meritoria. *op. de institu. Novit. p. 1 c. 15.*

77. *Defraudatio in stateris prohibita, à Deo, item in Iudicio.*

Noli facere aliquid in Iudicio, in regula, in pondere, in mensura, &c. Vide quomodò offendatur Deus, à Iudicibus, & à Mercatoribus, in fraudibus quæ fiunt in Iudicio, in pondere, &c. Cave ergo ne has fraudes facias; quia licet eas non videat, qui decipitur, eas tamen videt qui decipi non potest: Cave ne domus tua injustis lucris repleatur, quia in inferno flagellaberis à Deo, & etiam in hoc mundo. *fer. 3. in die Pentec.*

CAPUT XX.

78. *Scientiæ superstitiosæ à Deo damnatæ, ut perniciosissimæ animabus.*

Anima quæ declinaverit ad magos, & ariolos, &c. Vide quomodò Deus prohibet hic omnes scientias superstitiosas, & illicitas. Vnde professores sunt à Deo, & ab Ecclesia excommunicati tam quam instrumenta Diaboli: demergent enim animas suas, & proximorum, in barathrum infernale, eò quod perquirunt auguriis, auspiciis, & profanis sacrilegiis, ea quæ sunt contraria Deo ejusque præceptis. *op. Principium Sacræ Script.*

79. *Adulterium dignum puniri morte.*

Si adulterium quis commiserit morte moriatur. Ecce qualem pœnam infligebat Deus adulteris: ut pateret quàm grave peccatum sit adulterium. *In Ioan. c. 8. v. 6. & l. 4. d. 38. dub. 5. & 8.*

80 *Tempore menstruorum quandonam liceat petere, & reddere.*

Qui coierit cum menstruata, &c. Hic Deus prohibet viro accedere ad menstruatam tempore menstruorum: Vnde non licet tunc petere, alter conjux tamen tenetur reddere: dummodo sit menstruum secundùm naturam. Si verò est præter naturam, tunc potest licitè peti, & reddi. *l. 4. d. 32. dub. 4. & a. 3. quæst. 1.*

CAPUT XXI.

81. *Lex Evangelica est benignitatis.*

Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum. Si Deus Sacerdotibus præcepit ne tangerent mortuos: Cur Christus Iesus tetigit loculum, & manum mortui? quia ejus lex erat benignitatis; lex scripta erat rigoris. *In Luc. c. 8. v. 15.*

82. *Moniales sunt dilectæ sponsæ Christi.*

Sacerdos Virginem ducat uxorem. Si hoc fuit figura eorum, quæ contingere debebant in lege Evangelica, quomodò Sacerdotes vivunt in cælibatu? Respond. quod fuit figura nuptiarum spiritualium Christi cum Virginibus ipsi dicatis, vult enim, ut puritatem, & sanctitatem colant. *In Ioan. collat. 11.*

CAPUT XXII.

83. *In casu necessitatis præcepta positiva non obligant.*

Omnis alienigena non comedat de sanctificatis, &c. Hoc fuit præceptum Domini prohibentis, ut de panibus sanctificatis solus Sacerdos comederet; & tamen David, & qui cum eo erant comederunt de iisdem: nec reprehenditur, quia tempore necessitatis similia præcepta non obligant. *In Luc. c. 6. v. 4.*

CAPUT XXIII.

84. *In diebus festis servilia opera tantùm prohibentur.*

Nullum servile opus facietis in Sabbato. Nota quod cum Dominus prohibuerit omne opus in die Sabbati; nunc se restringit ad servilis opera; ut intelligamus hæc tantùm esse à Deo prohibita in diebus festis. *In Luc. c. 13. v. 16.* Nota etiam quod id intelligendum est extra casum necessitatis. *In Luc. c. 14. v. 5.*

85. *Dies festi sunt instituti ad offerenda sacrificia Deo.*

Omne opus servile non facietis in eo; & offeretis holocaustum. Nota quod non solùm vult Deus abstinentiam ab operibus servilibus, sed etiam oblationes sacrificiorum. Sed heu multi plus Diabolo offerunt, quàm Deo in festivis diebus. *fer.2.Dom.5. post Pentecost.* multi enim in diebus ferialibus incumbunt operibus licitis, & in diebus festis operibus illicitis.

86. *In diebus festis vult Deus abstinentiam à peccatis.*

In die septimo, sabbatum est requies sancta. Quænam est hæc requies sancta? Requies sancta est cessatio à peccati injustis operibus, quod est contra illos qui à cupiditatibus, & à vanitatibus non requiescunt; melius autem esset arare, quàm saltare, idest minus malum. *fer.2.in Sabbato Sancto.*

87. *Duplex Pascha celebratur à Christianis scilicet quando Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ, & die resurrectionis.*

Quarta decima die Phase Domini, & quinta decima erit dies azimorum. Nota quod Christus in quarta decima die Lunæ mensis Martij instituit Sacramentum in azimo; eratque dies proprius Phase; & in quinta decima fuit Crucifixus, hinc patet quod primum Pascha, & verum est dies in quo institutum fuit Sacramentum corporis, & sanguinis; tunc passionis suæ sacraviteadium; cum in die sequēti fuerit captus, & ligatus; deinde post celebratur Pascha resurrectionis. *In Luc.c.22.v.7.*

88. *Verum Pascha celebratur quando fit transitus à vitiis ad virtutes.*

Quarta decima die Phase Domini est, &c. Phase scilicet transitus: tunc enim celebratur verum Pascha, quando transimus à Diabolo ad Christum, à vitiis ad virtutes, à passionibus carnis ad gratiam, & sobrietatem mentis. *In Ioan.c.13.v.1.*

89. *Contritio debet præcedere Iustificationem.*

Cum ingressi fueritis terram, &c. facietis manipulos spicarum primitias messis vestræ, &c. & post quinquaginta dies offeretis panes primitiarum, &c. Nota, quod Deus in Paschate volebat, ut offerrentur manipuli primitiarum. In Pentecoste panes. Ad significandū quod, sicut in Paschate tenebant spicas, & manibus grana confricabant, sic contritio præcedit Pentecosten, scilicet justificationem significatam in panibus, ideò Pascha præcedit Pentecosten. *Psal. 110.* Nota etiam quod Deus præcipit, ut in Paschate offerrentur spicæ, in Pentecoste Panes, & in scænopegiis, in septembri primitiæ omnium fructuum collectorum; Per quod datur intelligi, quod triplex status est in Ecclesia, scilicet pœnitentiæ, justitiæ, & status gloriæ, & hinc Ecclesia primò celebrat vigilias sanctorum; postea solemnitates, & tandem octavas. *in Psal.7.*

90. *Prima oblatio est Deo offerenda, & ante omnia ad Deum recurrendum.*

Non comedetis ex segete, usque in diem, quo offeretis ex ea Deo vestro. Vide quomodò Deus nobis consulit, ut primùm, & ante omnia ad Deum recurramus, & offeramus oblationes nostras. *fermon. 2. Dom.5. post Pentecost.* In omni igitur negotio tuo ad Deum ante omnia confuge, ut Deum propitium habeas.

91. *Festum Tabernaculorum erat in mense septembri.*

Mense septimo prima die est sabbatum. Nota hoc erat festum Tabernaculorum; faciebant enim tunc Iudæi tabernacula ad similitudinem eorum, quæ erant in deserto. *in Ioan.c.7.v.2.*

92. *Contritio Deo gratissima sanctificans animum.*

Decimo die mensis septimi erit celeberrimus, & expiationis, & vocabitur sanctus. Cur celeberrimus, & sanctus? quia primus dies in itinere hujus vitæ significat contritionem, quæ ante omnia debet præcedere: dicitur dies sanctus, quia sanctificat hominem; dicitur & expiationis, quia expellit peccatum de anima; dicitur propitiationis, quia est propitiatio contra offensam; dicitur & dies ablutionis contra reatum peccati. *ferm.2. Dom.infrà oct. Ephiph.*

93. *Solemnitas & festum spirituale per omnes dies spiritualiter est celebrandum ab anima.*

Erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino; octavus erit celeberrimus, &c. Cur voluit, ut per octo dies solēnitates principaliores celebrarentur? Nota, quod per octo dies, intelliguntur octo ætates, quarum sex sunt in decursu mundi, septima in quiete aliarum, quæ currit simul cum sexta, & non habet vesperam; octava in Resurrectione, in qua fit circumcisio ab omni culpa, & miseria: Tropologicè autem intelligitur per septem dies, virtus spiritus septiformis, & octavus est perseverantia finalis; quæ nunquam deficit: in primis tribus significatur exercitium trium virtutum Theologalium; in quatuor sequentibus exercitium cardinalium: octavus verò est celeberrimus, & sanctissimus, quia erit de transitu hujus vitæ ad gloriam supernam. *In Luc.c.2.v.21.*

94. *Fructus Vteri Virginalis deliciosissimus.*

Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, & lætabimini coram Domino. Cur ad sumptionem fructus arboris vult ut filij Israel ostendant magnā lætitiam? & quænam est ista arbor pulcherrima? Nota quod per arborem pulcherrimam significatur Maria Virgo: pulchra in foliis oris, pulchrior in floribus cordis: pulcherrima in fructu ventris pulcherrimo: fructus est deliciosus in odore, deliciosior in specie, & deliciosissimus in sapore; fide percipere possumus decorem, spe odorem, & saporem charitate. *op.spec.B.Virg.l.16.*

95. Maria

95. *Maria arbor pulcherrima pulcherrimos fructus ventris emittens & mentis.*

Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ. Maria Virgo est arbor pulcherrima ob pulcherrimos ventris fructus, sed etiam ob fructus pulcherrimos mentis, qui sunt Spiritus Sancti fructus; scilicet charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas. *op. spec. B. Virg. lect.* 16.

96 *Fructus Uteri Virginalis virtuosissimus.*

Sumetis vobis fructus arboris, &c. Vide quomodò ad sumptionem fructuum, hujus arboris instillatur lætitia, & suavitas; sic est fructus ventris M. Virginis; scilicet virtuosissimus ad perditorum salutem; ad salvandorum multiplicationem, & ad ipsorum conservationem: O verè arbor salutis B. Virgo, quæ mundo portasti fructum salutis: ô verè cœlestis planta pretiosior cunctis, sanctior universis; ô verè lignum vitæ, quod solùm fuit dignum portare salutis fructum. *op. spec. B. Virg. lect.* 16.

97. *Fructus Virginis est copiosissimus.*

Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ. Sed quid si deficiant fructus, cum ab omnibus, & tot millibus debeant percipi? Nota quod hic loquitur de fructu ventris Mariæ, qui est copiosissimus, tam copiosus, quod potest animam plenè reficere: omnibus potest sufficere, & nunquam potest deficere. *op. spec. B. Virg. lect.* 16.

98. *In hac vita peregrini corporaliter, & spiritualiter vivere debemus.*

Omnis qui de genere Israel est, manebit in Tabernaculis. Nota quod prius præcipit, ut per septem dies habitent in umbraculis, & postea indefinitè quod maneant in tabernaculis. Hoc dicitur ad nos non materialiter, sed spiritualiter: Unde vult, ut per septem dies scilicet per totum decursum hujus vitæ habitet in tabernaculis, tanquam peregrini: Sumus enim peregrini in hac vita, tum propter laborem, tum propter paupertatem, tum propter remotionem à gratia, tum propter defectum permanentiæ, non enim habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus: quia ergo viatores sumus, ideò vult Deus, ut congrua hospitia virtutum quæramus, in quibus lassi quiescamus. Bona hospitia ad quiescendum sunt charitas, misericordia, patientia, castitas, & cæteræ virtutes; hæc hospitia Deus non tibi negat, si quæris, si petis, si pulsas. *ser. 2. Dom. 3. post oct. Epiph. & in Psal.* 114. *& in Luc. c.* 9. *v.* 33.

CAPUT XXIV.

99. *Blasphemia gravissimum peccatum, & dignum morte.*

Educ Blasphemum extra castra, & lapidet eum populus, &c. Ex qualitate pœnæ infertur qualitas culpæ blasphemiæ, est enim unum ex gravioribus peccatis. *l. 3. d.* 38. *dub.* 8. Unde pluries repetit Deus hanc legem. Tribus autem modis fit blasphemia: Primò locutione maledica. Secundò locutione mendaci. Tertiò prohibita: Blasphemi igitur ex judicio divino exterminandi sunt, &c. *ser. 3. in op. de decem præcep.*

CAPUT XXV.

100. *Quarè in anno Quinquagesimo celebratur Iubileus.*

Sanctificabis annum quinquagesimum, ipse est iubileus. Hic annus à Deo fuit institutus, ut fieret remissio omnium peccatorum supra meritum; quia quinquagesimus consurgit ex septenario super seipsum replicato, addita scilicet unitate designans remissionem septiformis misericordiæ. *In Luc. c.* 16. *v.* 7. *& c.* 4. *v.* 19.

101. *Christus in Resurrectione sua per passionem aperuit nobis Iubileum.*

Sanctificabis annum quinquagesimum, &c. Nota hæc verba dicta fuerunt Christo à Patre: nam anno, quo mortuus est, & resurrexit currebat secundùm legem annus iubileus, & verè nobis tunc fuit annus Iubileus, quia cum in illo anno liberi fiebant servi, sic & nos liberati sumus de servitute peccati, & Diaboli. *Psal.* 118. *&* 50.

102. *Fructus Ventris Mariæ copiosissimus potens sufficientissimè reficere, & repellere universitatem salvandorum, in hoc & in futuro sæculo.*

Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, & faciet fructum trium annorum. Cur voluit Deus ut annus sextus esset ita fertilis, quod per tres annos sufficeret? cur hoc privilegium non tribuit cæteris annis? quia figurabat adventum, & ortum Christi ex Maria Virgine nasciturі: significabat enim sextam ætatem, in quâ venit plenitudo temporis, scilicet Christus in carne ex Maria Virgine: hic annus protulit fructum Dei filium tam copiosum, quod per ipsum anno sexto viventium, anno septimo quiescentium, & anno octavo resurgentium habemus fructus omnes animarum nostrarum, quia est fructus sufficiens universitati animarum nostrarum *op. spec. B. Virg. Luc.* 16.

CAPUT XXVI.

103. *Adoratio Imaginum quanam licita, & quanam illicita.*

Non facies tibi sculptile, &c. Si non est licitum facere, & adorare sculptam imaginem, ergo nec eam adorare; & tamen in Ecclesia adoramus imagines sacras? Respond. quod prohibebantur in lege veteri non solùm idola adoranda pro Deo, sed & sculpturæ imaginum quia tunc nondum venerat Christus homo: Deus enim est omninò spiritus infigurabilis; nunc autem in lege Evangelica admittuntur, & adorantur imagines Christi, repræsentantes quæ pro nobis fecit indutus humanitate, quæque inserviunt maximè pro rudibus loco librorum. *l. 3. d. 9. a. 1. quæst. 2. ad* 1.

 104. *Imber*

104. *Imber hyemalis, scilicet amor terrenorum malos effectus in anima efficit: Imber æstivalis amor cælestium optimos effectus producit.*

Dabo pluviam vobis temporibus suis, si mandata mea custodieritis, & terra gignet fructum suum. Quid est temporibus suis? quia duplex imber, malus, & bonus: malus est extra sua tempora, scilicet hyemalis, & significat affectum terrenorum; lutum enim generat retrahens mentem à spiritualibus, & trahens deorsum ad terrena: Imber verò æstivalis, scilicet aqua sapientiæ salutaris, iter meditationis promovet, dirigit, & perficit, optimosque fructus facit. *opusc. de 7. itiner. ætern. Itin. 2. d. 7.* Datur etiam per hoc intelligi, quod si terræ advenit sterilitas ex defectu pluviarum, recurrendum est ad Deum in oratione, cum observantia præceptorum divinorum. *fer. 4. de dedicat.*

105. *Mortificatio Carnis perfecta pacem perfectam animæ, & unionem cum Deo affert.*

Dabo pacem in finibus vestris, auferam malas bestias, &c. Nota quod hæc promissio facta est spiritualiter observantibus perfectè præcepta Dei, & carnem suam mortificantibus, talibus enim conceditur à Deo libertatio à bestiis imaginationum, & motuum carnalium, & pax per quam homo levat se super se, Deoque perfectè unitur. *op. de perfect. religios. l. 2. c. 56.*

106. *Quænam ex lege veteri à nobis rejicienda, & quænam retinenda.*

Vetustissima veterum comedetis, & novis supervenientibus vetera projicite. Quid est quod vult Deus, ut vetustissima comedamus, & vetera projiciamus? Nota quod per vetustissima in lege veteri sunt ea, quæ respiciunt divinitatis doctrinam; vetera sunt promissiones adimplendæ, & nova sunt jam promissa adimpleta: vult ergo Deus, ut doctrinam de divinitate retineamus, promissiones adimplendas rejiciamus, novis scilicet adimpletis ipsis per adventum Christi. *Psal. 138.*

107. *Vetus homo exuendus, novus assumendus.*

Novis supervenientibus vetera projicietis. Quid significatur per vetera, & per nova, quia vult Deus, ut exuamus veterem hominem cum actibus suis, & induamus novum, *Psal. 77.*

108. *Charitas innovat omnia vetera.*

Novis supervenientibus vetera projicietis. Quomodò ergo vetera rejicienda, si erant bona? Nota quod Christus venit non solvere, sed adimplere legem: undè mandatum novum charitatis tradidit nobis, quia licèt esset vetus, tamen quia innovat etiam vetera dicitur novum, quia per charitatem debemus vetera projicere *in Luc. c. 5. vers. 39.* onde Perfecta charitas cum innovet omnia in homine per Christum omnia nova facta sunt, & vetera transierunt. *In Luc. c. 22. v. 17.*

109. *Anima Iusti est sedes, & Tabernaculum Dei.*

Ponam tabernaculum in medio vestri. Quid est in medio vestri, nisi cor? in hoc igitur adveniens Deus per gratiam, illud facit tabernaculum, in quo habitat Deus permanenter. *fer. 3. in dedicat.* Vide igitur, quod Deus à te solùm expetit cor tamquam locum sibi charissimum.

110. *Deus quomodò dicitur ambulare in corde Iusti quiescendo.*

Ambulaboque inter vos, &c. Ambulare est transire de loco in locum, quomodò id competere potest Deo, qui est ubique? Nota quod cum mittit prædicatores sanctos ad loca tunc dicitur Deus ambulare inter nos: Prædicator enim vices gerit Dei. *opusc. de essentia.*

111. *Transgressores legis Divinæ incidunt in multa mala.*

Si non audieritis vocem, & non feceritis omnia mandata, visitabo vos in egestate, & calore. Nota mala, quæ imminent transgressoribus legis divinæ dicit, *visitabo vos in egestate*, scilicet in privatione omnium bonorum, & calore scilicet, quia auferet affectum boni, & cognitionem veri. *fer. 1. in opusc. de decem precept.*

112. *Propter peccata immittit Deus flagella.*

Percutiam vos propter peccata vestra. Vide quomodò peccata excitant Dei manum ad nos flagellandum, sed quid intenditur per hanc percussionem? hoc exprimit, *Deuteron. 28. percutiat te Deus egestate, & febre*; & quia febris est multiplex, scilicet ex inflammatione spirituum, & dicitur effimera; alia in corruptione humoris, & dicitur vaga; alia in corruptione humidi atum, & dicitur ethica, sic & Deus diversis flagellis, & castigationibus percutit transgressores legis divinæ, etiam permittendo, ut incidant in multiplicem febrem spiritualem vitiorum. *In Ioan. c. 4. in fine.*

113. *Deus immittit tribulationes graves peccatoribus ut resipiscant aliquando.*

Mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus gentium. Cur Deus comminatur hæc mala filiis Israel tam ab ipso dilectis? quia Deus peccatores à se aversos ad se revocat per afflictiones, ut fecit cum filio prodigo. *In Luc. c. 15. v. 16. & c. 4. v. 25.* O quàm fælix est infelicitas, & tribulatio à Deo immissa, dum errantes homines per eam in via reducit ad Deum.

114. *Per confessionem à liberamur à malo.*

Propter peccata affligentur, donec confiteantur iniquitates suas. Vide ad quid Deus immittit afflictiones, scilicet ut attrahat peccatorem ad confessionem peccatorum: ideò afflictis scilicet per infirmitates; & alias quascumque adversitates semper consulendum est in primis, ut confiteantur sincere peccata sua, sæpè enim affligeris propter peccata: Valet autem confessio non solùm contra infirmitates

tates animæ, sed etiam corporis,& præcipuè contra tentationes, desperationes, & varias animæ tristitias.*ferm.2.in rogatio.* Nota, quod hæc admonitio vertitur præcipuè ad medicos, & hoc ut cessante causa cesset flagelli effectus.*ferm. 3.Dom. 5.post Pentec.*

115. *Septem plagis corripitur peccator propter peccata.*

Septem plagis corripiam vos propter peccata vestra. Cur septem plagis?Istæ septem plagæ, enumerantur à Deo in hoc capite, septem scilicet pro operibus misericordiæ omissis, & tandem in inferno est complementum istarum pœnarum, scilicet post varias, & multas tribulationes in hac vita perpessas.*ferm.2.Dom.21.post Pentec.*

116. *Peccator fit timidus ob peccatum, timens ubi non est timor.*

Dabo pavorem in cordibus vestris. Nota hoc est una ex septem plagis comminata peccatoribus à Deo. Iudicio enim Dei multoties trepidant timore ubi non est timor: sicut enim charitas excludit timorem, sic iniquitas eum inducit, & causat. *sapient.x.17.*

117. *Peccatum facit tabescere animam.*

*Et tabescent in iniquitate sua, in terra inimicorum,&c.*Nota quod est hæc alia plaga à Deo comminata peccatoribus. Nam Peccatum tabescere facit peccatorem.*Psal.118.cap.10.v.14.& in eodem Psal.v.139.*



CAPUT XXVII.

118.*Votum Deo est solvendum, nec potest mutari propria auctoritate.*

Animal si quis voverit sanctum erit, nec mutari potest. Si hoc? ergo vota non possunt mutari de jure divino? & tamen ab Ecclesia sæpe commutantor?sed intelligendum est,quod non potest mutari propria auctoritate.*l.4.d.38.a.2.quæst.2.ad arg.* Ratio autem est quia cum per votum sim obstrictus Deo, sine eius imperio non possum retrocedere, & quia Deus mihi non alloquitur sic per ministerium eius, qui tenet eius partes potest mutari in melius sivè æquivalens justa interveniente causa.*Ecclesf.cap.5.*

119. *Charitas est pondus seu statera omnia opera nostra ponderans.*

*Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur.*Cur volebat Deus, ut statera ponderarentur ea quæ offerenda erant?imò & cætera omnia? Nota quod per hanc stateram sanctuarij figurabatur charitas: Hæc enim est mensura ad cuius pondus omnia apud Deum ponderantur.*Op.comp.Theolog.l.5.c.13.* Si ergo opera tua bona non mensurantur statera charitatis,irrita,& vana omnia erunt.

120. *A Deo ponderantur bona, & mala.*

Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur? Quid est hæc mensura sanctuarij?Nota hæc statera sanctuarij, est Christus habens misericordiam, & justitiam,& peccatum per misericordiam relaxans fit leve:Ad Christum ergo spectat discernere quænam sint bona,& mala, quinam sint boni; istique ponuntur ad dexteram, & quinam mali, qui ponuntur ad sinistram.*in Psal.118. v. 154.& ferm.3. Dom.1.post Pentec.*

121. *Quod Deo offertur consecratum censetur apud Deum.*

Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit domino. Quid est sanctum sanctorum? datur per hoc intelligi, & præfigurari Sacramentum confirmationis, in quo per manuum impositionem datur copia benedictionis divinæ. Datur etiam intelligi, quod persona Deo oblata,& consecrata, est sedes,& requies Dei. *in Luc.c.18.v.15.*

122. *Ecclesia consecrata sanctum sanctorum, est & domus Dei.*

Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum est. Quid est quod consecratum dicitur sanctum sanctorum: Id dicitur de Ecclesijs quæ sunt, & dicuntur sanctificatæ, & sanctum sanctorum propter tria: 1. quia sacris operibus mancipantur, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis decantationi; & veri sacrificij oblationi: sed heu multi faciunt illas speluncas latronum, qui scilicet vadunt ad Ecclesiam ob avaritiam, vel alium malum finem: secundò quia tunc sanctorum Angelorum custodiæ deputantur qui in ipsa adstant sicut in cœlo: tertiò quia pretiosis reliquijs sanctorum adornantur.*ferm.1.de dedicat.Templi.*

123. *Anima fidelis Deo consecrata sanctum sanctorum est domus Dei.*

Quidquid semel fuerit consecratum sanctum sanctorum est. Nota quod talis est anima Deo consecrata, sitque consecrata,& domus Dei aspersorio humilitatis, etnce pœnitentiæ, & mortificatione carnis,oleo lætitiæ spiritualis, & lumine honestæ conversationis: Hæc anima igitur sic consecrata fit domus Dei, per gratiam à Deo habitata. *ferm. 1.de dedic.Templi.*

124. *Anima quot modis sanctificatur, & fit sanctum sanctorum.*

Quidquid semel consecratum, &c. Nota quod sanctificatio fit per emundationem à peccato, per dedicationem cultui divino, & per confirmationem in bono:consecratur igitur anima per aquam baptismi,& ignè pœnitentiæ:secundò per remotionem ab actibus peccati, & per exercitium cultus Dei, &c.*ferm.3.de dedic.Templ.*



LIBRI NUMERORUM
PROLOGUS.

HIC Liber est quartus in ordine Pentateuchi, continetque totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum sacrificia mansionum mysteria: Præfigurabatque ordinem, & connexionem membrorum corporis Christi mystici subtilitate mirabili, & ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ proficientis in via, & pervenientis ad Patriam. *Op. Principium sacra Scripturæ.*

Præfigurabat etiam Christum per ritum sacrificij, per agnum, arietem, & vitulum, &c. *serm. 14 Hexaem.*

CAPUT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

1. *Tria genera Religiosorum sunt in Ecclesia, bonorum, meliorum, & optimorum.*

Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum, & filiorum Gerson, & Merari tantum, ut sient, & ministrent in tabernaculo fœderis. Cur inter tot familias Levitarum, voluit Dominus seligere tantùm istas tres, ut ministrarent in tabernaculo? Nota, quod per has tres familias, inter Levitas speciali modo deputatas cultui divino significantur tria genera Religiosorum; qui præ cæteris fidelibus in Ecclesia specialius videntur divino cultui mancipati, differentes tamen habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est eis; & secundùm studium majus, vel minus in exercitio virtutum, nam secundùm qualitatem exercitij, vel summi, vel medij, vel infimi, in hac vita præsenti habiti; etiam in gloria eos Deus coronat: Primi Religiosi sunt figurati per Gersonitas. *Op. de prof. relig. l. 1. cap. 3.*

2. *Optimi Religiosi officium, & exercitia quænam sint.*

Hic est cultus filiorum Caath: portabant ipsum sanctuarium. Scilicet arcam, & altare, & mensam propositionis cum vasis suis involuta tamen, & cooperta. Cur hoc officium designavit Dominus Caathitis: Caathitæ interpretantur patientes, vel componentes, significantque optimos Religiosos, qui student interiorem hominem suum, in quo Christus inhabitat per fidem componere, & ad veras virtutes se exercere, & vitia carnis, & spiritus extirpare; iram, invidiam aliaquè vitia expugnare, & his contrarias virtutes cordi inserere, humilitatem, charitatem, mansuetudinem, devotionem, largitatem, sobrietatem, castitatem, quæ sunt verum sanctuarium, & qui habet eas sanctus est; & sicut istis Caathis jussit Deus portare proprijs humeris onera, non sic alijs tribubus, sic & Religiosis convenit proprijs, non alienis portare pondera, & exercitia virtutum. *Op. de prof. relig. l. 1. cap. 3.*

3. *Quanam officia, & perfectiones habeant Religiosi mediocres in virtute.*

Hoc est officium simile Merarisiharum, &c. Istis Deus imposuit, ut portarent tabulas tabernaculi, & columnas, & vectes, & illa maximè, quæ dura erant, & media inter cortinas, & sanctuarium: Per istos significantur Religiosi, mediæ, & mediocris bonitatis; qui ducunt vitam in corporali exercitatione fervant, affligentes corpora sua putantes hoc summum esse in religionis observantia, interioris dulcedinis ignari, de veris virtutum studijs, quæ in spiritu, & mente sunt parum curant. Meraristhæ interpretantur amari, sic & isti in se sicci sunt, & alijs in judicando severi esse solent; ideò quia isti modum tenent inter infimum, & summum statum virtutis, hinc in medio collocantur. *Op. de prof. religios. l. 1. cap. 3.*

4. *Infimus*

4. *Infimus status Religiosorum quis sit, &c.*

Tolle summum filiorum Gerson, &c. Nota istorum officium erat portare cortinas, & tectum tabernaculi,& vela, & quæcunque levia, significabantque illos Religiosos, qui fugiunt ardua, & austera studia sanctitatis, sed levia exercitia, & laxam vitam servant quoad corporis commoda, quantum licet salva salute, quibus sufficit, ut taotummodo caveant à peccatis mortalibus, & tales proclives sunt magis ad lapsum peccati: solent tamen ut Religiosi videantur, aliquando sibi ipsis magnam vim facere, & diligentiam habere in exterioribus observantijs, &c. hique ultimi sunt in ordine Religiosorum. *op. de perfec. relig. l. 1. c. 3.*

5 *Mysteria sacra scripturæ non omnibus æqualiter sunt revelanda, vel aperienda.*

Intrabunt filij Caath ne pertent sanctuarium involutum. Nota, quod sanctuarium erat coopertum, non licebat nisi solis sacerdotibus intrare, sed involutum portabatur à Caathiitis. Cur hoc factum est? Ut significaretur, quod profunda sacræ scripturæ mysteria perfecti aliquatenus videntur; alij autem involuta portare debent, dum sumus in hac vita velamine figuratum, ipsæ enim visionum corporalium figuræ sunt veræ secundùm spiritualem significantiam, non secundùm realem existentiam; non enim in cœlo sunt boves, leones, &c. sed ibi sunt cœlestes virtutes quarum merita, vel officia distribuuntur proprietatibus istarum bestiarum. *op. de perf. relig. l. 2. cap. 75. & op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 4.*

6. *Eucharistia est arca Dei involuta velo specierum.*

Aaron, & filij involverunt sanctuarium scilicet arcam, &c. Mysticè figurabat hæc arca corpus Christi, velum species sacramentales; in arca erat urna scilicet & anima,& manna nempe divinitas: hanc arcam voluit Deus poni in castris militiæ christianæ contra inimicos nostros. *serm. 2. Dom. 4. Advent.* Nota etiam quod primò Aaron, & filij intrarunt, posteà filij Caath, receperunt arcam involutam, Altare, mensam propositionis, & candelabra; sic Christus primò intravit sacerdos in æternum, qui primò se involvit sub speciebus, deinde filij eius sacerdotes; à quibus alijs datur, & cum hac perceptione datur Altare, mensa propositionis, & candelabrum, scilicet in altari propitiatio, in mensa refectio, & in candelabris illuminatio: ista tria consequuntur, qui dignè recipiunt arcam Domini. *serm. 7. in Nativitate.*

7. *Servi Dei non solùm debent abstinere ab illicitis operibus, sed & cogitationibus, &c.*

Nota quod præceptum est filijs Caath, quod mundarent Altare à cinere, & involverent illud purpureo vestimento, Caath interpretatur dolens, vel pœnitens: Filij Caath sunt filij pœnitentiæ, & doloris, qui altare proprij cordis debent emundare non solùm ab igne luxuriæ, imò etiam à cinere, scilicet à reliquijs immunditiæ, nempe à memoria, & cogitatione, & tunc digni erunt cum vasis tabernaculi, & ipsis receptaculis involuti, scilicet sanctorũ Archangelorum societati adæquati, si videlicet fuerint in purpureo continentiæ vestimento, undique involuti. *op. de Eccles. Hierar. p. 3. c. 2.*

8. *Prælati circumspectio qualis in ponendis oneribus subditis.*

Aaron, & filij eius intrabunt, & disponent onera singulorum, &c. Vide quàm circunspectus debeat esse Prælatus in distributione onerum, & officiorum; non enim omnes omnia possunt: debet igitur omnium subditorum mores, conscientias, & vires prospicere, agnoscere, & cum non omnes possint æqualiter ferre omnia, debet intrare in interiora singulorum, agnoscendo habilitatem cuiusque, & secundùm quod convenit singulis onus religiosæ conversationis imponere propter observantiam religiosam conservandam. *op. de sex alis seraph. c. 7.*

9. *Ætas adulta exigitur in Prædicatoribus & doctoribus, &c.*

A triginta annis filij Gerson usque ad quinquaginta eligantur, &c. Cur à triginta annis? nonne ante robustiores erunt homines, ob idque magis apti ad ferenda vasa Tabernaculi? Ut intelligerent, quod solùm, in ætate debent eligi, qui habent docere populum, & portare onera sanctuarij: sic & Christus fecit. *in Luc. cap. 3. v. 23.*



CAPUT V.

10. *Peccator est leprosus coram Deo, Angelis, & sanctis abominabilis, eijciturque à consortio sanctorum.*

Præcipe filijs Israel, ut eijciant de castris omnem leprosum, &c. Cur eijciendus est extra castra? Nonne colligendi sunt potius infirmi. &c. Quia significabat existentem in peccato, est enim coram Deo, Angelis, & sanctis abominabilior omni leproso, ideò de consortio sanctorum eijcietur in die novissimo, si non mundabitur pœnitentiæ baptismo. *serm. 2. Dom. 2. post octa. epiph.*

11. *Luxuriosi præcipue abominabiles sunt Deo, & Angelis.*

Præcipe filijs Israel, ut eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit. Nota illam particulam; *qui semine fluit* scilicet luxuriosum: utique eijcietur de societate Angelorum, qui dicuntur castra Dei, à castitate, & puritate. *serm. 1. de Dom. 2. post oct. Epiph.*

12. *Prælati Religionum debent eijcere infectos incorrigibiles.*

Præcipe filijs Israel, ut eijciant, &c. Hoc dicitur Prælatis Religionum qui infectos incorrigibiles debent eijcere de societate aliorum, ne alios inficiant: expedit enim, ut foris missus solus damnetur, quam per eum sacra Religio contaminetur. *op. de sex alis seraph. c. 7.*

CAPUT



CAPVT VI.

13. *Sobrietatem exigit Deus in Religioſis.*

Qui fecerint votum, ut ſanctificentur, à vino, & omni quod inebriare poteſt abſtineant. Cur præcipit his, qui volunt ſanctificati, & conſecrari abſtinentiam à vino? Nota quod hoc dicitur Religioſis Deo conſecratis, ut ſciant qualem abſtinentiam gulæ ab ipſis exigit Deus: hæc autem habet tres gradus: primus eſt cavere à crapula, & ebrietate, & debita tempora, & horas in comedendo ſervare, jejunia ſtatuta non frangere: ſecundus eſt cavere à quibuſdam licitis, ut à carne, vino, lacte, &c. ut voluit Deus à Nazaræis: tertius eſt ſic domuiſſe gulam, ut homo ſolis ſit contentus neceſſarijs, ita ut dominetur pro libito ſuæ gulæ, tam in abſtinendo, quàm in comedendo, etiam pretioſa cibaria, refectionem ſolam neceſſariam ſumendo. *op. de perf. religioſ.2.c.48.& apolog.paup.reſp.2.c.2.*

14. *Abſtinentia cibi, & maximè potus in juſtis ſignum eſt ſanctitatis interioru.*

Qui votum fecerint, ut ſanctificentur abſtineant à vino, &c. Cur præcipit hoc tantum ijs, qui votum habent ſe conſecrandi? quia hæc abſtinentia exterior, ſignum eſt interioris. *In Luc.cap. 1.v.15.*

15. *Cordis compunctio, inchoatur in amaritudine, & terminatur in dulcedine.*

Ideò Nazaræis Deus præcipit abſtinentiam à vino, & quacunque re, quæ inebriare poſſit, ſed poſtea completa ſanctificatione licitè poterunt bibere vinum. *ſer.3.in dedicat.*

16. *Abſtinentia à Vino laudatur maximè in Religioſis.*

Qui votum, &c. abſtineant à vino. Hoc dicitur præcipuè Religioſis, ut ſtudeant in cibo, & potu ſobrietatem ſervare: ſicut enim omnes cupiditates carnis, abſtinentia, & vini temperantia reſecantur, ita omnes virtutes, edacitatis vitio deſtruuntur; quia immundi ſpiritus ſimul cum ingurgitatione nimij cibi, & potus ſeſe injiciunt. *ſpec. diſcip.p.1.c.32.*

17. *Qualem abſtinentiam à vino exigat Deus à ſibi ipſi conſecratis.*

Qui votum fecerint, &c. abſtineant a vino. Cur non præcipit id ſacerdotibus novæ legis? ſed nota quod à Religioſis prætendit Deus abſtinentiam à vino ſpiritualiter ſumpto ſcilicet à vino carnalium deſideriorum; item à vino proſperitatis infatuantis. *in Ioan.collat.12.*

18. *Cur corona præcipitur Clericis, & ſacerdotibus.*

Tunc radetur Nazaræus, &c. Si veritas debet reſpondere figuræ; cur ſacerdotes antiquæ legis, totaliter radebantur, non autem novæ legis ſacerdotes? Reſp. quod non oportet, ut in omnibus veritas aſſimiletur umbræ? quoniam diverſa diverſis temporibus conveniunt. Illi enim primò ſervabant capillaturam, & poſt radebantur, in quo ſignificatur velamen legis Moſaycæ, & revelatio evangelicæ: ſacerdotes verò novæ legis, partim raduntur, & partim reſervantur, ut ſignaculum regale maneat, plus enim fit corona, ut ſit ſignaculum diſtinctivum, quàm figurativum, è contrariò erat in voto Nazaræorum. *l.4. d.24.p.1. a.1.queſt.1.*

19. *Perfecti viri non ſolùm reſecant ſuperflua, ſed & flamma amoris divini incendunt cor.*

Tolletque capillos, & ponet ſuper ignem, &c. Cur radere jubebantur Nazaræi capillos, ipſoſque comburere in igne ſacrificij? Quia vult Deus à perfectionem profitentibus, ut non ſolum exteriora ſuperflua reſecentur; ſed & cogitationes internas mentis ſuperfluas, quas nimirum igne ſacrificij concremate eſt flamma divini amoris ſuccendere; ut totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes ſuperfluas concremans, quaſi Nazaræi capillos devotionis perfectione conſumat. *op. apolog.paup.reſp.3.c.1.*

20. *Chriſtus inclinavit caput, ad oſculum pacis nobis dandum.*

Convertat vultum ſuum ad te, &c. Quid eſt in Deo convertere vultum ſuum ad nos? Hoc dictum eſt in ordine ad Chriſtum, qui inclinavit in Cruce caput, ut nobis daret oſculum pacis. *ſer.1.Dom.in Albis.*

21. *Sanctus Pater Franciſcus in benedicendo infirmis & alijs utebatur hac eadem formula.*

Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat vultum ſuum Dominus ad te, & det tibi pacem. *In Luc.c.6.v.24.*



CAPVT VII.

22. *Dedicatio Templi, & altaris, & ſanctificatio ipſorum.*

Sanctificavit Tabernaculum, & Altare, &c. Quomodò dicitur, quod ſanctificavit Moyſes Tabernaculum, & Altare, cum ſiot quid corporeum, & incapax ſanctitatis? Reſpondetur, quod cum dedicatur templum, & Altare cultoi divino, dicitur ſanctificari propter tria; ſcilicet quia ſanctis operibus mancipatur, ſcilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri ſacrificij oblationi. Secundò quia ſanctorum Angelorum cuſtodiæ deputatur. Tertiò quia pretioſis reliquijs ſanctorum ornatur. *ſup.in dedicat. &c.*

23. Vita

23. *Vita nostra est militantium, peregrinantium, & vigilantium.*

Sanctificavit Tabernaculum, &c. Cur locus Deo sacratus appellatur tabernaculum? quia Tabernaculum significans Ecclesiam militantem est locus militantium, peregrinantium, & vigilantium; militat enim in bonis laicis, & sæcularibus; Peregrinatur in bonis Clericis, & Regularibus; Vigilat in bonis Prælatis, & Pastoribus. *ser. 3. in dedic.*

24. *Cor obediens est mortariolum in quo propria voluntas confunditur.*

Obtulit Abidan mortariolum plenum incenso. Cur voluit Deus hanc oblationem ab isto Abidan? Nota Abidan interpretatur patris mei judicium, & significat Prælati præceptum, ad cuius nutum offertur ab obediente cor plenum incenso, quia in obedientiæ mortariolo contunditur propria voluntas; & dum ex corde obeditur, tunc repletur cor incenso: estque aureum, dum obedientia ex charitate impletur. *serm. 3. in epiph.*

25. *Doctores, & Prædicatores, seu Prælati loco Dei revelant divinam voluntatem subditis.*

Vnusquisque audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam, inter duas alas Cherubim. Cur inter Cherubim voluit Deus loqui populo? Nota quod Cherubim sunt innotescere facientes divinam voluntatem inferioribus, significantque doctores, Prædicatores, & Prælatos, quorum ministerio innotescit divina voluntas inferioribus. *op. de Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 3.*

26. *Quomodo sanctificentur omnes status Ecclesiæ.*

Oblati sunt boves, arietes, & agni. Nota quod per oblationem horum trium animalium intelligitur mysticè triplex sanctificatio animæ: prima in bove significantur Laici boni per purgationem à peccatis; in agno Clerici, & Religiosi significantur cultui divino dedicati, & in ariete Prælati, in quibus cultus divinus confirmatur. *ser. 2. in dedic.*

CAPUT VIII.

27. *Septem Sacramenta figurata, in lege veteri: eorum virtutes.*

Cum posueris septem lucernas, Candelabrum in australi parte erigatur, &c. Nota quod per istas septem lucernas positas in Ecclesia præfigurabantur septem Sacramenta novæ legis: suntque septem, quia ad septem virtutes habendas disponunt: nam baptismus est Sacramentum fidei; confirmatio spei: Eucharistia charitatis; pœnitentia justitiæ, extrema unctio perseverantiæ, quæ est fortitudinis complementum; ordo prudentiæ, matrimonium temperantiæ. *op. compend. Theolog. l. 6. c. 5.*

CAPUT IX.

28. *Pascha quomodò celebrari debet spiritualiter.*

Faciant filij Israel Phase in tempore suo. Hoc fuit festum in memoria transitus Iudæorum ab Ægypto in terram promissionis: spiritualiter autem datur intelligi; quod sicut primum Pascha celebratum fuit, à Iudæis in egressu ab Ægypto: secundum in deserto: tertium à Iosia postquam destruxit omnes abominationes: quartum à Christo; sic & à Christianis transeundum est à vitijs ad virtutes, à diabolo ad Deum, item à passionibus carnis ad sobrietatem mentis; item ab amore creaturarum ad amorem cœlestium; item à ritu legalis observantiæ ad evangelicam, vel ab hac ad aliam vitam. *In Ioan. c. 13. v. 1.*

29. *Omittens celebrare sacerdos, absque justa necessitate, evacuat quantum in se est divinum cultum Deo debitum; ingratus de beneficijs.*

Si quis mundus est, & in itinere non fuit, & non fecerit Phase, exterminabitur de populo, quia non obtulit sacrificium tempore suo. Cur Deus tantam pœnam imposuit abstinentibus se à Phase? voluit Deus indicare quantum malum faciat, qui omittit celebrare sine causa: significat enim, quod qui mundus est à peccato mortali, & non fuerit rationabiliter impeditus displicet summopere Deo: ergo quantum potes ô sacerdos toto conatu, per exercitium boni operis, lachrymarumque contritionem, & devotionis flammam expelle à te omnem teporem, & negligentiam, ne inveniaris respuere sanctorum charismatum dona. *op. de prapar. ad missam c. 5.*

30. *Verbum Dei educit de peccato, deducit per viam pœnitentiæ, & reducit ad statum justitiæ.*

Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum eius proficiscebantur. Quid est hæc profectio per verbum, &c. Resp. quod hæc est efficacia & virtus verbi Dei, quod educit de peccato, deducit per viam pœnitentiæ per desertum figuratæ, & reducit ad statum justitiæ. *Psal. 118. & c. 2. v. 9.*

CAPUT X.

31. *Gradus perveniendi in Deum.*

Arca fœderis Domini præcedebat eos per tres dies. Cur per tres dies? quia prima dies in hoc

itinere ad Deum, ſignificat purgationem; ſecunda dies illuminationem: trtia prrfectionem, vel contemplationem Dei in ſuo veſtigio, in imagine, & in ſe ipſo, vel triplicem contemplationem, ſubcœlrſtrm, cœleſtem, & ſupercœleſtem. *in Luc.c.13.v.33.*



CAPVT XI.

32. *Murmuratio aliquando oritur ex infirmitate, aliquando ex malignitate, &c.*

Interea ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore, contra Deum. Ex hoc vide quod murmuratio otitur aliquando ex iufirmitate, ut patet in hac murmuratione populi pro labore; aliquando ex malignitate. *In Luc. cap.15.v.2.*

33. *Error conſcientiæ Deo exoſus, quando oritur ex ſingularitate.*

Accenſus in eos ignis Domini devoravit extrema caſtrorum. Cur tantùm percuſſit extrema caſtrorum? ut pateat quod cum murmurarent contra Dominum, ex errore conſcientiæ, & quia in ijs ortus rſt ex ſingularitate, nolebant ſe conformare cum alijs, ſed ſequi ſenſum proprium, & iſti non excuſantur apud Dominum. *Comp.Theolog.l.2.c.52.*

34. *Oratio ſedat Tentationes.*

Moyſes oravit ad Dominum, & abſorptus eſt ignis. Vide quomodò ad orationem Moyſis ignis ſtatim abſorptus rſt; ut intelligas quod ignis tentationum, à Diabolo accenſus, vi orationis factæ ad Dominum, ſtatim extinguitur. *op.de perf.relig.l.2.c.66.*

35. *Relinquens ſtudium ſapientiæ cœleſtis, & ſe applicans ad ſcientias mundanas, eſt Iudæis ſimilis, qui nauſeabant manna, & deſiderabant ollas carnium Ægypti.*

Quis nobis dabit carnes ad veſcendum? &c. Vide qualem ſtultitiam iſtorum; quos Deus providit, tam inſigni miraculo manna cœleſti habente omnem ſuavitatem ſaporis, & deſiderabant revrrtere, in Ægyptum, ad ollas carnium. Tales ſunt, qui relinquentes ſtudium ſapientiæ, & orationis, volunt potius cibum viliſſimum ſrientiarum humanarum ſcrutari: vide igitur ô homo ne totum tempus vitæ tuæ expendas, & diſſipes in ſtudio vaniſſimo ſcientiarum mundanarum, ſed transfer te aliquando ad ſcientiam ſcientiarum, ſcilicet ad divinam doctrinam. *ſer.2.Hexaem.*

36. *Vir ſpiritualis invenit omnem ſaporem in orationis ſtudio, & ſapientia cœleſtis meditatione: vir carnalis unicum tantum.*

Anima noſtra nauſeat, &c. Quomodò id poterant dicere? nonne manna habebat ſaporem, & carnis, & peponis? Reſp. quod carnalibus unicus ſapor tantùm conferrbatur à Deo, qurm nauſeabant: Viri ſpirituales fruebantur omni ſapore; ſic eſt ſtudium orationis, & ſapientiæ cœleſtis. *ſer.19.Hexaem. & op.de prof.religioſ.lib.2.cap.2.* Quid igitur mirum ſi ſtudium orationis à tot ignavis negligitur, quia in ea ſaporem non guſtant.

37. *Proſperitates habent veram aſperitatem, & iucunditatem falſam.*

In mentem noſtram veniunt, cucumeres, porri, cepæ, & allia. Nota ſtultitia n, & impiritatem iſtorum; nam habebant manna veram delectationem habens, & cupirbant cepas, allia, & cucumeres: Per quoddaiur intelligi tales eſſe proſperitates Ægypti, & mundi: ſicut enim cepæ, & allia iotuentium, & comrdentium, ad lachrymas provocare ſolent, ſic & proſperitas huius vitæ: habet enim proſperitatem falſam, & amaritudinem veram, rem plenam miſerijs, & ſpem beatitudinis inanem. *In thren.c.1.*

38. *Religioſorum maxima tentatio eſt, cum non habentes conſolationes in ſpiritualibus, eas quærunt in ſæcularibus, & mundanis.*

Anima noſtra arida eſt, &c. recordamur piſcium Ægypti, &c. Vide quanta fuerit perverſitas iſtorum, qui nauſeabant manna, &c. Per hoc ſignificatur trntatio multorum Religioſorum, qui dum non inveniunt conſolationes in ſpiritualibus exercitijs, eas in carnalibus, & ſæcularibus magis quærunt, carnes Ægypti concupiſcentes, ſcilicet in ſæcularibus negotijs ſe occupando; maximè noxia eſt hæc tentatio; quia ſic non invenientes, quod deſiderarant magno mœrore conſumuntur, quod ſignificatur in amaritudine potrorum, &c. *op.de profeſ.Religioſ. l.2.cap.2.*

39. *Accidia reddit animam aridam, ei auferens vigorem ſpiritualem.*

Anima noſtra arida, &c. Cur, & quando anima arida? nonne habetis manna vobis portans omne bonum deſiderabile? Vide quid facit accidia etiam in exiſteotibus in medio conſolationum ſpiritualium; hæc enim aufert vigorem propter abundantiam gratiæ, & reddit animam aridam ad benè operandum. *In Luc.cap.6.v.11.*

40. *Meditatio Paſſionis Chriſti purgat animam, & dulcedinem cœleſtem confert.*

Frangebat manna, ſivè terebat in mortario, coquens in olla. Cur voluit Deus, ut tali modo ſibi Iudæi pararent cibum? Hoc fuit figura Chriſti, qui fuit attritus in cruce, ut nobis daret exemplum, quod meditando eius paſſionem eſt panis omne delectamentum ſaporis conferens animæ. *ſer.6.in cœna Dom.*

41. Eucharistia

41. *Eucharistia sacramentum manna habens omnis saporis condimentum.*

Facient ex eo tortulas, &c. Cur voluit Deus, ut ex manna attrito in mola fierent tortulæ quasi panis? quia præfigurabant Sacramentum Eucharistiæ expositum in modum tortulatum panis, habentis saporem quasi similæ ex parte corporis, & quasi olei ex parte divinitatis. *ser.4.in cœna Dom.& sap.c6.*

42. *Christus sub Sacramento est manna; & bona gratia.*

Nota quod Christus in Sacramento hic figurabatur primò quia manna descendebat cum rore: sic Eucharistia descendit cum rore divinæ gratiæ: dicitur enim Eucharistia bona gratia: secundò sicut manna descendit de cœlo scilicet virtute cœlesti conficitur: tertiò quia comedentes ex ea reficiuntur pro suo desiderio, & devotione: quartò quia sicut manna apparebat quasi semen coriandri albi; sic Christus sub nebula candida, scilicet speciebus candidis sumitur. *In sap. capite 16. comp. Theolog. lib. 6. cap. 15.*

43. *Prælatus castiget subditos delinquentes sed cum severitate paterna non tyrannica.*

Porta eos in sinu tuo sicut nutrix infantulum, &c. Vide qualem obligationem habet Prælatus, hic enim corrigere debet subditos delinquentes paterna, non tyrannica severitate; sciens quod non omnes possunt omnia, nec omnes æqualiter possunt esse perfecti; sint igitur sicut bona nutrix, non imponentes graviora onera parvulis, & imperfectis, quàm valeant portare. *Opusc. de sex alis seraph. cap. 4. in fine.*

44. *Spiritus Sanctus cum sit simplex in se, datur tamen quo ad effectus diversimodè varijs.*

Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, &c. Ergone spiritus est divisibilis? Ergone Moyses privatus fuit Spiritus sancti assistentia saltem partiali? Minimè: Spiritus Sanctus est in se unus, & simplex, sed dividitur, quo ad effectus; alijs enim communicat se uno modo; alijs alio; dicitur autem, *auferam de spiritu tuo, &c.* scilicet quo ad sollicitudinem regiminis, quia dum alijs dona Spiritus Sancti communicantur sollicitudo Moysi diminuta est, alijsque in parte est commissa. *lib. 1. dist. 17. p. 2. dub. 4. & dist. 18. dub. 6.*

45. *Christus est manus Patris per quam operatur cuncta, & per quam separat universa.*

Ideò dicitur hic à Deo, *nunquid manus Domini est invalida in Luc. c. 13. v. 13.*

46. *Boni Christum amantes gaudent in quacunque divina glorificatione, non habentes respectum ad operantes.*

Quid æmularis pro me, &c. Aaron, & alij volebant quod interdictum esset exercitium prophetandi aliquibus, qui prophetabant; sed ei, & nobis dictum est à Moyse, quid æmularis; quasi dicat hæc non est bona æmulatio; sivè boni, sivè mali prophetent; dummodò glorificetur Deus gaudendum est. *In Luc. c. 8. v. 3. & cap. 9. v. 49.* frequenter enim superbia palliatur zelo justitiæ.

47. *Pij Pastoris est gaudere, quod alij in salutem animarum juvent ipsum.*

Quis tribuat, ut omnis populus prophetet? Vide qualem zelum habebat Moyses, qui cum ipsum impellere vellent Aaron, & alij ad hoc, ut prohiberet prophetare; dixit, *quis tribuat, &c.* nam pij Pastoris munus est non propriam gloriam, sed auctoris sui quærere, & ab omnibus vult juvari. *op. expos. regulæ 1.6. & opus. Apolog. paup. resp. 4. c. 3.*

48. *Invidia resecanda est maximè à Prælatis, & Prædicatoribus.*

Quis mihi tribuat, &c. Vide quàm alienus erat Moyses ab invidia; qui cum alij prophetarent, ostendit quantum esset zelans honoris Dei, & alienus à propria existimatione: non enim quærebat donum Dei sibi solùm vindicare. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 3. in sap. c. 6.*

49. *Deus quàm providens suis.*

Ventus autem coturnices detulit, &c. Vide quàm liberalis sit Deus cum suis, qui ut averterentur, ne amplius carnes Ægypti, & reditum in ipsam desideratas coturnices immisit in desertum. *sap. cap. 16.* Omnia igitur Deus ordinat, ut ad se nos reducat, & avertat à peccatis.

50. *Inimicis Dei terra producit muscas, amicis fructus, &c.*

Ventus trans mare coturnices detulit, &c. Cur Deus providit coturnices suo populo de mari, vel trans mare? ut pateret quod inimicis Dei terra producit muscas, & aqua ranas: cultoribus Dei terra dat fructum, & mare carnis alimentum. *sap. cap. 19.*

51. *Pennæ cælites ad cælum extollunt; terrestres à terra non elevantur.*

Volabant in aere duobus cubitis altitudine super terram, &c. Cur notat sacer textus, volatum coturnicum tam infimum? ut videas quodnam discrimen est inter volucres præditas pennis cœlestibus, scilicet columbæ gemitu, vel oratione ferventi: & pennis terrestribus, qui à terra parum elevantur; qui scilicet defixi sunt in terra affectu. *serm. de SS. Simon & Iud.* qui ergo vult ad cœlum animam levare deserat terram, &c.

52. *Miracula non ſunt ſæpè certa dilectionis divinæ indicia.*

Adhuc carnes erant in dentibus eorum ; & furor Domini percuſſit populum plaga maxima. Verè fuit hoc maximum miraculum proviſio facta coturnicum ; ſed Deus cur poſt tantum miraculum eos punit ? ut oſtenderet , quod miracula non ſemper ſunt certa divinæ dilectionis ſigna. *opuſc.Bibl.pauperum c.1.*



CAPUT XII.

53. *Matrimonium Moyſis cum Æthiopiſſa infideli fuit licitum : & an liceat Chriſtianis nubere cum infideli conjuge.*

Locutaque eſt Maria, & Aaron contra Moyſen propter uxorem eius Æthiopiſſam. Quæritur hic an hoc matrimonium eum infideli muliere eſſet licitum ? & an liceat fidelibus cum infidelibus ? Reſpondeior , quod exceptis mulieribus Chananæis permiſſum fuit Iudæis nubere ; ubi non timebant lapſus in idololatriam. An autem liceat nunc fideli nubere cum infideli : dicendum eſt, quod ſi infidelis eſt carens fidei Sacramento , quod eſt janua Sacramentorum non licet , nec valet matrimonium ; ſi autem alter eſt infidelis, quia hæreticus, ſed baptizatus,licet : quod tamen ab Eccleſia prohibitum eſt , ad vitandum periculum , quæ prohibitio tamen non dirimit. *l.4.d.39.a.1.q.2.*

54. *Mititas quàm Deo chara.*

Erat autem Moyſes mitiſſimus inter omnes homines. Nota quod propter hanc mititatem excellentem Deus tot gratiis cumulavit Moyſen , ſecumque loquebatur ut amicus ad amicum.*op. Diet. ſal. tit.7.c.2.& op.compend.Theol.lib.5.c.9.*

55. *Sacra Scriptura auctor eſt Spiritus Sanctus, non ipſius ſcriptor.*

Erat autem Moyſes inter omnes mitiſſimus. Si Moyſes fuit ſcriptor hujus textus, cur loquitur de ſe ipſo tamquam de tertia perſona ? quia voluit Deus per hoc oſtendere , quod Sacra Scriptura à Deo deſcendit, non à ſcriptore:tum ut etiam hanc humilitatem exerceret idem ſcriptor.*In Eccl.c.1.*

56. *Viſio intellectualis Dei eſt ſumma inter alias in hac vita : inferior autem , quæ fit per viſionem corporalem, vel ſomnium.*

Si fuerit inter vos Propheta per viſionem , aut per ſomnium loquar ei : non talis ſervus meus Moyſes,ore enim ad os loquor ei , &c. Igitur hic videtur , quod Moyſes cum Deo tractaverit ad modum beatorum? ſed tamen dicendum eſt , quod talis viſio fuit tantum intellectualis , non verò imaginaria, vel corporalis, ſicut aliorum Prophetarum.*l.2.d.8.part.1. dub.2.& d.23.a.2.q.3.& ſerm.9.Hexaem. & in Ioan. cap.1.v.18.*

57. *Vitium murmurationis totum corpus lepra inficit.*

Maria candens lepra apparuit , &c. Vide quomodò lepra tota infecta eſt Maria ſoror Moyſis ob vitiom murmurationis. *ſerm.2. Dom.2. poſt oct. Epiph. op.Bibl. paup.c.71.* Hinc juſtificatur dictum Sancti Iacobi,quod lingua maculat totum corpus. *ſer.1.Dom.13.poſt Pentecoſt.*

58. Lepra ſpiritualis oritur ex timore male humiliante , ſcilicet ob defectum amoris in proximum, ut patet in Maria ſorore Moyſis , quæ candens lepra, ut nix apparuit, &c. *In Luc.c.13.v.13.*

59. *Quàm ſit ardens pietas Sanctorum in peccatores.*

Clamavit Moyſes ad Dominum , obſecro Domine ſana eam,&c. Vide qualem miſericordiam, & compaſſionem habeant Sancti , & Religioſi ad proximum , qui cum ipſi purgati ſint in ſeipſis ferventiſſimis orationibus eorum ſanctificationi cooperantur ; ſic fecit Moyſes cum Maria , quæ contra ipſum murmuraverat. *op.Eccleſ.Hier.p.1.c.2.*

60. *Lingua vitium leproſam animam reddit: pænitentia, & oratione curatur lepra peccati.*

Et candens lepra apparuit , &c. Vide quomodò lepra contrahitur ore : per quod ſignificatur,quod doctrinis hæreticorum, perjuriis , detractionibus, mendaciis, & malis conſiliis ,& hujuſmodi lepra contrahitur animarum , quia de fætido malorum colloquiorum anhelitu alios corrumpunt. *ſerm.1. Dom.13.poſt Pentecoſt.* Curatur autem lepra peccati oratione, ut patet in lepra Mariæ ſororis Moyſis, quæ oratione ejuſdem , & tactu ſuæ caſtigationis fuit curata,nam ſeptem diebus ejecta eſt extra Caſtra. *ſer.2.Dom.2.poſt oct.Epiph.*

61. *Pænitentia ſeptem annorum à canonibus eſt pro quolibet peccato mortali.*

Separetur ſeptem diebus extra caſtra. Cur ſeptem diebus ? quia per ſignum ſeptem dierum ſignificatur pœnitentia indicta pro quolibet peccato mortali ſeptem annorum. *l.4.d.20.dub.3.p.2 & op.Confeſſionale c.3.p.46.*

62. Invidia non parcit beneficis,& propinquis:ut patet in Aaron , & Maria, qui murmuraverunt de Moyſe ex invidia. *op.Bibl.paup.c.42.*



CAPUT XIII.

63. Duodecim Apoſtoli figurati fuerunt in duodecim exploratoribus miſſis à Moyſe in terram Chanaan , quos Chriſtus miſit per univerſum orbem. *In Luc.c.6.v.13.& in Ioan.c.6.in fine.*

64. *Maria Virgo eſt terra fluens lacte , & melle.*

*Venimus in terram , quæ verè fluit lacte , & melle, &c.*Quænam terra fuit iſta ? Certum eſt quod nullibi invenitur terra emittens lac, & mel ? ergo dicendum eſt loqui de alia terra myſtica , ſcilicet de Beatiſſima

Beatissima Virgine. Hæc enim est, quæ in nocte nativitatis emittendo Christum è suis visceribus manavit, & irrigavit mundum lacte humanitatis, & melle divinitatis. *Comp. Theol.l.4.c.11.& ser.4. Dom.Sexag.*

65. *Sine Dei adiutorio speciali non possumus potentiam Diaboli superare.*

Ibi sunt filij Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. Nota, quod isti filij Enac sunt Dæmones, quibus si comparati fuerimus, locustæ videmur quoad potentiam, quod excitare debet ad humiliandum nos coram Deo,& ad implorandum ipsius adjutorium, sine quo nos non possumus triumphare de his gigantibus. *Diat. sal.sit.7.c.1.*

66. *Difficultas in exercitio virtutis à Diabolo proposita quàm mala, & noxia.*

Terra manans lacte, & melle, sed devorat habitatores suos,&c. Quid est, quod terra devorat habitatores suos? significatur hic tentatio, quæ incutitur à Diabolo multis Religiosis,qui sicut exploratores, missi in terram promissionis, reversi commendabant terræ ubertatem ostensis fructibus, sed terrebant populum pro difficultate expugnationis hostium, & proceritate habitatorum; sic & Religiosi multi explorantes terram per scripturas, magna gaudia Cæli prædicant, sed pugnam tentationum, & labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius in deserto mori volunt, & in quodam medio statu manere inter Ægyptum, scilicet sæcularem vitam, & spiritualem terram promissionis in deserto aridæ conversationis,quàm per labores, & tentationes pervenire ad gratiam perfectionis;Gigantes terræ etiam mirantur, & timent quasi monstra, cum magnorum sanctorum virtutes considerant, & de propria parvitate diffidentes illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex pavidiiate desperant, murmurantes contra Dominum, quod tam dura servitia ab hominibus requirat. Hinc est, quod sicut ex tot hominibus tantùm duo pervenerunt ad terram promissionis; sic & inter Religiosos tam pauci ad perfectionem perveniunt. *op.de perf.religios.l.2.c.2.* Nota hic, quod hic est nodus difficultatis, lapis offensionis, & petra scandali, à quibus irretiuntur tot, & tot Religiosi desistentes ab incepto itinere perfectionis. O quam grande malum,& perniciosa deceptio Diaboli!

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XIV.

67. *Væ qui ab incepto itinere perfectionis retrò revertuntur ad carnes Ægypti.*

Revertamur in Ægyptum. Nota,quod sic decrevit inique populus Israel contra præceptum Domini, tamque displicuit Deo, quod omnes illos voluit remanere in deserto usque ad mortem; ut intelligat homo, qui ad Divinum servitium jam se dedicavit,ne revertatur ad mundum. *In Luc.c.9. in fine.*

68. *Boni vadunt antè, scilicet ad ea,quæ sunt secundùm veritatem Dei: mali abeunt retrorsum.*

Revertamur in Ægyptum. Nota, quod isti impij decernunt abire retrorsum: sic faciunt, qui de veritate, ad vanitatem convertuntur; quidam autem abeunt retrorsum amore terrenæ provisionis, & proprietatis: quidam voragine gulæ, & omnes tales sunt indigni regno Cælorum; justi autem ante ambulant. *In Ioan.c.6.v.67.*

69. *Cor fructuosum est terra bona recipiens verbum Dei; & fructum afferens in abundantia.*

Terra quam circuivimus, valdè bona est. Sed quo fundamento id dicis ó Iosue, si vix eam attigisti? Hoc ex experientia productionis fructuum. Hæcque terra mysticè est cor bonum,& optimum: bonum, quia facilè recipit verbi Dei semen quoad cognoscitivam: optimum quoad affectivam, & memorativam: Hæc terra fructum affert in patientia, scilicet quoad operativam, & quoad passivam, & supportativam, in qua est consummatio meriti boni. *In Luc.c.8.v.15.*

70. *Maria terra optima, quæ nobis fructum, & omnia vitæ necessaria protulit.*

Circuivimus terram, & valde bona est. Idest optima: sed quænam est terra optima, nisi Beatissima Virgo Maria: sicut enim terra est omnium vilior, nobisque utilior, sic & Beata Virgo humillima est, ex qua habemus omnis boni plenitudinem. *op.spec. B.Virg.lect.7.*

71. *Paradisus est terra optima manans lacte, & melle.*

Si Dominus propitius fuerit inducet nos in terram valdè bonam, & tradet humum lacte, & melle manantem: Nota hæc est terra cælestis, scilicet Paradisus, hæc manat lacte humanitatis,& melle divinitatis Christi,& ideò additur, *si Dominus propitius fuerit, &c.* Quia in hoc, quod Deus nobis hanc terram tribuat; est maxima benignitas, & propitiatio. *fer.4.Dom.sexages.fer.2.Dom.10.post Pentec.*

72. *Servi Dei in oratione assumunt formam amici, & familiaris cum Deo.*

Ne fortè dicant Ægyptij, &c. Vide qualem familiaritatem exhibet Moyses in oratione cum Deo: sic faciunt in Deo perfectè confidentes, assumentes formam familiaris, & amici, quasique consulentis Domino cum reverentia, & fiducia. *op. de prof.relig.l.2.c.68.*

73 *Tentare Deum, quàm ipsi displicet.*

Tentaverunt me per decem vices. Quomodò potest tentari Deus? Nota, quod tentare Deum, est cum homo experimentum audet quærere de Dei potentia,& hoc est malum, quia est actus diffidentiæ. *In Luc.c.4.v.12.*

74. *Qui post visionem, & cognitionem potentia, & maiestatis Deo contradicit, excluditur à populo Dei, & inter infideles adnumeratur.*

Omnes, qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci, non videbunt terram, &c. Cur isti excluduntur ab ingressu in terram promissionis? si Deus tot prodigia eis communicavit, eosque testes oculatos tot beneficiorum fecit, cur voluit excludere eos ab ingressu in terram promissam? sed id meritò fecit Deus ad conterendam ipsorum proterviam, dum post tot portenta, & signa divinæ majestatis, & potentiæ Domino contradixerint: Hinc discendum, quod Christianus, qui per fidem, & experientiam cognovit veritatem divinæ majestatis, bonitatis, &c. si Domino contradixerit excludetur à populo Dei, & hæreditate regni, tamquam infidelis, & excommunicatus. *In Luc. c. 5. v. 27.*

75. *Qui non perseveraverit usque in finem in bono interficietur, & excludetur à Regno Dei.*

In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Cur hanc pœnam intulit Dominus? quia voluerunt reverti in Ægyptum; ideo à Domino ferè omnes interfecti sunt in deserto ut scias qualem pœnam præparaverit Deus revertentibus à divino servitio ad mundum. *In Luc. c. 9. in fine.*

76. *Pauci sunt, qui perseverant in perfectione, non revertentes retrò.*

Non intrabitis terram præter Caleb, & Iosue. Cur tantùm istis duobus concessa fuit introductio in terram promissionis ex tot millibus? quia solùm inter tot millia hominum isti duo perseverantes, & credentes fuerunt promissionibus Dei? Ex hoc intelligitur, quàm pauci sunt inter religiosos, & spirituales, qui in pugna tentationis, & exercitio virtutum infatigabiliter constantes sint in pugna resistendo malis, & insistendo bonis usque ad finem, sed ferè major pars ex pavididate desperat se posse tot pugnas arripere, & in via perfectionis perseverare. *In ep. de prof. religios. l. 2. c. 2.*

77. *Dei judicia sunt occultissima, & cum reverentia suspicienda.*

Non intrabitis terram præter Caleb, & Iosue, &c. Quomodò toties Deus promisit filiis Israel terram illam, & tamen tantùm duo ad illam pervenerunt? verè mirum est: sed per hoc addiscere debemus, quod judicia Dei sunt occulta, nec investiganda à nobis. *op. Bibl. paup. c. 2.* Ex hoc infertur etiam, quod si videmus ex tot millibus animarum tam paucos salvari, hæc referenda sunt, & remittenda judiciis occultissimis Dei.

CAPUT XV.

78. *Sancta vita est sacrificium in odorem gratissimum Deo.*

Offeret vitulum in odorem suavissimum Deo. Quid est, quod oblatio vituli reddebat odorem Domino gratissimum? Nonne meliùs erat offerre cor? Nota, quod oblatio animalium significabat oblationem, quam facit homo sui ipsius per bonam, & sanctam vitam; hæc enim est sacrificium Deo gratissimum, odorque in vitam suavissimus naribus Dei. *Psal. 44.*

79. *Dies festi observandi sub pœna mortis animæ.*

Morte moriatur homo ille, qui ligna colliget in die sabbati. Vide qualem pœnam infflixerit Dominus transgressori diei festi, ut pateat ex qualitate pœnæ qualitas culpæ, & quàm Deo displiceat inobservantia hujus præcepti. *In Luc. c. 6. v. 2.*

CAPUT XVI.

80. *Malorum societas, tamquam pestilentium, & infectorum vitanda.*

Recedite à tabernaculis impiorum, &c. Vide quomodò Deus vult, ut declinemus malorum societatem, ne involuamur, & inficiamur sordibus ipsorum. *In Luc. c. 9. v. 5.* Cave ergo à societate mala, tamquam à peste, & veneno.

81. *Murmuratio, & susurratio, & unitatis scissio, quàm Deo displiceat & puniatur.*

Aperta est terra, & devoravit Dathan, & Abiron, descenderuntque vivi in infernum. Vide quale peccatum est murmuratio, & pacis, & unitatis discissio: exterminantur enim isti tales à Deo. *In Luc. c. 13. v. 7. & 4.* Talesque sunt schismatici, & hæretici, qui contra Ecclesiam, ejusque unitatem elevantur. *In Luc. ibid. & in thren. c. 1.*

82. *Peccatum accelerat mortem.*

Descenderunt vivi in infernum Per hoc intellige, quod peccatum accelerat mortem, quia viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. *In Eccles. c. 7.*

83. *Adulatores, & seductores trahunt alios ad malum, laude falsa, & mendaciis.*

Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, & quod Dominus est in ipsis. Vide, quo artificio volebant Dathan, & Abiron, & complices capture benevolentiam per adulationem; sic multi proponendo bonum, alios trahunt ad malum. *opusc. Bibl. paup. c. 69.*

84. *Qui non per spiritum Dei, sed proprio consilio, aut ob respectus temporales, se introducunt in ministeriis sacris, puniuntur graviter à Deo.*

Sed & ignis egressus à Domino interfecit viros, qui offerebant incensum, &c. Cur in actu oblationis, & sanctæ operationis fuerunt isti interfecti à Deo? quia voluntate propria, & à Deo non vocati ausi sunt se ingerere in sacris ministeriis. *In Luc. c. 1. v. 9.* Nota hic, quod etiam si quis dignus fuerit, non

non debet impudenter se ingerere in ministeriis prædicationis, & aliorum sacrorum, est enim hæc maxima impudentia eum indignum reddens: & si est indignus,& inhabilis, est maxima temeritas, & superbia. *In op.libellus apolog.in adverf.FF. Min.p.4.* Audi igitur, & attende sequentia tu, qui cupis io publicis sacris actionibus te exercere: Primo igitur vide quid desideres, ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanã gloriam,aut consuetudinẽ, aut aliquam causam temporalẽ accedas ad sacra exercenda, alioquin ad tui perditionem abuteris, quod tibi datũ est ad salutẽ:sed væ, væ,væ,Domine Deus quanti hodie infelices ad sactos ordines accedunt, & divina mysteria accipiunt;non cælestem panem, sed terrenum quærentes,non spiritum,sed luctum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum, non Christo servire mundo corde, & corpore in sacris mysteriis, sed deliciari, ditari, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi, & de eleemosynis pauperum, & Ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis, & simoniis potius rapiunt, quàm assequantur, non vocati à Deo, sed impulsi à Diabolo, tamquam Dathan, & Abiron. *op.de preparat. missæ cap.8.*

85. *Peccatum maiorum trahit inferiores ad idem peccatum.*

Nota, quod cum Core Dathan,& Abiron, aliique quinquaginta viri potentes murmuraverint contra Moysen, statim ad idem peccatum cucurrit multitudo aliorum, ut videas, quam perniciosum sit exemplum majorum. *In Luc.c.20.v.10.* Caveant ergo Prælati, & Principes scandalum subditorum, & pusillorum.

86. *Propensio populi Iudaici maxima ad seditionem, & murmurationem.*

Murmuravit omnis multitudo,&c. Vide quantum propensus fuerit populus Iudaicus ad murmurationes, & seditiones, quæ tam frequenter recensentur in Sacra Scriptura. *In Ioan. c.6. v.43.* Cave ergo ô homo, & diligenter observa tuas malas inclinationes, ne post propositum bonum,rursum ad vomitum revertatis.

87. *Sacerdos est mediator inter populum, & Deum ex officio suo.*

Aaron cucurrit ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium,obtulit thymiama,& stans inter mortuos, & viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. Cur Aaron, & non Moyses tunc interposuit se inter mortuos, & viventes? Nota Aaron erat Sacerdos, & quia ejus munus & obligatio est esse mediatorem inter Deum, & homines, maximè suos persecutores, ideò Aaron se interposuit, & per orationem, deprecationem; & incensum placavit Dominum, quod & Christus similiter fecit: Nota etiam, quod Aaron deprecatus est, oravit, & incensum obtulit: nempe quod deprecatio fuit pro amovendis malis: oratio pro remissione peccati, & incensum pro reconciliatione Iudicis offensi. *In sup.c.18.In Luc.c.23.v.34.* Discant igitur hic Sacerdotes, maximeque Prælati, qua cura, & puritate mentis debent sistere coram Domino pro populis sibi subjectis, & præcipuè pro suis inimicis, & malefactoribus.

CAPUT XVII.

88. *Deus dat plus quàm promittit: Diabolus multum promittit sed verò modica dat, & multa imperat.*

Sequenti die virga Aaron germinavit,&c. Notandum hic, quod Deus promiserat tantùm,quod virga Aaron germinaret, & tamen non solùm germinavit, sed & floruit, & fructificavit: cur non stetit Deus promissis? ut intelligeremus, quod Deus liberalissimus est, & pluta dat, quàm promiserat: & qui ad Deum recurrit majora, & plura accipit, quàm petierit: E contra Diabolus multa promittit, & imperat, & modica dat. *ferm. 4. in rogat.*

89. *Rectitudo fidei exigit cum flore bonæ voluntatis fructum bonæ operationis.*

Sequenti die virga Aaron germinavit, &c. Cur ad flores addidit Deus fructus? quia in virga significatur rectitudo fidei: in flore bona voluntas, & in fructu bona operatio; vult enim Deus,quod ad rectitudinem fidei comitetur ad florem bonæ voluntatis fructus bonæ operationis; qui sunt fructus Spiritus Sancti, charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, &c. *fer.10.in Pentec.*

90. *Christus virga fuit priùs arida, sed florida, & germinans in resurrectione.*

Virga Aaron floruit, &c. Nota, quod per hoc miraculum voluit Deus exaltare Aaron Sacerdotem: quodque fuit figura Christi, cujus caro fuit arida in morte, in resurrectione florida:unde Christus est virga, & flos habens quinque folia, scilicet quinque vulnera, & in resurrectione exaltatus est: & sicut aliorum virgæ aridæ permanserunt,sic & corda peccatorum, ex quibus non flores, sed serpentes emanant, ut evenit in virgis magorum, scilicet opera vitiosa. *ferm.3.in Paschа, & op.Comp. Theol.lib.4.c.5.*

91. *Beatissima Virgo Maria concurrit activè ad generationem Filij.*

Virga Aaron floruit,& produxit fructum,&c. Quæritur an hæc virga, cum esset arida concurrerit activè ad productionem florum, & fructuum, an verò Deus hos creaverit. Respond.quod verè Deus dedit huic virgæ vim germinandi: Et figurabat Beatam Virginem Mariam: & sicut de flore pervenitur ad fructum mediante virtute activa deposita in planta, quæ florit, sic & Beata Virgo habuit quidem virtutem activam, sed elevatam à Spiritu Sancto, qua verè activè concurrit ad generationem Filij Dei. *l.3.d.4.n.3.q.1*

92. *Beatissima Virgo cum flore virginitatis habuit fructum prolis.*

Virga Aaron floruit, &c. Hæc fuit Beata Virgo, quæ cum flore virginitatis habuit etiam fructum, scilicet generavit Christum. *ferm.2.Dom. infra oct. Nativitatis,& op.spec.B.Virg.lect.3.& 9.*

93. Beatiss

93. *Beatiſſima Virgo eſt Domina formidabilis Dæmonibus.*

Cur figurata eſt Beata Virgo in virga ? quia eſt virga virtutis Dei contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur ; ideò dicitur amarum mare Dæmonibus. *opuſc.ſpecul. Beatæ Virginis lect.3.*

94. *Beatiſſima Virgo Maria eſt virga flores virtutum omnium habens ; & fructus operationum bonarum.*

Virga Aaron, &c. Hæc fuit Beata Virgo Maria, quæ flores omnium virtutum habuit, & fructus ſanctarum operationum: flores tales habet, qui poſt tranſitum hyemis diabolicæ in cordibus devotorum oriuntur, & per imitationem fructus pullulant. *op.ſpec.Beatæ Virginis Mariæ lect.12.*

95. *Beatiſſima Virgo virga, quæ florem Chriſtum nobis protulit.*

Virga Aaron floruit, &c. Cur hoc ſigno voluit, ut Aaron exaltaretur ? quia fuit figura Beatæ Virginis, quæ ut myſtica virga florem Chriſtum produxit pulchrum, tam odoriferum, quòd odorem omnium gratiarum per totum Mundum emiſit. *op.ſpec.B.Virg.lect.6.*

96 *Virgo Maria virga arida per virginitatem, & ſimul fructifera.*

Nota, quod non ſine myſterio voluit Deus, ut virga arida floreret, & fructificaret : ſic enim Beata Virgo Maria fuit virga, arida quidem, quia Virgo, & ſine concurſu viri floruit, & fructificavit. *op. laus B.Virg.figur.11.& in Luc.c.1.v.27.& 35.*

97. *Flos caſtitatis exigit fructum bonæ operationis.*

Virga Aaron floruit, &c. Cur ad flores addidit Deus fructus ? quia flos ſignificat caſtitatem: ut ergo caſtitas ſit Deo grata requirit fructum bonæ operationis. *fer.1.Dom.infra oct.Nativit.* Non ergo ſufficit Deo virginitas, & caſtitas ſine oleo bonarum operationum ; alioquin invenientur tales clauſam januam.



CAPUT XVIII.

98. *Chriſtus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ, ſed cæteri omnes.*

Omnes decimas dabunt Levitis, & Levitæ ex his decimis decimam ſummo Sacerdoti, ſcilicet decimam decimæ. Cur Levitis miniſtris Altaris imponitur hoc onus, indixit decimam ſummo Sacerdoti, ſummus autem Sacerdos ſolus hac lege eximebatur? Datur figura in hac lege, quod Chriſtus, ut ſummus Sacerdos non fuit decimatus in lumbis Abrahæ, quia non fuit conceptus per libidinoſam conceptionem: cæteri autem omnes decimati fuerunt, etiam Sancti. *Pſalm.64.* Excipe Beatam Virginem Mariam ex privilegio præſervationis.

99. *Sacerdotes debent ſuum ſtatum intemerabiliter cuſtodire :* Unde præcipitur, *hic v.7.* Sacerdotibus. *Cuſtodite Sacerdotium veſtrum. Pſal.118. cap.11. v.7.* Quid eſt cuſtodire ? niſi quòd Sacerdotes debent tantum donum, & pignus diligenter ſervare, ne deturpetur per malam vitam.

100. *Iuſti nihil habent hæreditatis in hoc mundo, ſed tantum Deum.*

Nihil in terra poſſidebitis, ego pars, & hæreditas tua, &c. Vide quomodò Deus vult eſſe hæreditas, & pars ſuorum, ut intelligant in terra nullam partem ab eis habendam eſſe, &c. *Sap.c.5.* Iuſti igitur in hac vita, nihil habere ſe reputant, ſed tantum Deum, ejuſque gratiam.



CAPUT XIX.

101. *Aqua lachrymarum, & compunctionis mundat animam, aqua carnalium voluptatum inquinat.*

Immundus aſpergetur aqua aſpera cinere vaccæ rufæ, & ſic mundabitur. Nota, quod per aquam iſtam benedictam ſignificatur compunctio cordis, quæ emundare facit animam ab immunditiis : aqua verò carnalium voluptatum inquinat. *fer.1.de dedicatione.*

102. *Baptiſmi mandatio figurata in hac aſperſione aquæ.*

Immundus aſpergetur aqua, &c. Nota, quòd hic figurata fuit virtus baptiſmi, quæ debebat in ſtatu novæ legis animas expurgare ab omnibus ſordibus, ut per hanc, & ſimiles figuras poſſent manuduci Iudæi ad credendum figurata. *In Ioan. c.5. v.4.& op.Diat.1.7.c.5.*

103. *Cuſtodia linguæ quàm diligenter habenda, & quanta mala ex eius mala cuſtodia.*

Vas, quod non habuerit operculum, vel ligaturam, immundum erit. Cur immundum ? quia pulvis incidit, & vermes, & animalia immunda inquinabunt illud, & ſi quid pretioſi liquoris in eo reconditur, evaporat virtus ejus ; ut intelligat, quod ſi quis non claudit os, nempe ſi per cenſuram ſilentij non ponit ori ſuo cuſtodiam, frequenter inquinatur ſurde illicitorum verborum mendaciis, maledictis, detractionibus, turpiloquiis, jactantiis, ſcurrilitatibus, & ſimilibus. Item ſi quid devotionis intus habet, vel occultæ virtutis, citius evaporat, & inſrigidatur, & evaneſcit : quod experientia frequenti compertum eſt, quando poſt compunctionis gratiam ad verba otioſa defluimus, mox & ſapor minuitur, & fervor extinguitur, & intelligentia obſcuratur, & mentis ad Deum intentio diſſipatur, & cor à bono, quod priùs habebat evacuatur. *op.de prof.relig.l.2.c.10.*

104. *Humilitate conſervatur devotio, & ignis fervoris.*

Vas, quod non habuerit operculum, &c. Vide, quòd Deus volebat in tabernaculo vaſa cooperta, ne

nt liquores pretiosi evaporarent, &c. Sic Deus vult operculum humilitatis, sub quo, tanquam cinere facile conservatur ignis devotionis : sic vina clauduntur in doliis, aromata in vasis. *serm.2. de S. Laurentio Martyre.*

105. *Lixivium spirituale proponitur ad mundandam animam.*

Tollent de cineribus combustionis, & mittent aquas vivas super eas in vas. Ad quid Deus curam gerit de modo faciendi lixivium ? videtur indecens suæ summæ Majestati : sed id spiritualiter est intelligendum : datur enim nobis methodus faciendi lixivium spirituale efficacissimum ad mundandam animam. In vase ergo cordis commisce aquam contritionis cum memoria tuæ incinerationis, & sic pœnitentiæ lixivio mundaberis : Hæc confectio cineris, & lachrymarum nunquam tibi debet deficere ; cinis es, & de cinere vivere debes : semper lugens, semper meyens, semper suspitia cordium emittens : lixivio autem solent lavari capita, & pedes, & vestes, sic tu lava caput lixivio mentis interiùs, & pedes, & vestem conversationis exteriùs. *fer.2. in die Cinerum, & op. Diat. fal. tit.7. c.5.*

106. *Timor mortis sæpè inducit ad confessionem, & pœnitentiam.*

Tollent de cineribus combustionis, &c. Cur voloit adhiberi cineres in tabernaculo ? quia per cineres produntur vestigia furum, sic etiam per timorem mortis, & futuræ animæ incinerationis peccatores se produnt in confessione. *fer.2. in die Cinerum.*

CAPUT XX.

107. *Dominus revelat sua consilia in secreto cordis.*

Ingressus Moyses, & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, clamaverunt ad Dominum, &c. Cur volentes orare, & clamare ad Dominum dimiserunt multitudinem ? cur non ad præsentiam aliorum ? quia, qui vult consilium à Domino, debet exteriora, & multitudinem relinquere, & tabernaculum secretum cordis intrare : sic enim ibi meliùs consulitur Dominus, & quod foris agendum est publicè, intellectu intus silenter auditur, & tunc tales vocem Dei, quasi per occultam inspirationem audiunt, dum in meditatione mentis se à carnalibus sensibus abstrahunt. Ad hoc autem primò ingrediantur consiliarij, scilicet sensus intellectuales, tamquam superiores, & digniores, ut memoria, intellectus, & voluntas relictis foris turbis tumultuantibus ad interiora rapiantur. *op. de dono consilij c.5. vide ibidem plura.*

Modus perfectæ meditationis.

108. *Prona facie ad terram aliquando orans adorat.*

Corruerunt proni in terram, &c. Cur proni orabant ? quia hoc est optimum signum perfectæ adorationis ; boni enim orantes cadunt proni ad terram, mali retrorsum. *In Luc. c.5. v.12.*

109. *Christus aperit thesaurum gratiarum suis amatoribus.*

Domine Deus aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ. Cur appellat fontem aquæ vivæ thesaurum, cum thesaurus sit locus, in quo reconduntur pecuniæ ? Nota dicit thesaurum, non aurum, vel argentum, sed aquæ vivæ fontem, scilicet irrigationem donorum Spiritus Sancti. Christus autem aperit thesaurum suum ad dandum stipendia militibus suis bellantibus contra hostes : aperit tibi thesaurum suum, ut tu aperias thesaurum tuum pauperibus. *fer.10. in rogat.*

110. *Christus est lapis fundamentalis Ecclesiæ, virga percussus crucis, ex quo emanarunt aquæ largissimæ gratiarum.*

Cumque elevasset manum Moyses percutiens bis virga silicem egressæ sunt aquæ largissimæ. Nota, quòd hic significatum est, quòd Christus est lapis fundamentalis Ecclesiæ abscissus sine manibus viri in incarnatione, & percussus virga crucis in Passione, per quem nobis fluenta gratiarum, & omnia bona perveniunt. *fer.2. in Nativit. Domini.*

111. *Christus percutit animam tanquam petram, ut in aquam lachrymarum vertatur.*

Moyses percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ, &c. Quis est iste Moyses percutiens virga bis petram, nisi Dominus Deus, qui virga flagelli percutit bis animam, ut lapis duram, ligno afflictionis, & crucis, nempe percussione corporali infirmitate, vel alio malo temporali, & percussione spirituali, scilicet timore gehennæ : tunc que lapis in aquam vertitur ; dum cor induratum in aquam lachrymarum per contritionem resoluitur. *fer.3. Dom. 1. post oct. Epiph. & fer.4. in Pentec.* Vide igitur ô homo, cur Deus te sæpè affligit tot adversitatibus, vult enim à te emendationem vitæ.

112 *Auditores verbi Dei contradicentes ipsi verbo puniuntur.*

Non intrabit Aaron in terram, quia fuit incredulus ori meo ad aquas contradictionis. Nota, quod per hoc datur intelligi, quæ pœna sit parata contradictoribus verbo Dei : sicut enim Aaron incredulus fuit, & contradictor verbis oris Dei, exclusus est à terra promissa, sic & tales similes excluduntur à regno Dei eum ejus gratia. *Psal. 118. c.5. v.7. & c.7. v.7.* Væ igitur contradicentibus, & inimicis verbi Dei, & prædicatores Ecclesiasticos persequentibus.

113. *Iudicia Dei occulta, nec investiganda.*

Non intrabit Aaron terram, &c. nec Moyses ut supra cap.14. &c. Nota, quòd cum Moyses toties populum reconciliavit Deo, ipse semel peccavit ad aquas contradictionis, & non obtinuit pro se ipso veniam, nec voluit Deus, ut intraret terram promissionis : ut intelligamus, quòd judicia Dei sunt terribilia, & imperscrutabilia. *op. Bibl. paup. cap.2.* Patet etiam quanta sit severitas Dei in delinquentes. *Bibl. paup. c.10.*



CAPUT XXI.

114. Per votum Deo factum sæpè libertantur homines à flagellis ut patet in filiis Israel, qui rejecta lege Chananæorum voto se Deo obstrinxerunt, post quod victores extiterunt. *Bibl paup.c.15.*

115. *Tædium hujus vitæ miserrimæ ex multis causis oritur.*

Tædere cœpit itineris, & laboris. Vide quomodò iste populus, licèt tot gratiis à Deo cumulatus, tamen tædio maximo fuit affectus ob laborem itineris: sed non est id mirum, cum hæc vita sit plena multis amaritudinibus afferentibus tædium, tum propter peccatorum occasiones, tum propter labores hujus vitæ, tum ob pericula, aliaque innumera mala. *In Ecclesf.c.2.* Unde mirum non est, si multi tædio affecti ob tot amaritudines desiderant mortem.

116. *Mali nauseant cibum cælestem: bonis verò est omnis delectamentum saporis.*

Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra nauseat super cibo isto vilissimo. Vide perversitatem, & mendacium istorum perfidorum: quomodò ô perfidi id potestis dicere? nonne Deus vos providit manna habente omnem saporem, & gustum, scilicet panis, olei, carnium? &c. At id non est mirum: boni saporem optimum inveniebant; mali fastidiebant: Adde, quòd cum Deus providerit eos cibo tam digno, attamen nec etiam ipso erant contenti, requirentes in ipso non solum delectationem quoad gustum, sed & coloris quoad aspectum, & odoris quoad odoratum; perversi enim nunquam quiescunt, vel contenti sunt, sed semper ad nova inhiantes vivunt. *In Sap.c.16.*

117. *Peccatum existens in anima generat tædium, & nauseam ad bonum.*

Anima nostra nauseat, &c. Vide qualem effectum generet in anima peccatum, nam in ipsa imprimit nauseam boni: palato enim sano est panis suavis, infirmo pœna. *Comp.Theol.l.3.c.7.*

118. *Qui se sinit vinci à difficultate operum bonorum, incidit in nauseam vitæ religiosæ.*

Anima nostra nauseat, &c. Ecce effectus tentationis, quam immittit Diabolus religiosis, circa difficultatem, quam experiuntur in benè agendo, ex hoc enim oritur fastidium, nausea, aversio ad opera laboriosa, & spiritualia. *op. de prof. religiof. lib.2.cap.2.*

119. *Tentator est serpens ignitus incendens concupiscentiam ad mortem.*

Misit ignitos serpentes, &c. Nota, quòd per hoc exprimitur effectus Dæmonis tentatoris, qui ut serpens suo flatu incendit concupiscentiam nostram ad mortem. *Ps.118.c.11,v.11. & in Luc.c.11. v.11.*

120. *Christus figuratus in serpente Moysis.*

Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. Cur ad aspectum serpentis ænei voluit Deus liberare percussos à serpentibus deserti? Cur non per aliud signum? quia serpentis morsus mortem inferens figurabat morsum serpentis Diaboli, quo introduxit mortem in mundum, ideò voluit Christus præfigurari in serpente absque veneno, quia deglutivit mortem sua morte. *In Ioan.cap.3.verſ.14.& in Luc.cap. 23.verſ.33. & in ſapient. cap.16. & in Pſalm.118. verſ.99.*

121. *Ad aspectum crucifixi, & ad eius imitationem mors, & peccatum vincitur, & destruitur.*

Fecit Moyses serpentem æneum pro signo quem percussi intuentes sanabantur. Serpens ille, qui habet effigiem serpentis tantum carens veneno signat Dominum nostrum Iesum Christum, qui habet naturam, & effigiem hominis, tamen carens veneno peccati, ut quemcumque momorderit astutia Satanæ intueatur Christum in ligno pendentem, sed nota quod talis intuitus debet esse practicus, nempe conjunctus cum imitatione: Sic enim plenam inveniet curationem: unde si tentetur de honoribus inveniet mortem vilissimam: si de deliciis, mortem inveniet dolorosissimam; si de divitiis nuditatem paupertimam; & è contra virtute passionis Christi à morsibus antiqui serpentis medebitur: fuit igitur Christus signum salutiferæ curationis in passione. *fer.1. Dom.infrà oct.Nativit.& in Ioan. c.3.v.14.*

122. *Crux est palus, in quo erecto serpente æneo, scilicet Christo omnes sanantur.*

Fecit Moyses serpentem, &c. Nota, quòd palus, in quo erexit Moyses serpentem æneum figurabat Crucem, in qua positus, & crucifixus est Christus, ad cujus aspectum liberantur homines à morsibus Dæmonum: & ideò hoc signo crucis fideles muniuntur. *op.exposit. missæ c.4. & op. Comp.Theol. l.4.c.21.*

123. *Passionis Christi memoria liberat à morsibus peccatorum.*

Fecit serpentem, &c. ad cuius aspectum, &c. Nota, quòd ad solum aspectum sanabantur vulnerati à serpentibus, quia cum ibi figuraretur passio Christi, indicatur quod ad ejus aspectum: nempe ad ejus meditationem, & memoriam devotè factam nihil adeò durum est, & asperum, quod non æquanimiter toleretur. *op.Comp.Theol.l.3.c.17.*

124. *Christus exaltatus est se humiliando ad crucem, & nunc per fidem exaltatur à nobis.*

Fecit serpentem, & exaltavit eum, &c. Quomodò dicitur Christus exaltatus, si humiliatus fuit in cruce? quia humiliando exaltatus est in cruce, & per crucem, & nunc per fidem nostram exaltatur. *Psalm.67.*

125. *Medita*

125. *Meditatio divina legis, & Sacra Scriptura consideratio sanat vulnera, & firmat mentem in fide.*

Quem, cum percussi aspicerent sanabantur. Nota, quòd per serpentem expositum, & æneum sanabantur in eum aspicientes, & in sanitate firmabantur: per hocque significatur, quòd aspiciens per meditationem ad legem divinam, & ad Sacram Scripturam (quæ tota est de Christo) sanatur à vulneribus peccati, & firmatur in fide contra serpentes infernales. *Psal.* 118.*v.*99.

126. Oratio quàm efficax ad liberationem flagellorum: id patet in oratione, quàm sæpè fudit Moyses pro populo. *c.*11.*&* 12.*&* 21. *op.Bibl.paup. c.*11.12.16. *&* 21.



CAPUT XXII.

127. *Peccator est asinus Diaboli, & à Deo percutitur per adversitates, ut resipiscat, &c.*

Surrexit Balaam manè, stravitque asinam suam, &c. Cur super asinam voluit Balaam ire ad maledicendum populum Dei, & non potiùs pedester? quia per hoc significatur, quòd homo progrediens ad malum est asinus portans Diabolum: (Balaam enim interpretatur devorans populum) qui ore pestiferæ persuasionis, eos quotidie devorat, quibus à confessione fidei reproba vita discordat: huic asinæ, scilicet animæ peccatrici Angelus, idest prædicator, & confessor gladium divinæ severitatis ostendit, ut eam terreat, & resipiscere faciat à peccato, & triplici percussione, scilicet in re, in amicos, & in corpore percutit, ut magis sentiens adversitatis stimulum ad Dominum convertatur. *serm.*3.*Dom.Palmarum.*

128. *Consideratio divini iudicij facit animam peccatricem loqui in confessione.*

Asina Balaam videns evaginatum gladium, locuta est, &c. Nota, quòd nunc Deus tenet gladium in vagina misericordiæ, & in judicio evaginabitur: quando verò anima per considerationem videt hunc gladium evaginatum, scilicet severitatem divinæ justitiæ, faciliter loquitur in confessione, & oratione, se convertens ad Deum. *ser.*2.*Dom. palmarum.*

129. *Angeli Assistunt vigilantibus, & resistunt male operantibus.*

Stetitque Angelus in via contra Balaam, &c. Cur contra Balaam? non sunt Angeli custodes etiam peccatorum, non adversarij? ut intelligas, quòd Angeli sicut assistunt benè operantibus, sic resistunt desidiosè operantibus, & malè operantibus, obsistunt: igitur Angeli boni peccatoribus ponentes impedimenta: frequenter enim ex natura corrupta, tum ex infirmitate contracta, tum ex malitia concepta laberemur in peccata multiplicia, nisi Angeli Sancti obviarent nobis: O felix adversarius noster, de quo dixit Christus *Matth.*5. *esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via* sermon. de Sancto Michaele Archangelo.

130. *Visiones Angelorum præcisè non faciunt sanctum, sed bonæ operationes.*

Cernens Asina Angelum, &c. Vide, quod visio Angelorum, & cum eis collocutio non faciunt sanctum, sed bonæ operationes: nec enim ex alloquutione Angelorum Balaam, & Asina, nec ex visione ejusdem Angeli fuit Sanctus Balaam, nec Asina: unde in visionibus spiritualibus cautè, & humiliter est procedendum. *opusc.de prof. Religios. lib.*2.*cap.*75.

131. *Loquens verba sancta, sed malam voluntatem habens est sicut asina Balaam.*

Cur me percutis? &c. Quomodò data fuit colloquutio Asinæ, si loquutio est propriè tantùm rationalium? quia Angelus formavit verba per linguam asinæ: ut intelligas, quòd loquens benè, & malè operans, vel malam voluntatem retinens, est sicut Asina Balaam. *In Ioan.c.*11.*v.*52.

132. *Prælatus malus proferens verba bona est sicut Asina Balaam.*

Cur me percutis? &c. Ergo Asina erat animal rationale? minimè: sed per hoc significatum est, quòd aliquando Deus utitur lingua Prælatorum Perversorum ad bonum profectum subditorum, licet ipsi sint sicut Asina Balaam: Deus enim aliquando utitur ministerio malorum ad bonum finem, licet ipsi pleni sint pessima voluntate, ut etiam evenit in Caipha. *In Ioan. cap.* 11. *vers.*52 *& cap.*18.*v.*14.

133. *Consuetudo mala reddit hominem cæcum, & impavidum in malis.*

Cur me percutis. Mirum est, quòd Balaam non expavesceret ad vocem Angeli, & Asinæ videns tam insolitum prodigium! & id fuit, quia habebat consuetudinem conversandi cum monstris, scilicet Dæmonibus, & ideò nullo timore ad vocem asinæ, & Angeli fuit impetitus. *In Sap. cap.*17. Vide ergo quid facit conversatio cum Diabolo, & mala consuetudo: nam in malo assuetos non convertitur per quodcumque prodigium, etiam insolitum.

134. *Appetitus superior animæ, si superat inferiorem, tribuit ei vitam spiritualem; è contra si vincitur moritur etiam spiritualiter.*

Nisi asina declinasset à via dans locum resistenti, te occidissem, & illa viveret. Sed cur vita perversi Balaam servatur ad declinationem asinæ? cur non potiùs occiditur? Nota, quòd Balaam significat appetitum rationalem: asina inferiorem, & animalem: via errorem, declinatio timorem, Angelus correctorem: Dicit ergo Angelus, scilicet corrector, quòd nisi asina, scilicet appetitus inferior à viæ suæ errore declinasset præ timore, appetitus superior mortuus esset morte spirituali, & inferior viveret vita carnali. *Psal.*118.*c.*2.*v.*5.

135. *Munerum acceptio trahit ad quodcumque ſcelus.*

Nota, quòd Balaam ductus eſt ad maledicendum populo Dei ob mercedem iniquitatis, & muuerum oblationem factam à Rege Balach. *op. Bibl. paup. c.73.& 76.* Vide peſſimos effectus avaritiæ, & acceptionis indebitæ munerum, maximè in Prælatis, & Religioſis.



CAPVT XXIII.

136. *Excommunicatio illata injuſtè ferit excommunicantem, non excommunicatum.*

Quomodò maledicam, cui non maledixit Deus? Hoc dicebat Balaam licet perverſus: ex hoc addiſcere debent Prælati, ne juſtos feriant excommunicatione, & maledictione, cum ſint à Deo benedicti, & hinc habenir ſenſus illius dicti. *Excommunicatio ſive juſta, ſive injuſta ſemper eſt timenda*; idest ſi juſta, eſt timenda ab eo contra quem fertur; ſi injuſta, ab eo, à quo fertur. *op. quarè FF. Min. prædicent.*

137. *Prophetia non eſt ſignum certum ſanctitatis, cum etiam aliquando mali prophetaverint.*

De ſummis ſilicibus, &c. idem, *& cap. 24. verſ. 2. irruit ſuper eum ſpiritus Domini.* Vide, quomodò Balaam verè prophetabat; ut intelligas, qòòd aliquando Deus per malos revelavit ſua ſecreta. *In Eccleſ. proœm.*

138. *In Deo ſolo eſt veritas, in homine mendacium, & vanitas: ideò illi, non iſti fidendum.*

Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur, &c. Si hoc eſt verum, ergo omnis homo mendax, & vanus, ergo in ſolo Deo eſt veritas, & ſtabilitas, & in ipſa fidendum, non in homine. *ſer. 1. de uno Confeſſore, & op. de Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 6. & in Luc. c. 1. v. 37. & c. 11. v. 9. & c. 13. v. 12. & c. 18. v. 13.*



CAPUT XXIV.

139. *Calumniatores ſunt potiùs animalia, quàm homines corde & oculis cæci.*

Dixit homo, cujus eſt obturatus oculus. Vide quomodò Balaam ſic impellente Spiritu Dei fatetur ſe cæcum, & obturatum corde in operando, eo quòd tentaverit calumniari populum Dei: Taleſque ſunt proximi calumniatores, tanquam à Diabolo excæcati. *Pſal. 118. c. 9. v. 6.*

140. *Prædicator, & auditor verbi Dei, & non factor à Deo reprehenditur.*

Dixit auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam Altiſſimi. Per hoc patet, quòd tunc loquens Spiritu Dei impellente Balaam fatetur ſe eſſe reprehenſibilem, & quia noverat legem Altiſſimi, & non adimplebat eam; dicere enim bene, & malè facere eſt Deo valdè exoſum. *In Luc. c. 6. v. 49.*

141. *Sacra Scriptura radix, folia, & fructus mirabilia ordinata ad Chriſtum.*

Quàm pulcra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios. Sed cut voleos declarare pulchritudinem ordinis tribuum Iſrael, eas aſſimilat vallibus frondoſis? ſed nota ordinem pulcherrimum, & myſteria, quæ nobis iodixit Dominus in figuris traditis de pullulantibus fructibus Sacræ Scripturæ: primò enim radices præmiſit in Abraham, deinde plantam & ramos in Iacob, &c. & deinde in duodecim tribubus Iſrael, ad quos ſecuta eſt lex tamquam germinatio filiorum, quæ umbram habebat; ideò comparat eam Propheta vallibus nemoroſis, quæ ſunt myſteria Sacræ Scripturæ, eorum enim amœnitatem nemo poteſt perfectè cognoſcere, hinc ex foliis flores producti ſunt in Prophetis, & tandem fructus productio in Chriſto ſubſecuta eſt. *ſer. 14. Hexaem.*

142. *Virtutum varietas contemplativorum reddit Eccleſiam, & animam tamquam tabernaculum, & hortum pulcherrimum.*

Quam pulchra ſunt tabernacula tua Iacob, &c. Vide, quid eſt, quod reddit animam, & Eccleſiam dignam laude, & ornatam pulchritudine, ſcilicet varietas virtutum, & operationum bonarum, taleſque præcipuè ſuot contemplativi. *Eccleſ. c. 2.*

143. Chriſtus à cunctis antiquis Patribus deſideratus: ſic etiam Balaam dicebat: *Videbo eum, ſed non modò, &c. In Luc. c. 10. v. 24.*

144. Nomen Ieſus eſt ſtella ex Iacob oriens Mundo, & nos illuminans in tenebris hujus vitæ, de qua ſtella dictum eſt, *hoc orietur ſtella ex Iacob: op. meditation. vita Chriſti. c. 100.*

145. *Maria Virgo eſt ſtella myſtica, cujus radius eſt Chriſtus, qui tamquam virga, expellit tenebras inimicorum.*

Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab. Si per ſtellam intelligitur Beata Virgo, & per virgam ex ſtella natam intelligitur Chriſtus, quam proportionem habet virga cum ſtella? Virga ex virgulto, ſtella eſt in Cælis? optimè conſonat hæc metaphora, nam ex ſtella oriuntur radij, qui veluti ſunt virgæ ſtellæ propellentes tenebras inimicas: ſic Beata Virgo fuit ſtella propter refulgentiam virtutum, & gratiarum: cujus unicus radius fuit Chriſtus Ieſus, ex ipſa ortus totum orbem liberans à tenebris, & illuminans, præfulget in ſupernis, & inferos penetrat. *opuſc. ſpecul. Beata Virg. lect. 3. & ſer. 1. in Paſcha.*

146. *Maria eſt ſtella illuminans mundum, & virga hoſtes infernales fugans, & propellens.*

Orietur ſtella ex Iacob, & virga, &c. Nota, quòd non ſolùm eſt Maria ſtella maris, ſtella puriſſima, radioſiſſima, & utiliſſima ad littos patriæ nos dirigens: eſt & virga virtutis Dei contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur: meritò

ergo

ergo à nobis amatur, laudatur, & exornatur. *op. B. V. lect. 3. & in Luc. c. 1. v. 27.*

147. *Christus est virga virtutis Dei ad nostrum solamen, & ad triumphandum de inimicis.*

Et consurget virga de Israel, & percutiet principes Moab. Nota ex stella oritur radius: ex Maria ortus est Christus, qui fuit & radius, & virga virtutis Dei, qui virtute proprij sanguinis percussit infernales duces superbi Moab, & per suam multiformem sapientiam fallens fraudem proditoris Diaboli per mortis inductionem abstulit sibi captivum hominem quem possidebat, & medelam inde salutis tulit, scilicet de ligno, hostem, unde læserat, decipiendo, & vincendo. *ser. 1. in Pascha.*

148. *Ioannes Apostolus fuit aquila in Cœlum ponens nidum suum.*

Robustum habitaculum, in petra nidum ponens, &c. Nota hoc dici potest de sancto Ioanne Evangelista, qui ut aquila in habitaculo pectoris Christi posuit nidum suum se elevando à terrenis ad cœlestia. *In Ioan. proœm.*



CAPVT XXV.

149. *Vestes delicatæ mulierum attrahunt ad libidinem.*

Israel fornicatus est cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad Sacrificia, &c. Quomodò inductus est populus iste ad tantum scelus? quia ornatæ erant vestibus delicatis: ex quo patet, quod habitus asper facit carnem castiorem. *op. Diat. sal. tit. 4. cap. 4.*

150. *Iustus alius verus, & verè talis apud Deum, alius putativus, &c. ubi de religiosis exterius cæremonias verè peragentibus, sed intus in peccato existentibus.*

Populus Israel fornicatus est cum filiabus Moab. Nota, quod non omnes, qui apparent justi, verè sunt tales: populus Istael erat quantum ad exteriores cæremonias populus Dei, sed per fornicationem cum Moabitis apparuit qualis esset; sic plures sunt justi superficialiter, & cæremonialiter, qui scilicet corpore tenentur cum filijs Israel, sed mente cum filiabus Moab fornicantur; sic & qui licet librum tenet in gremio, idest qui voce exteriori psallit in choro, sed mente vagatur in foro: *Psalm. 141.* Hoc dicitur de Clericis, qui corpore sunt in choro, dum cantant laudes Dei, sed corde sunt in negotio, ut dicebat S. Bernardus.

151. *Principes puniuntur ob peccata subditorum, procedentia ex ipsorum negligentia, & culpa.*

Tolle principes cunctos populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus. Sed quæ justitia est hæc? peccat populus, & puniuntur Principes? puniuntur meritò, quia peccavit populus ob injustitiam, & negligentiam Principum. Valde enim reprobatur in superioribus non solùm nequitia consiliorum, sed & negligentia officij, & injustitia. *serm. 1. Dom. 16. post Pentec.* Ex hoc patet, quod Principes puniuntur, non solum pro peccatis suis, sed & pro peccatis subditorum suorum, quibus dicitur à Deo. 3. *Regum cap. 20. Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius: & in sap. cap. 6.* dicitur: *durissimum judicium fiet his, qui præsunt:* nam peccata Prælatorum sunt graviora, tum ratione commissi officij, in quod male intraverunt, vel quod male exercuerunt: tum ratione damni ob mala exempla, tum ratione scandali. *in sap. cap. 6. & in Luc. c. 19. v. 47.*

152. *Zelus honoris Dei à Deo præmiatur.*

Quod cum vidisset Phinees, accepto pugione, & perfodit ambos simul, &c. Nota quod pro hoc egregio facinore Phinees adeptus est sacerdotium sempiternum, ut videas, quam Deo placeat, & quantum remuneretur habentes zelum observantiæ legis suæ. *In Luc. c. 22. v. 50.*

153. *Diabolus habet septem filias, scilicet vitia capitalia, quas tradit hominibus, & præcipue obdurationem, ob quam invenitur æterna damnatio, quæ est dos, quam tradit Diabolus.*

Quod cum vidisset Phinees Israelitam fornicantem cum filia nobilissimi principis Madianitarum, simul ipsam cum illo interfecit. Mysticè Phinees est Christus; hic princeps est Diabolus, qui habet septem filias, scilicet septem vitia capitalia, quas tradit hominibus; aliquisque habet unam, alius plures, alius omnes: & quanto quis plus habet filias Diaboli, tanto plus habebit de hæreditate eius, scilicet de igne æterno, quando cum filiabus veniet ad Infernum. Istæ filiæ habent alias filias, scilicet vitia de ipsis nascentia: væ tibi si matrem cum filia habueris: Nobilis principis filia est iniquitas operis: nobilioris est nequitia consuetudinis, & nobilissimi est obduratio impœnitentis; qui hanc habuerit gladio Phinees, idest sententia Christi damnabitur. *ferm. 1. Dom. quadragesima.*

154. *Malorum societas vitanda, tanquam hostium, & inimicorum crudelium.*

Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos. Cur voluit Dominus, ut filij Israel, hostes, & inimicos haberent, & inimicitias exercerent? Nonne dixit, *diligite inimicos vestros, benefacite ijs?* Voluit Dominus, ut homo diligeret omnem proximum suum, sed tamen non cum omnibus conversationem voluit admitti, neque cum Madianitis, scilicet cum ijs, qui malo exemplo alios pertrahunt ad malum; vult igitur, ut isti fugiantur tanquam hostes, cum nihil ita noxium sit, sicut conversari cum perniciosis. *In Luc. cap. 17. v. 1.*



CAPVT XXVI.

155. *Ex qualitate finis, & intentionis, qualificatur ipſum opus.*

Numerate omnem ſummam filiorum Iſrael à viginti annis, &c. Si Deus præcepit numerationem eorum, qui poterant eſſe expediti ad pugnam, cur poſtea David ex numeratione populi punitus eſt? quis David ob ſuperbiam, & vanam gloriam numeravit populum: Moyſes ex mandato Dei: ex qualitate enim intentionis bonæ & malæ, idem opus eſt bonum, vel malum. *l. 4.d.14.p. 2.dub.13.*



CAPVT XXVII.

156. *Prælati officium eſt vita, & exemplorum perfectione præcedere.*

Provideat Dominus hominem, qui ſit ſuper hanc multitudinem, qui poſſit exire & intrare ad eos, & deducere illos, &c. Vide quales conditiones exigantur in Prælato; qui ſcilicet vitæ, & exemplorum perfectione præcedat omnes: tunc enim facile omnes ipſum ſequuntur. *in Ioan.c.10. v. 6.* Sed cur dicit; *qui poſſit exire, & intrare*? nonne Prælatus poteſt pro libito exire, & intrare? ſed nota myſterium exigit Deus talem vitam ſanctam in Paſtoribus, qui poſſit ingredi cum totali fiducia ad Deum interpellandum pro ſubditis, & egredi ad executionem, & ad impletionem mandatorum Dei. *in Ioan. collat.48.*

157. *Prælatus debet eligi à Deo, vel Dei ductu, non hominum.*

Provideat Deus hominem, &c. Nota quod dicit, *provideat Deus*, non autem provideant ſibi Principem filij Iſrael: quia electio debet fieri Dei ductu, & Dei poteſtate, non humana, ſcilicet ob cognationem, vel cupiditatem. *in Ioan.c.15.v.16.*



CAPUT XXVIII.

158. *Incipientes, & pænitentes offerentes primitias bonorum operum, quam chari Deo.*

Dies primitivorum quando offeretis novas fruges Domino, venerabilis, & ſancta eſt. Nota myſticè hæc dies ſancta eſt, & Deo chara, quando pœnitens, & incipiens novas fruges virtutum, & operum Deo offert: has fruges debent diligenter congregare pœnitentes pro tempore neceſſitatis. *ſer.1.Vigil. Nativitatis*: hoc etiam dirigitur ad juvenes: cum enim primitias vitæ Deo offerunt, tunc celebratur ſolemne feſtum Deo.

159. Diebus feſtis abundantius Deum laudare debemus: & hinc Deus præcepit, ut in ſabbato duo agni offerrentur, in cæteris unus tantum. *op. Bibl.paup.c.19.*



CAPVT XXIX.

160. *Octavarum in feſtis celebratio eſt myſtica, & ſancte inſtituta; ſeptem diebus celebrabitis ſolemnitatem, &c. octavus erit celeberrimus, &c.* Vide *in Levitic.c.23.n.11.*



CAPVT XXX.

161. *Coniuges non habent poteſtatem vovendi aliquid in ijs, in quibus unus alteri ſubeſt: ſed differenti modo tamen in viro, & uxore.*

Mulier ſi voverit, & ei contradicat vir, non erit promiſſionis rea. Ergo uxor non poterit vovere abſolutè aliquid? ſed reſpondetur, quod uxor cum ſit ſubjecta in omnibus viro, ſine eius licentia non poteſt aliquid vovere: Vir autem in ijs, quæ reſpiciunt debitum conjugale, non poteſt: in cæteris verò poteſt. *lib.4.d.38.a.1.q.3.& d.32.dub.3.*

162. *Vota religioſorum ſunt cæteris eminentiora.*

Si quis votum Domino voverit, &c. Nota quòd hic præcipit Deus impletionem votorum; ſed attende, quod ſecundùm qualitatem votorum, etiam actus erit magis vel minus perfectus: alij enim vovent vitulos, alij arietes, alij domos, vel res externas: ſed Nazaræus ſemetipſum, ſcilicet religioſus, & ideò etiam talis ſtatus eſt cæteris in Eccleſia Dei perfectior. *op.apol.paup.reſp.1.c.3.*



CAPVT XXXI.

163. *Proprium eſt iudicis ex amore iuſtitiæ relevare oppreſſos, & opprimere malos.*

Vleiſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. Cur non ordinavit Dominus, ut Moyſes proximos morti totus intenderet ad parandum ſe ad mortem, & relinqueret ultionem faciendam de inimicis ſuo ſucceſſori? quia Deus voluit exemplum dare Iudicibus, ut exercerent ſe diligenter in relevando oppreſſos, & puniendo oppreſſos, nec remitterent tale munus ad ſucceſſores, dum ipſi poſſunt, & ut intelligerent, quod talis actus ſecundum juſtitiam eſt Deo ſuper omnes chariſſimus. *in Luc.c.18.v.5.*

164. *Scandalum alteri præbens dignus eſt morte.*

Cur fœminas reſervaſtis? nonne iſta ſunt, quæ deceperunt filios Iſrael, &c. Vide quam ſit verum, quod ſcandalum eſt homicidium ſpirituale, ideoque ſcandaloſus dignus eſt morte. *in Luc.c.17.v.5.*

165. *Oblationes fiunt in templo, ut ministri orent pro offerentibus.*

Ob hanc causam offerimus in donarijs Domini, ut depreceris pro nobis. Vide ad quid institutæ fuerint oblationes in templo: scilicet non solùm ad cultus Dei reverentiam, & pro gratiarum actione, sed & propter indulgentiã peccati. *In Luc. c. 21. v. 1.*

166. Obedientia à Deo protecta, inobedientia verò ponita: patet in filijs Israel, qui cum pugnassent contra mandatum Moysis, multi à paucis victi sunt. *Num. c. 14.* quando verò pugnaverunt ex obedientia pauci multos vicerunt. *opusc. Bibl. paup. cap. 25.*

CAPVT XXXII.

167. *Qui ad otium contemplationis se applicant, debent etiam ad opera laboriosa descendere.*

Dixit Moyses filijs Ruben: numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Vide quod contemplativi debent aliquando descendere ad opera laboriosa ad imitationem Angelorum ascendentium, & descendentium per scalam. *in Luc. c. 9. v. 33.*

168. *Boni in congregationibus aliquando dissentiunt sine culpa, sed cum intentione bona.*

Iratus Moyses dixit filijs Ruben: numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos sedebitis? Cur irascitur Moyses istis tam humiliter petentibus illam terram iam occupatam? Ex hoc patet, quod inter bonos aliquando oriuntur dissensiones non culpabiles, quod evenit, vel quia non omnes æqualiter cognoscunt veritatem, ideò diversimodè etiam judicant, vel quia onus non videns intentionem alterius, putat alia intentione agere; & displicet sibi, & tamen intentio utriusque erit bona. *op. determinat. super Regulam q. 20.* patet ex hoc, quod non ideò scandalizari debemus, si videmus inter bonos, etiam Prælatos dissensiones animorum.

169. *Perseverantibus usque in finem (qui sunt paucissimi) viriliter pertransierunt omnia pericula, & tentationes.*

Cur subvertistis mentes filiorum Israel, &c. Moyses reprehendit graviter filios Ruben, qui tædio laboris affecti de superandis hostibus non volebant amplius ambulare: per quod datur intelligi, quod reprehensione digni sunt, qui tædio laborum, quos subierant in itinere perfectionis, ad alias occupationes se convertunt; sed qui perseverantes, & viriliter procedunt, tandem omnes tentationes facilè superant, & coronantur gloria. *op. de profess. religios. l. 1. cap. 24.*

CAPVT XXXIII.

170. *Hæ sunt mansiones, &c.* Nota quod hic adnumerantur quadraginta duæ mansiones, & generationes, quia per quadragenarium numerum designatur universitas temporum, quæ ordinabantur omnia ad Christi adventum, qui in binario superadditum significatur, quia est lapis angularis uniens omnia simul. *in Luc. c. 3. v. 24.*

171. Duodecim Apostoli figurati in duodecim fontibus aquarum. Vide *Exod. c. 15.*

172. *Dilectio proximi socialis exigitur secundùm justitiam distributivam*

Pluribus dabitis terram latiorem, & paucioribus, angustiorem. Cur voloit Deus tali ordine fieri divisionem terræ? ut daretur nobis instructio, quod dilectio socialis mensuratur secundum debitam justitiam distributivam. *psalm. 118. cap. 6. v. 16.* Vide igitur, quando in congregationibus non omnis justitia servari debet; sed ad distributivam debet attendi.

CAPUT XXXIV.

173. Mare Tiberiadis, de quo, *in Luc. c. 5.* appellabatur pluribus nominibus: & hic appellatur mare Genezareth *in Luc. c. 5. v. 1.*

174. *Clerici nihil debent habere de terrenis, sed solum de cœlestibus.*

Hæc sunt nomina virorum, qui terram dividunt, &c. Notandum quod unicuique tribui data est pars in terra promissionis, excepta tribu Levitarum; sed cur hæc fuit excepta à possessione rerum temporalium, sed solùm ex decimis oblatis vivere debebat? quia Levitæ erant omnes de genere sacerdotali, & ad ministerium Altaris applicati: utique datur intelligi, quod Clerici non habent portionem hæreditatis, nisi de patrimonio Christi crucifixi: & hæc est ratio, quarè cum suscipiunt coronam, vel primam tonsuram cantatur hic versus: *Portio mea Domine sit in terra viventium. in Psal. 118. v. 57.*

CAPUT XXXV.

175. *Maria Virgo præcipuè, & sancti sunt civitates refugij, &c.*

Decernite, quæ urbes debeant esse in præsidia fugitivorum. Nota quod Deus voluit, ut designarentur urbes refugij, in quibus rei possent vivere securi: mysticè voluit in Ecclesia designare etiam urbes refugij, ad quas, qui confugerent essent ibi tuti; & quænam sunt istæ Vrbes? Prima, & potissima est Beata Virgo: hæc est civitas regalis, & præsidium, refugiumque tutissimum nostrum, & turris fortitudinis tuens nos, ab omni malo nos liberans. *op. in salve Regina; & op. Laus Beatæ Virginis Mariæ, & op. Psalt. Virgin. Psal. 60. & litania, B. V.* Sancti etiam dicuntur muros civitatis Hierusalem defendendo ipsam ab incursione inimicorum. *Psal. 79.*

CAPUT XXXVI.

176. *Nubant mulieres tantum hominibus suæ tribus.* Nota quod voluit Deus, ut mulieres tantum nubetent hominibus suæ tribus: sic enim voluit, ut per eamdem genealogiam posset exprimi origo sancti Ioseph, & Beatæ Mariæ Virginis. *l. 4. d. 30. a. 1. qu. 2. & in Luc. c. 1. v. 5.*

LIBRI



LIBRI DEUTERONOMII
PROLOGUS.

HIC liber appellatur Deuteronomium idest denua legis repetitio, quia in ipso ad memoriam reducuntur denuò divina beneficia populo Israelitico facta: præfigurabatur per hoc lex Evangelica, ut arctius infigatur memoriæ Incarnatio Verbi, quæ est beneficium beneficiorum, ubi de semine Iudæ prophetam suscitandum commemorat, & hic terminatur Pentateuchus Moysis, quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur. *op. principium S. Scripturæ, & ex Biblia præfat. S. Hieronym.*



CAPUT I.

1. *Numerus prædestinatorum secundum finalem iustitiam est determinatus, non secundum præsentem.*

Deus multiplicavit vos, & estis hodie sicut stella Cæli: addat Deus ad hunc numerum multa millia. Nota, quod hæc multiplicatio filiorum Israel fuit figura prædestinatorum. Hoc stante, quomodò dicitur, *addat Deus ad hunc numerum*? ergone nulla est certitudo numeri prædestinatorum apud eum? Respondetur, quod certitudo à parte objecti, cum sit circa contingentia, nulla est certitudo: à parte verò Dei omnia distinctè prænoscentis determinata est: unde secundùm præsentem justitiam potest fieri additio ad hunc numerum: non verò secundùm æternam: quod verò dicitur, *Deus addat ad hunc numerum*, intelligi debet justificando plures, & vocando ad fidem. *l. 1. d. 40. a. 2. q. 2.*

2. *Prælatorum gubernatio recta affert secum multos labores, & occupationes, & indiget adiumento, & ministerio etiam alterum.*

Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus, ac jurgia. Quomodo hoc dicebat Moyses, cum à Deo fuisset ad hunc statum apicem regendi hunc populum, & consequenter sufficienti virtute imbutus esset, sublevatus? sed per hoc datur intelligi, quod cum Moyses esset mitissimus, & Deo familiarissimus, tamen voluit Deus, ut onus in plures gradus gubernationis populi partiretur, non valens tot negotia sustinere ad exemplum Prælatorum supremorum Ecclesiæ: Unde maximè necessaria est patientia, & levamen in Prælato maximè religioso, propter multiplices labores, & curas, & occupationes diversimodè emergentes. *op. de sex alis seraph. c. 5.*

3. *Prælatis Iudicibus maximè necessaria est sapientia.*

Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata. Vide quomodò sapientia (scilicet doctrina cum bona vita) est necessaria Iudicibus, & prælatis eligendis. *in sap. cap. 6. & in Ioan. c. 1. v. 48.*

4. *Iudex debet audire testes, & reum, nec esse præceps in iudicando, nec moveri timore, amore, odio, vel cupiditate. Idem & suo modo Confessarius.*

Audite illos, & quod rectum est iudicate. Hoc dixit Moyses Principibus populi, ut normam daret Prælatis, & Iudicibus, qui debent audire testes, & reum; & rectè, justèque judicare, non moveri aliqua passione, sed tantum ex amore justitiæ, sic enim præcipit Deus. *in Ioan. c. 7. v. 24.* Idem, & præcipitur suo modo Confessarijs, qui debent sine acceptione personarum examinare peccata, circumstantias, & secundum dictamen divinum absolvere, & judicare. *op. Confession. c. 1. p. 6.*

5. *Acceptio personarum Deo exosa.*

Non accipietis cuiusquam personam, &c. Hoc præcipitur Iudicibus, & Prælatis, quia acceptio personarum est, cum alicui personæ aliquid utilitatis impenditur, quod alteri deberet dari, & hoc ex affectione inordinata: quæ acceptio personarum intervenire potest in beneficijs, electionibus, honoribus, & judicijs. *ep. specul. animæ c. 3.*

6. *Prædicationibus*

6. Prædicatoribus incumbit onus prædicandi gloriam retributionis, ut excitent amorem in eam.

Considerata terra, exploratores sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem contulerunt ad nos. Huc debent facere prædicatores, scilicet non solum prædicare pœnam damnationis contra vitia, sed & ostendere gloriam retributionis, quæ per fructus terræ significatur, ut excitent auditores ad amorem virtutis. *fer. 2. Dom. 22. Pentec.* Hortantur hic prædicatores, qui solum aspera, & rigida auditoribus prædicant: debent enim etiam ipsos demulcere per promissa, & suavia exemplo Christi.

7. Detractores bonum convertunt in malum iudicio temerario, & murmuratione.

Murmurastis in tabernaculis vestris, & dixistis, odit nos Dominus, & idcirco nos eduxit de terra Ægypti, ut traderet nos in manus inimicorum. Vide perfidiam istorum, qui post tot portenta, & beneficia, ea verterunt in malum; sic & faciunt detractores, qui ex malignitate, quod est bonum, dicunt malum, signumque est superbiæ maximæ, & inhumanitatis. *in Luc. c. 15. v. 2.*

8. Oratio petens indiscreta, vel nociva non exauditur à Deo.

Cum reversi ploraretis coram Deo, non audivit vos. Cur Deus non exaudivit orationes cum fletu, & lachrymis factas? quia petebant nociva, & indiscrete, & male petebant. *op. de profect. religios. l. 2. c. 71.*

Capur II.

CAPVT III.

9. Concupiscentia quam nociva animæ.

Monstratur lectus ferreus Og regis Basan longitudinis novem cubitorum. Cur specialiter hic fit mentio lecti Og regis Basan, eiusque longitudinis quia iste rex significat hominem deditum concupiscentiæ, cuius lectus est ferreus in Rabatba, quæ nuncupatur grande peccatum, quia funibus ferreis constringitur sicut bestia, scilicet vitijs cogitationum, consensuum, & operationum; væ igitur illis, qui dormiunt jacentes in hoc lecto ferreo. *serm. 3. Dom. 18. post Pentec.*

10. Spes totaliter est in Dei adiutorio collocanda.

Ne timeas eos, Dominus enim vester pugnabit pro vobis. Hoc dixit Moyses populo Israel: hoc & dicitur continue nobis ab ipsa spe, & confidentia divina, quam immittit Dominus in nobis, nobisque dicens, ne timeas, quia Deus est misericors, & omnipotens, & pugnat pro nobis, & ideò plures nobiscum sunt, quàm cum adversarijs. *Psal. 123.*

11. Contemplativis pro hæreditate datur possessio Dei solius.

Transibo (ait Moyses) *& videbo terram hanc optimam, &c.* Sed quomodò id dicitur à Moyse, cum visurus non esset terram promissam? at loquebatur de visione contemplationis: nam contemplativus, qui ad hunc statum transiens accipit possessionem solius Dei, omnibus terrenis, & creatis rebus contemptis. *in Luc. c. 10. v. 42.* Vide qualem felicitatem Deus confert contemplativis etiam in hac vita, eos enim veluti beatos facit.

CAPVT IV.

12. Audire verbum Dei præcipientis, eique obedire, quam sanctum, & utile.

Et nunc Israel audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, & ingrediens possideas terram, &c. Ex his patet, quod Deus vult, ut non solum audiamus verbum Dei materialiter, sed & faciamus, & exequamur quod à Deo præcipitur: obediens enim felix est, & sanctè vitam degit, & securè moritur, & jucundè ad patriam pergit, ut evenit in Moyse. *ser. 4. de una S. Virg.*

13. Deus vult observantiam mandatorum suorum sine glossa, & additione, & diminutione, sic præcipit hic.

Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo: Custodite mandata Domini Dei vestri. in Luc. c. 3. v. 3. Nota igitur hic, quod omnia verba sacræ Scripturæ terminant in hanc vocem: Custodite mandata Domini Dei vestri, &c. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo, &c. Si Deus præcepit, ut nihil adderetur, vel minueretur huic legi Mosaycæ, quomodò ablata fuerunt in lege evangelica tot præcepta cæremonialia, & judicialia, & plura addita fuere in evangelica lege? Hæc est objectio, quàm contra Christianos faciunt Iudæi: sed Resp. quod novum testamentum est revelatio veteris, & vetus est novi occultatio: novumque addit ad vetus non aliquod falsitatis, nec pravæ expositionis, sed tantum majorem revelationem, & elucidationem, item, & majorem completionem, & perfectionem, item, & majorem confirmationem, & firmiorem testificationem: ideòque licèt præcepta legis veteris ducant ad vitam æternam, tamen non ducunt, nisi prout implentur fide per dilectionem operante, & quia fides, & charitas docentur, & suadentur in Evangelio ab ipso salvatore, lex enim per Moysen est data, gratia, & veritas per Christum, & cum ad hæc consilia evangelica superaddantur, hinc doctrina evangelica non est superflua, sed utilis, & evangelica, ideòque & est lege veteri nobilior, cum sit figurata per veterem, est & utilior, & magis necessaria, quia est suppletiva veteris, est & sublimior, immediatior, & compendiosior ad finem, quia lex vetus procedebat per carnalia promissa, hæc verò per cœlestia. *In Ioan. proœm.*

14. Magna confusio est Christianorum, qui cum electi sint, & introducti ad fidem Christi Deum ignorant, & ipsum non diligunt.

En populus sapiens, & intelligens, &c. Hoc dictum est in laudem populi Israelitici tunc temporis, quando in observantia præceptorum vivebat; sed postea in confusionem ipsorum idem dictum est à Christo ironicè cum profiterentur se nosse Deum, & tamen non cognoscebant ipsum, & operibus contrarijs ipsum offendebant. *in Ioan. c. 8. v. 5 a.* Id multis Christianis potest dici verè.

15. *Chriſtus maiorem miſericordiam in nos Chriſtianos oſtendit, quam in cæteros.*

Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes, ſicut nobis, &c. Quomodò dicitur Deus tam appropinquaſſe genti Iudæorum, cum ſit obique? Reſp. hoc dictum eſſe primò ob beneficia multiplicia immenſa ipſis largita; ſecundò hoc fuit dictum in figuram adventus Chriſti, qui nobis & corpore, & cordis affectu plus quam cæteris nationibus appropinquavit, dum toi beneficia maximè fidei elargitus nobis fuerit. *In Luc. cap. 19.v.41.*

16. *Cum Deus obſecrationes noſtras exaudit, tunc dicitur nobis appropinquare, idque ſolum conceditur habentibus veram fidem.*

Non eſt alia natio, quæ habeat, &c. ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus, &c. Nota, quod appropinquationi Deorum gentibus opponit exauditionem, quam Deus facit noſtris orationibus; ut ſcias, quod cum Deus, exaudit orationes noſtras, tunc nobis dicitur appropinquare, quod beneficium non habent adorantes idola. *In Ioan.c.4.v.22.*

17. *Quinam ſint, qui verè audire verbum Dei dicuntur.*

Si eſt gens talis, quæ audivit vocem Dei ſui, &c. Quomodò audierunt vocem Dei loquentis, ſi Deus non poteſt capi ſermone carnali? Nota quod aliqui audierunt ſpiritualiter vocem Dei loquentis, quia attenderunt, & in mente ſua retinuerunt, non enim omnis auditor verbi Dei eſt talis, ſed tantum qui audit, & cuſtodit, ſicut legitur de Beata Virgine. *in Ioan.15.v.38.*

18. *Vnicuique mandatur cuſtodia ſui, & anima propria: Prælatis verò etiam anima aliorum.*

Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicitè. Nota hoc dicitur unicuique volenti Chriſto ſervire: mandatur enim cuſtodia ſui in obſervantia mandatorum Dei? Prælatis verò maximè præcipitur hæc cuſtodia non ſolum animæ propriæ, ſed & ſibi ſubditorum, ſunt enim ſuæ. *in Luc. c. 17.v. 31.* ſed nota quod cuſtodia animæ in duobus conſiſtit: ſcilicet in abjectione peccati, & in conſervatione gratiæ: peccatum enim eſt mors; gratia vita animæ. *ſer.2.Hexaem.*

19. *Verbi Dei primus effectus eſt timor Dei.*

Congrega ad me populum, ut audiat ſermones meos, & diſcat timere me. Ex his verbis intelligendum eſt, quod primus effectus auditionis verbi Dei eſt timor Dei, ex quo ſequitur dilectio, & voluntatis divinæ adimpletio, *Pſal.118.c.1.v.7.*

20. *Deo quàm placeat timor, &c. & quales ſint fructus timoris Dei.*

Congrega, &c. ut diſcat timere me. Sed cur non dixit amare me, vel aliud opus bonum facere? quia timor Dei eſt fundamentum ædificij ſpiritualis, quia per ipſum homo relinquit peccatum, incipit agere bonum, & aſpirat ad optimum, & impeditur, ne recidat in malū & hinc ſequitur quod ſummo amore Deus proſequitur ipſum timentes, & è côtra opprimit ipſum non timentes. *ſer. 2. de uno S. Doctore.*

21. *Congregantur fideles in unum in Eccleſia ob multos bonos fines.*

Congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me. Cur voluit Deus, ut congregarentur populi in unum, nonne poterat eos inſtruere ſingillatim? ſed nota, quod id factum eſt ad majorem profectum ipſorum. Congregatio enim fidelium fit vel ad exercitium virtutum, vel ad addiſcendam veritatem in prædicatione; libentius enim Deus habitat in congregatione plurium. *in Luc.c.3.v.17.*

22. *Ex motibus aſtrorum non poſſunt fieri prædictiones morum hominum, qui pendent à libertate.*

Solem, & Lunam, & omnia aſtra Cœli creavit Deus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt, &c. Nota quod dixit ſtellas creatas eſſe in miniſterium hominis, ut addiſcas; quod ipſæ non prædominantur homini in regimine, & in virtote, alioquin eſſent creatæ in dominium, non in miniſterium: ergo ex eis non pendent principaliter mores hominis, licet enim influant in corpora, tamen non cogunt, ſed tantum diſponunt contingenter. *l.2.d.14.p.2.a.2.q.3.*

23. *Qui obliviſcitur ſuæ ſalutis, & beneficiorum Dei, ſimilis eſt Dæmonibus.*

Cave ne unquam obliviſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum. Videtur hoc præceptum impoſſibile: quis enim eſt, qui aliquando non obliviſcatur Dei? Reſpondetur, quod eſt oblivio quoad habitum, & quoad actum: oblivio autem quæ hic vetatur eſt, quando quis ita obliviſcitur ſalutis ſuæ, & beneficiorum Dei, ac ſi nullam cognitionem unquam habuerit; iſte ſimilis eſt Dæmonibus, qui cum convertuntur ad mala, inhabiles fiunt ad recolendum bona. *l.2.d.7.p.2.a.1.q.2.*

24. *Charitas conſumit ut ignis omne malum, & affert omne bonum.*

Deus ignis eſt conſumens, &c. Quomodò dicitur Deus eſſe ignis conſumens, & non potius perficiens? quia per charitatem conſumit peccati caliginem, ſicut ignis rubiginem à ferro. *Diæt. ſal. tit.5.c.2.& pſal.25.*

25. *Deus, & Dominus Ieſus Chriſtus ignis eſt accendens, & inflammans eos qui ſibi uniuntur.*

Deus ignis conſumens eſt, &c. Cur ſe aſſimilat igni? quia proprium eſt ignis incendere, & inflammare quæ tangit: ſic Deus illos, qui ſibi conjuncti ſunt, incendit, & inflammat: ſic & Apoſtolos Chriſtus inflammavit, & in eis conſumpſit omnem ſcoriam peccati, & ad puritatem conſimilem reduxit. *op. Eccleſ.Hierarch.p.4.c.2.& 6.*

26. *Aliquando ex divinis viſitationibus homo debilitatur, & emarceſcit.*

Deus ignis conſumens eſt, &c. Ex hoc patet ratio, quarè aliquando viri ſpirituales exercitationibus divinis elangueſcunt, & viribus corruunt: quia Deus, qui eſt ignis, fervorem ſuæ divinæ charitatis infundit tam vehementer in corde, & tanto fervore

feruore se dilatat, ut intra angustiam pectoris se capere non sufficiens, quodammodo erumpere conatur, quod cum retineatur intus ex humano pondere, intus cruciatur, & corpus valde debile motibus debilitatur, quia virtus diuinæ dulcedinis intolerabilis est humanæ imbecillitati terreni corporis, sicut si ignem vitro immittas, aliquando etiam in extasim, vel stuporem, vel phreneſim, vel in alios motus, vel hilaritatis excedentis, vel tremoris rapit. *op. de profectu religiosi.l.2.c.72.& op. mystic. Theol. cap.5.p.1.*

27. *Frigus peccati expellit ignem charitatis.*

Deus ignis consumens est. Ergo frigus ei opponitur, scilicet culpa, quæ à Deo separat, & elongare facit ab hoc igne. *In Ioan. collat.* 80.

28. *Qui quærit Deum toto corde, ipsum inuenit.*

Si quæsieris Deum in toto corde tuo inuenies eum, &c. Nota quod dicit, in toto corde, idest debitè, diligenter, & recta intentione. *in Luc. c.* 11.*v.*10. *& psal.*118.*c.*4.*v.*10.

29. *Prædicator non assumat officium docendi, nisi sit cœlestis.*

De Cœlo fecit te audire vocem suam, ut doceret te. Quomodò de Cœlo? si de summitate montis Sinai audierunt? mysticè datur intelligi, quod nullus debet assumere officium prædicationis, nisi sit præditus cœlesti virtute, & natura quoad scientiam, & mores. *op. Eccles. Hierarch. p.4.c.3.*

30. *Gratia Dei ignis est inflammans animam.*

De Cœlo fecit te audire vocem suam, & in terra ostendit tibi ignem maximum, &c. Cur de Cœlo vocem suam Deus immittit, & in terra ignem? de Cœlo immittit verba sua, ut dictum est, sed in terra infundit gratiam, quæ cor inflammat: Christus enim venit mittere ignem. *in Luc. c.*12.*v.*49.

31. *Verba Dei de Cœlo veniunt, sed ad animam penetrantia sunt ignis.*

Audisti verba illius de medio ignis, &c. Quomodo dicitur, quod voces eius venerunt de Cœlo, & postea de medio ignis? Nota quod postquam exposuit immissionem suorum verborum de Cœlo in terram, tunc dicit, quod ostendere faciet in eis suum ignem maximum, & tandem, quod de medio ignis exierunt: ut intelligas, quod verba Dei de Cœlo veniunt, sed penetrantia ad corda: sunt ignis, quia sunt verè ignea, illuminantia, & inflammantia animam. *ser.*1.*in cœna Domini.*

32. Tres personæ diuinæ sunt tres ciuitates refugij, significatæ in tribus ciuitatibus à Moyse designatis æquali spatio à se distantibus. *op. comp. Theol. l.*1.*c.*10.

33. Parentes instruere debent filios in ijs, quæ Deum respiciunt: sic Moyses præcepit filijs Israel, ut docerent filios ea, quæ ipsi viderunt. *op. Bibl. paup. cap.*55.

CAPVT V.

34. *Prælatus tenetur esse mediator inter Deum, & subditos.*

Ego sequester, & medius fui inter Deum, & vos, &c. Vide quomodò Moyses rectè adimpleuit munus Prælati; hic enim sicut debet negotium Dei gerere apud subditos, docendo, corrigendo, sursum agendo, ita etiam negotium subditorum apud Deum fideliter debet promouere, ipsum placando, gratiam recuperando, & conseruando à malo mediantibus precibus. *op. de sex alis seraphim cap.*8.*& op. apol. paup. resp.*4.*c.*3.

35. *Christus solus propriè fuit medius inter Deum, & nos.*

Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos. Qua veritate potuit dicere Moyses fuisse medium inter Deum, & populum, si medium participat de extremis, & Moyses nihil participauit de diuinitate, sed tantum homo fuit? hinc patet quod propriè id dicitur solùm de Christo, cuius figura fuit Moyses, scilicet Deus, & homo, ideò propriè ipse fuit pax nostra, qui utraque extrema fecit unum, fuit medius inter diem diuinitatis, & noctem humanitatis, peccatorum tenebras submouendo. *ser.*1.*Dom.*3.*Aduentus.*

36. *Deus præcipit sui adorationem, & prohibet Idololatriam.*

Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de Ægypto, non habebis Deos alienos in cõspectu meo. Quid est in conspectu meo? ergone solum prohibetur idololatria in conspectu Dei? sed nota, quod hic & in sequenti capite præcipit se solum adorari: ideò præcipit latriam, & prohibet idololatriam. *lib.*3.*d.*37. *dub.*1.*& d.*9.*a.*1.*q.*2. Sed cur præmittit ad hoc præceptum, *Ego sum Dominus Deus tuus,* qui eduxi te? quia per hoc voluit insinuare rationes, cur debeat adorari solus: scilicet per ly *(Dominus)* indicat potentiam Patris, per ly *(Deus)* sapientiam Filij, & per ly *(tuus)* bonitatem Spiritus Sancti: in hoc qood dicit *(ego)*, notat identitatem essentiæ, sicque insinuat se esse Deum trinum, & unum creatorem uniuersorum: notat etiam per ly *(ego)*, se esse eum, qui fecit nos in esse naturæ, & per ly *(eduxi te)*, notat donum reparationis per Verbum incarnatum, & ob id nos constituisse in esse etiam gratiæ: ex quibus euidenter sequitur solum Deum esse adorandum, & ipsi soli seruiendum. *serm.* 2. *in op. de decem precept.*

37. *Deus præcipuè adorandus in templo Deo ipsi dicato.*

Ego sum Dominus, &c. Si vult adorari Deus, quæritur in quo loco? Resp. ubique, sed tamen præcipuè in templo, & domo Dei Ecclesiastica, quæ facta est, ut illic quidem præcipuè colatur per actum orationis, & adorationis, per quod impletur primum præceptum legale. *in Luc. c.*19.*v.*46.

38. *Non solum idololatria committitur ab infidelibus, sed etiam sæpè à Christianis.*

Non habebis Deos alienos. Qui sunt isti dij alieni? nota quod hic prohibetur idololatria non solùm, quæ ab infidelibus, & Paganis committitur, sed à Christianis ambitiosis, auaris, & gulosis, & voluptuosis, qui Deum postponunt colentes honores, pecuniam, & ventrem. *op. Diæt. sal. tit.*5.*c.*2.

39. *Pœnitentes verò adorant Deum, ipſumque diligunt.*

Ego Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum in filios, &c. Ad quid dicit Deus ſe eſſe æmulatorem, & punitorem? ut hominem invitet ad pœnitentiam, & ut intelligamus quod, ſicut peccantes punit, ſic & pœnitentes præmiat tamquam diligentes. *Pſal. 118. c. 11. v. 5.*

40. *Iuramentum falſum prohibetur.*

Non uſurpabis nomen Dei fruſtra, & ſuper re fruſtra. Nota quod in primo præcepto ordinatur homo ad ſummam Dei Maieſtatem adorandam, in hoc ſecundo ad veritatem Dei recognoſcendam, ob idque vetat iuramentum falſum: cum enim homo iurat falſum, tunc idem facit, ac ſi vellet, ut divina veritas mentiatur ſecum. *l. 3. d. 37. dub. 2. & op. de decem præcept. ſer. 3.*

41. *Prohibetur blaſphemia.*

Non uſurpabis nomen Dei, &c. Sed quænam eſt iniquior uſurpatio nominis Dei, quam blaſphemia, quæ eſt loquutio iniqua contra Deum, vel ſanctos? *op. Diat. ſal. tit. 3. a. 2.* Igitur blaſphemi ſuper alios peccatores uſurpant peſſimè nomen Dei.

42. *Obſerva diem ſabbathi, &c.* Vide quæ dicta ſunt *in Exod. cap. 26. de obſervantia feſtorum, & aliorum præceptorum.*

43. *Cuſtodia præceptorum conſiſtit in bonis operibus.*

Cuſtodite ea, quæ præcepit vobis Dominus, & facite, &c. Cur addit ad cuſtodiam facite ea, quia perfecta cuſtodia conſiſtit in voluntate, & dilectione, & actione per opera bona. *Pſal. 118. c. 7. v. 5. & 6.*

44. *Caro debet obtemperare ſpiritui, ſed ſpiritus debet etiam compati carni, ita ut ſervetur medium per diſcretionem.*

Non declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram, &c. Quid eſt declinare ad dexteram, & ſiniſtram? per dexteram intelligitur via ſpiritus, per ſiniſtram via carnis, vult ergo dicere, quod caro debet obedire ſpiritui, ſpiritus autem debet condeſcendere neceſſitatibus carnis, ne ſuccumbat ad moriendum: via ergo media diſcretionis eſt tenenda. *ſer. 1. Dom. 4. Advent.*

45. *Iuſtus non debet elevari in proſperis, nec deiici in adverſis.*

Nota quod declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram, &c. Nota etiam, quod per dexteram intelliguntur proſperitates, per ſiniſtram adverſitates: vult ergo Deus, ut caveamus, ne exaltemur in proſperis, nec deiiciamur in adverſis, ſed viam mediam teneamus. *op. Comp. Theol. l. 5. c. 6.*

46. *In via Dei perſeverandum ſemper: & divina dilectio eſt ſicut mors, & infernus, ſcilicet perpetua debet eſſe.*

Vt timeant te, & cuſtodiant mandata tua omni tempore. Ecce Dominus oſtendit effectum ſuæ bonitatis, cum optat in nobis, ut per eius timorem filialis reverentiæ continuè, & indeſinenter ſine diminutione adimpleamus eius præcepta: divina enim dilectio debet eſſe ſicut mors, & infernus, ſcilicet ratione continuitatis, quia quod ſemel ab eis rapitur, numquam dimittitur. *ſerm. 4. Dom. 17. poſt Pentec.*



CAPVT VI.

47. *Præcepta Dei cuſtodienda, quia ab ore Dei procedunt.*

Audi Iſrael, & obſerva, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus. Cur ad obſervantiam præmittit? ſed nota quod cum dicit (*audi*), vult erigere mentem ad præcipiendum, quod ex ore Dei mandantis procedunt mandata, quia talis cognitio eſt efficaciſſimum motivum ad cuſtodienda, & obſervanda præcepta. *in Eccleſ. 8.*

48. *Deus unus eſt, eſſeque plures Deos eſt impoſſibile, & inintelligibile.*

Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. Nota quod toties Deus replicat hanc unitatem Dei, ut pateret, quam ſtultè homines ſibi confingerent plures Deos, cum ſit impoſſibilis, imò inintelligibilis pluritas Deorum. *l. 1. d. 2. q. 1. & d. 23. a. 2. q. 2. & 3.*

49. *Nomen Domini Dei in memoriam nobis refricat debitum ſervitutis noſtræ.*

Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus eſt. Cur ad Dominum addit nomen Dei, & poſtea replicat nomen Domini? nonne ſufficiebat, ut vel Dominum, vel Deum ſe appellaret? vel ſolum una vice ſe Dominum appellaret? ſed nota myſterium maximum: *Deus*, bonitatem ſonat: *Dominus*, poteſtatem deſignat, per hoc igitur innuit, quod ſi filij Dei ſimus, hoc eſt merè bonitatis divinæ, non meriti noſtri: repetit autem nomen Domini, ut indicet, quod ſervitus, quam Deo exhibemus debitum eſt, non beneficium: *Pſal. 28.* In his igitur verbis intendit in memoriam reducere nobis beneficia à Deo recepta, & debitum, quod habemus, ipſum ſolum colendi, adorandi, & ſentiendi. *Diat. ſal. tit. 3. c. 2. & ſer. 1. & 2. in op. de decem præcept. In ſap. cap. 13.*

50. *In nomine Dei unius continetur omnis cognitio poſſibilis de divinis perfectionibus.*

Audi, Dominus Deus tuus unus eſt. Cur non dicit trinus, ſed unus? Deus unus eſt, & talis propoſitur, quia in hoc nomine continentur, & explicantur omnes perfectiones Dei: quia enim unus ſumme eſt, ergo ſumme primum, æternum, ſimpliciſſimum, actualiſſimum, fœcundiſſimum, & perfectiſſimum, & hinc impoſſibile eſt ipſum cogitari non eſſe, nec eſſe niſi unum ſolum. *op. Itiner mentis c. 5.*

51. *Ex unitate ſumma Dei ſublevatur mens contemplativorum ſupra omnia creata.*

Audi Iſrael Dominus Deus unus eſt. Quid prætendit

tendit Deus ex hac notitia summæ unitatis divinæ nihil aliud, nisi ut contemplativus extollat mentem supra omnia creata,& se conferat ad summæ unitatis divinæ contemplationem, & amorem. *ser.20.Hexaem.*

52.*Omnia præcipua beneficia à Deo nobis collata in his verbis recensentur.*

Audi Israel Dominus Deus tuus est. Nota hæc tria verba, in quibus recensentur præcipua beneficia nobis collata,& excitantia ad ipsi serviendum toto corde; dicit igitur, (*Dominus*) scilicet propter conditionem naturalis esse in creatione: dicit (*Deus*) propter collationem multiplicis gratiæ in conservatione: dicit (*tuus*) propter donationem sui ipsius scilicet in gratia, & gloria. *fer.4.Dom.17. post Pentecost.*

53.*Deus diligendus ex toto corde, ex tota mente, & ex tota fortitudine, &c.*

Videtur, quod non benè conformetur hoc præceptum cum præcepto Christi *Matth.* 22. ubi dicitur, quod diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente ubi non additur ex tota fortitudine; sed respondetur, quod in his, & in illis verbis præcipiuntur actus trium potentiarum animæ,ut se applicent ad perfectè diligendū Deum; dicitur autem ex toto corde, scilicet per rationalem, ex tota anima per concupiscibilem,& ex tota fortitudine per irascibilem: vult ergo Deus, ut sapienter, dulciter, & fortiter ipsum diligamus. *l.3. d.27.dub.3.*

54. *Vult Deus diligi à nobis perfectissimo modo.*

Diliges Dominum Deum ex toto corde, anima, & fortitudine. In quibus verbis dat nobis modum perfectissimè Deum diligendi: cum enim dilectio Dei exigat unionem animæ cum ipso Deo, nec possit ei uniri, nisi cognoscatur, hinc dicit, *diliges Dominum ex toto corde*, per intelligentiam, & cognitionem, scilicet per soliditatem fidei, fideliter credendo absque seductione per fallacias fictè imaginando alios Deos, & transeundo ad voluntatem opere comprobando efficaciter, ut nulla admittas contraria, ut scilicet cor totum detur, cui totum debetur; unde cum aliquid amamus suprà Deum, vel præter Deum, nequam est: sicut enim intellectus errat in cognoscendo, ita & affectus in diligendo: Secundò addit, *ex tota anima*, scilicet cum sinceritate animi in affectiva, ne alliciaris blanditiis, & te convertas ad exteriora, ne interponatur nubes aquosa carnalis frigiditatis,sed immediatè recipiat immissionem divinorum radiorum cor inflammantium: Tertiò.addit, *ex fortitudine tota*; idest cum fortitudine, & soliditate studij in affectiva, ne frangaris obsequiis, & pro eo mori non timeas. *Psalm.*118.*v.*38.*serm.*4. *Dom.*17. *post Pentecost.*

55. *Deus solus vult totum amorem nostrum in affectu, & effectu.*

Diliges Dominum ex toto corde tuo. Nota, quòd Deus vult totum amorem nostrum quoad affectum, & quoad effectum: nam non diligit ex toto corde Deum, qui de se aliquid relinquit, & dilectionem in effectu non ostendit, & cujus vita à corde discordat,non enim vult Deus partiri suum amorem: hinc exigit Deus fidem perfectam,pœnitentiam,& contritionem, munditiam à peccatis, obedientiam in præceptis, recursum ad ipsum in oratione, *fer.2. Domin.17. post Pentecost.& lib.2.distinct.38. artic.1. quæst.3.& lib.3. distinct.29. art.1. quæst.2. & in Luc. cap.16.v.13.*

56. *Deum ex toto corde non amat, qui alium finem sibi in actione præfigit.*

Diliges Dominum Deum ex toto corde, &c. Si vult nostrum amorem ex toto corde; ergo Deum non amat, qui alium finem principalem præter Deum sibi præfigit: adverte tamen, quòd duo principales fines non possunt eidem actioni præfigi: benè autem duo fines,quorum unus sit principalis,alter minus principalis, vel subordinatus: ut si quis vult ire ad Ecclesiam ad Deum colendum, & simul propter malum alium finem,hoc est illicitum; ille verò, qui vadit ad celebrandam Missam, & simul accipiendum stipendium, non in malum adhibendum, hoc potest licitè fieri. *lib. 2. dist.38. a.1.quæst.3.*

57. *Dilectio Dei exigit conformitatem ad suam voluntatem.*

Diliges Dominum Deum, &c. Si ergo vult Deus nostrum amorem, ergo etiam tenemur conformare nostram voluntatem voluntati Dei saltem in ratione volendi,scilicet liberaliter,sicut vult Deus, licet quoad actum non semper teneamur. *l.1. d.48. a.1.q.1.& art.2.q.2.*

58. *Dantur varij gradus in dilectione Dei secundùm magis, & minus.*

Diliges Dominum ex toto corde,&c. Si omnes tenemur diligere Deum ex toto corde, &c. ergo omnes erunt æquales in charitatis possessione? sed hoc est falsum, cum detur magis, & minus: quomodò ergo in omnibus datur dilectio ex toto corde? sed respondetur, quòd datur status in charitate multipliciter, scilicet, vel secundùm actum,cùm ampliùs non procedat, ut in viris perfectis, cum devenerunt ad mensuram decretam à Deo secundùm distributionem suæ sapientiæ: vel secundùm aptitudinem, sicut est in beatis, qui non possunt amplius proficere: aut secundùm possibilitatem suscipientis, & sic solum in Christo, & in Beata Virgine datur status: unde charitas omnimodè perfecta est in solo Deo;in genere verò est in creaturis, quæ pertingunt ad statum completum, ad quem sunt, & hoc est diligere Deum ex toto corde, anima, &c. *l.1.d.17.p.2.qu.ult.*

59. *In sola dilectione stat observantia omnium præceptorum.*

Diliges Dominum Deum ex toto corde, &c. Si supra in primò præcepto decalogi ordinavit dilectionem suam Deus, cur nunc ipsam repetit absque eo quod de aliis mentionem faciat? quia omne mandatum est de sola dilectione,& in sola charitate solidatur: multa quidem sunt præcepta, & opera nostra, sed si non maturentur, & excoquantur ab igne charitatis silvarica, & immatura sunt. *fer.8.de Apostolis.*

60. *In quonam conſiſtit perfectius modus Deum diligendi.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, & fortitudine. Cur hic addit, & *in tota fortitudine*, & non dicit, ut *in Luc.cap.*10.*ex tota mente tua?* Sed nota, quòd tam lex, quam ſancti Evangeliſtæ, licet diſſentiant in verbis, conſentiunt tamen in re, nam perfectus modus diligendi Deum, requirit ut referamus in ipſum cogitationes, & affectiones, & operationes omnes; quæ tria continentur in lege; ſed quia cogitationes ſunt intellectivæ cordis, & memorativæ mentis, hinc apud Evangeliſtas additur ex tota mente: & quia qui refert quod interius eſt, ſcilicet actum memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis in Deum, per conſequens refert opera, ideò in his tribus clauditur relatio omnium vitium, & ideò Sanctus Lucas addit ad majorem explicationem ex omnibus viribus tuis. *In Luc.c.*10.*v.*27.*& c.*13.*v.*21. *& in Ioan. collat.*64. Non ſufficit ergo dilectio interior abſque concurſu operum, quia fides ſine operibus mortua eſt, & dilectio cordis exigit exhibitionem operis.

61. *Impoſſibile eſt duobus Dominis ſervire.*

Diliges Dominum Deum ex toto corde. Vide quomodò Deus vult totum cor noſtrum, Diabolus ſimiliter: pugnant igitur ad inviecm Deus, & Diabolus circa poſſeſſionem cordis noſtri: ideò impoſſibile eſt duobus Dominis ſervire. *Luc. c.*16.*v.*13. *& c.*9.*v.*35.

62. *Peccatum non eſt oblivio præceptorum, niſi ſit voluntaria.*

Cave ne obliviſcaris Domini Dei tui. Ergone oblivio erit peccaminoſa, & quomodò poteſt eſſe talis, ſi non ſubjacet voluntati? ſed reſpondetur non eſſe peccaminoſam, niſi ſit voluntaria ſaltem in cauſa, vel concomitanter, vel antecedenter. *l.*2. *d.*42.*a.*2.*q.*2.*& d.*7.*p.*2.*art.*1.*q.*2.

63. *Deum timere eſt ipſum adorare, & ipſi ſervire.*

Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies. Nota quòd hic addit ſervitutem, & adorationem ad majorem expreſſionem, & executionem præcepti timendi Deum, quia in hoc verè conſiſtit perfectus Dei timor: adorare enim Deum, eſt ei totam mentem per humilitatem, & timorem filialem ad devotionem ſubſternere, & ipſum principium, ac finem omnis boni credere. *In Ioan. collat.* 22. *Vide Luc.c.*4.*v.*8.*&* 12.

64. *Incautè ſe exponens periculo peccati, tentat Deum.*

Non tentabis Dominum Deum tuum. Quid eſt tentare Deum? ergone homo poteſt tentare Deum? tentare Deum eſt velle præſumptuosè ſe exponere periculo tentationis, & lapſus, nimis confidens in ſe: hoc maximè cavendum eſt in familiaritatibus mulierum. *op.de profeſſ.religioſ.l.*1.*c.*38.

CAPUT VII.

65. *Gratia Dei expellit ſeptem vitia capitalia.*

Cum introduxerit te Dominus in terram, &c. & deleverit gentes ſeptem, &c. Nota quòd Iſraelitæ adjuti ab Angelo triumphaturi de ſeptem nationibus, quæ à Deo deletæ ſunt per id ſignificatur, quòd gratia Dei ſeptem vitia capitalia expellit, & diſſipat; ponitque Deum in poſſeſſionem ſuæ terræ, nempè animæ, ejuſque potentiarum, & affectionum, quæ priùs per peccatum in poſſeſſionem inimicorum erant devolutæ. *op. de profec. religioſ. l.*1.*c.*11.*& op.Hierarch.Eccleſ.p.*1.*c.*1.

66. *An matrimonium fidelis cum infideli ſit licitum, & validum.*

Non ſociabis cum Chananæis conjugia. Videtur quòd prohibitum fuerit Iudæis contrahere conjugia cum infidelibus, & tamen ſcimus, quòd Moyſis ſumpſit uxorem gentilem, & ſimiliter Ioſeph Ægyptiam: ſed advertendum quod Deus tantum prohibuit matrimonium in lege veteri cum Chananæis mulieribus, ex hoc quod Deus condemnaverat eas morti, & obſtinatæ erant in malo, non verò cum cæteris, dummodò abeſſet periculum lapſus in idololatriam: In lege autem nova prohibitum eſt cum carentibus fidei Sacramento ſcilicet Baptiſmo, non verò cum hæretica, *lib.*3. *d.*39. *art.* 1. *q.*1.

67. *Deus vult, ut ſocietatem malorum fugiamus, eſt enim perniculoſiſſima.*

Non inibis cum eis fœdus, nec ſociabis cum eis conjugia. Cur Deus permiſit, ut cum cæteris infidelibus inirent fœdus, & conjugia exceptis Chananæis? quia erant gentes in malo obſtinatæ, ideò in odium enormium peccatorum ipſarum, & ad vitandum periculum lapſus in eadem peccata, hoc prohibuit Deus ſuis ſequacibus. *l.*4.*d.*39.*art.*1.*q.*1. *& in Sapien.c.*12.

68. *Fideles juſti ſunt peculiaris populus Dei, & à Deo differenter, & cum ſpeciali gratia enutriti.*

Populus ſanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Nota hoc dictum eſt Iudæis, & tamen in Iudæis nunc reprobatis à Deo non verificatur: quomodò igitur verificantur hæc dicta? ſed advertendum, quòd verè dictum eſt, & verificatum de populo Iſrael, qui peculiariter maximis beneficiis, & manna, & verbis à Domino enutritus fuit: nunc verò hæc promiſſio tranſlata eſt ad Chriſtianos, de quibus verè hæc poſſunt dici: omnia enim hæc erant figura Sacramentorum novæ legis. *Sap.c.*16.

69. *Sterilitas*

69. *Sterilitas naturalis in mulieribus legis veteris erat ignominiosa: nunc autem sterilitas per voluntatem servandi virginitatem est laudabilis; sicut & opprobriosa sterilitas bonorum operum.*

Non erit sterilis apud te utriusque sexus. Nota quod in lege veteri sterilitas erat ignominiosa, quia fructum ventris illud tempus requirebat; nunc autem sterilitas voluntaria benedicitur, scilicet per observantiam castitatis, sicut è contra sterilitas bonorum operum maledicitur. *lib.4. d.33. dub.1.& in Luc.c.1.v.25.*

70. *Peccatum mortale est infirmitas pessima: Item & delectatio inordinata ad peccatum disponens.*

Auferet à te Dominus omnes languores tuos, & omnes infirmitates pessimas. Sed quomodò verificatur hæc promissio, cum certum est etiam Iudæos subjectos fuisse infirmitatibus variis? item quænam sunt istæ infirmitates pessimæ? sed respondetur, quod ibi loquitur de infirmitatibus spiritualibus, ad quas curandas missus est Christus medicus animarum, scilicet ad auferendos languores, nempè inordinatas delectationes ad peccatum disponentes, & ad curandas infirmitates pessimas peccati mortalis: verè enim est infirmitas occidens animam. *In Ioan.c.11.v.2.*

71. *Terror, & pavor est proprius inimicorum Dei.*

Crabrones mittet Dominus in eos, donec deleat eos; scilicet in inimicos Dei. Nota Crabrones sunt timores acerrimi pungentes acerrimè corda; hos immittet Dominus in eos, qui inimicitiam contra Deum, ejusque filios exercent, eos persequentes odiis, & cruciatibus; & hi Crabrones, timoresque sunt prænuntii furoris divini, & desolationis imminentis. *In Sap.cap.12.* Ex hac doctrina transfer mentem ad punctiones conscientiæ malorum, quæ non sinunt eos quietè vivere, suntque prænuntiæ pœnarum, quæ eis in Inferno imminent.



CAPUT VIII.

72. *Christi Domini ieiunium quadraginta dierum fuit in mora Iudæorum in deserto per quadraginta annos.*

Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret te, ut nota fierent, quæ in animo versabantur; afflixit te penuria, & cibaria magna dedit tibi. Nota quòd hoc fuit figura Christi Iesu, qui ductus in desertum à Spiritu Sancto, stetit ibi quadraginta dies (annus enim sæpè in Sacra Scriptura pro die annumeratur) per desertum asperitatis, ubi se afflixit primò fame, & postea cibatus ministerio Angelorum; & hoc ut nota fierent exempla suæ patientiæ. *fer.2.Dom.1. quadragesim.*

73. Non datur consolatio cælestis cibi, nisi præcedat afflictio cibi terrestris, ut patet ex hoc textu. *sermon.2.Domin.1.quadragesimæ.*

74. *Vult à nobis Deus reminiscentiam divinorum beneficiorum.*

Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum. Sed cur non reminiscitur beneficiorum, alibi, quàm in deserto receptorum? quia mansio filiorum Israel in deserto fuit figura mansionis nostræ in deserto hujus mundi: Nubis igitur hæc dicta sunt, ut recordemur beneficiorum acceptorum in deserto hujus mundi per tot annos: beneficiorum inquam temporalium, quæ in terra, in mari, in aere homini ordinavit; beneficiorum naturalium corporis: beneficiorum spiritualium, quæ Christianis super paganos, & infideles contulit, in Sacramentis, in fide, in virtutum collatione. *serm.3. Domin.5.post Pentecost.*

75. *Deus cum pane Sacræ Scripturæ, & meditatione mysteriorum fidei nostræ copulat etiam dulcedinem cælestem.*

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei, &c. Quomodò non in solo pane? nonne multi inveniuntur, qui solo pane nutriuntur etiam longo tempore? vult docere Deus, quod in solo pane lecturæ Sacræ Scripturæ non vivit homo spiritualis, nam cum tali meditatione connectit Deus dulcedinem cælestem. *fer.4. Domin.4.quadragesimæ, & serm.2.a.2.de uno Sancto Doctore.*

76. *Quarè in mensa religiosorum introducta fuerit lectio spiritualis.*

Non in solo pane,&c. Quæ conformitas est inter panem, & verbum ex ore prolatum? quomodò verbum etiam ex ore Dei prolatum potest loco panis enutrire? attende mysterium: nam comparat hic cibum corporalem cum spirituali, datque intelligere, quòd vir justus non est, nec debet esse contentus de cibo naturali pro enutriendo corpore; sed debet magis inhiare; seque providere cibo spirituali animæ: hinc est, quòd religiosorum mos antiquissimus sanctè est introductus, ut dum religiosi ad mensam cibum corporalem sumunt, lectio spiritualis simul inseratur, ut mens ruminando mysteria cælestia pascatur. *In Luc.cap.14.v.12.*

77. *Verbum Dei cibus est animæ.*

Non in solo pane,&c.Sed in omni verbo,&c. Ergo cibus animæ est verbum Dei, sicut enim cibus corporalis habet tria, scilicet saporem, nutrimentum, & massam, primum delectat, secundum nutrit, tertium onerat; sic & verbum Dei fauces spirituales delectat, pascit, & vegetat substantiam spiritualem; & massam aggravantem infirmitatem nostram ejicit. *Psal.118.v.103.*

78. *Pompa vestium contemnenda.*

Vestimentum tuum nequaquam vetustate defecit, &c. Cur Deus nobis Christianis non idem concedit, si hoc prodigium factum est Hebræis, quorum vestimenta per quadraginta annos non fuerunt vetustate attrita? Nota quòd hanc gratiam nobis non impertitur, ut sciamus, quòd de vestibus externis

ternis non est multum curandum: vultque à nobis contemptum vestium externarum. *Eccles.c.3.* Valdè autem absurdum est putridum cadaver pretiosa veste ornari. *In Luc.c.16.v.19.*

79 *Servi Dei debent vitam activam, simulque vitam contemplativam amplecti.*

Introducet te in terram bonam, terram olei, & mellis. Cur specialiter fit mentio de oleo, & melle? Nota, quòd hæc terra bona est status vitæ spiritualis: per oleum jucunditas contemplationis, per mel utilitas vitæ activæ in proximum; datur que intelligi, quòd vir spiritualis, non ita debet esse actuosus, ut contemplationem Dei deserat, nec ita otiosus, ut utilitatem proximi non requirat: sunt igitur duæ vitæ ad invicem simul connexæ. *In Ioan.collat.40.*

80. In gloria est abondantia omnium desiderabilium bonorum, quod exprimitur hic ubi dicitur, quòd in terra promissionis erit abundantia omnium. *Diat.sal.tit.10.c.4.*

81. *Dei memoria ejusque dilectionis semper habenda.*

Cave nequando obliviscaris Domini Dei tui. Vide quomodò Deus vult, ut memoriam Dei habeamus omni tempore, ideò præcipit, ut diligamus ipsum ex tota mente. *In Luc.c.10.v.27.*

82. *Mundi pericula quanta.*

Ductor fuit tuus in solitudine, in qua erat serpens flatu adurens, scorpio, & dipsas. Hæc solitudo est Mundus, in quo est serpens flatu adurens, scilicet inflans superbia, scorpio, qui in facie blanditur, & cauda interficit, scilicet concupiscentia: & dipsas, quæ mordendo facit homines sitire usque ad mortem, scilicet avaritia. *fer.3.Dom.1.quadragesima.*

83. *Sine Spiritu Sancto ductore, non potest homo se liberare à periculis Mundi.*

Ductor tuus fuit in solitudine, &c. Vide quomodò Iudæi transierunt liberi per desertum à tot serpentibus, & periculis, scilicet ductore Deo, ut intelligeremus, quod vincere non potest homo tentationes, nisi habeat Spiritum Sanctum ductorem; & è contra, qui ducatum Christi Iesu sequitur, liber evadit ab omni periculo. *fer.3. Dom.1. quadragesima, & in Sap.c.16.*

84. *Memoria beneficiorum Dei frequenter habenda, hacque præservat à peccatis.*

Recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, &c. Nota quòd inter alia monita à Deo populo exhibita, hoc inter alia vult esse memorabile, quod recordentur beneficiorum Dei, antequam tradantur in reprobum sensum: dicitur igitur recorderis Domini Dei tui; nempe quia Creator est, quia dedit potentiam, & operationem bonam, quia pro nobis incarnatus, quia redemptor, quia nobis cibum de Cælo dedit, quia remunerator secundùm merita, imò ad votum, & desiderium nostrum. *Eccles.c.12.*



CAPUT IX.

85. *Merita sibi attribuere superbia est: Deo attribuere humilitas est.*

Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, &c. Vide quid prætendit Dominus à suis servis, scilicet, quod Deo, non sibi attribuant merita, & gratias: id enim est humilitatis, & veritatis actus; sicut oppositum est superbiæ & vanitatis. *l.3.d.26.art.2.q.2. ad ult.* Sed hic nota quòd de divinis bonis quidam manifestè efferuntur, scilicet attribuendo sibi ea, quæ sunt pura dona Dei, & hi sunt superbi: quidam manifestè humiliantur, & hi sancti, & humiles: quidam passim humiliantur gratias agendo, & partim efferuntur ineptè exultando, ut fuit in discipulis, qui gaudebant de subjectione Dæmonum, in quo aliquid laudabile principaliter erat, & aliquid reprehensibile. *In Luc.c.10.v.17.*

86. *Iejunium quadragesimale multa bona spiritualia animæ affert.*

Perseveravi in monte quadraginta diebus, &c. duas tabulas lapideas scriptas digito Dei dedit mihi Dominus. Ecce quomodò jejunium quadragesimale non solùm ad veniam consequendam utile est, sed & ad gratiam augendam: per ipsum enim dantur tabulæ scriptæ digito Dei, scilicet amor Dei, & proximi, & ideò ejicitur Diabolus à corde hominis per jejunium. *fer.4.Dom.1.quadragesima.*

87. *Pænitentia reducit animam in gradum pristinum innocentiæ.*

Deus dedit Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Nota quòd primæ duæ tabulæ fuerunt fractæ, & aliæ duæ fuerunt de novo factæ, & scriptæ: quid est hoc? nisi quia primæ significant innocentiam: secundæ pœnitentiam: si primæ franguntur, Deus providit, ut ad pœnitentiam recurreret homo, quia hæc reducit in gradum pristinum, & omnes defectus revocat ad perfectum. *op.Diat.sal.tit.3.c.1.*

88. *Præcepta sunt indelebiliter in corde, & in corpore multipliciter.*

Dedit mihi duas tabulas digito Dei conscriptas. Cur in tabulis digitus Dei voluit conscribere decem præcepta Decalogi? ut essent indelebilia: scilicet ut daret intelligi, quod non solum per Sacram Scripturam nobis enunciantur, sed & in corde, in manibus, in pedibus, in quibus sunt decem articuli: in quinque sensibus corporis duplicatis, ut semper ea in memoria versaremur. *opusc. Diat.sal.tit.3. cap.1.* Sed heu multi habent tabulas non lapideas, sed vitreas, quia deficiunt in præceptorum observantia. *serm.4.Dom.1.quadrages.*

CAPUT

CAPUT X.

89. *Timor Domini super omnia habendus: ad hunc debent dirigi omnes actiones.*

Et nunc Israel, quid Dominus requirit à te, nisi ut timeas Dominum, & ambules in viis ejus, &c. Cur non dicit, ut ames Deum? nonne amor Dei excellit timorem; sed nota, quòd hic loquitur de timore filiali, hic enim facit declinàre à malo per timorem, & bonum apprehendere per mandatorum observantiam. *in Eccl.c.12.*

90. *Observantia mandatorum constituit hominem in esse veri hominis.*

Et nunc Israel; quid requirit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, &c. custodiasque mandata Domini Dei tui, &c. Vide quid à te ô homo requirat: in hoc enim stat totum esse hominis, ejusque perfectio, nempè in observantia mandatorum Dei. *in Eccles.c.12.*

91. *Observantia mandatorum excitatur in nos ex divina authoritate Dei præcipientis.*

Et nunc Israel, quid petit Dominus Deus tuus à te, nisi ut timeas ipsum, &c. Cur ad timorem Domini, & observantiam mandatorum Deus vult, ut præmittatur hoc nomen Domini Dei tui? qoia per tria motiva præcipua nobis proponitur excitatio ad observantiam præceptorum Dei: nempe magna authoritas præcipientis, ex eo quod nos creat magna sua potentia, quod significatur per illam particulam, *Dominus*: Secundò ex eo, quia mira, sua sapientia nos gubernat, quod significatur per ly, *Deus*: Tertiò ex eo, quod nos sua benevolentia salvat, idcò dicitur, *Tuus. op.de decem precept.ser.1.*

92. *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis insinuatur in lege.*

Et nunc quid alind Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum, &c. Cur hæc tria nomina connectit simol, & denuò repetit dicens, *Dominus Deus tuus?* nonne sufficiebat dicere quid alind Deus petit? sufficiebat quidem, sed additæ sunt istæ tres voces ad insinuandum objectum divinitatis, & mysterium Sanctissimæ Trinitatis: nam per illam vocem (*Dominus*) insinuatur Patris potentia: per ly, (*Deus*) Filij sapientia, per ly, (*tuus*) Spiritus Sancti clementia. *sermon. 4. Domin. 17. post Pentecost.*

93. *Deo serviendum cum timore, humiliter, obedienter, fideliter, & ferventer ad gratitudinem servandam cum Deo.*

Et nunc quid alind Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum. Nota hæc verba quàm succosa appareant, nam in ipsis non solùm insinuat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ut dictum est, sed dat intelligere modum, quo possimus beneficiis à Deo collatis respondere: Insinuat autem per illud vocabulum (*Dominus*) beneficium Creationis; per illud (*Deus*) beneficium conservationis, per tertium (*Tuus*) ejus bonitatem, & clementiam in nos, addit deinde, *ut timeas Dominum, & diligas eum, & ambules in viis eius*, ad insinuandum modum, quo Deo est serviendum, scilicet cum timore, subjectione, obedientia, fidelitate, & amore. *sermon. 4. Domin. 17. post Pentecost.*

94. *Totum cor exigit Deus à nobis.*

Et nunc quid alind Dominus, &c. nisi ut servias Domino Deo tuo in toto corde, &c. Quid est servire Domino in toto corde, est præbere hospitium proprium Domino: item conversi totaliter in Deum per contritionem interiorem, & per operationem sanctam exteriorem: & hæc est observantia mandatorum Dei, quam exigit hic Deus dicens, *custodias mandata. serm. 2. Domin. 17. post Pentecost.*

95. *Deus petit, ut primo loco Maiestatem suam cum benedictione laudemus.*

Et nunc quid alind Dominus, &c. Quid est, quod in his verbis, in quibus explicat Deus suam voluntatem, primo loco nominat se Dominum, postea Deum? Cur non primo ponit Deum? Deus enim erat ab æterno actu, & habitu, sed Dominus tantum habitu, actu verò solùm post creationem rerum? quia cum exigat à nobis obsequium, proponit primo loco suam majestatem, & authoritatem, ut excitet nos ad ipsam colendam, & benedicendam. *sermon. 1. de decem precept. & in Luc.c.1.v.68.*

96. *Deus peculiari privilegio appellatur Deus Cælorum, scilicet Angelorum, Iustorum, & Sanctorum.*

En Domini Dei tui Cælum est, & Cælum Cælorum. Ad quid replicat hoc nomen Cæli? & quid est Cælum Cælorum? Nota, quòd plures sunt Cæli à Deo creati, per quos significantur Angeli sancti, & justi, quorum peculiariter dicitur Deus Cælum Cælorum, scilicet in ipsis regnans. *opusc. Eccles. Hierarch. part.4.cap.1.* Hinc elice quod Deus non dicitur propriè Deus peccatorum, cum sint sub subjectione Diaboli.

97. *Deus vult cor nostrum purificatum ab omni impuritate.*

Circumcidite igitur preputium cordis vestri, & cervicem vestram durissimam. Nota illam particulam illativam (igitur) nempe qualem conclusionem exigat Deus à nobis post præmissam explicationem suæ Majestatis, & voluntatis, nempe circumcisionem cordis: sed quodnam præputium est hoc, quod à cordibus nostris amputare debemus? nonne hæc est particula carnis, non cordis? sed loquitur hic Deus per Metaphoram; vult enim, ut circumcidamus à corde, scilicet ab irascibili contumaciam, & cervicositatem, à rationali malignam cogitationem, & à concupiscibili

inordinatam cupiditatem. *in Ioan. collat.37.& ſer.2. in Circum.*

98. *Ex cognitione primitatis, & maioritatis divina excitatur anima ad obſervantiam divinorum mandatorum.*

Quia Dominus Deus noſter ipſe eſt Deus Deorum; & Dominus dominantium. Cur Deus ſe appellat Deum Deorum? nonne eſt de fide, quòd unus Deus eſt? Nota quòd Deus ſe Deum Deorum, & Dominum dominantium ſæpè nominat in Sacra Scriptura, quia vult ut homo cognoſcat ſuam authoritatem, & primitatem imprincipiabilem, item & poteſtatem, ut hinc animus excitetur ad obſervantiam ſuorum præceptorum. *ſer.1.de decem præcept.& op.principium Sacræ Scripturæ.*

99. *Dei providentia in omnibus reſplendet, ſimulque Iuſtitia.*

Domine Deus noſter, &c. Magnus, potens, terribilis, qui perſonam non accipit, &c. In his verbis patet, quod Spiritus Sanctus intendit retrahere homines à cogitatione erronea ſcilicet, ut ex viſa hominum malitia non credat deeſſe divinam providentiam: Sed cur cum tanto circuitu, & repetitione verborum hoc deprædicat hominibus, qui tam fideliter in Deum credebant, nempe Iſraelitis? Quia, cum plurimæ videantur everſiones mundanæ, neceſſaria eſt hæc repetita cognitio de divina Providentia, & Iuſtitia; licet enim creaturæ non ſentiant ſibi invicem, & non ordinentur per ſe, ordinantur tamen à Deo ſecundùm ſuam providentiam, quæ ſcit malis benè uti: Vnde rectè dicit, quod Deus ſervans rectiſſimam Iuſtitiam, non eſt acceptator perſonarum, vel meritorum. *In Eccleſ.cap.5. & in Luc.c.20.v.21.*

100. *Hoſpitalitas Deo chara.*

Deus amat peregrinum, & dat ei victum, atque veſtitum. Quomodò id verificatur? Nonne ſæpè peregrini pauperes in miſeriis vivunt, & aliquando defectu cibi, vel veſtitus pereunt? Nota, quod dicitur Deus amare peregrinum, & dare ei victum, quatenus vult, ut à nobis ſubleventur, & recipiantur: dicit autem eos amare, quia vult, ut ipſum Deum in pauperibus recognoſcamus, ideoque gratiam ſuam confert recipientibus eos, fœneratur enim Domino, qui miſeretur pauperis. *In Luc.c.19.v.6.*

101. *Deo eſt adhærendum per fidem, ſpem, & charitatem.*

Dominum Deum tuum timebis, ei ſoli ſervies, ipſi adhærebis. Hic notandus eſt ordo verborum Spiritus Sancti in hoc capitulo: Primò enim retrahit à malo, deinde ad perſeverantiam inducit proponendo timorem Domini omnipotentis, & deinde acceſſum per orationem ad Deum ſuadet: In oratione enim ferventi Anima Deo adhæret per fidem, ſpem, & charitatem. *Pſalm. 118. capit. 2. verſ.15.*

CAPUT XI.

102. *Non ſufficit Dei dilectio, & amor abſque continuatione, & perſeverantia finali in omnibus tam minimis, quàm maximis rebus.*

Ama Dominum Deum tuum, & obſerva præcepta ejus, & cæremonias omni tempore. Quid eſt omni tempore? Ergone poterit ſemper homo actu in Deum ferri? Præterea, quomodò obſervantiam connectit cæremoniarum cum præceptis divinis ad mortale obligantibus? Sed nota, quod poſt amorem Dei propoſitom ſubdit obſervantiam non ſolùm præceptorum, ſed & cæremoniarum, & deinde addit, *omni tempore*: quia amor Dei non eſt otioſus: non enim ſcit quieſcere, & ſi operari renuat, jam amor non eſt. *ſerm. 1. de Sancto Iacobo, & ſermon.8. de Apoſtol.* Et quia amor manifeſtatur in operibus, exigit obedientiam in iis, quæ Deo placent; perfecta autem obedientia; non ſolùm in maximis, ſed & in minimis conſpicitur. *opuſc.25. memorialia, & in Ioan.cap.14.*Hinc connectit obſervantiam præceptorum, cum cæremoniis. Addit deinde, *omni tempore*, quia continuatio temporis requiritur ad cuſtodiam dilectionis, eſtque proprium perſeverantiæ finalis: hinc dicit, *ama Deum omni tempore*, ſcilicet, ut ſit charitas in mente, & exprimatur in corpore, & in ore. *Pſal.118.c.2.v.4.*

103. *Summa potentia divina conſideratio excitat ad obſervantiam mandatorum.*

Oculi veſtri videant opera Domini magna, quæ fecit, ut cuſtodiatis mandata, &c. Ad quid proponit prodigia, & miracula à Deo facta Iſraelitis, ut cuſtodirent ejus mandata? Nonne ſufficiebat eis ſcire lumine fidei quis eſſet Deus præcipiens ipſa? factum eſt, quia voluit denuò refricare memoriam tot prodigiorum, ut eos excitaret ad cognitionem ſummæ potentiæ divinæ per ipſa oſtenſæ, quia hoc eſt maximum motivum ad obſervantiam præceptorum Dei. *ſer.1.de decem præceptis.*

104. *Scientia Sacræ Scripturæ è Cœlo irrigatur; ſcientia humana è terra venit.*

Terra, quam intrabis poſſidendam non eſt ſicut terra Ægypti, &c. Quodnam diſcrimen erat inter has duas terras? Nonne erant ejuſdem ſpeciei, & utraque fertiliſſima? quia terra Ægypti fœcundabatur per aquas fluminis: Terra promiſſionis per aquas è Cœlo cadentes, & per hoc dat Deus intelligere quale diſcrimen ſit inter ſcientias mondanas & factas: nam ſcientiæ humanæ, quæ à terra trahunt lumen & ibi ſiſtunt: At Sacra Scriptura, & Dei Verbum à Deo exit, à luce divina viſitatur, alſiſtiturque; & ideò habet pullolationes vitam Animæ tribuentes, & uberrimos fructos conferentes, quantum ad allegoriam, tropologiam, & anagogiam, *ſer.4.Hexaem.*

105. Quale

105. *Quale discrimen inter opera facta in peccato mortali, & inter facta in gratia.*

In terra Ægypti, iacto semine in hortorum morem aqua irrigua ducuntur? In Terra verò Israel de Cælo expectat pluvias. Ad quid ootat Sacer scriptor hanc differentiam irrigationis terræ Ægypti, & terræ promissionis? Si per irrigationem aquarum fluminis terra Ægypti in hortum, & viridarium convertebatur, ad quid eam comparando cum Terra promissionis per pluvias cælestes irrigata intendit illam vilificare, istam exaltare? Sed nota maximum mysterium: Per terram Ægypti seminatam intelligitur Anima in peccato mortali existens operans vel causa timoris servilis, vel ioruitu commodi temporalis, quæ licèt multum seminet, multaque bona opera faciat, & prima facie videatur velut hortus spiritualis, tamen, quia non irrigatur à divina gratia, paruum fructum producit, sed semper in terra inferiori permanet, nullum fructum vitæ æternæ recipiens: At anima in gratia Dei existens, quia è Cælo visitatur, ideò multum fructum vitæ æternæ recipit. *serm. 4. Domin. pass.* Præmium igitur operum bonorum in peccato existentis est de inferioribus istis bonis, scilicet temporale: præmium verò operum bonorum in gratia existentis est æternum, & cæleste.

106. *Cælum clauditur non habentibus gratiam: Aperitur recipientibus gratiam Dei.*

Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino: Iratusque Dominus claudat Cælum. Vide quomodò à Deo recedentibus minatur clausionem Cæli: Sed nonne clausum erat Cælum ante Ascensionem Christi? Nota, quod clausura Cæli designat defectum gratiæ, & doctrinæ: Recedentibus igitur à Deo clauditur Cælum, quia subtrahitur eis pluvia gratiæ Dei: Ad Deum conversis aperitur Cælum. *In Luc. cap. 4. vers. 27.*

107. *In hora mortis porta Cæli clauditur malis.*

Cavete ne recedatis à Domino, ne iratus claudat vobis Cælum. Hæc est pura comminatio, nec tempus clausionis Cæli explicat: Cur non dicit, ne statim claudat Cælum, sed tempus clausionis reliquit indeterminatum? Respond. quod tempus indeterminatum reliquit, ut sciremus, quod porta Cæli homini patet per totum spatium vitæ mortalis, & solùm in fine clauditur, quia misericordiam suam semper in hac vita Deus dat ipsam volentibus. *in Luc. c. 13. v. 25.* Ne desperet igitur peccator quantumcumque malus, & inveteratus, quia potest verè, & de facto ad Deum converti quousque vivit in hoc mundo.

108. *Terrena vilipendens, ipsorum Dominus constituitur.*

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Quomodò id verum est? Nonne filij Israel per varias regiones transierunt, & tamen eas non possederunt? Sed nota, quod id intelligendum est mysticè; nam litteraliter intelligitur hæc promissio tantùm intra terræ promissionis terminos, sed tamen loquitur universaliter: Et cur? Vt intelligeremus, quod serviens Domino, & terrena vilipendens, eaque calcans, iis dominatur, & ad cælestia erigitur: Serviens igitur Domino multo verius, quàm mundi Principes, omnibus dominatur. *op. Mistica Theol. c. 2. p. 3.*

109. *Pauperes spiritu sunt Domini omnium, & omnia possidentes, Cælumque tangentes.*

Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. Ergone solùm Deus promittit suis servis possessionem terræ, quam calcaverint? Nonne nota est promissionis tenuis? Cur non promittit eis potius Cælum? Sed attende mysterium: Voluit enim indicare, quod terrena despiciens, & relinquens omnia nihil amittit, sed potius acquirit dimittendo, quia cum omnibus rebus dominetur, thesaurizat sibi cumulum omnium bonorum: Imò de terrenis veluti scabellum sibi fabricat, ut possit taogere Cælum. Oh felix paupertas spiritus, *op. Diat. sal. Tit. 4. c. 4. Vide in Iosue cap. 1.*

110. *Stat in manu nostra benedictio, & maledictio Dei.*

En propono vobis benedictionem, & maledictionem. Vide quomodò Deus collocat in potestate nostra benedictionem cælestem, item & maledictionem; ponens nos veluti medios inter Cælum, & Infernum: ostenditque benedictionem Cæli, proponens medium ipsam obtinendi, scilicet observantiam mandatorum: Item & maledictionem æternam non volentibus ea observare. Nulla ergo datur excusatio io peccatoribus. *ser. 1. de decem præceptis.*



CAPVT XII.

111. *In omni loco potest fieri oratio ad Deum.*

Ad locum, quem elegerit Dominus offeretis in illo loco holocausta, &c. Ergone non poterant Israelitæ offerre sacrificia alibi? Sed vide differentiam legis scriptæ, & gratiæ: Tunc enim io Hierosolymis offerri debebant victimæ Domino: sed nunc est quando veri adoratores ubique possunt adorare Patrem in spiritu, & veritate. *in Ioan. c. 4. v. 23.* Nota, quod iste locus est, in cujus reditu Maria Virgo, & Ioseph perdiderunt Christum: quia ad cultum in Hierusalem omnes tenebantur incedere tribus vicibus in Anno, maximè in Paschate. *In Luc. cap. 2. vers. 41. ut dicetur infra Deuter. cap. 16. vers. 16.*

112. *In sanguine est aliquid vitale spectant ad integritatem vitalem hominis.*

Sanguis eorum, scilicet iumentorum pro Anima est, &c. Ex hoc patet, quod sanguis, vel est animatus, vel saltem spectans ad vitam hominis tanquam medium ad vitam necessarium, & ideò sanguis in resurrectione resurget, cum corpore. *l. 4. d. 44. a. 1. q. 1.*

CAPUT XIII.

113. *Somniorum observator Deo exosus.*

Propheta autem ille, aut fictor somniorum, interficietur, &c. Ex hoc patet, quod Dominus Deus maximè detestatur eos, qui futura ex somniis intendunt prædicere, quia seipsos subjiciunt deceptionibus Dæmonum. *l.2.d.7.p.2.a.2.q.3.*

114. *Cavenda est vana gloria tanquam idololatria spiritualis.*

Si tibi voluerit persuadere amicus tuus dicens, eamus, & serviamus Diis alienis, non acquiescas ei, &c. Hæc admonitio venit ad nos, ut caveamus à vana gloria, & ab iis, qui ad ipsam nos pertrahunt: Opera enim facere propter vanam gloriam, finaliter est servire Diis alienis, scilicet Idolo superbiæ. *In Ioan.c.7.v.5.*

115. *Christi redemptio in iustificatione peccatorum continuè renovatur.*

Qui eduxit te de Terra Ægypti, qui redemit te de domo servitutis. Nota, hæc dicuntur Israelitis ad litteram; sed tamen continuè diriguntur nobis, quia Christus renovando suam redemptionem educit nos à peccato per justificationem, & redemptionem, per magnificationem gratiæ à servitute peccati. *Psal.118.c.10. v.10.* Quoties igitur ô peccator ad pœnitentiam reverteris, toties Christus renovat redemptionem Animæ tuæ, veluti si denuò pro te moreretur. *Sic & Divus Augustinus.*

CAPUT XIV.

116 *Perfectus auditor verbi Dei audita frequenter ruminat, & fructum à Domino intentum percipere conatur resipiscendo ab operibus malis.*

Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat comedetis. Cur animalia, quæ non ruminabant, & ungulas scissas habebant inter immunda computabantur à Deo? Ad mysterium magnum insinuandum. Quid enim est spiritualiter ruminare, nisi divina verba, & consilia, & præcepta mente revolvere, & sic oblivioni non tradere? Quid est ungulas fixas habere, nisi pro malè gestis corda scissa portare, & sic sint corda per contritionem divisa, & per ruminationem divinorum verborum devota? plus enim delectatur ovis ruminando, quod carpsit, quàm carpendo, quod invenit: Vade igitur ô Anima, si ignoras te, post gregum vestigium, & disce à brutis sapientiam. *fer.2.de Vno Sancto Doctore.*

CAPUT XV.

117. *Remuneratio bonorum est supra condignum.*

Per septem Annos facies remissionem. Cur in septimo Anno Deus ordinavit remissionem omnium debitorum? & quarè non in sexto, vel quinto? quia per sex Annos significatur cursus meritorum vitæ, per septimum, remuneratio: ut intelligatur, quod Deus ex sua misericordia remunerat suos fideles supra condignum, & merita. *In Luc.cap.4. v.19.*

118. *Omnes homines tenentur facere aliquam eleemosynam pauperibus.*

Non erit omninò indigens, & mendicus inter vos: Vt benedicat tibi Dominus, &c. Quomodò Deus præcipit, ut non permittantur pauperes in terra Israel? forsan voluit, ut ejicerentur? minimè: Sed voluit Dominus, ut subveniantur in necessitatibus: quod cum verum sit, mirum est, quomodò hoc præceptum dirigatur omnibus indiscriminatim. Nonne adsunt plures pauperes, quibus non est possibile eleemosynam dare? Nota, quod hoc loco eleemosyna sub præcepto datur omnibus, sed tamen triplex est eleemosyna: Alia est exterior relevatio pauperis: Alia per internam compassionem: Alia per dulcem locutionem. Prima ordinatur, & obligat divites: Secunda, & Tertia omnes. *In Luc.c.6.v.30. & op. de paup. Christi q.1.a.2.* Omnis igitur homo obligatur ad aliquam eleemosynam: nec ullus quantumcumque pauper excusatur.

119. *Clerici, & Sacerdotes præsunt omnibus.*

Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. Quomodò id verificatum est? Certum enim est, quod licèt populus Israeliticus aliquando dominatus fuerit pluribus aliis nationibus, id tamen non semper, imò multoties in captivitatem redactus est, & tandem ab Imperatore Romanorum subjugatus est totaliter: Sed attende, quod hæc prophetia facta est de vero populo Israel peculiariter Deo conservato, scilicet de Clericis, & Sacerdotibus, qui præfigurantur in Choro Dominationum Angelorum, quorum dignitas omnes alias excellit, & eos super omnes homines Dominos constituit: Vide igitur qualis Sacerdotum, & Clericorum dignitas. *opusc. Ecclesiastica Hierarch. part.2.cap.1.*

120. *Eleemosyna præcipitur divitibus.*

Non deerunt pauperes in terra tua: præcipio tibi, ut aperias manum pauperi fratri tuo, &c. Quid est aperire manum pauperi, nisi misericorditer se habere cum pauperibus? præcipit igitur hic eleemosynam; sed nota, quod postea subdit, quod tribuenda est eleemosyna de gregibus, de Area, & torculari; quibus Deus benedixit; ut scias, quod larga benedictio promittitur eleemosynariis: & è contra in morte nihil invenient in manibus suis, qui nihil posuerunt in manibus Christi, scilicet paupe-

pauperum, qui Christum pauperem repræsentant. *In Luc.c.14.v.13.& serm.1. Dom.11. post Pentecost. & Psal.118.c.1.v.6.*

121. *Beati sunt pauperes voluntarij, qui cum Christo habitant: è contra superbi cum Diabolo, & ideo miseri.*

Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Quæ est terra hæc habitationis, in qua morantur pauperes? Nota, quod hæc terra est Ecclesia, in qua morantur pauperes voluntarij, præcipueque Apostoli, qui ob amorem paupertatis omnia reliquerunt, & à Christo tanquam amici remunerati sunt: In hac domo non habitant superbi divites, sed cum Diabolo; sicut pauperes cum Christo. *ser.1. In festo omnium sanctorum.*

122. *Prædicator si non est plenus spiritu Dei, cum periculo salutis exercet suum munus.*

Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. Cur voluit Deus, ut filij Israel non operarentur cum primogenito bovis, & non tonderent primogenita ovium? Nonne facta sunt hæc animalia ad usum & utilitatem hominum? Quia volebat, ut reservarentur pro cibo proprio Dominis ipsa possidentibus, nempe, ut ea comederent in loco sacro: Et per hoc datur intelligi, quod si Prædicator, quod suum est, & sibi necessarium effundat, ob vanam intentionem, & gloriam, vel cupiditatem, vel ex propria voluntate; se potius fraudabit, quamobrem tu frater, cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc nulla est, aut adeò tenera, aut arundinea, quod omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur doctrinæ vento: cave ne cum tui detrimento aliena curare quæras: sed imple prius te ipsum, & postea te effundas ad salutem aliorum. *op.meditat.Vitæ Christi c.47.*



CAPUT XVI.

123. *Deus exigit à nobis pœnitentiam per totum tempus vitæ nostræ.*

Septem diebus comedes absque fermento panem afflictionis, &c. Quis est panis afflictionis, & cum tremore sumptus? panis iste significat pœnitentiam; hancque vult Deus à nobis per cursum septem dierum, scilicet per totum tempus vitæ nostræ: fragmenta huius panis sunt Contritio, Confessio, & satisfactio: sed quid est, quod panis iste erat sine fermento? fermentum est vana gloria, carnalitas, servilis timor, hoc non debet admisceri cum pane isto pœnitentiæ. *serm.2.Dom.4.quadrages.& In Luc. c.12.v.1.*

124. *Exigit Deus à nobis memoriam beneficiorum suorum, & gratitudinem.*

Septem diebus comedes panem afflictionis absque fermento, ut memineris egressionis tuæ de Ægypto, &c. Vide quid exigat Deus à nobis ob tot beneficia nobis collata, & maximè ob egressionem de Ægypto culpæ, scilicet memoriam frequentem ipsorum, & opera pœnitentialia. *In Luc.cap.1.v.63.*

125. *Deus summopere detestatur hypochrisim, &c.*

Septem diebus comedetis absque fermento panem afflictionis. Cur sine fermento? quia fermentum est dolositas, hypochrisis, & vana gloria: Vult igitur à nobis Deus, ut caveamus ab hoc vitio summè detestabili. *In Luc.c.14.v.1.*

126. *Secundùm quantitatem donorum divinorum Deo proportionaliter est serviendum: Deus enim non quantum, sed ex quanto pensat.*

Offerat unusquisque secundum quod habet iuxta benedictionem Domini Dei sui. Vide quàm providens sit Deus noster: nihil à nobis supra vires exigit, sed secundùm mensuram donorum vult etiam obsequium nostrum: Cui enim plus Deus benedixit in naturalibus vel spiritualibus donis, plus meritò ipsi servire debet: quod est contra divites avaros, qui sæpè in eleemosynis minus offerunt, quàm alij valdè pauperes in rebus, & tamen quadrans quandoque pauperis prior est & charior, quàm marcha divitis: Cor namque Deus, non substantiam pensat, nec perpendet quantum in eius sacrificio, sed ex quanto offeratur. *ser.2.Dom. 5.post Pentec.*

127. *Ignorantia detestabilis in Iudicibus, & magistris.*

Iudices, & magistros constitues, &c. Nota connexionem Iudicis, & magistri, sicut enim turpe est, magistrum esse ignarum, sic & in Iudicibus in examinando causas, &c. *In Ioan.c.3.v.12.*

128. *Iustitiam exigit Deus in Iudicibus absque acceptione personarum, quam summè detestatur Deus.*

Iudices, &c. ut iusto iudicio iudicent. Nota, quod Iudex debet justum judicium exercere absque acceptione personarum: hoc enim ab ipsis vult Deus. *In Ioan. cap. 5.v.30.& Psal.118.cap.4.v.3.* Et hinc subdit sacer Textus. *non accipies personam in iudicio*: quæ est injustitia, qua persona personæ præfertur propter indebitam causam. *op.Centil.p.1. sect. 10.& op.specul. Animæ c.3.*

129. *Acceptio personarum in Confessarijs Deo exosa.*

Non accipias personam in iudicio. In quonam Iudicio? Nota, quod non solùm à Iudicibus in foro exteriori fugienda est acceptiò personarum, sed & à Confessarijs in foro, & judicio Animarum: Istis enim dicitur à Deo: *Audite illos*; idest audite, & diligenter intendite peccata, & peccatorum circunstantias examinando, & quod justum est judicate justo judicio, sivè sint divites, sivè pauperes absolvendo, & impios etiam potentes, & divites condemnando: nec accipietis personam cuiuspiam, pauperes indebitè exasperando, & divitibus, & potentibus adulando, ne maledictione prophetica feriamini, qua dicitur. *Væ, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. op.Confessiona.c.1.p.6.*

130. *Perversio judicij in Iudicibus quàm Deo exosa, & quot modis fit.*

Iuste, quod iustum est persequeris, ut vivas, & possideas terram quam Dominus dederit tibi. Quid est Iustum justè prosequi? si objectum actus est justum, quomodò injustè potest fieri idem actus? Ad quid frustra apponitur illa vox, *iustè?* Prætetea, si supra prohibuit acceptionem personatum, ad quid subdit hæc? sed vide ex hoc quales conditiones exigantur in Iusto iudice: nam Iudex in judicando potest errare, non solùm ex acceptione personarum, sed etiam ex causæ indiscussione, vel ex sententiæ præcipitatione, vel ex peeversa affectione: Ideò, quod justum est justè fit quando concurrit justus ordo, justa causa, & justus animus. *op. de decem præcept. serm 6. In Ioan. c. 7. v. 24. & In sap. c. 6.*



CAPUT XVII.

131. *Confessio peccatorum est medium ad cognitionem peccati.*

Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, surge, & ascende ad locum, &c. Ad quid Deus vult, ut quando quis in aliquod ambiguum inciderit, ascendat ad locum sacrum à Deo electum? Quisnam tollet hanc dubietatem? sed attende, quod locus sacer à Deo electus ad tollendam ambiguitatem in peccatis est locus Confessionis: Vult enim Deus, ut peccator ad Confessarium recurrat, non solùm pro remissione peccatorum, sed pro instructione necessaria, ut melius cognoscat & discernat inter lepram, & lepram. *l. 4. d. 17. p. 2. a. 1. q. 1. & op Confession. c. 1. p. 5.* Hinc est, quod quando quis verè dubitat, an aliquis actus sit peccatum, vel veniale, vel mortale, non solùm ab ipso debet se abstinere, sed & de illo confiteri, einsque solutionem committere judicio Confessarij. *lib. 4. ibidem p. 3. a. 2. q. 1. ad 4.*

132. *Superbia est hydropisis, morbusque mortalis.*

Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Quid est intumescere? hoc est proptium hydropisis, quæ facit intumescere corpus, ideò rectè significat superbiam, quæ est malum mortale, Deoque valdè exosum. *In Luc. c. 14. v. 5.*

133. *Pompa superflua à Principibus fugienda.*

Cum fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, &c. Nota, quod dicit (*equos*) in plurali ad expressionem pompæ quam vetat suis sequacibus. *In Eccles. cap. 10.* Væ igitur potentibus huius sæculi, maximéque Ecclesiasticis, qui se præcipitant in tot excedentes sumptus ad pompam, & vanitatem mundanam.

134 *Vxorem nimia multiplicatio in lege veteri qualiter prohibita.*

Non habebit uxores plurimas, quæ allicient Animam eius, &c. Si Deus prohibuit multiplicationem uxorum, quomodò in Abraham, & alijs sanctis Patribus fuit permissa? Nota, quod multiplicatio uxorum fuit à Deo permissa ob multiplicem finem bonum, ut aliàs dictum est: sed loquens de Rege prohibet, ut fiat multiplicatio excedens, scilicet talium, quæ possent allicere animum ad peccatum, & tales erant alienigenæ, in quo peccavit Salomon. *l. 4. d. 33. a. 1. q. 3.*

135. *Sacerdotes, Prælati, & Principes debent esse exemplar, & forma vivendi subditorum.*

Postquam sederit Rex in solio describet sibi Deuteronomium legis, & accipiet exemplar à sacerdotibus. Cur voluit Deus, ut à sacerdotibus Rex acciperet, & non aliunde exemplar legis? Nota, quod primò vult, ut Rex describat in suis regulis legem, postea exemplar à sacerdotibus, ut sciant sacerdotes, præcipueque Prælati, quod ipsorum vita est norma, & regula benè vivendi, vel malè subditis: Vnde ab ipsorum operibus dependet vita, & reformatio subditorum. *op. Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 2. & p. 2. c. 3.*

136. *Obedientia debita summo Pontifici præfigurata in lege veteri.*

Veniesque ad sacerdotes, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore iuxta legem eius sequeris sententiam eorum, non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram. Videntur hæc verba involuere contradictionem, vel saltem maximæ difficultatis: nam Deus præcipit, ut in dubijs fiat recursus ad sacerdotes, & ad Iudicem, & postea secundùm legem Iudicis obediatur sententiæ sacerdotum: Ad quid addit Iudicem, si sequenda est sententia sacerdotum? Et si obediendum est Iudici, ad quid sententia sacerdotum? Nota, quod hoc fuit figura sacerdotij novæ legis, in qua est summus Pontifex Iudex primarius, & Vniversalis; & quia sedes Apostolica utitur consilio prudentum, & sapientum sacerdotum, hinc connectit utrumque simul. Ex quo infertur, quod impij sunt hæretici, & schismatici, qui à summi Pontificis sententia, & legibus discordant. *op. Exposit. Regula sancti Franc. in præfat.*



CAPUT XVIII.

137. *Cur sacerdotibus legis veteris erat prohibita possessio bonorum immobilium, non verò sacerdotibus evangelij.*

Non habebunt sacerdotes, & Levitæ, qui de eadem stirpe sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo populo Israel. Ex hoc videtur, quod ministri Altaris legis veteris essent majoris perfectionis sacerdotibus novæ legis, & tamen lex evangelica est perfectior, sed Respondetur, quod sacerdotes legis veteris poterant possidere bona mobilia, non immobilia ob duplicem causam: prima, quia ut Cultores Dei per totum populum debebant dispergi: secunda, ut magis essent intenti circa divinum cultum, quia habebant aliundè, unde valerent sustentari: Nunc autem Clerici sunt de omni genere per totum mundum dispersi, ideò istud præceptum

ptum non misit: Tum etiam quia sacerdotium Aaron fuit quidem figura sacerdotij Christi, sed etiam sacerdotium Melchisedech, qui habuit possessiones: fuit enim Rex, & sacerdos: & ideò voluit Dominus Iesus ob benignitatem suam suos sacerdotes non arctati, & maximè, quia melius est habere mercenarios, quàm nullos: Videmus enim quod pauperculæ Ecclesiæ sunt veluti desertæ: ideò charitate refrigescente disposuit Spiritus Sanctus, ut Ecclesia temporalibus abundaret, ne cultus Dei ob paupertatem, & inopiam deperiret. *l.4.d.24.p.1. a.1.q.3.*

138. *Perfectio Animæ alia est excellentiæ, alia sufficentiæ.*

Perfectus eris, & absque macula coram Domino. Ergone præcipitur perfectio religiosa Israelitis? Videtur, quod præceperit Deus aliquid, quod nunquam assecuti fuerunt: perfectio enim religiosa est proprium legis Evangelij? sed notandum, quod duplex est perfectio: Alia est excellentiæ, & hæc est paucorum, qui perfectè Deum diligunt, qui volendo, quod vult Deus, nullis peccatis acquiescunt, & semper ad virtutes diligendas, & habendas se extendunt; Alia est sufficientiæ, vel necessitatis, estque illa, quæ excludit peccata mortalia; compatiturque solùm aliquos timores, vel defectus, & de hac hic loquitur. *op. de dono Timoris c.1. & op. de septem Itinerib.ætern. Itin. 4. d. 4. a. 3. & op. Apolog. paup. resp. 1. c. 3.*

139. *Christi prædictio, & promissio facta in lege veteri.*

Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, &c. Quis est iste Propheta futurus à Deo promissus similis Moysi? Hic est Christus omnium Prophetarum Dominus missus ad evangelizandum Regnum Dei. *In Luc. proœm. & c.7.v.16. & c. 9. v. 19. In Ioan. c.1.v.45. & c.5.v.45. & cap.6.v. 14.* Et quia subdit sacer Textus: (*qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam*, quia Iudæi cum audire noluerunt, sed contumelijs tractaverunt, ideò perdidit eos Dominus. *In Luc. cap. 22. v. 65.* Vide etiam, quod potenter Deus comminatur ultionem contra contemptores verbi Dei.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

CAPUT XIX.

140. *Testificatio unius testis non sufficit in iudicio ad condemnandum.*

Non stabit unus testis contra aliquem, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Vide quomodò Deus prohibuit, ut Iudices non possent condemnare ex depositione unius testis. *fer. 2. Dom. infra oct. Ascens. In Ioan. c. 5. v. 33.*

141. *Vetus, & novum testamentum sunt duo testes testificantes veritatem evangelicæ doctrinæ.*

In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, &c. Nota, duo testes sunt vetus, & novum testamentum: Tres testes sunt Prophetæ, Evangelistæ, & Apostoli testificantes adventum Christi, & exponentes veritatem ad salutem necessariam. *In Ioan. Proœm.*

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

CAPUT XXI.

142. *Prælati, & maiores examinabuntur à Deo super homicidia corporalia, & spiritualia subditorum.*

Quando inventum fuerit in terra cadaver occisi, venient maiores natu, &c. Sed cur Deus præcipit, ut majores natu etiam innocentes congregentur in loco sancto, & iurent se innoxios esse de tali homicidio? Cur potius non præcipit, ut per processum formationem fiat inquisitio de occisore? Id [illegible] Deus, ut medio iuramento se expurgarent, &c. *serm. 3. de decem præceptis*: nempè, ut iurarent se non solùm non effudisse talem sanguinem, sed nec factum fuisse ipsorum negligentia; sic & Lyranus cum cæteris Doctoribus. Hinc nota quàm terribile erit examen, quod Deus faciet in morte Prælatorum, & majorum in populis super peccata publica, & privata subditorum, an patrata fuerint ob ipsorum negligentiam.

143. *Quale matrimonium sit validum, ubi est cultus disparitas.*

Si videris mulierem pulchram; &c. Hic Deus permittebat, ut filij Israel possent desponsare uxores alienigenas extra terram Chanaam: ergo etiam videtur, quod cultus disparitas non dirimat matrimonium: sed Resp. quod inter Baptizatum, & non baptizatum non datur verum Sacramentum matrimonij, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, Inter baptizatos verò datur *l.4 d.39. a.1.q.1.* Patet etiam quod ducere uxorem ex motivo pulchritudinis cum fine honesto tamen, non est malum. *l.4.d.30.a.1.q.3.*

144. *Anima, ut Christo desponsetur debet prius deponere omnes superfluitates carnales.*

Si videris mulierem pulchram post bellum captam, eamque adamaveris, &c. Nota hanc pulcherrimam figuram desponsationis Christi cum Anima: Hæc mulier enim est Anima pulchra quidem per Imaginem pulcherrimæ Trinitatis, quam victis Dæmonibus in bello passionis Christus cœpit: si ergo sponsa Christi vult esse, debet in domum Ecclesiæ per fidem introduci: radere crines superfluarum cogitationum de capite mentis, ne ibi increscant vermes, scilicet extorsiones conscientiæ: circumcidere ungues, idest operum sordes: vestem vetustæ consuetudinis deponere, & flere patrem, & matrem, idest Diabolo, & concupiscentijs renunciare. *serm. 3. de Circumcisione, & In Ioan. Collat. 37.*

145. *Peccata, quæ in damnum Republicæ vergunt, gravissimè à Deo puniuntur.*

Si genuerit homo filium contumacem, &c. lapidibus eum obruet populus, &c. In hac lege Deus præcipit, ut si filius erit contumax, & protervus, parentes

rentes eum accufent, & lapidibus obruatur; quæ pœna videtur effe graviffima, & nimis rigida: Attamen advertendum, quod cum inobedientia talis filij connectit etiam comeffationes, luxuriam, aliaque peccata, & ideò pœna mortis punitur: ficut, & adulterium, ex eo, quod talia peccata erant in diffipationem Reipublicæ: Deus enim fummopere deteftatur, & graviter punit peccata, quæ fe extendunt in damnum publicum. *l.4.d.38.dub.8.*

146. *Chriftus abftulit opprobrium, & maledictionem Crucis fua morte.*

Non permanebit cadaver in ligno, fed in eodem die fepelietur, quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno. Mirum eft, quomodò in lege veteri à Deo malediceretur, qui moriebatur pendens in ligno, cum Chriftus filius Dei crucifigendus effet in ligno: quomodò ergo figura refpondet figurato? Illa maledictionem demonftrat: Iftud benedictionem: fed nota, quod hæc maledictio erat quoad opinionem hominum, fcilicet, quia mors erat maximi opprobrij. *Pfal.39.* Et quis Chriftus venit in mundum, ut tolleret fua morte omnem maledictionem peccati, hinc optimè confonat figura figurato. *In Luc.c.23.v.25.& In Ioan.c.19.v.31.*



CAPUT XXII.

147. *Deus pracipit, ut mutuam mifericordiam homines inter fe in neceffitate exerceant.*

Si videris Afinum fratris tui, aut Bovem cecidiffe in via non defpicies, fed fublevabis cum eo. Ecce quantum Deus optat inter nos opera mifericordiæ mutua in neceffitatibus noftris: quod tamen contemnit ille facerdos *Luc.c.10.* qui vifo vulnerato, prætcrivit. *In Luc.c.10.v.31.In Ecclef.c.4.*

148. *Deus vult, ut veftes exteriores correfpondeant ftatui proprio.*

Non induetur mulier vefte virili, nec vir utetur vefte fæminea: abominabilis enim apud Deum eft, qui facit hac. Vide quantum Deus deteftetur exceffum, & indecentiam in veftibus: non enim decet mulierem veftiri ad morem viri: nec è converfo, ut faciunt hiftriones, qui ideò apud Deum funt abominabiles. *In Luc.c.16.v.19.*

149. *Prædicator fapiens, & prudens fit.*

Non arabis in Bove, & Afino. Mirum eft quarè Deus hoc præceptum cæremoniale dederit populo Ifraelitico? quid enim mali eft, fi quis aret terram cum bove, & afino? fed nota, quod in exercitio, & ufu ifta animalis funt multum diverfa, per quod aliud myfterium innuitur nobis: nam per Animal arans, & colens terram, fignificantur Prædicatores colentes prædicatione fua terram Animarum: per bovem fignificatur laborans cum fapientia, maturitate, & perfeverantia: per Afinum (de quo vulgo egregium principium citò deftitutum) fignificatur ftultus, & ftultè operans: Hinc dat intelligere, quod in prædicatione non debent fociari fatuus, & fapiens, fcilicet æquali poteftate, ait Gloffa, ne fiat præjudicium huic fanctiffimo minifterio. *In Ioan.c.12.v.15.* Perpendant igitur diligenter Prælati qualitates eorum, quos ad exercitium prædicationis deftinant: reddent enim ftrictiffimam rationem fummo Paftori Chrifto, fi quemlibet fine debita circumfpectione mittant ad prædicandum verbum Dei populis.

150. *Incipientes in via Dei non debent nimis gravari rigidis obfervantijs, fed paulatim trahi levioribus, & facilioribus.*

Non indueris veftimento, quod ex lana, linoque contextum eft. Cur Deus vetat tales veftes? quid mali præferunt, cum paffim inter Chriftianos fint in ufu? fed nota, quod hæc omnia contingebant nobis in figura: Voluit enim indicare Deus fuis fequacibus, quod fummopere deteftatur commixtionem veteris, & novi hominis; primum enim exuendum vetus veftimentum, poftea novum: Et præcipuè dat intelligere, quod novitijs in via Dei non funt imponendæ novæ obfervantiæ, nifi prius veteres exuantur, fed paulatim trahendi funt. *In Luc.c.5.v.36.* Dat etiam intelligere Spiritus Sanctus, quod impoffibile eft fervienti Deo affociare fimplicitatem exteriorem cum malitia interiori, & tegere velle fub ovina pelle rapacitatem lupinam. *fic Gloffa.*

151. *Peccatum adulterij graviffimum: Ideoque graviter à Deo punitur.*

Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, &c. Quæritur, cur tam graviter punitur à Deo peccatum adulterij, cum adfint peccata ipfo graviora, quibus tanta pœna non imponitur? Nonne pœna debet refpondere culpæ? Refp quod adulterium eft Deo fuper omnia exofum, quia eft in deftructionem concordiæ, ac per hoc Reipublicæ, quia eft generativum magnæ infamiæ, & poftremo ratione pronitatis magnæ. *l.4.d.38.dub.7.& 8.*



CAPUT XXIII.

152. *Sterilitas in Prælatis Deo exofa, ficut & in Prædicatoribus.*

Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis tefticulis, & abfciffo veretro, Ecclefiam Dei. Cur Deus prohibet ingreffum in Ecclefiam Eunuchis? Nonne & ipfi erant homines cæteris fimiles? Cur his miferis tantum bonum fpirituale aufertur? fed notes, quod hic non loquitur de fimplici ingreffu materiali in Ecclefiam Dei, fed de ingreffu in Prælaturam, & gubernationem Ecclefiæ; loquitur que de Prælatis, quos non vult Deus eunuchos, fcilicet, qui non poffunt filios fpirituales Ecclefiæ parere: fed quinam funt ifti? funt illi, qui non habent femen fcientiæ in fe, nec virtutem vitæ, fcilicet ignorantes, & fcandalofi. *in Thren.cap.1.* Idem & dicendum de Prædicatoribus fterilibus; nam de fæcundis, & fanctis dicitur *Ecclef.cap.44. Cum femine eorum permanet bona hæreditas, &c. In Luc.c.20.v.28.*

153. Gemi-

153. *Gentiliter, & malè viventes, ad Prælaturam non assumendi sunt, quia ex eorum mala vita venit desolatio Ecclesiæ.*

Ammonites, & Moabites non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum. Quæritur, cur istis nationibus fiat hæc prohibitio? quia erant Gentiles malè viventes, significantque Christianos malè, & gentiliter viventes, ex quorum introductione in Prælaturam, venit desolatio Ecclesiæ, sicut & venit desolatio Templi Hierosolymitani ob ingressum gentium. *In Thren. c. 1.*

154. *Maledictiones, & tribulationes in hac vita pro Christo toleratæ vertuntur in alta vita in benedictionem, & dulcedinem.*

Noluit Dominus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. Quomodò versa est maledictio in benedictionem? Quod est de se malum, quomodò potest fieri bonum? Loquitur hic sacer Textus quoad effectus, datque intelligere, quod maledictiones injustæ hic inflictæ vertuntur in benedictiones, & dulcedinem in alia vita: Vult ergo Deus nos sustinere amaritudines in hoc mundo, ut dulcedinem possimus habere in Cœlo. *ferm. 4. Dom. 2. post oct. Pasche.*

155. *Confessarius non abominetur pœnitentem quantumcumque peccatorem.*

Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra eius. Cur supra vetavit commercium cum Ammonitis, nunc admittit conversationem cum Idumæis, & Ægyptijs Nonne omnes erant gentiles? Hic Respondet Lyranus: quia Ammonitæ, & Moabitæ persecuti sunt populum Dei, spiritualiter inducendo eum ad peccatum luxuriæ: At Idumæi, & Ægyptij tantùm corporaliter ipsum affligendo: Tum etiam quia Idumæi descenderant de Iacob, & Esau: Ægyptij receperunt eos tempore famis: Ita ad litteram: Ex quo patet quàm gravius peccatum sit inductio ad peccatum persecutione corporali: sed spiritualiter traditur instructio Confessarijs, ut non horreant peccata pœnitentum quantumcumque enormia, turpia, magna, inaudita, & insitata, dummodo sint pœnitentes significati in Idumæis, & Ægyptijs: Idumæus enim interpretatur rufus, vel rubeus: Ægyptius interpretatur angustia, vel tribulatio, per quod significatur peccator rubore, & pœnitentia perfusus. *op. Confessionale c. 1. p. 4.*

156. *Immunditia corporalis non semper impedire debet receptionem Eucharistiæ.*

Qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra Castra. Ergone pollutio involuntaria impedit ingressum Ecclesiæ, & multo magis communionem Eucharisticam? sed Resp. quod talis immunditia sejuncta à mentali præcisè non impedit communionem, nisi aliquis ob reverentiam majorem debitam Sacramento se rettahere velit, idque etiam debet cum cautela practicari: si verò est conjuncta cum veniali, impedit tantùm de congruo. *l. 4. d. 12. p. 2. a. 2. q. 3.*

157. *Pretium de male acquisitis an possit in eleemosynam, vel Deo offerri.*

Non offeras mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini, &c. Conveniunt Doctores, quod pretium prostibuli potest jure, & licitè retineri, sicut & histrionum: Cur ergo Deus vetuit, ut reciperetur pro oblatione temporali? Resp. quod licet ista possint licitè retineri, tamen quia acquisuntur cum peccato, non debent recipi in oblationem propter reverentiam Altaris, & confusionem peccati: possunt tamen recipi in eleemosynam. *l. 4. d. 15. p. 2. a. 2. q. 1.* Nota etiam, quod simul connectit pretium prostibuli, & canis, ut scias, quod sicut canes non admittuntur in Cœlum, sic nec meretrices, & luxuriosi: Dicitur enim. *Apocalips. c. 21. foris canes, & venefici.*

158. *Vsura prohibita, quia de se est mala.*

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec aliam rem. Cur usura prohibetur à Deo? An quia mala est de se, an solum ex prohibitione? Resp. usuram esse prohibitam, quia de se mala est, licet aliquando Deus eam permiserit ad vitationem majoris mali, quod etiam à Principibus Christianis practicatur licitè, nempè ad vitationem majoris mali; quod diligenter est advertendum, ratio est, quia pecunia propter accommodationem de se non deterioratur: tum quia de se non fructificat, sed tantùm lucrum est ex parte utentis, ideò illicitum ex parte mutuantis. *In Luc. c. 6. v. 34.* Vide ibidem alias rationes.

159. *Mutuum dare proximo absque spe recompensationis benedictionem Dei affert.*

Fratri tuo absque usura id, quod indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus. Ergone nunquam licebit commodare aliquid proximo absque retributione? Resp. quod spes in mutuo potest esse vel ad consimile obsequium, & hoc est licitum, vel ad lucrum, & hoc vel per pactum expressum, vel tacitum; & hoc est usura: vel si tantum spes est in corde, & principaliter movens animum etiam est illicitum: si verò non est principaliter movens, sed tantum annexa, quia vidit accipientem non fore ingratum, sic licet mutuare. *In Luc. c. 6. v. 35.*

160. *Votum Deo factum debet integrè observari.*

Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, &c. Ex hoc patet, quod votum est de jure divino observandum, cum sit quid voluntariè promissum cum obligatione. *op. de sex alis Seraph. c. 3. & op. de perfect. religiosæ l. 1. cap. 1. & op. de decem præceptis serm. 3.*

CAPVT XXIV.

161. *Repudium uxoris quarè permissum fuit in lege Moysi, non verò in evangelica.*

Si acceperit homo uxorem, &c. In hoc capitulo permittit Deus libellū repudij, ita ut vir poterat dimittere uxorē ob aliquā fœditatem, scilicet adulteriū. Sed cur id permissum fuit in lege veteri, nō verò in

Vu nova?

novæ? Reſp. quod viro permittebatur tunc repudiare uxorem ob fœditatem aliquam uxoris, ſcilicet fornicarionis, adulterij, &c. & aliam ducere, quia plures permittebantur uxores: Vxori verò erat prohibitum ducere alium maritum in pœnam ſuæ culpæ: Id autem permiſſum eſt in tempore legis, quia tunc erat tempus tenebræ, nec revelandum erat eis myſterium matrimonij: tum etiam, quia erant imperfecti, & duri, ideò ad duritiam cordis eorum id fuit eis permiſſum ad vitanda maxima mala: In lege autem evangelica, quia fuit adnomeratum matrimonium inter Sacramenta Eccleſiæ ob idque revelatum myſterium ſignificationis conjunctionis Animæ cum Deo, & Eccleſiæ cum Chriſto; ideò hæc permiſſio ablata eſt: ob id, licet ob aliquam cauſam urgentem fiat ſeparatio viri, & uxoris: non tamen licet aliam ducere unquam, *l. 4. d. 33. a. 3. per totum.*

162. *Gratia Dei, & hominum luxurioſis aufertur.*

Si non inveniet mulier gratiam coram viro ſuo propter aliquam fœditatem, abominabilis erit hec mulier. Ergone, ſi ob aliquem defectum mulier non inveniat gratiam apud virum, erit repudianda? Videtur quidē hæc lex nimis rigida: Attamē notanda eſt illa particula (*ob aliquam fœditatem*) ſcilicet ob fornicationem, vel adulterium: Vt diſcas, quod gratia, non ſolum hominum, ſed & Dei penitus denegatur luxurioſo: *gratia enim ſuper gratiam eſt mulier ſancta, & pudorata*, ait ſapiens, *in Eccleſ. cap. 26.* nec majus miraculum eſt, quàm in carne præter carnem vivere, cum ſit non humanæ, ſed Angelicæ naturæ. *opuſc. Eccleſ. Hierarch p. 1. cap. 1.*

163. *Spes, & timor ſunt neceſſaria ad perfectam peccatorum Confeſſionem.*

Non accipies loco pignoris inferiorem; & ſuperiorem molam, quia Animam ſuam oppoſuit tibi. Nota, quod hic ordinat Deus filijs Iſrael quid ab ipſis ſit agendum circa ſupellectiles domus: cum enim multa ſint neceſſaria in domo ad cibum præparandum; ideò prohibetur hic, ne creditor talia accipiat pro pignore: ſed cur ſolum facit mentionem de mola ſuperiore, & inferiore, neceſſarija ad terendum bladum? ob myſterium maximum inſinuandum; nam in domo ſpirituali mola ſuperior, & inferior eſt maximè neceſſaria ad rectè conterendum cor, & pœnitendum: mola enim ſuperior ſignificat ſpem, quæ ad ſuperiora erigit; Inferior, timorem deorſum deprimens: Dicitur ergo Confeſſario, quod non accipiat à pœnitente pignus, ſcilicet non ſubtrahat, vel auferat molam inferiorem, vel ſuperiorem, ſcilicet, vel per nimiam objurgationem, vel nimiam miſericordiam, ſpem, & timorem, ſed utraque ſimul debet conjungi; ſic enim cor perfectè conteretur de peccato, & pœnitentiam faciet, fietque optima molitora tritici inter iſtas duas molas, ideſt perfecta Contritio. *lib. 4. d. 16. p. 1. a. 1. q. 4. ad 7. & op. Diat. ſalut. Tit. 5. cap. 4.*

164. *Spes, & timor preparant Animam in farinam, & panem myſticum.*

Non accipies loco pignoris molam ſuperiorem, & inferiorem, &c. Cur noluit Dominus, ut auferretur filijs Iſrael mola ſuperior, & inferior? Vt poſſent facere farinam, & panem: myſticè enim dicitur Eccleſiæ, & Chriſtianis, ſcilicet ut conſervarent in domo molam ſuperiorem, ſcilicet ſpem, & inferiorem, ſcilicet timorem: per has duas molas terentur fideles, & fiunt puriſſima farina, ex qua ſit unus panis, quem Chriſtus in Corpus ſuum myſticum traijcit. *In Luc. c. 13. v. 21.*

165. *Perfecta compunctio habetur virtute timoris, & ſpei, & utriuſque mirabiles effectus enarrantur.*

Non accipies loco pignoris molam ſuperiorem, & inferiorem. Ideſt non habebis ſpem ſine timore, vel è converſo: & quarè? quia per timorem compunctio ſuſcitatur: nam numerum culparum examinat, & rigorem judicij attendens animum pungit, & pungendo peccatum expellit: ſpes verò erigens animum ad Cœlum, aptatæ reconciliationis gratiam promeretur: Timor præmit Animam, ne evaneſcat per elationem; ſpes Animam ſuſtinet, ne deficiat per deſperationem ô quàm digna conjunctio, & utilis Animæ. *Pſal. 85. & op. Diat. ſal. Tit. 5. c. 4.*

166. *Vita activa occupatur circa varia opera in molendino ſpirituali huius vitæ.*

Non accipies loco pignoris molam ſuperiorem, & inferiorem. Vide, quid nobis Deus in his verbis innuere vult: ergone proprium hominum omnium erit ſe ſe exercere in arte molendini? ſed nota, quod hoc opus eſt laborantium circa mobilia huius mundi, daturque intelligi, quod vitæ activæ munus eſt ſe exercere in mola ſuperiore per ſpem ſe erigendo ad cœleſtia, & in inferiore per timorem ſuppliciorum, quibus tanquam nobis ſpiritualis molendinum movetur, exercendo ſe per varia opera activa in Dei ſervitio. *In Luc. c. 17. v. 35.*

167. *Societas malorum inficit tanquam lepra, vel peſtis.*

Obſerva diligenter, ne incurras plagam lepræ, ſed facies quæcumque docuerint te ſacerdotes. Cur ad evitandam lepram miſit Deus ad ſacerdotes, & non potius ad medicos? quia ſicut lepra contrahitur converſatione, ſic lepra ſpiritualis contrahitur per ſocietatem malorum; quæ lepra medicatur miniſterio ſacerdotum. *In Luc. c. 7. v. 23.*

168. *Magna cautela adhibenda eſt à Confeſſarijs in interrogatione pœnitentum.*

Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam dedit tibi, non ingredieris domum eius. Deus noluit, ut repetendo pignore, creditor Domum ingrederetur debitoris, ne aliquam moleſtiam ei inferret: ſed quodnam myſterium datur in hoc præcepto? Hoc conſilium dirigitur ad examinatores conſcientiarum, ſcilicet ad Confeſſarios, ut advertereut, qua cautela debeant ingredi cor, vel conſcientiam pœnitentis: Cavete enim debent, ne peccata nova in Anima pœnitentis repræſentent: ſed tamen notandum, quod peccata uſitata poteſt diligenter ſingulatim exquirere: inuſitata verò in generali, & cum maxima dexteritate, ne detur aliqua occaſio denuò peccandi pœnitenti neſcienti talia peccata. *l. 4. d. 19. dub. 5. & op. Confeſſionale c. 2. p. 1.*

169. Deus

169. *Deus non differt reddere præmium laborum vel pœnam debitam malis operibus finito termino vitæ nostræ.*

Eadem die reddes indigenti pretium laboris sui ante solis occasum, &c. Vide qua cura Dominus vult, ut suum uoicuique præcipuè indigentibus statim detur. Attamen per hoc dat intelligere, quod Dominus homini laboranti in vinea huius vitæ, statim ac dies mortalitatis finitur, & sine mora, dat præmium, sic etiam dixit latroni confitenti: *Hodie mecum eris in Paradiso*: Idem & fit in punitione malorum in Inferno. *serm.3.Dom.septuages.*

170. *Fratres minores, & alij Religiosi mendicantes sunt coadiutores Prælatorum in salute Animarum procuranda.*

Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, &c. Idemque in vindemia, &c. Vide, quam sit providens Dominus Deus erga divites, & pauperes: sed tamen mysticè hæc verba ordinantur Episcopis, & Prælatis Ecclesiarum, ordinant, quod pauperes missi in agrum domioicum ad colligeodas Animarum spicas, & racemos relictos à plebanis, vel ob incuriam, vel ignorantiam, vel alia de causa, ea colligant, & reducant in horrea Ecclesiæ, suntque Religiosi minores, alijque Prædicatores verbi Dei, & absolventes pœnitentes à peccatis, alijsque operibus bonis incumbentes pro salute animarum missi in Ecclesiam à Christo tanquam coadiutores Prælatorum.sp. *Quare fratres minores predicent, &c.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CAPUT XXV.

171. *In die iudicij Iustis palma victoriæ dabitur à Christo, & Apostolis certantibus in hac vita: iniustis, & ignavis condemnatio remanebit.*

Iudices, quem iustum esse perspexerint, palmam dabunt Iustitiæ, quem impium, condemnabunt. Vide, quomodò Deus toties repetit in sacra Scriptura suam iustitiam extendam in die Iudicij: Vnde hic dat intelligere, quod ad palmam victoriæ, & præmium conferendum bonis, non solum ipse sua summa auctoritate, sed & Apostoli tamquam approbantes concurrent, sicut & ad condemnationem impiorum. Nota autem, quod dicit palmam iustitiæ, quia palma datur solùm victoribus, ergo non dabitur nisi ei, qui legitimè certaverit. *serm.4.In Dominica palmarum.*

172. *Ex Christi merito homo potest plenè satisfacere Deo.*

Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Quomodò id potest esse verum? nam certum est in peccato concurrere offensam infinitam Dei, & libidinem inordinatam peccantis: quis autem potest exhibere satisfactionem infinitam Deo? sed nota, quod licet homo de se non possit plenè satisfacere Deo, tamen si eius satisfactio fundetur in meritis Christi infinitis, poterit plenè satisfacere; sicque verificatur lex à Deo facta, secundùm mensuram delicti, &c. Et hinc quia Diabolos non habuit mediatorem, sicut homo, idcò non potuit nec potest satisfacere. *lib.4.d.15.p.1.a.1.q.1.& d.20.p.1.a.1.q.2.ad 1. & 2.* Hic autem notandum est, quod peccatum, quoad culpam remittitur à Dei misericordia per collationem gratiæ: Quoad pœnam triplex meritum concurrit, scilicet meritum proprium pœnitentis per contritionem fundatam in Dei gratia: meritum Christi mediatoris per Sacramenta, & meritum Ecclesiæ concurrentis: sicque pœna æterna commutatur in temporalem in remissione culpæ, & per absolutionem Sacramentalem commutatur de magna in competentem viribus nostris, & deinde concurrente merito Ecclesiæ, adhuc minoratur, per quæ omnia proportionatur mensura pœnæ ipsi culpæ: Vide igitur quanta sit Dei misericordia in nos miseros peccatores. *l.4.cit.locis & l.4.d.4.p.1.a.1.q.1.& 6.*

173. *Confessarius quomodò se gerere debeat in iniungenda pœnitentia.*

Pro mensura delicti, erit & pœnarum modus: Ita tamen, ut quadragenarium numerum non excedant. Si pœna proportionari debet culpæ, quomodò se gerere debet Confessarius cum pœnitente, qui plurima enormissima commisit? Imò quomodò poterit proportionari pœna finita offensæ Dei infinitæ? sed iam satisfactum est dubitationi de infinitate culpæ: Remanet ergo in potestate Ecclesiæ fundatæ super merita Christi satisfactio imponenda pro pœna: Circa quam Spiritus Sanctus advertit, quod pœna non debet excedere numerum quadragenarium: Quid est hoc? Numerus quadragenarius significat statum pœnitentis huius vitæ (constat enim ex quatuor denarijs, scilicet significat observantiam decem mandatorum secundum quadripartitam elementorum compositionem carnis mortalis ex Glossa.) Hinc dat intelligere, quod pœnitentia imponenda est major, vel minor consideratis diversis statibus personarum, & circumstantijs.sp.*Confessionale c.4.p.3.*

174. *Quale semen iacies in agro cordis talis erit fructus.*

Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Quale semen iacies in agro cordis, talem & fructum metes: si iacies zizaniam, vel lolium, & talem fructum habebis. *serm.18.Hexaem.*

175. *Iustè damnatus pœna æterna punitur pro actu finito.*

Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Si hoc est verum, quomodò homo punitur in Inferno pœna æterna pro actu finito, & temporali? quomodò hic servatur debita Iustitia? Resp. quod in peccato est reatus, & offensa: reatus culpæ punitur æquali mensura, quia, qui contra omne bonum peccavit, omni bono debet privari: Tum, quia offensa est infinita, ideò pœna deberet esse infinita, nec talis potest esse intensivè, ergo saltem extensivè: Tum, quia, qui peccavit, voluit æternaliter in peccato permanere. *In Luc.c.6.v.38.*

176. *Pœnitentia est facienda secundùm qualitatem delicti, idque exhibet fructus dignos pœnitentiæ.*

Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Proponitur hæc lex à Deo, ne peccator se decipiat, & sciat,

sciat, quod Deus exigit à nobis fructus dignos pœnitentiæ, scilicet, ut quantò majora sibi infestat lamenta pœnitentiæ, & quantò graviora sibi intulit damna per culpam, alioquin ea luet in gravissimis pœnis Purgatorij. *In Luc. c.3. v.8. & l.4. d.20. p.2. a.1. q.2. & serm.3. Dom.1. post Pentec.*

177. *Deus non solum punit iuxta mensuram delicti, sed & præmiat iuxta mensuram bonorum operum.*

Pro mensura delicti erit, & plagarum modus. Si Deus est pronior, & promptior ad misericordiam, & ad miserandum, quàm ad condemnandum, ergo dicendum est, quod non solùm in puniendo respicit mensuram delicti; sed & in præmiando respicit mensuram laborum, & pœnarum, pro ipso toleratarum: ergo labora ô homo in hac vita, ut præmium accipias in altera. *fer.4 de pluribus martyribus, & serm.3. Dom.1. post Pentec.*

178. *Prædicatori, & laboranti in vinea Domini debetur subsidium temporale.*

Non ligabis os bovis terentis in Area fruges tuas. Admirationem affert quidem hæc lex: Nunquid Deo cura est de bobus, ait Divus Paulus? Nunquid Deus intendit dare legem pro bobus? minimè: sed hic ad Allegoriam est transeundum: nomine bovis laborantis venit Prædicator, & laborans in Area Domini pro salute Animarum: vultque Deus docere, quod ex Iustitia istis debetur subsidium temporale. *In Psal.21.* Ex quibus infertur, quod studium sapientiæ cum vigilantia prædicationis, manualem laborem plenè recompensat. *op. Apolog. paup. resp.4. c.3.*

179. *Prædicatoris munus est suscitare semen fratri suo, scilicet Christo.*

Si frater absque liberis mortuus fuerit: suscitabit alter semen fratris sui. Hæc lex si fuit figura eorum, quæ circa nos fiunt, ut dicit Apostolus, quomodò verificatur in lege evangelica? Verificatur tali pacto: Christus est frater noster, & est mortuus in Cruce absque tot filijs, qui vivunt in peccato; ut autem generentur in Christo, Deus destinavit Prædicatores, ut per conversionem, & prædicationem, suscitent semen Christo: Vide quàm sublime sit hoc officium. *op. legenda sancti Francisci cap.8.*

180. *Prædicator potens, & nolens prædicare meretur tali officio privari, & puniri: sicut, & qui gerit Ecclesiæ curam negligens Deo filios generare.*

Si respondent, nolo eam uxorem accipere, &c. Deus hic præcipit, ut si frater habens uxorem mortuus fuerit absque liberis, teneatur alius frater eam accipere, ut suscitet semen fratri suo, sin autem iste frater recusaverit eam accipere, uxor illa debet calceamentum de pede viri accipere, & spuere in faciem illius, &c. quodque litteraliter Deus, ordinavit ad fovendam charitatem inter propinquos, & refrenandam cupiditatem, & servandam fidelitatem: spiritualiter autem voluit nobis Dominus indicare, quod cum Christus sit frater noster, uxor eius Ecclesia, & mortuus fuerit ante fidelium multitudinem, & cum ille, qui curam alicuius Ecclesiæ gerere suscipit, debet generare filios spiritualiter Christo, sequitur, quod Pastor, vel Prædicator, qui hoc negligit implere, puniri meretur, & ei, qui semen Christi non vult suscitare, debet auferri calceamentum, scilicet auctoritas prædicandi: Væ ergo prædicatoribus, & pastoribus negligentibus. *In Luc. c.10. v.18.*

181. *Quare iteratio matrimony in lege veteri erat honorabilior, quam in lege gratiæ.*

Accipiet eam frater, & suscitabit semen fratris, &c. Cur in lege veteri iteratio matrimonij erat honorabilior, nunc autem non est? quia in lege veteri benedictio erat in prole carnali, & promissio temporalis: In lege autem gratiæ promissio, & significatio est spiritualis, & ob id, licet iteratio admittatur, non tamen honorabilior est. *l.4. d.42. a.3. q.3.*



CAPVT XXVI.

182. *Dominus Deus elegit, & vocavit omnes ad diuinorum mandatorum observantiam.*

En Dominus Deus elegit te, ut sis ei populus peculiaris, & custodias omnia præcepta eius. Vide qualis, & ad quid sit prima electio facta à Deo, scilicet ad observantiam mandatorum Dei, ad quam vocamur: sed quomodò dicimur vocari, & eligi omnes, si tot populi ignorant Dei legem? Tum etiam quia vocatio, & electio sunt valdè differentes, electio enim est æterna, & vocatio temporalis? Tum, quia vocatio ad plures se extendit, quam electio? At notandum, quod est electio, & vocatio secundùm voluntatem antecedentem Dei, & est secundùm consequentem: prima ad omnes se extendit: Deus enim omnes homines vult salvos fieri, & omnibus exhibet sua auxilia, & secundùm hanc verificatur hic Textus. *l.1. d.46. a.1. q.1. & d.40. a.3. q.1. & seq. & ferm.1 in die sancti Matthiæ, & serm.2. in Convers. sancti Pauli.*

Dices, quomodò dicuntur vocati ad observantiam mandatorum illi, qui nullam cognitionem de Deo, & suis mandatis habent? Respondetur, quod Deus infundit in intellectu omnium hominum lumen innatum, quo naturaliter possit cognoscere prima principia moralia, nempè præcepta naturæ: Indidit & quoddam pondus, & inclinationem in voluntate ad id, quod est de dictamine naturæ: Vnde supposito auxilio Dei, quod nunquam deficit, nulla datur excusatio; ergo si gratiam à Deo non accipis, vel si accipis à Deo, perdis, non est culpa dantis, & quantum in se est continuè influentis, sed culpa est voluntatis, vel non se præparantis, & quantum in se est non facientis, vel à gratia jam accepta deficientis, & non persevetantis. *ferm. 2. de S. Matthia, & lib.2. d.39 a.1. q.1.*

183. *Homo stultus potius vult Diabolo in difficillimis obedire, quàm Christo in facilibus.*

En Dominus Deus elegit te, ut custodias omnia præcepta eius, &c. Vide qualis sit prima electio, & vocatio Dei, scilicet ad observantiam suorum præceptorum; Sed tamen licet hæc sint levia, fugiunt impij eorum observantiam, volentes potius obe-

dire

dire Diabolo, & carnis desideria, quàm Regi æterno, pro eis temporaliter passo. *serm. 1. de Sancto Matthia.* Cato clamat, ego decipiam, mundus clamat, ego deficiam, Diabolus clamat, ego interficiam, Christus clamat, ego reficiam, & tamen cæca mens, magis vult sequi carnem decipientem, & inficientem, mundum deficientem, Diabolum interficientem, quàm Christum reficientem: Ad quem igitur ubisquem sequeris. *fer. 4. Dom. 6. post Pentec.*

CAPUT XXVII.

184. *Prælati Animarum tenentur scire clare mysteria fidei, eaque rudibus explicare.*

Et scribes super lapides omnia verba legis huius planè, & lucidè. Cur Deus voluit ut in lapidibus levigatis calce ex Iordane desumptis scriberentur verba legis divinæ? Cur non in libris, vel tabulis ligneis? Nota, quod per lapides significantur homines rudes, & simplices: Et per hoc datur intelligi, quod Sacerdotes, & Prælati Ecclesiarum tenentur disponere laicos subditos ad hoc, ut addiscant necessaria ad salutem, eisque planè, & lucidè propinare verbum Dei, & legis præcepta. *l. 3. d. 35. a. 1. q. 3. ad 1. & in Psal. 118. c. 4. v. 9.*

185. *Pastor suo malo exemplo subditos inficiens maledictus à Deo.*

Maledictus, qui errare facit cæcum in itinere, & dicit omnis populus amen. Estne hoc tam grande peccatum, facere errare cæcum, quod maledictionem mereatur à Deo? Sed tamen hic mysticè loquitur de iis, qui tenentur tanquam Pastores Animarum eas pascere verbo salutis, & ducere per viam vitæ, qui si per mala exempla, & doctrinas impias faciunt eas deviare à via salutis: Isti merentur maledictionem Dei: Tales enim ductores cum illis, quos ducunt, in foveam cadunt, & similes sunt Lucifero, qui voluit aliis præesse, & excidit cum eis, qui ipsi adhæserint. *In Luc. cap. 6. v. 39. & Psal. 118. c. 2. v. 5.*

186. *Maledicitur à Deo, qui voluntatem bonam in malam pervertit.*

Maledictus qui pervertit iudicium advenæ. Cur maledictionem infligit Deus pervertenti iudicium advenæ, & non etiam domesticorum? Nota, quod advena dicitur, qui ab extra advenit: Loquiturque mysticè de voluntate, quæ ab extra, scilicet à Deo, gratia, & inspirationibus bonis est informata, tuncque maledicitur à Deo, qui pervertit iudicium talis bonæ voluntatis per injustitiam, ipsam faciens transire ad peccatum: maledicti enim sunt, qui declinant à mandatis Dei. *Psal. 118. c. 2. v. 5. & c. 10. v. 10.*

187. *Adulteri à Deo maledicti: Casti benedicti: maledicti item, qui verbo, vel facto polluunt Ecclesiam Christi.*

Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui. Legit Sanctus Bonaventura, *proximi sui; & dicet omnis populus Amen.* Vide qualem maledictionem infligat Deus adulteris, & luxuriosis: sicut è contra benedictionem Deus dat castè viventibus. *In Luc. cap. 18. vers. 20. & opusc. spec. B. Mariæ Virgin. lect. 15.* Glossa moralis addit mysticè: *maledictus Prælatus, Curatus, seu Prædicator, qui dormit, & polluit uxorem patris sui*, scilicet, qui malo verbo, vel facto polluit Ecclesiam Christi Patris sui sponsam.

188. *Non custodientes mandata Dei maledicti à Deo.*

Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec ea opere perficit. Vide, quod cum supra Deus comminatus fuerit diversis peccatis, peculiares maledictiones, nunc suam maledictionem universaliter dirigit ad omnes tam subditos, quàm Prælatos transgressores legis divinæ, qui scilicet affectum removent ab ipsa, & effectum quoad observantiam. *In Psal. 118. c. 2. v. 5. & c. 3. vers. 16.*

189. *Sapientes, & Doctores transgressores legis divinæ super alios maledicti à Deo.*

Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, &c. Et qui sunt, qui non permanent in sermonibus legis divinæ? Sunt illi, qui sapientia calent, & versati sunt in doctrina divina: Contra istos igitur, si non permanent, & transgrediuntur divinam legem dirigitur maledictio divina, suntque ipsi magis à Deo maledicti, quàm simplices mali. *in Ioan. c. 7. v. 49.*

190. *Qui in uno offendit præcepto Deum, etiam si cætera observet maledictus.*

Maledictus, qui non permanet in sermonibus huius legis, &c. Nota, quod dicit in sermonibus hujus legis, omnia simul præcepta colligens: quia, qui in uno offendit, factus est omnium reus: perfecta enim obedientia omnia præcepta implet. *in Luc. c. 17. v. 10.*

191. *Calamitates à Deo immissæ sunt effectus maledictionum istarum.*

Maledictus qui non permanserit, &c. Quid est hæc maledictio: forsan consistit in verbis? nequaquam: Nam Dei benedicere, est benefacere: Dei maledicere, est calamitates infligere secundùm quod comminatur in his verbis. *In Thren. c. 2. & serm. 4. In Dedicat. Templi.* Ergo calamitates toties quentes nos sunt effectus maledictionum istarum.

192. *Deus pronior ad benedicendum, quàm ad maledicendum.*

Maledictus, qui non permanserit, &c. Notandum, quod ante comminationem harum maledictionum præmiserat varias benedictiones observantibus sua præcepta, dicens: *Venient super te omnes benedictiones istæ, &c.* Cur non prius pronuntiat maledictiones, ut timorem incutiat, & inducat ad observantiam præceptorum? quia Deus est pronior ad benedicendum, quàm ad maledicendum: Sic præmissis præceptis, prius subjunguntur benedictiones, ut ad ipsorum observantiam attrahantur amore, & postea maledictiones, & comminationes, quæ transgressoribus imprecantur

cantur, ut ineutiat timorem: plns enim vult amari, quàm timeri. *In Thren.c.2.& ſer.1.& 2.ſer.4. Pentec.* Addit Olimpiodorus in lat. Græca: quod, cum in pronunciandis benedictionibus introducit Deum benedicentem, dicens: *Emittet Dominus benedictionem ſuper te.* At in maledictionibus comminandis non introduci Deum maledicentem, ſed ſolum dici: *maledictus eris*; nec exprimi à quo exeat hæc maledictio: & hoc, quia benedictio eſt à Deo, maledictio verò ab ipſo malè operante: Vnuſquiſque enim eſt authot ſibi ſuæ maledictionis. Vide ergo quomodò cautè operandum, & permanendum in perfecta obſervantia legis divinæ, ut effugiendo maledictionem, benedictione fruaris æterna.



CAPVT XXVIII.

193. *In qnolibet opere bono concurrit pleniſſima benedictio ſpiritualis, & temporalis.*

Si audieris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias mandata eius, omnes iſtæ benedictiones venient ſuper te, &c. Hic diligenter notandum, quod in promiſſione benedictionum Sacer Textus non deſcendit ad caſus particulares: At in pronunciandis maledictionibus, deſcendit ad peccata peculiaria, dicens: *maledictus, qui errare facit, &c.* Cur non ſeruat eundem ordinem huius anthiteſis in benedictionibus, & maledictionibus? Vt ſcias, quod in quolibet opere bono cócurrit benedictio dexteræ, & ſiniſtræ Dei, ſcilicet bonorum ſpiritualium, & temporalium collatio. *Pſal.66.& 128.* Nota etiam, quod ait: *Benedictus fructus ventris tui, terra tua, Iumentorum tuorum, &c.* Scilicet benedictus fructus tuæ mentis in meditationibus ſanctis: Terræ ideſt ſenſuum exteriorum: Armentorum, ideſt interiorum ſenſuum: Item Prælati, & ſubditi operantes ſecundùm dona ipſis à Deo collata. *op. de pauperi. Chriſti q.2.& Gloſſa moralis, hic.*

194. *Benedictio generis humani in fructu Ventris Beatæ Mariæ Virginis habuit initium.*

Benedictus fructus ventris tui, & fructus terra tua. Quis eſt iſte fructus ventris, & terræ populi Iſraelitici benedictus? Hic eſt Ieſus, qui fuit fructus terræ Vteri Virginalis, in quo benedictæ fuerunt gentes omnes; & ideò in Maria Virgine impletæ ſunt omnes benedictiones. *In Luc.c.1.v.41.*

195. *Religioſi boni ſunt Cæli continentes theſauros gratiarum.*

Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum; Cælum, ut pluviam tribuat Terra in tempore ſuo. Quis eſt iſte theſaurus Dei optimus? Cælum ne? Sed quodnam Cælum, ſi plures ſunt Cæli? Et cur Cælos appellat nomine theſauri, ſi theſauri potius reconduntur in terra? Nota, quod nomine Cælorum veniunt Religioſi; qui ad cæleſtem vitam divina gratia elevati, in divinæ laudis confeſſione perſeverant: Sunt enim remoti à terrenorum luto per puritatem internam Cælis conformes, volubiles per perfectam obedientiam abſque contrarietate diſſenſionum: continentes theſauros virtutum, ornati divitiis, quaſi ſtellis cæleſtibus diverſarum perfectionum. *opuſc. Eccleſ. Hierar. part.4.c.4.*

196. *Ad Religioſos ſpectat diffundere ſæcularibus theſauros gratiarum.*

Aperiet Dominus theſaurum, &c. ut pluviam tribuat terra, &c. Cur Cælum tribuens pluviam terræ appellatur theſaurus? quia tales ſunt Religioſi, qui veluti theſauri continentes gratias divinas, cæleſtes virtutes neceſſitatis tempore communicant ſua bona, & miſericordiæ opera ſingulis ſecundùm uniuſcuiuſque indigentiam. *opuſc. Eccleſ. Hier. part 4. cap.4.*

197. *Ob peccata inducitur ſterilitas, & ſubtrahitur pluvia corporaliter, & ſpiritualiter.*

Si non audieris vocem Domini Dei tui, maledictus eris, &c. Et ad quid iſta maledictio? (ſubdit) *ſit Cælum, quod ſupra te eſt, æneum, & terra, quam calcas ferrea, det tibi Dominus imbrem terra pulverem.* Ecce quomodò patens ſit, quod peccatum, & mandatorum tranſgreſſio inducit ſterilitatem terræ, & ſubtrahit pluviam fæcundantem terram, & hoc non ſolùm corporaliter, ſed & ſpiritualiter in Anima, quæ ob peccatum ſterilis ſit per indevotionem, ſive per carentiam humoris contritionis, & compaſſionis: O quales effectus peſſimi peccati. *ſer.4.In Dedicat. Templi.*

198. *Oratione tollitur ſterilitas corporalis agrorum & ſpiritualis Animæ.*

Si non audieris vocem Domini Dei tui, maledictus eris, &c. Sit Cælum quod ſupra te eſt æneum, & Terra ferrea, &c. Patet quod per peccata veniunt iſtæ adverſitates corporales, & ſpirituales: Sed quodnam remedium ad hæc mala vel curanda, vel fugienda? Audi peccator Deum tuum tibi ſubvenientem: *Si clauſum fuerit Cælum, & non pluerit, & oraverint in loco iſto, & à peccatis ſuis converſi fuerint, propter afflictionem ſuam, tu exaudies, & dabis pluviam ſuper terram. Sic 3. Regum c.8.* Confuge ergo ad Domum orationis, & ſic evades tot mala. *ſer.4.In Dedicatione Templi.*

199. *Peccatum opera infructuoſa reddit.*

Maledictus eris ingrediens, maledictus eris egrediens. Sed in quem locum, & è quo loco? Sanctam Eccleſiam materialem ad orandum: Ergone ingreſſus in Eccleſiam ad orandum cauſabit maledictionem? Nota, quod dicit maledictus eris ingrediens: non vult dicere, quod maledictio incurratur ob ingreſſum, vel egreſſum, ſed quod intrans in peccato mortali maledictus intrat, & egrediens eum peccato, etiam egreditur maledictus: Nam peccatum opera bona, quæ fiunt, infructuoſa reddit, & quantum ad meritum, & quantum ad præmium; ſicut ramus præciſus ab arbore non profert fructum, ſed areſcit, & habilitatur ad incendium: ſic & oratio talium non eſt meritoria: Imò addit Sanctus Auguſtinus, quod ſi tales ſe ſigno Crucis ſignant (nempe cum tali affectu, & malo animo) potius in ſe Diabolum includunt, quàm excludant, quia jam in eis per affectum habitat.

bitat. *ep.Comp.Theol. l.3.cap.*7. O peccati mortalis effectus horribiles, & terribiles, &c.

200. *Prælatorum, & Religiosorum mala vita aufert fœcunditatem bonorum operum subditis, & Ecclesiæ.*

Sit Cœlum supra te aneum, & terra, quam calcas ferrea: De calo descendat super te cinis. Nota ordinem talium imprecationum, quas fecit Spiritus Sanctus contra transgressores mandatorum Dei: primò ponit Cælum æneum, postea terram ferream, & tandem cinerem in terram è Cælo descendentem; quid sibi volunt ista? Sed sciendum est, quod in Sacra Scriptura nomine Cæli veniunt Prælati, & Religiosi: Isti dicuntur ænei, idest aridi, & duri per malam vitam, & opera mala: cum autem in eis deficiat humor divinæ gratiæ, nec possunt influere vitam spiritualem in subditos, eosque irrigare rore doctrinæ, & exemplorum sanctorum, hinc terra fit ferrea, scilicet nullus fructus in subditis provenit, sed omninò sterilea, ut cinis fiunt. *op.de Ecclesi.Hierarch.p.4.c.3.& 4.*

201. *Victoria inimicorum super nos est fructus maledictionis.*

Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia Regna Terra. Nota, quod hic patenter Sacer Textus, non solùm prædicit ad litteram destructionem populi Israelitici, seu Iudaici, sed & innuit quos fructus parturit maledictio peccati: hoc enim reddit super nos inimicos victores, & assignat causam, quare in bello populi exterminantur, & in captivitatem rediguntur: fuge ergo peccata, & age pœnitentiam. *In Thren.c.2.*

202. *Concupiscentia febris quam Anima noxia: fructusque maledictionis peccati.*

Percutiat te Dominus egestate, febri, frigore, ardore, & æstu, & aere corrupto, ac rubigine, & persequatur donec pereas. Nota hoc septuplex malum, quod hic inobservantibus mandatorum Dei comminatur: & quæritur; quam connexionem habeant ad invicem? Præterea comminatur febrim, nec exprimit qualem, cum multiplex species febrium torqueat corpora nostra: Alia enim consistit in inflammatione spirituum, & dicitur ethica: Alia in corruptione humorum, & dicitur diversimoda seu vaga, quia est multiplex: quá igitur febrim hic comminatur? Sed attende, quod loquitur spiritualiter de effectibus maledictionis peccati Adæ, nempe concupiscentiæ, ex qua oriuntur in Anima mala enarrata significata per febrim, quæ potest adaptari septem peccatis mortalibus, & vitiis capitalibus: luxuriæ enim febris oritur ex putrefactione humorum: Gulæ ex repletione malorum humorum: Avaritiæ ex appetitu immoderato: Iræ ex inflammatione sanguinis: Accidiæ ex alteratione naturæ: Invidiæ ex livore; superbiæ ex nimia inflammatione, & tumore. *In Ioan.c.5.v.54.*

203. *Febris superbia subiecta ira Dei.*

Percutiat te febri. Iam dictum est per febrim significari superbiam, & ambitionem: hæc est infirmitas gravissima, quæ Deum elongat; & à Deo deprimitur, ob idque iræ Dei subjecta. *serm.20.post Pentecost.*

204. *Invidia febris pessima.*

Percutiat te Dominus febri. Hæc est infirmitas pessima causans vermes in corpore, scilicet agitationem motuum, & amaritudinis, & fœtoris. *ser.1.Dom.20.post Pentecost.*

205. *Avaritia febris pessima.*

Percutiat te febri, &c. Infirmitas hæc est mala eis, à quibus male avarus lucratur, pejor eis, pro quibus lucratur, scilicet hæredibus, pessima ipsi avaro, qui malè lucratur: Vnde nota, quod textus connectit eum febri egestatem, tuus inopiæ multa desunt; avaritiæ omnia; ut ait Seneca, quanto enim plus bibunt avari acquirendo, tantò plus sitiunt appetendo. *ser.1.Dom.20.post Pentec.*

206. *Accidia infirmitas pessima.*

Percutiat te Deus febri, &c. Hæc febris est accidis, quæ per torporem, & pigritiam inducit in domum mentis cogitationes, desideria mala, & tentationes, infirmitatemque manuum, idest operum. *ser.1.Dom.20.post Pentec.*

207. Gula est infirmitas pessima, non solùm corporis, sed & Animæ; quæ obtondit mentem, & Corpus; virtutes corporis, & Animæ, luxuriam gignit perturbationem internam Animæ, fœtorem cordis, flammam libidinis, cæcitat, & infinita alia mala. *serm.1. Dom.20.post Pentec.& opusc. Pharetr.l.2.c.12.*

208. *Luxuria febris pessima.*

Percutiat te febri, &c. Hæc est infirmitas pessima, qua adolescentes peccant, senes insaniunt: ligaturque homo per visum, per verbum, per consensum, per tactum, per usum, & inducitur ad mortem corporalem, & æternam. *ferm.1.Dom.20. post Pentec.& op.Pharetr.l.2.c.13.*

209. *Avarus ut plurimum hæredem inutilem, vel inimicum, & ingratum relinquit.*

Fructus terra tua, & omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras. Ecce quomodò hic caprimit vanitatem, & stultitiam avarorum, qui laborant ut plurimum, & nesciunt cui: Nam vanitas quidem magna est, & magnum malú, ut unde unus labore atteritur, alter otiosè, & illicitè abutatur; quod evenit avaris. *In Ecclesi.cap.2.* Et hinc subdit Textus: *Ducet te Dominus, & Regnum tuum in gentem, quam ignoras tu, &c.* quasi dicat; Ecce, quod ea laboribus tuis de malè acquisitis, alieni locupletabuntur, & dominabuntur tibi, & tuis rebus. *In Thren.c.2.*

210 *Opera bona, & labores spirituales non per Deum, & in peccato mortali assumpti nullum fructum afferunt in vita æterna.*

Sementem multam jacies in terram; & modicum congregabis, &c. Cur modicum congregatur? quia sementem jaciunt peccatores, non propter Deum, & laborant in peccato: Hie est fructus maledictionis peccati mortalis; licet enim multa opera bona

bona faciat peccator, ſi ea in peccato mortali, vel timore ſervili, vel ob commodum temporale faciat, nullum fructum vitæ æternæ recipiet. *ſerm.4. Dom. Paſſionis.*

211. *Vermis conſcientiæ aufert dulcedinem & quietem in peccatore.*

Vineam plantabis, & vinum non bibes, quia vaſtabitur vermibus. Quid eſt vineam plantare infructuoſam, niſi conſcientiam replere urticis ardentiom, & carnalium deſideriorum, & ſpinis pungentium amaritudinum, & odiorum? hanc Vineam vermes remorſionum ipſam rodunt. O infelix conſcientia ſpinis peccatorum repleta. *ſer. 2. Dom. ſeptuag.*

212. *Deus terribiliter punit eos, qui ex prædicatione non percipiunt fructum.*

Plantabis Vineam, & non comedes fructus eius, &c. Cui laboranti in vinea aufertur fructus? nonne Deus promittit præmium cuicumque laboranti in vinea ſua? Nota, quod id dicitur prædicatori, vel Prælato, qui vel malè laborat in Vinea, & ob id nec recipit fructum debitum, vel quia auditores negligenter ſe habent, ideò terribili judicio vinea illa exculta prius inanis, & ſterilis relinquitur. *In Thren. c. 1. in fine.*

213. *Propter maledictionem peccati ſubditur homo tyrannidi Principum malorum.*

Advena erit in caput, ſcilicet princeps & tu eris in ca. dam ſcilicet ſubditus. Nota alium effectum maledictionis divinæ: nam propter peccata permittit Deus, ut peccatori ſubdatur tyrannidi alienorum Principum, & iſti locupletentur ex laboribus ipſius. *In thren. c. 2.*

214. *Deus cum bonis bonus, cum malis terribilis.*

Niſi cuſtodieris verba legis hujus, & timueris nomen eius glorioſum, & terribile, hoc eſt, Dominum Deum tuum, augebit plagas tuas, &c. Cur vocat nomen Dei glorioſum, & terribile? Cur non tantum glorioſum, & dulce, cum ſit fons totius dulcedinis? Benè dicit glorioſum, ſcilicet virtuoſis, & terribilis vitioſis: per quod exprimitur terminabilis conventio, ſcilicet terminus, & exitus ſupernaturalium judiciorum, & ſtipendiorum. *In Pſal. c. 4. v. 7. & c. 9. v. 4.*

215. *Conſcientia mala peccatoris trepidat ubi non eſt timendum.*

Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & Animam conſumptam mœrore. Sed cur erit cor iſtorum pavidum? hic non adducit ollam cauſam timoris: Cur ergo tantus pavor? quia talis eſt conſcientia peccatoris, effectuſque maledictionis peccati: facit enim ipſum tremebundum interius, & exterius etiam ubi non eſt timendum: Sicut enim charitas perfecta excludit timorem, ſic iniquitas eum cauſat, & inducit. *In Sap. c. 17.*

216. *Chriſtus in Cruce eſt vita noſtra.*

Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Nota, quod hæc fuit Prophetia de Chriſto, qui ut vitam nobis conferret, mortem in Cruce ſubiit, in qua pendens, nobis vitam oſtendit, & offert. *In Luc. c. 23. v. 33.*



CAPUT XXIX.

217. *Divina providentia in nos continuè in Sacra Scriptura exponitur.*

Adduxit vos quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, panem non comediſtis, & ſiceram non bibiſtis: ut ſciretis, quia ego ſum Dominus Deus veſter. Cur toties hanc ſuam providentiam in Iudæos refricat in Sacra Scriptura? Vt ſemper recordemur, quod ipſe eſt Dominus Deus noſter, ſcilicet, ne in neceſſitatibus temporalibus de providentia hujus Patris diffidamus: adhuc enim vivit, qui Iudæos quadraginta annis in deſerto; nec ſerentes, nec metentes pavit: quid ergo timent Chriſtiani, quando ita liberaliter procurantur Iudæi. *ſerm. 2. Dom. 14. poſt Pentec.*

218. *Avaritia infirmitas graviſſima, &c.*

Peregrini videbunt plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus ſulphure, &c. Quomodò dicitur terra affligenda infirmitate? Eſt ne capax infirmitatis? Sed hic loquitur de omnibus terreois, & avaris, indicans, avaritiam graviſſimam infirmitatem eſſe, quia reddit hominem callidum, & aſtutum in corde; fœdum in converſatione, aridum in opere, quia ſine compaſſione: ideò dicitur avarus affligi ſulphure fœtoris, ardore ſolis ad modum terræ aridæ, & combuſtæ; ita ut non feratur, quia nec prius ſaturatur cor avari auro, quàm ſaturatur vento, & ideò non ſiſtit appetitus, quia nunquam invenit ſoliditatem, ſed potiùs vanitatem in proſperitate mundana: Videntes autem peregrini, qui non habent hic manentem Civitatem, ſed futuram inquirunt, propter plagas quibus eſt afflictus avarus, exemplo didicerunt deſpicere omnia propter amorem Chriſti. *ſer. 1. Dom 4. quadrageſ.*



CAPUT XXX.

219. *Cordis circumciſio qualiter facienda.*

Circumcidat Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui. Quomodò poteſt circumcidi cor? Hæc circumciſio debet fieri ſpiritualiter, ſcilicet reſcindendo à concupiſcibili inordinatam appetentiam, & cupiditatem, quæ eſt radix omnium malorum. *In Ioan. Collat. 37.*

220. *Sine gratia Dei non poſſumus implere mandata Dei, quæ ſemper eſt in promptu.*

Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te, neque procul poſitum, ſed iuxta eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum. Si ergo mandata Dei in corde noſtro ſunt impoſita, vel cordi expoſita, ut ipſa, obſervemus, ergo

ergo videtur, quod viribus naturalibus ea possimus observare? Idque videtur sapere errorem Pelagij?sed Respondetur, quod mandata Dei possunt considerari in communi quoad genus operis, sic requiritur gratia gratis data, ut in mandato de adoratione per fidem, & de honoratione parentum per quandam naturalem pietatem, & devotionem:sed quoad intentionem mandantis, scilicet quoad conformationem voluntatis nostræ divinæ Voluntati,non potest fieri absque charitate,& gratia gratum faciente: mandata autem dicuntur nobis prope, non quia in illa possit liberum arbitrium sine gratia, sed quia hæc præsto est nobis semper, nec aliquis caret gratia, quia gratia desit sibi,sed quia ipse deest gratiæ. *l.2.d.28.a.1.q.3.corp. & ad 1.*

221. *Praeceptorum observantia non impossibilis, non difficilis, non inutilis.*

Mandatum quod ego pracipio tibi hodie non est supra te nec procul, nec in Cælo positum, nec trans mare, sed juxta te, &c. ut benedicat tibi in terra, &c. Vide quomodò confutatur error dicentium, observantiam mandatorum Dei esse impossibilem, vel difficilem, vel inutilem: Cum enim præstò sit auxilium Dei omnibus, & semper, hinc patet præcepta non esse supra nos, scilicet impossibilia credenti, difficilia diligenti, nec inutilia speranti; quia supposito Dei auxilio, potentiæ nostræ subsunt. *Psal. 118. c. 3. v. 3.*

222. *Verus obediens, non solum credit, auditque praeceptum praecipientis, sed & opere implet.*

Iuxta te est sermo valde in ore tuo; & in corde tuo, ut facias illud. Nota hunc ordinem, primò in ore: secundò in corde: tertiò in opere, per quod assignantur conditiones viri obedientis:qui primò credit fideliter; secundò audit intelligendo vivacitèr id, quod præcipitur, & à quo? Tertiò implet efficaciter: per quæ ad justificationem perfectam pervenitur. *In Luc. c. 6. v. 47.*

223. *Finis omnium praeceptorum est amor Dei, ob idque eorum observantia facilis.*

Mandatum, quod ego pracipio tibi, non suprà te est, non procul positum, &c. sed juxta te, & in corde tuo, &c. Ad quid Deus hæc proponit, & quomodò mandatum dicitur esse impositum in corde hominis, si ab ipso fuerunt tantùm impressa in tabulis lapideis, & deinde ore Moysis explanata? sed nota, quod hæc omnia Deus proponit, ut intelligat homo, quod observantia præceptorum non est difficilis, nec datur excusatio in ipsa: Dices quomodò potest dici quod observantia mandatorum sit facilis, cum exponat hominem in continua pugna?Resp. quia finis mandatorum est amor:amanti autem nihil difficile:quia enim unquam tantum laborat ad amandum Deum, quantum laborat miles ad pugnandum, Dux ad regendum, mercator ad acquirendum, & agricola ad laborandum? Potest quidem homo dicere, non possum jejunare, res meas pauperibus dare, à carnibus, a cibo abstinere; sed nunquam potest verè dicere: Non possum amare: quid facilius?quid dulcius? quid possibilius, quàm amare, & maximè summum bonum sibi tam beneficum? Ama ergo Deum, & omnia difficilia reddentur tibi facilia. *serm. 1. de Evangelista.*

224 *In observantia praeceptorum stat vita, & omne bonum: in transgressione omne malum, & mors.*

Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: & è contrario, mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, &c. Quænam est hæc vita, & mors, bonum, & malum, quod Deus proposuit Iudæis? Nihil aliud, quàm vita spiritualis gratiæ, & gloriæ, mors item & Animæ: Ostendit igitur in his verbis, quod in observantia mandatorum est vita, & bonum; sed adverte, quod omnia contenta in divinis præceptis servanda sunt, ad hoc, quod in illorum observantia sit vita, & bonum; sicut è contrario, in transgressione ipsorum est mors, & malum, & eo magis quia, *qui in uno offendit fit omnium reus*, ait *D. Iacobus*, & ob id in transgressione unius, verè est intelligere transgressionem omnium, non quoad damnum, sed quoad pœnam. *serm. 7. In op. de decem praeceptis.*

225. *Ex observantia praeceptorum Dei oritur omne bonum, & perfectio: ex inobservantia omne peccatum.*

Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, &c. Nota, quod dicit bonum, nec exprimit quodnam sit hoc bonum: sic & malum, an scilicet temporale, an æternum: sed Respondetur, quod in his verbis continetur omnis perfectio, & bonum, & è contra omnis imperfectio, & malum: Ostenditque quod ex legis observantia sequitur vita, & benedictio: efficiturque homo fidelis, devotus, pius, mansuetus, pudicus, largus, veridicus, proprijs contentus, liberalis, & corde impollutus: E contra ex transgressione legis, sequitur maledictio, & omnis imperfectio, quia efficitur homo idololatra, blasphemus, indevotus, impius, homicida, mæchus, fur, falsidicus, cupidus, & carnalis: Hinc sequitur, quod observator legis, & transgressor plus distant inter se, quàm Infernus, & Paradisus, quia unus est in centro, alius in circumferentia; sic exigente Iustitia Dei: & si oppositum evenire posset, Deus se Deum negaret. *opusc. de decem praeceptis serm. 7.* Vide igitur qualiter peccator peccando videtur obstringere omnipotentiam Dei.

226. *In observantia mandatorum Dei stat summa totius nostræ salutis.*

Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, &c. Nota, quod benignissimus Deus exponit nobis summam totius nostræ salutis quantum ad duo: primò, quantum ad præmium divinæ retributionis: secundò quantum ad meritum operationis humanæ; in quibus rectum ordinem servat: Primò enim proponit finem

nem, deinde media: finis enim movet operantem, ut se exerceat ad debitum finem: Et deinde proponit io eitatis verbis pericula transgressionis, quæ sunt amissio gratiæ, & multorum bonorum, & incursio in multa flagitia, & tandem in æterna supplicia. *op. de decem præceptis ferm.* 1.

227. *In Amore Dei est vita vera.*

Diligas Dominum Deum, & obedias voci eius, & illi adhæreas: ipse enim est vita tua. Nota ordinem horum verborum: primò ponit dilectionem Dei, deinde observantiam, & tandem adhærentiam Deo, & acquisitionem vitæ veræ: Sed quodnam est motivum hujus dilectionis? quia Deus est vita nostra q. d. ipse est pater noster creatione, amicus redemptione, sponsus amore, vita glorificatione: felix ergo Anima, quæ amore languet erga tantum bonum: Et quia ex observantia mandatorum cognoscitur Amor, hinc subdit, *& obedias voci eius*, & quia ex observantia talium mandatorum sequitur unio ad Deum, hinc subdit, *& adhæreas illi tanquam vita tua. ferm.* 2. *Dom.* 12. *post Pentecost. & ferm.* 9. *de Apostolis, & In Psalm.* 118. *cap.* 2. *v.* 15.



CAPUT XXXI.

228. *Deus via, veritas, & vita nostra.*

Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum, nec dimittet te, &c. Vide quomodò Dominus Deus noster se exhibet ductorem nostrum tanquam pastorem, & Ducem, quia est veritas, via, & vita nostra. *Psalm.* 118. *cap.* 4. *verf.* 9. Confide ergo ô homo, nec desiste ab operibus bonis ob tentationes, & impedimenta, quæ tibi occurrunt in hac vita eum habes taotum ductorem, & tutam viam.

229. *Lectio sacra à Deo præcipitur, & quàm utilis.*

Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini, leges verba legis coram omni Israel audientibus eis. Cur præcepit Dominus, ut palam legerentur hæc verba legis? Nonne sufficiebat, ut unusquisque singillatim addisceret ea? Respondet Sacer textus, *ut audientes discant, & timeant Dominum, & custodiant ea, &c.* Ecce quomodò lectio sacra utilis est ad intelligendum mysteria Fidei, ad movendum affectum ad observantiam mandatorum Dei, & ad instruendum proximum: ideò Lectio Sacrorum Librorum frequentanda. *Psalm.* 118. *cap.* 2. *verf.* 1. Lectio docet, quid caveas, Lectio ostendit, quo tendas, lectione sensus augetur & intellectus: Cur igitur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus, cum divina legimus oracula. *opusc. Pharetr. l.* 4. *c.* 32.

230. *Legis, & doctrinæ cognitio erit malè ea utentibus testis in iudicio ad ipsorum condemnationem.*

Tollite librum istum, & ponite in latere Arcæ Fœderis Domini Dei nostri, ut sit tibi contra te testimonium. Cur Moyses voluit reponi librum legis in Arca, ut esset testis contra Israelitas, & non potius in eorum salutem? Sed nota, quod hoc dicitur contra eos, qui callent legis doctrinæ scientiam, & ipsam benè norunt, sed tamen contra ipsam operantur: Libet enim in Arca est Sapientia in corde: hæc erit contra litteratos, & alios qui multas scientias callent, & malè faciunt: quantò enim meliorem habent scientiam, tantò magis habent suæ damnationis testimonium. *fermon.* 2. *infra Domin. octav. Ascens.* Contra istos dicebat Sanctus Bernardus. *O docti verè indocti, qui contra vos fertis sententiam damnationis vestræ.*

231. *Christus crucifixus liber vitæ in corde nostro claudendus.*

Tollite librum istum, & ponite in latere Arcæ Fœderis Domini Dei nostri. Nota, quod hic liber mysticè est Verbum incarnatum, & crucifixum: In ipsum enim exprimendum tendit omnis Sacra Scriptura, & lex Domini, quæ in ejus passione maximè relucet: hic liber reponendus est in Arca cordis nostri: hic enim erit in testimonium, vel contra nos, si malè hac scriptura utamur, vel in salutem nostram, si benè: fiant ergo corda nostra vasa, & receptacula passionis, & Sanguinis Domini Iesu, ut ejus cruore, & fructu inebriati, dicamus: Nobis autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Iesu crucifixi. *fermon.* 2. *Domin. infra oct. Ascens. opusc. Centil. part.* 3. *sect.* 5. *op. stim. Div. am. par.* 1. *cap.* 13.

232. *Duplex liber à nobis legendus, scilicet Sacra Scriptura, & creaturarum.*

Tollite librum istum, & ponite in latere Arcæ Fœderis Domini Dei vestri. Quis est iste liber, qui in latere Arcæ cordis nostri reponendus est, nisi liber Sacræ Scripturæ, in quo cor, & intellectus potest legere, & intelligere, & addiscere Deum? Alius item Liber est creaturarum, in quo intellectus fidelis potest Deum quærere, ejusque omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, & alia Attributa cognoscere. *opuscul. Diat. sal. Titul.* 6. *cap.* 3. *& In Luc. capit.* 18. *verf.* 37. *& Brevil. parte* 2. *cap.* 11.

233. *Duplex item liber legendus, Clericis, & Laicis proponitur legendus.*

Tollite librum illum, & ponite in latere Arcæ. Nota, quod litteraliter loquitur de libro Sacræ Scripturæ, & mysticè de vita Clericorum, quæ in latere Ecclesiæ exponi debet: In primo legere debent Clerici: In secundo Laici: Nam ex vita Clericorum sequitur instructio Laicorum. *Psalm.* 103.

234. Iudæorum pervicacia, obstinatio & perfidia à Moyse fuit prænuntiata in his verbis: *Adhuc vivente me, & ingrediente vobiscum semper contentiosè egistis contra Dominum, quantò magis, quando mortuus fuero?*

fuero ? hoceque verificatum fuit, & in dies verificatur, maximè post mortem Christi. *In Luc.c.10. v.10.& seq.*

CAPUT XXXII.

235. *Auditio devota Sacræ Scripturæ, & verbi Dei maximos fructus affert.*

Audite Cæli, quæ loquor: Audiat Terra verba oris mei. In hoc carmine, volens Moyses excitare populum ad devotionem, & ad perseverantiam observantiæ legis, primò invocat Cælum, postea terram ad audiendum ejus sacra verba: Ad quid vocat res insensatas? Sed diriguntur hæc verba mysticè ad Cælos, idest ad cælestes viros, & ad terram, ideft ad corda terrenis infixa: eosque ad audiendam ejus doctrinam excitat, & ut doceat quomodò audienda sit, subdit: *Concrescat, ut pluvia doctrina mea:* quasi dicat: fiat in verbis doctrina mea, sicut pluvia in terra, quæ à terra recepta eam mollificat, impinguat, & ad fructificandum præparat: Hinc patet, quod Domini nostri doctrina mansuetè audita, idest in terra cordis nostri devotè suscepta, removet ab ea cordis duritiem, impinguat eam devotione, & fructificare facit ad pœnitentiam: Igitur verba divina sunt verba æternæ vitæ, & ad vitam æternam inductiva. *ser.4. de una Sancta Virgine.*

236. *Cognitio, & auditio Sacræ Scripturæ, & verbi Dei nobis imponitur loco apparitionis Sanctorum, & revelationum supernarum.*

Audite Cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Cur invitat cælestes, & terrenos, idest spirituales, & mundanos homines ad audiendum hoc carmen, & non potius, cur eis non præmittit aliquod miraculum, & prodigium insolitum, vel non facit ei apparere Angelos Domini, vel aperire cælum ut eos magis excitet ad opera bona? Sed memoria recole quod diviti roganti Abraham, ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne damnationem consimilem incurrerent, responsum fuit: *habent Moysen, & Prophetas, audiant illos*: habent sanctam doctrinam legis, & Prophetarum, hæcque sufficit pro quacumque certitudine veritatis, ut intelligas, quod, qui hanc doctrinam tam certam, tam sufficientem audire recusat, nullam excusationem habet, & prorsus inexcusabilis est. *In Luc. c.17.v.29.* Vide ergo, quod prædicatio verbi, Dei ponitur in Ecclesia pro quacumque revelatione, visione, miraculo, &c.

237. *Verbum Dei per prædicationem expressum descendit cum rore Spiritus Sancti, eiusque visitatione, & assistentia.*

Fluat, ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & stillæ super gramina, &c. Quomodò verbum Dei per Doctores sacros pronuntiatum dicitur fluere, ut ros? Rectè dicitur, ut ros: Ros iste est influentia gratiæ Spiritus Sancti, qui visitat Sacram Scripturam, & emittit fructum in eam recipientem. *sermon. 14. Hexaem.* Nota etiam, quod Cælum prius ponit in medium, postea terram, & deinde dicit fluat, ut ros eloquium, ut daret intelligi, quod Cælum igneum emittens rorem in terram, significat verbum Dei, quod inflammat corda, rore autem assistentiæ Spiritus Sancti fœcundat terram: Inflammat cor ad devotionem, fœcundat ad operationem: Et sicut terra sterilis, immisso quocumque rore è Cælo, non producit fructum, sic Anima illa est maledicta, quæ roribus Cœli guttis continuè infunditur, & tamen sterilis invenitur. *op. Eccles. Hier. p.1.c.4.* Vide ergo, quod à Deo maledictus est, qui ex auditione verbi Dei fructum non percipit.

238. *Prædicatio verbi Dei quanta bona afferat.*

Audite Cæli, &c. Terra, &c. Concrescat, &c. fluat ut ros eloquium meum, &c. Vide ordinem, primò ponit Cælum, à quo influentiæ cælestes proveniunt: deinde terram, quæ de se arida est, & expetit, ut inebrietur, ideò indiget cultura, semine, & rore: Visitatur, quando aratur, quando seminatur, quando rore fœcundatur: Sic terra Animæ nostræ aratur, quando per prædicationem à vitiis purgatur, seminatur verbo Dei prædicato, quando rore gratiæ fœcundatur, messis postea colligitur in futuro, quando grana à paleis separata, in horrea cælestis Hierusalem transferuntur. *In Psalm.64.*

239. *Verbi Dei prædicatio facta Angelis, & hominibus in Paradiso terrestri, deinde cæteris.*

Audite Cæli quæ loquor, audiat Terra, &c. Cur prius Cœli invitantur ad audiendum verbum Dei? Nomine Cæli veniunt Angeli. *op. Eccles. Hierarch. part.4.cap.1.* Ergone Angelis dirigitur prædicatio? Nota, verbum Dei primò seminatum est Angelis in Cælo: Secundò primis hominibus in Paradiso terrestri. Tertiò Iudæis in deserto. Quartò gentibus in universo: Angelis fuit propositum Verbum Dei in Idæis: primis hominibus traditum est per præcepta proposita voci, & auribus: Iudæis expositum fuit oculis, nempe per characterem in Circumcisione: Vniversis postea per Evangelium factum est palpabiliter manibus, quando Verbum caro factum palpabile se reddidit. *Psal.44.*

240. *In Prædicatione verbi Dei concursu speciali trium Personarum divinarum ad similitudinem processionum divinarum gignit fructus suos.*

Fluat ut ros eloquium meum quasi imber, &c. & quasi stilla, &c. Cur comparat verbum Dei prædicatum, & auditum fluxui roris, pluviæ, & stillis? Vt repræsentet processiones Divinarum Personarum, quæ aliquo modo concurrunt ad prædicationem verbi Dei: Patri namque convenit fluere: Filio stillare, & Spiritui Sancto imbrere: Sicut enim ex Patre Filius, sic ex actu fluendi actus stillandi; & sicut ex Patre, & Filio Spiritus Sanctus, sic ex actu fluendi, & stillandi imber: quasi dicat: Verbum Dei ex ore Prædicatoris fluens figurat veluti filium, scilicet notitiam Dei in mente audientis, & hinc delectationem in voluntate, nomen Dei: Ecce consonantia aliqua inter divina eloquia, & Sanctissimæ Trinitatis mysteria. *Psal. 118. c.6.v.2.*

241. *In*

241. *In Deo imperfecta fiunt perfecta, & completa.*

Dei perfecta ſunt opera, &c. Quomodò univerſaliter verificatur, cum adſint multa creata imperfecta in mundo, & cum etiam concurrat Deus ad materiale peccati, quod de ſe eſt quid imperfectum? Sed nota, quod in re imperfecta poteſt conſiderari id, quod dicit poſitionem, & id, quod dicit privationem: & ſecundùm hoc ſecundum res non dicuntur habere ſimilitudinem in Deo, ſed tantùm ſecundùm poſitionem, & hoc vel ſecundum generales conditiones, ſcilicet Entis, Veri, & boni; vel etiam ſecundùm aliquas ſpeciales, ut rationalitas, imago, &c. Sicque quælibet creatura in Deo dicit perfectionem. *l.1. d.36.art.3. quæſt.2.* Ex quo elice, quod à Deo, & in Deo ſolùm bonitatem, & perfectionem invenit creatora, ſolúmque imperfectio eſt à nobis.

242. *Prædicator debet prædicare, & magnificare Dei gloriam in ſuis operibus.*

Date magnificentiam Deo, Dei perfecta ſunt opera, &c. Vide ad quid, & quibus rationibus Prædicator debeat magnalia Dei, & beneficia quærere, & magnificare, nempe, quia perfecta ſunt opera Dei, & omnia dirigit ad perfectionem. *In Ioan. c.7. v.19.* Videat igitur Prædicator qualis ſit finis ſui muneris, nempè imperfectiones tollere, & ad perfectum omnes reducere.

243. *Iudicia Dei iuſta, & infallibilia.*

Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Quomodò viæ omnes prædicantur judicia juſta? Nonne ejus miſericordia magis patefit in ſuis operibus? Dicuntur omnes viæ Domini judicia, ſcilicet juſta, & in providentia ſua ordinata, quia Deus nec injuſtitia vincitur, nec potentia flectitur, nec imperitia impeditur. *Pſalm.118. cap. 1. verſ.3.*

244. *De Deo altiſſimè, piiſſimè, & ſanctiſſimè ſentiendum.*

Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, iuſtus & rectus. Nota hæc attributa à Propheta de Deo prædicata. Primò dicit, (*Deus*,) Secundò (*Fidelis*,) Tertiò (*Sanctus abſque ulla iniquitate, & iuſtus*:) Vult autem dicere, quod de Deo altiſſimè, piiſſimè, & sãctiſſimè, eſt ſentiendum: Altiſſimè, ſcilicet credendo, admirando, & contemplando ſummam ejus potentiam, bonitatem, fidelitatem: piiſſimè, ſcilicet amplexando, admirando, & benedicendo ejuſdem miſericordiam, maximè oſtenſam in Incarnatione, & morte: Sanctiſſimè, admirando, & benedicendo ejus inexplicabilem ſanctitatem, non ſolùm in ſeipſo exiſtentem, ſed & in nobis eandem expoſtulantem, & oppoſitum abhorrentem. *op. de Regimine Animæ.*

245. *Peccatum tollit filiationem Dei.*

Peccaverunt ei, & non filij ejus in ſordibus. Quid eſt peccaverunt, non filij ejus? Nihil aliud, niſi, quia peccando amiſerunt filiationem Dei, dum ſordidati peccato in conſpectu Dei vivebant: Nam ad filiationem divinam in nobis requiritur non ſolùm redemptio facta per Chriſtum, ſed & gratia ſanctificans, qua amiſſa, amittitur, & filiatio. *l.3. d.10.a.2.q.2.& 3.& in Threnæ.1.*

246. *Ex mala vita, & exemplo Patrum, & Prælatorum procedit malitia in filios, & ſubditos.*

Peccaverunt ei, & non filij eius in ſordibus, Generatio prava, & exaſperans. Nota hunc ordinem: poſitis enim ſordibus in patribus, ſtatim ſubjungit, generatio prava, & exaſperans: Vt intelligas, quod peccata patrum, & Prælatorum ſunt cauſa peccati ſubditorum, & filiorum: Vnde ſuppoſitis ſordibus in Patribus, ſtatim infertur in generatione filiorum pravitas, & malitia. *In thren. c.1.* Omnia, qui malè vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, omnes occidit: Vnde parum eſt malis patribus, & paſtoribus, quod filios, & oves languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant, ſed etiam fortes, & pinguea necant, quantum in ipſis eſt, & ſi illæ vivunt, de miſericordia Dei vivunt, tamen quantum ad paſtores malos attinet, occidunt. *op. Pharetr.l.1.c.12.*

247. *Religioſis familiaritas ſæcularium devitanda.*

Generatio enim perverſa eſt, & infidelis, &c. Quæ eſt iſta generatio perverſa, & infidelis? Nota, quod id pronunciavit Moyſes de populo iniquo, & perverſo: ex quo elicere debes, quod in Moyſe repræſentabatur ſtatus Religioſorum, & in hac generatione ſtatus ſæcularium: & hinc toto tempore vitæ tuæ ô Religioſe ſtude, quantum poteris familiaritatem hujus generationis ſæcularium devitare. *op. Regula S.Franciſci, c.11.*

248. *Homo totus eſt Dei, vel Diaboli.*

Nonne ipſe eſt pater tuus, qui providit, & fecit, & creavit te? Haccine reddis Domino? Cur primo loco appellat Deum patrem, & non potius Creatorem? Nonne ante filiationem præcedit creatio? Sed nota, quod Deus quidem Creator eſt, & primo loco eſt creatio, poſtea adoptio: ſed ut nobis innoteſceret ejus in nos Amor, ex quo procedunt omnia alia beneficia, ponit primo loco nomen Patris, quia volt à nobis amari, ut Pater: Pater, inquam, qui fecit corpus, creavit Animam, poſſedit totum: Pater non ſolùm creatione, ſed & recreatione. Sed quid exigit à nobis? Audi Ioannem Apoſtolum: *Omne, quod natum eſt ex Deo vincit mundum*, ideſt, qui verè eſt filius Dei vincit, & fugit avaritiam, luxuriam, ſuperbiam, invidiam, & infidelitatem, &c. qui ergo talia diligunt, non eſt Pater eorum Deus, ſed Diabolus, quibus poteſt dici: Vos ex patre Diabolo eſtis, & hujus patris hæreditatem, ideſt ignem æternum poſſidebitis. *ſerm.2. Dom.14. poſt Pentec. & l.3.d.4.a.1.q.3. ad 1.*

249. *Prædicatores à Sanctis Patribus, & majoribus debent diſcere, quæ neſciunt.*

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi, &c. Quid eſt, quod pater, & majores anountiare, & dicere debent? Nota, quod anountiare propriè eſt evangelizare: Dicitur ergo Prædi

Prædicatoribus Evangelij, quod debent discere à patribus,& majoribus, quæ nesciunt.*In Io.c.6.v.6. & In Luc. c.2. v.46.* Ergo ex doctrinis Sanctorum Patrum,& non ex proprio cerebro, vel ex poëtis, vel auctoribus prophanis debent eruere suas Cociones, ne eis dicatur: vos habetis patrem Ovidium, Virgilium, &c. vel potius Diabolum.

250. ***Omnes creaturæ ducunt intellectum ad notitiam Creatoris, & Redemptoris.***

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi, &c. Cur Moyses mittit suos ad patres, & majores, ut addiscant ea, quæ sunt Dei? Cur non ipse eos instruit? Instruebat quidem eos, sed in hac concione docet eos, ut de hoc non sint contenti, sed etiam recurrant ad alium librum, nempè creaturarum, quæ omnes ducunt ad suum factorem,& reparatorem: loquuntur enim in nobis per verbum,& respondent nobis de Verbo Incarnato, quia testimonium perhibent de ipso. *In Luc.c.18.v.37.& op.princ.S.Scrip.* Sed quomodò prædicant nobis creaturæ istas veritates? Prædicant nobis, quod. Deus est conditor omnium rerum, gubernator actuum, Ductor intellectuum, Iudex meritorum, nempè causa causarum, ars præstantissima originans, Dux providentissimè gubernans, lux manifestissimè declarans, Ius rectissimè judicans. *ferm.2.Hexaem.*

251. ***Numerus electorum est determinatus secundùm numerum Angelorum, qui ceciderunt.***

Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Ergone cæteri populi non multiplicabuntur supra numerum Israelitarum? Hoc evidenter patet esse falsum: quid igitur indicat nobis Spiritus Sanctus? Nota in illis verbis, *(filiorum Israel)* alia littera legit, *(Angelorum Dei)*: Israel enim interpretatur visio Dei, quod convenit Angelis: Vult ergo dicere, quod tot homines ad Angelorum ordines assumentur, quot corruerunt: Cæteri autem damnabuntur. *ferm. 1.In Nativit. & In Luc. c. 14.& l.1.d.46.q.ult.in corp.& d.40.a.2.q.2.ad 2.& a.3.q.2.* sunt enim ex abundanti, nec supputat in numero libri vitæ: sunt enim omnes vocati, sed non electi, quia renuunt obedire vocationibus Dei.

252. ***Deus condescendit etiam imperfectis: sic & Prælati debent facere.***

Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit, &c. Quid est, Invenit? Invenite est quærere cum studio, & consilio: Ergo Deus quæsivit populum Israel cum studio? Vt videas benignitatem Dei quomodò condescendit cum imperfectis, ut eis benefaciat; sic & de Christo legitur *Luc. c. 6.* quod descendit cum Discipulis de recenti vocatis, & cum turbis etiam, & ob id etiam imperfectis, nempè ad exemplum humilitatis, ut sua benignitate omnes attraheret, & adjuvaret, sicut gallina pullos suos: sic & debent facere Prælati firmi, fortes,& perfecti debent imbecillitates Infirmorum sustinere.*In Luc.c.6.v.17.*

253. ***Venit Christus ad quærendum hominem, & ipsum liberandum, & vivificandum.***

Invenit eum in loco horroris, &c. Hic discendum, quod Christus ut pastor venit in hunc mundum, ut hominem perditum quæreret, nec desistit, donec ipsum inveniret: Invenit tandem eum in terra deserta, & in loco horroris perditum cum magna difficultate: Vnde, ut bonus pastor pro ovibus suis inveniendis, laboravit usque ad mortem, & inventum post tergum in Cruce levavit, liberando eum suo sanguine. *In Luc. c. 15.v.4.* Nota ulterius, quod ille, qui nos existere fecit ex nihilo, etiam sine sua morte revocare potuit à Diabolica potestate, sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod nos esse voluit, ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret, venit, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.*op.Pharetra l.1.c.2.*

254. ***Deus facilius invenit, & gratiam suæ protectionis confert in tribulatione, quàm in prosperitate.***

Invenit eum in loco horroris. Cur non invenit filios Israel in Ægypto, sed in deserto, &c.? quia desertum est locus asperitatis ad exercendam abstinentiam, confundendam jactantiam,& suppeditandam avaritiam, ibique Deus suam liberalitatem ostendit, quia non datur consolatio cœlestis cibi, nisi præcedat afflictio temporalis. *ferm. 3. Dom. prim. quadragesima.*

255. ***Deus ad meliora, & perfectiora semper nos provocat.***

Sicut Aquila provocans pullos suos ad volandum, & super eos volitans, &c. Cur Deus assimilatur Aquilæ,& non potius alij Avi? Aquila habet hoc; quod pullos suos vult experiri volatu ad superiora, ex infirma fixione oculorum in solem lucentem: sic facit Christus erga nos: Continuè & minis, & promissis excitat nos, & provocat semper ad meliora, nempè ad fidem, & legis observantiam.*In sapient.c.18.& ferm.prim.in Ascens.Domini; & In Luc.c.13.v.34.*

256. ***Dei solicitudo maxima in nos, sic & Prælati in subditos.***

Sicut Aquila provocans pullos suos, &c. Vide quomodò Deus se assimilat modò Gallinæ, modò Aquilæ, ut pateat in nos sua maxima solicitudo: sic etiam Prælatus debet quidem ad Deum se in oratione convertere, ut tamen suorum subditorum non obliviscatur. *In Luc.cap.22.v.45.& c.13. v. 34.*

257. ***Christus rectè comparatur Aquilæ propter multas proprietates.***

Sicut Aquila provocans, &c. Nota: Aquilæ rectè comparatur Christus ob multa: primò, quia sicut Aquila suis pullis aperit latus, è quo lambunt sanguinem: sic Christus aperuit sinum sui pectoris; & propinavit sanguinem in Eucharistia; pulli autem, scilicet fideles lambunt sanguinem Christi

etiã in recordatione, & meditatione passionis suæ: secundò, quia sicut Aquila nidum suum in altissimis ponit, ut elevet pullos suos, & addiscant in altum volare; sic & Christus posuit nidum suum ad dexteram Patris, exhibetque alas charitatis Dei, & proximi pullis suis, ut addiscant volare in altum pennis virtutum. Tertiò, Aquila acutè videt: sic Christus omnia acutissimè videt bona, & mala. *serm.1.in Ascens.*

258. *Christus vult, ut servi sui figant intentionem in Deum, maximè in Communione.*

Sicut Aquila provocans, &c. Ad quid Aquila provocat pullos suos? Provocat, nempè, ut in altum volitent, & ut figant aciem oculorum in solem, & ideò eos lambere facit sanguinem suum: sic Christus nobis sanguinem suum tribuit, ut in altum volemus pennis virtutum, & aciem mentis, & intentionis figamus in Deum. *In Luc.c.13.v.33. & serm.1.In Ascens.Dom.*

259. *Christi familiaritas, & benignitas cum suis quanta.*

Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Quomodò id potest esse verum, dum in Exodo non legitur Deum expandisse alas, & portasse filios Israel, sed benè, quod pedibus suis incesserunt per desertum? sed nota, quod hoc dicitur figuraliter præcipuè de Christo, qui in Cruce expandit alas, scilicet brachia sua ad amplexandum suos, eos assumpsit, scilicet ad se sumpsit, docendo, consolando, & eos ad statum salutis portando in humeris suæ charitatis. *In Luc.c.18.v.31.& op.Amatorium.* Vide igitur ô homo Christum in Cruce pendentem, capitis inclinationem ad osculum, brachiorum extensionem ad amplexum, lateris apertionem, & totius corporis confixionem ad effectum, & communicationem sui ipsius: Hæc & alia multa signa dilectionis considera, & quanti valeant, cogita, & in statera charitatis appende, & quidquid amoris impendendum habes, illi repende: numquam à corde tuo recedat, quatenus toto corde tibi figatur, qui pro te fixus est in Cruce. *op.Amatorium.*

260. *Iesus Christus solus Dux, & Redemptor noster; nec alius purus homo id potuit.*

Dominus Dux solus, & non erat cum eo Deus alienus. Ad quid notatur, quod cum Dei adjutorio non fuit alius Deus adjuvans? quis est fidelis credens scripturam sacram, qui nesciat, unum esse Deum, nec alium Deum posse esse, vel rationabiliter cogitari? sed nota, quod hoc nomine Deus venit non solum Deus per essentiam, sed & quilibet homo sanctus per participationem, ut dicitur. *In Ioan.c.10. Illos dixi Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Ex quo potest elici solutio illius quæstionis Theologicæ: Utrum purus homo potuerit satisfacere, & redimere hominem: In quo conveniunt Theologi negativè: purus homo enim non potuit satisfacere Deo pro injuria infinita, nec pro damno. *l.3.d.20. a.1.q.3.* Ne igitur dicas, ego sum Pauli, ego sum Cephæ: nec ab alio tua bona recognosce, nisi à solo Deo tanquam fonte omnium bonorum.

261. *Christus solus vera via, veritas, & vita.*

Dominus Dux solus, & non erat cum eo alius Deus, &c. Quomodò dicitur Deus solus, Dux filiorum Israel? nonne etiam Moyses fuit Dux populi? Verum est, quod fuit Moyses Dux populi, sed prout minister, & ab ipso Deo ductus: solus Deus, & Christus Iesus est verè via, veritas, & vita: Via, inquam, illuminans in justificatione, confortans in opere, consolans in tribulatione, & inflammans in dilectione. *serm.4.Dom.Advent.* Via sine errore quærentibus: Veritas sine falsitate invenientibus: Vita sine morte permanentibus: Via in exemplo, Veritas in promisso, & Vita in præmio. *In Ioan.c.14.v.6.*

262. *Christianus verus elevari debet super omnia terrena.*

Constituit eum super excelsam terram, ut comederet, &c. Quid est constituit super excelsam terram? forsan in aëre collocati fuerunt filij Israel? sed nota, quod his terminis explicat munus eorum, qui sequuntur Christum Ducem: Christus fuit noster Dux, ergo eum sequi debet Christianus, sed quo? forsan in terra? minimè: sed nota discrimen inter sequaces Christi, & mundi: sequaces mundi sunt de deorsum, & de mundo origine & affectione, & erunt cum mundo in damnatione: sequaces Christi sunt de superius spirituali origine, quia electi de mundo, & superni affectione, & conversatione, quia eorum conversatio in Cœlis est, & beatificabuntur tandem cum supernis in Cœlo: Vide igitur, quid fecerit Christus cum suis, eos constituendo habitatores, non terræ, sed Cœli. *In Ioan.c.8.v.23.* sic & dicebat Apostolus, *nostra conversatio in Cœlis est.*

263. *Ecclesia Romana est Prælata omnium Ecclesiarum, eiusque Caput Petrus, & summus Pontifex.*

Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum. Quis est iste, qui constitutus est super totam terram, & excelsam? Certum est neminem in mundo fuisse constitutum Dominum totius terræ, nec unquam fuisse talem Dominatorem: Cur ergo dicit constituit eum? sed nota, quod hæc omnia contingebant in figura: fuit hæc prophetia facta de Ecclesia Romana, quæ dicitur excelsa super omnes, quia est Prælata à Christo super omnes alias Ecclesias; huic præsidem posuit sanctum Petrum Christus Iesus, ut essent ipse, & eius successores Caput omnium Ecclesiarum; & ideò subdit, *ut comederet fructus agrorum*, scilicet, ut per fidem infideles incorporaret Ecclesiæ, & ab illis primitias, & decimas acciperet, ex quibus Ecclesia vitam duceret. *serm.2.in Cathedra S. Petri.*

264. *Paupertas spiritus superexaltat hominem super omnia terrena.*

Constituit eum super excelsam terram, &c. Quæ est hæc excelsa terra? In quo loco est? Excelsa terra est altitudo mundi, & divitiarum: Paupertas igitur spiritus est nobis illa margarita, quæ dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. *serm.2. In Cathedra.*

265. Terra

265. *Terra conscientiæ debet excoli, ut generet bonum fructum.*

Constituit eum super excelsam terram, ut comederet, &c. Quid est hæc terra excelsa? Certè non potest dici hæc terra, quam pedibus calcamus, cum sit omnium Elementorum infima, & infima? Quænam ergo est? Terra hæc excelsa est conscientia, quam oportet excolere, ne spinas, & tribulos generet peccatorum: Terra enim non culta, non aratro trita, non aquis aspersa, non calore cœlesti excocta, fit penitus infœcunda, nisi ad spinas, & tribulos: sic si conscientia dimittatur inculta discussionis aratro non sæpè contrita, aquis lachrymarum non sæpius balneata, cœlesti incendio non excocta, generat non bona, sed mala, malosque, & pessimos fructus: Deus autem constituit suos servos, nempè Prælatos, & Patres spirituales Dominos huius conscientiæ, ut ipsam excolerent, & bonos fructus perciperent. *serm. 2. In Cathedra.*

266. *Felicitas cœlestis gloriæ quanta.*

Constituit eum super excelsam terram, &c. Nota, quod hæc terra excelsa est cœlestis patria plena omnibus bonis: si enim hæc terra infima tot producit bona: quot erunt illa, quæ sunt in cœlesti terra amantissimis filijs concessa? quàm dulcis habitatio in ea, ubi nulla mors est timenda, nulla penitus pœna suspicienda, sed lætitia ibi sempiterna. *serm. 2. In Cathedra.*

267. *In Cœlo Beati sugunt mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Mel est Divinitas, saxum est humanitas immortalis: Beati ergo in Cœlo sugunt mel de Divinitate, & oleum de humanitate, scilicet unctionem Spiritus sancti. *serm. 4. Dom. 6. post Pentec. & op. de Dono scientiæ c. 4.*

268. *In Christo habetur omnis dulcedo, & omne bonum.*

Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nota, quod differentia est inter petram, & saxum: petra est, quæ frangi potest: saxum, quod non potest frangi: significatur que in petra Christus mortalis: In saxo immortalis: De Christo igitur in vita mortali sugimus mel, scilicet miracula: In eius vita immortali, & beata Spiritum Sanctum: Item mel sugimus, sumendo Christum Deum, & hominem: Panem verum de Cœlo. *In Psal. 16. & In Luc. c. 24. v. 43.*

269. *Vitium gulæ de facili recedere facit à Deo.*

Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, &c. dereliquit Deum, &c. Cur connectit incrassationem cum derelictione Dei? Id facit, ut ostendat, quale malum sit vitium gulæ, quod facit de facili fugere manus Domini, & à salute recedere, in omneque vitium, maximè luxuriæ prolabi. *Diat. salutis Tit. 1. c. 8.*

270. *Abundantia temporalium sæpè inducit in superbiam, & omnia mala.*

Incrassatus, dilatatus, & recalcitravit, dereliquit Deum. Vide ordinem huius præcipitij: primò incrassatus, & dilatatus, &c. & deinde recalcitratio ponitur contra Deum, & hinc Dei derelictio: Vt scias, quod abundantia superbiæ proxima est; & quamvis in quolibet loco positi cogitando, loquendo, & operando peccemus: hinc tamen per hæc tria animus affectatius rapitur, cum mundi huius sublevatur prosperitate. *op. Pharet. l. 3. c. 18.*

271. *Ignis Inferni, quàm terribilis, quàm afflictivus quàm pessimus.*

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad Inferni novissima, devorabitque, &c. Nota, quod in his verbis Spiritus Sanctus tangit aliquos effectus ignis infernalis, dicens, quod iste ignis succensus est à furore Dei, ita quod in æternum ardebit: quod devorabit terram cum germine suo, scilicet homines terrenos cum omnibus filijs suis imitatoribus; quod montium fundamenta comburet, scilicet radicem, & radicalia corda superborum: quod consumentur fame, scilicet gulosi: quod devorabunt eos aves, scilicet Dæmones morsu amarissimo. *serm. 1. de S. Laurentio.*

272. *Anima damnata, & Dæmones, secum ferunt ignem Inferni.*

Et ardebit usque ad Inferni novissima, devorabitque terram, &c. Si devorabit terram, idest terrenos, ergo alligabitur illis ignis, & hoc verum est: Alligatur enim ignis indissolubiliter Animæ peccatrici, & in eo Anima velut in carcere includetur, & propter hoc ad quemcumque locum Inferni Anima declinabitur, pœnam ignis sentiet, quia iste ignis ardebit usque ad Inferni novissima. *serm. 1. Dom. 7. post Pentec.*

273. *Verus ignis in Inferno adest.*

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad Inferni novissima. Quis est iste ignis? Verus ne, & materialis, an tantùm imaginarius, vel metaphoricus? Attamen per hoc patet esse verum in Inferno, & eiusdem speciei cum nostro elementari, licèt elevatus à Iustitia Dei diversas habeat operationes. *lib. 4. d. 44. p. 2. a. 2. quæst. 1. & seq. & In. Lucam cap. 16. v. 24.*

274. *Non solùm pœna ignis est in Inferno, sed & plures aliæ.*

Ignis succensus est in furore meo, &c. Ergone solùm pœna ignis erit in Inferno? Et si secundùm sensum Ecclesiæ adsunt aliæ pœnæ, cur solùm hic fit mentio de igne; sed nota, quod quatuor elementa sunt in Inferno ad damnatorum perfectam punitionem, ut omnis creatura exardescat in tormentum contra injustos, & armetur in ultionem Creatoris, & per ea puniantur, ex quibus constituuntur: quia verò ibi sunt ad pœnam, ideò illa ibi esse dicuntur, quæ vigent in activis qualitatibus, ut ignis, & Aqua: & quia ignis maximè activus est, & in Inferno ignis maximè viget, etiam per ignem in scriptura omne acerbè puniens signari solet: Nominatur ergo à Domino hic solùm ignis infernalis vel tanquam præcipuum tormentum, vel quia sub nomine ignis venit omne afflictivum. *l. 4. d. 44. a. 1. q. 2.*

275. Ignis

275. *Ignis Inferni mirabiles effectus in punitione damnatorum enarrantur.*

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, &c. devorabitque terram, &c. Si ergo ignis Inferni eſt verus ignis materialis, quodnam erit eius pabulum, ut perpetuò conſervetur? Et ſi comburat corpora, ergo iſta patientur paſſione abjectiva, ergo tandem conſumentur? ſed attende mirabilia Iuſtitiæ divinæ: Ignis Inferni eſt quidem ejuſdem naturæ, qui urit, torquet, & ſemper eſt accenſus non indigens pabulo, & hoc per vim à Deo ſuperadditam: Tum quia ille ignis cum ſulphure, pice, & alijs rebus incluſus ſemper perſeverat accenſus, ſimulque tenebroſus, & hoc etiam ſine miraculo: Hic ignis quidem urit, ſed non conſumit corpora, corrumpit quidem ipſa, non quoad eſſe ſubſtantiale, ſed corruptione afflictiva, quia à Deo data eſt natura ignis ad patiendum, non ad deficiendum, & hoc in æternum. O igitur deteſtabile peccatum! O miſeri damnati! *l.4.d.44.p.2.a.2.q.1.& a.3.q.1.*

276. *Damnati erunt pabulum perpetuum ignis Inferni.*

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit, &c. Si ardebit, qua materia conſervabitur? Reſpondet Chriſtus. *Luc.c.3* quod paleæ erunt pabulum ignis inextinguibilis: ſi paleæ erunt hæc materia, ergo citò deficiet? minimè: Nomine paleæ veniunt damnati, qui ob peccatum ita ſunt diſpoſiti ad combuſtionem, ſicut paleæ, & ideò meritò in paleis ſignificantur reprobi nomine tritici, Beati. *In Luc. c.3.v.18.*

277. *Ignis Inferni conſideratio facit ad Deum exclamare.*

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo. Ad quid Deus facit mentionem de hoc igne, & de hac ſuccenſione? Vt ad imitationem Prophetæ Ioel clamemus ad Dominum: Dicebat enim. *Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti*, ſcilicet hujus mundi, ſicut nobilitas, potentia, gloria, divitiæ, juventus, pulchritudo: ô quot potentes, nobiles, juvenes, pulchros viros, & pulchras mulieres, jam comedit ignis Inferni per duo, vel per tres, quatuor, & quinque millia Annorum! Ideò dicit Dominus: Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ut tu homo, dum tempus habes, clames ad Dominum in oratione, & pœnitentia: nam tua res agitur, cum proximus ardet: clama ergo peccator, & age pœnitentiam, ut ignem non gehennæ, ſed culpæ extinguas. *ſerm. 2. Dom. 2. quadrag.*

278. *Qui famigant ſuperbia in mando, ardebant in Inferno.*

Et montium fundamenta comburet. Qui ſunt iſti montes? nihil aliud, niſi ſuperbi: Dicit ergo, *fundamenta montium*, quia eorum corda in mundo fumigant, & quia ad fumum ſequitur ignis, poſtea in Inferno ardebunt. *ſerm.4.Dom. quinquag.*

279. *Crudelitas Dæmonum quanta in Animas damnatas.*

Et devorabunt eos aves morſu amariſſimo, dentes beſtiarum, &c. Audi ô peccator comminationem Dei terribilem in damnatos: quorum mors peſſima: ſcilicet mala, quando ab his, quæ hic dilexerunt ſeparantur: pejor, quando eorum Animæ à malignis ſpiritibus torquentur: peſſima quando corpus, & Anima ſimul æternis ignibus adjicientur, quæ relinquentur ſimul avibus, & beſtijs, ſcilicet Dæmonibus, qui dicuntur aves propter velocitatem, & beſtiæ propter crudelitatem, quia in ſeparatione Animæ à Corpore eorum velocitatem Dæmonum effugere impoſſibile eſt, crudelitatem ſuſtinere intolerabile. *ſerm.2.fer.4.Paſchæ.*

280. *Oblivio, & expulſio verbi Dei à corde hominis amariſſima, fitque opere Dæmonum.*

Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo. Nota hunc ordinem: primò ponit famis conſumptionem, & poſtea avium morſum: quæ fames eſt iſta? fames per privationem cibi, ſcilicet verbi Dei: quia morſu Dæmonum de corde hominum expellitur ſemen verbi Dei: morſus quidem amariſſimus, quia Animæ pernitioſiſſimus. *In Luc. cap.8.v.5.*

281. *Ante diem Iudicii erit deſolatio, & occiſio horribilis omniam viventium.*

Foris vaſtabit eos gladius, & intus pavor, juvenem ſimul, &c. Et quomodò erit tanta occiſio, tantus pavor? Litteraliter id verificatum eſt in deſtructione Hieruſalem: ſpiritualiter alluditur ad illam occiſionem permaximam, quæ erit ante Iudicium in illa finali tribulatione, in qua omnes viventes igne, & gladio vita privabuntur: Væ igitur prægnantibus, & nutrientibus, &c. ſcilicet Animabus, quæ concipiunt per peccati concupiſcentiam, & pariunt per operationem: Væ ijs, qui bonum propoſitum habent, ſed non perveniunt uſque ad partum effectus: Væ illis, qui permanent nutrientes peccatum. *In Luc.c.21.v.23.*

282. *Superbus ſibi attribuit merita: humilis Deo: illi Deus reſiſtit: iſti Deus dat gratiam.*

Ne fortè dicerent hoſtes manus noſtra excelſa fecit hæc omnia, & non Deus. Vide quantum Deus abhorreat tumorem ſuperbiæ, & ſuperborum, qui ſibi ipſis merita, & opera excelſa attribuunt non Deo, ut faciunt humiles, ideò Deus diſtulit mala comminata Iudæis. *l.3.d.63.a.2.q.2.& In Luc.c.18. v.2.& c.9.v.10.* in ſolo ergo Deo eſt præ omnibus gloriandum, & nobis non reſtat, niſi, quod ſimus humiles, divinæque potentiæ laudatores: Deo omnia noſtra bona ſunt attribuenda, qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis oſtendit, qui ut velimus invitat, & vires implendi ea, quæ præcipit ſubminiſtrat: ſunt autem multi ſuperbi, qui non ſolùm de bonis acceptis non laudāt donatorem, ſed dicunt manus noſtra excelſa, & non Deus fecit hæc omnia. *ſerm.4.de uno S.Confeſſore: & op. de perfect. vitæ c.2.*

283. *Ingratitudo ſuperborum Deo ſummè exoſa: humilitas chariſſima.*

Ne fortè dicant: manus noſtra excelſa, &c. Vide quomodò Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: Humilis omnia bona attribuit ſuo originali principio: ſuperbus attribuit ſibi: humilis

continuatur

continuatur cum sua origine: superbus disconti-nuatur: Vide igitur qualis sit ingratitudo super-borum, qui exaltati per Deum, eriguntur contra Deum. *serm.2.Hexaem.*

284. *Prudentia respicit ad praterita, prasentia, & futura.*

Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Quid est id, quod homo debet sapere, intelligere, & prouidere? Hoc excitat hominem ad exercitium veræ prudentiæ: hæc adspicit ad præsentia, recognoscit præterita, & prouidet nouissima, scilicet futura, quorum ignorantia est valdè damnosa. *op. Comp. Theol.l.5.c.34.& In Eccles.cap. 50.& c.4.& In Luc.c.14.v.31.*

285. *Motiua ad contemptum mundi traduntur.*

Vtinam saperent, & intelligerent. &c. Quibusnam dicuntur hæc verba? Amatoribus hujus sæculi, qui æstimant magna, quæ sunt stercora: quibus sunt chara, quæ aduersa esse deberent: O utinam saperent, intelligerent, & prouiderent nouissima! saperent scilicet damnatorum multitudinem, saluandorum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem: Intelligerent peccatorum multitudinem, bonorum omissionem, & temporis amissionem: Prouiderent mortis periculum extremum, judicium, & æternum supplicium! Nolite ergo charissimi diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo: dimittite hæc vana, & inania: Conferte vos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent: Vita hæc misera est, mors incerta subito obrepit, & post hæc negligenti supplicia luenda sunt: Redite ergo ad cor præuaricatores, & adhærete illi, qui vos fecit: state cum illo, & stabitis, fallax est, & vanus mundus, finis dubius, exitus horribilis, Iudex terribilis, & pœna infinibilis. *op.collat.de contemptu mundi.*

286. *Opera malorum sunt fructus amari.*

De vinea Sodomorum vinea eorum vua fellis, & botri amarissimi. Cur comparat populum Iudaicum vineæ Sodomorum, & Gomorrhæorum? quia fructus, qui nascuntur in illa regione sunt exterius speciosi, intus cinerei, & fauillosi. *In sap.c.10.* sic, & fructus pœnitentiæ istorum erant exterius speciosi, sed intus fellei, & amari, & opera inutilia. *In sap.c. 4.* Peccatum enim est sicut putredo in pomo auferens Animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ. *opusc. Diat.sal. Tit.1.c.2.*

287. *Infelix ille, qui loco fructuum pœnitentia producit fructus iniquitatis.*

De vinea Sodomorum, vinea eorum, vua fellis, &c. Ecce quod cum expectasset Dominus de vinea Iudæorum judicium, & justitiam, tamen clamor, & iniquitas tantum ex ipsa audita est: clamor, scilicet ad Christum occidendum, sic & imitatores pessimi Christiani faciunt contra Christum. *In Luc.cap. 20.v.15.& c.23.v.36.& In sap.cap.4.* Clamant ergo peccatores, quando peccant, contra Christum, crucifige, crucifige: *sic & Vgo Cardin.*

288. *Cor peccatoris est vas plenum veneno: Conterendum est in contritione.*

Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Si vinum peccatorum est fel Draconum, & venenum aspidum, in quo receptaculo reconditur? In corde peccatoris, quod est veluti vas plenum veneno: Peccatum enim est mortiferum venenum, ideò ne mortem inferat, rumpendum est hoc vas mula cōtritionis. *l.4.d.16.p.1.a.1.q.1.ad 1.*

289. *Caro, & mundus venenata sunt à Diabolo, ut nos venenarent.*

Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile, &c. Qui sunt isti Dracones propinantes venenum? Isti sunt Dæmones, qui diffundentes suum venenum per carnem, & mundum, eos venenarunt, ut ex ipsis nobis propinaretur venenum in vino temporalis delectationis: Caue ergo ô homo à tali veneno, &c. *serm.4.Dom.1.Aduent.*

290. *Voluptates sunt vinum venenatum mortem æternam bibenti afferentes.*

Fel Draconum Vinum eorum. Nota hoc Vinum sunt voluptates, & gaudia mundana contra Deum, quæ sunt vinum temporaliter, sed fel æternaliter, quia venenum mortis æternæ libantibus afferunt. *serm.2.Dom.1 post oct.Epiph.*

291. *Diabolus sub specie amicitia propinat suis venenum mortiferum.*

Fel Draconum vinum eorum. Quomodò vinum ex vite exiens dicitur fel Draconum? quia Diabolus accipit, & præparat vinum delectationum, & voluptatum, amatoribusque mundi propinat sub specie amicitiæ, ut ipsos inebriet, ut aspiciat eorum nuditatem, nempè per expoliationem virtutum. *serm.4. Dom.8.post Pentec.*

292. *Discordia est fel Draconum.*

Fel Draconum vinum eorum. Hoc vinum, seu potius venenum in vas cordis includit Diabolus: sed quodnam est hoc venenum, nisi discordia? Cum enim locus Dei sit cor pacificum, sic discordia locum parat Diabolo, expellens Spiritum Sanctum, & polluens eius Tabernaculum, imò destruens omnia bona. *op.Comp.Theol.l.3.c.17.*

293. *Dei proprium est vindicare iniurias homini illatas, quando homo se vindicare non vult.*

Mea est ultio, & ego retribuam in tempore. Verba ista grauissima à Deo diriguntur ad nos, ut sciamus, quod Deus nullam injuriam inultam relinquit, si se homines vindicare nolent, & Deo suas vindictas relinquerent, & committerent, quamuis non semper, quando vellent, hoc faceret, quia tempus congruum expectaret. *serm.1.de S.Agnete, & In Luc. c.6.v 29.* sic & fecit M. Bibulus senator Romanus, qui cum ad ipsum captiui occisores suorum filiorum missi essent à Cleopatra Regina Ægypti, ut ex eis, quam vellet appeteret ultionem: Ille patientissimus dolorem cedere virtuti coëgit, & carnifices filiorum intactos ad Reginam misit, dicens, hanc vindictam, non suam, sed senatus esse debere: O utinam nos sic, cum offendimur, divino senatui vindictas relinqueremus, qui dicit mihi vindictam, & ego retribuam. *Ibidem.*

294. *Nullam iniuriam relinquit Deus impunitam.*

Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore, &c. Diſce ex hoc, quod Deus nullam injuriam relinquit impunitam: proprium enim eſt Iudicis ſupremi omnes iniquos vindicare, ſic exigente eius infinita juſtitia. *In ſap. c.* 12. Et hinc oritur ſolutio illius quæſtionis: An culpa poſſit eſſe ſine pœna ſubſequente: Cui Reſpondetur Theologicè, quod hoc eſt impoſſibile, ſic exigente eius perfectiſſima æquitate, pulchritudine univerſi, inordinatione culpæ, & conditione naturæ peccantis. *lib.* 2. *d.* 36. *a.* 2. *q.* 1.

295. *Chriſtus ut homo iudicabit mundum poteſtate miniſteriali: ut Deus poteſtate abſoluta.*

Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore. Nota hæc dicta eſſe in perſona Chriſti: ſed quomodò judicabit mundum, & vindicabit injurias Deo illatas? Vt Deus judicabit poteſtate auctoritatis, ut homo poteſtate miniſteriali, quia in forma ſervi contemptus, & judicatus eſt. *In Ioan. cap.* 5. *v.* 23.

296. *Dæmones etiam iudicabuntur, & punientur in Iudicio.*

Iuxta eſt dies perditionis. Quis eſt dies perditionis, & ad quorum perditionem ordinatur? Ad omnes iniquos etiam Dæmones, qui in die Iudicij perdentur, cum auferetur eis omnis poteſtas, & infligetur omnis pœna debita. *In Luc. c.* 4. *v.* 34.

297. *Dies iudicij, & mortis propè eſt unicuique noſtrum: & tamen mors improviſa multis advenit.*

Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. Hæc admonitio à Dei benignitate dirigitur unicuique noſtrum, ut advertamus, quod dies mortis, & judicij eſt propè, & velox nimis: & licèt hoc ſit verum, & continua patrat experientia, tamen ex improviſo venit mundanis, qui extemplò capiuntur, ſicut aves laqueo. *In Luc. c.* 12. *v.* 46. *& in Thren. c.* 1.

298. *Vindicta alia appetenda à iuſtis, alia vitanda.*

Mea eſt ultio, & ego retribuam, &c. Si Dei proprium eſt ulciſci injurias: quomodò ergo dicitur *Lucæ cap.* 8. quod ſancti petunt vindictam à Domino de occiſoribus ſuis: Dicitur enim: *Deus faciet vindictam ſervorum ſuorum clamantium?* Sed Reſpondetur, quod alia eſt vindicta affectionis, alia afflictionis: prima petitur à ſanctis, Deo, ut malos redimat, & faciat à ſtultitia ceſſare: ſecunda à ſanctis evitatur, & Deo relinquitur. *In Luc. cap.* 18. *v.* 8.

299. *Diffidentia infirmitas gravis trahit in deſperationem, & inconſtantiam: Confidentia ſanat hanc infirmitatem.*

Videbit, quod infirmata ſit manus, & clauſi quoque defecerunt reſiduique conſumpti. Quæ infirmitas manus eſt hæc, quæ defectio in clauſis? & qui ſunt iſti clauſi? Clauſi ſunt illi, qui in Carcere ſunt obſtricti, & impediti, ne poſſint abire liberè: moraliter ſunt, qui in carcere diffidentiæ, & deſperationis præcipitantur: iſtis obvenit infirmitas in manibus, nempè debilitas virtuoſæ operationis ob inconſtantiam, & deſperationem, quæ cauſatur à puſillanimitate, & diffidentia, faciet que deficere in bonum, & diffundere Animam in diverſa peccata: Talis infirmitatis remedium eſt confidentia, quæ gignitur ex conſideratione divinæ benignitatis in peccatores quoſcumque. *ſerm.* 1. *Dom.* 4. *quadrag.*

300. *Pœnæ inflictio eſt à Deo, & maximum bonum hominis.*

Ego occidam, & ego vivere faciam. Cur Deus dicitur occidere, & faciat vivere? Ergo malum erit à Deo, quod eſt falſum? ſed reſpondetur, quod duplex eſt malum, ſcilicet culpæ, & pœnæ: primum non eſt à Deo, cum ſit privatio: ſecundum eſt à Deo, ordinaturque ab eius altiſſima providentia ad magnificandam, & manifeſtandam divinam potentiam, & Iuſtitiam, & etiam ad maximam utilitatem noſtram: Excipe tamen illas paſſiones, quæ dicunt deordinationem ſimpliciter, culpabilemque ut deformatio imaginis, & corruptio habilitatis ad bonum, quæ ſunt pœnæ inſeparabiliter peccato annexæ: hæ non ſunt à Deo, niſi ex conſequenti, & per accidens. *l.* 2. *d.* 36. *q.* 1. *&* 2. *& l.* 1. *d.* 46. *dub.* 6.

301. *Dei providentia in nos ſemper ante oculos habenda.*

Videte, quod ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus præter me. Ad quid hæc proponuntur credentibus ſolitudinem, unitatem, & magnitudinem Dei? Nota, quod Deus interpretatur græcè, (Intuens). *ex op. princip. S. Scrip.* Dicit ergo: *Videte, quod ego ſum ſolus,* ſcilicet Deus, ut perpendamus continue, quod ipſe vigilat ſuper nos indeſſus, & ille ſingularis clementiæ oculus non dormit, neque dormitat, qui cuſtodit Iſrael: nempè vigilat ſuper bonos, ut protegat; ſuper malos, ut puniat. *op. Pharetr. l.* 1. *c.* 1.

302. *In Dei dilectione omne bonum.*

Videte, quod ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus, &c. Cur hunc articulum fidei in ſacra Scriptura repetit? quis eſt fidelis, qui hæc non credat? ſed adverte, quod nobis Chriſtianis hæc verba pleniſſima myſterijs diriguntur: Dum enim dicit: ſe ſolum Deum eſſe, exquirit etiam noſtrum amorem toto corde, & Anima: Vult enim ſolus amari: nec mirum, hæc enim eſt praxis Phiſicæ, quoniam omnium naturarum cauſæ in Deo creatæ ſunt? Hæc praxis Ethicæ, quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quàm cum ea, quæ diligenda ſunt, ſicuti diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt Deus, & propter Deum proximus: Hæc eſt praxis Logicæ, quoniam veritas, lumenq; Animæ rationalis, nō niſi Deus eſt: Hæc omnis virtutis praxis, nēpè amoris, ſcilicet diligendo, quæ diligenda ſunt prudentiæ id eligendo, fortitudinis nullis averti moleſtijs, temperantiæ nullis illecebris, juſtitiæ ubi nulla ſuperbia, ergo Deus ſolus eſt, qui diligendus eſt, quo nihil melius invenitur, & ſi aliquid diligendo præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. *op. Phar. l.* 1. *c.* 25.

303. *Deus solus solitarie vult amari à nobis.*

Videte, quod ego sum solus, &c. Quomodò solusnonne trea fuot Personæ divinæ:solus, quoad substantiæ unitatem, quia soloa privat associationem alteriua in eadem natura. *l. 1.d.31.per totum*: Ex quo deduces, quod solua vult à oobia amari, & si aliud amas præter Deum, tunc quodammodo destruis banc unitatem Dei. *op. Phar.ibidem.*

304. *Deus flagellis in nos occidit vitia,ut ipsi vivamus.*

Ego occidam, & ego vivere faciam. Quænam est hæc occisio? transitus ad vitam? qui occiditur, moritur, & non viviz sed loquitur hic de occisione spirituali vitiorum, & peccati: Deus noa flagellat, ut occidat in nobia vitia, per quod fit transitua ad vitam.*Psalm.58.* & hoc est, quod petebat Propheta. *Vivifica me secundum verbum tuum. Psal. 118.cap.7.v.11.& Psalm.138.& In Luc. cap.8.v.32.*

305. *Deus percipitur sensibus spiritualibus Animæ,non Corporis.*

Videte, quod ego sum solus, &c. Ergone Deoa à nobis potest videri in hac vita eorporeis oculis? sed nota,quod nomine visus veniunt sæpè in sacra Scriptura cæteri sensus:sed quia sensibua corporeis non potest Deus percipi, dat nobia intelligere, quod tota cura nostra debet esse in perceptione Dei per sensua spirituales, per visum, auditum, gustum, olfactum, & tactum spiritualem. *opusc.de septem Itiner.ater.Itiner.6.d.2.*

306 *Deus percutit nos corporaliter, & spiritualiter ad sanitatem.*

Percutiam, & ego sanabo. Quid est boc, quod Deus,ut sanet hominem, eum percutit? sed nota, quod sicut Moysis bina petræ percussione per virgam extractæ sunt aquæ: sic Deus ad saoandum nos bina percussione affligit, scilicet corporaliter exterius infirmitate, alijsque calamitatibua externis, & spiritualiter timore gehennæ, ut aqua vitæ, scilicet contritionis, & conversionis educatur ad sanitatem: Væ igitur ijs, qnorum cor tam durum est, quod non tantum bis, sed centies percussum, & tamen non emittit unam guttam lachrymarum. *serm. 3. Dom. 1. post oct. Epiph.*

307. *Alijs Deus levat manum dexteram,alijs sinistram: Illis in salutem, istis in damnationem æternam.*

Levabo ad Cœlum manum meam, &c. Quid est levare manum ad Cœlum? nonne Deua est supra Cœlos? levare manum ad Cœlum, est levare in altum: sed nota quod justis levat dexteram ad benedicendum: Impijs sinistram ad damnandum:quo enim altius levat,eo fortius percutit. *serm.2.In Ascens.*

308. *Iudicij extremi terribilitas in Iudice supremo proponitur consideranda.*

Si acuero, ut fulgur gladium, & arripuerit iudicium manus mea, reddam retributionem hostibus. Quid est acuere gladium? quid sibi vult Dominus Deua ex hoc dicto? Nota, quod hic proponit judicium extremum, & sententiam damnationis æternæ considerandam, ut noa revocet à peccatis, & clamare faciat ad Deum in oratione, & pœnitentia. Iste gladius autem est spiritualis,scilicet sententia, qui non solùm acutus, sed exacutus est, ut per ipsum non solùm corpua, sed & Anima feriatur: Dicit autem, (*ut fulgur*) idest splendens, & limatus, ut in promptu habeatur, non solùm in judicio extremo, sed etiam in morte: proponit autem banc terribilitatem sub nomine gladij jam in promptu, & in manu existentis, ut nos ad Deum in oratione,& pœnitentia clamemua, ac si jam jam gladio transfodi deberemus, & jam jam morituri, vel occidendi essemua. *serm. 2. Dom. 2. quadrages.& serm.3.Dom.infr.oct.Nativit.& serm. 1. Dom. 3.quadrages.In Luc.c.19.v.27.*

309. *Homo magis Asino insensatus in consideratione iudicij.*

Si acuero ut fulgur gladium, &c. Vide, qood sæpissime Deua in memoriam revocat severitatem judicij extremi: hic autem id facit sub nomine gladij jam in manu districti, & cor? Transfer meotem ad Asinam Balaam, quæ videna gladium districtum in manu Angeli, clamavit ut intelligamus, quod qui ex consideratione severitatis judicij divini non resipiscit à malo, est magis insensatus Asino:homo non timet, sed Asiona timet: ô vecordia hominum! *serm.3.Dom.15. post Pentec.*

310. *Deus sumit vindictam in persecutores servorum suorum, quia tribulationes & sanguis exclamant ad Deum.*

Sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, &c. Ergone Deua sumit vindictam? nonne illam Deus vetat? Nota, qood Deus nobia vetat vindictam: Vult enim ipse sumere ipsam tanquam supremus Iudex, maximè, quia sanguis, & tribulationes servorum suorum clamant ad Deum vindictam. *In Luc.cap. 18. v. 7.* Videant, & perpendant hæc terribilia verba potentes, qui servos Dei contemnunt,opprimunt, & persequuntur:Isti enim infallibiliter habent Deum vindicatorem ipsorum persecutores.

311. *Prædicatores, & præcipuè fratres minores debent sequestrari à mundo, intendere speculationi, & animi puritati, ut fructificent in Ecclesia Dei.*

Ascende in montem Abarim, scilicet transitum,& vide terram Chanaam,& morere in monte, &c. Hæc fuit conclusio tot gratiarum Moysi datarum à Deo: Voluit enim,ut tandem ascenderet montem altum, ot videret terram promissionis, & ibi moreretur. Nota,quod hoc dictum est Moysi litteraliter, mysticè verò omnibus Prædicatoribus, qui ductores,

& Paſtores ſunt,miniſtratores verbi Dei, & id præcipuè fratribus minoribus:Hi enim, ut fructificent in ſuo miniſterio,debent ſequeſtrati à mundo,aſcendere in montem ſpeculationis ſacræ Scripturæ, & ſimul incumbere amori Dei,aliiſque operibus bonis,ut exemplo ſancti Franciſci, prius faciant, poſtea doceant: quid enim valet ſcire multa, & non ea guſtare.*ſerm.2 1.Hexaem.*



CAPVT XXXIII.

312.*Ex plenitudine gratiarum Maria Virginis colligunt omnes quidquid boni habent.*

Dominus apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia, &c. Nota, hæc fuit propheria futurorum:Mons enim Pharan interpretatur frugifer, & ſignificat Mariam Virginem, quæ tam fuit frugifera, quod granum frumenti, ſcilicet Chriſtum protulit: Verè frugifera, de qua univerſi frugem colligunt: nempè peccatot veniam: Iuſtus gratiam, Angelus lætitiam: Tota Trinitas gloriam: filij perſona carnis ſubſtantiam. *ferm. 2.in Nativit.*

313. *In iudicio non ſolùm Chriſtus, ſed & ſancti apparebant contra reprobos.*

Apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia. Quid eſt quod in monte Pharam apparuit Dominus,& cum eo ſanctorum millia? Nota, quod Pharan etiam interpretatur ferus: Datque intelligere apparitionem futurem Chriſti cum ſeveritate, & feritate in iudicio contra reprobos, & contra eoſdem, ſanctorum millia Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & Angelorum, ô quàm anguſtiæ tunc erunt viæ reproborum. *ſerm. 1. In Circumciſione.*

314. *Qui contemplationis gradus vult exercere, debet aſcendere triplicem montem.*

Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, & in dextera eius ignea lex, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Nota, quod non ſine myſterio Moyſes poſtquam aſcendit montem, dicit, quod Dominus in tribus montibus apparuit, ut traderet doctrinam, & lumen appropinquantibus ei: Ad quid nominat iſtos tres montes? quia iſti tres montes fuerunt, in quibus Deus oſtendit mirabilia: myſticè autem datur intelligi, quod cum mons ſit magis idoneus ad divinas apparitiones, inſtructiones, & contemplationes, tria ſunt diſponentia ad divinam transfigurationem, & ad ſtatum contemplationis; nempè elevatio mentis in excelſis ad Deum:oratio continua, & aſſidua, & permanentia in monte per audientiam, & attentionem ad divinas illuminationes. *In Luc. cap. 9.v.29.*

315. *Obſervantia legis divinæ affert Animæ calorem, & claritatem.*

In dextera eius ignea lex. Cur ignea dicitur lex? quia eius obſervantia cauſat in Anima calorem amoris Dei, & claritatem: calorem in voluntate, & lumen in intellectu. *Pſalm. 118.c.11.v. 3.& ep.Eccleſ.Hierarch.part.4.cap.6.* Et ideò, qui legem derelinquit, ignem derelinquit, & refrigeſcit.*Pſalm. 118.c.4.v.6.*

316. *Obſervantia legis divinæ non ſolùm ignitam Animam facit, ſed & doctrinam cæleſtem confert.*

Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius, &c. Quid eſt appropinquare pedibus Dei? Ideſt affectu amplecti, & obſervare legem Dei; ergo doctrina Chriſti, quam lex continet, igneos, & ignitos, ſimulque doctos reddit ipſam amplexantes, & quò magis per familiaritatis gratiam fiunt propinqui, eo magis igniti fiunt. *ep. Eccleſ. Hierarch. p. 4.cap.6.In Luc. cap.7.v.9.*

317. *Obedientia reddit hominem ignitum amore Dei, & doctum.*

Qui appropinquant pedibus eius, &c. Nota, quod appropinquare pedibus eſt obedire promptè: qui ergo obedientiam præſtant legibus, iſtis communicatur ignis amoris Dei, & lumen intellectus. *In Eccleſ.cap.4.ad finem,& Luc.c.19.v.29.*

318. *Qui libenter audiunt verbum Dei illuminantur, & accenduntur.*

Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Quid eſt, quod ad oſtenſionem legis ignitæ in dextera promittitur appropinquantibus pedibus de doctrina Dei? Hoc eſt dicere, qui appropinquarit Doctori prædicanti verbum,& legem Dei; accipient de doctrina illius, ſcilicet ignita, inflammante Animam,& illuminante mentem. *In Luc.c. 7. v.9.& 11.& c.8.v.35.& cap.10.v. 39.& c.15.v.1.*

319. *Conformitas operationum noſtrarum cum divinis rectificat Animam.*

Et erit apud rectiſſimum Rex, congregatis Principibus populi cum Tribubus Iſrael. Quid eſt iſte rectiſſimus, cui copulandus eſt Rex cum ſubditis?Nota illam particulam, (*Apud rectiſſimum*) ſcilicet quando Rex cum populo continuabitur ſummæ Poteſtati, & legibus divinis, tunc quilibet erit rectus, & rector, ſcilicet Rex in dominio Animæ: hoc præcipuè erit in gloria, in qua omnes erunt Reges, & unum cum Omnipotente. *lib.2.In prologo.*

320. *Confitens fidem, & peccata ſua promptè, pugnat contra adverſarios.*

Hæc eſt benedictio Iuda, manus eius pugnabunt pro eo. Nota,quod Iudas interpretatur confitens, ſcilicet peccata ſua, vel fidem, iſteque facile pugnat promptè cum adverſario.*In Luc.c.6.v.16.*

321.Per

321. *Perfectio religiosa exigit non solùm purgationem à malo, sed & profectam in omni virtute bona.*

Dixit ad Levi: Perfectio tua, & doctrina tua à viro sancto tuo, quem probasti in tentatione. Nota quod hic Moyses loquebatur de statu Levitarum, & Sacerdotum,& intendit eorum munus, & obligationem exponere, & exprimere, quam à viro Sancto, scilicet à Deo per Moysen loquente: Sed spiritualiter ordinatur hic textus viris Angelicis, & perfectis Religiosis, ut sciant, quod non solùm debent esse immunes à malo, sed ne fint otiosi, debent semper tendere ad perfectionem, de virtute in virtutem, ut sibi, & aliis proficiant. *opusc. Eccles. Hier. p. 1. c. 2.*

322. *Parentes relinquendi, quando maius bonum impediunt.*

Qui dixit patri, & matri suæ, nescio vos,& fratribus, ignoro illos: hi custodierunt legem suam. Quomodò dicuntur Filij Levi custodisse legem Dei?Si dereliquerunt patrem, & matrem, & fratres suos? Nonne lex dicit: honora Patrem, & matrem? Et charitas præcipit, ut amentur fratres?Hoc quidem verum est; sed tamen in casu, quo eorum amor & obsequium impedit salutem Animæ, hi deserendi sunt, & ab ipsis nec consilium requirendum. *In Luc. c. 2. v. 43 & c. 9. v. 60. & cap. 12. v. 52. & cap. 18. vers. 29.*

323. *Contemplativorum inhæsio, & adhæsio in Deo etiam delectabilis.*

Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros eius requiescet. Nota, quod hæc verba dicuntur de Benjamin ad litteram, sed spiritualiter de viro perfecto, seu de gaudio summo contemplationis: Nam post labores transactos purgativæ vitæ, post assuefactionem vitæ in timore Dei: tandem ita Deo adhæret, ut avulsio à quiete contemplationis sit ei desolatio non modica, sed semper si possit, velit talibus deliciis adhærere, ut parvulus à matre blandiente, vel famelicus à cibo invitus separatur: nec mirum, quia amor Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem, & ab exterioribus abstractum sua virtute Deo conglutinat,& conjungit,& quo vehementior, eò validiùs, quousque omnium rerum sub Deo oblita, plenè in solo divinæ contemplationis radio liberè figatur. *op. de perfect. relig. l. 2. c. 7 a. & Ps. 118. c. 7. v. 1.*

324. *Ioannes Apostolus fuit amantissimus Domini.*

Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter quasi in thalamo, & inter humeros, &c. Nota, quod hæc fuit Propheria ad litteram de Sancto Ioanne Evangelista, qui verè amantissimus Christi fuit, eo quod impleverat eum donis gratiæ suæ,& secretis sapientiæ suæ,& fervore dilectionis. *In Ioa. In proœm. & collat. 62. & c. 21. v. 20.*

325. *Status Contemplativorum, & perfectorum felicissimus.*

Ioseph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis Cœli, & rore, atque abysso subjacente, de pomis fructuum Solis, & Lunæ benedictio illius. Nota, quod hæc fuit benedictio data ad litteram Ioseph Patriarchæ, cui cecidit in sortem regio fertilissima: sed spiritualiter quæritur, quænam sint hæc poma, & fructus Cœli, Solis & Lunæ? Sunt ne in illis regionibus cœlestibus poma, & fructus? Sed Ioseph signabat statum perfectorum, cujus fructus est cœlestis, nempe speciosissimus ad videndum, fragrantissimus ad odorandum, sapidissimus ad degustandum, pretiosissimus ad possidendum,& sempiternus ad perdurandum. *In Luc. c. 13. v. 9.* O quam deliciosa est vita spiritualis.

326. *Beata Virgo Maria hortus voluptatis omnibus expositus.*

De benedictione Domini terra eius, de pomis Cœli, de fructibus Solis, & Lunæ, &c. Nota si de viris perfectis hæc dicta sunt, magis tamen de Beata Virgine Maria, quæ est terra benedicta,& hortus voluptatis emittens à se flumina, & fontes continuè emanantes herbas, & arbores fructificantes, non quidem terrenas, sed cœlestes, & spirituales virtutum, & gratiarum, quibus corda arida iofunduntur, & imbuuntur, & fructus virtutum, quibus affectiones illorum qui esuriunt justitiam fructuosis operibus nutriuntur: Et ideò, qui se aridos,vel etiam mortuos in peccatis se sentiunt, ad Mariam debent festinare, quia in ipsa velut in Cœlo, aut in Paradiso omnia supradicta potetunt invenire: Dicuntur autem isti fructus Solis,& Lunæ,& Cœli, quia Maria fuit pulchra ut Luna, & paternum radium Verbum Carò factum in se concepit, & nobis transfudit: Pulcherrima ut sol præcellens in luce, in virtute, in magnitudine potestatis extera sidera sanctorum exhibens è Cœlo nobis omnium bonorum influentias. *op. de Eccles. Hierarch. p. 4. cap. 7.*

327. *Ex Maria Virgine omnis benedictio creaturis descendit.*

Benedictio illius, qui apparuit in Rubo veniat super caput Ioseph. Cur tantùm Ioseph assignatur benedictio illius, qui apparuit in Rubo, qui est Deus? Nonne, & in alios filios Israel? Sed nota, quod Ioseph interpretatur augmentum, & significat quemlibet fidelem divina gratia adauctum: Per Rubum ardentem significatur Beata Virgo Maria, quæ fuit verè carbo ignitus, & rubus ardens charitate divina: In hoc rubo apparuit Verbum Dei carne indutum, & ideò per Mariam venit omnis benedictio gratiæ omni fideli: Benedictus igitur rubus, & benedictus, qui per incarnationem apparuit in rubo, per quem venit tanta super capita fidelium benedictio: Et ò verè benedictus carbo tam benedictam flammam producens: Benedicta Maria tam benedictam prolem gignens: O verè benedicta, & exaltata non tibi soli ô Maria, sed etiam nobis; quid est hoc, quàm magnum, quam amabile, quod video per te nobis evenire, quod videns gaudeo, quod gaudens, dicere non audeo: Si enim tu Domina es mater Dei, nonne & alij filij tui sunt fratres Dei. *opusc. spec. Beatæ Virg. lect. 15.*

328. *In Sanctum Ioseph Sponsum Mariæ Virginis copiosior super alios descendit benedictio gratiarum Christi, & ipsius sponsæ.*

Benedictio illius, qui apparuit in Rubo, veniat super caput Ioseph Cur nominat solùm Ioseph, & non etiam cæteros de tribu sua, si illa benedictio spectabat ad omnes? Vt ordo divinæ benedictionis assignaretur, scilicet prius in Ioseph tanquam in capite, & deinde ad alios: Spiritualiter fuit hæc prædictio donorum Sancti Ioseph Sponsi dilectissimi Beatissimæ Virginis Mariæ: prius enim super alios Sanctos fluenta gratiarum ex Christo, & Beatissima Virgine in Ioseph tanquam proximiori, & patre, vel capite hujus familiæ, descenderunt, & ex Ioseph in reliquos derivant. Hinc de pastoribus, *Luc.* 2. dicitur, quod invenerunt Mariam, & Ioseph, & Infantem positum in Præsepio, quia qui vult invenire Christum, quætat eum cum diligentia, & inveniet cum Maria, & Ioseph, scilicet per Mariam, & Ioseph. *In Luc.c.2.v.17.*

329. *Benedictio Sancti Francisci data in sua Regula fratribus suis vilibus vestimentis utentibus, & ea repetiantibus, qualis.*

Benedictio eius apparuit in Rubo veniat super caput Ioseph. Cur super Ioseph, & non super alios? quia Ioseph super alios fuit Dei imitator: Hinc infertur, quod qui perfectior erit imitator Christi, non solùm interiùs, sed & exteriùs majorem etiam benedictionem recipiet. Et ideò Seraphicus Pater Sanctus Franciscus sciens omnes Sanctos Prophetas Ioannem Baptistam, & Christum usos fuisse vestibus vilibus, dedit suam benedictionem nomine Christi, qui apparuit in Rubo, scilicet inter spinas, & austeritatem vitæ humanæ, suis fratribus, qui uterentur vestibus vilibus, & qui eas saceis repetiarent; & meritò, quia qui se stultum, & despicabilem exhibet huic mundo, ipsi Deo efficitur pretiosus, & benedictus. *op. Exposit. Regula cap.* 2. O terque quaterque beati illi fratres, qui tali opitulantur benedictione!

330. *Maioris meriti est adversa ab aliis illata tolerare, quàm bonis operibus insudare.*

Immolabunt victimas justitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Sed quis est, qui possit inundationes maris quasi lac sugere, & arenam maris in ventre abscondere? Nota, hæc fuit benedictio data zabulon, & Tribui suæ, ubi metaphoricè loquitur de iis, qui se exercent in perfecto gradu patientiæ, in quo victimas justitiæ offerunt Deo: Consistit autem in hoc, quod sugunt tribulationes, & adversitates, non solùm passionum, sed veluti lac, ac si thesaurum ditissimum invenissent, sed gaudent in tribulationibus, & gloriantur cum adsunt, & desiderant cum desunt: majoris enim meriti est adversa patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare: Ad has igitur victimas invitaris ô Religiose: Si enim ex desiderio placendi Deo tibi aliquando adversa infers castigando corpus, & mentem mœrore, & contritione affligendo, cur non etiam libenter suffers, cum ab alio infertur tibi occasio patiendi? unde vel corpus affligitur, vel animus humiliatur, cum hæc pati æquanimiter ab alio sit majoris meriti, quàm à semetipso: & quia hoc est paucorum, hinc apparet, quod rara est virtus perfecta. *op. de perfectio. Relig. l.* 2. *c.* 37.

331. *Christus ascendit in Cælum, ut nobis esset in manus auxilium.*

Non est alius Deus, ut Deus rectissimus ascensor Cæli auxiliator tuus. Vide quid fecerit Christus pro nobis: nam non solùm descendit in terram ad nos redimendum, sed ascendit in Cælum auxiliator noster: habemus igitur ipsum advocatum apud Patrem potentissimum, & benignissimum. *In Ioan. collat.* 16.

332. *Sanctorum præcipuè Apostolorum vita, & doctrina totus mundus irrigatur.*

Caligabunt Cæli rore. Hebræus legit, *stillabunt, &c.* Qui sunt isti Cæli mysticè, nisi Apostoli Sancti, quorum vita, & doctrina est tam copiosa, quod irrigat totum mundum, Christū annuntiando: non enim aliquis fructificare potest, quod hujus roris perfectio non fœcundat. *op. de Eccles. Hier. p.* 4. *c.* 3.

333. *Beatorum felicitati nulla alia potest æquiparari.*

Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui salvaris in Domino. Quis est iste populus Israel? Certè non est populus Iudaicus, qui nunc est miserrimus? Populus iste est videntium Dominum, scilicet Beatorum, quorum præmium est vita beata, cujus promissione si nos gaudemus, multò magis gaudent ipsi incomparabiliter de possessione. *ser.* 2. *in festo omnium sanctorum.*

CAPUT XXXIV.

334. *Ascensus in montem contemplationis facit videre Deum.*

Ascendit Deus de campestribus, &c. Nota, quod Moyses volens videre terram promissionis ascendit summitatem montis altissimi: Sic & nos, si volumus ad cælestia penetrare, debemus terrena relinquere, & ad montem orationis, & contemplationis ascendere. *in Luc. c.* 9. *v.* 28.

LIBRI



LIBRI JOSUE
PROLOGUS.

Iosve Filius Nun ex Tribu Ephraim, in Ægypto natus, Moysis Discipulus, & potestate successor, novique prælij triumphator, qui inter multa mirabilia facta; sorte terram promissionis distribuit omnibus tribubus Israel: Hic figurabat Christum nomine: Iosue enim idem est ac Iesus: Item & re: nam per ingressum in tettam promissionis, per divisionem Iordânis, per aquas quas redire fecit in mare mortuum, per prostrationem hostium, per triumphum, per destructionem Hierico, suspensionem Regum, & tandem per divisionem terræ funiculis, signatur Christus ingressus in hunc mundum triumphator hostium, Institutor Baptismi, & aliorum Sacramentotum, pet quæ facit redire Animam in suam originem, Deoque uniri, & tandem constitutus à Deo Iudex vivorum, & mortuorum, distribuet, vel pœnas, vel præmia secundùm merita, & secundùm demerita illos eiiciet in Infernum, & bonos inttroducet in Cælum. *opusc. princip. Sacræ Scriptur. & sermon. 14. Hexaem.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT I.

1. Christus, ut virtus, veritas, & salus nostra, idest ut Iesus, & Salvator venit ad nos liberandum ab inimicis nostris.

Dixit Dominus ad Iosue surge, & transi Iordanem tu, & omnis populus tecum in terram, quam ego dabo Filiis Israel. Cur non Moysi, sed Iosue præceptum fuit, ot transiret Iordanem, in terram promissionis simul cum populo Israel? Nota, quod Iosue est idem, quod Iesus, ut significaretur, qood solus Iesus, qui est virtus, veritas, & salus nostra debebat nos ducere, & facere transire per fluxum carnalis concupiscentiæ ad inhabitandum in cælesti patria. *sermon. 1. Dom. infra oct. Nativitatis. In Luc. cap. 24. vers. 27.*

2. Christus voluit baptizari in Iordane, ut homines invitaret ad transitum fluxus concupiscentiæ, & peccati per virtutem Baptismi.

Tu, & omnis populus transi Iordanem istum, &c. Iam dictum est Iosue significasse Iesum Christum: Sed cur voluit Pater, ut Filius transiret Iordanem nobiscum? Hoc fuit figura Baptismi, per quem transitus fit à fece peccati ad possessionem gratiæ: Voluit igitur, ut etiam Christus, qui non habebat peccatum baptizaretur in Jordane, ut & nos eundem transitum faceremus: hic enim transitus fuit figura virtutis Sacramenti Baptismi. *op. princ. Sacr. Script. serm. 14. Hexaem.*

3. Despiciens, & calcans terram, & terrenas res fit omnium Dominus.

Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedum vestrorum tradam vobis. Ergo solùm terram erant possessuri, quam calcaverunt pedibus? Nonne, & multa loca, quæ non fuerunt calcata ipsis tradita fuere? Sed nota, quod hic est metaphoricus modus loquendi: Vult dicere, quod qui terram, & terrena calcat, & vilipendens, & sursum in amorem Dei tendens multò veriùs, quàm Principes mundi dominantur eis. *op. Mystica Theol. c. 3. p. 1.* Vide igitur ô Religiose quàm facilè possis evadere Dominus totius mundi.

4. Triumphans de aliquo Dæmone, in Cælo meretur gloriam, quam ille perdidit.

Omnem locum quem calcaverit vestigium pedum vestrorum tradam vobis. Si spiritualiter hæc sunt intelligenda: quis est iste locus, quem calcandum à nobis tradet Deus? Nota quod calcare aliquid, est idem ac triumphare de ipso: Igitur etiam intelligendum

telligendum eſt de victoria, quam aliquis reportat de Diabolo : Si ergo Diabolum viceris, etiam mereris, quod Deus conterat eum ſub pedibus tuis, conſequenter locum ejus in Cœlo habebis. *lib.2. d.94.5.fundam.4.* Vide ergo, & agnoſce dignitatem Deo ſervientis, qui pugnans fortiter cum Diabolo, poteſt aſcendere ad gloriam ſupremi Angeli : E contra, ſi vinci ſinet ſe à Diabolo, & ſub Diaboli tyrannide meritò ſubjicietur.

5. *In Deo ſolo eſt fidendum, qui nunquam, & maximè in neceſſitate in ipſo ſperantes, nos deſerit.*

Nullus poterit vobis reſiſtere: Sicut fui cum Moyſe ero tecum, non dimittam te, nec derelinquam. Vide quomodò Deus excitat nos ad fiduciam collocandum in eo; dum promittit numquam defecturum in neceſſitatibus noſtris: Sed nota, quod hæc promiſſio facta eſt tantùm Ioſue : ut intelligas, quod ſolus Ioſue, ſcilicet vir juſtus, & in Deo ſperans, ſicut Ioſue obtinet effectum hujus promiſſionis, non verò tepidus, tenax, avarus : nunquam enim in ipſo confidens fame, & neceſſitate periit : & ſi perit aliquis, fuit ob defectum confidentiæ in Deum. *op.de paupert. Chriſti a.1.*

6. *Virtus fortitudinis neceſſaria ad ſuſtinendum malum, & faciendum bonum.*

Confortare, & eſto robuſtus, ut cuſtodias, &c. In his verbis Dominus excitat nos ad virtutem fortitudinis : hæc enim eſt ſicut radix portans pondus arboris, & frondes, & flores, & folia,& fructus:Sic & hæc portat ſuſtinens omnia opera bona, & merita noſtra. *op.Diat.ſalut.5.c.7.*

7. *Religioſi debent primi ante alios in neceſſitatibus Eccleſiæ ſe opponere hoſtibus ipſius.*

Vos autem armati tranſite ante fratres,&c. Et quinam fuerunt iſti alios præcedentes ad pugnam?fuerunt Filij Ruben, & Gad, ut, in *cap.4. v.12.* Et hæc ſpiritualiter dicuntur Religioſis,quorum munus eſt in neceſſitatibus Eccleſiæ ante alios ſe promptius offerre contra Infideles, hæreticos, & alios hoſtes in acie. *op.libel.a.1.q.22.*

8. *Timor puſillanimitatis longè ſit à ſervis Dei: non verò timor reverentiæ, & humilitatis.*

Noli timere. Cur Deus Ioſue præcepit, ut non timeat, cum timor ſit initium ſapientiæ, & ſervitutis Dei? Nota hic,Deum excludere timorem puſillanimitatis, qui opponitur confidentiæ, non verò timorem reverentiæ, & humilitatis:hic enim eſt initium ſapientiæ, & auget in Deo confidentiam. *In Luc.c.5.verſ.10.*

9. *Vbi Deus, ibi omnis ſecuritas.*

Noli timere. Ad quid excludit Deus timorem à Ioſue?nonne pugnaturus erat cum nationibus potentiſſimis, & ideò cum timore victurus? Sed attende quid ſubdat Dominus:*quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus* : O ſecura ſocietas:quia ubi Deus, ibi omnis ſecuritas. Vnde dicitur *Eccleſ. c.4. Pro Iuſtitia agonizare pro Anima tua, & uſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit inimicos tuos pro te.* Stude ergo te fidelem ſervum Deo conſervare; ita enim te ad ſe ſublevare non deſinit, nihilque evenire tibi permittet,niſi quod tibi proſit,etiam ſi neſcias. *In Luc.c.5.v.10.ſerm.1.Dom.10. poſt Pentecoſt.& op. Phar.l.1.c.1.* ô quanta & qualis eſt providentia, & ſollicitudo Dei in timentes ipſum.

10. *Dei ſocietas ſublevat hominem ab oneribus, & anguſtiis, ipſumque ditans divitiis gratiarum.*

Noli timere, quoniam ego tecum ſum. Quænam promiſſio eſt iſta? Nonne Deus eſt ubique, & cum omnibus creatis rebus? Sed attende, quod hæc ſocietas importat aliquod magnum privilegium, quod Deus cum ſuis ſervis exercet : Eſt enim cum ipſis ſicut bonus ſocios portans onera peccatorum, quia Chriſtus peccata noſtra ipſe tulit, & ſimol communicans ipſis divitias gratiarum. *ſermon.4. in Vigil. Nativit.*

11. *Chriſtus nobiſcum eſt ſacramentaliter, ut ſecum ſimus ſpiritualiter.*

Noli timere, quoniam ego tecum ſum. Quid eſt, quod Dominus ſe proteſtatur eſſe cum ſervis ſuis? Nonne eſt ubique? Sed nota, quod hoc præcipuè verificatur de Chriſto,qui nobiſcum eſt ſacramentaliter, ut ſimus cum eo ſemper ſpiritualiter : Eſt, igitur Chriſtus cum ſuis ſervis,ut ſuper eos pluere faciat ſtillas cunctarum gratiarum. *ſerm.4. in Vigilia Nativitatis.*

12. *Cum quibuſnam dicitur Deus eſſe?*

Sit Dominus Deus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. Hoc dixerunt filij Iſrael ad Ioſue poſtquam ſumpſit regimen populi : Sed quid intendebant in his verbis? nihil aliud, niſi quæ facit Deus cum ſuis, præcipuè Iuſtis Rectoribus populorum : Sciebant enim, Deum peculiaribus gratiis eſſe cum beoè viventibus in converſatione; cum patientibus in tribulatione : cum mœrentibus in afflictione, & cum Regentibus in prælatione. *ſer.4.in Vigil.Nat.*

13. *Deus ſpecialiter eſt cum regnantibus in prælatione, quibus, qui contradixerit dignus eſt morte.*

Dominus Deus tuus tecum ſit : qui contradixerit tibi morte moriatur. Per hoc patet, quod Deus eſt cum regentibus in prælatione:& qui ipſis contradixerit, morte morietur, indignuſque eſt, ut inter ſervos Dei numeretur. *ſer.4.Vigil.Nativit.*

CAPUT II.

14. *Obedientes præceptis Dei, & Prælatorum verè viri ſunt.*

Miſit ergo duos viros exploratores, &c. Cur eos appellat viros, & non homines? quia vir dicitur à virtute; dicuntur viri, quia viriliter, & fideliter impleverunt, quod eis fuerat imperatum. *in Luc. c.7.v.20.* Ergo perfecti obedientes viri appellantur: inobedientes mulieres, &c.

15. Exiſtens

15. *Existens in peccato incarceratus est, & ad mortem destinatus, nec potest evadere sententiam mortis, nisi per confugium pænitentia.*

Demisitque eos per funem de fenestra, &c. Vide qua arte isti duo exploratores effugierunt mortem: nempe, quia demissi per fenestram fuerunt: Per hoc datur nobis intelligi, quod existens in Hierico, scilicet in statu peccati non poterit effugere mortem, nisi exeat per fenestram arctissimam pœnitentiæ, ut ad Iosue, scilicet ad Iesum redeat: Si ergo incarceratus es, quære vitam, quære Iesum Christum per pœnitentiam. *serm. 6. Dom. infra oct. Epiph.*

16. *Charitatis funiculo trahitur Deus, amicus, & inimicus ad mutuam dilectionem.*

Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra patrem, matrem, &c. congregabis in domum tuam, &c. Cur isti duo exploratores voluerunt, ut Raab poneret funiculum coccineum ad fenestram pro signo, ut non solùm ipsa, sed & tota ejus cognatio salvaretur à morte? Nonne sufficiebat salus permissa ipsi mulieri? Cæteri verò erant, ut inimici occidendi? Nota, quod funiculus coccineus, qui ignei coloris est, significat charitatem, & amorem: Datur ergo intelligi, quod sicut funiculo naves trahuntur ad portum, ita funiculo charitatis trahuntur ad salutem inimici, & amici, imò ipse Deus. *ser. 2. In Pentec.*

17. *In Iudicio Universali damnabitur, qui non habuerit in fenestra funiculum charitatis.*

Si ingredientibus nobis terram, signum istud, &c. Cur voluerunt assignare pro signo salutis huic mulieri funiculum in fenestra? Vt nos doceret, quod Hierico, idest mundo damnatione æterna pereunte, si in fenestra cordis funiculum charitatis non habueris, tu similiter cum mundo peribis. *ser. 2. in Pentec.*

18. *Incipientes debent ascendere ad montem pænitentia per triduum, &c.*

Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana, ibique manserunt tres dies, &c. Vide quanta diligentia obedierunt voci mulieris isti viri: Sed cur per tres dies manserunt in monte? Vt daretur nobis intelligi, quod incipientes, qui volunt mortem evadere peccatorum, & viam veritatis invenire, debent montem pœnitentiæ ascendere, ibique manere per triduum, scilicet exercitio contritionis, confessionis, & satisfactionis: Contritio enim expellit peccatum de Anima; Confessio salvat, & satisfactio in tuto ponit, &c. *In Luc. c. 1. v. 39. & ser. 2. infrà oct. Epiphan.*

19. *Religiosi proficientes debent in montem perfectionis conscendere, & triduo ibi manere.*

Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana, &c. Ad quid præmittit ambulationem istorum antequam conscenderent montem? Videtur hoc superfluum: Loquitur hic mysticè de Religiosis, qui positi sunt in statu veritatis, & perfectionis acquirendæ: debent enim conscendere in montem hujus status, & ibi per triduum manere, scilicet per observantiam paupertatis, castitatis & obedientiæ. *ser. 3. Dom. infra oct. Epiph. & in Lucam c. 1. v. 39.*

20. *Qui in statu perfecto sunt, debent per triduum permanere in monte perfectionis.*

Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana, & per tres dies ibi manserunt, &c. Cur non per quatuor dies, vel quinque? Vt videas, quod qui pervenit ad montem veritatis, & perfectionis, debet per triduum ibi permanere, scilicet per tres partes contemplationis, idest per cogitationem, meditationem, & contemplationem. *In Luc. c. 1. v. 39. & ser. 4. Dom. infra oct. Epiph.*

21. *Activa vita transit ad contemplationem, & è contra.*

Quibus ingressis, reversi sunt, descenderunt exploratores de monte, & transmisso Iordane, venerunt ad Iosue. Ad quid reversi? Cur non permanserunt? Vt videas, quod vita activa transit ad montem contemplationis, sed tamen aliquando post contemplationem Salvatoris, revertuntur ad actionem exercendam. *In Luc. c. 2. v. 20.* Vide etiam, quod in quocumque statu altissimæ contemplationis, numquam deserenda est vita activa, & purgativa.

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT III.

22. *Iusti, & præcipuè Sacerdotes, & Prædicatores inter prospera, & adversa firmi debent stare.*

Ingressis Sacerdotibus Iordanem, steterunt aquæ superiores instar montis intumescentes; quæ autem erant inferiores in mare mortuum descenderunt. Vide, quæ mirabilia operatus est Dominus pro filiis Israel, verè magnum miraculum fuit: Sed attende, quod ex hoc inspicit Dominus portantes Arcam, id est Sacerdotes, & Doctores Ecclesiæ, ut inter aquas superiores, & inferiores veluti Cæli stent firmi, nempe inter prospera, & adversa, ne declinent ad dexteram prosperitatum, se erigendo in superbiam; nec ad sinistram adversitatum per pusillanimitatem. *op. de Eccles. Hier. p. 4. c. 5. In Sap. c. 14.*

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

CAPUT IV.

23. *Apostoli portaverunt fidem per totum mundum.*

Et dixit Dominus elige duodecim viros, & præcipe, ut tollant de medio Iordanis duodecim durissimos lapides, &c. Ad quid voluit Dominus, ut duodecim tantùm viri portarent lapides ante Arcam, &c? Vt ædificarent Altare Domini, seu testimonij, scilicet, ut essent in testimonium, & memoriam miraculi de divisione Aquarum Iordanis: Spiritualiter autẽ fuit figura hæc futurorum in tempore legis Evangelicæ, nẽpe electionis factæ à Christo duodecim Apostolorum qui transacto Iordane

per Baptiſmum, tulerunt duodecim lapides, ſcilicet Articulos fidei, & eos per totum mundum tulerunt: Super hos duodecim Eccleſia fundatur. *ſer. 1. in Pentec. & Brevil. p. 5. c. 7. & in Luc. c. 6. v. 13. & in Ioan. c. 6. in fine.*

24. *Fides duodecim Articulorum ſymboli Apoſtolorum diſcernit ſignum inter fidelem, & infidelem.*

Elige duodecim viros, ut tollant duodecim lapides, ut ſint in ſignum, &c. Cur voluit Dominus, ut duodecim lapides eſſent in ſignum miraculi? Voluit per hoc indicare, quod fides duodecim Articulorum ſymboli eſt ſignum diſcretivum inter fidelem, & infidelem, quod ſignum imprimitur in tranſitu Iordanis, ſcilicet in Baptiſmo. *ſerm. 1. in Pentecoſt.*

25. *Fides vera quaecumque gravia reddit levia.*

Praecipe, ut tollant duodecim lapides duriſſimos, & in humeris eos portent, &c. Cur in humeris portare debent iſtos lapides, &c. Vt intelligas, quod per fidei Articulos, ſeu auxilio fidei omnia gravamina fiunt leviora, ſicut levius, & facilius feruntur in humeris omnia onera: per quam portationem fides in Deum melius manifeſtatur: fides enim ſine operibus mortua eſt. *ſer. 1. In Pentec.*

26. *Excellentia Regulae fratrum minorum quanta.*

Vt tollant duodecim lapides, &c. Nota quod myſticè fratres minores ſunt iſti viri à Ioſue electi, quibus praecipitur, ut volentes pertranſire Iordanem, & feſtinare ad terram promiſſionis, eligant ſibi duodecim lapides, id eſt capitola Regulae Evangelica, & Apoſtolica ſententia confirmata ad imitationem duodecim Apoſtolorum. *opuſc. Expoſit. Reg. cap. 1.*

CAPUT V.

27. *Qui vult intrare in terram promiſſionis caleſtem debet prius circumcidi.*

Horum Filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue, &c. Quaeritur, cur iſti in ingreſſu terrae promiſſionis fuerint circumciſi? Textus litteralis notat, hos circumciſos fuiſſe uſque tunc incircumciſos, mortuique erant omnes patres, qui primò à Moyſe circumciſi ſunt: Daturque intelligi nobis, quod, qui vult intrare in terram promiſſionis caeleſtem lacte, & melle manantem; debet prius circumcidere ſe, & expurgari ab omni inquinamento. *ſer. 3. In Circumciſ.*

28. *Principibus deſtinati ſunt ad cuſtodiam Angeli ordinis Poteſtatum.*

Hoc patet in Angelo, qui apparuit Ioſue gladio evaginato, qui erat Princeps exercitus Domini: Iſti enim cum ſint rectè ordinati in ordine ad ſuum principatum, ſic & ipſorum eſt ordinare ſubditos ſibi Principes, & in gradibus praeſidentiae dirigendo eos reformare. *ſerm. de Sanctis Angelis: & ſerm. 1. Dom. 16. poſt Pentec.*

29. *Qui vult lac, & mel gratiae divinae deguſtare, & intrare cum filiis Iſrael in terram promiſſionis, ſolvat calceamentum de pedibus.*

Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Nota hoc dictum eſſe Moyſi, & Ioſue: Illi exiſtenti in ſummitate montis, ubi rubus ardebat: Iſti in ingreſſu terrae promiſſionis poſt tranſitum Iordanis: Cur hoc dictum eſt Ioſue? quia calceamenta pedum facta ſunt de pellibus animalium, mortuorum: ſignificantque opera mortuorum, ſcilicet in peccato exiſtentium, praecipueque carnalitatem, & cupiditatem terrenorum: Iſtaque ſolvenda ſunt de affectibus Animae ingredientis in Terram promiſſionis, ſcilicet ad vitam ſpiritualem: Et in hujus figura multi Sancti leguntur inceſſiſſe diſcalceati: Sic etiam Angeli pinguntur nudis pedibus, ſcilicet liberi ab omnibus his terrenis. *In Ioan. c. 1. v. 27.*

CAPUT VI.

30. *Septem horarum Canonicarum perſolutio quàm Deo chara, & nobis proficua.*

Die ſeptimo diluculo conſurgentes circuierunt Vrbem ſepties. Cur voluit Dominus, ut ad expugnationem Hierico ſepties circuirent Civitatem? Hoc fuit figura perſolutionis ſeptem horarum canonicarum: Nam ſicut numerus ſeptenarius eſt numerus univerſitatis, ſic datur intelligi, quod ex devota perſolutione ſeptem horarum canonicarum mortificatur univerſitas vitiorum, vita ſpiritualis per exercitium virtutum acquiritur, & dona Spiritus Sancti dantur adverſus hoſtes Animae. *Pſal. 118. c. 11. v. 4.*

31. *Mundus cum ſuis pompis cadet in fine mundi ad praeſentiam Chriſti Iudicis.*

Circuite Vrbem ſeptem diebus, &c. Cur voluit hunc circuitum ſeptem dierum Dominus antequam muri hujus Civitatis caderent? Vt praefigeraretur curſus, & exitus hujus mundi ſignificati in Hierico: primò ab Adam uſque ad Noe: Secundò à Noe uſque ad Abraham: Tertiò ab Abraham uſque ad Moyſen: Quartò à Moyſe uſque ad David. Quintò à David uſque ad tranſmigrationem. Sextò à tranſmigratione uſque ad Chriſtum. Septimò à Chriſto uſque ad finem; & tunc clangentibus tubis mundus cadet, & omnia, quae in eo ſunt. *ſer. 2. In Dedicatione Eccleſ.*

32. *Deſolatio impiorum in Iudicio extremo, figurata in deſolatione Hierico.*

Die ſeptimo tollent Sacerdotes ſeptem buccinas, ſeptieſque circuibunt Civitatem, & clangent buccinis, & muri funditus corruent: & interfecerunt à viro uſque ad mulierē, ab infante uſque ad ſenem, boves, oves, & aſinos. Nota myſteriū hujus facti, nobis indicans deſolationem faciendam à myſtico Ioſue, ſcilicet à Chriſto miniſterio ſeptem ordinum Beatorū: Suntque Angeli, Virg. Martyres, Cōfeſſores, Prophetae, Apoſtoli,

Apostoli,& Evangelistæ:Isti septem interficient septē genera hominum:primò viros, scilicet,qui pee potentiam pauperes, & subditos opprimunt : Secundò mulieres, scilicet delicatè viventes : Tertiò Infantes,nempè non fantes in Confessione,& oratione : Quartò senes, idest qui veterem pellem Æthiopis non mutant in vestem novitatis : Quintò boves, idest Ecclesiæ Prælatos computrescentes in stercore malorum operum : Sextò oves, scilicet falsos religiosos : Septimò Asinos, nimirum malos subditos carentes cognitione Dei.*ser.2. In Dedicatione Ecclesiæ.*

33. *Sine charitate, & misericordia in miseros nullus potest salvari.*

Raab verò, & omnia, quæ habuit fecit Iosue vivere, & habitavit in medio Israel. Nota, quod mulier prius rea, & mala, postea benefactrix exploratorum appenso funiculo ad fenestram salvata est:per quod significatur,quod solus habens charitatis latitudinem, extendensque se in operibus misericordiæ salvatur, & qoi in Iudicio inventus fuerit sine isto funiculo,occidetur.*ser.3.in Dedicat.Eccl.*

34. *In Iudicio Christus fulminabit in mundum, & mundanos excommunicationem.*

Sitque Civitas ista anathema, & omnes, qui habitant in ea. Nota, hanc Civitatem figurare mondum, & mundanos, scilicet mundum sequentes: Contra istos Christus Iesus in Iudicio fulminabit maledictionem excommunicationis majoris, à qua in æternum non absolventur.*sermon.2.In Dedicat. Eccles.*

35. *In memoria, & meditatione dominicæ passionis stat salus.*

*Raab verè salvata est, &c. ob signum funiculi coccinei.*Mysticè significatur in hoc funiculo passiò Domini Iesu : qui ergo in fenestra Animæ, scilicet in affectiva ligat memoriam, & meditationem ipsius, salvabitur. *ser.3. In Dedicat.Eccles.*

36. *Quantumcumque quis peccator est devotè recipiens verbum Dei, salvabitur.*

Raab verò,&c. Salvata est. Cur salvata, si meretrix, & mala fœmina erat, & forsan pejor cæteris habitatoribus, & tamen isti occisi sunt ? quia charitativè receperat exploratores, & nuncios Iosue: per quod significatur ; quod peccator quantumcumque magnus recipiens Prædicatores verbi Dei, scilicet verba Dei prædicata in superioribus, collocans ipsa nempe in thesauro memoriæ, salvabitur, cæteris pereuntibus. *serm.2.In Dedicat.Eccl.*

37. *Oratio inter alios plurimos effectus tollit in arduis negotiis difficultates.*

Vociferante populo muri Ierico corruerunt. Quid est vociferante populo ? Ad quid iste clamor?Clamor iste fuit orantium, & Deum laudantium in oratione ad hunc clamorem corruunt muri,& datus est facilis ingressus in Civitatem : Hic enim est effectus orationis peculiaris,tollere scilicet difficultates in arduis negotiis. *opusc.de perfect. religiosa l.2.c.76.*

38. *Christus Iesus venit in hunc mundum maledictum, ut tolleret maledictionem sua misericordia.*

Maledictus vir, qui ædificaverit Civitatem hanc Hierico. Si maledicta fuit hæc Civitas, ob idque à Deo subversa, & maledictus fuit, qui ædificavit denuò eam : Cur Christus *Luc.cap.19.* intravit,& perambulavit in ea ? Perambulare est pluries huc, illucque ambulare cum delectatione : Ergone Iesus delectatur in loco maledicto ? Sed attende, quod Christus Iesus venit in hunc mundum maledictum ; ut maledictionem legis tolleret : Iotravit in Hierico, ut Zachæum converteret : Intravit in hunc mundum, ut sua præsentia ipsum illustraret, ut peccatoribus condescenderet, & peccatores ad se attraheret : pietas enim attrahit miseros, sicut adamas ferrum,sic attraxit Zachæum.*In Luc. cap.19.vers.1.*

39. *Per fidem vivam solam est salus.*

Nota, quod in destructione Hierico muri primò corruerunt, & sola Raab salvata est, quia fidem habuit, & credidit nuntiis Iosue, per quod intelligitur, quod iste mundus est sicut Hierico; quod interpretatur *Luc.5.* subjectus mutabilitati, & desolationi, nec aliquis potest salvari, nisi per fidem vivam : cæteri, qui mundanam conversationem sectantur, damnantur. *In Luc. capit. 19. vers.4.*

40. *Qui Christum in Sacramento devotè suscipit, salutem consequitur : item qui inspirationes Angelorum recipit, & admonitiones Prædicatorum.*

Raab Salvata est. Cur ? quia nuntios Iosue recepit fideliter : Si ergo qui nuntios Christi, scilicet Angelorum, & Prædicatorum verba fideliter suscipit in domum, salvatur, ergo multò magis,qui Christum in hospitio pectoris Sacramentaliter devotè suscipit. *ep. Comp.Theol.l.6.c.17.*

41. *Peccator consuetudinarius sæpè ob maledictionem divinam in fine vitæ obduratus in peccato moritur.*

Ceperuntque Civitatem Hierico, & interfecerunt omnes, &c. Vide effectus peccati : nam sicut habitatores Hierico non voluerunt resistere præ nimia tepiditate, & timiditate, nec fugere, ut non interficerentur ; sic peccatores finaliter existentes in peccati statu, justo Dei judicio puniuntur malo infernalis pœnæ. *sermon. 4. Domin. 12. post Pentecost.*

CAPVT VII.

42. *Avarus à Diabolo possessus, & à Deo veluti excommunicatus.*

Achan tulit aliquid de anathemate. Nota, quod Achan furatus est regulam auream inter spolia Hierico, quæ omnia, ut maledicta Iosue destructa fuerunt incendio Ignis : ideò & excommunicatus

 est,

eſt, & occiſus: Per quod ſignificatus eſt primò Antichriſtus, qui erit ut avariſſimus excommunicatus à Deo: ſignificatur etiam, quod avarus ſubditus eſt Diabolo, & maledictioni divinæ, ideò veluti excommunicatus à Deo rejicitur. *in Luc. c.16.v.11.& ſer.15.Hexaem.*

43. *Non impediens peccatum fratris, potens impedire fit conſors delicti; Sic etiam ſocietas impiorum omnes inficit, etiam bonos.*

Peccavit populus Iſrael, tuleruntque de anathemate. Verè res miranda: nam ſolus Achan peccavit, & totus populus punitus eſt, & dixit Deus, quod peccavit Iſrael? Ergo peccatum unius mali redundavit in totum populum? Item alius eſt, qui peccat, & alius qui vapulat? Sed attende, quod puniti ſunt filij Iſrael propter connexionem, & ſocietatem populi cum hoc impio. *lib.4.d.14.part.2.dub.13.* nempè quia vel non advertetunt, vel non impedierunt, vel non arguerunt, vel non averſati ſunt.

44. *Confeſſarij quomodò ſe gerere debeant cum peccatoribus.*

Fili mi da gloriam Deo Iſrael, & confitere, & indica mihi quid feceris. Vide quali benignitate Ioſue alloquutus fuit cum iſto perverſo, ut diſcant Confeſſarij, quali benignitate tractare debent ſuos pœnitentes, & eis, ut faciliùs peccata confiteantur, proponere militares Confeſſionis. *op. Confeſſarior. cap.1.part.5.*

45. *Seipſum accuſans dat honorem, & gloriam Deo, & proprij vulneris ſanitatem obtinet.*

*Fili mi da gloriam Deo,&c.*Ecce qualiter confeſſio patens peccatorum, & accuſatio ſui valdè honorificat Deum. *In Luc c.17.v.14. & opuſc.Confeſſ. cap.1.p.5. & in Pſal. 118.c.1. v.7.* Item medicinam efficaciſſimam proprij vulneris obtinet. *ferm.2. de Sancto Ambroſ.*

46. *Confeſſio dimidiata non liberat à morte.*

Verè ego peccavi Domino Deo Iſrael, &c. Vide hanc confeſſionem primo aſpectu perfectam: fatetur enim furtum, & in medium profert: & tamen non evaſit ſententiam damnationis: Cur ergo indulgentiam non meruit? quia ejus confeſſio fuit dimidiata: furtum confeſſus eſt, ſed mortem tot aliorum per tale furtum cauſatam non eſt confeſſus: Vt videas, quod confeſſio dimidiata eſt potius confuſio, quàm confeſſio, nec evadere facit à damnatione. *ſer.2.Rogat. & Pſal.118.c.1.v.7. & ſerm.1. de Sancto Ambroſ.*

47. *Avarus damnationi ſubjacet.*

Lapidavitque Achan omnis Iſrael, &c. Cur lapidatus eſt? ob furtum regulæ aureæ: Vt videas, quod avarus cum theſauro pecuniæ theſaurum iræ divinæ pariter cumulat, quarum acerbitas per lapides, quibus lapidatus eſt Achan, ſignificatur. *ſerm.3.Dom.3. poſt oct. Epiphan.*

CAPVT VIII.

48. *Aliquando licet ſimulare.*

Ioſue, & omnis Iſrael ſimulantes metum fugerunt, &c. Ergone licet ſimulare? nonne ſimulatio eſt mendacium ſaltem factis, ſi non verbis? ſed nota quod eſt ſimulatio bona, & mala; bona eſt vel cautelæ, vel inſtructionis; prima in Ioſue, in David, & Ieſu: *1. Regum.17.4. Regum. c.10.* Secunda fuit in Chriſto, quando finxit ſe longius ire, ut ſuos excitaret ad hoſpitalitatem: mala verò eſt in hypocritis, qui exteriùs fingunt ſe bonos, interiùs ſunt pleni malitia: Præterea valdè differunt mendacium in verbo, & in facto: quia factum non eſt inſtitutum ad ſignificandum conceptum mentis, ſicut verba: & hinc qui ad aliud utitur ipſo ſermone, ipſo abutitur, & eſt mendacium, non ſic ſemper ex parte facti. *l.3.d.38.ar.1.q.2.*

49. *Perſeverantia in pugna ſpirituali uſque ad perfectam victoriam ſuadetur.*

Ioſue contra Hai clypeum elevans, tandiu elevavit donec attrita fuit hoſtilis potentia,&c. Vt ex hoc diſcas, quòd ſi non perſeveraveris in pugna contra hoſtes uſque ad perfectam victoriam non coronaberis: ſicut Chriſtus cui dicebant Iudæi, ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, noluit deſcendere, ſed quod cæpit uſque ad finem tenuit, & opus redemptionis humanæ complevit. *ſermon.2. de Sancto Andrea.*

50. *Fides catholica eſt Altare mirificum compoſitum ex credentibus, &c. in quo opera noſtra offeruntur.*

Tunc ædificavit Ioſue altare Domino de lapidibus impolitis, quos ferrum non attigit, & obtulit ſuper eo holocauſta, &c. Cur de lapidibus impolitis, & non potiùs de politis ob majorem decorem, & ornatum ædificavit Altare? Nota myſterium. Hoc Altare eſt fides mirificæ quidem magnitudinis tam in longitudine, quam in latitudine, & profunditate, quia fides attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo latiſſimo ſinu quoquomodò circumducit: Dicitur hoc altare teſtimonij, quia cum conſtituatur tot lapidibus, quot ſunt credentes, teſtimonium perhibet, & quod Dominus ipſe eſt Deus, & de noſtris operibus, quæ ſuper ipſum tanquam holocauſta Deo offerimus, ambulantes non in tenebris, ſed in lumine: Nota etiam quòd dicitur de lapidibus impolitis, ideſt non politis arte, & coloribus rethoricis, ſed vera ſcientia Ieſu Chriſti ait Gloſſa, &c. *ſer.1.Dom.infra octav. Aſcenſ.*

CAPVT IX.

51. *Diabolus, ut decipiat innocentes, ſe transfigurat in Angelum lucis, paulatim inducit in ruinam ſub ſpecie boni.*

Gabaonitæ callidè ſimulato habitu, &c. Nota quod iſti ſimulato habitu, & peregrino deceperunt filios

llos Israel, &c. O quot istis deceptoribus similes ! sic & Diabolus sub specie boni multos decipit, primò verò bona proponit, secundò mixta, tandem falsa bona, sed vera mala: postremò cum illaqueaverit eos insolubiliter, apertè caput venenatum erigit, & in peccata aperta eos deijcit, sic & aliquando viri spirituales fœminas visitant sub specie devotionis, postea sequuntur confabulationes longæ modo de Deo, modo de mutuo amore, de munusculis, tandem sequuntur vera mala, amplexus, tactus manuum, uberum, & similia, &c. & tandem impudica succeduat: fugiamus igitur istas tentationes fraudulentas, & caveamus à principijs maximè. *op. de profect. religios. l.2.c.5.*

52. *Mirabilia, quæ faciunt servi Dei alijs sunt occasio conversionis, alijs invidia.*

Audivimus auribus nostris famam eius, scilicet Dei vestri. Vide quod inter populos, qui audierunt mirabilia à Deo facta pro filijs Israel solum Gabaonitæ arte quadam se humiliaverunt coram ipsis, alij verò in duritia sua permanserunt: sic famæ prodigiorum in mirabilibus, quæ facit Deus per servos suos alijs est occasio credendi, alijs invidiæ, illis in salutem, istis in ruinam ob culpam tamen ipsorum. *in Luc. c.7.v.18.*

53. *Spiritualibus rigor observantiæ imponatur, non carnalibus, alioquin in apertas inobservantias prorumpent.*

Vtres vini novos implevimus, nunc rupti sunt, atque soluti. Nota quod in sacra Scriptura per utres intelligitur mens delectatione vel bona, vel vitiosa plena: sic uter novus significat cor mundum, & novam creaturam per spirituales observantias plenam delectationibus cœlestibus: uter verus veterem creaturam carnalemque; ideò cum sit veluti rupta, soluta, & per malam consuetudinem malis assueta, non statim per rigidas observantias est arctanda, & trahenda ad observantiam vitæ spiritualis, sed paulatim debet manuduci, alioquin vinum effundetur, & utres peribunt. Vult ergo Spiritus Sanctus docere, quod Novitij io servitio Dei vocati sunt benignè tractandi, & hoc ratione nuditatis, & malæ consuetudinis, &c. *in Luc. c.5.v.38. & 39. psal. 118. c.6. v.3.*

CAPUT X.

54. *Obedienti perfectè Deo, creaturæ omnes obediunt.*

Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra Vallem Aialon, steterunt, &c. Nota quod hoc fuit unum ex maximis maximum prodigium à Deo factum pro filijs Israel; in quo plura motiva nostræ fidei assignantur. Inter quæ hoc est valdè notabile: nempè Deum voluisse, ut addisceremus potentiam obedientis Deo, cui omnes creaturæ subijciuntur, & obediunt. *in sap. cap. 16. & op. Eccles. Hierarch. p.3. c.1.*

55. *In suis miraculis Deus vult, ut nota fiat vis mirabilis suæ virtutis, & potentiæ.*

Sol contra Gabaon, &c. Cur voluit Deus, ut sol contra, vel præter cursum suæ naturæ staret? nonne sunt luminaria posita in Cœlo, ut sint in signa naturalia, & tempora? cur prævertit Deus hunc ordinem? Posita quidem sunt in signa naturalia naturalium operationum, voluit tamen, quod etiam aliquando essent in signa eorum, quæ supra naturam eveniunt per aliqua in eis signa supra naturam facta; sic cometæ à Deo aliquando ordinantur tali modo; sic hic sol, & luna steterunt in designationem virtutis mirabilis Dei: in hoc facto enim, & in consimilibus prodigijs divinis præcipuè intendit Deus, ut pateat omnibus sua omnipotentia, & virtus, ut nos ipsos eidem humiliter subijciamur. *In Luc. c. 21. v. 21. & l. 2. d. 14. p. 2. art. 2. q. 3.*

56. *Deus voluntatem timentium se facit, &c.*

Steteruntque Sol, & Luna obediente Deo voci hominis. Ergone Deus subditus est homini? sed quid hoc mirum, nam & Christus se subditum hominibus fecit? Vide ergo quam honorati sunt à Deo eius amici, quia eorum voluntatem facit, quia se veluti subditum ostendit eorum voluntati. *serm. 5. Dom. infra oct. Epiph. & op. Eccles. Hier. p. 3. c. 1.* Sed quomodò potest dici Deus obedire voluntati hominis, si hæc est deficiens, & subjecta erroribus, non sic voluntas Dei? sed respondetur; quod Deus dicitur obedire voci timentium se; qui sunt isti timentes Deum? sunt illi, qui conformitatem habent ad voluntatem Dei, non solùm in ordine ad actum, sed etiam in ordine ad objectum, nempè volunt solum id, quod vult Deus, & eo modo quo vult, scilicet ex charitate Dei: ô felices isti, qui ad quandam participationem beatitudinis, etiam in hac vita perveniunt. *l. 1. d. 48. art. 1. quæst. 1. & 2.*

Conformitas cum voluntate Dei quatis virtus.

57. *In medio bonorum stat Christus faciens perpetuum diem.*

Stetitque Sol in medio Cœli, non festinavit occumbere, &c. Nota quod inter mysteria maxima, quæ relucent in hoc facto, hoc dignissimum est consideratione; iste est Christus, cui à Deo dicitur stet Sol in medio Cœli, scilicet in medio bonorum faciens perpetuum diem: ô felix anima ab hoc sole illuminata! *serm. 1. fer. 3. Pascha.*

58. *Christus ut sol stat in medio Ecclesiæ omnibus communis bonis ad salutem, malis ad iustitiam, & pœnam, pœnitentibus ad remissionem.*

Stetitque sol in medio Cœli, non festinavit occumbere. Nota Sol iste mysticè est Christus Iesus, qui nobiscum est usque ad consummationem sæculi: statque in medio Ecclesiæ omnibus communis, bonis, malis, pœnitentibus, Angelis, & hominibus, omnibusque se offerens: in medio stat ad confortandum per gratiam bonos, ad illuminandum per sapientiam, ad vindicandum per iustitiam, & ad beatificandum per gloriam. *serm. 1. fer. 3. pascha.*

59. *Creaturæ irrationales docent nos obedientiam debitam Deo.*

Stetitque sol obediente Domino voci hominis. Nota mysterium horum verborum, Iosue non præcipit nisi Soli, & Lunæ, non verò Deo, & tamen

 legitur

legitur, quod non solum Sol, & Luna obedivit, sed & Dominus Solis, & Lunæ: ut ex hoc addisceret humo, quod si Sol contra motum suum, sic obedivit Deo, quid sit ipsi faciendum patenter ostendit, nempè obedientiam promptam Deo præstandam: sed quis hodie obedit, immo quis non resistit? hoc autem est retrocedere, & ad vomitum redire. *serm. 1. de uno Doctore.*

60. Christus sol faciens diem animæ ipsamque dirigens inter tenebras huius Mundi.

Stetitque sol, nec fuit postea iam longa dies, &c. O lucida dies, quam fecit Dominus! unde nota, quod iste sol est Christus, & est dies illuminans animam, eamque dirigens in via tenebrarum huius Mundi, ut qui ad ductum huius lucis ambulet, non incidat in tenebras peccati: Infelix igitur est, qui incidit in noctem, scilicet, cui absens fit hæc lux filij Dei: Nox quidem obscura, horrida, tristativa, infrigidativa, timoris inductiva, periculorum absconsiva, incedentium offensiva, & ad pervehiendum, & ad inveniendum quod quæritur impeditiva: O infelix peccator hac luce privatus! *In Ioan. cap. 11. v. 9.*

61. Qualiter vir iustus in oratione sua reddit sibi obedientem Deum.

Obediente Deo voci hominis, &c. Cui voci? Voci orantis, & in Deum confidentis, & Dei voluntati suam conformantis: ex hoc patenter infertur, quod si vir iustus pro aliquo specialiter oret, vel vivo, vel defuncto, Deus voci ipsius obedit, applicando illi fructum orationis. *l. 4. d. 45. art. 2. quæst. 3.*

62. Involuti in libidine subiecti morti æternæ.

Aperite speluncam, & adducite ad me quinque reges, &c. Nota quod isti quinque reges, qui pugnaverunt contra Iosue inclusi fuerunt in spelunca profunda, & deinde adducti ad conspectum Iosue, suspensi fuerunt in patibulo; quid mysterij involvitur in hoc facto? spelunca significat animam in peccato perseverantem, & peccata in se congregantem, tenebrositate obscura est, feritate sordida, algore frigida, bestijs, & insidiantibus inhabitata, quod præcipuè verificatur de involutis in libidinibus, & voluptatibus carnis, quorum quinque reges, scilicet sensus libidini dediti, subjecti sunt suspendio, & Dei severitati. Infelix igitur est illa spelunca, cui lapis superponitur duræ consuetudinis. *in Ioan. c. 11. v. 40.*

63. Potentes huius seculi in iudicio opprimentur à pauperibus.

Ite ponite pedes vestros super colla regum, &c. Cur voluit Iosue, ut sui milites calcarent pedibus colla istorum regum? voluit id Dominus, ut addiscerent, quod potentes huius sæculi opprimentes pauperes, ut sunt mali nobiles, prædones, raptores, oppressores pauperum, pauperes concutientes, interficientur in judicio, & eorum colla à pauperibus conculcabuntur. Vbi igitur erit tunc eorum potentia? *serm. 2. in dedicat. Ecclesiæ.*

CAPUT XI. & XII.

64 Christus triumphavit de omnibus inimicis nostris, &c.

Iosue cæpit, percussit, & occidit omnes reges eorum, &c. Nota, quod triumphus, quem Iosue reportavit de tot regibus, & nationibus, fuit figura triumphi, quem Christus Iesus pro nobis reportavit de omnibus inimicis nostris. *op. principium S. Script. & serm. 14. Hexaem.*

CAPVT XIII.

65. Dominus Iesus constitutus est iudex, ut præmium bonis, pœnam malis conferat.

Et nunc divide terram in possessione novem tribubus, &c. Hoc fuit figura Iesu Christi, qui in judicio dividet pœnam, & præmium malis, & bonis secundum demerita, & merita. *op. principium S. Script. & ser. 14. Hexaem.*

CAPVT XIV.

66 Veri servi Dei à bono proposito non deficiunt sed ambulant de virtute in virtutem.

Hodie octoginta annorum sum sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum terram missus sum. Ita dicebat Caleb; volens exprimere fortitudinem suam immotam, & immutatam etiam tempore senectutis. O felix ille, qui in servitio Dei idem potest verè dicere! nempè sicut Angeli semper conservant vivificam virtutem semper convalescentem, & nonquam deficientem, vel ad antiquationem pertingentem; sic justi à bono proposito non deficiunt, & ab exercitio operum charitatis, imò rauto plus proficiunt in virtutibus, quantò procedunt amplius in diebus; non sic faciunt aliqui, qui in juventute sunt boni, & ferventes, in senectute mali, & tepidi, vel in juventute liberales, in senectute avari, & eo magis, quo ad mortem appropinquant. *op. de Eccles. Hierarch. p. 3. cap. 3.*

67. *Adam ubi sepultus.*

Adam maximus ibi inter Enacim situs est, &c. Quæstio est an loquatur de primo protoparente, an de aliquo alio: Adam enim est nomen commune significans hominem: aliqui voluerunt fuisse quemdam gigantem, alij Abraham: sed communiter dicitur fuisse prinos homo, qui fuit sepultus in Hebron: unde patet esse falsum, quod aliqui dixerunt fuisse sepultum in Calvariæ locum, ubi crucifixus est Christus. *In Ioan. c. 23. v. 33.*

CAPVT

CAPUT XV.

68. *Superbia ariditatem animæ affert, humilitas lachrymas.*

Terram arentem dedisti mihi, junge, & irriguam, &c. Vide quid petierit Axa suo patri: Cur non contenta fuit parte, quæ ei contigerat in sortem? quia erat terra arida à parte montium situata: voluit & terram inferiorem aquis irriguam: ut intelligeremus, quod mons elationis, & superbiæ impedit fœcunditatem animæ, & lachrymarum effusionem: è contra humilitas excitat contritionem, & fletum peccatorum. *op. Diat. sal. sit. 7. c. 3.*

69. *Peccata minima in suis servis à Deo permittuntur ad exercitium humilitatis, & virtutis.*

Et non interfecerunt filij Ephraim Chananeum, qui habitat in Gazer., &c. Cur permisit Deus, ut viverent Chananæi pauci inter filios Israeli: &c. ut intelligeremus, ait Glossa interlinearis, quod Deus in suis servis aliquando permittit paucos hostes, scilicet peccata minima ad exercitium virtutis, & humilitatis. *op. de profect. religios. l. 2. c. 56. & op. comp. Theol. l. 5. c. 36.*

CAPUT XXI.

70. *Qui pacem cum Deo habet, pacem in se, & cum hominibus conservat.*

Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum, &c. Vide quid proficit homini pax cum Deo; nam & ipse Deus tribuit pacem ipsius cum proximo, & in seipso: unde in nativitate Christi annunciata fuit pax hominibus bonæ voluntatis. *in Luc. cap. 2. v. 14.*

CAPUT XXII.

71. *Simplex intentio ad Deum, est necessaria in obsequio Dei.*

Dominus dedit, &c. ut adhæreatis Deo, & serviatis ei in omni corde, &c. Vide ad quid Deus tot bona filijs Israel concesserit: omnia enim vult, ut dirigantur ad ipsi serviendum in simplicitate cordis, & per simplicem intentionem ad ipsum. *in Luc. cap. 1. v. 15.*

CAPUT XXIII.

72. *Deus promittit societatem malorum in pœnam peccatorum nostrorum, & aliquando in exercitium bonorum.*

Si volueritis harum gentium erroribus adhærere, &c. Vide quod Deus permittit inter bonos, etiam malos homines, vel in offendiculum malorum in pœnam peccati, vel ad exercitium bonorum. *serm. 2. Dom. 4. post octavam Epiphaniæ.*



LIBRI



LIBRI JUDICUM
PROLOGUS.

NOTANDUM, quod hic liber, qui ut dicunt communiter sancti fuit conscriptus à Samuel, prosequitur ea, quæ post mortem Josue acciderunt populo Israel; diciturque liber Iudicum, quia Deus gubernavit populum usque ad Saülem per istos Iudices, qui regebant ipsum non per modum imperij, seu dominij, sed per modum ministerij tantum exhortationis, & consilij: Deus enim retinuerat sibi dominium; proponitur autem Iudicum multitudo in hoc libro sibi invicem succedentium, ut præsagirent unum verum Iudicem Christum, potissimè quantum ad triumphum resurrectionis. *op. Principium sacræ Scripturæ & serm. 14. Hexaem.*

CAPUT I.

1. *In arduis consulendus est Deus in oratione: non propria voluntas.*

Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum, quis ascendet ante nos contra Chananæum? Cur congregata multitudine non sibi elegerunt ducem, sed ad Dominum confugierunt? quænam necessitas fuit hæc, ut Deus eis sensibiliter revelaret hoc? sed potius consuluerunt Dominum, scientes quod Deus summè sapiens, & bonus omnibus eum consulentibus de omnibus liquide respondet, & se affabilem, & amicum verum ostendit: & è contra, quod propria voluntas, & proprium consilium lepra est, quam odit Deus, sed si Deus omnibus consulentibus respondet, quid est, quod multi post consultationem errant? quia omnes unde volunt, consulunt Dominum, sed non omnes, quod volunt audiunt. *op. de dono consilij c. 3.*

2. *Ex propria voluntate oritur proprium consilium, & inde omne malum.*

Consuluerunt Dominum. Vide qualem exitum habuit hæc consultatio: nam Deus eos direxit, adivitq; &c. solus enim Deus scit, quod nobis necessarium est, & quod nobis expediat; ideò consilia divina valent ad omnia mala declinanda, & omnia bona consequenda: Et è contra voluntas propria, ex qua oritur consilium proprium, lepra est, quæ Deo valde exosa est, & ex qua omnia mala oriuntur. *op. de dono consilij c. 4.*

3. *Confessio fidei, & peccatum secure triumphat de adversarys.*

Quis ascendet? ascendat Iuda, tradidi enim terram in manu eius. Nota filij Israel consulto Domino audierunt, quod dux ipsorum electus fuit à Deo Iuda, & quod in manu eius esset terra promissa; Cur Iudæ, & non alijs Deus contulit gratiam hanc? ad litteram (ait Glossa) quia ex ipso nasciturus erat Christus; spiritualiter verò Iudas interpretatur confessio, ut intelligeremus, quod verè confitens fidem, & peccata securè pugnat contra adversarios. *in Luc. c. 6. v. 16.*

4. *Accidiæ pessimi effectus maximè in Prælatis.*

Fugit autem Adonibezec, quem comprehenderunt cæsis summitatibus manuum, & pedum. Quid mysterij continet hæc fuga, & captio istius regis Chananæi? Nota, quod Adonibezec interpretatur dominator ægestatis, significatque accidiam, quæ facit hominem ægenum, & inopem: Iste impius captis septuaginta regibus amputavit summitatem manuum, & pedum eorum, qui sub mensa tanquam canes colligebat cibum, &c. idcò & ipsi fuerunt amputatæ summitates manuum, & pedum. Sic accidiosus dicitur habere manuum, & pedum summitatem amputatam, simul cum regibus, id est Prælatis: quia multi Prælati, & religiosi, qui se, & alios deberent regere per vitam, & doctrinam vivunt otiosi. *ep. Diæt. salut. 1. c. 7.*

5. *Per quæ quis peccat, per hæc torquetur.*

Quem comprehenderunt cæsis summitatibus manuum, & pedum. Cur hanc pœnam inflixerunt huic regi, & non potius mortem? quia ipse idem fecerat septuaginta regibus, ut intelligeret, quod per quæ quis peccat, per eadem torquetur, & ex similitudine pœnæ, etiam qualitas suæ culpæ ab ipso cognosceretur. *in sap. c. 11. & op. de profect. religiosi l. 2. c. 56.*

6. *Anima sine humore gratiæ arida est, & sine fructu.*

Axa cum suspirasset dixit, terram arentem dedisti mihi, &c. Cur terra arens appellata fuit hæc terra? quia aquis non irrigabatur; ut hinc addisces, quod anima sine humore gratiæ arida est; ideò Deo Patri eum

cum suspiriis in oratione petenda est. *ser.4. Dom. sexagef. & ser.1. rogat.*

7. *Fluvius lachrymarum irrigat terram animæ, eamque in Paradisum transmutat.*

Axa sedens in Asino suspiravit dicens, terram arentem dedisti &c. Vide quomodò hæc mulier vi suspiriorum, & lachrymarum obtinuit à patre terram, quæ aquis irrigabant; ut videas quod petens cum lachrymis à Deo Patre aquam gratiæ, cam facile obtinet, & reddit animam ex terra arente Paradisum. *in Luc.c.19.v.41.& ser.1.rogat.*

8. *Aqua lachrymarum à Deo humiliter petenda pro benedictione magna.*

Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi, da mihi & irriguam aquis. Nonne sufficiebat regio jam collata, quæ plures civitates divites continebat? nobis datur instructio, quod quantumcumque habeat anima, dum non est irrigata aqua divinæ gratiæ, est arens sine fructu bonarum operationum, & internæ devotionis: ideo à Deo est cum lachrymis petenda, & præcipue effusio lachrymarum, & contritionis, sic enim fœcunda redditur. *ser.1. Dom.sexagesima.*

9. *Humilitate Beata Virgo accepit à Deo Patre diluvium gratiarum.*

Da mihi benedictionem, & dedit ei pater irriguum superius, & inferius. Nota quod hoc fuit typus Mariæ Virginis figuratæ in Axa filia Josue, scilicet Dei Patris; cum enim videret terram arentem animarum, ipsa de hac non contenta, cum lachrymis, & humilitatis profundissimæ exercitio petiit à patre irriguum superius, & inferius, scilicet Christi divinitatem, & humanitatem; item superius in mente, & inferius in ventre: item superius in charitate Dei, inferius in charitate proximi; item superius in contemplatione, inferius in actione: item superius in gloria, inferius in terra; merito ergo benedicta dicitur, quia benedictionem omnium gratiarum suscepit. *op.spec. B.Virgin.lect.15.*

10. *Sola perseverantia pœnitentiæ coronatur in Cœlo cum Angelis.*

Filij autem Cinei ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Iuda in desertum sortis eorum ad meridiem, & habitaverunt ibi &c. Cur notat sacer textus hunc ascensum filiorum Cinei cum filiis Juda in desertum positum ad meridiem? Nota quod Cineus luctus interpretatur, significatque pœnitentem: Judas interpretatur glorificans, & significat Angelos Dei: desertum ad meridiem significat regnum Cœlorum à Christo appellatum desertum *Luc. c.15.* in quo nonaginta oves, idest novem ordines Angelorum sunt: daturque intelligi quod filij Cinei, idest lugentes pro peccatis ascenderunt de civitate palmarum, scilicet cum perseverantia cum Angelis ducentibus in Cœlum: fiduciam ergo habebis cum Angelis ascendendi in Cœlum, si de palma perseverantiæ veneris. *ser.4.in Dom. Palm.*

CAPVT II.

11. *Angelorum societas habetur ab iis, qui proximo compatiuntur.*

Ascendit Angelus ad locum flentium. Cur Angelus ad locum flentium se transfert? ut addiscemus, quod ubi est gratia pietatis, & compassionis ad proximum accurrunt Angeli, gratias suas communicando, & de bonis nostris congratulando. *op.Ecclef.Hierarch.p.1.c.1.*

12. *Angeli custodes increpant nos de peccatis nostris.*

Eduxi vos de terra Ægypti, & non audistis vocem meam; quo audito omnes fleverunt &c. Vide quos effectus peperit in corde filiorum Israel hæc increpatio Angeli, nempe commotionem internam, compunctionem, & lachrymarum effusionem; ut intelligas, quod inter plures effectus custodiæ Angelicæ, hic est nobis valde utilis, scilicet increpatio interna de male actis, & excitatio ad pœnitentiam. *l.2.d.11. art.2. qu.1.ad ult. & op. Comp. Theol. l.2.c.38.*

13. *Ex nostra negligentia solum oritur victoria inimicorum super nos.*

Ideo nolui hostes vestros delere à facie vestra, ut habeatis hostes, & sint nobis in ruinam. Mirum est, quod dixit Angelus filiis Israel: ergone reliquit idololatras, & hostes in medio ipsorum, ut essent eis in ruinam? ergo Deus ad ruinam nostram concurrit, & ad malum? Nota, mirabile, & necessarium documentum pro servientibus Deo: istis enim præcipitur pugna, & maceratio carnis, ut spiritui subjiciatur, quod si fuerit cum negligentia, & torpore nolens delere hostes, qui sibi à Domino sunt subjecti, tunc Deus permittit in pœnam suæ negligentiæ, ut vires reassumant, præcipueque caro, & de ipsis triumphet, ut pet quæ peccaverunt, per hæc & puniantur. *op. de prof. religiof. l.2. c.56.*

14. *Deus permittit in suis servis motus concupiscentiæ ad majus exercitium virtutis.*

Ideo nolui eos delere, ut habeatis hostes inter vos. Vide hic cum justitia admixtam misericordiam maximam Dei: noluit delere omnes hostes filiorum Israel, sed permisit, ut Jebusæus intra terminos eorum lateret, & hoc, ut haberent aditum, & occasionem continui exercitij virtutis: sic & facit Deus cum suis strenuè carnem mortificantibus; permittit enim aliquos motus concupiscentiæ in ipsis ad majus exercitium patientiæ, humilitatis, & virtutis, scilicet ne terra in solitudinem reducatur ob defectum pugnæ. *op. de profeß. religiof.l.2.c.56. & op. comp. Theol.l.5.c.36. & ser.2.Dom.4. post octavam Epiphania.*

15. *Status præsentis vitæ est lachrymarum, & flentium.*

Quod cum Angelus Domini loqueretur hac verba ad omnes filios Israel, elevaverunt vocem suam, & fleverunt, & vocatum est nomen loci illius, locus flentium. Sed cur ob unicum fletum locus ille sortitus est nomen loci flentium? quia in illo loco incessanter fleverunt omnes; sed quis est lo-

 cus

24. *Alij cantant cum Christo alij cum Diabolo.*

Cecineruntque Debora, & Barach &c. Nota, quod non sine mysterio notatur hoc canticum ab his duobus justis alta voce cantatum in honorem Dei: ut sciamus, quod alij cantant cum Christo, alij cum Diabolo: sed differenti modo; qui cantant cum Christo incipiunt ab imo, scilicet per humilitatem, & sursum elevant vocem per contemplationem; qui cum Diabolo ab alto incipiunt per superbiam, & ad imum descendunt. *Psal.* 149.

25. *Prædicatores, & Apostoli Cœli mystici.*

Terra mota est, Cœli, ac nubes distillaverunt aquis &c. Quid est hæc commotio, & cœlorum distillatio? Nota, quod in hoc triumpho de hostibus reportato, facet textus affert commotionem terræ, & distillationem Cœlorum, ut intelligeremus, quod in debellatione hostium Apostoli, & Prædicatores Cœli mystici nunc tonantes minis, nunc pluentes Doctrinis, nunc miraculis coruscantes, sopitorum corda in peccatis commovent. *op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 2.*

26. *Religiosi fervidi in principio, & in teporem declinantes quam Deo exosi.*

Quieverunt semita, & qui ingrediebantur per eas, ambulantes per calles devios. Si semitæ erant tam planæ, quod absque difficultate poterant calcari, cur ambulantes deviaverunt? Nota hoc dicitur de religiosis, qui intrantes in viam Domini planam, & facilem perfectionis, fervidè incipiunt: sed postea in medio tepidi fiunt, & tandem in fine apparent frigidi, & perfidi: O miseri, & infelices &c. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 3.

27. *In via Dei quanta cautela incedendum.*

Et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios. Cur à semitis planis deviaverunt isti ambulantes in via Domini? quia non sufficit ingredi in viâ Dei, sed requiritur cautela prudentiæ, & perseverantia, & qui oppositum facit, deviat, & se præcipitat in maxima mala. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 3.

28. *Obedientia conservat principatum superiorum, inobedientia destruit.*

Cor meum diligit principes Israel: qui voluntariè vos obtulistis discrimini, benedicite Domino. Nota nexum horum verborum; primò dicit Debora, quod ipsa ferventer diligit principes, & per consequens principatum; postea conversa ad subditos obedientes, ipsos invitat ad benedicendum Dominum: cur non etiam invitat ipsos principes? ut per hoc intelligeremus, quod obedientia à subditis exhibita Deo, & Prælatis conservat principatum, sicut inobedientia destruit. *op. Eccles. Hier. p.* 3. *c.* 1.

29. *Stellæ cœlestes sunt, qui pugnant contra Diabolum.*

Stella manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. Quomodò stellæ pugnaverunt stantes in ordine Cœlorum? sed hic loquitur de Angelis, qui pro filiis Israel pugnaverunt &c. Mysticè isti sunt Sancti, qui ordinem morum, & disciplinæ, cursum quoque ferventis, & bonæ vitæ non relinquunt, & sic contra Sisaram, idest contra Diabolum pugnant. *op. spec. B. Virg. lect.* 11. *& ser.* 3. *de Apostolis.*

30. *Stellæ sunt Apostoli, & Sancti.*

Stella manentes &c. Mysticè nomine stellarum veniunt præcipuè Apostoli: primò quia secundùm apparentiam sunt parvæ, scilicet per humilitatem, secundò quia pulchræ ob splendorem, honestatem, & puritatem, quia sibi invicem sunt proximæ, ob idque magis virtuosæ in influendo ob unitatem, & concordiam. *ser.* 2. *&* 3. *de Apostol.*

31. *Iusti in hac vita minimi sunt, & despecti, sed virtute sunt maximi.*

Stella manentes in ordine suo &c. Si manent immutabilitet in ordine suo, quomodò nobis stellæ apparent tam parvæ? hoc evenit ob distantiam maximam: sic etiam viri justi lippos oculos habentibus apparent in hac vita minimi, & despectissimi, & veluti peripsema, purgaturaque pomi vilissimi, sed tamen apud Deum ejus gratia, & virtute, & potentia sunt maximi. *ser.* 2. *de Apostol.*

32. *Iusti per lucem boni exempli sunt stellæ in Cœlo Ecclesiæ.*

Stella manentes in ordine suo &c. Quid est manere in ordine suo? nihil aliud est, nisi quod viri sancti manentes in ordine, & cursu vitæ suæ per bonitatem morum, & bonæ vitæ ornant Ecclesiam. *serm.* 2. *de Apostolis.*

33. *Constantia in adversitatibus affert incorruptibilitatem, & tollit laborem.*

Stella manentes in ordine suo. Vide quomodò stellæ manent perpetuò in ordine suo, quia sunt incorruptibiles, & infatigabiles; sic sunt viri justi, qui per malorum tolerantiam habentes fortitudinem, & patientiam, & constantiam manent non subjecti contrarietatibus, & laboribus, sed ipsis superiores in ordine suo veluti stellæ. *ser.* 3. *de Apostolis.*

34. *Iusti sunt stellæ manentes in ordine suo, non subjecti eclipsi peccati.*

Stella manentes in ordine suo. Quid est manere in ordine suo, nisi semper lucere absque eclipsi? sic viri justi manentes in ordine suo, scilicet in gratia Dei, numquam per peccatum mortale eclipsantur, sed in eo, quod perceperunt, stabiliter permanent, quamvis ligati, verberati, attriti, crucifixi. *ser.* 3. *de Apostolis.*

35. *Sancti per miracula, & virtuosa opera illuminant Ecclesiam.*

Stella manentes in ordine suo pugnarunt adversus Sisaram. Quomodò manentes in Cœlo pugnarunt in terra? Isti sunt Sancti, qui manentes in Cœlo, scilicet refulgentes tot sideribus, quot miraculis, & virtuosis operationibus pugnarunt contra hostes fidei, & illuminaverunt

Cœlum Eccleſiaſticum. *op. Ecclef. Hier. p. 4. c. 2.*

36. *Contemplativus debet removeri à conſideratione rationis, & totus figi in æternis.*

Stellæ manentes &c. Iſti ſunt contemplativi, qui firmi, & conſtantes debent ſublevari ab inveſtigationibus rationis, & totaliter in Deum ferri. *ſer. 10. Hexaem.*

37. *Beata Virgo Maria benedicta omnes ſua benedictione replet.*

Benedicta filia Iabel. Nota hæc fuit figura Mariæ Virginis, quæ Siſatam occidit; ideò dicitur benedicta, quia cum triumphaverit de Diabolo, nobis benedictionem meruit. *in Luc. c. 1. v. 42.*

38. *Beata Virgo Maria triumphans de Diabolo nobis aperuit regnum Cœlorum, & benedictionem Dei.*

Benedicta Iabel inter mulieres, & benedicatur in tabernaculo ſuo. Nota quod priùs appellatur benedicta, & poſtea ſubdit, & benedicatur, ſicut eſt benedicta, cur denuò benedicenda? nota hoc ſolùm propriè poteſt dici de Maria Virgine, quæ inter omnes mulieres fuit benedicta, immunis ab omni maledictione, vetè Siſatam, ideſt Diabolum vicit, & hoc fecit clavo, ſcilicet rigore Diſciplinæ in ſe extinxit, ideò meretur à nobis benedici, quia omnem maledictionem noſtram abſtulit. *op. ſpec. Beatæ Virgin. lect. 15.*

39. *Dilectio Dei rutilare facit animam ſicut Sol.*

Qui diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent. Ecce quod facit dilectio Dei in anima, illuminat enim eam, ut Sol. *Pſal. 118. c. 9. v. 12.*



CAPUT VI.

40. *Caveat audiens Verbum Dei, ne Diabolus auferat in principio fructum.*

Cumque ſeviſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalech, & ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant. Cur hoſtes Iſraël non expectant, ut granum matureſcat, ſed potius ipſum in herbis vaſtant? Nota hoc eſt proprium Diaboli, qui totum ſtudium adhibet, ut principia bonitatis deſtruat; venit ergo ſtatim ac audiſti verbum Dei, ut de corde tuo tollat ipſum, ne credendo ſalvus fias. *in Luc. c. 8. v. 12.* Cave igitur à principio tentationis etiam minimæ, ne poſtea obruaris totus à Diabolo.

41. *Chriſtus nobiſcum eſt in natura, in Euchariſtia, in gratia, & gloria.*

Dominus tecum virorum fortiſſime &c. Hæc dixit Angelus Gedeoni, qui petens ſigna hujus divinæ ſocietatis: quatuor ſigna ei obtulit ſcilicet in rore, in pane, in igne, & in lampade: & fuit figura, quod Chriſtus nobiſcum futurus erat in natura, in Euchariſtia, in gratia, & in gloria. *ſer. 4. in vigilia Nativ.*

42. *Vir juſtus, & ſpiritualis debet toto conatu expurgare à corde omnem carnalitatem.*

Extendit Angelus ſummitatem virgæ. Nota, quod ad contactum virgæ aſcendit ignis de petra, & carnes, azimoſque panes conſumpſit: per quod edocemur, quod vir ſpiritualis cum virga pœnitentiæ quidquid in eo carnalitatis eſt conſumere debet. *Eccleſ. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

43. *Chriſtus miſſus eſt à Patre miſſurus miniſtros ad liberandum hominem.*

Vade, & ſcito, quod miſero te, & liberabis Iſraël. Nota quod per Gedeon ſignificatur Chriſtus, qui miſſus eſt à Patre, ſed ad liberandum hominem miſſurus erat alios ſuos miniſtros. *op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

44. *Mirabilia plura, quæ in Sacramento Euchariſtiæ concurrunt, proponuntur.*

Aſcendit ignis de petra, & carnes, azimoſque panes conſumpſit. Nota, quod in hoc facto voluit Deus præfigurare mirabilia multa de Sacramento Euchariſtiæ; nam in conſumptione panis ſignificabatur conſumptio mirabilis accidentium integra remanente ſubſtantia corporis Chriſti: in petra fidei firmitas: in igne Spiritus Sancti poteſtas: in azimis panibus corporis Chriſti puritas, & immunitas à peccati fermento: ignis ergo de petra ſacrificium conſumit, quando fides firma virtuti Spiritus Sancti totum committit, & virtute Spiritus Sancti concurrentis ad hoc Sacramentum accedimus, credendo ea, quæ ſunt ſupra nos, & naturam. *ſer. 5. in cana Domini.*

45. *Miſſio Spiritus Sancti in Apoſtolos in die Pentecoſtes præfigurata in hoc loco, & quomodò ignis Spiritus Sancti conſervandus.*

Aſcendit ignis de petra. Quomodò de petra ignis aſcendit? hoc fuit in die Pentecoſtes, quando Chriſtus petra myſtica miſit Spiritum Sanctum in Apoſtolos linguis igneis inflammans eos in amore æternorum; & dicitur quod ignis aſcendit, quia nos facit aſcendere: ſed nota quod ignis conſervatur lignorum appoſitione, & augetur, ſic nos ardorem ignis Spiritus Sancti, ſcilicet lignis Crucis Chriſti per devotam, & jugem recordationem conſervare debemus, & nutrire in altari cordis. *ſer. 4. in Pentecoſte, & ſer. 4. in Vigilia Nativitatis.*

46. *Incarnatio Verbi præfigurata in vellere Gedeonis.*

Ponam vellus in area &c. Cur Gedeon voluit per hoc ſignum velleris certificari de libertate populi Iſraëlitici? quia fuit figura Incarnationis Dominicæ, in qua ros divinitatis deſcendit in vellus humanitatis ad liberandum hominem. *ſer. 4. in vigilia Nativit. & ſer. 1. in Nativit. & op. comp. Theol. l. 4. c. 5.*

47. Conceptio

47. *Conceptio Beatæ Virginis immaculata, & sine dolore partus Christi præfigurata.*

Ponam vellus in area &c. Nota quod in isto vellere repleto rore cœlesti præfigurata fuit conceptio Verbi in purissimis visceribus Mariæ, sine opere humano, sed sola virtute Spiritus Sancti, ejusque partus sine dolore: *in Luc. cap.1. v.35. & op. Laus B. Virginis figura. 11. & op. Principium sacra Scriptura.*

48. *Ad ortum Beatæ Virginis benedictio, & gratia super terram infusa.*

Expresso vellere concham rore implevit. Quid est quod de nocte adveniente aurora concha impletur rore? sed per hoc significatur, quod advaniente aurora, scilicet ad ortum Mariæ Virginis ros benedictionis, & gratia incepit Mundi superficiem infundere, & corda credentium adimplere: & ideò qui benedictionibus gratiæ, & gloriæ repleri desiderat, accedat ad auroram, requirat Mariam. *op. Eccles. Hierarch. p.4. cap.7.*

CAPUT VII.

49. *In studio sacræ Scripturæ, & prædicatione, non est miscenda doctrina Philosophorum gentilium nisi raptim, & per transitum.*

Qui lingua lambuerint aquas sicut canes, separabis eos &c. qui curvatis genibus in altera parte erunt &c. Quid est, quod tantum illi, qui more canum lambuerint aquas, apti inventi sunt ad prælium, dimissi verò, ut inepti, qui flexo poplite biberunt? &c. illis verò, qui lambuerunt aquas more canum datæ sunt tubæ, lagenæ ac lucernæ: per hoc datur intelligi, quod Prædicatores, qui de libris Philosophorum lambunt doctrinas ad modum canum, scilicet transeundo, & raptim, sed totam prædicationem stabiliunt in sacra scriptura, soli isti sunt veri prædicatores, & victores, & triumphantes de Diabolo; qui verò flexu poplite totaliter se iocurvant doctrinis rethorum, & Philosophorum, inepti sunt, & in infinitos errores incidunt. *ser. 19. Hexaem.*

50. *Sumptione Eucharistiæ confringitur potestas Diaboli.*

Videbatur mihi, quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & descendere in castra Madian, cumque pervenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subvertit, atque terra funditus coæquavit, & hic est gladius Gedeonis &c. Verè mirum quod panis hordeaceus posset subvertere castra Madianitarum & quod etiam appelletur gladius Gedeonis: quænam proportio inter figuram, & figuratum? At quia hic præfigurabatur Sacramentum Eucharistiæ sub typo panis hordeacei, scilicet quia fuit fructus Passionis Christi; hinc mirum non est, ut appelletur gladius, per quem subversa sunt castra Madian: scilicet vires Diaboli totaliter enervantur. *ser. 4. in vigil. Nativit.*

51. *Indignè sumentes Eucharistiam gravissimè puniuntur à Deo.*

Vidi subcinericium panem, & cum pervenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subvertit, & terræ coæquavit &c. Considera hujus miraculi memoriam in hoc sacramento, quo perversi, & indignè communicantes percutiuntur, subvertuntur, & terræ coæquantur, & hoc per triplicem mortem: primò per mortem spiritualem percutiuntur, subvertuntur per mortem æternalem, & terræ coæquantur per temporalem. *serm. 6. in cœna Domini.*

52. *In Eucharistia omne bonum.*

Vidi subcinericium panem de hordeo &c. Cur voluit Deus præfigurare subversionem Madianitarum ostensione panis, & non potius gladii, ensis? &c. quia panis Eucharisticus est omne bonum: est enim principalior inter cæteros cibos, est virtuosior, est & utilior: Pan enim græcè latinè dicitur omne, quia est cibus, nutrimentum, gladius, manna &c. *in Ioan. collat. 30. & op. comp. Theol. lib. 6. cap. 15.*

53. *Mortificatio sensuum necessaria volenti gustare dulcedinem cælestem.*

Panis hordeaceus apparuit, qui castra Madian subvertit. Nota, quod non sine mysterio iste panis apparuit ex hordeo factus tam efficax, quia significat disciplinæ rigorem, & sensualitatis mortificationem: qui ergo vult castra Madian subvertere: Madian enim interpretatur contradicens, & significat sensus nostros contradicentes spiritui, in quorum medio habitamus, necesse est, per rigorem disciplinæ, & mortificationis horum sensuum, eos enervare, & subvertere; sic enim triumphabit de ipsis, & anima pascetur, & confortabitur deliciis cœlestibus. *ser. 3. Dom. 4. in quadragesima.*

54. *Prælatorum exemplaritas debet præcedere opera subditorum.*

Quod me videtis facere, hoc facite. O digna vere sententia boni Prælati; sciebat enim iste dux, & Iudex populi Israelitici, quod Prælatus debet esse cæteris forma vivendi, sicut qui Geometriam docet, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, ut quod dicit, melius capiatur; hinc dicebat, quod me videritis facere, hoc facite: quod tamen magis competit Prælatis regularibus, qui in omnibus virtutum exemplis, specialiter tamen in his rebus, debent subditos præcedere, scilicet in communis observantiæ conformitate, in mansuetudinis humilitate, & in maturitatis honestate. *op. de sex alis Seraph. cap. 6.*

55. *Mortificatione, & oratione figurantur hostes animæ.*

Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque gladius Domini, & Gedeonis &c. Quodnam mysterium est hoc? voluit enim Dominus, ut hostes fugarentur per tubas sonantes, per confractionem lagenarum, & igne lampadum:

Nota, quod per tubas ſonantes, & per clamorem intelligitur vis orationis; per confractionem lagenarum mortificatio carnis; per ignem lampadum claritas, & puritas animæ: per iſta enim vincuntur hoſtes, & præcipuè oratione, & mortificatione,& confunditur Diabolus. *ſer.4.in vigil. Nativit. & ſer.3.Dom.3. quadrageſima.*

56. *Oratio in terra fit, & ſonus auditur in Cœlo.*

Et dextris ſonantes tubas. Cur ſono tubarum voluit Dominus, ut fugarentur hoſtes? Nota, quòd in tubis orationes ſignificantur. Tuba in fine uno flatum recipit, & in alio reddit ſonum: ſic & orationis flatus in mundo fit, ſed ſonus auditur in Cœlo: magna ergo virtus orationis,quæ effuſa in terris, in Cœlis operatur. *ſerm.3. Dom.2. quadrageſima.*

57. *Remiſſione injuriarum, & perpeſſione malorum purgatur peccatum, & Diabolus vincitur.*

Cumque confregiſſent hydrias, tenuerunt lampades &c. Vide qua arte voluit Dominus, ut filii Iſrael vincerent hoſtes, ſcilicet confractione hydriarum, & conſervatione lampadum, nempè ad confractionem hydriarum remanſit charitas lampadum, & victus eſt Madian: quid eſt hoc? voluit nobis indicare, quod hydrias confringunt, qui non reputant injurias ſed eas contemnunt, lampades conſervant, qui claritatem animæ, & puritatem conſervant; per hocque datur intelligi, quod conſtanti remiſſione, & perpeſſione injuriarum fit purgatio animæ, & habetur victoria de inimicis.*in Ioan.cap.2. v.10. & ſerm.4. in vigilia Nativit.*



CAPUT VIII.

58. *Modeſtia, & benignitas in rebus arduis, & Patientia quàm neceſſaria Prælato.*

Quid tale potui facere? nonne melior eſt racemus Ephraim &c. vindemia Abiezer? Voluit dicere, quòd ex paucis occiſis à tribu Ephraim victoria reportata eſt de inimicis, magis quam ex multis occiſis à Gedeone, qua modeſta reſponſione compeſcuit ſpiritum eorum, quo tumebant: Datorque admonitio maximè neceſſaria Prælatis, quòd modeſtè, maturè, & benignè ad ſingula reſpondeant, & impetum fervoris, & iræ ſubditorum reprimant, ne in voce, aut vultu, ſeu motibus impatientiam oſtendant: tunc enim magis per patientiam, & tandem devincunt, quos importunè agendo amplius provocarent: vix enim commotio commotione ſedatur, & vitium vitio non ſanatur: impatientia enim Prælati confundit, quæ promovere poterat ad bona: provocat enim alios ad impatientiam, teneros mente fugat, & puſillanimes reddit, nec audent ſubditi ei neceſſitatem ſuam aperire, nec audet aliquis eum monere de his,quæ forent emendanda:O quot mala parit impatientia Prælatorum! *opuſc. de ſex alis Seraph. cap.5.*

59. *Chriſtus caput martyrum ſuper omnes alios nec in numero cõmuni computandus.*

Quales fuerunt viri, quos occidiſtis? & reſponderunt, ſimiles tui, & unus ex eis, quaſi filius regis. Nota quod hæc verba aptari poſſunt martyribus pro Chriſto occiſis: quorum caput fuit Chriſtus filius Dei, qui ſuper alios, inter illos non eſt numerandus, eo non pro ſe ipſo, ſed pro nobis voluntariè occiſus fuerit. *in Ioan. collat.54.*

60. *Sanctus Ioannes diſcipulus Chriſti habet quamdam excellentiam ſuper omnes.*

Et reſponderunt,ſimiles tui, & unus ex eis, quaſi filius regis. Nota, quod hoc verbum (*unus*) dicit diſcretionem,& eminentiam ſuper alios:unde eum dicatur, *Ioan. cap.13. Erat recumbens unus ex diſcipulis*: poſſumus dicere, quod inter diſcipulos ſimiles Chriſto Ioannes habuerit ſuper alios quamdam eminentialem prærogativam. *in Ioan. collat.62.*

61. *Vſurpatio actuum, qui ſunt Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum, ſpecies idololatriæ.*

Fecitque ex auro Gedeon Ephod,& poſuit illud in civitate ſua Ephra,& factum eſt Gedeoni,& omni domui ejus in ruinam,fornicatuſque eſt Iſrael in eo &c. Nota, hoc Ephod fuit quoddam tabernaculum, quod fecit Gedeon, & collocavit in domo ſua in honorem, & cultum Domini. *Pſalm.51.* ſed quomodò id dicitur fuiſſe cauſam idololatriæ populi, & in ruinam ſuæ domus? quia voluit transferre cultum Deo debitum in loco à Deo deſtinatum,in domum ſuam, & in hoc peccavit, & fuit occaſio ruinæ ſuæ domus.*ſic Gloſſa hic.*



CAPVT IX.

62. *Antichriſtus erit crudeliſſimus.*

Abimelech occidit omnes fratres ſuos ſeptuaginta viros. Vide qualem crudelitatem exercuit iſte perfidus, ut regnaret ſuper Iſraelem; hic fuit figura Antichriſti, qui erit omnium hominum crudeliſſimus. *ſer.15. Hexaem.*

63. *Peccatores ſunt fratres Diaboli, & à Diabolo jugulantur.*

Abimelech occidit ſeptuaginta viros fratres ſuper lapidem unum. Nota quod per Abimelech ſignificatur Diabolus,qui ob crudelitatem ſuam occidit fratres ſuos, ſcilicet peccatores ſignificatos in ſeptuageſimo numero: ſcilicet per tranſgreſſionem ſeptem vitiorum in decem mandatis, quos jugulat ſuper lapidem, ſcilicet in cordis obdurantione. *ſer.4.Dom.5.poſt Pentecoſt.*

63. *Figuratè loqui in ſcriptura non eſt mendacium ſed myſterioſum.*

Ierunt ligna ad rhamnum &c. Ergone fabulæ proponuntur in ſacra Scriptura, vel potiùs mendacia?

dacia ? scimus enim quod arbores non potuerunt loqui, vel eligere regem ? &c. sed adverte, quod sacta Scriptura in multis transsumptivè, & figurate loquitur, ut non sumantur 'ea, quæ proponuntur pro litterali sensu; sed pro consequente, & secundario, pro quo referuntur; sicque tali pacto proponuntur parabolæ, & aliæ figuræ, ut hic de congregatione arborum, & hoc absque mendacio, hic autem significantur homines stulti, qui absque consideratione eligunt sibi superiorem hominem crudelem, impium &c. *lib. 3. d. 38 art. 1. q. 2. & aliis locis infrà cit.*

64. *Eligendi non sunt in Prælatos, qui propria quieti curam subditorum postponunt.*

Ficus respondit numquid possum deserere dulcedinem meam &c. Ecce quòd in istis verbis datur admonitio electoribus, ne promoveant ad prælaturam illos, qui per se sint boni, humiles, timorati, sed tamen sibimet tantum intenti, qui propriæ quieti curam subditorum postponunt, nec ullum dolorem, vel curam de aliorum malo volunt habere. *op. de sex alis Seraph. c. 3.*

65. *Prælatus videns se non posse proficere ob duritiam subditorum, debet se eximere à prælatura, quod patesit in hac parabola fici.*

Numquid possum deserere dulcedinem meam, ut regnem super ligna sylvarum, idest super homines infructuosos ? *Diat. sal. tit. 2. c. 1.*

66 *Iracundia est ignis devorans omnia bona.*

Egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros libani. Cur de rhamno egrediendus est ignis? quia rhamnus est frutex spinosissimus habens ita duras spinas, quod ad impetum venti emittit scintillas, per quod significatur malum iræ, nam iracundus est veluti rhamnus emittens scintillas spinosissimæ contentionis, devoransque cedros, & potentes hujus sæculi. *op. Diat. sal. tit. 2. c. 5.*

67. *Peccatum mortale est ignis omnia bona devorans.*

Egrediatur ignis de rhamno, &c. Nota, quod rhamnus iste est peccatum mortale, quod ignem à se emittit, & omnia bona consumit, nec potest extingui nisi aqua pœnitentiæ. *serm. t. de S. Laurentio.*

68. *Incautè appropinquans ad mulierem interficitur.*

Abimelech appropinquavit ad turrim, & ecce mulier fragmen molæ desuper caput ejus jaciens confregit caput ejus. Vide in quod malum incidit iste nimis incautus; per quod datur intelligi, quòd incautè appropinquans ad castrum Diaboli, quod est mulier, tentatione percutitur, & interficitur. *op. Diat. sal tit. 1. c. 9.*

69. *Angelorum officium est altos instruere, & dirigere in viam salutis.*

Cui apparuit Angelus, & dixit ecce concipies &c. cave ne bibas vinum &c. oravit itaque Manue, & dixit obsecro Domine, ut mittas Angelum, ut veniat iterum, & doceat nos. Vide quòd Manue non contentus de Instructionibus ab Angelo factis uxori, petit, ut ad se iterum veniat, ut ipsum doceat &c. ex quo disce, quòd potissimum munus Angelorum est docendo, & inducendo vitæ exemplo ad Deum errantes allicere, & convertere. *op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 1.*



CAPUT XIII.

70. *Nomen Dei in anima sanctificatur, si à terrenis rebus se elevat.*

Quid quaris nomen meum, quod est mirabile? Manue interrogabat de nomine Dei repræsentato per Angelum, & ei respondit esse mirabile: quid est mirabile ? *acculium, & sanctum, legit Hebræus,* Quid est occultum, & sanctum ? sed transfer mentem ad illam petitionem Dominicam, *sanctificetur nomen tuum*; ad quid petimus, ut sanctum fiat nomen Dei ? sanctus interpretatur sine terra: *q. d.* sine terra efficiatur nomen tuum in me, quod est nomen mirabile; nempe tunc sanctificatur, & mirabile fit nomen Dei in nobis, cum anima à terrenis expedita extensionibus ignitis se trásfert in Dei experimentalem notitiam, & rubigine amoris proprii consumpta, igne amoris divini levis effecta, pennis affectionum superiùs elevata, & stupefacta admirabilem dulcedinem in hac vita sentit, quam ut advenam priùs ignorabat: O digna, & admirabilis sanctificatio nominis Dei! *op. comp. Theol. myst. cap. 2. p. 2.*

71. *Oblatio Eucharistiæ habet vim in fide Iesu Christi.*

Tulit Manue hædum, & posuit super petram offerens Domino. Cur super petram ? quia fuit figura sacrificii Eucharistici, quod offerri debet in petra, scilicet in fide Iesu Christi. *op. comp. Theol. l. 6. c. 13. & lib. 4. sent. d. 8. p. 1. art. 1. q. 2.*

72. *Vir justus debet ad modum ignis ardere igne dilectionis; & in Deum semper ferri.*

Angelus Domini cum flamma pariter ascendit in Cœlum. Cur iste Angelus cum flamma, quæ oblationem incendit, ascendit in Cœlum ? ut videas, quòd cor justi ad modum Angelorum debet sursum ferri igne dilectionis in corde inhabitantis, & ad Deum omnia intendere. *op. Eccles. Hierarch. p. 1. cap. 1.*



CAPUT XIV.

73. *Ambitio, & persecutiones devastant Ecclesiam Dei.*

Cumque venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus. Vide quòd Samson occidit, & in frusta discerpit hunc leonem vineas depascentem; sed cur in vineis notatur adventus leonis ? quia vinea

vinea significat Ecclesiam: leo significat smbitionem, & persecutiones, quæ supra omnia alia insla destruunt, & damnificant Ecclesiam. *fer. 2. Dominicæ septuagesimæ.*

74. *Religiosus & pœnitentialis status est vinea odorem gratissimum, & fructus optimos gignens.*

Cum venisset ad vineas oppidi, apparuit Leo sævus &c. Nota quod Samson procedens ad vineas, significat quemlibet scedentem ad statum religiosum, vel pœnitentiæ, vel sanctæ vitæ tanquam ad vineam: verè enim vinea florens est, & fructifera, & odore virtutum fragrans; ad hanc vineam depascendam procedunt vulpes, scilicet carnales, delicioſi, & detractores, qui ab ipsa sunt repellendi. *fer. 10. In Pentecost.*

75. *Accedenti ad religionem statim occurrit Diabolus, ut bona opera impediat, sed auxilio Spiritus Sancti vincitur.*

Cumque venisset ad vineas, occurrit Leo sævus, irruit in Samson spiritus Dei &c. Nota hoc prodigium: Samson videns occursum Leonis in ingressu vineæ auxilio spiritus Dei ipsum in frusta discerpsit: Tu ergo homo ad vineam religionis ambulans; si occurrat tibi Leo, scilicet Diabolus, confuge ad Spiritum Sanctum, quo adjutore destrues ejus fraudes, vimque ipsius, & in bono confirmaberis. *fer. 10. In Pentecost.*

76. *Christus figuratus in Samsone, qui triumphavit de Diabolo tentante in deserto.*

Irruit in eum Spiritus Domini, & dilaceravit eum. Nota, hæc fuit figura ingressus Jesu Christi in desertum figuratum in vinea, ubi occurrentem Leonem, & tentantem dilaceravit, auferendo ejus robur, & patefaciendo ejus fraudes. *fer. 10. In Pentec. & fer. 4. Hexaem.*

77. *In divino obsequio faciendo non est à parentibus carnalibus consilium requirendum.*

Ita dictat nobis facet textus hic in Samsone, qui post dilacerationem Leonis, noluit indicare id parentibus: ita Christus, cum in templo remansit, absque eo quod parentes ejus id noscerent. *In Luc. c. 2. v. 3.*

78. *Amaritudo præsentis vitæ per lignum Crucis vertitur nobis in dulcedinem æternæ jucunditatis.*

Ecce examen in ore Leonis erat ac favus mellis. Vide quod Samson post pugnam initam cum Leone invenit cum apibus aculeatis favum mellis: Quodnam mysterium hoc factum nobis indicat? Nota quod Leo est quilibet persecutor, vel turbator proximorum: apes aculeatæ sunt verba pungentia, & turbantia proximos, ea ore inimicorum, & persecutorum procedentia; vult ergo Deus nos edocere, quod qui sustinet in hoc mundo spes, dulcedinem in Cœlo habebit, & quantò plures apes fuerint, tantò plus de melle habebit: Amaritudo ergo præsentis adversitatis per lignum Crucis vertetur nobis in dulcedinem æternæ jocunditatis, Deus enim terrenis felicitatibus amaritudinem admiscet, ne aliqua falsitas quæratur, cujus dulcedo nos fallat. *fer. 4. Dom. 2. post Oct. Pascha.*

79. *Instantia precum, & orationis omnia vincit.*

Uxor Samsonis septem diebus convivij flebat ante eum, tandemque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit problema. Ecce quomodo instantia precum omnia vincit, tam in bono, quam in malo. *In Luc. cap. 10. v. 5.* Disce igitur ô serve Dei, quomodo debeas Deum orare, nempè assiduis orationum studiis, & devotionibus animum tuum exercere, frequens enim oratio vitiorum impugnationem extinguit, & ad omnia valet. *op. de perfectione vitæ. cap. 5.*

CAPUT XV.

80. *Hæretici sunt vulpes Ecclesiam Dei devastantes.*

Cepit Samson trecentas vulpes &c. Nota quòd hoc artificio Samson devastavit segetes Philisthinorum; per istas vulpes, intelliguntur hæretici, quia tortuosi, & subdoli sunt, & ignem habent in caudis, nempe in fine & exitu suorum dogmatum, quo devastant Ecclesiam Dei. *In Luc. cap. 9. v. 58.*

81. *Mali in caudis sunt colligati scilicet ad malum faciendum, sed habent capita, scilicet proprias voluntates ad suam propriam foveam directas.*

Cepitque trecentas vulpes colligavitque caudas earum, quas incendit &c. Vide quo artificio usus est Samson, ut destrueret, & dissiparet segetes Philisthinorum; colligavit in unum caudas earum, in quibus sic colligavit ignem, sed capita erant inter se disjuncta, & sejuncta, ut dum quælibet ad suam foveam contenderet abire, huc, illucque discurrendo incenderunt omnes campos; sic faciunt mali, qui omnes conveniunt in unum adversus Christum, & bonos, sed tamen cum caudis tantùm, scilicet intentione unitis in malum, & spiritibus scilicet mente, & religione, & genere dissentientibus, sicque omnia mala inferunt & sibi, & aliis. *In Luc. cap. 23. v. 12.* Tales fuerunt Herodes, & Pilatus, qui cum essent inimici ad invicem, contra Christum facti sunt amici, sed non ad invicem, sed tantùm contra Christum.

82. *Inter bonos, malos etiam intermiscet diabolus, ut in scandalum sint bonis.*

Cepit trecentas vulpes &c. Nota quod per vulpes discurrentes per segetes, ipsæ segetes consumptæ sunt: sic facit Diabolus qui malos inter bonos intermiscet, ut ipsis sint in scandalum, & præcipuè fraudulentos, ut triticum destruatur; in quo patet quænam sint veræ segetes scilicet prædestinati, qui licet in igne malitiæ perversorum

versorum vivant, tamen non læduntur. *ferm. 2. Dom. 4. post Octavam Epiphania.*

83. *Ex motibus primis sensualibus non prove-nit mors spiritualis animæ.*

Ligaveruntque eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etham. Isti fuerunt Iudæi, qui voluerunt ligare Samsonem duobus funibus, ut eum traderent in manus Philisthinorum ad mitigandam iram eorum ob incendium segetum: Sed ad quid notatur à sacro textu hoc factum? ut mysticè intelligamus, quod Samson (qui interpretatur sol eorum) significat rationem, quæ aliquando ligatur duobus funibus, scilicet motibus primo primis, & motibus primo secundis: primi sunt omninò in parte irrationali, secundi in rationali, sed non cum ratione: his non occiditur anima, sed tantum ligatur aliqualiter. *Psal.* 118. *cap.* 4. *v.* 13. Nota etiam, quod licet hoc ligamine Samson non fuerit traditus in manus Philisthinorum, tamen in hoc incepit eius exitium; sic discere debemus, quàm periculosum sit non resistere primis motibus, & initio tentationum, ne incidamus in extremum exitium.

84. *Virtus fortitudinis augetur oratione, & temperantia.*

Inventam maxillam Asini accipiens interfecit mille viros. Sed quomodò tantam fortitudinem habuit Samson? naturalem, an supernaturalem? naturalem quidem, sed aucta temperantia, & simplicitate, orationeque. *op. comp. Theol. l.* 5. *cap.* 36. & *sup. cap.* 18. Ex hoc intellige quanta, & qualis sit vis orationis, & temperantiæ.



CAPVT XVI.

85. *Christi resurrectio præfigurata in Samsone.*

Dormivitque usque ad medietatem noctis, & tulit portas civitatis, &c. Ecce figura resurrectionis Christi, qui post mediam noctem sabbati, quæ pars spectabat ad Dominicam diem, resurrexit rumpens portas inferni, & mortis: unde tribus diebus dicitur obdormisse non quidem integris. *l.* 3. *d.* 22. *art.* 1. *q.* 3. & *op. Princip. sacra Scriptura*, & *ferm.* 14. *Hexaem.* Nota etiam, quod non totam civitatem infernalem, sed tantum fores, idest eos, qui in lymbo, quasi in foribus erant secum in montem Cœli tulit; ambas quoque fores tulit, quia iustos utriusque sexus secum duxit. *ferm.* 5. *in Pascha*, & *op. comp. Theol. l.* 4. *c.* 23.

86. *Iniqui non valentes viribus decipere iustum, id nituntur dolositatibus.*

Decipe eum, &c. Sic præceperunt Philisthiim mulieri, videntes se non posse prævalere fortitudini Samsonis, nisi fuit eum deceptionibus vincere; sic faciunt iniqui cum iustis, sic & Iudæi cum Christo. *in Luc. c.* 20. *v.* 20.

87. *Caro, & sensualitas multos incautos decipit.*

Decipe eum, &c. Nota quot artificijs, & blanditijs hæc mulier iniqua deceperit Samsonem, ut videas, quod caro, & sensualitas multas animas decipit, si suoibus suis se sinunt ligari. *ferm.* 3. *Dom.* 18 *post Pentec.*

88. *Sensualitas carnis excæcat animam.*

Decipe eum, &c. Sicque deceptus a muliere excæcatus est à Philisthæis, &c. Per quod intellige, quod si ad exemplum Samsonis caput, scilicet rationem miseris in sinum sensualitatis, à Dæmonibus excæcaberis. O quot excæcati ab hac impia, & perfida muliere. *fer.* 4. *Dom.* 12. *post Pentec.* & *ferm.* 3. *Dominica quinquagesima.*

89. *Luxuria septem funibus utitur ad ligandum hominem.*

Si septem nervicets funibus ligatus fuero, infirmus ero. O quam verum dixit Samson; nam luxuria, & sensualitas, ligant hominem septem funibus, scilicet per visum, per verbum, per tactum, per internuntium, per consensum, per actum, per usum, vel etiam ligatur homo per septem vitia capitalia, quæ sunt infirmitates animæ. *ferm.* 1. *Dom.* 10. *post Pentec.*

90. *Christus attritus fuit in mola crucis à Iudæis.*

Eruerunt oculos, & eum molere fecerunt, &c. Quis est iste excæcatus, nisi Iudaicus populus à Dæmone excæcatus, qui suis malignitatibus molentes attriverunt in mola crucis Christum Iesum. *ferm.* 4. *in Cœna Domini.*

91. *Sine gratia nihil possumus facere; cum gratia omnia possumus.*

Rasit septem crines capitis, statimque ab eo fortitudo discessit. Cur voluit Dominus, ut in septem capillis consisteret fortitudo Samsonis? cur non in decem? ut significarentur effectus gratiæ septiformis Spiritus Sancti; per hocque factum datur intelligi, quod sicut Samson capillatus fuit fortissimus: tonsus verò factus est imbecillis, sic nihil potest homo sine gratia, nihilque ita durum, quod non possimus cum gratia: omnia enim possumus in eo, qui nos confortat, patetque in Laurentio, in alijsque sanctis. *ferm.* 2. *Hexaem.* & *ferm.* 14 *ibidem.*

92. *Iustitiam reddens abominabilem per negligentiam expellitur à gloria.*

Cœpit abigere, & à se repellere: sic fecit Dalila cum Samsone. Nota quod Dalila interpretatur situla, vel paupercula: Samson sol eorum, significaturque quod homo deberet sitire iustitiam, sed eam immundam reddens, per negligentiam expellitur à præmio, & exponitur supplicio. *Psal.* 118. *cap.* 1. *v.* 10.

93. *Peccatum debilitat vires ad resistendum tentationibus.*

Statimque ab eo fortitudo discessit. Cur statim? ergo illa fortitudo dependebat à septem capillis debilibus?

debilibus?ſed vide, quid operatur peccatum in anima: ſicut enim arbor læſa per ſecurim, citò à vento deijcitur, ſic ſtatim ac anima amittit gratiam, ſtatim amittit vires, redditurque debilis ad reſiſtendum tentationibus. *op.comp.Theol.l.3.c.7.*

94. *Libido tollit vires animæ, & excæcat oculos animæ: Continentia illuminat, & fortificat.*

Statimque eruerunt oculos eius. Cur excæcaverunt Philiſthæi Samſonem, & non potiùs occiderunt eum? quia hoc permiſit Deus ad inſtructionem noſtram: flecte mentem ad ea, quæ in ſuperioribus dixerat Samſon: *hanc mihi accipe uxorem, quia placuit oculis meis*; quia ut oculos concupiſcentiæ ſatiaret, voluit ſe tradere voluptatibus obſcænis, hinc Deus permiſit, ut ipſi eruerentur oculi; ut intelligeremus, quod libido affectum corrumpit, & ſauciat, intellectum verò obtenebrat, & excæcat: E contra continentia ſanat in anima concupiſcentiæ motum, & ſpiritualem reparat in anima viſionem. *opuſc. Eccleſ. Hierarch. p. 3. cap. 2. & ſerm. 4. Dominicæ quinquageſimæ.*

95. *Fœminarum conſortium quam periculoſum: item & carnalis amor.*

Eruerunt oculos eius, &c. Vide ad quales calamitates redactus eſt Samſon: nam priùs cum eſſet fortiſſimus multas ſæpè hoſtium acies ſtraverat, & aliquoties de vinculis eruperat, confidens de viribus ſuis, liquefactus eſt amore Dalilæ, & defecit anima eius, & uſque ad mortem laſſata eſt, dum nullam ei daret requiem, quouſque plenè cor ſuum ei aperuiſſet, & ſic deceptus, in hoſtium poteſtatem cecidit, qui pro libito ipſum captivarunt, ligaverunt, & excæcaverunt; & tandem ipſo veluti viliſſimo iumento uſi ſunt in vertendo molam: miſer Samſon ſic in ludum expoſitus ſuis hoſtibus in verſutiam unius mulieris: hæc autem omnia ſcripta ſunt in figuram noſtri, & ad correptionem noſtram: O quot homines etiam religioſi per incautas familiaritates mulierum, & è converſo, fuerunt pari modo decepti, & in graviſſima peccata tandem præcipitati. *op. de prof. religioſ. l. 1. cap. 39.* Diſce ergo ô Religioſe, ne vinum amoris ſpiritualis mixtum ſit aqua carnalis affectionis, ne amor, qui in principio videtur bonus mutetur in carnalem. *opuſc. de profeſſ. religioſ. lib. 2. cap. 27.*

96. *Peccator maximè luxurioſus volvendo molam in carcere vivit.*

Et clauſum in carcere molere fecerunt. O infelix Samſon, qui ad tantam miſeriam tua culpa redactus es, ut veluti beſtia molere cogeris in carcere! nonne ſufficiebat miſeria carceris, quod etiam additus eſt ei labor continuus volvendi ſe circa molam? hæc omnia ut dictum eſt, in figura facta ſunt noſtri, & ſcripta ad correptionem noſtram: Vide igitur ô homo ad quales miſerias redigit peccatum, & maximè luxuriæ, nam præcipitat hominem in debilitatem impotentiæ ſuccumbentis pœnis ſibi illatis, in cæcitatem ignorantiæ devianris, reducentis hominem in miſeriam ſtultitiæ, & inſipientiæ, & in pœnalitatem miſeriæ opprimentis: impletur enim multis miſerijs, opprimitur magnis pœnalitatibus, & affligitur diverſis doloribus. *ſerm. 1. Dom. 4. poſt octavam Epiphaniæ. opuſc. de profeſſ. religioſ. lib. 2. cap. 39.*

97. *Avarus molam cum labore volvit in molendino cordis.*

Et clauſum, &c. molere, &c. Vide typum avari in hac calamitate Samſonis: ſicut enim rota in molendino ſemper volvitur, & ſemper in eodem loco invenitur, ſic avarus, eſt enim ſemper miſer, quia ſemper laborat, ne divitias acquirat: miſerabilis, quia cum timore eas cuſtodit: pauper, quia cum dolore eas perdit, & nudus remanet: cæcus, quia nihil aliud aſpicit. *Diat. ſal. tit. 1. cap. 6.*

98. *Homicidium ex Dei imperio eſt licitum, etiam de ſeipſo.*

Moriatur anima mea cum Philiſtijm, &c. Quæſtio eſt valde difficilis, an Samſon peccaverit occidendo ſeipſum? At reſpondetur, quod homicidium eſt malum tantùm, quia prohibitum, unde cum non habeat eſſentialem deordinationem, potuit per divinum imperium ordinari; ſic etiam inſpiravit Samſoni, ut ſeipſum cum Philiſthijm occideret ad ſumendam vindictam de inimicis. *l. 4. diſt. 31. a. 2. q. 1.*

99. *Chriſtus voluntarie mortuus figuratus in Samſonis morte.*

Moriatur anima mea, &c. Id fuit figura Ieſu Chriſti, qui moriens voluntariè hoſtilem proſtravit exercitum. *op. lignum vitæ tit. Ieſus triumphans, & ſerm. 14. Hexaem.*

100. *Sacerdotes ad lucrum reſpicientes reprehenduntur.*

Implevitque unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos. Nota quod Michas de tribu Ephraim conſtituit unum ex filijs ſacerdotem, & dedit ei redditus pingues, ut idolo inſerviret; in quo facto duplex abuſus ſacerdotum notatur, ait Lyranus, ſcilicet faciendo unum ex filijs ſacerdotem, qui non erat de filijs Aaron, ſed de tribu Levi, &c. contra præceptum Domini; in quo datur figura multorum, qui propter avaritiam, aut honorem, aut vanam gloriam, aut alicuius mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris cauſa ad ſui perditionem accedunt ad ordines, vel ad miſſam celebrandam: O quanti hodie accedunt ad ordines ſacros, & divina myſteria accipiunt, non cœleſtem panem, ſed terrenum quærentes, non ſpiritum, ſed lucrum, non Dei honorem, ſed ambitionem ſuam, non Chriſto ſeruire mundo corde, & corpore in ſacris myſterijs, ſed deliciari, ditari, ſuperbire, & luxuriari de patrimonio Chriſti, & de eleemoſyna pauperum, & eccleſiaſticas dignitates ambiendo potiùs capiunt, quam aſſequantur, non vocati à Deo, ſed impulſi à Diabolo, tamquam Dathan, & Abiron *op. de prapar. miſſæ capite 8.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

101. *Perseverantiæ laudes.*

Nolite negligere, nolite cessare, &c. Nota, quod hoc dixerunt quidam filijs Dan, ut eos excitarent ad bellum,& ad pugnandum; daturqoe nobis instructio, quod perseverantia perficit inchoata, nec aliquod imperfectum relinquit, sicut gutta aquæ cavat lapidem continuè cadendo quantumcumque durum.*op.Diat.fal.*tit.8.c.2.

CAPVT XIX.

102. *Velocitas cursus vitæ nostræ ad occasum tendentis meditanda proponitur.*

Considera, quod dies ad occasum declivior sit, & propinquat ad vesperam. Hoc dicebat quidam Bethlemites ad generum suum, ut ipsa à meditato itinere desistere faceret; hoc & dicitur continuè nobis in hac vita viatoribus; considera, ait Deus, quod dies vitæ tuæ ad occasum mortis, & ad vesperam senectutis velocissimè currit, & sic ad judicium præparaberis. *Psal.*118.*cap.*1.*v.*15.

103. *Inhumanitas quoad hospitalitatem Deo exosa.*

Sedebant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio. Notatur hæc inhumanitas habitatorum Gabaa, ex qua postea orta est ruina, & excidium totius civitatis:ut hinc addisceremus quàm Deo sit exosa talis inhumanitas, & quomodò per hanc discernuntur viri spirituales à carnalibus:illi enim ab istis despiciuntur, & deridentur. *in Luc. cap.*9.*v.*53.

CAPVT XX.

104. *Ad bellum iustum quænam requirantur.*

Qui surgentes (scilicet cum exercitu)venerunt in domum Dei, consulueruntque Dominum, &c. Ecce quid fecerunt Israelitæ volentes pugnare contra tribum Beniamin,ut vindicarent gravissimum peccatum ab hac tribu commissum contra Deum, & proximum: consulgerunt priùs ad consulendum Dominum,& ut à Deo intelligerent,quisnam Dux exercitus ab ipso esset designatos. Daturque intelligi quid agendum est ad hoc, ut bellum sit juxta mandata Dei justum: requiritur enim primò, ut concurrat principis auctoritas,& consilium, item justa causa,scilicet ulciscendi injurias maximè Deo illatas; item & intentio recta, scilicet non crudelitatis,aut cupiditatis causa.*op.spec.animæ cap.*1.

105. *Bella à Deo permittuntur ad subversionem malorum, & exercitationem bonorum.*

Egressi filij Beniamin occiderunt de filijs Israel viginti duo millia, &c. Mirum quidem est, quod cum filij Israel ex consilio Domini bellum exercuerint contra impios, tamen Deus permisit, ut prævalerent bis impij in filios Israel, occidendo prima vice viginti duo millia, & altera decem, & octo millia virorum:tandem in tertia vice victores fuerunt: Cur ergo Deus noluit illis dare in principio victoriam, cum bellum gererent justum, & ex consilio divino?respondent Doctores in Glossa, quia cum inter ipsos essent multi iniqui Deus priùs voluit per inimicos suos eos punire: nec id mirum, ait sanctus Bonaventura, quia bella à Deo permittuntur ad subversionem malorum, & ad exercitationem bonorum.*in Luc. cap.*21.*v.*9.

CAPVT XXI.

106. *Iudex, & Princeps instruitur in puniendo delicta.*

Miserunt nuntios ad filios Beniamin,&c. Vide qoid fecerunt filij Israel postquam occiderunt majorem partem tribus Beniamin, qui providerunt sexcentis viris,qui remanserunt vivi, uxores, ne totaliter exterminaretur illa tribus, in quo facto se ostenderunt veri judices, quia ita fuerunt solliciti de punitione malorum, quod ijs, qui remanserant,compatientes,providerent etiam, ne totaliter exterminarentur:Sic Glossa: daturque Iudicibus, & Prælatis intelligentia, ut cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad suam noverint oculos revocare: in correctione igitur benè esse ordinem observandum noveris, ut personam diligas, & vitia persequatis, ne si aliter agere fortasse volueris,transeat in crudelitatem correctio,& perdas quos emendare desideras.*op.Phar.l.*4.*cap.* 39. Imple ergo Christiane Iudex pij patris officium:sic succense iniquitati, ut consulere memineris humanitati.*op. Phar. l.*1.*c.*45.



LIBRI RUTH
PROLOGUS.



N hoc libro agitur de copula maritali inter Booz Israelitam, de civitate Bethlehem, & Ruth alienigenam, & Moabitidem, ex quibus descendit David, & Christus: fuitque figura conjunctionis Christi, & Ecclesiæ degentibus. *op. Principium sacræ Scripturæ, &c.*



CAPUT I.

1. Puritas cordis pulchram animam reddit, & Deo amicam.

Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit, dicebantque mulieres: Hæc est illa Noemi idest pulchra, &c. Nota hæc dicta esse de Noëmi jam uxore Elimelech, & viro viduata, quæ ex peregrinatione reversa est in Bethlehem cum Ruth nutu sua; ad quorum ingressum statim fama per civitatem evulgata de eius pulchritudine, & modestia, &c. per quod significatur, quod puritas, & modestia in mulieribus invenit gratiam apud Deum, & homines. *serm. de S. Elisabeth.*

2. Persequutio domestica Prælatorum, & falsorum Christianorum reddit Ecclesiæ pacem amarissimam.

Ne vocetis me Noëmi, idest pulchram, sed vocate me Mara, idest amaram, quia amaritudine valdè replevit me omnipotens. Ita dicebat Noëmi ob mortem Mariti, & filiorum: sed allegoricè hæc dicuntur ab Ecclesia militante, quæ repletur in corde amaritudine ob discordias internas prælatorum, sacerdotum, & falsorum Christianorum. Triplex enim est persequutio Ecclesiæ: prima amara Tyrannorum in Martyribus; secunda amarior in hæreticis; tertia amarissima in domesticis falsis fratribus. *In Thren. cap. 1. ad finem, & in Psal. 90. & in Luc. cap. 17. v. 22.*

3. Maria amaritudo quanta, & qualis in passione Filij.

Ne vocetis me Noëmi, idest pulchram, sed Mara, idest amaram, &c. Cur? scilicet pro morte duorum filiorum: Hoc dicitur in persona Mariæ Virginis tempore passionis Filij: Erat quidem pulchra per Spiritus Sancti sanctificationem, sed amara per filij sui passionem; tunc enim duo Filii Mariæ mortui sunt scilicet Christus Deus, & homo, & humanum genus: ille corporaliter, istud spiritualiter mentis infidelitate, ut videas, quod Maria Virgo non tantum repleta fuit amaritudine per sui Filij passionem, sed etiam per mortem spiritualem peccati hominis. *op. spec. B. Virgin. lect. 3.*

4. Maria Virgo mare amarum Diabolo.

Ne vocetis me Noëmi sed Mara idest amaram, &c. Quomodò Beata Virgo potest dici amara, si plena fuit omnibus gratijs? quia fuit mare amarum Dæmonibus, à quibus super omnes sanctos metuitur, ita ut ad solam prolationem sui nominis fluunt, & pereunt, sicut cera à facie ignis. *op. spec. B. Virginis lect. 3.*

5. Suffragia mortuis exhibita sunt maximi meriti apud Deum.

Faciat Dominus misericordiam vobiscum, sicut fecistis cum mortuis, & mecum. Hæc dixit Noëmi nuribus suis: Et quia hæc fuit figura Ecclesiæ, hæc ideò dicuntur ab ipsa filijs suis suffragium ferentibus mortuis; sic etiam Tobias mortuos sepeliendo Deum promeruit: est enim magni meriti illos juvare, qui juvare se non possunt, ut illos expeditos à vinculis, postmodum intercessores habeamus in Cœlis. *serm. de Animabus Purgat.*

6. Suffragia mortuis in communi applicata prosunt magis ijs, qui in hac vita promeruerunt, ut prodessent.

Faciat vobiscum misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, & mecum. Cur addit, *& mecum?* sed notanda est doctrina communis Theologorum asserentium, quod suffragia in communi mortuis, & non in speciali applicata, magis prosunt, & ab Ecclesia applicantur ijs, qui in hac vita meruerunt, ut sibi prodessent. *lib. 4. dist. 45. art. 2. quæstione 3.* Hinc dicitur, *& mecum*, scilicet suffragia mortuis exhibita prosunt etiam Ecclesiæ:

Vide

Vide ergo, quod, qui in hac vita magis solicitus est ferre suffragia mortuis, etiam cæteris paribus in alia ab Ecclesia suffragatur magis, quam qui negligens fuit,&c.



CAPUT II.

7. *Humilitas disponit ad gratiam, & protectionem divinam, ut in Beata Virgine.*

Vnde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos. Hoc dixit Ruth pro actione gratiarum à Booz receptarum. Vide ergo quomodò humilitas ad gratiam disponit, & ad protectionem divinam; sicut evenit in hac muliere, sed magis in Beata Virgine Maria, quæ figurata fuit in Ruth. *In Luc. cap.1. vers.38.*

8. *Contemplativus omnia creata relinquens maximus à Deo ditatur præmiis.*

Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti. Nota, quòd hoc fuit dictum à Booz Ruth, eo quod propriam regionem reliquit, & in terram Israel sub cultu Dei veri confugit; per hancque mulierem figuratur contemplativus: Ruth enim interpretatur ovis; vel videns: qui enim relinquit ob contemplationem omnia, & se ad Deum transfert fit ovis Dei propter mititatem affectus, & videns propter illuminationem intellectus, & hæc est plena merces, quæ à Deo datur contemplativis. *In Luc. cap. 6. vers.23.*

9. *Meditatio passionis Christi quanta bona afferat.*

Comede panem, & intinge buccellam in aceto. Sic dixit Booz huic mulieri: sed quale beneficium fuit hoc? solum igitur panem, & acetum offert pro præmio huic sanctæ mulieri? Ita facit Christus dicens unicuique nostrum sume buccellam, & intinge in aceto, idest meditationem tuam in aceto passionis meæ; hæc enim, sicut acetum, exsiccat mala interna animæ, & defendit à morsu veneni peccati. *in Ioan. cap.19. vers.30.* Passio enim Christi meditata affert virtutem patienter sustinendi omnia adversa, nihilque tam durum, quod non æquo animo tolerari faciat: parva enim sunt omnia, si suæ passioni comparantur, quæ patimur. *op.de dono scientiæ cap.4.*

10. *Maria Virgo super omnes mulieres gratiam invenit colligendi spicas peccatorum omnium etiam ab aliis derelictorum.*

Inveni gratiam in oculis Domini mei, &c. Qualem gratiam? quia Booz concessit Ruth, ut colligeret spicas à messoribus relictas in campo; sed quænam gratia fuit, etiam cæteris pauperibus concessa, & communis? imò nemini fuit à Booz concessa, nisi Ruth; idque fuit figura gratiæ Beatæ Mariæ inter tot alias concessæ, cui datum est à Deo, ut sola spicas, idest animas à messoribus derelictas, colligere ad veniam possit: qui sunt autem messores, nisi Doctores, & Rectores; hinc bene figuratur in Ruth, quæ interpretatur videns, vel festinans; verè enim fuit videns in contemplatione, & festinans in actione; Videns enim miseriam nostram festinat ad impendendam suam misericordiam: O verè magna Mariæ gratia, qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à doctoribus, & rectoribus tamquam incorrigibiles relinquuntur! O beata, & pia Maria! tu peccatorem toti mundo despectum, materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies. *opusc.spec. Beatæ Virgin. lect.5.*



CAPUT III.

11. *Mariæ Virginis misericordia nobis exhibita in hac, & alia vita quanta.*

Benedicta es à Domino filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti. Hæc dixit Booz huic mulieri, eo quòd ad ipsum senem ipsa respexit, non ob carnalem affectum, sed ad suscitandam ptolem tantum viri jam defuncti, hanc posteriorem misericordiam vocat majorem quia exhibita mortuo viro, à quo non poterat amplius juvari, sed hæc omnia contingebant in figura, scilicet Mariæ Virginis figurabatur misericordia: Mariæ enim prior misericordia fuit, quam exhibuit, dum viveret in mundo, posterior verò est, quam exhibet nunc in Cælo. *op. spec.B.Virgin. lect.14. & in Luc.c.1.v.42.& comp.Theol.l.4.c.2.*

12. *Idem de Mariæ Virginis misericordia.*

Benedicta es à Domino filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti. Hæc est Beata Virgo, quæ in mundo exercendo misericordiam in miseros fuit pulchra, ut Luna, nunc idem operando in Cælo est electa ut Sol: unde sicut Sol incomparabiliter excedit Lunam, sic hæc misericordia, quam nunc in Cælis exhibet nobis miseris est major, quia magis videt innumerabilem hominum miseriam; & sicut Sol super omnia lucet, sic misericordia Mariæ: oritur enim super bonos, & malos indifferenter omnibus sese exorabilem exhibens, omnibus clementissimam se præbens, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu. *op. spec.B.Virgin.lect.10.*

13. *Benedictio plena datur Virginibus Deo consecratis, &c. & religiosis.*

Benedicta es à Domino filia, quia non es secuta juvenes pauperes, sive divites. Nota hæc verba maximè adaptari Virginibus se Domino consecrantibus, quæ propter amorem Christi, regnum Mundi, & ea, quæ sunt in Mundo contempserunt. Istis omnibus dicitur à Spiritu Sancto, Benedicta es à Domino, noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi faciam tibi, &c. magna utique hæc est promissio. *sermon.4. Domin. Trinitatis.*



LIBRI PRIMI REGUM
PROLOGUS.

NOTANDUM, quod populus Israel post ingressum terræ promissionis habuit triplicem modum gubernationis: Primò enim fuit gubernatus per Iudices, ut dictum est in libro Iudicum; secundò per reges à Saule usque ad captivitatem Babilonicam, de quo agitur in his libris Regum; Tertiò per Pontifices à reditu dictæ captivitatis, & citra: In his igitur quatuor libris Regum agitur de Christo sub figura Regum, cum sit Rex regum, & Dominus dominantium; & quia in primo traditur evacuatio Sacerdotij legalis in depositione Heli, & substitutio novi Sacerdotij in Samuele, qui non fuit de stirpe Aaron, ideò præfigurabatur translatio regni ab Israel ad gentes. In secundo promittitur Christus de semine Davidico nasciturus. In tertio in figura Salomonis præfiguratur Christus, qui est pax nostra, &c. In quarto præfiguratur Christus, ut evacuaturus omnem ritum gentilitatis in interemptione pseudoprophetarum per Eliam, & ut suscitaturus mortuos in Eliseo, ut confecturus Eucharistiæ Sacramentum in pane subcinericio, ut in Cælum ascensurus in translatione Eliæ in curru igneo. *opusc. Principium Sacræ Scripturæ.*



CAPUT I.

1. *Laus Iustorum non solùm à sanctitate vitæ, sed etiam à qualitate loci desumitur aliquando, & à nomine ipsius, & à genere.*

Fuit vir unus de Ramathaimsophim de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Hieroham. Nota, quod stylus Sacræ Scripturæ est desumere laudes virorum dignorum, non solum à Sanctitate vitæ, sed etiam à nomine, à dignitate, à vita, à patria, & à genere; unde hic dicitur quòd iste fuit Elcana de Ramathaim, quæ fuit civitas Samuelis, & etiam Ioseph, qui fuit discipulus Christi. *in Luc. cap. 23. vers. 50. & 51. & in Ioan. cap. 19. vers.* 38. Ex hoc vide, quam exacta sit narratio Sacræ Scripturæ.

2. *Sterilitas corporalis in lege veteri erat ignominiosa: In Evangelica sterilitas solum mentis, & operum.*

Dominus autem concluserat vulvam eius, &c. Id dicitur de Anna uxore Elcanæ, ideò tristis, & afflicta: sed cur affligebantur tunc steriles, nunc autem non sic affliguntur? quia tunc sterilitas erat ignominiosa, & ideò à Deo maledicta; in lege autem Evangelica quæritur solùm fructus bonorum operum, ideò talis sterilitas non est vituperabilis, nisi in sanctitate, & operibus bonis. *lib. 4. d. 33. dub. 1. & in Luc. cap. 1. vers. 25. & cap. 2. vers.* 24.

3. *Qui cum Christo est, non habet unde tristetur, & plangat.*

Anna cur fles? cur affligitur cor tuum? numquid non ego sum melior tibi, quàm decem filij? Nota, quòd ad levandam tristitiam uxoris, hæc dicebat Elcana vir suus: sed mysticè hæc dicuntur in persona Christi animæ contemplativæ, ut intelligeremus, quòd maximè bonum est esse cum Christo, & Christum degustare, & majus bonum, quàm cætera omnia habere, & quòd Christum degustanti nihil est cur doleat, & tristetur. *in Luc. cap. 9. vers.* 33. Ne igitur doleas, si tibi omnia auferuntur, dummodò Christum non perdas.

4. *Oratio cum lachrymis ad Deum fusa omnia impetrat.*

Anna cum esset amaro animo oravit ad Dominum flens largiter, &c. Vide quali medio usa est hæc

hæc mulier, ut à Deo filium obtineret per orationem; nempe orando cum fletu, & lachrymis: nam lachryma inter varios mirabiles effectus à Deo obtinet quidquid vult. *opusc. Diat. sal. titul.7. cap.3.& ser.5. de uno Confessore.*

5. *Magis proprium est mulierum flere, quàm viri.*

Anna cum esset amaro animo orabat flens largiter. Nota, quod de uxore dicitur, quòd flebat largiter, & non legitur de viro, cur hoc? Forsan à muliere ardentiùs optabatur filius, quàm à viro? nequaquam, sed quia mulieres sunt naturaliter magis pronæ ad lachrymas, & magis compassivæ naturæ, ideò etiam magis securè id possunt facere, & liberiùs, quàm viros deceat. *in Luc. cap.23. verf.27.*

6. *Filij à parentibus Deo petendi, sed ipsi etiam offerendi, non Diabolo.*

Dabo eum Domino cunctis diebus vitæ suæ, &c. Sed cur Anna promittis tuum Filium Domino cunctis diebus vitæ ejus? nonne erit in sua libertate, se Deo velle consecrare, vel non? Nota quòd datur instructio parentibus quali cura ab ipsis educari debeant filij? promisit filium nasciturum Domino, quantum esset in sua potestate, nempe promisit educationem, & inductionem ad bonum: sciebat enim, quòd parentes rectè educantes filios, ipsos offerunt Deo per totum tempus vitæ suæ: malè autem educantes, ipsos Diabolo offerunt, & immolant: ô quam miserabile est videre, quòd Deus dedit tibi filios, & tu eos dedisti Diabolo, injustam hæreditatem relinquendo eis, vel in vitio educando. *sermon. 2. fer. Pentecost.*

7. *Christus præfiguratus in Samuele à Sanctis Patribus exoptatus.*

Dederisque servæ tuæ sexum virilem, Dabo eum Domino, &c. Cur sexum virilem postulat? Cur non se conformat voluntati Dei petendo indifferenter filium, vel filiam? quia in vito præfigurabatur Christus venturus, ideò ad adventum Messiæ omnia desideria Sanctorum Patrum rendebant. *in Luc.cap.24.verf.27.* Sexus enim virilis, & non muliebris ob perfectionem figurat Christum. *in Luc.c.1.verf.57. & lib.4.d.25.art.2.q.1.*

8. *Oratio Parentum pro filiis valdè Deo chara.*

Pro puero isto oravi, & dedit mihi petitionem meam, &c. Vide quomodò Deus exaudivit orationem matris orantis pro filio, ut videas, quàm felicitus sit Deus, se ostendere liberalem ad consolationem, & orationem parentum. *in Luc. cap. 7. verf.15.*

9. *Oratio gemebunda magis Deo chara.*

Pro puero isto oravi, & dedit mihi petitionem meam, &c. Oravit Anna ad Dominum, sed qua oratione? mentali, an vocali? Nota, quòd hæc mulier typum tradidit perfectæ orationis: aliquando enim solùm corde, aliquando etiam voce oravit, sed tamen semper cum gemitu, & lachrymis; ut videas, quòd oratio, in qua homo ad gemitum accenditur est magis satisfactoria, & in qua Deus maximè delectatur. *lib.4. d.15. part.2. artic. 2. quæst.3.*

10. *Oratio est medium impetrandi, quod Deus dispofuit concedere.*

Pro puero isto oravi, & dedit mihi petitionem meam. Sed cur orasti? nonne sciebas quòd decretum Dei est immutabile? vel enim disposuit tibi concedere filium, vel non? si scis ad quid oras? si non, erit hæc tua oratio frustratoria: sed tamen caveat à nobis Deus talem blasphemiam: Cum Deus disponit, vel vult aliquid facere, non disponit in omnem eventum, sed præsuppositis congruentibus dispositionibus, inter quas locum præcipuum obtinet oratio: oramus igitur, ut id impetremus, quod Deus disposuit dare per orationes Sanctorum, vel nostras præcedentes. *lib.3. d.17. art 2.quæst.1. ad ult.& l.4.d.45 art.3.quæst.2. ad 11. & opusc.de prof. religiof. lib.2. cap.65. & 66.* Vnde mirum non est, si in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio semper invenimus Sancti principaliter ad orationis subsidium refugisse, quia ibi promptiùs, & faciliùs quod petebant, consecuturi. *op.de profeſſ.religiof.ibidem.*

11. *Triplex modus orandi Deum hic traditur.*

Pro puero isto oravi, &c. & dedit mihi petitionem, &c. Percurre hoc capitulum, & videbis in Anna omnes modos, quibus potest exerceri perfecta oratio, qui ad tria capita reducuntur. Primus modus est vocalis per verba composita, & recitata; sic nos oramus Dominum per psalmos, hymnos, collectas, & alias orationes compositas ad excitandam devotionem, vel solvendum debitum reciramus. Secundus modus est sæpe efficacior per verba proprio affectu formata, ut cum Deo qui familiariter confabulatur verbis suis, vel alterius affectui suo consonantibus, quasi coram Deo præsente cor suum effundens, vel necessitates suas conquerens, vel peccata confitens, misericordiam petens, gratiam, & auxilium implorans contra tentationes, &c. aliquando enim personam Rei coram judice assumens, aliquando personam pauperis, servi, infirmi filij coram Patre medico, &c. Tertius modus est mentalis, cum tacito ore sola mens sua desideria Deo pandit, & affectum cordis Deo effundit, & cum intùs per amorem amplectitur, vel cum reverentia adorat, & hæc oratio est magis propria, cum Deus magis cor, quam oris verba attendat. *opusc.de prof.religiof.l.2. cap.60.61.& 65.*

12. *Qualis oratio securè à Deo exauditur.*

Pro puero isto oravi, & dedit mihi petitionem meam. Cur tam securè exaudita est oratio hujus mulieris, & tam citò? quia conditiones perfectè orantis habuit: sunt autem culpæ remissio per gemitum, & contritionem; fervor, & instantia, perseverantiaque, fidei constantia, humilitas, & aliorum suffragia, &c. *opuscul. de profess. religiof. lib.2.cap.71.*

CAPVT

CAPUT II.

13. *Lætitia in Domino Deo fundata voces laudantes Deum foras emittit.*

Exultavit cor meum in Domino, & exultatum est cor meum in Deo meo, dilatatum est os meum &c. Nota ordinem hujus laudationis, primò enim ponit exultatioonem cordis, deinde laudationem otis, quia, qui in Deo lætatur, fulùmque Deum centrum, & objectum cordis sui præfigit, non potest non exire in laudes vocis Deum magnificantes; sic & Beata Virgo Maria dixit; *Magnificat anima mea Dominum, quia exultavit spiritus meus in Deo salvatore meo. in Luc. cap. 1. v. 47.*

14. *In Deo solo est collocanda spes, & ab ipso solo Sanctitas.*

Non est Sanctus, ut est Dominus &c. & non est fortis sicut Deus noster. Ad quid prædicatur sanctitas, & fortitudo Dei fidelibus? quis est inter fideles, qui nesciat solum Deum esse ipsam sanctitatem, virtutem, & fortitudinem per essentiam; creaturas verò ista habere per participationem tantum? verum quidem est, & hoc nobis notum est; sed hæc verba replicantur sæpè à sanctis, quia valde excitant animam ad confidendum solùm in Deo, & in ipso collocandam omnem spem, diffidendùmque de Mundo, qui est vanus, & fallax, nec aliquid potest extra Deum. *ser. de S. Agata.*

15. *Sine Deo nulla scientia vera, in quo, & à quo omnis recta cognitio.*

Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum est, & ipsi præparantur cogitationes &c. Quænam sunt ista vetera dogmata, quæ vult hæc sancta mulier à Deo edocta, ut removeantur ab ore nostro? Vetera hæc sunt sophisticæ rationes, & philosophicæ argumentationes; sed cur rejiciendæ? nonne & Philosophia adjuvat ut ancilla ad notitiam Theologicarum veritatum? Adjuvant quidem, sed quatenus subjiciuntur doctrinæ fidei Domini Nostri Jesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, quia Deus scientiarum est omnia cognoscens novissima, & antiqua. A Deo igitur præparantur cogitationes, & scientiæ, & ad Deum ordinari debent, tamquam ad proprium fontem rectæ rationis. *ser. 1. Dom. 4. post octav. Epiph. & serm. 1. Dom. 4. Advent.*

16. *Logica Christi ducit ad Christum: Logica Diaboli ducit ad Infernum.*

Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum est. Quænam sunt ista vetera contraria scientiæ Dei? sed nota, quod scientia Dei est secundùm dictamen rationis ducens intellectum ad cognitionem veri, & affectum ad amorem Dei, idque mediante verbo Dei infallibili, & hæc est logica Christi; sed adverte, quod debet esse logica practica, scilicet per assimilationem Deo, & Jesu Christo, qui fuit in cruce medium nos ducens in ejus assimilationem; hæc logica est contraria veteri Diaboli, qua usus est in Paradiso, ubi paralogizavit primum parentem ipsum per sophismata decipiendo, & continuè decipiens homines, quia falsam similitudinem boni pro vera assumunt: nullus enim intendens ad malum, malum operatur. *ser. 1. Hexaem.*

17. *Intentio recta ad Deum necessaria in actibus nostris, ut ipsi placeamus.*

Et ipsi præparantur cogitationes. Quid est præparari cogitationes ipsi Deo? textus Hebræus legit; *& ipsi directa sunt opera*; scilicet qui Deum omnium scientiarum, & cognitionum solum recognoscit, etiam ad Deum omnes actus suos dirigit, & dirigendo præparat locum Deo, ut in corde inhabitet. Adverte igitur ô homo, & omnem curam adhibe, ut intentionem rectam habeas in actibus, nempè ut sit recta propter Deum principaliter, & in ipsum directa, ita ut nihil velis, nihil agas, nihil desideres, nisi Deum, vel propter Deum; quæ intentio cum procedat ab æstu divini amoris calefacientis volentem, & ipsum impellit ad consecutionem æterni finis desiderati operando, & liquefaciendo in Deum dirigit, nec eum sistere, nisi in Deo æterno finit. *op. 7. itiner. æternit. itiner. 1. cap. 3. & seq.*

18. *Intentio recta in Deum omnes vires animæ in Deum dirigit, & opera rectificat.*

Et ipsi præparantur cogitationes. Cur hic tantùm cogitationes in medium proponuntur? cur non etiam affectiones? Nota hic pro cogitationibus intelligit intentionem, *ait Glossa*, quæ ordinat actus potentiæ intellectivæ, per virtutem fidei illustratæ: item & actus potentiæ affectivæ per charitatem, & potentiæ operativæ per spem in Deum: per primam anima fertur per contemplationem separando mentem à terrenis, & creatis rebus; per secundam solùm amando, & desiderando Deum, & per tertiam omnes vires adhibendo in Dei obsequium. *ser. 4. Dom. 14. post Pentecost. & op. Instructio Sacerd. ad Missam.*

19. *Qui in Deo ponit suam spem fortis ex infirmo fit, & omnia superat.*

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Quis est arcus fortium? nihil aliud, nisi tentatio dæmonum, qua nituntur trahere hominem in diffidentiam de divina providentia, & protectione, sicque & in desperationem, per quam postea homo labitur in omnia peccata, & calamitates; sed quando arcus iste superatus est per considerationem divinæ benignitatis semper promptissimæ ad parcendum, & auxiliandum, tunc infirmi resumunt vires, & robore induuntur confidentiæ; & hinc nota rectum ordinem hic positum; nam ex eo quòd qui collocat suam spem in Domino, & ad Deum suam intentionem dirigit, ex infirmo fortis fit indutus virtute ex alto; & è contra, qui in se ipso, vel in Mundo confidit ex forti fit infirmus, & debilis: solus enim [illegible] us est fortis, & à Deo vera fortitudo [illegible] ur. *serm. de S. Agata*, &

& op. Inſtructio Sacerd. ad Miſſam , & ſerm. 1. Dom.4. quadrageſimæ.

20. *Sterilis habens filios plures : & fœcundus carens filiis quis ſit apud Deum: ubi de bono exemplo ſimplicium , & de malo Prædicatorum.*

Donec ſterilis peperit plurimos , & quæ multos habebat filios infirmata eſt. Nota, quod hæc verba videntur contradictoria : ergone ſterilis habet filios plurimos , & fœcunda caret filiis ? ſic , ſic eſt, & ſic apparebit in judicio univerſali : & ſi vis ô homo intelligere hoc ænigma, recurre ad Seraphicum Patrem S. Franciſcum , qui dicere ſolebat : plangendus eſt prædicator tamquam vera pietate privatus , qui vel in prædicatione ſalutem animarum non quærit , vel pravitate vitæ deſtruit, quod ædificat veritate Doctrinæ , præferendus huic eſt frater ſimplex , & elinguis , qui bono exemplo alios provocat ad bonum, hic quidem eſt ſterilis , ſcilicet quia non habet officium generandi in Eccleſia filios per prædicationem : pariet tamen in judicio plurimos ſuis privatis orationibus, & bonis exemplis ; & è contra Prædicator vanus , & loquax , qui multis nunc ſua virtute genitis gaudet , cognoſcet tunc ſe nil proprij habere in eis: ô infelix prædicator , verè apud Deum ſterilis , & præſcitus. *op. legenda S. Franciſci cap.8.*

21. *Sterilis cum Deo ſit fœcundus,& è contra fœcundus ſine Deo ſit ſterilis.*

Donec ſterilis peperit &c. Quis eſt iſte ſterilis habens multos filios ? ille , qui habet Deum , & cum Deo moratur ; qui verò ſine Deo vivit ſterilis fit ; ſic populus Judaicus à Deo deficiens factus eſt ſterilis ; gentilis cum Deo factus fœcundus. *In Ioan.c.11. in fine.*

22. *Eſuriens in hac vita , in altera ſatiabitur : replens ſe in hac vita bonis terrenis , eſuriet in altera.*

Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt , & famelici ſaturati ſunt &c. Qui ſunt iſti , qui repleti ſe locant pro pane obtinendo ? Nota , quod qui in hac vita , pro Chriſto fiunt famelici , eſurientes juſtitiam, & Dei gratiam , in altera vita à Chriſto replebuntur , & ſatiabuntur. E contra qui in hac vita replent ventrem , eſurient in æternum. *in Luc. c. 6. v.20.* Vult dicere , quod qui in hac vita,ſe locant ad obſequium divinum, famelicique fiunt , ſe abſtinentes , & voluntariè patientes pro Chriſto : ab eodem ſatiabuntur in altera vita : ô beati ſervi Dei ; beatique pauperes Chriſti !

23. *Qui ſe humiliat exaltabitur , & qui ſe exaltat humiliabitur.*

Dominus pauperem facit , & ditat ; humiliat , & ſublevat &c. Vide ordinem divinæ diſpoſitionis : qui in hac vita pauperem ſe facit, & humilem à Deo ditabitur , & exaltabitur : E contra qui ſe divitem exaltat , humiliabitur à Deo. *in Luc.c.1.v.52.*

24. *Tribulationes ſunt ſignum dilectionis maximæ Dei.*

Dominus mortificat , & vivificat , deducit ad inferos , & reducit. Quomodò poſſunt iſta contraria verificari ? ſimul triſtari , & lætari ; deſcendere , & aſcendere ; mori , & vivere ? Sed nota quod hic loquitur , de iis , quos Deus in ſocietatem admittit ſuam , ad portandam crucem ; nam in ſignum ſuæ dilectionis dignatur partem oneris ſui eis imponere , eiſque Crucem imponere in humeris , hos mortificando vivificat, & deſcendendo per gradus humilitatis aſcendere facit , per gradus virtutum , ad ſtatus perfectionem , & iſti ſimul cum eo conglorificabuntur. *op. de prof. religioſ.l.2. c.36.*

25. *Mortificatio eſt medicina lavans vulnera peccati.*

Dominus mortificat , & vivificat. Nota quod Deus, eodem actu mortificationis , vulnerat , & ſanat, & curat ; ſed quomodò ? quia ſicut emplaſtrum temperat dolorem vulneris , & Chirurgus vulnere vulnus ſanat ; ſic Deus mortificatione ſanat vulnera luxuriæ, & concupiſcentiæ : felix igitur , & bona eſt mortificatio , & Tribulatio à Deo immiſſa.*op.Diæt. ſal.tit.7.cap.4. & in Pſal. 118.v.161.*

26. *Tribulationum utilitates maximæ.*

Dominus mortificat , & vivificat &c. Vide quomodò adverſa corporis animæ ſunt remedia , ægritudo carnem vulnerat , mentem curat : languor vitia excoquit, vires libidinis frangit. Quarè ſi ô homo exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus etiam eris à numero filiorum : Bonum igitur mihi eſt Domine tribulari dummodo ipſe ſis mecum , quàm regnare ſine te, epulari ſine te, & ſine te gloriari : Bonum mihi in tribulatione magis te amplecti , in camino habere te mecum , quàm eſſe ſine te vel in cœlo. *op.Phar. lib.4.c.48.*

27. *Dominus percutit , ut ſanet , reducit ad inferos , ut ab inferno liberet.*

Dominus mortificat , & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Quid eſt mortificare , & vivificare ? & ſi reducit ad infernum , quomodò poſtea ab inferno liberat ? Nota hoc eſt proprium Dei , percutere ſuos corporaliter , nempè infirmitate , vel damno temporali,& etiam ſpiritualiter timore gehennæ:hic ergo Deus percutit nos ictibus , & ſanat,quia percuſſiones iſtæ ſunt ſanativæ : reducit item ad inferos per conſiderationem , & ab inferno liberat. *ſer.3. Dom.1.poſt octav.Epipha.*

28. *Paupertas medium eſt ditandi hominem.*

Dominus pauperem facit,& ditat. Quid eſt hoc? ergone dum Deus depauperare facit aliquem , ipſum ſpoliando bonis temporalibus,tunc ditabit eum ? maximè : hoc enim eſt privilegium paupertatis voluntariæ , quæ facit homines beatos , reges , & Dominos regni cœleſtis. *in Luc. c. 6. v. 20.*

29. *Paupert*

29. *Pauperes Christi nihil habent in mundo, sed eorum divitiæ in cœlo.*

Dominus pauperem facit, & ditat. Nota hanc conjunctionem paupertatis, & divitiarum, ne putes hic loqui de divitiis hujus mundi: nam pauperes Christi in hoc mundo, nihil habent, sed Regni cœlestis sunt Domini: è contra mali in hoc mundo divites sunt, sed nihil habent in cœlo. *ser. de uno Mart.*

30. *Pauperes Christi verè divites; Divites mundi verè pauperes.*

Dominus pauperem facit, & ditat &c. Vide hanc antithesim: si igitur quis est pauper, quomodò dives? at hoc est privilegium paupertatis Evangelicæ; quæ est nobilis margarita, quæ dum omnia contemnit dominium super omnia accipit: nihil habens, & omnia possidens: nonnè qui omnia spernit, ea suis pedibus subjicit? Econtrà verò avarus dives dum omnia appetit, omnium servus se facit; & ideò nec unquam potest esse contentus, sed semper infelix: ô Beata Paupertas! ô infelix cupiditas! *serm. 2. in cathedra S. Petri.*

31. *Humilitas est scala faciens ascendere in altum.*

Humiliat, & sublevat. Ergone humiliando, & deprimendo, homo in altum sublevatur? maximè; Hoc enim est proprium humilitatis, quæ descendit, ut se sublevet; estque scala brevis, cujus pes est timor, suplicis, supremum amor proximi, latera sunt temperantia in prosperis, & patientia in adversis: est & via brevis, quia cum petat centrum, sic vitat circulum, & faciens diametrum diametraliter pertransit spatium, & rectissimè vertit ad terminum; est & schola brevis, & compendium totius perfectionis: ergo magna gratia est, quando Deus te humiliat, quia humiliando te sublevat. *op. Diat. sal. tit. 7. c. 1. & ser. 3. Dom. 16. post Pent.*

32. *Christus misit Spiritum Sanctum, ut egenos faceret divites.*

Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: Vide quale officium assumpsit verbum Dei incarnatum: nam propter nos venit in hunc mundum, & propter nos ascendit in cœlum, ut mitteret Spiritum Sanctum, ut inter alios mirabiles effectus, verè totius opulentiæ amoveret à nobis omnem indigentiam, replendo donis, & muneribus, ut in nullo egeremus: nos constituendo hæredes, & Principes regni cœlorum; suscitat ergo de terra avaritiæ avarum, & inopem, & erigit de stercore immunditiæ peccatorem, & pauperem, ut opulentatus veris divitiis gratiæ sedeat cum Principibus apostolicis, & solium gloriæ teneat in cœlesti patria: ô magna misericordia Dei nostri! *ser. 3. Dom. 3. post Pascha.*

33. *Gratia Dei hominem de stercore elevat, ad societatem Angelorum.*

Suscitat de pulvere egenum, & de stercore pauperem, ut sedeat cum principibus &c. Quis est, qui suscitatur de pulvere, & stercore? Hic est homo qui per peccatum pulvis est, stercus, & vermis: hic per gratiam elevatur, ad familiaritatem, & societatem Principum cœlestium, scilicet Angelorum; ô qualis, & quanta gratia est hæc, quod de pulvere, & de vermiculis homo restaoretur in motos Hierusalem; hoc autem fit per manum orationum, & bonorum operum. *ser. 1. Dom. 16. post Pentecost.*

34. *Deus ex terra pauperis aurum extrahit.*

Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem. Si Deus de pulvere extrahit pauperem; & elevat, ad quid, & ad quem statum, vel locum? Sed nota quod Christus est veluti Sol, & firmamentum è cœlis in terram radios suarum influentiarum emittens, & sicut Sol in visceribus imis terræ aurum gignit. Sic influens in pulverem; scilicet in pauperem, & humilem, ipsum elevat ad statum aureum cœli, nempè ad secretorum revelationem, ad impenetrabilitatem, ad immortalitatem, ad possessionem hæreditatis æternæ. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 6. & in Luc. c. 13. v. 15.*

35. *Princeps nè se in superbiam erigat, respiciat ad suam originem.*

Suscitat de pulverem &c. ut sedeat cum principibus &c. Cur ad tantam altitudinem evehens Dominus suos, notat eos suscitare de pulvere? nè se in superbiam erigant considerantes suam originem: scilicet se esse pulverem, & stercus quoad originem. *in Luc. c. 8. v. 41.*

36. *In affectionibus animæ stat omne bonum, & omne malum.*

Pedes Sanctorum suorum servabit; & impij in tenebris &c. Cur Deus præcipuè attendit ad servandos pedes Sanctorum suorum, & non potiùs totum corpus vel animam? Pedes sunt, qui portant per viam naturalem totum hominem, ideò per pedes intelliguntur affectiones hominis, quæ movent, & portant ipsum ad bonum, & malum: Hinc præcipua cura Dei in Sanctos suos est, servare hos pedes nè inquinentur per luxuriam, illaqueentur per avaritiam, nè subvertantur per superbiam, sed serventur per sanctimoniam vitæ: *Psal. 118. cap. 7. v. 9.* Hinc Deus mandavit Angelis; ut custodiant nos, nè fortè offendamus ad lapidem pedes nostros. *ser. 1. de Angelis.*

37. *Silentium aliquando signum confusionis, & malitiæ.*

Et impij in tenebris conticescent. Quid est conticescere in tenebris? nonnè silentium laudatur, sæpè in Sacra Scriptura? sed adverte quòd aliquando qnis servat silentium, ex reverentia, vel patientia, vel alio sancto fine, sed in bonis: In malis verò signum est confusionis, & malitiæ cordis, ut evenit in ijs, qui aliquando inveniuntur in flagranti crimine. *in Luc. c. 20. v. 16.*

38. *In judicio fortes impij erunt debiles, & à pauperibus conculcati.*

Nonnè in fortitudine sua roborabitur vir. Quid

Quid eſt hoc ? Nota quia impius licet fortis cum ſupervenict Judicium Dei, omne robur amittit,& à paupere ſuperatur:ſic in judicio colla potentum conculcabuntur à pedibus pauperū.*ſer.2.de dedic. Eccleſ.*

39. *Timor ſervilis proprius præſcitorum, filialis eſt prædeſtinatorum.*

Dominum formidabunt adverſarij ejus, & ſuper ipſos in cœlis tonabit. Cur Deus tonat contra illos, qui formidant Deum? Cur appellantur adverſarij Dei? nonne Beatus eſt qui timet Dominum? ſed adverte quod formido, alia eſt ſervilis, alia filialis, illa reſpicit tantùm ſupplicium, iſta præmium; illa eſt inimicorum, iſta amicorum Dei; ideò ſuper illos, ut adverſarios Deus immittit flagella vindictæ. *Pſal.118.cap.11.v.1.*

40. *Poteſtas Chriſti poteſtas æterna, & univerſalis.*

Dominum formidabunt &c. Dominus judicabit fines: ſublimabit cornu Chriſti. Nota quod per cornu ſignificatur poteſtas Chriſti; ſcilicet ob durabilitatem, quæ æterna eſt, & univerſalis: Hinc Salomon inunctus fuit oleo, extracto ex vaſe corneo: Saül ex oleo, extracto ex vaſe terreo &c. *Luc.c.1.v.69.*

41 *Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum mala vita, quam pernicioſa Reipublicæ.*

Erat autem peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à ſacrificio Domini. Quodnam peccatum erat iſtorum filiorum? Heli ſummi ſacerdotis? quomodò dicuntur retraxiſſe homines à ſacrificio? forſan expellebant illos à templo? minimè, imò optabant frequentiam offerentium; quomodò ergo dicuntur retraxiſſe à ſacrificio Domini? dicuntur retraxiſſe tyrannica poteſtate, & malo exemplo. *in Thren. cap.4.* ſic & SS. Doctores dicunt, quod cum viderent homines in tabernaculo, neque ſacrificia Deo ritè offerri, neque ſua jura hominibus ſervari, eo aſcendere nolebant, atque adeò ſpirituali ſacrificiorum fructu privabantur, imò & ſacrificia deinceps contemnebant; & hinc Textus Chaldæus legit. *Erat autem culpa puerorum, multa nimis ante Dominum; quod ſpreverunt viri oblationes Domini*; hinc dicunt retraxiſſe homines à ſacrificiis; & hinc ſacer Textus eos appellat filios Belial ob triplex peccatum, ſpecialiter. Primò quia auferebant de victimis ea, quæ ſibi non debebantur, & hoc vel rapina vel oppreſſione. Secundò quia adipem accipiebant, antequam hoſtia incenderetur. Tertiò quia mulieribus cauſa Religionis venientibus inferebant violentiam, ſic Gloſſa. Ex quibus intellige, quod propter malam vitam Clericorum, Curatorum, & Prælatorum multi Laici tam de principibus, quàm de vulgaribus retrahuntur à bonis operibus & ad mala dilabuntur. Cum enim Paſtor per abrupta graditur conſequens eſt ut grex ad præcipitium ſequatur. *in Thren.c.4.v. 13. & 14. & cap.1. & opuſ. Pharetr. lib.1.c.12. & c.21. & 22.* Et hæc eſt una ex pernicioſioribus calamitatibus Eccleſiæ Dei; quia multi quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti miniſtri Chriſti ſunt, ſed ſerviunt Antichriſto: honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. *Phar. l. 1. c. 12.*

42. *Obſequium Domino præſtitum à pueritia valde Deo gratum.*

Samuel autem miniſtrabat Domino puer accinctus Ephod lineo. Cur notat hoc miniſterium præſtitum Domino à Samuele dum erat puer? Cur non expectat maturiorem ætatem? ut intelligeremus; quod obſequium Domino præſtitum ab infantia, eſt ei valde charum, & maximè ab anno duodecimo, exemplo Chriſti Domini, quia tunc incipit tempus diſcretionis convertendi ad bonum. *in Luc.cap.2.v.45.* Hinc dicitur, *Thren. 3. Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Mane igitur ſemina ſemen tuum; ſcilicet in pueritia, & adoleſcentia. *ſer.2.in Dom. ſexag.* Nota etiam hic, duxiſſe originem praxim Eccleſiæ, ut Clerici altari ſerviant, induti ephod lineo, ſcilicet ſuper indumento lineo candido, quò ſignificatur qua puritate debeant aſſiſtere divinis, & ſacris miniſteriis. *op. expoſ. miſſæ.*

43. *Deus exoptat à nobis ſervitium ad modum puerorum.*

Samuel accinctus ephod lineo. Cur notatur in hoc obſequio Samuelis pueritia, quæ ætas erat tam immatura? Quia Deus vult obſequium à nobis ad ſimilitudinem puerorum in bono, ſcilicet puritate in carne, ſimplicitate intentionis; amicabilitate in operatione, tractabilitate in converſatione, veracitate in ſermone, docilitate, in cognitione. *in Luc.c.18.v.16. & ſer.4. Dom. inf. octav. nativ*

44. *Parentes non impediant Filios, ut Domino obediant, ejuſque cultui ſe dedicent.*

Abiit Elcana in domum ſuam: Samuel autem erat miniſter in conſpectu Domini. Vide quod Parentes Samuelem licet chariſſimum, reliquerunt in Silo, ut miniſtraret Domino. Per quod datur intelligi, quod Patres non debent impedire filios, quando vocantur à Domino ad ſtatum Religionis, & quod filij ut Deo obediant, debent relinquere Patrem, & Matrem. Reſp. Hinc enim licet parvulus ex collo pendeat, nepos licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine Pater jaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum Crucis evola, ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. *in Luc.c.2.v.42. & 45.*

45. *Benedicuntur parentes in filio, & pro filio ob conceptionem, & ob bonam educationem.*

Heli benedixit Elcanæ, & uxori; ſcilicet pro Samuele. Vide hic quod non tantùm ex conceptione, ſed magis ex bona educatione filiorum benedictio Domini deſcendit in parentes; ſic & Simeon benedixit Mariæ & Joſeph. *in Luc. c.2.v.34.*

46. *Prælati non ſeverè corrigentes ſubditos peccantes damnati.*

Heli erat ſenex, & audivit omnia, quæ faciebant

bant filij, &c. & dixit eis quarè facitis hujuscemodi. &c. Nolite filij mei. &c. Conveniunt Doctores in Glossa, quod Heli damnatus sit ob peccata filiorum; sed cur damnatus? nonne eos corripuit his verbis? Corripuit quidem, sed non severitate Judicis; erat enim summus Pontifex, sed negligenter, & verbis pacificis, dicens quare facitis, nolite facere? Hocque vitium est in pluribus superioribus, & Prælatis inferiores non corrigentibus, idcirco æternæ damnationi subjiciuntur. *ser. in festo S. Elisabeth. sic & Glossa.*

47. *Filij non obedientes Patribus à Deo severe puniuntur.*

Et non audierunt vocem Patris sui, quia voluit dominus occidere eos. Pater igitur ex exemplo istorum filiorum impiorum, qualiter à Deo severè, puniunt inobedientes, & contumaces Parentibus. *ser. 5. in op. de decem præcep. & l. 4. d. 38 dub. 8. & in Ecclen. c. 7.*

48. *Peccatum aliquando pœna peccati.*

Et non audierunt vocem Patris sui. Cur non audierunt quia volebat Deus eos occidere. Sed cur hoc? Deus igitur ut ipsos reservaret, ad punitionem, & pœnam suis causa cur non obedirent, minime: Sed ex hoc disce, quod aliquando tanta est malitia in aliquo peccato, quod in pœnam ipsam Deus permittit, ut peccator in aliud incidat, ex quo postea in profundum cadat in manus Domini, ut patet hic in his perversis filiis. *In Eccles. cap. 7. & l. 2. d. 36. a. 2. q. 2. & a. 3. q. 2.*

49. *Educatio filiorum in quonam consistit.*

Puer autem proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus. Ecce in quibusnam consistit bona educatio filiorum, scilicet in hoc, quod proficiant non solùm in corpore crescendo, sed & in virtute, In mente, & religiositate in conversatione, isti autem sic crescentes inveniunt benedictionem Dei, & hominum. *In Luc. c. 1. v. 80.* Principaliter autem ostenditur circa cultum majestatis per subjectionem Creatori: circa studium veritatis per subjectionem magistro, & per officium pietatis in ordine ad Parentes. *in Luc. c. 2. v. 40. & 52.*

50. *Prælati mali cum Ecclesiæ præficiuntur, sunt hostes, & prædones Ecclesiæ.*

Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi, ut offerrentur in templo &c. Nota hanc Phrasim S. Scripturæ; nam reprehendens Deus Heli, & filios protestatur quod ipsi calce abjecerunt victimas, ad modum hostium, infidelium, & bestiarum, & tamen non legitur, quod pedibus abjecerint, vel conculcaverint victimas Deo oblatas? Sed optimè loquitur sacer Textus, quia dum mali Ecclesiæ præficiuntur, tunc Ecclesia repletur hostibus, & prædonibus, qui ipsam fœdant luxuriis, avaritia, & aliis fœditatibus: ô infelix illa Ecclesia tali Prælato fœdata! *In Thren. cap. 1.*

51. *Prælati Deum glorificantes in suo ministerio, à Deo glorificantur: Deum contemnentes, contemnuntur à Deo.*

Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contempserit me, ignobiles erunt. Legunt 70. *honore privabuntur.* Legit Hebræus, *contemnentur à me.* Hæc dixit Deus Heli Sacerdoti &c. ut intelligamus quali præmio afficiantur à Deo Prælati, rectè exercentes munus suum, & quali pœna afficiantur contemnentes Dei servitium: Glorificatur ergò à Deo Prælatus, & justus quantum ad se ipsum per communicationem Sanctitatis, & donorum cœlestium: quantum ad proximum honore afficitur, & coronatur quantum ad præmium in cœlo. *ser. 2. de uno mart. & in sap. c. 15.*

52. *Deum contemnentes ignobiles fiunt.*

Qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Cur ignobiles? Nonnè sunt multi mali nobiles, nec amittunt nobilitatem. Ignobiles quia filij fiunt Diaboli, & quæ major ignobilitas, quàm filiatio Diaboli. *ser. 4. Dom. Palm. & ser. 3. Dom. 12. post Pentec.* Erunt ignobiles scilicet, quia æterna beatitudine carebunt. *in Sap. c. 3. in fine & in Luc. c. 9. v. 26. & c. 12. v. 9. & in Ioan. c. 5. v. 23.*

CAPUT III.

53. *Deficientia prædicationis Verbi Dei maximum flagellum Dei.*

Puer autem Samuel ministrabat Domino, coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in illis diebus, non erat visio manifesta. Quid est quod sermo Domini erat tunc pretiosus? Nonnè semper in Ecclesia Dei fuit pretiosa prædicatio verbi Dei? Patres legunt in Glossa. *Sermo Domini erat rarus*; quia rari erant Prophetæ prædicantes verbum Dei; sed cur in illo tempore erat tanta raritas? Jam supra dictum est, quod Templum Domini, erat prophanatum à Sacerdotibus; & pauci erant frequentantes loca sacra. Ut intelligas quod aliquando Dominus facit linguam Doctorum inhærere palato propter peccata auditorum. *ser. 1. Hexaem.* Signum est patens maledictionis divinæ in populos, quandò privantur prædicatione, vel quando non percipitur fructus ex prædicatione. *op. Eccles. Hier p. 4. c. 1.*

54. *Debilitas visus in oculis signum est senectutis, & mortis vicinæ.*

Heli jacebat in loco suo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre. Nota boc maximum fuit signum senectutis, & mortis vicinæ, ideo, *in Eccles. cap. 12.* dicitur, *memento Creatoris tui, antequam tenebrescat Sol, & tenebrescant videntes per foramina*, scilicet oculi caligent &c. *in Eccles. cap. 12.*

55. *Invidus à luce bonorum aliorum excæcatur.*

Nec poterat videre &c. Nota quod iste est in-

vidus,similis noctuæ, quæ de nocte videt, de die excæcatur : sic invidus à luce boooıum proximi excæcatur, videtque tantùm in nocte,scilicet, ut insidietur prava suspicione, & mordeat proximum. *opusc.Diet.salu.tit.1.c.4.*

56. *Verus obediens libenter audit præcipientem, & exequitur prompte.*

Loquere Domine , quia audit servus tuus. Ecce norma veri obedientis, qui aures attentas retinet ad audiendum, & promptè exequitur mandatum. *Psal.118.c.3.v.6. & ser. 1. de uno doct. & ser.4. de una. S.Virg.*

57. *Ex signis exterioribus : Cognoscitur sanctitas hominis.* Sic Israeliticus populus cognovit, quod Samuel erat verus Propheta domini. *in Luc.c.1.v.22.*

58. Revelationes aliquandò fiunt per vocem in vigilia ; ut factum est cum Samuele ; aliquando in somnis. *op.de prof.religios.l.2.c.76.*



CAPUT IV.

59. *In tempore necessitatum laudabiliter exponitur in publicum venerabile Sacramentum Eucharistia ad divinum auxilium obtinendum.*

Quare percussit nos Dominus hodie &c. Afferamus ad nos arcam de Silò , & veniat in medium nostri, ut salvet nos. &c. Cur post cædem Judæorum factam à Philisthiim voluerunt de Silò adducere arcam ad medium exercitus , confidentes de protectione Dei , sicuti alias experti fuerant , de præsentiam illius areæ Sanctæ ? Nota,quod Arca hæc mysticè figurabat corpus Christi in Eucharistia , in quo est divinitas , quam valdè timent dæmones *ser.2.Dom.3. Advent.* Hinc in Ecclesia est consuetudo pia,& sancta in publicum exponere tempore alicujus necessitatis ad impetrandam divinam assisteotiam. *Ita Carthusianus.*

60. *Dæmones timent præsentiam Eucharistiæ.*

Venit Deus in castra , & ingemuerunt dicentes væ nobis. &c. Philisthiim audientes , quod arca Dei in medio exercitus erat ingemuerunt. &c. Per quod datur intelligi ; quod Philisthiim scilicet dæmones valde timent præsentiam Eucharistiæ , & fugiunt ab ea vires amittendo. *serm. 2. Dom. 3. & 4. Advent. & op. comp. Teolog. lib. 4.c.24.*

61. *Pœnitentia falsa Deo exosa.*

Venit Deus in Castra, & ingemuerunt &c. Sed si Philisthiim ingemuerunt , expavescentes , cur postea voluerunt pugnare denuò contra filios Israel ? quia hæc in Judæis fuit pœnitentia falsa, quæ fuit tantùm formidine pœnæ , & ideò non profuit illis : Talis fuit pœnitentia Judæ , & eorum , qui absque dolore culpæ de pœna taotùm cogitant. *In sap. c.5. & l.4.d.50.p.1. a.1. q.1.* Intellige ex hoc , quod institutio orationis , & expositio Sanctissimi Sacramenti parum tibi proderit, si non emendes vitam , & pœnitentiam agas de peccatis ; ut patet ex sequenti consideratione.

62. *Irreverentia ad Eucharistiam , & defectus bonorum operum aufert fructum expositionis Eucharistiæ , & processionum , quæ ad bonum universale fiunt.*

Pugnaverunt Philisthiim , & cæsus est Israel , & arca Dei capta est &c. Mirum est quomodò Deus permiserit, ut filij Israel à Philisthæis cæderentur, & quod fieret , à Philisthiim præda arcæ sacrosanctæ in qua , & ob quam tantùm confidebant ? Nonnè cum maxima reverentia collocata fuit arca in medio exercitus tanquam arx tutissima ? Nonnè ad eam oblationes publicæ factæ sunt ? quomodò ergo Deus , eorum spem frustratam reddidit ? Jam dictum est per Arcam, in qua erat manna , Urna , & Lex , significari Sacramentum Eucharistiæ , in quo est corpus, anima , & divinitas Christi nobis præsens: sic. *ser. 2. Dom. 3. & 4. Advent.* Sed quid mysterij nobis proponitur in hac occisione Israelitarum. &c. Beatus Carthusianus ad rem quod per hoc significatur , id quod sæpè evenit in Ecclesia : nempè quia sæpè instituuntur processiones publicæ , in quibus defertur Sacramentum Eucharistiæ, expositum populo tempore alicujus periculi imminentis,vel calamitatis præsentis ; sed quia homines non emendant suam veterem conversationem , nec relinquunt peccata , ideò frustrantur sua vana spe , & Deus eos in calamitates majores cadere permittit exemplo Israelitarum, qui persistentes in peccatis, suamque spem reponentes in præsentia arcæ , justo Dei judicio multis vita fuit erepta , & arca Dei ab inimicis capta est : Hoc autem evenit , quando qui venerunt ad Ecclesiam, ubi debuerunt orare, & divinis obsequijs se exercere, ipsam reddunt speluncam latronum;item, & illi, quorum cor, in quo hostia debuit immolari,pollutum est peccatis, & abominationibus , de quibus dicit Propheta, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam,*scilicet Diaboli , *polluerunt templum sanctum tuum*;hos igitur disperdet Dominus.*serm. 1.in dedicat.Eccles.*

63. *Prælati & Parentes nimis indulgentes à Deo severe puniuntur.*

Heli cecidit de sella retrorsum juxta ostium , & fractis cervicibus mortuus est. Nota , quod Heli audiens captam arcam ab hostibus , & occisos filios, cecidit, & mortuus est:Cur Deus permisit subitam mortem in hoc Prælato alioquin probo? ad ostendendam severitatem, quam Deus exercet in Prælatos, & Patres nimis indulgētes in correctione subditorum , & filiorum, sicut fuit Heli, qui notabiliter defecit , in corrigendo filiorum impietates, & abominationes:Discant ergo Prælati , quod plus nocet Prælatus misericors , & abjiciens rigorem disciplinæ ; quàm rigidus sine misericordia. *ferm. 23. Hexaem.* Qui errantem non corripuerit , de negligentia judicabitur : Ad Prælatos autem hoc ex officio pertinet ; ad omnes ex charitate. *serm. 1. Dom. 3. post octav. Pascha.*

64. Pœnitē

64. *Punitio delictorum in Religionibus, quàm necessaria.*

Heli cecidit, & mortuus est. Scilicet, quia non correxit filios, condemnavit animam suam ad mortem: Ex quo patet, quam necessaria sit punitio delictorum in Ecclesia Dei, maximeque in Religionibus, nam per hoc discernitur Religio laudabilis à dilapsa, non quod nullus peccans in laudabili reperiatur, sed quod nullus peccare impune finatur, & peccandi aditus studiose præcludantur, & incorrigibiles, & alij inficientes eliminentur, & non foveantur, & diligantur, ut perseverent, & in melius semper proficiant: nam cum in conventu Angelorum, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi pravitas reperta sit, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quod peccatum in eo non sit? *opusc. de sex alis seraph. c. 3.*

65. *Patientia vitiosa eliminanda à Prælatis.*

Heli cecidit, & mortuus est. Sed cur punitus? Nonne vir mitissimus, & patientissimus fuit? fuit quidem patientissimus, sed tamen ejus patientia fuit vitiosa, & damnata. Prælati enim si patienter subditorum vitia tolerent, non corrigendo pro posse, ex hac patientia, non gloriæ meritum sperare debent, sed iram Dei cujus damna, & injurias, cum cavere, & prohibere debuerint tolerando foverunt, ut Heli fecit. *op. de prof. relig. l. 2. c. 35.*

66. *Boni in faciem cadunt, mali retrorsum.*

Heli cecidit de sella retrorsum &c. Cur notatur iste casus retrorsum? & cur non potius ante faciem suam? quia hoc est discrimen inter casum bonorum, & præscitorum: nam boni cadunt ante faciem, humiliantes se per reverentiam ad Deum, & si cadunt statim surgunt: mali retrorsum in ruinam perpetuam, quia inconsiderate viventes, inopinato cadunt, & retrorsum in infernum. *In Luc. c. 17. v. 16.* Boni vident hæc caduca, & transeunt ad invisibilia, mali adspiciunt ad ea quæ transeunt, & permanent in his caducis, quæ transeunt, & cadunt ad supplicia, quæ ignorant. *In Ioan. cap. 18. v. 9.* Nota etiam, quod cum casus retrorsum significet ruinam perpetuam, per hoc significatur casus Synagogæ, quæ cecidit, & amplius non resurget. *in Thren. cap. 1.*

67. *Qui ex cogitatione, & consideratione Passionis Christi, non emendat vitam suam, signum est damnationis.*

Heli audiens arcam Dei captam cecidit, fractis cervicibus mortuus est &c. Quæritur an Heli damnatus fuerit? multi Doctores dicunt ipsum damnatum, nec enim licet dolore maximo captus fuerit, ex amissione arcæ, legitur quod pœnitentiam fecerit de sua negligentia: Mysticè hæc arca est Christus captus à Judæis, & in passione positus: ille ergo peccator, qui cervices superbiæ & obstinatæ mentis, & aliorum peccatorum universalium frangere deberet, dum Christum sic captum, & patientem audit, ad pœnitentiam non frangitur, signum est quod ejus durities, & obstinatio, major adamante est, signumque damnationis. *ser. 4. in Parasceve.*

68. *Christus captus, & durissimè ab hostibus tractatus majora bona, & dona nobis impertivit.*

Arca Dei capta est &c. Quæ fuit hæc arca figurata, nisi Christus Jesus captus à Judæis, & durissimè tractatus? ut autem ejus pietas magis elucesceret in tanta crudelitate, nobis tunc aperuit Paradisum, sanguinem, animam, & seipsum tradidit. *ser. 4. in Parasceve.*

69. *Peccatum Adæ nobis abstulit omnia bona.*

Casus est Israel, & fugit unusquisque in tabernaculum suum, & facta est plaga nimis. In hac pugna figurata fuit cædes, & ruina ex peccato Adæ orta: nam cæsus est omnis homo in primo parente, in quo omnes peccaverunt; subdit, *& unusquisque fugit &c.* Scilicet quantum ad peccati exectationem; additque, *& facta est plaga nimis*; quia hoc peccatum nobis vulneravit naturalia, spoliavit nos bonis naturalibus, & æternis: ô quam magna plaga! *Psal. 118. c. 1. v. 1.*

70. *Per mortem Christi spoliata est Sinagoga Sacerdotio, & translatum est ad Evangelium.*

Translata est gloria ab Israel, eo quod capta est arca Dei. Ecce quod ad capturam arcæ, scilicet Christi patientis, translatum est Sacerdotium à Synagoga substitutum est in lege evangelica. *op. Principium S. Scriptur.*



CAPUT V.

71. *Philisthiim puniti fuerunt à Deo, quia posuerunt arcam Domini cum idolo Dagon: Sic & Christiani Deo exosi, qui ponunt Filium Virginis cum filio Veneris.*

Philisthiim tulerunt arcam Domini, & intulerunt eam juxta Dagon. Vide perversitatem istorum, qui putabant posse stare simul arcam veri Dei cum Idolo Dagon: Per quod significatur impietas Sacerdotum, & Christianorum, qui ponunt filium Virginis Mariæ cum filio Veneris, scilicet, qui recipiunt Sacramentum Eucharistiæ, in anima fœda, & detorpata luxuriis, & affectionibus carnalibus, & ideo merito à Deo puniuntur. *Psal. 28. & 77. in fine.*

72. *Non potest quis Deo servire, simul, & Mundo, vel Diabolo.*

Posuerunt arcam Domini cum idolo Dagon: Dagon autem truncus jacebat in terra. Cur Deus projecit ad terram truncum Dagon? ut intelligerent Philisthiim, quod non est conventio Christi ad Belial: ut & nos intelligeremus quod non poterat quis simul servire duobus Dominis, Christo scilicet,

ſcilicet, & Diabolo, vel mundo, ſunt enim diſſimiles: Chriſtus eſt ſuaviſſimus; Diabolus crudeliſſimus, primus coronat ſuos cum gloria: ſecundus cum gehenna; nec iſtis quis poteſt ſimul ſervire, nam Chriſto ſervitur flendo per pœnitentiam; Diabolo ridendo per laſcivias: Chriſto ſervitur vigilando in cuſtodia contra Diabolum, Diabolo dormiendo in negligentia contra Deum: Chriſto ſervitur aſcendendo de virtute in virtutem uſque in cœlum: Diabolo deſcendendo de vitio in vitium uſque in infernum: Ergo decipiuntur, qui ponere ſeo colere credunt ſimul Dagon, & Chriſtum. *ſer.4.Dom.1. & 4. poſt Pentec.*

73. *Irreverenter tractans Euchariſtiam, à Deo punitur.*

Illis autem circumducentibus arcam, fiebat manus Domini, per ſingulas Civitates interfectionis magna nimis, & percutiebat viros &c. Quid eſt, & quid ſignificat hæc manus Domini caſtigantis Philiſthiim? Nota quod iſti auſi ſunt indignè tractare manibus arcam Domini, collocando eam in templo Dagon, & circumducendo eam per Civitates: hinc, & manus Domini aggravavit, & percuſſit eos; ſed quid myſterij nobis hic innuitur? Voluit nobis Dominus indicare, quod qui indigne, & irreverenter tractat myſticam arcam Euchariſtiæ, vel ad eam malè accedit, etiam à Deo fit aridus, & moritur in anima, & ſeverè punitur. *in Pſal.67. & l.4.d.9.a.2.q.2. ad 4.*

74. *Dum portatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum proceſſionaliter, vel in publicum venerationi fidelium exponitur, fugiunt dæmones, vireſque amittunt &c.*

Illis autem circumducentibus arcam fiebat manus interfectionis magna per ſingulas Civitates &c. Vide miraculum grande, quo Deus voluit manifeſtare ſuam aſſiſtentiam, quam ad arcam ſanctam illam habebat &c. ſed quia ut dictum eſt, per hanc arcam ſignificabatur Euchariſtiæ Sacramentum: hinc edocemur, quod dum hæc myſtica arca exponitur; tunc fit interfectio magna hoſtium noſtrorum, ſcilicet timent eam dæmones, & amittunt vires, ab eaque fugiunt, & accurrunt Angeli, in noſtrum adjutorium: ô magna potentia Sacræ Euchariſtiæ! Hinc Philiſthiim interpretantur paſſione cadentes, ideo ſignificantur dæmones cadentes, ſcilicet ad adventum, & præſentiam Chriſti vires amittentes. *ſer.2.Dom.3. Advent. & ſer.2.Dom.4. Advent.*

75. *Dum proceſſionaliter portatur Beata Virgo (ſcilicet in ejus imaginibus Sacris) dæmones amittunt vires, & fugiunt ab illis locis, idem, & proportionaliter dic de SS. Reliquiis.*

Illis autem circumducentibus arcam fiebat manus Domini per ſingulas Civitates interfectionis magna &c. Nota quod hæc arca fuit figura Beatæ Virginis Mariæ, quæ fuit arca fœderis: continebat enim tabulas legis virgam, & manna; ſcilicet obſervantiam legis, dulcedinem pietatis, & erat venerabilis omnibus *in Luc.c.1.v.28. & c.2.v.19. & opuſc.laus B.Virginis ſig.4. & 15. & ſer.in Nativitate B.Virg.* Hinc infer, quod ſi ad præſentiam figuræ remotæ B. Virginis fugiebant dæmones, multo magis ad præſentiam figuræ proximæ ejuſdem: Vel dicendum, quod ſicut ad præſentiam Chriſti in Euchariſtia timent, & fugiunt dæmones viribus enervati, ſic & ſuo modo ad præſentiam Virginis Mariæ (ejuſque ſacrarum imaginum) dæmones enervantur viribus, & fugiunt à locis in quibus reverenter adorantur. Et ideò Maria rectiſſimè dicitur Turris fortiſſima contra inimicos. Bellatrix contra dæmones, per quam ipſos ſuperamus: Virga ferrea ipſos fugans. *op. ſpec.B.Virg lect.c.11.& 12. & 14. & op. litania & in Pſal. 60.* Idem effectus obtinetur, dum deferuntur Reliquiæ Sanctorum. *Pſal.77.*



CAPUT VI.

76. *Monumenta quæ communiter dicuntur vota facta de cera, vel alia materia à voventibus infirmis, ſacris imaginibus, & ſanctis offeruntur ad liberationem obtinendam, vel ad actionem gratiarum pro beneficiis acceptis.*

Iuxta numerum provinciarum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos, & dabitis Deo Iſrael. Nota hic quod cum Deus puniret Philiſthiim in vitalibus prominentibus, quia à muribus comedebantur ob arcam Dei captam, ut liberarentur ab hac fœda infirmitate, obtulerunt vota ſupradicta ad arcam Domini: Unde talis mos pius invaluit in Eccleſia, ut cum homo habet aliquam infirmitatem in aliquo membro, facit tale membrum de cera, vel alia materia, & ponit ſuper reliquias, & ad imagines Sanctorum, ad obtinendam ſanitatem. *in Pſal.28. & 22.* vel poſt receptionem beneficij in actionem gratiarum.

77. *Meditatio divinæ ſapientiæ, & legis æternæ, eſt via directè ducens mentem in ſplendorem cœleſtem, & divinum.*

Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames &c. Myſticè iſtæ vaccæ ſunt vices rationis, & mentis, quæ per viam meditationis divinæ legis (ſignificatæ in arca, quæ ducebatur ſuper plauſtra) incedentes ad civitatem, Bethſames pervenerunt: Bethſames interpretatur domus Solis, ſeu illuminationis, per hoc enim mirabiliter illuminatur mens ſplendore æterno, per cognitionem divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis. *Pſal.118.c.2.v.14.*

78. *Tranſgredientes præcepta Dei, & maxime miniſtri Altaris in eorum miniſterio, graviter à Deo puniuntur.*

Percuſſit de Bethſamitibus ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis eò quod vidiſſent arcam Domini. Sed quodnam peccatum fuit hoc, quod tanta pœna mulctati ſunt à Deo? quia viderunt arcam Domini. Nota igitur quod Deus præceperat, *in Exodo.cap. 24.* quod nulli liceat videre arcam detectam, niſi Pontifici,

Pontifici, vel etiam Levitis: hinc eum illi septuaginta optimates ausi fuerint tangere arcam Dei, & cæterum vulgus ausum fit eam detectam videre, à Deo graviter puniti sunt, cum non essent Sacerdotes, vel Levitæ: & per hoc datur intelligi, quod qui indigne tractant mysteria dominica, & sacramenta puniuntur à Deo gravissimè. *lib. 4. d. 9. art. 2. quæst. 2.*

79. *Nimis curiosus arcana Eucharistiæ rationibus naturalibus metiens, punitur à Deo, sicut & irreverenter videns, & tangens eam.*

Percussit Bethsamites, eo quod viderunt arcam Domini. Hæc area est figura Eucharistiæ: ergone est peccatum videre ipsam in statu peccati? Nota quod nomine visus veniunt etiam alij sensus, & hic videre stat pro curiosa inquisitione mentis. Displicet ergo Deo velle rationibus naturalibus arcana hujus sacramenti inquirere, & videre; & ideò mirum non est si justo Dei judicio frequenter propter morem superbiæ in fide pereunt, & moriuntur incidentes in infidelitatem: hinc videre simpliciter Eucharistiam nullum est peccatum, nisi superaddatur aliqua deformitas, vel irreverentia: Sicut etiam intuitu irreverenti hujus Sacramenti. *l. 4. d. 9. a. 2. q. 2. & op. Comp. Theol. l. 6. cap. 16.* Caveat ergo qui ante Sacram Eucharistiam se exhibet, ab omni irreverentia, non solùm in perceptione, sed & in tactu, & visu, sed cum Angelis submisso vultu astet ante eum.



CAPUT VII.

80. *Nemo potest duobus Dominis servire.*

Ait Samuel, &c. in toto corde revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra, & servite illi soli, &c. Nota hunc ordinem Spiritus Sancti: Docet enim nos quod cum impossibile sit duobus Dominis simul servire, scilicet Christo, & Diabolo, priùs repudiandus est Diabolus, malum à corde auferendo, & deinde Domino Deo serviendum toto corde. *serm. 1. Domin. 14. post Pentecost.*

81. *Idololatria Spiritualis gulosorum, superborum, & avarorum quàm Deo exosa.*

Si toto corde revertimini ad Dominum; auferte Deos alienos de medio vestri: Baalim, & Astaroth. Cur specialiter nominat Baalim, & Astaroth; & non alios Deos gentium? Notandum, quod Baalim interpretatur devorator, Astaroth interpretator divitiæ, vel greges, & significat superbiam, avaritiam, & gulam; datorque intelligi triplex idololatria spiritualis Christianorum, quæ est pessima impediens rectum cultum Dei: nam superbi colunt honores, avari pecuniam, & gulosi, lascivique ventrem pro Deo ista æstimantes suprà Deum. *opusc. de dec. precept. ser. 2. & op. Diat. sal. l. 3. c. 2.*

82. *Præparatio cordis ad adventum Domini qualiter facienda.*

Præparate corda vestra, & servite illi soli, &c. Sed quomodò præparanda sunt ista corda? sufficimè abjecisse Deos alienos Baalim, & Astaroth? At notandum objectum talis præparationis, quod Dominus Deus dicit, præparate corda vestra Domino. In Deo autem maximè relucent sapientia, potentia, & justitia: præparanda sunt igitur corda Domino à nobis, ut discipulis anhelantibus ad credendum magistro docenti, & hoc captivando intellectum in obsequium fidei: Fides enim est dux omnis vitæ fidelium. Secundò ut servis obsequentibus, ad respondendum judici, per emendationem vitæ. *fer. 1. Dom. 4. Adv. & in Luc. c. 1. v. 74.*

83. *Serviendum Deo soli, absque commixtione alterius affectionis.*

Et servite illi soli. Nota illam particulam (*illi soli;*) non enim Deus vult in suo servitio, ut aliqua communitas affectionis, vel æquiparantia admittatur: sed vult extolli sublimiter super omnia, eum solum amando, corde obsequendo, ore prædicando, & si necesse fuerit corpore patiendo, & moriendo. *fer. 1. Dom. 4. Advent.* Vult igitur à nobis totum cor, non dimidiam partem vult, ut non claudicemus in duas partes. *fer. 1. f. 3. Pentec. & fer. 1. Dom. 14. post Pentec.*

84. *Prædicator qualiter exordiri debeat suam prædicationem.*

Auferte Deos alienos, &c. præparate corda vestra, & servite illi soli. Nota quod tali pacto inceperit S. Ioannes Baptista suam prædicationem, sic & Samuel volens instituere populum; sic & debent prædicatores prædicationem suam incipere: Sic enim fidem excitat, & ad opera pœnitentiæ invitat suos auditores, ut viam Domino præparent. *in Luc. c. 1. v. 17. & c. 22. v. 13.*

85. *Perfecta conversio, in his verbis Samuelis exponitur.*

Si in toto corde vestro revertimini, &c. auferte Deos alienos, &c. præparate corda, &c. Ecce quod ad perfectam conversionem; hæc tria requiruntur: scilicet cordis reverentia ad Dominum, malum rejiciendo; conversio ad Deum bonum eligendo, & confessio peccata confitendo, & serviendo Deo soli. *Psal. 118. cap. 10. v. 1.*

86. *Orationis conditiones quænam; ejusque effectus.*

Timentes filij Israel à facie Philisthinorum, dixerunt ad Samuel, ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos. Timebant filij Israel potentiam Philisthinorum confugerunt ad Samoel, ut pro eis oraret: Sed nota quod dicunt ne cesses clamare; cur non dixerunt ne cesses orare. &c. Nota quod in hoc verbo involuuntur perfectæ conditiones orationis, nam contingit clamari tripliciter, scilicet ferventer, acutè, & superstitvidè; sic perfecta oratio debet fieri, instanter, fortiter, & incessanter, nempè ignea, & devota, lachrymis perfusa, & ad modum aquæ bullientis fervida. Secundò importuna, & cum fiducia exemplo Chananeæ nihil hæsitando. Tertiò continua, &c. *serm. 5. de uno Confess. & in Psal. 118. cap. 10. v. 3.* Sic autem Dominus non recusabit dare, si tu non cesses petere. *fer. 4. in rogat.*

87. *In neceſſitatibus recurrendum eſt interceſſioni Sanctorum, præcipuè Beatæ Virginis.*

Ne ceſſes orare pro nobis ad Dominum, ut ſalvet nos de manibus Philiſthinorum. Cur non ipſi orant, & ad Dominum clamant; ſed recurrunt ad Samuelem? quia ſciebant Samuelem eſſe Deo charum, & virum juſtum. Vt hinc addiſcas quàm utilis ſit recurſus ad interceſſionem Sanctorum. Sed cur voluit Deus, ut ad ipſum per Sanctos recurramus? Id decrevit ad dandam fiduciam pavidis, ut quod nos non audemus, vel nos non poſſumus ex nobis impetrare per idoneos impetratores obtineremus, ac per hoc in nobis orantibus humilitas conſervaretur, & in ſanctis intercedentibus, dignitas declararetur, & in omnibus etiam Chriſti membris charitas, & unitas oſtenderetur; qua quæ inferiora ſunt ad ſuperiora fiducialiter recurrant, & ſuperiora inferioribus liberaliter condeſcendant. *opuſc.Brevil.part. 5.cap.10. & opuſc.Myſt. Theolog.cap.3.part.3.* Et quia inter alios Sanctos, Beatiſſima Virgo eſt chariſſima, & proxima Deo, hinc in neceſſitatibus maximè ad ipſam recurrendum. *op. Myſt.Theol.cap.1.part.2.& ſerm.3.Domin. quadrageſ.*

88. *Ad Sanctorum interceſſionem qualiter recurrendum.*

Dixerunt omnes ne ceſſes clamare, &c. Sed cur non clamatis vos ipſi ad Dominum, ſed potiùs recurrite ad Samuelem? Clamaverunt quidem omnes unanimiter, clamore grandi; ſed mediante recurſu ad virum ſanctum: Sic & nos ad fores Palatij cæleſtis regni tantùm clamare debemus; ut Angeli, Virgines, Martyres, Apoſtoli audiant, & dicant Domino, dimitte eum, quia clamat poſt nos; præcipuéque ad Mariam, quæ audiet clamorem noſtrum: Mariam igitur cogita, Mariam invoca: Non recedat ab ore tuo, à corde tuo: clama, ut mendicus, ut infirmus. *ſerm.3. Dom.2. epiph. & op. myſt.Theol.c.3.p.3.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPVT VIII.

89. *Aliquando petimus à Deo, quod contra nos eſt, & in pœnam noſtra arrogantia totum concedit.*

Conſtitue nobis Regem, ut iudicet nos. Vide ſtultitiam hujus populi, qui petebat regem, ut ipſum judicaret; & puniret. Ideò Dominus dixit Samueli, *non te abiecerunt, ſed me.* Sed ſi malè petierunt; cur eis conceſſit Deus quod petebant? quia talis exauditio, in malum, & pœnam ſuæ malitiæ cadere debebat, quia cum homo proprio ſenſui, & judicio innitens per liberum arbitrium ſe regere tenuit, & à Domino Creatore ſuo exire quærit, tunc Deus juſto ſuo judicio de ſe præſumentem derelinquit ſibi. *in Luc. cap.15. verſ.12.* Ex hoc patet, quod aliquando Dominus concedit aliquid, quod non eſt ad bonum petentis, eo quod malè petit, & talis exauditio magis eſt punitio. *Ibid. & Gloſſa hic.*

90. *Differentia inter Principem verum, & Tyrannum.*

Hoc eſt Ius regis: Filios veſtros tollet, &c. Nota, hic (ait Gloſſa) quod jus ſumitur largè, & impropriè; ſcilicet dicitur Ius, propter malum abuſum, & per tyrannidem: Nam hoc diſcrimen eſt inter Tyrannum, & legitimum Principem; quod Princeps verus dominatur ſubditis, & imponit tributa, & vectigalia ſecundùm rectam conſuetudinem, & ſtatuta rationabilia, & ſecundùm dictamen legis dicuntur; intendens ſolùm publicam utilitatem: Tyrannus verò quærit ſuam utilitatem, contemnens publicam. *ſer.5. Hexaem. & l.2. d.44. a.3.q.1.* Væ igitur Principibus opprimentibus ſubditos Tributis, & vectigalibus ſolùm ad propriam, & non ad utilitatem publicam, vel neceſſitatem.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT IX.

91. *Charitas ex gratia Dei, amittitur à contemnente illam.*

Non erat Vir in Iſrael melior illo. Ergo quando electus eſt Saul in Regem erat bonus, & Dei amicus, & cum iniquus factus fuerit, patet quod charitas Dei poteſt ex propria negligentia amitti; idque eſt contra hæreticos aſſerentes, quod charitas ſemel habita, nunquam poteſt amitti. Caveat ergo juſtus à præſumptione, & cum metu, & timore vivat. *l.3.d.31.a.1.q.1.& diat.ſal.s.6.c.8.*

92. *Simoniæ labes fugienda.*

Ecce inventa eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti; demus eam homini Dei, ut indicet nobis, &c. Nota quod iſti pro prophetia voluerunt dare pretium argenti; ſed tamen non legitur, quod receperit eam Propheta, quia hæc fuiſſet ſimonia; illi verò ignoranter illam volebant dare. *lib. 4. d.25. à 1. quæſt.4.*

93 *Servi Dei oculos habent, & vident: ſervi Mundi oculos habent, & non vident, quia cæci ſunt.*

Num hic eſt videns? & reſponderunt, hic eſt. Nota quod in lege veteri Prophetæ meritò appellabantur videntes, quia ex irradiatione ſuperna auferebatur eis velamen, intellectus, & limpide cognoſcebant ſecreta divina, & hinc iſta erat revelatio ſecura, & infallibilis Sacræ Scripturæ. Nota tamen, quod ſervi Dei, videntes rectè poſſunt appellari, quia ex ſumma intentione, affectum in Deum ſummè uniunt, & in tali unione illuminantur, per irradiationem à primo lumine, & vident limpidè quæ ſunt Dei. E contra ſervi mundi ſunt veluti talpæ, & capti oculis, qui oculos habent, & non vident, nihil enim noverunt de divinis; ſed tota eorum ſapientia conſiſtit in fraudibus, mercaturis, & uſuris. Iſtis lucerna Dei non lucet, quia non habitant in domo Domini. *ſer. 1. in feſto omnium Sanctor.*

CAPUT

CAPUT X.

94. Felicitas, & potestas proveniens ex electione hominum non est durabilis: quæ est à Deo, est permanens, & durabilis.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saulis, &c. Cur oleo desumpto ea vase fictili, & fragili inongitur Saül in Regem? Sadoc verò cum inunxit Salomonem, tulit oleum de cornu; cur hoc discrimen? lenticula est vas fictile, & fragile; Cornu est vas durabile, Saül electus est industria, & persuasione hominum; Salomon ex nutu Dei: quia figurabat Christi regnum; ideò regnum in domo Saül parum duravit; ut videas, quod felicitas, potestasvè veniens ab hominibus, non est firma, & durabilis: quæ verò est Christi, & à Christo, permanet, & securè durat. *In Luc. cap. 1. vers. 69.*

95. Ex latere Christi oleum gratiæ promanat, quo ungimur in Reges Regni cælestis.

Tulit Samuel lenticulam olei, &c. Nota, quod Samuel significat Christum Deum, & hominem: lenticula est fictile vas quadrangulum, habens foramen in latere: Hoc vas est corpus Christi quadrangulum, per quadrifariam extensionem in Cruce, ut omnibus ex omni parte, ad se venientibus amplissimum suæ misericordiæ sinum ostendat; foramen in latere, vulnus est lateris: ex hoc foramine oleum gratiæ emanavit, per quod populus Dei ad regnum cælestis gloriæ inungitur. Vnde etiam, qui ad hoc latus pendebat audivit: Hodie mecum eris in Paradiso: gratias ergo agamus Christo pro tam multiplici lateris beneficio. *fer. 4. Dom. oct. Pasch.*

96. Prælati Ecclesiarum ad profectum, & lucrum animarum solùm anhelant.

Invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, & dicent tibi inventæ sunt asinæ. Nota, quod hoc signum Samuel dedit Sauli postquam inunctus fuit in Regem, ut cognosceret veram fuisse ipsius electionem in Regem. Signum autem fuit inventio duorum virorum iuxta sepulchrum, &c. Et per hoc indicatur, quid facere debent Prælati assumpti ad Ecclesiasticas dignitates: duos viros enim debent invenire scilicet duplicem charitatem Dei, & ovium suarum habere, Rachel enim interpretatur ovis; juxta sepulchrum autem est hæc inventio; scilicet considerando, quod ex sepulchro Christi, ejusque passione debent expectare profectum, & defectum animarum Christi sanguine redemptarum: in meridie verò scilicet in spirituali prosperitate, & profectu magnas foveas saliunt, quia videntes lucrum animarum, & profectum spiritualem lætantur, quod inventæ fuerint asinæ, scilicet animæ, & ad pascua Christi reductæ: Magnus ergo zelus animarum debet esse in Prælatis Ecclesiæ. *in Threa. præfat.*

97. Iusti, & maximè Prælati debent totum cor figere in cognitione Dei, in conservatione gratiæ, in anima, & exercitio trium virtutum Theologicarum per intelligentiam cognitionis SS. Trinitatis.

Cum veneris ad quercum Thabor invenient te tres viri ascendentes ad Deum, unus portans tres hædos, alius tres tortas panis, alius lagenam vini, &c. Quodnam mysterium nobis indicatur per hos tres viros? &c. Sed attende: jam Saul inunctus erat in Regem, & Prælatum populi Israel: occurrerunt ei tres viri, cum tribus hædis, &c. ut indicaretur quod Prælatorum scientia debet versari in cognitione solius Dei per intelligentiam mysterij Sanctissimæ Trinitatis, in conservatione unitatis gratiæ, significatæ in lagena vini, & in exercitio trium virtutum, scilicet fidei, spei, & charitatis, per quas reformatur imago Dei in anima, & habetur perfectio necessaria ad mentem Dei. *in Luc. cap. 11. v. 8.*

98. Electi à Deo ad Prælaturam, mutantur à Deo in virum alterum.

Post hæc venies in collem Dei, obviumque ibi habebis gregem prophetarum, & insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum. Vide quid accidit Saüli postquam jussu Dei fuit inunctus in Regem; ascendit ad collem Dei, occurrit ei currus prophetarum, & per adventum Spiritus Dei, mutatus est in virum alterum. Per quæ, dat Deus intelligere; quod Princeps, & Prælatus, si vult accipere Spiritum Dei, debet ad collem Dei se recipere, scilicet ad locum ubi habitant prophetæ; nempe ad orandum; & se consulendum cum Deo, sicque debet mutari in virum alterum per mutationem vitæ, & morum. *Sic Glossa hic:* Patet ex hoc quàm Sancti; quàm immaculati, quàm devoti, quàm ab amore privato, & à munere alieni esse deberent omnes, qui aliis præferuntur; cum vita eorum, quasi quoddam speculum omnibus subditis proponatur. *fer. 1. de S. Mathia.*

99. Vita communis à Religiosis est conservanda, & summè Deo chara

Veneruntque ad prædictum collem Dei, & ecce cuneus Prophetarum obvius ei, & insiluit super Saul Spiritus Dei: & prophetavit, &c. Nota quod iste collis dicebatur, collis Dei, quia ibi habitant Prophetæ congregati in unum ad Deum laudandum: Fuitque hoc figura Religionum, in Ecclesia Dei institutarum: imò hæc fuit prima Congregatio Religiosorum quæ in Sacra Scriptura habetur. *opuscul. Diat. Sal. titul. 4. cap.* 1. Dicitur autem Spiritus Dei insiluisse in Saul, statim ac intravit in hunc collem in conventu prophetarum: Vt videas quod sicut ad Conventum psallentium Prophetarum accedens Propheta efficitur; extra conventum positus pervertitur. Sic Religiosus debet amare, & prosequi vitam communem; nam tantam Deus conventui confert efficaciam bonitatis, ut ibi augmentum suscipiat boni, bonus: aut veniam mali malus: In Conventu Dominus habitat, & requiescit: Ibi devotus quoque uberioris gratiæ pabulo refocillatur

tur: ibi quàm plures negligentiæ personales in divino maximè officio subrepentes, congregationis communitate supplentur: Ibi quod suis quisque non potest aliorum meritis obtinere meretur. Omnes Religiosi igitur conventualem vitam, & sanctissimam, imò angelicam toto affectu animi amplectantur, & tam continuata, quàm devota prosecutione adhæreant. *op. spec. discipl p. 1. c. 22.*

100. *Prophetia, aliaque dona gratis data, non semper cum Spiritu Sancto dantur.*

Et insiluit super eum Spiritus domini, & prophetavit. Nota quod dicit, *insiluit super Saul Spiritus Domini.* Non dicit in Saul, sed super: Vt videas, quod in conferendo dona gratis data, Deus non semper infundit Spiritum Sanctum, licèt omnia sint à Spiritu Sancto; quia hæc dantur non præcisè ad fructum, seu ad bonum recipientis, sed ad auxilium, vel ad aliquem usum, seu ad bonum aliorum. *lib. 2. d. 15. p. 2. à s. q. 1.*

101. *Quarè Propheta vel alius Minister Ecclesiasticus ut plurimum non est acceptus in Patria sua.*

Num & Saul inter Prophetas, & quis Pater eorum, &c. Mirabantur homines videntes Saul inter prophetas adnumeratum, & prophetantem, ex eo quod metientes statum suum naturalem, non adspiciebant ad virtutem omnipotentem Dei: nec id mirum est; quia naturale est Cives civibus invidere: & ideò prophetæ, & ministri publici in patria habentur minores, quàm in exteris Civitatibus; quia non considerant præsentia viri opera; sed fragilem recordantur infantiam, quasi non & ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem venerint; mirum igitur non est, quod ad detractionem confugiant homines perversi. *In Luc. c. 1. v. 24.*

102. *Electio Prælatorum recta quas conditiones exigat.*

Stetitque Saul in medio populi; & altior fuit ab humero, & seorsum, & ait Samuel certè videtis, quem elegit Dominus quoniam non sit similis ei, in omni populo. Notandum hic quod licèt Saul esset altior quocumque alio quoad magnitudinem molis, erat tamen quoad bonitatem morum, etiam excellentior, licet postea in reprobum exciderit: Per quæ datur nobis intelligi quænam sint conditiones eligendorum in Prælatos: nempe à Deo debet esse vocatio canonica; scilicet non ab humana potestate, non à cogitatione carnali, non à propria cupiditate: item vitæ eminentia, item humilitas subjectionis (ideò ob humilitatem se abscondit;) item charitas intelligentiæ, & scientiæ, item & simplicitas innocentiæ: & hinc deberet eligi ab amore privato immaculati; & sancti, in quibus dignoscatur Spiritus Dei. *In Ioan. cap. 15. vers. 16. & col. 90. & serm. 5. & 2. de S. Matthia.* Elige ergo talem, qui suo exemplo, & spiritu ducat te ad Deum, non talem qui te ducat ad inferoum. *serm. 4. Domin. 19. post Pentec. op. Bibl. paup. cap. 100.*

CAPUT XI.

103. *Dominus Deus vult suos servos oculatos: Diabolus monoculos.*

Dixit Naas, in hoc feriam pactum vobiscum, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. Hoc dixit Naas Rex Ammonitarum ad viros Iabes Galaad, sese ipsi offerentes in fœdus, & tributarios; cur deeruit eruere oculos dextros, non sinistros? Sed nota mysterium: Naas interpretatur serpens, significatque Diabolum, qui vult habere sequaces suos monoculos: Deus autem vult suos oculatos; Diabolus quidem enititur eruere suis oculum dextrum, relinquitque sinistrum: oculus autem est intentio animæ: Dexter respicit ad Deum, & cælestia; sinister ad terrena, & ad gehennam; dextrum amor aperit; sinistrum timor. Diabolus igitur vult, ut sequaces sui claudant oculos ad cælestia, & ad operationes animæ Deo factas, sed aperiant ad terrena, & si operantur aliquod bonum, id faciant formidine pœnæ, ut sint in opprobrium sanctorum. *sermon. 3. in vigilia Nativitatis. & in Luc. cap. 16. vers. 13.* Vide ergo astutiam Diaboli, qui suis sequacibus non aufert ambos oculos, sed relinquit sinistrum, scilicet vult ut aliquod bonum operentur, sed tamen formidine pœnæ, vel solùm consuetudine, vel amore mundano moti, non amore Dei. *Ibidem.*

104. *Iudæis Diabolus eruit oculos dextros; relinquit sinistros.*

Dixit Naas in hoc feriam pactum vobiscum. Nota isti Galaaditæ erant de genere filiorum Israel: Naas cum sit figura Diaboli; oculus est fides; dextera pars est fides de divinitate: sinistra de humanitate; eruit igitur Diabolus Iudæis fidem de divinitate Christi, credendo ipsum esse solum hominem. *sermon. 3. in vigil. Nativitat. & sermon. 3. Domin. quinquages.*

105. *Diabolus inspirat aliquando aliquod bonum suis sequacibus, sed ordinat illud ad eorum perniciem, & damnationem.*

In hoc feriam pactum vobiscum, ut eruam oculos dextros, &c. Cor igitur Diabolus vult suos monoculos? Cur non nititur eruere ambos oculos suis? Nota quod, per dexteram significatur pars potior sanctitatis, & laudis operis, v.g. recta intentio, opus factum in charitate, &c. per sinistram minor pars: v.g. opus factum ex timore, vel sine debita attentione, & intentione, vel in peccato mortali; Diabolus igitur aufert suis potiorem partem, ut in eo, quod tollitur sit occasio damnationis: relinquit minorem partem, imò aliquando inspirat aliquod bonum, ut in hoc, quod remanet de spe fiduciæ præsumatur, ne peccator ad pœnitentiam recurrat. *sermon. in Vigil. Nativit. in cap. 16. vers. 13. opuscul. Diat. sal. titul. 5. cap. 3.* Sic etiam *B. Petrus Damianus lib. 6. epist. 5.* quasi dicat: Diabolus non statim vult eliminare à suis sequacibus omne opus bonum, sed sufficit ei, ut permaneant in peccato, ut ad pœnitentiam non recurrant; ut

ut eam pertrahant ad finem vitæ, relinquitque in eis aliqua opera bona sed absque vera pœnitentia; ut in ijs vane fidentes, nunquam resipiscant ex corde, à peccatis, sic enim eos finaliter ad infernum attrahit: hoc indicat Seraph. Doctor cum dixit Diabolum velle suos monoculos. *in Luc. cap. 16. v. 13.* Diabolus autem per præsumptionem, & desperationem inducit hominem ad peccandum, & ad damnationem æternam. *serm. 4. Dom. 3. post octav. Epiphan.*

106. *Sine ductu, & auxilio fidei, non potest homo proficere de virtute in virtutem.*

In hoc feriam vobiscum fœdus, & eruam omnium oculos dextros. Quid est eruere oculum dextrum? oculus dexter est fides, quæ omnia tam naturalia, quàm supernaturalia subijcit in obsequium Christi: Sinister est ratio, quæ solùm de naturalibus judicat: Diabolus igitur nititur eruere oculum dextrum, scilicet impedire conatur exercitium fidei; ut sicut qui amittit oculum dextrum, inutilis est ad bellum, quia scutum operit sinistrum, sicque nullum habet oculum, quo videat ferire, vel cavere adversarium; sic deficiens in exercitio fidei, inutilis fit ad pugnam spiritualem, & ad exercitium virtutum. Fides enim est veluti stella matutina, quæ prævenit solem Iustitiæ; stellaque Orientalis ducens Reges ad Christum, imprimens fiduciam in corde, & veram devotionem. *op. Dict. sal. tit. 5. cap. 3.* adverte tamen quod hæc fides debet esse cum dilectione; scilicet faciens videre dirigendo, & operari bonum faciendo. *l. 2. d. 41. dub. 1.*

107. *Opera sine recta intentione in Deum sunt mortua.*

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. Iam dictum est, quod per oculum dextrum significatur recta intentio in Deum: per sinistrum intentio ad terrena, vel defectus intentionis rectæ: Diabolus igitur nititur tollere ab homine hanc rectam intentionem in Deum; quia opera facta sine hac intentione, vel actuali, vel virtuali nullius valoris sunt: affectus enim operi nomen imponit. *serm. 3. in vigil. Nativ. & l. 2. d. 40. a. 1. quæst. 1. & seq. & l. 3. d. 9. a. 1. q. 6. ad arg. & d. 38. quæst. ad arg.* Hic tamen nota, quod intentio nostra aliquando movetur pro Deo, aliquando ad Deum, & aliquando in Deum; primum fit quando facimus actionem pro Deo, v. g. actum obedientiæ; licèt de ipso actualiter non cogitemus: secundò quando actio est de Deo, & circa Deum, licet aliquando mentis intuitum in Deum non dirigamus: tertiò fit quando mens Deum cogitat, ipsum amplectitur, eique affectu devotionis adhæret; quodque fit maximè oratione; qui tertius modus est utilior, & efficacior, &c. *op. de prof. religios. l. 2. c. 59.*

108. *Timor Domini excitat ad malum auferendum ab anima.*

Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt, quasi vir unus contra hostes. Postquam Saul præcepit Israelitis, ut se cógregarent ad prælium sub pœna confiscationis bonorũ: Nutat sacer Textus, quod omnes invasit Timor Domini, ob quem omnes vicissim ad prælium pererexeront: ex quo patet, quod Dominus timorem suum immittit ad malum auferendum. *Psal. 118. c. 7. v. 11.* sed adverte, quod hic est sermo non de timore naturali, sed de eo qui est à Spiritu Sancto; & hic vel est servilis respiciens ad pœnas æternas à Deo infligendas; vel est filialis, qui refugit malum, non præcisè formidine pœnæ, sed ob reverentiam debitam divinæ Majestati. *l. 3. d. 34. p. 2. a. 1. per totum & a. 2. q. 3.*

109. *Ex bona vel mala intentione finis, qualificatur opus.*

Et recensuit Saul trecenta millia virorum, &c. Vide quod Saul recensendo militum suorum numerum non punitur; & tamen in casu simili David punitur, cur hoc discrimen? Id factum est quia Saul recensuit milites propter expeditionem necessariam ad pugnam: David propter superbiam, & gloriam in multitudine numerosa populi, ideò non ille, sed iste punitur. Vide ex hoc quod eiusdem actionis intentio bona, vel mala opus qualificat in bonum, vel in malum. *l. 4. d. 14. p. 2. dub. 13.*

110. *Iesus salvator natus est, ut nos liberaret à potestate Sathanæ.*

Cras erit vobis salus cum incaluerit sol. Nota hoc facit verbum consolatorium à Saule missum viris Isbes, Galaad, qui à crudelitate Naas timebant opprimi: sed tamen hæc verba à Spiritu Sancto directa fuerunt, hominibus oppressis à Dæmone, cui promissa fuit incarnatio, & nativitas Domini Nostri Iesu Christi, qui venit nobis in salutem incalescente sole, scilicet amore suo ferventissimo ingressus est igitur in mundum, ut esset nobis salus. *serm. 3. in Vigil. Nativ. Domin.*

111. *Eucharistia recepta cum amore, & cum dilectione Dei affert salutem: cum amore mundano affert damnationem: In hoc Sacramento autem maximè elucet charitas divina.*

Cras erit vobis salus cum incaluerit sol. Salus, scilicet salvator Iesus nobis advenit quando incaluit sol, & quandonam? tunc maximè innotuit charitas divina; quando scilicet instituit Sacramentum Eucharistiæ: hoc autem debet recipi incalescente sole scilicet ex dilectione, & amore in Deum; sic enim liquefit, ut manna ad salutem: si autem recipitur ex amore carnali, & cum peccatu, induratur homini ad damnationem; sicut manua indurabatur ab igne. *serm. 3. in Vig. Nativ.*

112. *Charitas divina maximè innotuit in Passione crucifixionis.*

Cras erit vobis salus cum incaluerit sol. Quarè incalescente sole eanùm appareret salus? Cur hoc? Nota, quod Christus mortuus est circa meridiem; tunc enim incaluit sol, scilicet fervor charitatis divinæ: Ex Cruce igitur dicebat Christus: Cras erit vobis salus nempè, ad fervorem charitatis divinæ ostensæ in Cruce, ex Passione salus aperta est scilicet apertæ sunt fores regni cœlorum, quæ cum antea essent clausæ apertæ sunt per clavem Crucis: ô immensa charitas Christi; ô duri, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis pretiosas merces expendit. *serm. 3. in Vig. Nativ.*

 113. In

113. *In vigilia Nativitatis Domini, omnibus hominibus promittitur salus, dieʃque Nativitatis eʃt dies caloris, & ortus ʃolis.*

Cras erit vobis ʃalus, cum incaluerit ʃol. Nota quod merito hæc verba dicuntur omnibus Christianis ab Eccleʃia in vigilia Nativitatis Domini: ut ʃciant, quod dies Nativitatis eʃt dies ortus ʃolis ferventiʃʃimi ʃcilicet amoris divini, ad cuius exortum ʃalus datur omnibus. *ʃerm. 3. in Vig. Nativitat. Domini.*

113. *In die Pentecoʃtes ortus eʃt ʃol, & ʃalus data Eccleʃiæ.*

Cras erit vobis ʃalus, cum incaluerit ʃol. Nota hoc verè dici poteʃt in vigilia Pentecoʃtes, in quo die ortus eʃt ʃol ferventiʃʃimus, ʃcilicet datus eʃt Spiritus Sanctus in linguis igneis, incendens ut ʃol Apoʃtolos, & quotidie electos, & pœnitentes, ʃalutemque ʃimul tribuens per illuminationes, & operationes Spiritus Sancti. *ʃerm. 3. in Vig. Nativ.*

114. *Diabolus percuʃʃus, & debilitatus eʃt viribus per incarnationem, & mortem Domini.*

Ammon percuʃʃus eʃt incaleʃcente ʃole. Nota quod ʃicut prædixerat Saul incaleʃcente ʃole Naas, & exercitus Ammonitarum percuʃʃus, & diʃperʃus eʃt, ut daretur nobis intelligi, quod ad exortum Christi in incarnatione, & in Cruce Diabolus amiʃit vires, & ʃuperatus eʃt. *ʃerm. 3. in Vig. Nativ.*

114. *Ad exortum Euchariʃtiæ debilitantur vires Diaboli.*

Ammon percuʃʃus eʃt incaleʃcente ʃole, &c. Ex dictis intellige, quod Diabolus debilitatur, & vitibus enervatur ad exortum ʃanctiʃʃimæ Euchariʃtiæ: in qua ʃol Iuʃtitiæ Chriʃtus Dominus in noʃtrum auxilium ʃe exhibet. *ʃerm. 3. Vig. Nativ.*

CAPUT XII.

115. *Aliquando licet maximè Prælatis ʃe laudare ad vitandum malum infamiæ.*

Teʃtis eʃt Dominus adverʃum vos in die hac, quia non invenietis in manu mea iniquitatem. Ergone Samuel ʃe laudat coram populo: ergo hic incidit in ʃuperbiam? minimè: nam laus aliquando eʃt licita in ore proprio, non ob avaritiam, vel honorem captandum, ʃed ad vitandam infamiam, vel ad aliquam utilitatem ʃpiritualem; maximèque in Prælatis, & perʃonis publicis; & ut omnibus daretur intelligi, quod Prælati ita debent regere populos, ut poʃʃint ʃecurè ʃe laudare, &c. *op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 22.*

116. *Oratio ʃervorum Dei liberat populos à morte, & ab adverʃitatibus.*

Ora pro ʃervis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriantur. Sed cur vos ò filij Iʃrael non oratis? cur ad Samuelem recurritis, ut pro vobis oret? merito id faciunt, quia oratio ʃanctorum ʃententiam Dei mutat, & à morte aliiʃque adverʃitatibus liberat. *ʃer. 5. de uno Confeʃ. & l. 4. d. 45. a. 3. per totum.* Hinc Deus ordinavit, ut ad ʃanctorum interceʃʃionem recurramus propter inopiam noʃtram patrocinijs ipʃorum ʃublevandam; Vide ergo quanta ʃit benignitas Dei ad nos, compatiens noʃtræ inopiæ, & indigentiæ. *lib. 4. ibidem & op. myʃtic. Theol. cap. 3. part. 3.*

CAPUT XIII.

117. *Prælatus, vel princeps tantùm verè dicitur, ʃi eʃt bonus: ʃi verò malus dicitur talis æquivocè ʃicut ʃtatua vel ʃimia, vel Chimera, &c.*

Filius anni erat Saül cum regnare cœpiʃʃet; duobus autem annis regnavit ʃuper Iʃrael. Quando filius unius anni erat Saül, ʃi jam adultus, & provectæ ætatis erat eum aʃʃumpʃit habenas Regni, & quomodo duobus tantum annis regnare dicitur, ʃi 40. annis regnavit? optimè, & cum maximo myʃterio id dicitur: Quia duobus annis tantùm permanʃit in illa humilitate, & bonitate, cum qua veluti puer parvus inœpit regere populum: Nam apud Deum tempus tantum computatur, in quo permanet Rex, & Prælatus in humilitate, & bonitate. *ʃic Gloʃʃa.* Meritò igitur non Rex, vel Prælatus, ʃed ʃimia in tecto, Rex fatuus in ʃolio dicendus eʃt: nam monʃtruoʃa res eʃt, gradus ʃummus, & animus infimus, ʃtatus ʃupremus, & greʃʃus minimus ʃedes prima, & vita ima, ingens authoritas, & nutans ʃtabilitas. *op. Pharet. l. 1. cap. 11.*

118. *Prædicator & divini verbi prædicatio pro conatu impugnatur à Dæmonibus: ideò prædicationem impedientes, ʃunt miniʃtri Diaboli.*

Porrò faber ferrarius non inveniebatur in terrâ Iʃrael. Quomodo ergo tot regiones carebant fabro ferrario? & cur? ʃubdit ʃacer Textus, *caverant enim Philiʃthiim nè Hebræi facerent lanceam, aut gladium.* Vide quale artificium Philiʃthinorum, ne adeʃʃet artifex qui eos provideret gladio, aut lancea, & nè poʃʃent exire in pugnam contra eos conduxerant, & attraxerant ad proprias regiones omnes fabros ferrarios. Et hæc eʃt ars præcipua Diaboli pugnantis contra Eccleʃiam; *ait Gloʃʃa hic:* ʃtudet enim ut tollantur de terris fidelium fabricatores armorum ʃpiritualium; & quinam ʃunt Hi fabri ʃunt Doctores, & Prædicatores, qui contra dæmonum inʃultus armant ʃuis exhortationibus fideles, propter quod illi, qui eos impediunt in tam bono, & neceʃʃario actu miniʃtri ʃunt Dæmonum. Hinc jure meritò Verbum Dei dicitur gladius: operatij autem hujus gladij ʃunt Prædicatores qui mittuntur à Deo. *in Luc. c. 10. v. 2.* Sunt & architecti Eccleʃiæ ædificantes cœleʃtem Hieruʃalem. *op. apolog. paup. reʃp. 4. cap. 3.*

119. *Qui ex propria voluntate, & authoritate intrat ad Prælaturam, vel ad munus prædicationis fur eʃt, & damnatus.*

Neceʃʃitate compulʃus obtuli holocauʃtum: reʃpondit

dit Samuel stulte egisti, &c. Quia Saul obtulit Sacrificium, à Deo reprobatus est: Sed quodnam peccatum fuit hoc?quia usurpavit Sacerdotis legalis officium; *ait Glossa*: Per hoc datur intelligi, quod qui ad munus Prælaturæ; Sacerdotij, Prædicationis ex propria voluntate, & auctoritate, non à Deo vocatus, cum non intret per ostium, scilicet per Christum fur est, & latro, & à Deo reprobatus.*in Ioan.cap.10.n.2.* Vnde mirum est videre audaciam multorum, qui non colligentes de suis vineis, nisi spinas, & tribulos, vineis tamen dominicis etiam se ingerere non verentur; isti fures sunt & latrones, non custodes, neque cultores in illis.*ep.Pharetr.l.1.cap.12.*

120. *Quis sit vir secundùm cor Dei, sicut dicitur de David.*

Quæsivit sibi Dominus virum secundùm cor suum, ut esset dux. Nota hic fuit David; sed quid est esse virum secundùm cor Dei? nempè ob humilitatis eximiam abundantiam;item ob mansuetudinem,& misericordiam. *in Psalm. præfat. & op. medit. vita Christi cap.53.*& ratio est, quia dicit Christus,*discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:*ergo, qui se in hoc conformat Christo,is dicitur esse,& vivere secundùm cor Dei.*ibidem.*



CAPVT XIV.

121. *Christus Crucifixus in Cruce debellavit Dæmones.*

Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius cum eo. Ionathas ut debellaret Philisthæos ascendit montem altissimum, ubi erat statio hostium, & multos ex ipsis occidit.Sed quid significat, quod manibus, & pedibus reptans ascendit montem? Hic fuit Christus, qui manibus, & pedibus reptans, affixusque ascendit in crucem, & de Cruce debellavit hostes infernales. *serm. 2. Dom.3.quadrag.& l.3.d.19.a.5.q.3.comp.*

122. *Sanctus Franciscus perfectus imitator Christi.*

Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius cum eo. Si Christus Iesus figuratus in hoc ascensu Ionathæ,quis est armiger eius,idem omninò faciens? Hic fuit sanctus Pater Franciscus qui potest dici alter Christus, vel secundus Angelus,qui perfectissimus imitator Crucifixi fuit plagatus in manibus,& pedibus,& positus, ut signaculum similitudinis Christi Crucifixi. *op. legenda sanct.Francis.in prolog.& cap.13.*

123. *Per virtutem Crucis eiusque meditationem pignus dulcedinis æternæ degustatur; & illuminantur oculi mentis.*

En paululum mellis degustavi, in summitate virgæ. Notandum, quod Ionathas, fame coactus degustavit paululum mellis in summitate virgæ; & dicitur quod illuminatus est:Idque fuit figura eorum, qui virgam Crucis, & passionis Christi, per meditationem arripiunt, per quam pignus dulcedinis æternæ degustant, & illuminatur mens animæ ad videndum cœlestia. &c.*serm.1.in Pentecost.*

124. *Ad mensam Christi qui accedunt illuminantur.*

Intinxit Virgam in favum mellis, &c. & illuminati sunt oculi eius. Litteraliter vult dicere, quod nimio calore, & prælio, & jejunio reverberatos habebat oculos, & sumptione illius cibi refocillatus est: *Sic Glossa.* Mysticè datur nobis intelligi, quod qui vult illuminari,& erigi in cognitionem, contemplationem, & speculationem veram Christi,debet sedere ad mensam Christi, de eius melle cibari: Eucharistia enim valdè illuminat mentem, refocillatque vires.*in Luc.cap.23.v.35.& compend. Theolog.l.6.c.12.& 15.*

125. *Sine unitate cum Ecclesia non potest perveniri ad Christi contemplationem.*

*Intinxit virgam in favum mellis, &c. & illuminati sunt oculi eius.*Quæ conventio est intinctionis, & degustationis mellis in ore cum illuminatione oculorum? Ergone prius Ionathas erat cæcus? minimè:illuminati sunt oculi non ad videndum,quia antea videbat;sed ad discernendum suum statum: daturque intelligi, quod qui vult illuminari ad contemplandum,& speculandum Christum, & ad cognoscendas veritates arcanorum nostræ fidei necesse est ut accedat ad mensam Christi; nempè fiat particeps Corporis Christi scilicet Ecclesiæ per unitatem: de qua dicit Apostolus: *unus panis, unum corpus multi sumus 1. Corinth. cap. 10.In Luc. cap.23.v.31.*

126 *Amaritudo præsentis adversitatis vertitur in dulcedinem æternam, per signum Crucis.*

Intinxit virgam in favum mellis,&c. Cur in virgæ summitate sumpsit mel, & non manibus?Nota quod virga significabat Crucem Christi, & adversitatem præsentis vitæ: sed in summitate, scilicet in fine huius virgæ adest mel,quia per lignum sanctæ Crucis, omnis amaritudo præsens, in fine vertitur in dulcedinem æternæ jucunditatis qui enim sustinet in hoc mundo cum Christo,in cœlo tristitia eius vertetur in gaudium.*serm.4.in Pentec. & serm.4.Dom.2.post octav. Pascha.*

127. *Dulcedo voluptatum mundanarum amarissima, & letalis.*

En paululum mellis degustavi in summitate virgæ, & en morior. Hoc dicebat Ionathas, qui postquam degustaverat paululum mellis contra præceptum Patris, quod tamen ignorabat, ad mortem condemnatus fuit licet postea sententia non habuerit suum effectum. O quam multi sequaces mundi id possunt verè dicere in morte; imò & in majori abundantia voluptatum; in quas dum vivunt involvuntur:dicitur enim.*Iob.c.20.Panis eius vertetur in fel aspidum in utero eius*;scilicet voluptas immixta est cum amaritudine fellis in hoc mundo; & in morte vertetur magis in æternam tristitiam: Deus autem terrenis his felicitatibus amaritudinem admiscet;ne alia aliqua felicitas quæratur,cuius dulcedo nos fallat. *serm. 4. Dom. 2.post octav.Pascha & serm.1.Dem.inf.octav.Epiph.in fine.*

128.*Mund*

128. *Mundi dulcedo, & felicitas vilissima, vanissima, falsissima, & malignissima.*

En paululum mellis in summitate virgæ degustavi, & en morior. Nota emphasim horum verborum; primò dicit Ionathas, quod sumpsit tantum paululum mellis: secundò in summitate virgæ: tertiò quod degustavit paululum; quartò en morior: Ex quibus intellige, quod fœlicitates mũdi sunt: primò paululum, scilicet vilissimæ de sui natura, ideò fugiendæ: sunt enim Deo, & Angelis fœtidæ, & homini valdè noxiæ, & damni maximi illativæ, & bonorum omnium distractivæ: secundò in summitate virgæ scilicet fragilissimæ sine ulla duratione ad modum fumosæ substantiæ quæ quantumcunque ad tempus appareat pulchra, & quantò plus in altum se erigit semper plus deficit, & in nihilum redigitur; ideò fugiendæ: tertiò degustavit paululum, scilicet sunt falsissimæ in promissione, nulli servantes promissa, sed omnes fallentes in via; & cũ in necessitatibus mundus promittit auxilium, præstat tunc impedimentum: quartò en morior scilicet sunt malignissimæ in retributione, quia non ducunt ad gloriam, sed ad pœnam, & ignominiam sempiternam. O vanitas vanitatum! O in qualem ignominiam quando gloria in summam transilit ignominiam; potentia in impotentiam, sapientia in stultitiam, & delectatio omnis in maximam pœnam: Glorientur ergo Filij Diaboli in potentia, in pulchritudine, in scientia, in opulentia rerum, in voluptate carnis: sed nobis sequacibus Christi Crucifixi sit solùm gloria in cruce eius. *ser. 1. de sancto Andrea.*

129. *Mundani maximè luxuriosi ubi credunt invenire delectamentum, inveniunt cruciatum.*

En paululum mellis degustavi, & en morior. Ecce expressa imago status mundanorum, maximè luxuriosorum, qui ubi credunt invenire delectamentum inveniunt cruciatum; quia omnis delectatio in præsenti aspersa est amaritudine. O infelix luxuria, quæ loco voluptatum fert in anima infernum; nempè ipsum concupiscentiæ vermem rodentem conscientiam, & fumum infamiæ. *serm. 20.* Imò & in corpus causat cruciatus.



CAPUT XV.

130. *Peccata, & ingratitudo nostra inducit Deum ad pœnitentiam, & quomodò.*

Pœnitet me, quod constituerim Saul in Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Ergone pœnitentia cadere potest in Deo? sed attende: Pœnitere dicitur Deus, non quod more hominum de operibus transactis pœniteat; qui enim omnia novit antequam fiant, pro suis actibus pœnitere non potest, sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius inchoatum est in aliquid mutari, ex bono exigentibus, scilicet culpis in malum, sic mutatum est cum Saule, & cum populo Iudæorum. *ep. de invisibilib. Dei.*

131. *Etiamsi sancti orent pro peccatore Deus sæpè non exaudit id exigente malitia ipsius, & maximè persistente ipso in malitia.*

Contristatus est Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte. Vide justum clamantem, & orantem ad Dominum tota nocte pro Saulis salute; & tamen non est exauditus: Cur hoc? sed attende, quia id exigebat malitia, & indignitas Saulis: tribus enim de causis oratio non exauditur; nempè ob indignitatem eius, pro quo oratur, ut in hoc facto evenit: secundò quando inordinatè petitur, ut quis petit gloriam absque eo quod velit benè operari: tertiò ratione maioris boni; ut quando Paulus non est exauditus: oratio autem exigit, ut fiat pro se piè, perseveranter, & ad salutem, & si fiat pro alio, ut fiat ex charitate tanquam fine movente. *in Psal. m. 21. & 54.*

132. *Confessio cum excusatione est frustratoria.*

Dixit Saul Samueli: Implevi verbum Domini; sed populus pepercit melioribus ovibus, &c. Vide quomodò correctus Saul à Samuele, eo quod non obedivit Domino, qui ei præceperat, ut non parceret Amalecitis, & demoliret omnia; ipse se excusat redundando culpam in populum, &c. Hanc similem frustratoriam confessionem faciunt illi, qui confitentes peccata, ipsa palliant per aliquam extortam excusationem. *ferm. 1. in rogat.*

133. *Humilitas obedientia meretur sola exaltari ad pœnitentiam.*

Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es? Unxitque te Dominus in Regem? Vide ex hoc quale fuit motivum, ob quod Saul exaltatus est ad solium Regni, nempè humilitas obedientiæ: hæc enim est una ex conditionibus bonæ electionis. *In Ioan. collat. 90. ferm. 2. in rogat. in Luc. cap. 1. v. 52.*

134. *Qui nescit obedire non meretur Prælaturam.*

Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in Tribubus Israel factus es? Quid est esse parvulum in oculis suis, nisi ad modum simplicium puerorum simpliciter, & humiliter obedire? Ergo obedientia sedula Saulis patri exhibita ipsum exaltavit ad Thronum regni: qui enim hac humilitate obedientiæ præditus est, meretur in Prælaturam assumi. *In Ioan collat.* 90. Ex opposito inobedientia ipsum depressit.

135. *Obedientia melior est quàm victima, & sacrificium.*

Numquid vult Dominus holocausta, & victimas; & non potius ut obediatur voci Domini? melior enim est obedientia, quam victima. Cur melior est obedientia, quæ est actus virtutis Iustitiæ, quam victima quæ est actus latriæ? quia in obedientia mactatur propria voluntas, in victima caro aliena. *in Ecclesiast. cap. 14.*

136. *Obedientia quadam species est martyrij.*

Melior est obedientia, quàm victima. Sed qualis est hæc

hæc victima, de qna hic sermo est? victima sui ipsius, nempè melius genus martyrij est decollare propriam voluntatem quam se ipsum trsdere morti, abstinentiæ, alijsque pœnalitatibus cum propria voluntate. *op. Diat. sal. tit.4.cap.2.& op.medit. vitæ Christi cap. 44. & op.de instit.novit.p.1.cap.34.* Advertant hoc illi Religiosi, qui indiscretius abstinentes, & singularitate notabili conturbantes eos, cum quibus habitsre debent, unius moris in domo, nimis sapientes in ocnlis suis nolunt præcepto, vel consilio majorum acquiescere, quod est quasi scelus idololstriæ.*op.medit.cit.cap.*44.

137.*Sancti portant super humeros suos peccata nostra.*

Peccavi, &c. sed nunc porta peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum. Hæc dixit Saul Samueli, sed quid prætendebst Saul, dicendo, *porta peccatum meum*? quomodò portare potest peccstum alterius? Quia snncti orando, & intercedendo pro nobis sunt spes nostra per modum auxilij; sunt & firmamentum nostrum in necessitatibus, ideo dicuntur portare iniquitates nostras; cum nos sumus indigni sd præsentiam Dei stare; ipsi pro nobis assistunt, orant, & impetrant bona. *op. Brevil. lib.5.cap.10.& lib.4.sent.d.5.dub.4.& op. Eccles.Hierarch.p.4 cap.6.in princ.&c.*

138. *Confessio peccatorum ex pura formidine pœnæ, alteriusque finis mundani, &c. frustratoria.*

Peccavi; sed nunc honora me coram senioribus, &c. Vide qnalem confessionem fecit Saul, *peccavi sed honora me, &c.* ergo facta est pura formidine pœnæ, & timoris amittendi reverentiam, & subjectionem populurum, ideo veniam non impetravit.*serm.2.in rogat.& serm.1.in Vigil.Nativ.*

139. *Inobedientia facit amittere gratiam Dei, & gloriam.*

Scidit Dominus regnum tuum à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Cur privatus est regno Saul? propter inobedientiam: hæc enim fscit amittere regnum, non solum temporale; sed quod lachrymabilius est regnum gratiæ, & gloriæ. *serm. 3.Dom.3.post octav epiphan.& serm.1. de SS. Philip. & Iacob.*

140. *Propter Tyrannidem Principes ejiciuntur à regno.*

Scidit Dominus regnum tuum, &c. Cur hoc? propter Tyrannidem; multi Tyranni enim, & potentes ob oppressiones populorum, traditi sunt in manus alienorum.*in Luc.cap.14.v.9.*



CAPVT XVI.

141. *Homo iudicat secundum faciem; ideo sæpè malè: Deus secundum cor, ideo semper benè.*

Ne respicias altitudinem statuæ, &c. Homo enim judicat secundum faciem; Deus autem cor intuetur, Vide igitur, quod non est mirum, quod homo, in judicando, sæpè decipiatur; cum judicet secundum faciem exteriorem: Deus verò intuetur cor, & hinc quod judicat bonum, verè bonum est. *serm. 2.de sancto Thoma, & in Luc.c.1.v.6.& cap.5.v.20. & cap.9.v.47.& cap.14.v.9.*

142. *Alio modo iudicat forum fori, alio forum interius.*

Homo judicat secundum faciem: Deus cor intuetur. Nota, quod hoc est fundsmentum discriminis inter judicium fori, seu operum respicientium hominem: nam ista judicanda sunt secundum faciem; sic Ecclesia judicat secundum faciem: alio modo considersntur opera in ordine ad Deum, qui judicat tantum secundum cor. *lib. 4. d. 15.p.1. art.1.quæst.4.ad 2.& l.3.d.39.a.3.quæst.1.*

143. *In electionibus non est respiciendum ad dispositiones externas corporis, sed ad bonas animæ qualitates.*

Non respicias ad pulchritudinem vultus, vel altitudinem staturæ. Vide quomodò in promotione ad dignitates, cavenda est acceptio personarum, nec adspiciendæ sunt qualitates apparentes corporis; ut pulchritudo, altitudo, nobilitas carnis, sed ad bonss qualitates animæ. *op. Centiloqu. p. 1. sect. 10.* Nihil enim prodest vestiri purpura, diademate insigniri, gemmis lucentibus splendere; & moribus incompositis sordescere; & fœtere. *op.Eccles. Hierarch.p.2.cap.3.*

144. *Altitudinem superbiæ abominatur Deus: paucitatem humilitatis amat.*

Ne respicias altitudinem staturæ eius, quoniam abjeci eum. Cur abjecit hunc propter altitudinem corporis? ergone statura eius fuit illi in dsmnum? non ob altitudinem materialem abjecit eum; sed ob altudinem internam, significatam in ills exteriori: Deus enim amat parvitatem, & humilitatem.*in Luc.cap.1.v.15.*

145. *Multi apparenter tantum sunt amici; & ideo non omnibus est fidendum.*

Ne respicias pulchritudinem vultus eius, &c. Cur hoc? Nisi quia interiores sensus non respondebant exterioribus, daturque nobis intelligentia, quod non omnibus credendum est, qui se figurant amicos: sæpè enim sunt tantum appsrenter. *in Ioann. capite 2. in fine vers.24.*

146. *Parvulis non grandibus datur Regnum à Deo.*

Adhuc est parvulus, & pascit oves. Vide quod rejectis septem filijs Isai; solum voluit Deus, ut eligeretur octavus parvulus, scilicet David in Regem; per quod datur intelligentia, quod psrvulis tsntum dstur Regnum cœleste: grandes autem per elationem reprobati sunt. *serm. 2.Dom.14.post Pentecost.*

147. *Humilibus pascentibus oves à Deo destinatur regimen ovium.*

Adhuc est parvulus, & pascit oves, &c. Ecce quod illi, qui ad militiam erant applicati reijciuntur à regimine: sed tantùm unus, qui pascebat oves, scilicet David parvulus, & minimus omnium, ut intelligas, quod non milites, non grandes, non pulchri; sed qui apti sunt pascere oves Christi, ad prælaturas eligendi sunt. *in Ioan. collat.* 90.

148. *In unctione multiplici David in Regem, præfigurata fuere tria Sacramenta baptismi, confirmationis, & extremæ unctionis.*

Tulit Samuel cornu olei, & unxit David. Nota quod tribus vicibus legitur unctus in Regem: primò hic: Secundò in Hebron super Iuda, & Tertiò super omnem Israel, per quod triplex unctio præfigurata fuit in baptismo, confirmatione, & extrema unctione. *l.4.d.8.a.precept.& op.Compend. Theolog.l.6.cap.35.*

149. *Potestas Christi æterna, quæ à Patre ei fuit data.*

Tulit cornu olei, &c. Cur non sumpsit lenticulam, seu fictile vas, ut factum est in unctione Saul; sed corno? Nota quod David figurabat Christum; per cornu significatur potestas durabilis; ideo cornu olei inunctus dicitur, quia potestas à Patre Christo data in cœlo, & in terra erat duratura in æternum. *In Luc.c.1.v.72.*

150. *Spiritus Sanctus habitabat in David, & ideo per Spiritum Sanctum loquutus est in suis verbis.*

Tulitque cornu olei, & unxit eum, & directus est spiritus Domini super eum, à die illa, & deinceps. Cur solùm post unctionem dicitur spiritus Domini directus ad David, & non antea? nonne & antea fecerat multa prodigia miraculosa v. g. occidendo leones? &c. quia antea non operabatur nisi ut persona privata: post unctionem fuit à Deo constitutus ut persona publica, nempè non solùm Rex, sed & Propheta, & doctor; & ideo quæ tradidit in Psalmis, omnia directa sunt à Spiritu Sancto. *in Luc.c.20.v.11.*

151. *Prædicator, & Doctor debet esse inunctus divina gratia, instructus obedientia, & inflammatus benevolentia fraterna.*

Tulitque cornu olei, & unxit eum, & ab illa die, directus est spiritus Domini in eum. Si unctus est, & recepit spiritum Domini David factus persona publica: ergo si eodem spiritu exponendæ, & prædicandæ sunt sacræ Scripturæ, quo conditæ sunt; sequitur ut Doctor, & Prædicator ad hoc, ut juxta regulam divinam exerceat suum munus, debeat inungi: primò gratia divina, & informari consequenter Spiritu Sancto, & ipso dirigente, ex pura obedientia mitti ad prædicandum, simulque inflammati charitate fraterna. *in Luc.*

152. *Tene ô Christiane locum in numero justorum, quem habes, ne alius accipiat coronam tuam; quia Prædestinatus potest fieri præscitus.*

Tulit cornu, &c. & ab illa die directus spiritus Domini ad David, & recessit à Saul. Vide quomodo loco Saulis jam reprobati substituitur est David, non solum in regno terreno; sed & in numero prædestinatorum; Hinc datur intelligentia; quod prædestinatus secundum præsentem justitiam potest fieri præscitus; Ideo cum metu, & tremore operari debemus nostram salutem. *l. 1.d.40. a.1.quæst.2.ad 1.v.2.& in Luc.cap.19.v.24.*

153. *Superbi privantur regno, humiles exaltantur ad regnum gloriæ.*

Tulitque cornu olei, & unxit eum, &c. Cur oleo, & non alia pretiosiori materia voluit Dominus, ut David, & cæteri Reges inungerentur? quia per oleum misericordia in proximum, maximè in pauperes significatur: per hoc eolm voluit docere, quod Reges inungerentur oleo; quia debent esse misericordes in subditus, maximè in pauperes, & quod oleum misericordiæ evehit misericordes ad regnum gratiæ, & gloriæ. *serm. 3. Dom. 12. post Pentecost.*

154. *Prædicator omittent alijs communicare gratiam receptam à Deo, justè ipsa privatur.*

Ab illa die directus est spiritus Domini ad David; & recessit à Saul. Cur Saul privatus est spiritu Dei? si propter peccatum? Cur non etiam David dicitur privatus, cum & ipse peccator fuerit? Nota quod Saul etiam per spiritum Dei, inter prophetas adnumeratus fuerat: sed quia neglexit communicare alijs gratiam, quam receperat, ideo data est David; qui verè obediens fuit, & prophetando, & psallendo, & prædicando: illam enim gratiam amittit, qui eam communicando alijs prædicare neglexerit, augetur autem illi, qui in ea laboraverit: Advertant diligenter hoc cum timore Concionatores, & Prælati Ecclesiæ. *in Luc. cap. 19.v.24.*

155. *Peccatorum spiritualium curatio difficilior quàm carnalium.*

Exagitabat autem eum spiritus nequam. Cur dicitur nequam? nonne omnis dæmon æquè est nequam? quia per hunc spiritum nequam significantur peccata spiritualia, ut superbiæ ambitionis, &c. & ideo dicuntur nequam; quia eorum curatio est difficilior, quam peccatorum carnalium. *in Luc. cap.4.v.39.*

156. *Homo justè permittitur à Deo vexari à Diabolo, quando voluntariè ipse homo se subijcit Diabolo.*

Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. Cur spiritus Diaboli dicitur à Domino, scilicet missus? ergone à Deo incitatur Diabolus ad exagitandum hominem? Respondetur, quod justissimè subijcitur homo Diabolo, Deo sic permittente; quia ipse homo volũtariè

tatiè se subijcit ipsi Diabolo: Vnde homo ipse ex culpa sua vires tribuit Diabolo. *lib.* 3. *d.* 19. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. *conclud. d.* 20. *dub.* 1.

157. *Diabolus nihil potest, nisi à Deo permissus.*

Exagitabat autem Saul spiritus nequam à Domino. Nota illam particulam (*à Domino*), ut videas Dei potentiam; & Diaboli impotentiam: nuo enim aliquid potest, nec etiam in bestias, nisi à Deo permissus. *in Luc. c.* 8. *v.* 32.

158. *Homines superbi, & carnales à Diabolo possidentur.*

Exagitabat autem eum spiritus nequam à Domino. Quænam exagitatio est ista? qoia Saul obsessus erat à Dæmone, & ideo exagitabatur ab eo: per quod intelligitur, quod homines superbi, & carnales, sicut Saul, iusto Dei iudicio expositi sunt dæmonum permissioni, & eo maximè, quia habent in se characterem Diaboli. *in Luc. cap.* 8. *v.* 32. *& l.* 4. *d.* 20. *p.* 1. *quæst.* 5. *in comp.*

159. *Peccatum est Diabolus, peior Diabolo.*

Exagitabat Saul spiritus nequam. Cur dicitur spiritus nequam? nonne omnes dæmones sunt iniqui? sed nota quod licèt Saul esset exagitatus à dæmone obsidente in corpore, tamen in anima habebat spiritum Diabolo nequiorem, ipsum exagitantem, & quis erat? hic erat peccatum mortale: sed nota quod quandoque unus, quandoque septem, quandoque legio istorum dæmonum vexat hominem, tolerabilius enim est habere unum peccatum mortale, quam legionem Dæmonum, *ferm.* 1. *Dom.* 3. *quadrag. in Luc. c.* 11. *v.* 54. *& l.* 4. *d.* 5. *art.* 3. *quæst.* 5. *ad* 3. ô quam perniciosus Diabolus est peccatum, quanta mala infert homini!

160. *Oratio est sonus Cithara, quo aufertur spiritus superbia.*

Tollebat David citharam, & percutiebat manu sua, & recedebat spiritus malus. Quid est quod per sonum citharæ eijciebatur spiritus malus à Saul? Hoc mystice dicitur de vi orationis, cuius sonus expellit spiritum superbiæ à corde. *In Luc. cap.* 11. *v.* 14.

161. *Virtute passionis Christi eijciuntur dæmones à corporibus.*

Tollebat David citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul; & recedebat spiritus malus. Ergone Dæmones timent sonum citharæ? Si spiritus puri sunt quomodò eijci possunt per aliquod medium corporale naturale? Nota, quod hæc est maxima quæstio inter Theologos, & licèt aliqui dixerint, per aliquod corporeum posse enervari vim eorum, tamen Ecclesia tenet oppositum; Vnde si tali sono citharæ fugabatur Diabolus, id dicendum factum esse spiritualiter; scilicet vel oratione, & meritis David ut multi docent, vel quia sonus citharæ significabat passionem Christi figurati in cithara: sicut enim in cithara extenduntur chordæ super lignum, ita membra Christi super lignum Crucis tendebantur. Beneficio ergo passionis Christi eijciuntur dæmones, & per memoriam passionis Christi fugatur spiritus superbiæ, invidiæ, &c. *ferm.* 3. *Dom.* 3. *quadrag. & ferm.* 3. *Parasceve, & op. expos. missæ c.* 4. *& op. comp. Theol. lib.* 4. *cap.* 21.

162. *Psalmodia sacra effectus mirabiles.*

Tollebat David citharam, & manu sua percutiebat, &c. Nota, quod non solum David manu percutiebat, sed & cantu psalmorum refocillabat spiritum agitatum Saulis, & fugabat Diabolum; per quod dantur intelligi effectus mirabiles psalmodiæ in Ecclesia Dei ordinatæ, nam cor hilarescit; spiritus malus tristitiæ fugatur. *opusc. de profess. religios. ferm.* 1. *cap.* 35. Accurrunt Angeli lætantes. *ferm.* 4. *Dom.* 8. *post Pentec. & ferm.* 1. *in festo omnium sanctorum, & ferm. in dedicat, &c.*

163. *Diabolus fugatus est virtute passionis Christi.*

Tollebat David citharam, &c. Hic David est Christus, qui in cithara, scilicet in Cruce extensus, fugavit Diabolum. *in Luc. c.* 9. *v.* 39.

164. *Christus in Cruce velut cithara qualem sonum reddidit.*

Tollebat David citharam, &c. Christus est cithara, cujus membra tamquam cordæ extensa super lignum: de Cruce igitur dulces sonos reddidit; nam duas cordas tetigit pro malis, duas pro bonis directas Matri, & Ioanni reddidit, ut ostenderet qualem curam habet bonorum: per duas malis directas, scilicet rogando Patrem pro Crucifixoribus, & promittendo Paradisum latroni, dedit spem impijs: pro toto mundo tandem sonum reddidit dulcem, ipsum redimendo, se ipsum morti tradendo. *ferm.* 2. *in. Pascha.*



CAPVT XVII.

165. *Christus missus est à Patre in mundum ad visitandum fratres suos.*

Dixit Isai ad David: fratres tuos visitabis, si rectè agant, & cum quibus ordinati sunt, disce, &c. Hic David fuit Christus missus à Patre in mundum ad visitandum nos fratres suos: sed nota, quod Christus venit ad visitandum delinquentes; ut Legatus Provinciam: ad iustificandum pœnitentes, ut medicus ægrotum: ad docendum ignorantes, ut magister discipulum: ad excitandum negligentes, ut Princeps populum: ad promovendum operantes, sicut viator viam: ad conservandum obedientes, sicut Pastor gregem: ad fœcundandum contemplantes, ut sponsus sponsam: ad adjuvandum pugnantes, ut Rex exercitum: ad consolandum patientes, ut sanus infirmum: ad remunerandum operarios, sicut Pater familias. *In Luc. cap.* 1. *v.* 79.

166. *Antichristus figuratus in Goliath.*

Et egressus est spurius de castris Philisthinorum

 homine

nomine Goliath, &c. & exprobrabat agminibus Iſrael, &c. Nota in iſto Goliath figurari Antichriſtum, qui erit magnificus in exterioribus, loqueturque blaſphemiam contra populum Dei.*ſerm.*15.*Hexaemer.*

167. *Chriſtus abſtulit opprobrium hominum triumphando de Diabolo.*

Auferam opprobrium populi, &c. Nota hic fuit Chriſtus Ieſus, qui videns debilitatem noſtram, non valentem dimicare contra Diabolum, triumphavit de ipſo auferens opprobrium noſtrum.*Pſal.* 118.*cap.*2.*v.*6.

168. *Chriſtus in deſerto triumphavit de avaritia tentatione, ſuperbia, & carnalitate, ut nos inſtrueret ad dimicandum cum Diabolo contra hac vitia.*

Leonem, & urſum interfeci, &c. Sic dicebat David, non per jactantiam; ſed gloriando ſe in Dei virtute, in qua triumphavit etiam de gigante: & de iſtis tribus leonibus Chriſtus triumphavit, & vicit in deſerto ſcilicet leonem ſuperbiæ: Vrſum concupiſcentiæ, & gigantem avaritiæ, ut nos inſtrueret qualiter pugnate cum Diaboli tentationibus poſſimus. *ferm.* 3. *Dom.* 1. *quadrag.* & *in Thren. cap.* 3.

169. *Tentatio carnis in principio debilis: in fine invincibilis redditur.*

Leonem, & urſum, &c. Per urſum intelligitur carnis tentatio: urſus enim in capite eſt debilis, fortis in brachijs, & fortior in lumbis: ſic cató in principio debilis; ſed in fine invincibilis redditur. Cave igitur ô homo à carnis illecebris, & principijs obſta. *ſerm.*2.*Dom.*1.*poſt octav. Paſcha & in Thren.cap.*3.

170. *Prælatus debet injuſtè oppreſſos viriliter eripere; & ſe opponere facientibus injuriam.*

Vrſum, & Leonem interfeci, &c. Hoc dicebat David: Per quod ſignificatur, quod Prælati debitum eſt coercere Dæmonum à violentia, ab obſeſſis corporibus viriliter ſemovere; item & ſubditos à tyrannide impiorum defendere, & læſores ad ſatisfactionem compellere, & emendam. *op.Eccleſ.Hierarch.p.*2.*c.*2. Videant igitur Prælati, quod reddituri ſunt rationem Chriſto, ſi deſides fuerint à liberatione ovium ſuarum, quando obſidentur à dæmonibus in corporibus, vel in animabus ſecundum Theologos, tenentur ſub mortali eijcere dæmones, vel curare, & providere miniſtros, qui eijciant eos ab obſeſſis corporibus, eſt enim hic caſus extremæ neceſſitatis.

171. *Conſuetudo eſt altera natura, tam in bonum, quam in malum.*

Non poſſum ſic incedere armatus, David juſſu Saulis totus armis coopertus eſt, ut poſſet totus pugnare contra Goliath: at David experimento didicit ſe non poſſe ſic incedere, & cur? Reſpondit, *quia uſum non habeo.* Sed ſi uſum non habes; cur non uteris fortitudine tua nativa? O reſponſum verè attenta conſideratione dignum, & notabile: Vide ergo quomodò verum eſt, quod dicitur. *ſap. cap.* 12. de aliquibus perverſis: *Naturalis malitia illorum quoniam non poterit mutari cogitatio illorum, &c.* Nam conſuetudo eſt veluti altera natura, ideo dicitur naturalis malitia perverſorum; ſcilicet naturali ſimilis per uſum pravæ conſuetudinis: ſicut enim, quæ ſunt à natura difficilè, vel nunquam exui poſſunt, ſic nec ea, quæ ex conſuetudine, ex qua ut plurimum oritur obſtinatio in malo. *in ſap. cap.*12. O quot igitur conſuetudinarij redacti ad extremum vitæ; ſi velis eos induere armis ſpiritualibus, ut totius occurrant hoſtibus, tenuentes ea dicunt, non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo: Quæ doctrina diligenter eſt advertenda ab adoleſcentibus in via Dei ad perfectionem tendere volentibus: uſus enim diſciplinæ ad virtutem animum dirigit; quia qui diſciplinam in novæ converſationis initio negligit; ad eam poſtmodum difficilè applicatur, & formam, quam quis primò recipit, vix deponit. *op.ſpecul.diſcipl.in prolog.*

172. *Humilitas comparatur quinque lapidibus pretioſis, quibus vincitur ſuperbia.*

Elegit quinque limpidiſſimos lapides. Cur quinque lapides elegit ad ſuperandum Gigantem? quia humilitatis virtute triumphavit David, & quia humilitas comparatur quinque lapidibus pretioſis primò Amethiſto, qui reprimit ebrietatem ſuperbiæ: ſecundò Iaſpidi, qui fugat Phantaſmata honorum: tertiò Saphiro, qui reprimit tumores: quartò onychino, qui reddit invictum: quinto Adamanti, qui reddit hominem Deo gratioſum; & hominibus. *op. Diat ſal.tit.*7.*cap.primo.*

173. *Prædicatio divini Verbi in Eccleſia Dei Diabolum qualiter vincit, & dejicit.*

Tulit quinque limpidiſſimos lapides, &c. & poſuit in pera paſtorali. Vide quomodò David volens Goliath occidere, præparavit ſe quinque lapidibus, ſed cur quinque lapidibus? Nota quod hic inſtruitur Prædicator divini verbi, qui ut triumphet de Diabolo; debet in pera ſcilicet in memoria quinque lapides reponere; nempè quinque verba loqui, ad imitationem Apoſtoli. 1. *Cor. cap.* 14. ſuntque Verbum comminationis, promiſſionis, delectationis, imitationis, & orationis; his quinque verbis eſt plena ſacra Scriptura, & evertitur totum Regnum Diaboli. *Pſalm.* 143.

174. *Quinque vulnerum Chriſti conſideratio vincit Diabolum.*

Elegit quinque limpidiſſimos lapides, & miſit eos in peram, &c. Cur quinque, & non ſex lapides? Nota, quod David quemlibet fidelem ſignificat, qui invocatione nominis Domini in oratione, & in baculo Crucis, & quinque lapidibus, ſcilicet quinque vulnerum Chriſti continua recordatione, & devota Chriſti imitatione Diabolum vincit. *ſerm.* 4. *in circumciſ.* & *ſerm.* 9. *in Nativ.*

175. Diabolus

175. *Diabolus victus est virtute Crucis, & quinque vulnerum Crucifixi.*

Tulit baculum, & peram, & elegit quinque lapides limpidissimos, & posuit in pera. Ad quid sumpsit David baculum, & elegit quinque lapides, &c. nonne vnico ictu lapidis prostravit Goliath? Nota bic fuit Christus, qui à Patre fuit missus ad triumphandum de Diabolo, sed modo insolito, & singulari: nam baculo Crúcis, & quinque lapidibus, scilicet volneribus in corpore suo susceptis Diabolum prostravit. *ser. 9. in Nativ. & s. 2. Dom. 2. Advent.*

176. *Idem probatur.*

Tulit baculum, & peram, & elegit quinque lapides limpidissimos, & posuit in pera. &c. Cur notat fuisse limpidissimos hos lapides? Iam dictum est hos lapides figurasse quinque vulnera Salvatoris, quæ cuicunque fideli exposita sunt à Christo; vt discat ad imitationem Christi modum, quo triumphare poterit de Diabolo, nempe in pera Memoriæ reponendo hæc sacrata vulnera: Cum igitur insurgit molestia tentationis, maximè carnis, ad meditationem Passionis, & vulnerum Christi recurre, à quibus virtutis, & gratiarum fluenta senties permanare, quibus inflammatus, & confortatus faciliter de Diaboli fraudulentia, de Mundi malitia, & de carnis illecebris triumphabis. *fer. 1. Dom. 5 post oct. Pasch.*

177. *Idem Confirmatur.*

Elegit quinque lapides, & posuit in pera: tulit baculū. Nota, quod primario dicitur de Christo, qui vt dictum est baculo Crucis, & passionis triumphavit de Diabolo: sed tamen quisque fidelis invitatur ad Christi imitationem; qui enim vult de Diabolo, de Mundo, & carne triomphare, debet accipere Crucem suam, & sequi Christum, scilicet mortificationem in suo corpore sumere, & vitam, & vulnera Iesu Christi per imitationem manifestare, talis enim cum perdiderit animam suam cum vitijs, & concupiscentijs in præsenti, inveniet eam per deiformis gloriæ acquisitionem in futurum, quia qui sunt socij tribulationum, erunt & consolationum. *fer. 1. Dom. 1. post octav. Pascha.*

178. *Per pœnitentiam perfectam vincuntur hostes.*

Elegit quinque limpidissimos lapides. &c. Nota quod per David significatur perfectus pœnitens, qui volens Diabolum prosternere, sumit quinque limpidissimos lapides, scilicet quinque partes, & exercitia veræ pœnitentiæ: suntque consideratio diligens peccatorum, contritio, Ieiunium, oratio, & eleemosyna, & hi lapides in pera pœnitentiæ reponi debent, quibus secorè diabolus prosterni potest. *in Ioan. c. 5. v. 3.*

179. *Diaboli sunt canes, qui fugantur baculo Crucis.*

Nunquid Canis ego sum, quod tu venis ad me cum baculo? Vide quomodò Goliath deridebat David venientem ad prælium cum baculo, & non cum gladio: sed per hoc datur intelligi, quod Goliath est Diabolus, qui vt canis est fugandus, & vincendus cum baculo Crucis, vt discas, quod Crux est humilium invicta tuitio, superborum abiectio, Victoria Christi, & perditio Diaboli. *serm. 2. Dom. 2. Advent.*

180. *Christus arte mirabili, & mundo inusitata triumphavit de Diabolo.*

Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ. &c. Hæc dicebat Goliath contemnendo David parvulum venientē pugnare non modo vsirato, sed inermis, & cum solo baculo, & quinque lapidibus. Hoc totum fuit figura Iesu Christi de Diabolo, qui contemnens infirmitatem carnis Christi victus est arte mirabili; nam cum exposuisset carnes suas volatilibus cœli, scilicet Iudæis persequentibus, & bestijs terræ, scilicet Gentilibus qui crucifixerunt Christum, & dum autem Diabolus credebat carnes Christi devorandas esse, ecce quod Christus carne à Diabolo contempta diabolum stravit, invadens eum baculo Crucis, & quinque vulneribus in corpore suo susceptis. *serm. 9. in Nativ. & opusc. Myst. Theolog. c. 2. p. 5.*

181. *In Virtute nominis Iesu anima triumphat de Diabolo.*

Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clipeo: ego autem ad te in nomine Domini exercituum Israël. Hoc dixit David ad Goliath: sed quodnam est hoc nomen Domini exercituum Israël, tam virtuosum, vt reddat hominem Invincibilem? Hoc est nomen Iesus, in cuius virtute, consequimur veniam, gratiam, & gloriam, & præcipue securè victoriam contra Goliath, scilicet Diabolum, cuius gladius est tentatio carnalis, has ictationes vincit spiritualis clypeus, sub quo se abscondit, est simulatio boni sub cuius specie decipit: Per quod datur intelligentia, quod invocatione nominis Iesu, dæmones nobis subijciuntur; & vincuntur totaliter, ac perfectè. *fer. 4. in Circumcisione Domini.* Sed quid significat, quod quinque lapides limpidissimi ad invocationem Iesus adduntur? significant autem virtutem plagarum Christi; baculus autem virtutem Crucis, quæ omnia continentur in invocatione huius sanctissimi nominis. *ibidem.*

182. *Mirabiles effectus nominis Iesu enarrantur.*

Tu venis ad me cum gladio, &c. ego autem in nomine Domini exercituum. Sed qua promissione ad pugnam tam periculosam procedis ô David? non alia nisi in virtute nominis Iesu: Vide quam mirabiles effectus, & virtutes continet hoc nomen, quia hoc nomen fuit ab æterno consecratum, ab antiquis præfiguratum, à Prophetis desideratum, à sanctis Patribus prophetatum, à Deo nominatum; ab Angelo prænuntiatum, à B. Virgine prædicatum sanctum, ab Apostolis magnificatum, à Sanctis Virginibus prægustatum, ab omnibus sanctis exaltatum. In hoc nomine sunt quinque litteræ quasi quinque lapides pretiosissimi, I. E. S. V. S. per quas significatur, quod in invocatione huius nominis habetur, iucunditas mærentium, æternitas viventium, sanitas languentium, vbertas egentiū, & satietas esurientium: in hoc nomine continetur natura divina, & humana Christi: hoc nomen ex se habet virtutem; salvat enim à peccato à Diabo-

lo,& ab inferno. *op.Comp.Theolog.l.4 c.12.& Vid. op.medit.vita Chriſti, cap.100.*

183. *In nomine Ieſu virtute omne genu flectitur,&c. Dæmones fugantur.*

Ego venio in nomine Domini exercituum. Vide quomodò in nomine Ieſu eſt devictio triumphalis omnium poteſtatum adverſantium;& ideò omnis ſpiritus ſubjiciendus eſt huic nomini: nempe cæleſtis, terreſtris, & infernalis: ergo ab omnibus invocandum eſt.*In Ioan.collat.65.& op.de quinq. ſolemnit.&c.*

184. *Confidentia in Deo cum humilitate triumphat de inimicis noſtris.*

Tu venis,&c.ego verò in nomine Domini,&c. Vide qualibus armis ad pugnam acceſſit David contra Goliath, nempe armis confidentiæ firmæ in Deum cum humilitate: hæc enim contra quamlibet vim ſecurè pugnat. *op. de pugna virtutum; cap. 9. & ſer.2.de uno Confeſſore, & ſer.3. de uno Martyre. Ego verò in nomine Domini.* Quaſi dicat;Non diffido intuitu meæ fragilitatis imò confido in Domino, conſideratione divinæ virtutis, potentiæ, & clementiæ, quia qui incepit in me bonum propoſitum; tantum opus bonum perficiet. *ferm. 3. Dom.23. poſt Pentec.& ſer.3.de uno martyre,&c.*

185. *Eccleſia triumphat de hæreticis, & inimicis, mediantibus Doctoribus, & Prædicatoribus.*

Prævaluitque David adverſus Philiſthæum,in funda, & lapide. Cur de funda ſit hic mentio?Si ſolo jactu lapidis triumphavit: myſticè hic agitur de triumpho Eccleſiæ contra hæreticos, & perſecutores; nam ſicut ex funda exeunt lapides;ſic ex Eccleſia Doctores, & Prædicatores, quibus mediis, proſtrantur hoſtes, & ſicut exeunt lapides ex funda in gyrum miſſa: Sic & Eccleſia per gyrum temporum ſemper emittit, omnibus temporibus ſuos miniſtros ad præliandum contra hoſtes. *Pſalm.143.*

186. *Anima ſi vult triumphare tuto de hoſtibus, debet eſſe feſtina in obediendo, & pugnando contra vitia.*

Cucurrit David & ſtetit ſuper eum, & tulit Goliath gladium, & interfecit eum. Vide ſedulitatem & artem Davidis, cognovit autem quod complementum hujus victoriæ conſiſtebat in feſtinantia; ideò dicitur cucurrit,&c. Per hoc edocetur homo, quod obedientia feſtina eſt, quæ reportat triumphum. *Pſalm.118.c.2.v.16.*

187. *Perfectus propugnator hoſtium armis ipſorum utitur ad triumphum.*

Cucurrit, & ſtetit ſuper eum, & gladio Goliath interfecit eum. Vide etiam, quod non eſt contentus David proſternere ad terram hoſtem, & ſuper ipſum inſurgere, ſed etiam ejuſdem armis ipſum confodere: Sic, & quilibet vult perfectum triumphum reportare, non ſolùm armis propriis, ſed & artem addendo arti, armis eorundem inimicorum, in ipſos inſurgere, & ſubjugare, ne ſeipſum permittat,tam vili Domino ſubjugare,& à Ieſu Chriſto ſeparari. *op. Myſt.Theol. cap.2. p.2.* Hinc Ieſus Chriſtus uſus eſt ad triumphum ligno Crocis,quo Diabolus uſus eſt, ad decipiendum hominem. Sicque veluti alter David, gladio Diaboli uſus eſt,ad ipſum proſternendum. *In Ioan.collat.85.& op.Comp. Theolog.l.4.cap.21.Sic & Gloſſa moralis:* Quod verò armis ipſius Diaboli poſſit homo de ipſo Dæmone triumphare, patet, ut per ictus ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, &c. tentator: retorquendo hoa ictus in ipſum ſeque humiliando, & reſiſtendo ſecure triumphat, &c.



CAPUT XVIII.

188. *Qualis ſit amicitia bona, & qualis mala*

Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David Nota hoc verbum (*conglutinata eſt,*) per quod ſignificatur vinculum ſtrictiſſimæ amicitiæ inter homines:ſed tamen advertendum,quòd eſt amicitia malorum cum malis, & hæc ſimpliciter eſt mala, eſtque illa, qua Herodes, & Pilatus facti ſunt amici ad invicem contra Chriſtum: Alia eſt amicitia bonorum cum bonis, & talis fuit inter Ionatham, & David: hæc enim auget bonitatem ſe rectè amantium, ſibi invicem bona propria communicantium, & mutuò ſe docendo exemplis, ſuffragiis adjuvando, ad perfectionem perveniunt. *ſer.10.de Apoſtolis.*

189. *Invidia peſſimum omnium malorum.*

Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die illo. Sed à qua die? nempe à die, in quo à filiis Iſrael recognita fuit victoria hoſtium ex virtute David, unde canebant, *Saul percuſſit mille, & David decem millia*: Et hoc fuit, quia Saul invidebat ipſi David, quia oculis invidi odioſa eſt lux: *in Sapien. cap. 2.* Vide ergo quàm grande malum eſt invidia, quæ ſicut dicitur de igne Græco, qui in aqua magis exardeſcit, ſic invidia in aqua gratiarum fortius exardeſcit: unde deberet extingui, & ideò dicitur fera peſſima inter omnia vitia, quia cætera uni tantùm opponuntur virtuti: at invidia opponitur omni bono, & virtuti, & reddit hominem crudelem, & infeliciſſimum. *opuſcul. Diat.ſal.titul. 1.cap. 4.* Non eſt igitur mirum, ſi Saul ex invidia malè aſpiceret David, à quo tot beneficia receperat.

190. *Chriſti vulnus latens eſt habitaculum ſacrum nobis à perfidia Iudæorum præparatum.*

Saul miſit lanceam putans poſſe confodere David cum pariete, &c. Ecce quomodò caſſo vulnere in parietem foramen fecit, &c. Idque fuit figura populi Iudaici, qui putans poſſe occidere Chriſtum,foramen fecit in petra,ſcilicet in pectore humanitatis, & nolens, ſic diſponente divina Miſericordia nobis habitaculum columbinum præparavit. *opuſcul. lignum vitæ titul. Ieſus translanceatus.*

191. *Vera*

191. *Vera prudentia supernaturalis oritur ex humilitate: imprudentia ex superbia.*

In omnibus David prudenter se habebat, & Dominus erat cum illo. Vide quales effectus humilitatis David, quia enim erat humilis, & charus Deo, ideò Deo dirigente prudenter se in omnibus gerebat: unde superbus non potest habere veram prudentiam. *In Luc. cap. 6. vers. 14.* Sed hic attende: Prudentia habet istos gradus: primus est dirigere ad rationis normam, quæ cogitat, & quæ agit, ita ut nihil præter rectum facit, vel vult, & dicitur virtus politica, secundus est mundum divinorum contemplatione despicere, & dicitur virtus purgatoria; tertius est solùm divina intueri, & dicitur virtus purgati animi; hancque perfectè habuit David. *opuscul. de quatuor virtut. Cardinal.*



CAPUT XIX.

192. *Aliquando licet iustis ad tempus fugere persecutiones, & persequutores.*

Deposuit David Michol per fenestram, porrò ille abiit, & aufugit, & salvatus est. Vide quomodò viris justis, exemplo Christi, licèt aliquando evitare, & fugere persequutiones, nempe cum vident hoc magis expedire saluti publicæ. *in Luc. cap. 21. vers. 21.*

193. *Involuti in vinculis peccatorum debent fugere per fenestram pœnitentia.*

Deposuit eum per fenestram; porrò ille abiit, & salvatus est, &c. Cur per fenestram, & non per ostium voluit demitti? per fenestram, quia alius modus ei non supererat aufugiendi; per hocque significatur, quòd qui vinculis peccatorum irretitus est, vel qui ab hostibus suis est circundatus, alius modus ei non superest aofugiendi, nisi per fenestram pœnitentiæ; & quia hæc fenestra moltis videtur nimis arcta, ut est usurario, & raptori alienorum bonorum restitotio, hinc non valent evadere capturam inimicorum. *sermon. 6. Domin. infrà oct. Epiphan.*



CAPUT XX.

194. *Amans ardenter existimat impossibile possibile, & possibile impossibile.*

Absit non morieris, &c. Hoc dixit Ionathas Davidi, quem ardenter amabat; sicut etiam Petrus dixit Christo, absit hoc, non morieris: hoc enim est proprium ardenter amantium putare impossibile id quod est possibile, sed non vellent: & è contra possibile impossibile quod amant & vellent. *serm. 1. in Cathedra S. Petri.*

195. *Christus voluit se aliquando prudenter occultare ad exemplum nostrum.*

Dimitte me (ait David Ionathæ) ut abscondar in agro usque ad vesperam tertia diei, &c. Quarè usque ad vesperam tertiæ diei, & non potius quartæ? quia id fuit figura Iesu Christi, qui voluit se occultare usque ad resurrectionem, ut daret nobis exemplum magis humiliter nos occultandi, quàm impudenter ostentare nostram virtutem. *in Luc. cap. 4. vers. 42.*

196. *Ad desertum Religionis debet homo vocatus secedere, & à mundo se alienare.*

Dimitte me, ut abscondar in agro usque ad vesperam, &c. Nota, quòd homo hoc debet dicere Mundo, quando vocatur à Deo per tribulationes, & inspirationes: dimitte me, ut abscondar, scilicet in deserto Religionis, paupertatis, & perfectionis usque ad vesperam, scilicet usque ad mortem, ut abscondar à persequutionibus Diaboli, Mondi, & carnis, &c. *in Luc. cap. 4. vers. 42.* O Felix fuga, quæ parit nobis victoriam, & triumphum de hostibus!

197. *Sagitta vulnerantes cor sunt timor, dolor, & amor, contra sagittas Diaboli.*

Tres sagittas mittam iuxta lapidem; quasi exercens me ad signum. Hoc fuit signum, quod Ionathas dedit Davidi, quòd redierat in gratiam Patris, scilicet sagittæ intra se, scilicet juxta David erant, &c. Sed cur tres sagittæ? Mysticè Ionathas significat Christum, qui tres sagittas igneas mittit in suos, quibus instinctu, & missione Spiritus Sancti vulnerat suos, & attrahit ad suam amicitiam, suntque timor, dolor, & amor; timor pœnam, dolor culpam, & amor gratiam, & gloriam respicit: quæ sagittæ sunt contra sagittas Diaboli, quas mediante lingua immittit in suos. *fer. 7. in Pentecost.*

198. *Timoris Domini origo est consideratio potentia, & sapientia, & iustitia Dei.*

Tres sagittas mittam iuxta lapidem, &c. Cur tres sagittas, & non quatuor? Nota, quòd per sagittam vulnerantem cor, significatur timor Domini, dicitur autem (trinus,) quia timor Domini respicit trium personarum divinarum potentiam insuperabilem, sapientiam inscrutabilem, & justitiam indeclinabilem, quæ rectè consideratæ timorem Domini in anima imprimunt. *fer. 3. Dom. Trinit.*

199. *Homo adjutus gratia Christi surgit à statu peccati, & eximit se à tyrannide Diaboli.*

Surrexit David, & fugit à facie Saul. Nota, quod Saul interpretatur (abutens,) & significat Diabolum, qui abutitur creaturis Dei, de cujus potestate David, scilicet fidelis per auxilium virtutis Christi surgit fugiens ab ejus fraudibus. *fer. 4. Dom. 18. post Pentec. & fer. 1. Dom. infrà octavam Nativit.* Si vis ergo securus esse à potestate, & tyrannide Diaboli, per orationem recurre ad divinum auxilium.

CAPUT



CAPUT XXI.

200. *Iuſtus inter malos dicitur ſolus.*

Solus dicitur, qui non habet ſocietatem proportionatam ſtatui: Sic Abimelech dixit Davidi, *quarè tu ſolus es*, licet haberet ſecum pueros, & ſervos. *in Luc. cap.6. verſ.* 3. Sic etiam ſolus dicitur qui inter malos bonus eſt: ô beata ſolitudo, quæ poteſt haberi etiam in frequentia populorum.

201. *Verba Sacræ Scripturæ ſunt panes reficientes animam.*

Si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi. Cur David petit à Sacerdote quinque panes, & non ſex? quinque panes ſunt libri legales Sacræ Scripturæ; vel verba Doctrinæ divinæ, quæ his quinque verbis comprehendirur, ſcilicet, Crede, fuge, age, time, appete; Crede in Deum; fuge vitium; age bonum; time ſupplicium; appete præmium; hi panes ſunt neceſſarij ad cibandam animam ſpiritualiter. *ſermon.* 3. *Domin.* 4. *quadrageſima.* Ne igitur fame moriatis, recurre ad Sacerdotem, & Prædicatorem, ut cibet animam tuam bis panibus; hi ſunt panes, quos populo debet diſtribuere concionator, & Sacerdos.

202. *Quinque partes pœnitentiæ ſunt panes reficientes animam.*

Da mihi quinque panes. Hic eſt vetus fidelis, qui fugiens Mundum, Diabolum, & peccatum petit à Deo quinque panes; ſcilicet partes pœnitentiæ, quæ ſunt contritio, confeſſio, oratio; jejunium, & eleemoſyna, quæ à Christo miniſtrantur vero pœnitensi. *ſer.3.Dom.4.quadrag.*

203. *Diſciplina, & continentia chriſtiana reficit animam.*

Da mihi quinque panes. Nota iſti panes erant hordeacei: qui ſignificant rigorem diſciplinæ, & continentiæ quinque ſenſus ab illicitis cohibentis; talique continentia anima paſcitur, & tamquam panibus confortatur; ô qualis refectio cauſatur à mortificatione ſenſuum! *ſermon.3.domin.4. quadrageſima.*

204. *Quinque vulnera Chriſti ſunt quinque panes reficientes animam.*

Da mihi quinque panes, &c. Nota hic eſt fidelis, qui à Chriſto petit hos panes, & quoſnam? Panes quinque ſunt vulnera Chriſti, qui multum reficiunt animam devotam, qui ſunt hordeacei per compaſſionem, & melliti per devotionem: unde dicit anima: da mihi, &c. ſcilicet liceat mihi per has rimas ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: & de his panibus liceat mihi colligere fragmenta. *ſerm.3.dom.4.quadrageſima.*

205. *Doctrina Sacræ Scripturæ ſuperat quamcumque aliam.*

Da mihi quinque panes, &c. Per hos panes ſignificantur ſolida documenta Sacræ Scripturæ, ut dictum eſt: ſed cur nomine panis, & non alterius obſonij ſignificantur? quia in cæteris cibis vincit panis utilitas, tum ratione fundamentalis principalitatis inter alimenta, tum ratione ſuæ appetibilitatis, tum ratione ſuæ efficacis virtutis ad alendum, & ideò pan Græcè dicitur omne Latinè, id eſt omnis eſca, ſeu omne bonum. *in Ioan.collat.* 30. Verbum igitur divinum eſt omne bonum, nec aliud poteſt ei æquiparari, & ſine illo nihil boni poteſt haberc.

206. *Multiplex panis ſpiritualis proponitur animæ à Prædicatoribus.*

Da mihi quinque panes, &c. Nota quòd primus panis ſpiritualiter reficiens animam eſt refectio pœnitentiæ: ſecundus eſt ſalutaris doctrina, verbumque Dei: tertius eſt juſtitia delectans, ſcilicet opera bona; quartus eſt charitas confortans; quintus eſt cælica conſolatio; de his omnibus debet doctor prædicare, ſed ut ea diſtribuat audientibus, debet priùs ipſe habere, ſcilicet opere adimplere. *In Ioan.collat.*30.

207. *Quænam munditia exigatur in miniſtris Altaris.*

Si mundi ſunt pueri à mulieribus manducent. Vide qualem munditiam exigebat Sacerdos legalis in pueris David, ut poſſent manducare panem ſacratum: per hoc datur intelligi, quòd ſubditi, ſcilicet miniſtri Altaris debent eſſe mundi ſicut pueri, munditia ſcilicet cordis, oris, & corporis: mundos enim, & immaculatos ſubditos, & miniſtros requirit Dominus, ſimiliter & Prælatos. *op. Eccleſ. Hier.p.3.cap.2. & in Luc. cap.18.verſ.*16. Væ igitur impuris Sacerdotibus, qui anima immunda audent accedere ad Altare.

208. *Quænam munditia exigatur in accedentibus ad Euchariſtiam conficiendam, & ſumendam.*

Si mundi ſunt pueri, & maximè à mulieribus, &c. Nota, quòd ſi Sacerdos legalis exigebat à manducare volentibus panem ſanctum, non ſolum continentiam à carnis illecebris, ſed & omnem munditiam, multò magis hæc requiritur in Sacerdotibus Evangelicis; ideò his verbis datur nobis intelligentia quali munditia debent eſſe ornati Sacerdotes, & Miniſtri Altaris, aliique accedentes ad eſum Euchariſtiæ: Exigit enim Deus munditiam cordis, oris, corporis, & maximè à carnis illecebris, non enim habitat Chriſtus in anima malevola, & in corpore ſubdito peccatis; item & munditiam paramentorum Altaris, & ſacrorum vaſorum, ut cum honore, & omni diligentia tractetur ille, qui eſt Angelis tremebundus; ſed heu quot ſunt hodie Sacerdotes miſeri, & ſuæ ſalutis improvidi, item & chriſtiani, qui corpus Chriſti in altari veluti pecudum carnes manducant, & involuti, & contaminati abominationibus, de quibus fas non eſt dicere, ſceleratis moribus, & pollutis labiis contingere non verentur, & oſculari filium Dei, & Mariæ Virginis

sacrificium suscipit Deus audeo dicere, mendax est, & socius peccatorum: Insuper quod deterius est, ad tantam quidem pervenerunt istis diebus perversitatem, & stoltitiam, vt putent infelicissimi sua scelera,& immunditias peccatorum, quæ quotidie reiterare proponunt, absque pœnitentia, & confessione, per sacram Communionem quotidie celebrantes, expiare:tales non sunt Sacerdotes, sed sacrilegi, non Christiani, sed hæretici.*op.de preparatione ad Missam cap.4.*

209. *Voluntas eum à peccato iustificatur, fit Deifica.*

Porrò via hac polluta est, sed & ipsa hodie in vasis sanctificabitur. Nota, quod de pueris loquens Sacerdos dixit, viam ipsorum esse pollutam, scilicet quia erant laici, nec poterant comedere de pane sanctificato iuxta legem: tamen necessitate vrgente, ne fame perirent eis datus est; mysticè via polluta est voluntas per peccatum à Diabolo possessa, quando iustificatur per pœnitentiam, Deifica, & sancta fit per adventum gratiæ sanctificantis.*Psal.118.cap.8.v.16.*

210. *Immunditia corporis qualis impediat Communionem.*

Porrò si pueri sunt mundi, maximè à mulieribus, &c. Nota quod requiritur munditia omnimoda, sed maximè à mulieribus, scilicet à carnalitatibus ad recipiendum panem Eucharisticum; hæc enim præcipuè debet haberi à communicante:vnde si pollutio corporis est cum consensu vel culpa, hæc impedire debet Communionem: si est sine culpa, mnc aliquando sanum est consilium abstinere, aliquando verò excusatur.*op.de preparatione ad Missam,& l.4.d.12.p.2.art.2.q.3.*

211. *Necessitas non habet legem.*

Dedit sanctificatum panem &c. Vide, quòd licet lex prohiberet, vt laici non manducarent ex panibus sacratis, tamen hac non obstante Sacerdos eos dedit Davidi, & pueris eius, quia erant positi in necessitate,nec aliud habebant ad manducandum, quia vbi necessitas adest, sæpe quis excusatur à legis observantia.*in Luc.cap.6.v.4.*

212. *Christus figuratus in David, dum se stultum finxit apud Regem Achis.*

Collabebatur inter manus eorum &c. Sic Christus per impulsum alaparum collabebatur inter manus persequentium, ligatusque fuit violenter ab eis, defluebantque salivæ in barbam, quandosputis in facie maculatus fuit.*serm.1.2.& 3. in Parasceve.* Vnde sicut stultus Christus reputatus est.&c.*in Sap.cap.5.*

213. *Simulatio alia licita, alia illicita.*

David se simulavit insanum coram Achis &c. Nota quod simulatio alia est licita, vt hic, quæ fit timore cadente in constantem virum: alia illicita, quæ fit intentione decipiendi alios.*lib.4. d.38.dub.5.*

CAPUT XXII.

214. *Exercentis vitam activam, simul & contemplativam sublimitas.*

Quis sicut David fidelis egrediens,& ingrediens ad imperium regis? Ita Sacerdos loquebatur Sauli de Davide, qui figurabat virum se exercentem in vita activa, & contemplativa iuxta imperium superioris: promptus enim est ad egrediendum ad vitam activam, & ad ingrediendum in contemplativam; de tali igitur dicitur, quis ita fidelis; hic enim est status perfectior vtroque sumpto seiunctim. *op.meditat.vita Christi c.57.*

CAPUT XXIII.

215. In dubijs consulendus est in oratione Dominus Deus tamquam verus doctor: sic fecit David, dum morabatur in Civitate Ceilæ dubitans de fidelitate civium, tunc enim confugit ad Dominum dicens, *Domine Deus indica servo tuo &c. Psal.118.c.10.v.7.* In dubijs igitur, & difficultatibus occurrentibus confugiendum ad orationem tamquam ad oraculum verissimum.

216. *Volens ingredi religionem debet eligere perfectiorem, & observantiorem.*

Morabatur David in deserto, in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis: Vide quantis cautelis vsus est David, vt evitaret violentiam Saulis; se reduxit in deserto in locis firmissimis, & in monte solitudinis: daturque intelligentia, quòd qui vult esse securus ab insidijs Diaboli,debet ad imitationem Christi se conferre ad religionem altissimæ perfectionis,figuratam per desertum, & montem solitudinis,*in Luc.cap.4.v.42.*

217. *Mundi felicitates apparentes sunt, & vana.*

Ziphæi dixerunt Sauli,nostrum erit, vt tradamus David in manu tua. Nota,quod cum mysterio maximo dicitur,quod David traditus fuit à Ziphæis: Ziphæi enim interpretatur,quasi florentes,& ideò significant mundanos, & Ziph florens significat mundum florentem, & sicut in flore est pulchritudo,spes,& delectatio,sic in mundana prosperitate est pulchritudo,spes,& delectatio,quæ vt flos citò evanescunt,& mundanos decipiunt.*in.Ps.53. & 27.*

218. *Compassio miserorum est Deo chara,& ab ipso benedicta.*

Benedicti vos à Domino,quia doluistis vicem meã; Hæc verba dixit Saul Ziphæis compatientibus infelicitatibus suis:& licet ea malo animo protulerit,tamen à Deo diriguntur compatientibus proximo existente in infirmitate,& tribulatione: solatium enim est miserorũ grande,cum vident alios sibi compati,& ad reparationis suæ studium fideliter cooperari.*op.de sex alis seraph.c.4.*Compassio autem fraterna effectus est charitatis,& facit hominem membrum Christi, & hæc habet pietatem in corde, erogationem in facultatibus, sollicitudinem in necessitate, & protectionem ab

ab hoſtibus ; qui hæc non exercet, membrum non eſt Chriſti. *Pſal.* 118.*v.*113. *& ſerm.*2. *de pluribus Confeſſoribus.*

219. *Sacra Scripturæ arcana qualiter perquirenda, & conſideranda.*

Diligentius præparate, curioſius agite, & conſiderate locum vbi ſit pes eius, vel quis viderit eum ibi. Nota hæc verba dixit Ziphæis Saul, vt perquirerent David, ſed malo animo, & crudeli; ideò non ipſum invenerunt: At è contra in his verbis traditur modus, quo arcana Scripturæ debeant inveſtigari, vt inveniatur Chriſtus, debet enim homo præparare rationem figuræ latitantis in Scriptura Sacra, conſiderare pedem litteræ, & continuo ſtudio ſe applicare Sacræ Scripturæ, vt figura conformetur litteræ, & è converſo; & inde eruere myſteria eiuſdem, quæ tamen à Domino in oratione debemus petere. *Pſal.*118.*cap.*2.*v.*2.

220. *Mali ſemper inſurgunt in bonos, ipſoſque ſemper in numero ſuperant.*

Porrò Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant David, & vires eius, vt caperent eos. Vide quomodò mali ſemper in numero ſuperant bonos, & eos perſequuntur, ſicut Saul David, quod & magis eveniet tempore Antichriſti, qui cum exercitibus inſurget contra Eccleſiaſticam pacem. *in Luc. cap.*21.*v.*20.



CAPUT XXIV.

221. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Dominus.*

Propitius ſit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Chriſtum Domini &c. David cum circumdatus eſſet à Saul, & exercitu eius, potuit occidere perſequutorem, ſed ob exercitium charitatis ſuæ non eſt auſus id facere volens potius remittere vindictam ad Dominum Deum, ſed hic nota, quod volens parere inimico præmiſit hæc verba: *propitius ſit mihi Dominus*; vt daret intelligi, quod maxima eſt miſericordia Dei, quando tribuit alicui gratiam parcendi proximis, quia multo propitior erit ei Deus, dum pepercerit: vnuſquiſque enim talem indulgentiā accepturus eſt à Deo, qualem impenderit proximo; in quo David dedit nobis maximum exemplum ad imitationem, & maximè dum peperceit homini iniuſte perſequenti ſe, & non timenti Deum, nec homines, remittendo vindictam ipſi Deo. *ſ.*2.*Dom.*10. *poſt pentecoſt. & ſer.*18.*Hexaem. & op. de pugna virtutum.c.*6.

222. *Vera humilitas eſt in corde, ore, & opere.*

Quem perſequeris ô Rex? canem mortuum, & pulicem vnum. Vide qualem humilitatem gerebat David in corde, dum ſe humilians coram inimico fatetur ſe canem mortuum, & pulicem, ideſt nullius valoris: vt videas quod humilis verus, humiliat ſe corde, ore, & opere, ore ſe vilem reputando, & ab alijs talis cupit reputari, ore non ſolum ſilendo, ſed & loquendo humiliter; item in opere ſubmittendo ſe omnibus. *ſer.*3.*Dom.*16. *poſt pentecoſt. & op. de gradibus virtut. c.*3. *& de pugna vitiorum. c.*9.



CAPUT XXV.

223. *Per peccatum Adæ omnis homo cecidit in ſervitutem.*

Hodie increverunt ſervi, qui fugiunt Dominos ſuos. Nota hæc dixit Nabal de David, & viris eius; ſed tamen hoc verificatum eſt in peccato, quo Adam cecidit ab amicitia Divina, tunc enim omnes homines ceciderunt in ſervitutem, dum pars inferior dominata eſt ſuperiori, & ſenſitiva rationi. *Pſal.*118 *cap.*6.*v.*4.

224. *Non ſufficit in Religione à malis ſe abſtinere ſed requiritur ſtudium virtutum.*

Homines iſti ſatis boni ſunt, & non moleſti &c. Hoc dictum eſt de David, & ſuis ſequacibus; ſed advertendum, quod ſimili modo poteſt dici de religioſis illis, qui in religione malum non faciunt, nec tamen in bonis operibus ſe ſtudioſe exercent, vt ſunt qui quietè, & pacificè cum alijs vivunt, nullum offendentes, nec pravo opere ſcandalizantes, de quibus communiter dicitur; Iſti homines ſatis boni ſunt, & non moleſti: ſed tamen hoc non ſufficit in religione, nam requiritur, vt in ſtudio virtutum ſe exerceant; nam etiam & pueri baptizati eodem modo boni iudicantur; nam religio eſt ſchola virtutum, in qua non ſufficit ſe abſtinere à malis, ſed etiam exigitur exercitium ſtudioſum virtutum. *op. de ſex alis Seraph. cap.*3.

225. *Prælato quàm ſit neceſſaria patientia, & quàm noxia ſit impatientia.*

Ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui &c. Hoc dictum eſt de Nabal, de quo etiam dicitur *ibidem v.*3. quòd erat vir durus, peſſimus, & malitioſus: figurabatque Prælatum impatientem, qui per impatientiam ſubditos ſcandalizat, redditur ſubditis, & alijs contemptibilis, exoſus, & horrendus, provocat alios ad impatientiam: item non audent ei ſubditi ſuam neceſſitatem aperire, replet domum murmure, & rancore, teneros mente fugat, & puſillanimes facit, & nemo eum audet monere de his, quæ forent emēdanda; ô grande malū eſt hoc vitium in Prælatis. Et idcò bonus Prælatus è contra modeſte, & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum fervoris reprimat, ne in voce, aut vultu, ſeu moribus impatientiam oſtendat; tunc enim magis per patientiam proficit, & tandem devincit, quos impetuosè agendo amplius provocaret: vix enim commotio commotione ſedatur, & vitium vitio non ſanatur: impatientiaque Prælati confundit, quæ promovere poterat bona; vtinam hæc adverterent, & obſervarent Prælati. *op. de ſex alis ſeraph. cap.*5.

226. *Chriſtus eſt dux noſter in deſerto huius Mundi, ſic & Prælatus.*

Cum Dominus conſtituerit te ducem populi &c. Nota quòd Abigail volens perſuadere David ne occideret Nabal virum ſuum, vel aliud malum inferret, prudenter ei propoſuit, quod Deus conſti

constituerat eum ducem populi sui, & optimè: nam proprium est ducis spiritualis, sicut fuit Christus, dirigere in pugnam subditos contra hostes, & eos per desertum protegere ab æstu vitiorum, & illuminare contra tenebras errorum, sicut columna nubis: Idem & suo modo debet dici de Sacerdotibus, & Prælatis. *Psal.118. v.49.& ser.1.Epiph.*

217. *In Maria figurata in Abigail completa est omnis benedictio creaturarum.*

Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, Hæc dixit David ad Abigail; quæ verba à Deo directa sunt in figura ad Beatam Virginem, in qua omnis benedictio creaturarum completa est, & propter quam omnis maledictio sublata est propter vniversale remedium mundo allatum.*in Luc.c.1.v.28.& 42.*

228. *Maria placabilem, & placatum reddidit Deum prius iratum peccatoribus.*

Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne irem hodie ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea scilicet occidendo Nabal. Pulcherrima est hæc figura de eo, quod fecit Beata Virgo cum Deo prius irato contra Nabal, scilicet Nabal interpretatur stultus, scilicet contra peccatorem: omnis enim peccator est stultus, offendens Deum; benedicta ergo dicitur Maria propter multitudinem misericordiæ, suæ, quia per eam Deus homini placabilis est, & reconciliatus est; & sicut Abigail verbis, & muneribus placavit David, sic Maria Dominum precibus, & meritis: ipsa enim manum gladio Domini pro nobis obijcit, & è manibus Dei surripit.*op.speculum Beatæ Virginis lect.14.& 15.*

229. *In Maria Deus exultat, & Maria in Deo,& Beati in Maria.*

Benedicta tu à Domino ô Abigail &c. Nota, quod Abigail interpretatur patris exultatio; Cur Beata Virgo figuratur in nomine significante Patris exultationem? quia fuit Patris Æterni exultatio, & activa, & passiva: ô quanta Patris Cælestis in Maria, & Mariæ in Patre Cælesti fuit exultatio, & Beatorum in Maria, quibus est eloquium, & visitatio Mariæ iucundissima. *op. Psalt. lect.14. & Psalm.118. capite 8. vers.4.* Gloriosum igitur est gloriæ Mariæ privilegium, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est, quia summa gloria post Dominum Mariam videre, ipsi adhærere &c. *op.speculum Beatæ Virginis lect.6.*

230. *Maria Benedicta in ore, corde, & opere.*

Benedictum eloquium tuum: benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne irem in sanguinem &c. Nota, quod hic triplex benedictio in Abigail, innuitur, scilicet in verbis, in corde, & opere, quod propriè competit Beatæ Virgini, quæ fuit benedicta propter plenitudinem gratiarum, oempe in ore propter gratiam labiorum, in corde propter gratiam donorum, & in opere propter gratiam morum; quidquid igitur in Maria est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas, totum misericordia, & iustitia.*op.speculum B.Virgin.lect.14.*

231. *Mariæ Virginis verba quàm sancta, quàm fructuosa.*

Benedictum eloquium tuum. Si mystica Abigail est Beata Virgo, quodnam est hoc eloquium benedictum ipsius? Eloquium vtique Mariæ ad Deum, ad Angelos, ad homines: Nota autem quod ex Evangelio invenimus septem mellifluas sententias de mellifluis Mariæ labijs distillantes, & mellifluam labiorum eius gratiam indicantes: nempe tres ad Deum, duas ad Angelum, & duas ad homines: ad Deum quando exivit in verbum gratulatorium, *Magnificat anima mea Dominum &c.* in verbum querelæ, quando Filio per triduum amisso dixit, *Fili quid fecisti nobis &c.* in verbum compassionis, quando in nuptijs dixit Filio, *Vinum non habent*: primum reprehendit ingratos, qui non solùm pro beneficijs divinis gratias Deo non referunt, sed potius insolescunt contra ipsum: secundum indevotos, qui eum dolore Iesum non quærunt: tertium contra immisericordes in proximum: Duo verba ad Angelum, nempe verbum castitatis, quando dixit, *quomodò fiet istud, &c.* & verbum humilitatis, quando dixit, *Ecce ancilla &c.* tunc autem vere ostendit se habere mel, & lac sub lingua sua; Duo item verba ad hominem, scilicet charitatis in salutatione Elizabeth, & verbum instructionis in nuptijs, quando dixit ministris, *quod vtique dixerit vobis servate, & facite.* Plus ergo cum Deo, quam cum Angelo, & homine, locuta est; vnde dicitur à Deo, *benedictum eloquium tuum in orationibus tuis. op.specul.B. Virg.lect.6.& 10.& 14.*

232. *Mansuetudo Mariæ maxima super omnes creaturas.*

Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me &c. Cur primò posuit benedictionem verborum, & postea benedictionem personæ? quia Mariæ mansuetudo expressa fuit per lenitatem suorum verborum, & quia maledicti sunt iracundi à Deo. *in Gen. cap.6.* ideò contra hanc maledictionem opposuit Spiritus Sanctus benedictionem verborum, & mansuetudinis Mariæ; non enim solùm ita earuit, sed etiam iram Domini compescuit, & ad mansuetudinem convertit: cum autem nihil increpatorium, nihil durum in Maria fuerit, sed plena gratia mansuetudinis, & misericordiæ vbique inveniatur, non cesset, omnis anima æternæ mortis obnoxia anhelare ad tantam Mariæ mansuetudinem; pro qua merito est benedicta.*op.spec.B.V.lect.15.*

233. *In Maria sunt post Christum omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ &c.*

Eratque illa mulier prudentissima. Sic dicitur de Abigail, sed in ordine ad Mariam: attende tamen, quòd prudentia spiritualis importat cognitionem omnis iuris naturalis, & supernaturalis ordinatam ad rectitudinem, & honestatem vitæ, & hinc dum appellatur Virgo

prudentissima, dator intelligi, quod in ea fuerunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, nec id est mirum, quia Dominus fuit secum sapientissimus, ideò ipsa eum Domino sapientissima. *op. speculum B. Virgin. lect. 8. & l. 3. d. 35. art. 1. quæst. 2. corp.*

234. *Humilitas profundissima Mariæ exaltatur.*

Ecce famula tua sit in ancillam, & lavet pedes servorum Domini mei. Hæc dixit ad David Abigail: sed verius dictum est hoc à Maria, quæ cum eligitur Mater Domini, ancillam se profitetur Domini: imò ancillam servorum non solùm Dei, dum per Mariam quasi tot servi loti sunt, quot fideles eius suffragijs à peccatis mundati sunt: ipsa enim quasi tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. *op. Specul. B. Virgin. lect. 10.* imò non solùm ancillam Domini, sed & servorum Diaboli se profitetur, dum servos Diaboli, scilicet peccatores à sordibus peccatorum continue abluit &c. *ibidem, &c. in Luc. cap. 1. vers. 38. & cap. 10. vers. 42.*

235. *Mariæ verba instrumentaliter, & meritoriè communicarunt Spiritum Sanctum.*

Benedictum eloquium tuum. Cur benedictum dicitur eloquium Mariæ? benedictum activè, & passivè: nempe quia Maria Virgo erat tota benedicta per plenitudinem gratiarum, & doni maternitatis, ideò habuerunt eius verba efficaciam etiam communicandi benedictionem cæteris: hoc patuit in salutatione Elisabeth, cum ad eius salutationem tanta virtus inerat in eius verbis, quod ad eorum pronuntiationem communicatus est Spiritus Sanctus prius Ioanni Baptistæ, & per ipsum matri scilicet Elizabeth: O quàm Mariæ verba efficacia. *op. meditat. vitæ Christi capite 5.*

236. *Mariæ eloquium, & verba quàm dulcia, & efficacia.*

Benedictum eloquium tuum. &c. Cur benedictum quia eius eloquia sunt dulcia diligentibus ipsam, & suavia stillicidia gratiarum. *Psalt. Ps. 14.* quia lætificat nos dulcifluo sono oris eius, & liquore roseo perfundit corda nostra. *Ps. 19. & 20.* quia eius eloquium sustentat animam imbecillem, & labia eius refocillant animam esurientem. *Psal. 106.* quia Mariæ ori, voci, verbis, & clamori Dei aures sunt inclinatæ præstandi largitatem. *op. Psalt. min. quinq. 1.*

237. *Maria super omnes mulieres pulcherrima.*

Erat autem Abigail speciosa &c. Et quænam vnquam fuit speciosior Maria; ideò à Spiritu Sancto desponsata; pulchra inquam sponsa, non solùm corpore, sed magis conscientia, mente, & anima. *op. speculum Beatæ Virginis. lect. 10.*

238. *Humilis verus humilia officia non recusat.*

Ecce ancilla tua, vt lavet pedes servorum tuorum. Vide quale signum humilitatis veræ, non respuere vilia officia. *op. diæt. tit. 7. cap. 1.*

239. *Benedictio qualis fideliter servientium Deo.*

Benedictum eloquium tuum, benedicta tu &c. Nota hic duplicem benedictionem à David tributam Abigail; aliam externam, aliam internam, vt discas, quod fideliter, & humiliter serviens Deo benedicitur à Deo benedictione temporali in via, & æternali in patria. *serm. 5. de vna Virgine.*



CAPUT XXVI.

240. *Condonationis iniuriarum exemplum rarum in David habetur.*

Ne interficias eum &c. Vide quale exemplum habemus in David in condonatione iniuriarum: pluries enim potuit interficere Saul actu ipsum persequentem ad mortem, & tamen amore Dei nunquam voluit mittere manum in Christum Domini: Nota illud verbum (*in Christum Domini*) quia considerabat Saul vt suum Prælatum à Deo datum, & vt membrum Dei. *Vide supra ad caput 24.*

241. *Qualis eum proximo, & maximè inimico fueris, talis erit tibi Deus.*

Dominus retribuet vnicuique secundùm iustitiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini, & sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia: ait ergo Saul, benedictus tu fili mi David. Nota, quod documenta hic exposita virtutis David plura; potuit enim occidere inimicum suum, nec voluit: ecce quanta virtus eius mansuetudinis, & misericordiæ: secundò, quod Deus retribuet vnicuique secundùm opera sua: tertiò, quod ad mensuram propitiationis nostræ cum proximo, Deus erit nobis propitius: notatur quartò, quod etiam à Saul inimico David fuit benedictus, & laudatus; quia ad frangendam iram inimicorum maius remedium est ipsis parcere &c. *Vide quæ dicta sunt supra ad caput 24.*

242. Responsio mollis frangit iram: vt patet in eloquio Abigail, quod fregit iram David, & impedivit necem viri sui. *sermone 17. Hexaem.*

CAPVT

CAPUT XXVII.

243. *Christus discessit à Iudæis, & transiit ad Gentiles.*

Et surrexit David ipse, & sexcenti viri cum eo, & abiit ad Achis regem Geth. Nota, quod per huoc discessum Davidis à regione Israelitarum ad regem Geth gentilem figuratur Christus, qui fide sua recessit, & reliquit Judæos, & transiit ad Gentiles. *sic Glossa; & in Luc.c.4.v.15.*

CAPUT XXVIII.

244. *Resuscitatio, & conversio hypocritarum ficta.*

Qualis est forma ejus? mulier pythonem habens ait: Vir senex ascendit amictus pallio &c. intellexit Saül quod Samuel esset. Nota quod Saül timens Philisthæos, cum jam obiisset Samoel quæsivit à pythonissa, ut suscitaret Samuel &c. Sic artibus suis diabolicis fecit comparere umbram Samuelis &c. per quod factum denotatur cooversio ficta hypocritarum, qui videntur per pœnitentiam fictam surgere, sed est vana, & falsa resurrectio. *ep. comp. Theol. l.4. cap.23.*

245. *Cum Deus iniquum non punit in hac vita, signum est, quod à Deo derelictus sit.*

Quid interrogas me, cum Deus recesserit à te, & transierit ad æmulum suum? Sed in quooam cognoscebatur iste recessus Dei à Saule, & accessus ad David? quia Saül prosperabatur, nec puniebatur in hac vita: è contra David in tribulationibus continuis vivebat: sic enim per tribulationes evectus est ad regnum David, & io prosperitatibus in peccata plura incidit. *Psalm. 26. & serm. 17. Hexaem.*

246. *Obedientia vera facit totaliter confidere in Deo.*

Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam &c. Vide: si mulier infidelis confidit obediendo Saoli; quomodò vir fidelis diffidet obediens Salvatori. *Psalm. 118. cap.7. v.13.*

CAPUT XXIX.

247. *Perfecta bonitas in quibus consistat, contrariaque superbis.*

Rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum est & c. sed Satrapis non places &c. Hæc sunt verba, quæ dixit Rex Achis David, dum moraretur io Achis: in quibus exprimitur io quibusoam consistat perfecta bonitas, & quomodò in curia regis non placebat Satrapis, & superbis: perfectè igitur bonus est, qui non timet animo, non tonat verbo, non recalcitrat facto, sed in omni re se subjicit propter Deum: sed tamen talis bonitas non placet Satrapis, idest superbis; superbi enim, & humiles contrarij sunt, illique semper persecuti sunt humiles, & bonos. *serm. de Sancto Martino.*

248. *In curia Diaboli, & mundi non admittuntur boni, qui sunt de curia Christi.*

Rectus es tu, & bonus, sed Satrapis non places &c. Cur si David erat tam bonus, etiam viro gentili id fatente, satrapis, & senatoribus regis non placet? quia in curia Diaboli, & concupiscentiæ servatur hæc lex, scilicet reddere malum pro bono: io curia Christi redditur bonum pro malo; ideò mirum non est, si bonitas in curia Diaboli, & mundi non placet; omnes enim mali reddunt malum per legē injustitiæ pro bono tam Deo, quàm proximo; boni autem per legem justitiæ è contra bonum pro malo. *Psalm. 118. cap.10. v.1. & ep. comp. Theol. l.3. cap.17.*

CAPUT XXX.

249. *Qui in hac vita plorat pro Christo, in altera lætitiam habebit.*

Cum ergo David, & viri ejus invenissent Siceleg succensam igni, & uxores suas, & filios eduЁctos captivos, levaverunt voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ. Nota hic fuit actus compassionis, ob quam planxerunt stragem civitatis: figuratur autem hic, quod dum in hoc muodo manemus, in quo noo sunt nisi strages, & captivitates, plangere debemus, nec planctus unquam est deserendus, sed semper Christi mortificatio circumferenda, donec deficiant lachrymæ, & quando deficient? Cum absterget Deus in alia vita omnem lachrymam ab oculis Sanctorum: Ista vita enim in mondo est status plangendi, & cœlum est locus, & patria gaudendi. *in 2 bren. Prolog.*

250. *Consolatio divina interna est panis reficiens animam, & refocillans eam in itinere hujus vitæ, sed post mortificationem pro Christo assumptam.*

Invenerunt virum Ægyptium, & dederunt ei panem, & reversus est spiritus ejus &c. Iste ob defectum cibi trium dierum deficiebat: sed cum David ei dedisset cibum refocillatus est spiritus ejus &c. mysticè significatur, quod in via Domini ob ariditatem spiritualem anima deficit; Deus autem misericors eum subvenit tribuendo consolationem spiritualem internam, per quam refocillatur anima, & vigoratur in itinere spirituali. *in Luc. c.14. v.16.* Hinc vide quod, qui vult consolationem internam divinam, debet priùs crucem pœnitentiæ portare. *ep. meditat. vita Christi cap. 12. & serm. 3. de plur mart. & serm. 1. de dedicatione Eccles.*

251. *Mundus derelinquit suos sequaces in necessitate.*

Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ:

 dereli

dereliquit autem me Dominus meus quia agrotare capi nudius tertius. Ecce expreſſa figura Mundi, qui in majori neceſſitate urgente derelinquit ſuos ſequaces &c. Idem & faciunt mundani cum ſuis amicis, imo cum filiis, & conſanguineis. *In Ioan. cap.9.v.21.*

252. *Mundi, & Chriſti amicitiæ leges oppoſitæ.*

Puer Ægyptius dereliquit me Dominus meus &c. Vide typum amicitiæ falſæ mundi, quæ in proſperis ſectatur amicum,in adverſis dereliquit, è contra amicitia vera Chriſti numquam deſerit ſuum amicum nec in proſperis, nec in adverſis; unde amicus non eſt credendus, qui beneficiis emitur. *ſerm.1.de Sancto Bartholomao.*

253. *Prælatorum officium eſt eruere ſuos ſubditos à violentia tyrannorum, & oppreſſorum pauperum.*

Eruit David omnia, quæ tulerant Amalecitæ, nec defuit quidquam de ſpoliis &c. Vide quàm ſedulo,& diligenter David liberavit captivos à captivitate,& redemit de manibus inimicorum omnia ſpolia eorum; ſic debent facere Prælati: nempè coercere oppreſſores à violentia, curam habere ne aliquid ſiniſtrum patiantur in rebus, in fama &c & compellere læſores ad reſtitutionem, & emendam. *op.de Eccleſ.Hier.p.2.cap.2.*

254. *In ſpiritualibus bonis activi participant cum contemplativis.*

Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas. Videtur parum juſta hæc lex, ſcilicet dandi æquam portionem laborantibus in prælio, & quieſcentibus ad ſarcinas: ſed tamen juſtiſſima hæc lex fuit: nam tam qui cuſtodiebant ſarcinas, & qui pugnabant, ordinabantur ab bonum communitatis; ſic & in Religionibus, & in Eccleſia Dei Martha debet participare de communibus bonis cum Magdalena.*op. ſpeculum diſcipl.p.2.cap.6. & op. Apolog.paup.reſp. 4.c. 3.* Unde ſufficit, ut in via Dei quis laboret vel in exercitio Marthæ, vel in otio Magdalenæ, qui vero nihil vult operari, privari debet fructu communi. *in Luc.c.11.v.46.*

255. *Chriſtus fuit ſpoliator Diaboli, & reliquit etiam Prædicatoribus hoc idem munus ſpoliandi Dæmonibus.*

Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini &c. David cum recepiſſet ſpolia hoſtium, ea diſtribuit non ſolùm militibus, ſed etiam aliqua eorum miſit ſenioribus Juda. Hoc fuit figura Chriſti, qui in die Aſcenſionis ſpoliavit Diabolum,quando de vaſis contumeliæ fecit vaſa miſericordiæ, & licet omnes liberaverit meritoriè, tamen partem hujus gloriæ diverſis Prædicatoribus committit; unde & ipſi dicuntur cum Chriſto ſpoliatores Diaboli, & inferni convertendo animas ad Deum, & ad gloriam eas ducendo. *in Luc.c.11.v.22.*

CAPUT XXXI.

256. *Peccator proprio gladio ſe ipſum occidit.*

Saül irruit in gladium ſuum, & mortuus eſt &c. Vide figuram ſtultitiæ peccatoris in Saule, qui videns ſe vulneratum, ſe ipſo irruit in gladium, & ſeipſum occidit: ſic peccator gladio ſuo, ſcilicet actu libero ſuo peccans, ſeipſum occidit mortaliter. *op.comp.Theol.l.3.cap.7.*

257. *Gladius rancoris occidit animam.*

Saül irruit in gladium ſuum &c. Cur ad tantam inſaniam venit Saül? quia impulſus ad id fuit ex rancore, ut videas, quod rancor, & ira eſt gladius occidens animam. *in Luc.c.2.v.35.*

258. *Inobedientia mortem, & Regni Cœleſtis privationem affert.*

Irruit in gladium ſuum &c. Infelix Saul, qui in unico momento, & regnum, & vitam, & ſalutem perdidit; cur hoc? propter inobedientiam præceptorum Dei: ô quam deteſtabile eſt vitium inobedientiæ, per quam Angelus de Cœlo,homo de Paradiſo cecidit, & Saul Regnum amiſit.*ſerm. 3.Dom.3.poſt oct. Epiph.*

LIBRI

LIBRI SECUNDI REGUM
PROLOGUS.

HIc Secundus liber Regum tractat principaliter de assumptione David in Regem, & successione filij Salomonis; fuitque figura de Adventu Christi in hunc Mundum. *op. Principium Sacræ Scripturæ. & serm.* 14. *Hexaem.*

CAPUT I.

259. *Damnati quærent mortem, & non invenient: vellentque potiùs non esse.*

Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ. Legunt Septuaginta: *tenent me tenebræ graves.* Hoc dicebat Saul moribundus, sic referente illo servo Amalecita David Regi: sed quid est tenent me angustiæ? Nota quod hoc fuit figura damnatorum, qui quærent mortem, & non invenient, ut evadere possent angustias, & tenebras graves Inferni. *Psalm.* 118. *c.* 4. *v.* 5. Hinc solvitur quæstio an Damnati possint desiderare non esse: cui respondetur, quod loquendo de anima damnata, potiùs vellet non esse, quàm esse, & incomparabiliter minus malum est non esse, quam esse æternaliter damnatum: licet ex opposito loquendo de voluntate ordinata in Deum melius est esse, quam non esse, etiam cum subjectione ad ignem æternum, & hoc ad continuam laudem Divinæ justitiæ. *l.* 4. *d.* 50 *p.* 1. *art.* 1. *qu.* 2.

260. *Christus plangens super nostras miserias, docuit nos debere compati alienis malis proximi.*

David planxit, & præcepit, ut docerent filios Iuda &c. Mortuo Saul David planxit super illum, & voluit ut cæteri similiter flerent quod fuit figura Jesu Christi, qui videns civitatem animarum ostratum flevit super illam, & docuit nos itidem, ut plangeremus, non solùm super nos, sed & super miserias, & peccata aliena, & hoc ex charitate. *in Luc. cap.* 6. *v.* 21. *& Psal.* 118. *cap.* 9. *v.* 7.

261. *Casus Prælatorum ruina Ecclesiæ, & ideo à bonis plorandus.*

Considera Israel pro his, qui mortui sunt vulnerati &c. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt &c. Cur tam ardenter planxit David, & voluit, ut alij etiam secum flerent mortem Saul impiissimi, & suorum sequacium? sed nota, quod hic est planctus Ecclesiæ, dum videt Prælatos peccantes, & ex bonis, in malos mutatos: sic & dum Religiosi corrumpunt bonos mores, sunt enim causa ruinæ Ecclesiæ, & verè deplorabilis: est enim hæc sævissima persecutio. *in Thren. in prolog. & ibidem cap.* 4. *in fine; & serm.* 4. *in dedicatione Ecclesiæ.*

262. *Principes caveant ab adulatoribus; & mendacibus.*

Accedens irrue in eum &c. Sic præcepit David suis pueris, ut occiderent Amalecitam referentem mortem Saulis &c. per hoc edoceatur potentes Mundi, ne sint favorabiles adulatoribus; vel mendacibus, sed magis puniant eos. *sic Glossa.* Prospiciendum est ne adulantibus aperiamus aurem; emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed ignaviæ potiùs videtur, nec est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. *op. Pharetra lib.* 3. *c.* 2.

263. *Orationis exercitio debellantur hostes.*

Et præcepit David ut docerent filios Iuda arcum &c. Cur audita morte Saul, & destructione exercitus statim David præcipit, ut docerentur filij Juda in arte sagittandi? quia tali arte destructus fuerat à Philistæis exercitus filiorum Israel; spiritualiter tamen edocemur, quod, qui vult de hostibus triomphate ad exercitium orationis se transferat: Hæc enim est armatura tutissima, hæc est scutum defendens animam ab omnibus fraudibus, & periculis, & ab indignatione divina. *op. Diæt. sal. tit.* 2. *c.* 5. *& serm.* 4. *in dedicatione Ecclesiæ; in sap. cap.* 18.

264. *Bonus Prædicator bona ad gloriam Dei bene annuntiat: Detractor est Prædicator Diaboli mala annuntians.*

Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthiim &c. Prohibet David ne istud malum à populo Dei Philisthæis annuncietur in compitis, seu locis publicis hostium, ne talis publicatio resultaret in opprobrium sui populi, & Dei: Mysticè per hoc datur intelligi discrimen inter Prædicatores Christi, & Diaboli; nam illi bona annuntiant ad laudem Dei, & salutem animarum; isti sunt detractores, qui in compitis publicis annuntiant mala proximorum, hæc prohibet Deus, ne evulgentur. *in Luc. cap.* 8. *v.* 34.

265. *Mulieres naturaliter verbosæ; ex taciturnitate laudandæ.*

Ne fortè lætentur filiæ Philisthiim &c. Cur hic potius David exprimit mulieres, quàm viros? quia illæ sunt magis naturaliter verbosæ & loquaces, idcò ex taciturnitate magis laudandæ. *in Ioan. c.* 11. *v.* 28. *& Lyran. hic.*

266. Superb

266. *Superbi, & elati à Deo maledicti, & gratia privati.*

Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos. Cor ad montes Gelboe dirigitur hæc maledictio? ad montes, ſcilicet ad ſuperbos dirigitur, quia ſuperbia, & elatio impedit, ne ad ipſos perveniat ros, vel pluvia gratiarom cœleſtium. *ſerm. 2. in Nativit. & ſerm. 1. in regat. & op. meditat. vita Chriſti c. 35. & op. comp. Theol. l. 3. c. 15. & ſerm. de Sancta Agata.*

267. *Terra maledicitur, & ſterilis fit propter peccata hominum.*

Montes Gelboe nec ros, nec pluvia &c. Sed cur ad montes dirigitur hæc maledictio? cur non potius ad homines, qui ibi tot mala fecerunt? quia licet terra ſit inanimata, hanc tamen maledictionem incurrit propter factum, quod in ea contigit. *Lyran. hic.* ut videas, quod propter peccata terra maledicitur, aer inficitur, fames, & ſterilitas terræ, aliaque mala temporalia, & corporalia nobis eveniunt. *ſer. 4. de dedicatione Eccleſia.*

268. *Synagoga à Deo derelicta, roreque gratiæ privata.*

Montes Gelboe &c. Nota montes iſti ſunt in Judæa: ſignificatur, quod Judæi ſunt à Deo derelicti, privatique gratia. *ſerm. 2. in Nativit.*

269. *Perſeverantia uſque ad finem quærenda, & à Deo petenda.*

Ibi ceciderunt fortes Iſrael &c. Si erant fortes, quomodò ceciderunt? quia in principio prælij erant fortes, ſed quia non perſeveraverunt, ideo ceciderunt; non perſeveraverunt, quia fuerunt elati in ſuperbiam ſignificatam per montes; ô quot fortes deijcit ſuperbia, & elatio, qui benè inceperunt, & peſſimè terminarunt. *ſerm. de Sancta Agata.*

270. *Compaſſio de afflictionibus miſerorum non ſolum corde, ſed & ore, & opere demonſtranda.*

Hoc exemplum habetur in David, qui ob mortem Saulis, Jonathæ, & aliorum licet inimicorum ſuorum tantam compaſſionem oſtendit cordis, oris, & operis inceſſanter flendo. *op. de grad. virt. cap. 16.*

271. *Ad montem honorum, & vanarum ſcientiarum dirigitur maledictio Domini.*

Montes Gelboe nec ros &c. Quomodò ad montes in plorali? nonne erat ſolum unus mons? Dicit montes, quia per hunc montem ſignificatur cupiditas honoris, & vanæ ſcientiæ, in quo tot decepti cadunt: ibi enim neque ros divinæ illuminationis, nec pluvia gratiæ divinæ deſcendit, & ideo cavendũ eſt ab hoc aſcenſu, ſed in valle humilitatis morandum. *op. meditat. vita Chriſti c. 35.*

272. *Amor maternus in filium omnes alios ſuperat.*

Unde David volens exprimere amorem, quo diligebat Jonatham, dixit, *quomodò mater unicum amat filium, ita ego te diligebam. in Luc. c. 7. v. 12. & c. 8. v. 42.*

273. *Amor Chriſti in nos excedit quemcumque alium matrum ad filios.*

Sicut mater amat unicum filium, ita te ego diligebam. Hoc dicebat David de Jonatha. David figurabat Chriſtum, qui ut exprimat magnitudinem ſui amoris in nos utitur ſimilitudine amoris matris in filium; ſed cur non utitur amore Patris? quia mater ardentius amat filium, quàm Pater, niſi eum mater ardentius amaret filium, tædium haberet toties eum mundare, & pannos ejus abluere, proptio ſanguine eum alere, quod certè non faceret, niſi cum difficultate Pater &c. unde Chriſtus utitur hac ſimilitudine, quia tot millia animarum ſordidarum lavavit lavacro fluminis, flaminis, & ſanguinis, & quotidie toties mille vicibus lavat à toties mille ſordidiſſimis peccatis: ô charitas, ô amor ineffabilis, & incomparabilis! *ſerm. 1. in Cœna Domini.*

274. *Prælatorum caſus deplorabilis toti Eccleſiæ.*

Quomodò ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica? Hæc eſt concluſio lamentationis David, ſcilicet Eccleſiæ de morte Prælatorum, quando enim per inordinatam vitæ converſationem, tunc Eccleſia plangit ruinam fidelium; quia ad caſum Prælatorum amittuntur & arma bellica ſubditorum. *in Eccleſ. c. 9. in Thren. c. 4. in ſapien. c. 18.*



CAPUT II.

275. *Sacramentum Confirmationis præparat animam ad pugnam.*

Venerunt filij Juda in Hebron, & unxerunt ibi David. Nota hæc fuit ſecunda unctio Davidis in Regem; prima in domo Patris à Samuele, fuitque figura Baptiſmi; ſecunda hic in Hebron ſuper Juda, poſt quam unctionem habuit multa bella, præfiguratumque eſt Sacramentum Confirmationis, per quod accingitur anima ad pugnandum contra hoſtes fidei. *l. 4. d. 7. dub. 4. & d. 8. p. 1. qu. 1. & comp. Theol. l. 6. cap. 35.*

276. *Qualem miſericordiam impenderis proximo talem retribuet tibi Deus.*

Et nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem: ſed & ego retribuam gratiam, eo quod feciſtis verbum iſtud. Sic dicebat David, quaſi diceret: qualem miſericordiam mihi retribuiſtis hodie, talem retribuet vobis Dominus, hoc enim eſt ejus proprium. *Pſalm. 118. cap. 2. v. 1.*

277. *Qui fideliter tractat ſuum Prælatum, eique obedit, apud Deum, & homines invenit gratiam.*

Et nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem, ſed & ego retribuam gratiam, eo quod feciſtis verbum iſtud. Quid eſt, quod fecerunt viri Juda? unxerunt David in Regem, ei obedientiam

obedientiam debitam promiserunt, ut videas, quod fideliter reverentiam, & obedientiam præstanti suis superioribus Deus retribuit misericordiam, & veritatem, scilicet in hac, & in alia vita, & similiter invenit gratiam apud Regem, quia soli obedientes verè amantur à Prælatis. *Psalm.* 118.*cap.*2. *vers.*1. *& ser.*1.*fer.*2.*Pascha.& fer.*4.*de Angelis.*

CAPUT III.

278. *Reddere malum pro malo fragilitatis humanæ est; malum pro bono Diabolicæ perversitatis; bonum pro bono est æquitatis, bonum pro malo perfectionis Christianæ.*

Ioab, & Abisai interfecerunt Abner, eo quòd occidisset Asahel fratrem eorum, &c. Nota, hæc fuit vindicta, quam isti duo fratres sumpserunt pro morte fratris: advertendum tamen, quòd reddere malum pro malo est fragilitatis humanæ: malum pro bono perversitatis Diabolicæ; bonum pro bono est æquitatis, bonum pro malo est perfectionis. *op.comp.Theol.l.*3.*cap.* 17.

279. *Crudelitatem exercens in proximum punitur à Deo in hac vita.*

Ne deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, &c. Timeant hanc imprecationem divinam, qui exercent crudelitatem in proximum, sicut fecit Ioab occidendo Abner. *fer.*1. *Dom.*13. *post Pentecost.*

CAPUT IV.

280. *Vigilandum est in Mundo, & domus animæ custodienda ab insidiis hostium.*

Isboseth Filius Saul dormiebat in meridie, & interfectus est, &c. Hic superstes vivus filius Saul, & regnabat super Israel, fuit autem proditoriè occisus, notaturque cum maximo mysterio, quòd occisus fuit in meridie, dum dormiebat; nempe per hoc datur intelligi ejus ignavia, & negligentia; sciebat enim, quòd ejus hostes insidiabantur suæ vitæ, & tamen dum debebat vigilare, tunc se somno absque debita custodia præcipitem se dedit, &c. Nobisque magis datur documentum, qui in medio inimicorum vivimus, qui nescimus qua hora Dominus venturus sit, vigilandi, & custodiendi domum animæ, ne fures intrent in eam, nobisque salutem, & vitam auferant. *in Luc. cap.*12. *vers.*39. *& fer.*5. *Dom.*1. *Advent.* Vigilemus igitur fratres die, noctuque super nos, & animas nostras, quia sicut fures insidiantur domui divitis, ut rapiant divitias, sic Dæmones animabus insidiantur, sicut latrones ad prædandum eas, ideò semper vigilandum. *ferm.*2 *fer.*3. *Pentec. ferm.*4. *Dom.*3. *post octavam Epiphaniæ.*

281. *Ostium animæ diligenter custodiendum, ne fures intrent, &c.*

Isboseth dormiebat, & ostiaria domus pariter obdormivit, &c. Ecce, quòd causa mortis Isboseth fuit mala custodia ostij, quia ostiaria domus obdormivit; daturque nobis intelligentia, quod ostiaria domus nostræ obdormiente, scilicet discretione, & relinquente ostium sensuum nostrorum sine custodia debita iter panditur malignis spiritibus ad interficiendam animam: Intra igitur in cubiculum mentis tuæ, & claude ostium super te contra omnia, præter Dominum. *in Luc. c.*12.*v.*39. *& fer.*3.*in oct.Paschæ.& Psalm.*100.

282. *Prælati dormientes, dum vigilare deberent super subditos, digni morte.*

Isboseth iugulatus est, dum dormieret, &c. Isboseth regnabat super Israel, notaturque dormiens in meridie, & tunc jugulatus est à latronibus principibus, &c. Significaturque, quòd Prælati, dum deberent vigilare, dormientes, digni sunt morte, jugulanturque à duobus principibus latronum, qui sunt desperatio, & præsumptio. *fer.*4. *Dom.*3. *post oct. Epiphan.*

283. *Desperatio, & præsumptio sunt duo potissima vitia, quibus Diabolus perdit animas.*

Duo autem filij principes latronum erant filio Saul, Nota, quòd Isboseth dum dormiebat fuit interfectus à duobus his principibus latronum, quibus ipse Isboseth utebatur, & in quibus confidebat, &c. daturque nobis intelligentia, quòd Diabolus utitur continuè his duobus principibus latronum, ad confodiendum, & interficiendum nos æternaliter: nam latrones sunt peccata: peccatorum autem principes sunt desperatio, & præsumptio: per præsumptionem inducit negligentiam, & dormitationem in exercitio virtutis: per desperationem in æternam damnationem. *fer.*4.*Dom.*3.*post oct.Epiph.*

284. *Dormire in somno peccati quàm periculosum.*

Isboseth iugulatus est dum dormiret, &c. Quid mirum! nam magna pericula in somno peccati occurrunt: sic enim legimus Ionam in mari dormientem periclitatum, Tobiam excæcatum; Sisaram, & Isboseth jugulatos; in quibus significatur, quod dormientes in peccato tempore tribulationis periclitantur temporaliter, excæcantur spiritualiter, & jugulantur æternaliter, surge à peccatore, ne incidas in hæc pericula; surge, & invoca Deum in oratione. *sermon.* 5. *Domin.* 1. *Adventus.*

285. *Vir non fœmina sis in custodia domus, nisi velis interimi.*

Et ostiaria domus obdormivit, &c. Verè mirum est, quomodò Isboseth Rex, & Filius Regis haberet ad custodiã ostij domus suæ non viros, sed mulierem; unde non est mirum, si ipsa obdormierit, & obdormiente latrones ingressi fuerunt domum. Datur nobis per hoc intelligentia, quia si Ostij custos domus mentis nostræ erit mulier, periculum mortis non evademus; nempe si sensualitas erit ipsa introducens ingredientes in domum mentis: Cave ergo ab ista muliere: sitque vir non mulier, scilicet ratio, non sensualitas in custodia mentis tuæ. *in Psal.*100. *& lib.*2.*d.*24. *par.*2. *art.*2. *quæst.* 2. Glossa moralis hic addit: *Isboseth inopinata morte non succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, idest ad mentis aditum mollem custodiam*

diam deputasset. Fortis enim, vigilque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error decipiat.

286. *Principes puniant malefactores, etiamsi mala facta sint in gratiam ipsorum.*

Quanto magis nunc cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, & auferam vos de terra? Vide qualem zelum justitiæ fovebat in corde suo iste Princeps: isti proditores occiderunt Isboseth inimicum David, credentes se gratiam apud David invenire, sed quia fuerunt malefactores, & proditores pessimi, ideò eos severissimè punivit: per quod datur exemplum Principibus, quod amore justitiæ armari debent omnem malitiam in reprobis vindicare, & pacem perturbantes publicam persequi: est enim eorum potestas à Deo ordinata, ut ipsorum metu malorum audacia refrenetur. *opuscul. Eccles. Hier. part.2.cap.3.*

287. *Christus in cruce tamquam in lecto suo requievit, nos invitans ad sui imitationem.*

Impij interfecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, &c. Quis est vir innoxius nisi Dominus Iesus Christus, qui à Iudæis in domo sua, scilicet in synagoga super lectum suum fuit occisus in cruce, quæ fuit lectus Christi, à quo noluit descendere etiam ab ipsis provocatus? *serm.2. in Parasceve:* Invitatur ergo homo ad quærendum hunc lectum: Vnde in hac cruce debes te collocare ô anima Christiana, sicut Christus, qui vivens numquam descendere voluit, sic nec tu de pœnitentia, vel ordine: Neminem igitur audiamus, fratres, non sanguinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem; persistamus in cruce, moriamur in cruce, stemus in cruce, ut sic in fine vitæ possimus dicere cum Christo, consummatum est, hoc est regulam, quam novi observavi, obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum consummavi. *serm.3. in oct. Pascha.*

288. *Mors in lecto concupiscentiæ, quàm miserabilis.*

Interfecerunt hunc virum in domo sua, super lectum suum. O quam infelix ista mors, & de qua multis potest id dici? nempe de iis, qui somno sopiti moriuntur in lecto concupiscentiæ: hic lectus inquam est irretitus funibus, quibus constringitur peccator, nec potest fugere: funes autem sunt vitia cogitationum, consensuum, & operationum, quibus præcipuè luxuriosi, tamquam bestiæ ligantur, & occiduntur. *sermon.3. Dom.18. post Pentecost.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT V.

289. *Per incarnationem Verbi consanguinei facti sumus Christo.*

Et venerunt universæ tribus Israel ad David dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus, & tu eris Dux super Israel, &c. Quid est os tuum, & caro tua? Hebræus legit, *propinqui, & consanguinei tui sumus*: quia omnes descenderant de Iacob: *sic Glossa, &c.* Sed notandum, quòd David Christum significabat, ad quem omnes tribus terræ possunt dicere os tuum, & caro sumus, &c. nempè postquam unctus est in Regem per incarnationem. Vide ergo Dei misericordiam in nos; quia Verbum caro factum est, ut esset simile nobis, & nos ipsius fratres; & ut ipsum diligeremus ut fratrem, & nos attraheret ad sui similitudinem. *serm. 8. & 9. in Nativit.* ô qualis est hæc consolatio videre Christum Deum factum nostrum consanguineum, & veluti os nostrum, & carnem!

290. *In Eucharistia manducatione homo fit caro Christi.*

Ecce os tuum, & caro tua sumus. Quomodò possumus dicere hoc Christo, qui Deus est? Nota, quòd Deus factus est caro nostra, ut de carne ejus edentes fieremus ejus caro. *serm.8. & 9. in Nativit.* Vnde maximè per Eucharistiam consanguinei, & concorporei Christo sumus: *Sic & S. Ioan. Chrysost.*

291. *Christus caro factus est, ut nos attraheret ad sui amicitiam.*

Ecce os tuum, & caro tua sumus. Quomodò id possumus dicere Christo? Nota, quòd Verbum caro factum est, quia caro carni amicabilis est; & ideò voluit nos per dilectionem attrahere ad se, ut sibi velut ejus caro uniremur. *serm.8. in Nativit. & in Eccles. c.4.*

292. *Baptismus, Confirmatio, & Extrema Vnctio præfigurata in triplici unctione Davidis ubi de effectibus extremæ unctionis.*

Vnxeruntque David in Regem super Israel. Nota hæc fuit tertia unctio David, per quod significatur institutio extremæ unctionis: daturque intelligi, quòd quilibet Christianus ad imitationem Christi debet tripliciter ungi, scilicet in Baptismo, in Confirmatione, & in Extrema-Vnctione; quia sicut post tertiam unctionem regnavit in Hierusalem, quæ est civitas pacis, sic post Extremam-Vnctionem expectatur pax regni Cælestis. *lib.4. d.7. dub.4. & d.8. par.1. art.1. q.1. & op. comp. Theol. l.6. c.35.*

293. *Sancti, & eorum imagines sacra sunt munimenta Ecclesiæ locorum, & Christianorum.*

Nisi abstuleris cæcos, & claudos non ingredieris huc. Nota, quod fuit hoc responsum datum à Iebusæis Hierusalem possidentibus, nuntiis David, qui nomine ipsius petieruot possessionem illius civitatis: quid autem voluerint intelligere per hos claudos, & cæcos est maxima difficultas: Plures volunt id à Iebusæis dictum irrisoriè, non paventes potentiam Davidis: Alij alia dicunt; aliqui dicunt fuisse imagines Iacob, qui fuit claudus, & Isaac, qui fuit cæcus, posuerantque eas in altiori parte sui fortalitij, putantes ex merito, & assistentia horum Sanctorum posse se defendere à quacumque violentia externa; *sic apud Lyran.* Ex quo sensu (quidquid sit de veritate facti) percipitur, quàm verum sit, quod Sancti sunt firmamentũ

Ecclesiæ

Ecclesiæ, sunt montes, & monimenta settarum. *op. Eccles. Hier. p. 4. cap. 6. in princip. Psalm. 64.* Voluit enim Deus, ut Sanctos pro nobis mediatores habeteamus, ut quod non audemus, vel non possumus per nos impetrare, per ipsos tamquam per idoneos impetratores impetraremus. *opuscul. Brevil. part. 5. cap. 10. & part. 7. cap. 3.* Idemque & dicendum proportionaliter de Sanctorum imaginibus publicè expositis.

294. *Cæci, & claudi excluduntur à Templo Dei.*

Cæcus, & claudus non intrabunt in templum. Cur isti miseri excluduntur à templo Dei? sed loquitur de cæcis, & claudis spiritualiter; nempe de cæcis in fide per intellectum, & claudis in affectu per operationem: ideò qui vult ingredi templum gratiæ, & gloriæ debet priùs sanari; ideò in hujus rei figuram David abstulit priùs istos, antequam ingrederetur in Hierusalem. *serm. 2. Dom. 2. post oct. Pentecost.*



CAPUT VI.

295. *Sacerdotes, & Christiani accedentes irreverenter, & in peccato ad Communionem puniuntur à Deo.*

Extendit manum Oza ad arcam, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam, iratusque Dominus super temeritate sua, & percussit eum, & mortuus est. Verè admirabile est hoc factum: Cur Deus percussit tam graviter Ozam quia extendit manum suam ad arcam? sed quodnam peccatum, quænam temeritas fuit ista? Oza erat Levites, vel etiam Sacerdos, arca ob ruinosam recalcitrationem boum declinabat, ita ut videbatur ad terram cadere, nonne potius peccasset si fecisset oppositum? Litteraliter respondetur, quòd cum Deus præcepisset, ut Sacerdotes ipsi suis humeris ferrent arcam, & cum sinerent ipsam deferri auxilio bestiarum peccaverunt: alij dicunt, quod Oza nocte antecedenti dormierat cum uxore, ideò Deus punivit Oza: qui figuram gerit Sacerdotum carnalium, qui in peccatis existentes ad conficiendum accedunt: vel figura est eorum, qui irreverenter tractant, vel accedunt ad Eucharistiam. *l. 4. d. 9. art. 2. q. 2. ad 4. & op. comp. Theol. l. 6. c. 17. in Luc. c. 1. v. 23. & Psalm. 67.*

296. *Tangens Sacramentum Eucharistiæ cum irreverentia punitur.*

Qui extendens manum ad arcam percussus est, &c. Ergone tangere Eucharistiam in peccato erit peccatum? hic disputatur an distribuens suis manibus Eucharistiam in peccato mortali, peccet mortaliter; Respondetur, quod præcisè loquendo de tactu non est peccatum, nisi concurrente irreverentia. *l. 4. d. 9. art. 2. q. 2.* Adverte igitur Sacerdos, & cave irreverentiam in administratione Sacramentorum, maximè Eucharistiæ, etiam si non sis conscius peccati mortalis, Deus enim valdè irascitur contra irreverentes.

297. *Malè sentientes de puritate Mariæ à Deo puniuntur.*

Qui extendens manum ad arcam percussus est, &c. Oza voluit extendere manus illas, quibus in amplexu carnali usus fuerat nocte antecedenti à Deo percussus est: sed nota, quòd arca purissima est Beata Virgo Maria; Væ ergo ei, qui audet extendere manus suas malè sentiendo de puritate Mariæ; quia à Deo percutietur. *serm. 2. in Nativit. Christi, & op. stim. p. 3. c. 16.*

298. *Visitatio Mariæ, & mansio in domo Zachariæ, & Elisabeth, & benedictiones his collatæ figuratæ in arca Domini.*

Et habitavit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, & benedixit Dominus domui Obededom, &c. Hoc factum fuit figura Beatæ Mariæ Virginis, quando processit ad domum Zachariæ; & mansit cum Elisabeth tribus mensibus, tunc enim ex præsentia Mariæ Deus benedictiones varias gratiarum contulit Patri, & Matri, & Filio, scilicet Ioanni Baptistæ, &c. *in Luc. c. 1. v. 56. & opusc. meditat. vita Christi cap. 5.*

299. *In domo, in qua habitat Maria Virgo, scilicet ejus cultus, multiplicantur benedictiones divinæ.*

Et benedixit Dominus domui Obededom, quia in ea mansit arca Domini. Hæc arca mysticè est Beata Virgo Maria; Felix ergo illa domus, ubi manet hæc sanctissima arca, scilicet Felix illa anima quæ per cultum Beatæ Virgini præstitum in ternario Fidei, spei, & charitatis retinet in se ejus protectionem, & præsentiam: hanc Deus benedicit multiplici benedictione. *in Luc. c. 1. v. 56. & opusc. Psalt. Psalm. 43. & Psalm. 72. & 92. & 95.*

300. *Maria quia recepit voluntariè Christum arcam vivam fuit à Deo repleta benedictionibus omnibus.*

Benedixit Dominus domui Obededom, &c. Cur hoc, quia recepit arcam Domini: hæc domus mysticè est uterus Beatæ Virginis Mariæ, & quia Obededom interpretatur servus sanguineus significat Christum, qui propter nos factus est servus usque ad sanguinem serviens: sanguineus enim fuit in dorso per flagella, in capite per spinas, in latere per lanceam, in manibus, pedibusque per clavos: hinc Maria facta Domus hujus servi, & sanctæ arcæ, scilicet Christi Dei, & hominis, repleta fuit omnibus benedictionibus. *opusc. specul. Beatæ Virginis lect. 14.*

301. *Qui cum devotione recipit Sacramentum Eucharistiæ, repletur à Deo benedictionibus.*

Benedixit Dominus domui Obededom. Et hoc quia cum timore, & reverentia arcam Domini recepit, & conservavit; ut videas; quod recipiens cum debita reverentia, & devotione arcam mysticam Eucharistiæ, benedictionibus replebitur à Domino. *op. de profect. Religios. l. 2. c. 77.*

301. *Digna, & devota Communio præparatia est ad altam subsequentem.*

Benedixit Dominus domui Obededam. Vide, quòd postquam Obededom receperat arcam Domini recepit multiplicem benedictionem, ut videas, quod recipiens corpus Christi in Eucharistia cum humilitate, & recognitione suæ indignitatis, ut illo sæpè visitante, & habitaculum cordis, & corporis subintrante magis, ac magis dignus efficiatur; felix igitur est, qui hospitium Christo præparat, quia ipso intrante multiplicem benedictionem donat, sicut benedixit domui Obededom. *opusc. de profect. Religios. l. 2. c. 77.*

303. *Ad arcam mysticam Christi accedendum cum saltu, & sono, & cantu.*

Et David saltabat totis viribus ante Dominum in jubila, & clangore buccinæ, (additur *in Paralip. 1. c. 15.*) *& cithara, & aliorum instrumentorum.* Videtur hæc cæremonia saltandi ante arcam puerilis, sed tamen fuit facta inspirante Spiritu Sancto: Datur que nobis intelligentia, quod qui ad arcam mysticam, scilicet ad Christum dignè vult accedere, debet saltibus, scilicet per contemplationis altitudinem, cantibus, & sono, scilicet operibus, & laudibus devotis se præparare. *in Thren. prolog.*

304. *In hac vita justi saltant: in patria volant.*

David saltabat totis viribus ante Dominum. Sed cur saltabat Propheta ante arcam? nonne signum majoris reverentiæ fuisset, si modestè, & oculis demissis processisset? Nota, quòd per hunc saltum significatur contemplatio justorum in via; qui enim saltat elevatur in altum, sed postea relabitur ad terram corpore aggravante: Beati igitur in patria non saltant, sed volant, & volando feruntur in Deum; at in via justi conantur saltare, & in altum per contemplationem ferri, sed postea coguntur ad vitam activam relabi corpore aggravante: modò enim ad contemplationem, modò ad actionem debent se applicare. *in Thren. prolog.* Et hinc in lege pisces habentes spinnulas, & squammas mundi reputantur, quia per vices super aquas saltibus levantur. *Ibid.*

305. *Christo ascendenti in Cælum omnes cives Paradisi ei occurrerant in jubila, sono, & cantu, &c.*

David saltabat, &c. & omnis populus cum eo in jubilo, &c. Hoc fuit figura occursus, quem habuit mystica arca, scilicet humanitas Christi ascendentis in Cælum, cui jubilabant omnes cives Paradisi in citharis, cantibus, & omnibus signis jubilationis, &c. *op. medit. vita Christi c. 97.*

306. *Christus ascendens in Cælum collocavit se in medio Sanctorum, & Angelorum.*

Introduxerunt arcã Dei, & posuerunt eam in locum suum in medio tabernaculi. Quisnam est locus arcæ, & medium tabernaculi? Nota, hoc dicitur de Christo ascendente in Cælum, qui in medio Sanctorum, & Angelorum collocavit se, ut eos per gloriam beatificaret. *fer. 1. fer. 3. Paschæ.*

307. *Christus in Eucharistia ut cibus, ut sol, ut judex, ut fons gloriæ stat cum corpore, anima, & divinitate.*

Introduxerunt arcam Dei in locum suum in medio tabernaculi, &c. Ecce quid fecit Christus, collocavit se cum corpore, anima, & divinitate, quæ per arcam significantur in tabernaculo Ecclesiæ ad confortandum nos, per cibum vitalem, ad illuminandum sicut Sol, & ad judicandum ut judex, & ad beatificandum, ut fons gloriæ. *fer. 1. fer. 3. Paschæ.* Vide igitur quali reverentia adstare debes ad præsentiam Sacræ Eucharistiæ.

308. *Eucharistiæ fructus participatur tantùm se dignè præparantibus.*

Cumque complesset offerent holocausta, &c. partitus est universæ multitudini singulis collyridam panis unam, & assaturam carnis, & similam frixam oleo, & abiit unusquisque in domum suam. Vide qualem fructum perceperint illi, qui ad tantam solemnitatem concurrerunt: nam post portationem arcæ in locum suum David partitus est placentam panis, & alia obsonia; per quæ, figurata est Communio, & receptio Eucharistiæ, in qua est panis divinitatis, cum humanitate, & animâ, quæ solum dignè se præparantibus communicatur cum fructu. *In Joan. collat. 89.*

309. *Christus tamquam insanus reputatus, & ad extremam vilitatem redactus, ut nos exaltaret.*

Quam gloriosus fuit Rex Israel hodie, discooperiens se ante ancillas servorum suorum nudatus est, quasi unus de scurris. Hæc dixit Michol uxor ad David ipsum irridendo, & reprehendendo de hac vilificatione Regis; sed totum fuit figura Jesu Christi, qui pro nobis tamquam insanus reputatus, & tractatus, est nudatus in cruce ante ancillas, scilicet animas servorum suorum, ut sua nuditate à nuditate æternæ damnationis eas liberaret: Michol deridens Christum est synagoga, & sicut Michol primò copulata Davidi, deinde alteri data, & tandem tertio reddita Davidi; sic synagoga primò adhæsit Christo, deinde reliquit Christum, & tandem in fine Mundi denuò copulabitur Christo; & sicut Michol perdidit prolem, & hæreditatem, sic & synagoga privata fuit fructibus divinæ gratiæ: Pensa igitur o homo quantum pro te vilificatus est Christus, & certè quantò pro te minorem se fecit Dei filius in humanitate, tantò se majorem exhibuit in bonitate; quantò pro me vilior, tantò mihi charior. *fer. 1. & 3. Parasceve; & in Luc. c. 22. in fine.*

310. Constantia Christiana firma stat in bono quacumque adveniente derisione, vel adulatione, vel laude. Hoc ostendit David, qui à proposito bono non est motus derisione, vel vituperatione uxoris, aliorumque. *opuscul. de grad. virtut. cap. 14.*

311. *Humilitas quò profundior, eo ad altiora evehit.*

Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Nota, (*in oculis meis*:) vera enim humilitas considerat propriam vilitatem, &

quæ

quærit, ut ab alijs agnoſcatur, & hinc quo profundior, eo ad altiora ſe evehit. *ſer. 1. de uno Martyre, & ſerm. 2. de uno Confeſſore.* Vnde verus humilis primò ſeipſum interne deſpicit: ſecundò id oſtendit ex humilitate, in moribus, geſtibus, verbis, & reſponſis: tertiò in operibus vilibus. *op. de profeſſ. Religioſ. l. 2. cap. 30.*



CAPVT VII.

312. *David Rex fuit poſt Moyſem primus ex operarijs miſſis ad colligendos fructus vineæ ſynagogæ, de quibus loquitur Chriſtus. Lucæ cap. 20.*

Ego te tuli de paſcuis, ut eſſes Rex ſuper populum meum, &c. Ex quo videtur, quod Deus de paſcuis ovium tranſtulit David ad regnum, ut regeret, & paſceret populum Dei, & exigeret fructus bonorum operum, & ad hunc finem dedit ei Dominus ſpiritum prophetiæ, & pſalmodiæ cantum, ut ſic inclinaret populum illum durum, qui tamen non potuit mitigari duritia Iudæorum. *in Luc. cap. 20. v. 11.*

312. *Prælati collocantur in dignitatibus non tantum ad ſui, ſed magis ad aliorum ſalutem procurandam.*

Ego te tuli de paſcuis, ut eſſes Rex ſuper populum meum, &c. Nota, quod non ſolum pro ſui utilitate David in ſublimi fuit collocatus, ſed magis ut alios regeret, & regendo, eos ad bonum excitaret; hoc enim eſt munus Prælatorum, qui non tantum placent Deo propter ſuam iuſtitiam, quantum pro populi ſanctitate: unde cum videatur oppoſitum in multis Prælatis, valdè timendum eſt, ne vinea commiſſa repleatur urticis, & ſpinis peccatorum. *in Luc. c. 20. v. 9. & 11.*

313. *Nomini grandi Principis debet reſpondere maxima humilitas.*

Fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum, &c. Ad quid dedit illi Dominus hoc nomen grande, niſi ut opera bona reſponderent tanto nomini, & præcipuè humilitatis exercitium. *in Luc. cap. 8. v. 41.*

314. *Prænuntiata fuit incarnatio Verbi Davidi.*

Et requiem dabo tibi, &c. ſuſcitaboque ſemen tuum poſt te, & firmabo regnum eius. Ecce patens prophetia facta Davidi de incarnatione Verbi ex ſemine ſuo. *in Luc. cap. 1. v. 33. & cap. 2. v. 4. & cap. 20. v. 41. in Ioan. cap. 7. v. 42. & op. Principium S. Scripturæ in fine.*

315. *Bellum, & diſcordiam ſummè abhorret Deus, maximè in Eccleſiaſticis.*

Ipſe (ſcilicet filius tuus) ædificabit domum nomini meo, &c. in ſap. cap. 9. Nota, quod Deus noluit ut David ædificaret templum Deo ob multam effuſionem ſanguinis factam in bello, ſed temiſſa fuit ædificatio Salomoni, qui fuit pacificus, & pacem habuit cum omnibus; idque fuit figura, quæ verificata fuit in Chriſto, qui verè ædificavit domum æternam, ſcilicet Eccleſiam eamque fundavit in pace & unitate; ut videas, quod Eccleſiaſtici debent pacem conſervare, militatem habere, fugereque rixas, bella, & effuſionem ſanguinis. *ſic Gloſſa. op. de Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 4.*

316. *Prælatorum incuria à Deo duriùs punitur, quàm ſubditorum.*

Si inique aliquid geſſerit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Ideſt, explicat Gloſſa, *in gladio inimicorum, &c.* Vide ex hoc quam cauti debeant eſſe Prælati, ne in negligentias, & defectus incidant in exercitio ſui officij, nam Deus durius eos punit, quam peccata ſubditorum. *op. de ſex alis Seraph. c. 5.*



CAPVT VIII.

317. *Prælati, & Prædicatores mortificent, & vivificent ſuos ſubditos.*

Poſt hæc David percuſſit Philiſthijm, & humiliavit eos, percuſſit, & Moab, &c. David exaltatus ad ſolium humiliavit inimicos, alijs donans vitam, alios ſub tributo ponens, alios exaltans, &c. in hocque habetur figura boni Prælati, & Doctoris in Eccleſia, cuius munus eſt mortificare, & vivificare, ſcilicet inducendo ad pœnitentiam, & exaltando ad perfectionem, quia vita ſubditorum pendet ex ſolertia Doctorum, & ſacerdotum, ac Prælatorum. *op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. cap. 5.*

318. *Eccleſiæ felicitas quanta, quando Prælati dominantur ſuis paſſionibus, & qualis infelicitas, cum ſerviunt ſub tributo vitiorum.*

Factuſque eſt Moab, & Syria ſub tributo. Nota hic exprimit filicitatem Regni David cui omnes Provinciæ alienigenarum ſerviebant ſub tributo; ſpiritualiter verò exprimitur felicitas Eccleſiæ dum habet Prælatos dominantes ſuis paſſionibus; è contra infelicitas deplorabilis, dum cogitur providere hominibus vita indignis, effeminatis, avaris, &c. *in Thren. cap. 1.*

319. *Anima fit Domina gentium, dum ſuis affectionibus dominatur.*

Factuſque eſt Moab, & Syria ſub tributo, &c. Moraliter ſignificatur dominium ſpirituale animæ, quando affectiones eius ſunt ſub tributo, principante rationali; è contra infelix dominium, cum ipſa ſeruit ſub tributo affectionibus ſenſualibus carnis, & Mundi. *in Thren. cap. 1.*



CAPVT IX.

320. *Beati ſedent in Cælo ad menſam Dei perpetuo.*

Ne timeas (ait David ad Miphiboſeth filium Ionathæ)

natha) quia faciam misericordiam in te, & restituam tibi omnes agros Saul, & tu comedes panem in mensa mea semper. Hæc fuit largissima promissio facta à David filio Ionathæ: Idem facit Deus cum hominibus sedentibus ad pœnitentiam, quos introducit tandem ad visionem, tentationem, & fruitionem perpetuam in Cœlo, ibi in æternum sedent ad mensam Dei. *Psalm. 118. cap. 3. v. 1.*

321. *Humilitas exigit ut non solum ore, sed & corde, & operibus homo se deprimat.*

Quis sum ego servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei. Hæc dixit Miphiboseth Davidi, cum eum destinavit ad peculiarem sui familiaritatem; qui humiliando se corde, & ore magis acceptum se Regi reddidit: Datur autem nobis instructio, quod quo magis à Deo exaltamur, eo humiliores, & corde, & ore, & opere debemus ante faciem suam apparere, nam sicut gratia humilitate invenitur, ita & humilitate custoditur. *serm. 3. Dom. 16. post Pentec.*

CAPVT X.

322. *Deus habet suos servos compositos, & ordinatos: Diabolus è contra incompositos, & deformatos.*

Hanon Rex filiorum Ammon rasit dimidiam partem barbæ eorum, scilicet legatorum David, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates. Vide ingratitudinem huius iniqui Regis, qui legatos, quos ad ipsum miserat ad consolandum eum super mortem Patris, sic indigne tractavit: per quod significatur discrimen inter servos Dei, & Diaboli: nam Deus habet suos sequaces compositos, & ordinatos; Diabolus incompositos, & deformatos eos facere conatur. *in Luc. cap. 16. v. 13.*

323. *Divites sine misericordia Deo abominabiles.*

Hanon Rex filiorum Ammon rasit barba dimidium, &c. Mysticè per Ammon significantur divites, avarique: Ammon enim interpretatur populus iniquus, vel inutilis; talesque sunt divites avari, qui radunt propter avaritiam pauperes, ut eos scandalizent, quos verus David, id est Christus misit ad consolandum pauperes eos de morte sua futura, scilicet ut disponant, & provideant sibi pro morte futura: at isti impij pauperes istos vituperant blasphemijs, spoliant eum usuris, & radunt barbam eorum, privando beneficijs: ideo abominabiles Deo sunt, & maledicti, & causa ruinæ mundi. *serm. 1. Dom. 24. post Pentec.*

324. *Contemnentes Doctores, & Prædicatores Ecclesiæ à Deo maledicti, &c.*

Hanon Rex filiorum Ammon rasit, &c. Hoc factum fuit figura eorum, qui malè tractant ministros, & legatos Christi, scilicet Prædicatores, & Doctores, etiam viles, vel eorum verba nolunt audire, sed reijciunt irreverenter: unde mirum non est, si à Deo puniuntur, sicut fecit David cum Rege Ammon. *serm. 2. de uno Doctore.*

325. *Charitas mutuam relevationem, consolationem, & defensionem exigit.*

Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium, si autem filij Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. Sic dixit Ioab Abisai fratri, &c. per quod exprimitur triplex effectua charitatis fraternæ, scilicet mutua relevatio, consolatio, & defensio in necessitatibus. *in Eccl. ... cap. 4.* Ex quo disce, quod per hanc fraternam confœderationem securus eris ab hostibus tuis.

CAPVT XI.

326. *Otium sentina omnium vitiorum, maximè luxuriæ.*

Factum est, vertente anno eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, &c. Cur ad peccata multiplicia Davidis, quæ in hoc capite, & sequentibus intendit sacer textus narrare, præmittit, quod illo tempore solent Reges ad bella procedere? quia dum tempus erat laborandi demonstratur David in otio involutus per quod datur intelligi radicem tot gravium peccatorum, in quæ postea incidit David, fuisse otium, & meritò: est enim sentina, & radix omnium tentationum, maximeque luxoriæ. *op comp. Theol. l. 3. c. 18. & op. Diæt. sal. tit. 4.* fuge igitur otium, & sic effugies tentationum violentiam, & luxuriæ fœditates.

327. *Otium est, quod vel nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem, vel quando non fit, vel debito tempore quod faciendum est.*

Factum est vertente anno eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, &c. Si ista notantur, ut in medium exponatur otiositas Prophetæ, ad quid ponitur, quod in illo tempore solent Reges ad bella procedere? quænam erat obligatio Regis procedendi ad bella? nonne habebat duces, & ministros, qui bella poterant strenue exercere? quodnam peccatum fuit hoc? sed attende, quam verum sit dictum D. Bernardi. *otium est, quod vel nullam utilitatem, vel utilitatis intentionem habet, vel quod non fit ullo modo, vel tempore, quo debet fieri;* ideo est quæstio inter Theologos an dentur actus de sui natura indifferentes; in qua dicendum, quod ille dicitur otiosus, quando non laborat, & deberet laborare, vel non ordinat actionem in finem debitum; sic *l. 2. d. 41. art. 1. q. 3. ad 2.* Ideo cum David ut Rex deberet bella Domini pugnare, potius voluit mittere ministros; ideo dicitur otiosus, & hinc ex tali otio orta sunt tót peccata. *Diæt sal. tit. 4. cap. 4. op. Phar. l. 2. c. 7.*

328. *Defectus custodiæ oculorum, & sensuum in multa peccata conducit.*

Viditque mulierem se lavantem. Ecce, quod visio mulieris fuit in causa tot sequentium peccatorum in David, per hocque edocemur, quod qui vult se à peccatis abstinere debet diligenter exteriores sensus, & præcipuè oculorum ab illicitis custodire: sunt enim fenestræ animæ, per quas mors intrat peccati, quas aperit fur, vel corruptor castitatis nostræ;

nostræ; unde hic nota, quod David non priùs concupivit uxorem Vriæ, quam respiceret incautè: Imo & à Religioso debent custodiri etiam à licitis, ne fortè videat, unde tentetur postmodum, vel ab oratione impediatur, vel phantasias contrahat eorum, quæ incautè respexit; *oculi igitur tui sint in capite*, dicit *Eccles. cap. 2.* scilicet cogitatio tua versetur circa Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum. *op. de prof. religios. lib. 1. cap. 39. & op. de instit. Novitiorum p. 1. cap. 35. & Diat. sal. tit. 4. cap. 4. & op. de grad. virtut. cap. 4.*

329. *Cavendum est à carnali affectu, etiam naturali, ne in graviora delabi faciat.*

Vidit mulierem se lavantem, &c. erat autem mulier pulchra nimis. Cur addit hanc particulam de pulchritudine mulieris? ut videas, quod David videns objectum pulchrum, ad quod naturaliter affectus carnalis inclinat, nec præcavens periculum à minimo ad maximum peccatum præcipitatus est: sed nota, quod carnalis affectus est duplex; primus, qui neque virtus, neque vitium est, sed quædam exterioris hominis habitudo animum intuentis sibi inclinans facile, sic naturaliter inclinamur in suavem sermonem, in venustam faciem, etiam ignotorum; qualis sit ipse: Alius est, qui ad noxiam voluptatem compungit, & ista David ad speciem Bethsabeæ prævenit incautum, præventum dissoluit, & dissolutum obruit. *op. de 7 itiner. atern. itin. 4. d. 3.*

330. *Mulierum aspectus quàm noxius, & quàm cavendus.*

Vidit mulierem se lavantem, erat autem pulchra nimis, &c. Nota hunc ordinem: primò David aspexit mulierem, deinde videns eius pulchritudinem, eam amavit: deinde voluit scire quænam esset, & tandem eam ad se vocavit, & peccavit cum ea. Ex quibus patet, quam sit verum id quod dicitur *in Proverbijs cap. 7. quod vir quasi bos ducitur ad victimam (in aspectu mulieris) & quasi agnus lasciviens, & quasi avis ad escam, &c.* primò enim eam vir incautus, sequitur lectus, quasi bos ad macellum ductus: secundò sequitur eam lætus, quasi lasciviens agnus; tertiò sequitur eam festinus, quasi avis ad escam celeri volatu deducta: primò enim viocolatur, & nescit: secundò sagittatur, & non fugit; tertiò occiditur, & sic perit: vioculatur primò mala affectione, sagittatur secundò in occasionis arreptione, ut in risu eius, vel aspectu oculorum eius, & similibus; sed tertiò occiditur in consensus, & peccati perpetratione. *serm. in festo sanctorum Petri, & Pauli.*

331 *Mulier laqueus venatorum amarior morte: sagena, & vinculum.*

Vidit mulierem se lavantem, &c. quam tulit, &c. & dormivit cum ea. Vide quomodò homines iter peccati maximè sequuntur, & laborant, quæruntque invenire delectabilia, quamvis non attendentes (more porcorum) quid fœtoris, quid anxietatis, quid turpitudinis, quid amaritudinis sit in eis, in quæ incidit incautus David: invenit enim mulierem morte amariorem, eo quod est laqueus, sagena est, vinculum est: laqueo capiuntur aves, sagena pisces, vinculo homines, nihil enim est in corpore mulieris, quod incautos non sagittet, non veneret; non illaqueet homines; fuge ergo à facie mulieris, quasi à facie serpentis. *serm. 2. in Invent. Cruci. & in Eccles. c. 7. & op. regula Novitiorum cap. 11. & op. de modo confitendi cap. 14.*

332. *Negligentia, & ignavia quàm periculosa in Dei obsequio.*

Accidit, ut surgeret David de strato suo, deambularetque in solario domus sua, vidit mulierem, &c. Vide radicem casus David: statim enim ac surrexerat de strato, quando debebat ad Deum recurrere, cœpit deambulare in solario suo, & videns mulierem, &c. peccavit. Vt videas, quod si à circumspectionis solicitudine cor destituitur, volentibus aperitur, quia hostis callidos, tanto liberius pectus percutit, quanto nudum à providentiæ lorica deprehendit: unde certum sit, quod omnes pariter in curia corrumpit, & absumit, dum nemo est, qui vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat. *op. Pharetr. lib. 3. cap. 8.*

333. *In tribulatione virtus conservatur, & augetur, in prosperitate sæpè amittitur.*

Misit itaque nuncijs David tulit mulierem, &c. & dormivit cum ea, &c. Vide quid operatur tribulatio, & quid prosperitas: David huc usque fuit in tribulatione, & etiam semper fuit optimus Pastor, & per tribulationes evectus est ad Regnum: sed postquam fuit in prosperitate multa peccata commisit. *serm. 17. Hexaem.* Hoc est, quod viri sancti plus formidant prospera, quam adversa, quia Dei sanctos prospera deijciunt, adversa erudiunt. *op. Phar. l. 4. cap. 48.*

334. *Pavor effectus peccati quia facit pavere etiam, ubi non est pavendum.*

Misit David nuntios ad Ioab dicens mitte ad me Vriam, &c. Cur post adulterium jussit ad se venire Vriam? ut hac occasione dormiendo cum uxore, celatum remaneret eius peccatum. *sed cur times ô David? nonne tu es Rex, & Vrias subditus? etiamsi ad Vria aures perveniat hoc facinus, quid mali tibi eveniet?* sic interrogat Chrysostomos: sed hoc mirum non est: David licet Rex conscientiæ remorsus, & lætatus pavebat: omnia enim fugere poterit homo præter cor suum, qua ubicumque abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit, nec ulla pœna gravior mala conscientia; unde remorsus conscientiæ, rectè comparatur morbo regio, qui rodit carnem, & bona temporalia. *op. Diat. sal. tit. 8. c. 1. & op. Phar. l. 3. cap. 2.*

335. *Peccator fert secum, dum est in peccato litteras Diaboli, & sua aterna damnationis chirographum.*

Scripsit David epistolam ad Ioab, & misit per manum Vria: ponite Vriam ex adverso belli, & pereat. Vide quomodò Vrias tulit secum litteras suæ mortis: ô quot huic similes! sunt autem peccatores, qui existentes in peccato ferunt semper secum litteras Diaboli, quæ sunt conscientiæ malæ, in quibus opera, & verba, & desideria mala sunt scripta, signatæque sigillo obstinationis,

ſtinationis, ideo ſecum ferunt ſententiam mortis. *ſerm.8.in Pentec.& in Luc.cap.7.v.43.*

336. *Peccatum non pœnitentia purgatum ſuo pondere ad aliud trahit.*

Pouite ex adverſo belli Vriam, ut percuſſus intereat, & mortuus eſt, &c. Vide quam ſit verum, quod peccatum eſt pœna peccati: quando enim per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit: ſicque poſt adulterium ſecutum eſt homicidium, quia ſimul eſt culpa, & pœna; culpa ratione actionis, & pœna ratione paſſionis; ſed quænam paſſio? quia in peccato ſemper eſt annexa inordinatio paſſiva animæ, qua voluntas voluntarie deordinatur, & privando ſe habilitate ad bonum, per hoc fit homo dignus dimitti cadere in aliud peccatum. *l. 2. d. 36. art. 1. queſt. 1. 2. & 3.& op. comp.Theol.lib.3.c.7.& in ſap. cap. 14.*

CAPUT XII.

337. *Deus derelinquit peccatorem, cum peccat varijs modis.*

Miſit ergo Dominus Nathan ad David, &c. Ad quid miſſus eſt hic Propheta ad David? ut ipſum reprehenderet, & per contritionem ad pœnitentiam traheret; felix ille ergo eſt peccator, qui licet à Deo derelinquatur intus, non tamen foris, quia à Deo corripitur, ut reſipiſcat; aliquando etiam derelinquitur foris, & non intus, ut Iob, &c. aliquando verò & foris, & intus, ut filius Prodigus luxurioſè vivens, & fame tabeſcens. *in Thren. cap. 1.*

338. *Prælatus multa cautela debet ſubditos reprehendere ad majorem ipſorum profectum.*

Duo viri erant in Civitate una, &c. Vide qua cautela Deus juſſit, ut David increparetur à Propheta Nathan, non directè, ſed proponendo ei obligationem legis ſub cortice parabolæ. *in Ioan. cap.7.v.51.* Diſcant igitur hoc Prælati, & diligenter advertant, quid locis, & tempori, & perſonis conveniat, ne temerè, & ſine fructu flagitia reprehendant. *opuſc. Pharet. lib. 4. cap. 38.* Addit Chryſoſtomus; *Vide ſapientiam medici, intravit Propheta ſanus ad Prophetam Regem infirmum, intravit portans gladium, ut ſecaret vulnus, ſed infirmanti non oſtendit, ne abhorreret medicinam, abſcondit ferrum non ſub veſtimento, ſed ſub velamine narrationis; non enim ſtatim dixit, ô inique, ô immunde, ô adulter, ô homicida: quid igitur? cauſam habeo ô Rex, duo viri erant in Civitate, &c.* Diſcant, & Prædicatores, & Prælati qua diſcretione peccata corrigant, & peccatores.

339. *Deus in comparatione maioris numeri reproborum dicitur pauper, & Diabolus dives.*

Duo viri erant in Civitate unus pauper, alter dives: dives habebat boves, & oves plurimas, valde pauper unam ovem tantum, &c. Quis eſt dives iſte, & pauper, qui proponuntur in hac parabola? Nota rem mirabilem: Pauper iſte eſt Chriſtus, qui paucas oves habet: Diabolus eſt dives, qui habet oves, & boves, & inſuper pecora mundi: multi enim ſunt vocati, pauci electi. *ſerm. 2. Dom. 4. Quadrageſima.*

340. *Charitas Chriſti in nos ineffabilis in exhibitione corporis ſui in cibum, &c.*

Pauper unam ovem habebat, quam emerat, & nutrierat de pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in ſinu eius dormiens eratque illi ſicut filia, &c. Vide quanta ſit charitas Chriſti in nos, qui propter nos Pauper eſt factus: ovicula eſt fidelis anima, quam pretio ſanguinis emit, quam & nutrit ſuo corpore, & ſanguine, & in ſinu eius miſericordiæ fovetur ut filia; ô magna Chriſti dilectio: ô quanta fcelicitas ovium Chriſti. *ſerm.4. in Cœna Domini; & ſerm. 2. Dom. 1.poſt oct.Paſcha & ſerm. 2.Dom.4.Quadrageſima.*

341. *Sola innocentia, & manſuetudo præparat ad eſum Euchariſtiæ.*

Pauper habet ovem unam, de pane illius comedens, &c. Quid eſt hoc, forſan cibus ovis eſt panis, & non potius herba camporum? herba camporum eſt cibus beſtiarum, ſed ovium Chriſti cibus eſt corpus, & ſanguis Chriſti: qui vult ergo hoc pane cibari ſit ovicula Chriſti, ſcilicet vivat innocenter, & manſuetè: alioquin erit hædus Diaboli. *ſerm.2.in Dom.4.quadrageſima.*

342. *Omnes iuſti dicuntur unum, vel una ovis Chriſti.*

Pauper habebat ovem unam, &c. Si hic eſt Chriſtus, quomodò dicitur habere ovem unam? nonne innumerabiles ſunt juſti Beati, & Angeli, qui cibo eius cœleſti aluntur? ſunt quidem plures, ſed tamen dicuntur unum, vel una ovis Chriſti ob conformitatem in volũtate in ordine ad Deum, in quem feruntur, & à quo recipiunt eſſe, & bene eſſe, & conformitatem unitatis. *lib. 1.d.31. art. 2. q. 2.* Vnius corporis igitur membra ſumus, unum habemus caput, una perfundamur gratia, una carne vivamus, una incedamus via, eadem habitemus domo. *in Ioan.Collat.77.*

343. *Eſus Euchariſtiæ unitatem fidelium cum Chriſto, & ad invicem exigit, & efficit.*

Pauper unam ovem habebat de pane illius comedens, &c. Quomodò dicuntur omnes juſti una ovis? quia de pane Chriſti comedentes fiunt unum? quia Sacramentum Euchariſtiæ non tantum ſignificat Communionem, & dilectionem, ſed ad illam inflammat, ut efficiat, quod figurat; quod enim maximè nos inflammat ad dilectionem mutuam, & maximè unit membra eſt unitas capitis, à quo per vim diffuſivam amoris, unitivam, & transformativam manet in nos dilectio mutua; hinc eſt quod in hoc Sacramento continetur verum corpus Chriſti, & caro immaculata, ut ſeſe nobis diffundens, & nos invicem uniens, & in ſe nos transformet per ardentiſſimam charitatem, per quam ſe nobis dedit, ſe pro nobis obtulit, & ſe nobis reddidit, & nobiſcum exiſtit uſque ad finem mundi. *op.Brevil.p.6.cap.9.*

344. Pro-

344. *Proprium munus Prælatorum est ladentes suos subditos ad satisfactionem compellere.*

Ovem reddet quadruplum. Vide, quod Rex audito forto de ove facto pauperi, statim exivit in hæc verba; *ovem reddet iste raptor in quadruplum*: cognoscebat enim proprium munus Prælatorum esse compellere raptores ad restitutionem rerum ablatarum, vel famam læsam, in integrum reddere. *ep.de Ecclesf.Hier.p.1.c.1.*

345. *Deus sæpè durius suos amicos tractat in punitione defectuum, quam inimicos, ad majorem suorum profectum.*

Tu es ipse ille &c. quamobrem non recedet gladius &c. Vide quam rigide Deus videtur tractasse David, nam post increpationem minatur ei tot flagella, & domestica, & extranea &c. quod nullatenus fecit cum Saul, cui solùm comminatus est amissionem regni &c. sed ne miteris de hoc ô Christiane, quia cum Deus omnia in omnibus vitia detestetur, singulariter tamen odit ea in specialiter dilectis: sicut enim Pater magis dolet deformitatis maculâ in filio, quam in alieno, sic Deus peccata omnium odit, & tamen quodamodò durius punit ea in amicis suis singularibus, quam in aliis, sicut appatet in David, qui gravissimè pro peccatis punitus est, secundum illud, *Apocal. c. 3. Ego, quos amo corrigo. ep. de prefect. Religiosl.1.c.28. in fine.*

346. *Luxuria peccatum Deo contumeliosum, proximo scandalosum, & Luxurioso perniciosum.*

Quamobrem non recedet gladius de domo tua. Cur hoc? & quomodò numquam recessit gladius de domo David? Id intelligendum est principaliter secundùm sensum spiritualem: vult enim demonstrare, quod peccatum luxuriæ est gladius acutus infinita mala portans, quia proximum scandalizat, Deo est abominabile, & animam luxuriosi interficit. *ep.comp.Theol.l.3.c.21.*

347. *Oratio cum lachrymis, & pœnitentia destruit culpam, & minuit pœnam.*

Peccavi Domino. Sic dixit contritus corde David, & statim ei responsum fuit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Vide, quam efficax pœnitentia, quam velox remissio peccati: nam oratio cum lachrymis impetrat veniam à Domino. *serm.5. de uno Confessore, & l.4.d.14. art.1. qu.1. fund.1.*

348. *Pœnitentia valet ad conscientia levamen, & quietem.*

Peccavi Domino &c. Dominus transtulit peccatum tuum &c. Ecce quomodò statim ad sonitum pœnitentiæ respondit Nathan, quod Dominus transtulerat peccatum suum, & hoc ad suæ conscientiæ levamen; hic enim est effectus proprius pœnitentiæ. *l.4. d.17.p.1.art.1.qu.1. & op. Confess.c.1.p.5.*

349. *Homines solent oblivisci post mortem amicorum, imò & filiorum &c.*

Surrexit de terra, & lotus, unctusque est, mutavit vestem &c. Vide quam sit verum, quod homines consueverunt oblivisci post mortem non tantum amicorum, sed & filiorum; sic David postquam filium mortuum esse audivit, statim surrexit, flere omisit, faciem lavit, & cibum sumpsit. *serm. 1. de Sancta Maria Magdalena.*

350. *Qui moriuntur in gratia non sunt lugendi, quia in Domino mortui.*

Propter infantem dum viveret lugebam, nunc autem quia mortuus est quare jejuno? ego vadam magis ad illum &c. Cum erat spes de vita filij, David orabat, lugebat, jejunabat &c. post mortem verò ejus desiit jejunare, lugere, quia sciebat ipsum mortuum in Domino &c. *in Luc.c.8.v.49.*



CAPUT XIII.

351. *Amoris rectitudo, & sinceritas in quonam consistit.*

Amnon adamavit sororem suam Thamar speciosissimam &c. Nota, quod licet Amnon amor esset rectus, scilicet amando Thamar, ut sororem suam, non tamen fuit sincerus, quia non amavit eam eo modo, quo debebat sororem, hinc peccavit ob defectum puritatis amoris. *op. de sex alis Seraph. ala 4.* Non igitur omnis amor etiam debitus est rectus, quando scilicet exceditur in modo, vel in fine.

352. *Bona mundana desiderata lætificant, sed diu expectata torquent animum, Bona æternalia è contra omnem lætitiam omnimode afferunt.*

Amnon ægrotavit propter sororem &c. Cur? quia carnaliter eam concupiscebat, & quia ejus concubitu frui non poterat, torquebatur ejus anima: sic sunt bona mundi, quæ prima facie dum desiderantur, lætificant, sed diu expectata torquent animam: non sic bona æternalia, quæ omne bonum animæ afferunt. *serm.1. de une S.Mart.*

353. *Affectus carnalis est à spiritu maligno, & præcipitat in omnia mala.*

Exemplum habemus de hoc in affectu Amnon ad Thamar sororem suam, qui à Diabolo immissus in ejus cor, induxit eum ad violentiâ exercendam cum ea: nec est mirum, quia talis affectus ad quæque turpia inclinat. *op.de 7. itiner. ætern. itin.4.d.3.*

354. *Fuge occasiones peccati: quia ad peccatum impellunt, & maximè consortia mulierum; & è contra virorum.*

Amnon oppressit, & cubavit cum Thamar sorore sua &c. Quomodò in tantum scelus irrupit? & hæc virgo corrupta remansit? quia fuit in thalamo sola cum solo: fuge ergo occasiones proximas, & maximè si vir es, mulierum: & si mulier es, virorum: Virgines enim, quæ veræ virgines sunt semper debent esse pavidæ, & nunquam securæ, ut & non timenda secure etiam pertimescant. *op.Diat.sal.tit.4.c.4.*

355. *Convivia malorum sunt fugienda.*

In convivio Absalon interfecit Amnon fratrem suum &c. Vide quos pessimos effectus parit societas malorum in conviviis malignantium ; ideò ea fuge. *in Luc.c.14.v.12.*

356. *Post Communionem non se abstinens à peccatis, in pejus ruit.*

Hoc figuratum est in morte Amnon, quæ secuta est convivium Absalonis. *op. comp. Theol.l.6. cap.16.*

357. *Pastores tondentes, & sugentes sanguinem ovium subjiciuntur morti æternæ, & temporalibus malis.*

Factum est, ut tonderentur oves Absalon &c. Notat hic sacer textus mortem secutam Amnon, & ab Absalon inflictam, sed tempore tonsionis ovium : cur permisit Deus, ut tempore tonsionis ovium fieret hoc homicidium, ex quo exilium, & tandem mors postea etiam secuta est in Absalon ? sed nota mysterium : Hoc discrimen est inter Pastorem verum, & mercenarium, quod Pastor bonus pascit oves : sed mercenarius eas perdit, ad quarum perditionem incurritur multiplex malum temporale, & æternum ; væ igitur iis,qui pascunt non oves, nisi rapiendo,sed semetipsos. *in Ioan.collat.90. & ser.1. & 2 fer.3. Pentecost. & ser.1. & seq. Dom. 1. post oct. Paschæ.* Vide ergo quomodò ad tonsionem ovium consequuntur tot mala : Esto igitur Pastor, non tonsor, raptor, & occisor ovium.



CAPUT XIV.

358. *Anima vit maxima &c. Vitæ præsentis brevitas velut scintilla.*

Et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est &c. Quænam hæc est scintilla ? Nota, quod hic sumitur scintilla, vel pro anima,vel pro vita filij : scintilla dicitur ob subtilitatem,& motus agilitatem : dicitur etiam vita præsens ob brevitatem durationis. *in sap.cap.2.*

359. *Vitæ brevitas à Deo ordinata, ut aliam vitam,scilicet æternam quæramus.*

Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram &c. Ecce quod continua experientia nobis hanc veritatem prædicat, ut nos videntes caducitatem, & brevitatem hujus vitæ,ad aliam æternam inhiemus, & toto studio quæramus. *fer.1. in Invent.S.Crucis ; & in Eccles.c.2. & sap.c.7. & 14. & c.15. & op.com.Theol.l.2.c.10.*

360. *Infirmi adjuvandi, & fovendi à Prælatis.*

Non vult Deus perire animam, sed cogitat ne penitus pereat,qui abjectus est &c. Hoc facit Deus, & hoc maximè exigitur à potestate Prælatorum, qui debent fovere subditos, infirmos, ne penitus pereant, nam si pereunt defectu auxilij, eis imputabitur à Deo mors, & ruina ipsorum. *op. de sex alis Seraph.c.4.*

361. *Vir ardens amore Dei non removetur adversitate, vel prosperitate à servitio Dei.*

Sicut Angelus Domini,sic est Dominus meus Rex, qui nec benedictione, nec maledictione movetur. Vide qualitates viri justi, qui comparatur Angelo Domini ; sed cur Angelo ? Angelus enim Domini continet in corde ignem amoris divini, quo sine termino stabiliter movetur in Deum ; ideo comparantur Angeli flammæ ignis ; sic & vir justus cor igne accensum habet, & non comburitur, quia nulla adversitate, nulla prosperitate, nullo metu mortis separatur ab illo, quem diligit. *op. Eccles. Hier.p.1.cap.1.*

362. *Princeps, & Prælatus ob quodcumque accidens unquam deviat à rectitudine.*

Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus est Domini, qui nec maledictione, nec benedictione movetur. Vide cur Princeps, & Prælatus comparatur Angelo Domini, scilicet virtutibus cœlestibus, quæ sic vocantur propter fortem, & immutabilem virilitatem ad susceptionem divinatum illuminationum &c. sic etiam Principes, & Prælati debent habere hanc immutabilem virilitatem, ut odio,amore,timoreque à vigore justitiæ deflectantur. *op.Eccles.Hier.p.2.c.2.*

363. *Princeps sit veluti Angelus Domini.*

Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Domini es. Nota autem, quod non exprimit de quo choro : nam Angeli distribuuntur in novem choros ? sed attendendum est, quod ad illos Angelos fit allusio, in quibus, repræsentatur munus Principum : & hic est chorus virtutum : quorum proprium est non solùm fortiter, & viriliter, immutabiliter se habere, ut dictum est, sed etiam quia eorum proprium est justitiam defendere, divinam sapientiam in suis actibus imitari, pauperes defendere, & oppressos liberare ; sic & Princeps ad hæc tenetur. *op.Eccles.Hier.p.2.c.2.*

364. *Peccatum non solùm ratione culpæ à gloria cælesti removet, sed quoad pœnam retardat, & retinet in Purgatorio.*

Revertatur in domum, & faciem meam non videat &c. Si Rex reconciliatus fuit cum Absalon, cur prohibet, ut ad suam præsentiam veniat ? Nota, quòd hoc fuit figura modi, quo Deus tractat peccatorem : dum enim est in peccato, exul ab amicitia Dei vivit ; si reconciliatur per remissionem culpæ adhuc tamen ratione reatus pœnæ à præsentia, & visione Dei retardatur, quia prius debet consumi fœnum, stipula, lignum non solùm peccatorum venialium, sed & reatus pœnæ debitæ, & si cum hoc reatu decedit ; dicit Deus, remaneat in domo sua : quænam est hæc domus ? domus hæc est Purgatorij locus, in quo purgari debet, & solui hoc debitum. *op.comp. Theol. l.3.c. 7. & l.4.d.20.art.1.qu.1.2. & sequ.*

365. Vir

365. *Vir justus debet esse pulcher interius, & exterius, sed moraliter.*

In omni Israel non erat illo pulchrior, quia à planta pedis usque ad verticem non erat in eo macula. Hæc dicuntur de pulchritudine exteriori corporali; sed spiritualiter hæc debent intelligi de viro justo quoad mores, si enim vult introduci in gratiam, & amicitiam Dei debet esse pulcher, scilicet in corde, exterius in affatu, gravis in incessu, honestus in visu, & auditu, temperatus in habitu, in cibo, & potu. *ser. 2. de uno Doctore, & serm. 1. de uno Confessore.*

CAPUT XV.

366. *Ambitiosorum studia iniqua in Absalone repræsentata.*

Et mane consurgens Absalon stabat juxta introitum portæ &c. Cur summo mane Absalon te somno prives, & tam firmiter perseveras juxta introitum portæ Regis? nonne est hoc officium servorum, & cubiculariorum Principis, & non filij primogeniti tanti Regis? sed non est mirum, quia cor habebat iste impius ambitione occupatum: ambitio enim est ambientium crux, quæ omnes torquet, & omnibus placet: Vide quomodò ambitiosus undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, dissimulat, misceaque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus, & pedibus repens, & ut aliis dominetur, prius vilissime servit, si quo modo tandem se ingerere queat in Principatum, vel patrimonium Crucifixi. *op. Phar. l. 1. c. 24.* ô ambitio maledicta quam pœnosa, & laboriosa!

367. *Diaboli osculum quale.*

Absalon extendebat manum, & apprehendens osculabatur eum. Vide qua arte iste impius sollicitabat, & alliciebat Israelitas ad rebellionem contra Regem: sic facit Diabolus nobiscum: Blanditur ut fallat, arridet, ut noceat, allicit, ut occidat, & osculatur, eum falsam securitatem promittit; fuge ergo fraudulentissimum istum hostem. *serm. 2. Dom. 3 post oct. Pascha.*

368. *Ambitio sub persona religionis, & pietatis tegit superbiam, & iniquitatem.*

Vadam, & reddam vota mea Domino, quæ vovi &c. Vide quomodò iste impius sub specie pietatis, & religionis tegit suam ambitionem, & conjurationem factam contra Patrem suum: ô quot huic similes! ô quot ad limina Apostolorum currunt, quæ plus ambitio, quam devotio regit! ô quot propter Ecclesiasticas dignitates tondentur, frequentant Ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant! *op. Pharetra l. 1. c. 24.*

369. *Seditio, & commotio bona, & mala quænam.*

Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida &c. Nota quod hic designatur qualis sit commotio, & seditio bona, & qualis mala; hæc enim facta est iniuste contra proprium Principem; ideo damnabilis: Commotio vero bona est, quæ per Christum facta est ad bonum; scilicet ad erudiendum, & excitandum ad bonum. *in Luc. c. 23. v. 5.*

370. *Quàm multi relinquentes Christum Diabolum sectantur.*

Toto corde universus Israel sequitur Absalon! Quomodò universus Israel? nonne multi fideles servaverunt se erga David? sed id dicitur non quoad omnes, sed fere quoad omnes, scilicet quoad majorem partem; per quod datur intelligi, quod major pars hominum relicto Christo sectantur Diabolum, mundum, & carnem; & licet caro inficiat, mundus deficiat, & Diabolus decipiat, tamen hos pessimos Dominos mundus sequitur. *ferm. in festo Sanctorum Petri, & Pauli, & in Luc. c. 20. v. 11.*

371. *Multi non solùm fugiunt à Christo sequentes Diabolum, sed contumeliis eum afficiunt.*

Toto corde universus Israel sequitur Absalon &c. Vide quomodò Israelitæ non solùm defecerunt verum Regem, sed & contumeliis eum affecerunt, dicentes, ut infra. *c. 20. non est pars nobis in David &c.* Sic Judæi fecerunt cum Christo, sic & multi Christiani. *in Luc. c. 20. v. 11. & cap. 24. v. 27.*

372. *Deus peccata omnium odit; tamen durius ea punit in amicis suis singularibus, quos enim amat corrigit.*

Surgite fugiamus &c. Cur Deus permisit tantum malum in David ab ipso tam specialibus signis dilecto? sed respondetur, quod pro peccato adulterij, & homicidij Uriæ punitus est; nec idest mirum, quia sicut Pater magis dolet defœmitatis maculam in filio, quàm in alieno: sic Deus peccata omnium odit, & tamen, quodammodò durius punit ea in amicis suis singularibus, quàm in aliis, ut appatet in David, qui gravissime pro peccatis punitus est; dicit enim. *in Apoc. 3. ego quos amo corrigo, & castigo. op. de profect. Religios. l. 2. c. 27.*

373. *Verus servus Christi ab ipso non permittit separari, sed semper eum ipso cohabitare.*

Vivit Dominus, quoniam in quocumque loco fueris, ibi erit servus tuus. Sic dicebat Ethai Regi David, ut ostenderet desiderium ei obsequendi &c. idem & facit verus servus Christi, qui numquam sive in morte, sive in prosperitate ab eo separari vult, sed semper cum eo cohabitare. *in Luc. c. 8. v. 38.*

374. *Qui in tribulatione non recedit à Deo, signum patens dat perfectæ dilectionis.*

Vivit Dominus, quia in quocumque loco fueris

Domine mi Rex ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. Vide quale ſignum dilectionis hujus ſervi in Regem oſtendit: idem & veri ſervi Dei debent deſiderare, quia hoc eſt maximum ſignum dilectionis in Deum in tribulatione non ſeparari à Chriſto, & hoc eſt patens ſignum fidelitatis ſervorum Dei. *ſer. de SS. Petro, & Paulo.*

375. *Qui vult fugere iram Dei, debet voluptates carnis deſerere.*

Reliquit decem concubinas mulieres ad cuſtodiendam domum &c. Cur in fugiendo David iram Abſalon, reliquit decem concubinas, & non potiùs milites ad cuſtodiam domus? ut ſignificaretur, quod qui vult fugere iram Dei, debet relinquere concubinas, ſcilicet affectiones, & voluptates carnales. *Pſal. 118. c. 1. v. 5.*

376. *Proceſſiones nudis pedibus, & ſignis externis pœnitentiæ in Eccleſia à Spiritu Sancto introductæ temporibus neceſſitatum publicarum.*

Porrò David aſcendebat clivum olivarum ſcandens, & flens, & nudis pedibus, & operto capite, & omnis populus cum eo &c. Vide quomodò Rex iſte nobilis totius pœnitentiæ, & humilitatis exemplar verè pœnitentibus præbuit exemplum; cui etiam conſuetudo Eccleſiaſtica conſonat, quæ ad iram Dei placandam in proceſſionibus pedes nudat. *op. apol. paup. reſponſ. 4. c. 1.*

377. *In ſignum paupertatis extremæ veræ, & inſignis pœnitentiæ, & in teſtimonium obedientiæ Sanctus Pater Franciſcus ordinavit in regula, ut Fratres ſui diſcalceati incederent.*

Porrò David aſcendebat clivum olivarum ſcandens, & nudis pedibus &c. Nota, quod David Rex voluit hæc ſigna pœnitentiæ oſtendere ad placandam iram Dei; in quo menti occurrit inceſſus nudis pedibus, qui etiam à Chriſto, & Apoſtolis fuit uſitatus; & à Seraphico Franciſco in ſua Regula inſtitutus, & hocut per ſuos diſcalceatos mundo exhiberet ſigna extremæ paupertatis, inſignis pœnitentiæ, & perfectæ obedientiæ: in ſignum item elongationis ab omni carnalitate, & perfectæ virtutis exercitium. Videant igitur Fratres minores Sancti Franciſci, quàli obligatione confirmandi operæ ſignis talibus extremis ſint obſtricti. *op. apol. paup. reſp. 4. cap. 1.*

378. *Qui non incedit diſcalceatus non poteſt eſſe diſcipulus Chriſti.*

Qui aſcendebat nudis pedibus, & flens clivum montis &c. Cur notatur aſcenſus in montis ſummitatem nudis pedibus? ad ſignificandam normam perfectæ pœnitentiæ; Nota autem, quod calceamenta pedum ſunt ex pellibus animalium mortuorum, ſignificantque operum mortuorum carnalitatem, & cupiditatem terrenam; qui ergo vult aſcendere ad montem cum vero David, ſcilicet Chriſto debet hæc calceamenta ſe exonerare, & diſcalceatus incedere. *in Ioan. cap. 1. v. 27.*

379. *Malorum amicitia mutua peſſimum malum, & omnium pernicioſum.*

Infatua Domine conſilium Achitophel. Nota quod David, quando audivit Achitophel, qui erat ſuus conſiliarius, eſſe collegatum cum Abſalon, valde extimuit, & ad Deum toto corde recurrit dicens, *Infatua Domine &c.* Sed cur tantus timor? quia ſciebat amicitiam malorum eſſe maximum, & peſſimum malum, nam malum additum malo totum fit magis malum: & quantò plura fuerint frigida in unum collecta, tanto eſt fortius venenum, quod inde generatur. *ſerm. 10. de Apoſtolis; & op. Bibl. paup. c. 28.*

CAPVT XVI.

380. *Dimittite eum, ut maledicat &c.* Nota hic, quod humilitas ſervorum Dei in perſona David exprimitur, quæ potiſſimè conſiſtit in tolerantia æquanimi opprobriorum, & contumeliarum, ut patet in eo quod dixit, quando Semei eum exprobrabat &c. *dimittite eum, ut maledicat &c. Dias. ſa. tit. 7. c. 1.*

CAPUT XVII.

381. *Sapientes mundi tamquam ſtulti ad interitum ſe ultro præcipitant &c.*

Porrò Achitophel laqueo ſe ſuſpendit. Vide quàm ſtultitia ligatus fuerat iſte Conſiliarius Regis, qui videns ſuum conſilium ab Abſalon ſpretum, & deſperatione laqueo ſe ſuſpendit; ut pateat quale diſcrimen inter ſapientiam juſti, & mundanam; hæc enim reducit ad interitum; juſtus verò æquanimiter omnia tolerat. *ſerm. 1. de uno Sancto Martyre.*

382. *Sequaces mundi, carnis, & Diaboli ad interitum ducuntur.*

Achitophel ſuſpendio interiit, & ſepultus eſt &c. Vide finem hujus impij proditoris; quia enim conſilium ſuum cognovit deſpectum ab Abſalon, & conſilio Chuſai poſtpoſitum, ideo ſuſpendio interiit: ex quo intellige, quod amatores mundi, & Diaboli, licet videantur aliqualiter florere, & proſperari in hoc mundo ſicut Achitophel, tamen in fine morte mala intereunt. *ſer. de SS. Petro, & Paulo.*

CAPUT XVIII.

383. *Ambitioſorum finis peſſimus.*

Et Abſalon ſuſpenſus eſt inter Cœlum, & terram &c. Vide finem Abſalon, qui ſuſpenſus remanſit inter Cœlum, & terram, & peſſime occiſus eſt, & totus populus, qui eum ſequebatur diſperſus fuit; ſed cur voluit Deus, ut à terra elevatus occideretur? quia talis eſt proceſſus, & finis ambitioſorum; qui quaſi elevantur uſque ad Cœlum præferendo ſe omnibus, ſed vide quod ſicut Abſalon occiſus eſt, & in fovea profunda lapidibus

lapidibus obrutus: sic ambitiosi, secundùm rectam divinæ justitiæ regulam deprimentur usque ad profundum abyssi secundùm veritatem, quoniam in fine mortis suæ, quasi vile sterquilinium perdentur. *ser.* 3. *Dom.* 2. *post oct. Pascha: & ser. de SS. Petro, & Paulo.*

384. *Delectationes carnales, & regulæ doctrinæ Mundi ad suspendium reducunt sequaces ipsarum.*

Et Absalon caput adhæsit quercui &c. Cur Deus permisit, ut ad quercum suspensus interiret iste Princeps? quia adamavit, & quæsivit siliquas, & glandes porcorum: & quænam sunt? sunt delectationes carnales, & doctrinæ hujus mundi: qui ergo relicta doctrina spiritus, & doctrinam mundi, & carnis sectatur, tandem suspenditur per capillos, & affectus, & in fine perdetur. *ser.* 19. *Hexaem. & ser. de SS. Petro, & Paulo.*

385. *Ex dolore David ob mortem Absalon filij sui potest argui qualis dolor fuerit in Beata Virgine Maria ex morte sui unigeniti.*

Contristatus Rex flevit dicens Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut pro te moriar? Hæc sunt verba lamentationis, in quæ prorupit David valdè dolens de morte filij sui dilecti: sed ex hoc transfer mentem ad dolores Beatæ Virginis Mariæ quos passa est ex morte Christi sui Unigeniti; unde dicebat, quis mihi det ut pro te moriar fili mi. *op. Soliloqu. cap.* 4.



CAPUT XIX.

386. *Qui à Deo declinat, se in omnem infelicitatem præcipitat.*

Et declinavit in die illa populus ingredi in civitatem &c. Nota quod cum populus audisset, quod David Rex totus in lachrymas effunderetur ob mortem filij, declinavit ingredi in civitatem, & per hoc figurantur qui declinant à Deo, & ad iniquitates prolabuntur. Isti enim stulti renuunt ingredi civitatem, quæ significat felicitatem, quam gratia Dei confert, & ad infelicitatem se vertunt, quam iniquitates, & peccata comitantur. Declinant etiam animadversiones, quas Deus suis immittit, & in pejus ruunt. *Psalm.* 118. *c.* 10. *v.* 13.

387. *Subditi veri debent ad obedientiam omnes actus suos ordinare.*

Et inclinavit cor omnium virorum Iuda quasi unius viri &c. Vide quomodò à libertate ad subjectionem proprio Principi isti viri inclinaverunt cor; sic & boni subditi debent inclinare, & ordinare omnes actus suos ad unicam obedientiam. *Psal.* 118. *c.* 7. *v.* 16.

388. *Non sat est se Deo exhibere in oratione absque contritione cordis, qui vult hæreditate Domini frui.*

Miphibofeth descendit in occursum Regis illotis pedibus, & vestibus &c. Vide quomodò iste filius Saul se obtulit Regi hoc habitu exteriori; per quod obtinuit liberationem à morte, sed tamen privatus est à Rege hæreditate; per quod datur intelligi, quod qui vult ad hæreditatem Domini pervenire, non sufficit, ut se Deo corporaliter in oratione præsentet, nisi etiam candida sint ejus vestimenta, scilicet lavando cor contritione, & lachrymis. *ser.* 1. *in Vigilia Nativitatis.*

389. *Habitus exterior pœnitentiæ, signum est interioris doloris.*

Miphibofeth filius Saul descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque suas non laverat &c. Nota, quod iste filius Saul ob formidinem pœnæ tali habitu exteriori se Regi præsentavit, ut exhiberet signum exterius doloris, & miseriæ, & ut ad sui commiserationem cor Regis excitaret; nec id est mirum, nam signum exterius in pœnitentibus indicium est, ut plurimum, doloris interioris. *in Thren. c.* 1.

390. *Proprium est Angelorum, & virorum innocentia Angelica præditorum non recedere à beneplacito divinæ voluntatis.*

Tu autem Domine mi Rex sicut Angelus Dei es, fac quod est placitum tibi &c. Cur filius Saul appellat David quasi Angelum Dei? nonne hoc est potiùs verbum adulatorium? sed meritò ipsum appellat sicut Angelum Domini, quia cum esset filius Saul, & ipse exercuisset inimicitias in David, iste tamen ob amorem Dei, & ob suam innatam pietatem non solùm ei pepercit, sed & inter suos commensales adnumeravit; meritò igitur dicitur, *sicut Angelus Dei*, quia sicut Angeli Dei in omni opere suo Deum inspiciunt, & nil aliud, quàm divinæ voluntatis regulam diligunt, vel requirunt; sic & vir justus, & spiritualis vera cordis intentione Deum diligit, & ab ipsius voluntatis beneplacito non recedit. *op. de Eccles. Hier. p.* 1. *c.* 1.

391. *Homo cum Deo unitus securus ab omni malo requiescit.*

Veni mecum, ut requiescas securus in Hierusalem: Sic dixit David ad Berzellai: sed nonne etiam in Hierusalem poterat adversitates, & inimicitias experiri? minimè: Hierusalem est locus pacis, & Dei amicorum, qui igitur intrat in gratiæ, & innocentiæ statum cum Deo securus requiescit; sic Adam in statu innocentiæ securus vixisset ab omni pugna, contrarietate, & adversitate; factus transgressor ejectus est de loco voluptatis, & cecidit in deordinationem omnis pœnæ: Vive ergo Deo conjunctus ô homo, si vis vivere securus: *ser.* 4. *Dom.* 12. *post Pentecost.*

392. *Defectus senectutis enumerantur.*

Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei &c. Vide quomodò Berzellai à Rege invitatus se excusat, afferens in medium defectus senectutis, ut ipsum Regem moveret ad dimittendum ipsum à curia, & à curis palatij &c. Potissimè sunt sequentes, scilicet non posse nociva repellere, se sustentare, comedere, videre, loqui, & audire, nisi imperfectissimo modo; qui defectus debent senes excitare ad se morti præparandũ. *in Eccl. c.* 12.



CAPUT XX.

393. *Impiorum proprium eſt perſequi, & abhorrere bonos, & contra eos lingua frænum laxare.*

Non eſt nobis pars in David, neque hereditas in filio Iſai. Vide, quod iſti impij, & ſtulti ſe ſeparaverunt à David, dicentes, *non eſt nobis pars cum David*: & notandum hic, quod in contemptum maiorem David appellant eum filium Iſai, nempe originem ipſius ex vili, & inope homine proponendo, quia hoc eſt proprium impiorum nullū commercium habere cum bonis, & quando non poſſunt ex parte morum, & ſanctæ vitæ detrahere, recurrunt ad dotes naturales, vel ad generis maculam, ſi aliqua eis ineſt.*in Luc.cap.4. v.22.* Et hoc itidem fuit figura contumeliarum, & opprobriorum, quibus Iudæi Chriſtum tractaverunt, toties appellantes eum filium Ioſeph, filium fabri.*in Luc.ibidem,& c.20.v.21.*

394. *Diabolus per temporalem felicitatem, vel per ſuos miniſtros impios interficit, ſub ſpecie amicitiæ hominem.*

Ioab tenuit mentum Amaſæ, quaſi deoſculans eum, & percuſſit eum in latere, & mortuus eſt. Ecce qualis proditor fuit Ioab occidens Amaſam ſub ſpecie amicitiæ:ô quot occiduntur à Diabolo ſub ſpecie amicitiæ; nam ipſis blanditur oſtendens temporalem felicitatem, amicos, vel conſiliarios fraudulentos mittit, vt ſic ſub ſpecie amicitiæ mortem animæ afferat: & nota, quòd principaliter ferit inſignes gladium tentationis in latera, ſcilicet; quæ ſunt vel mulier,vel vxor mala, vel amici ficti,& fraudolenti; Cave igitur ô homo ab his blanditijs.*ſer.3.Dom.infra.oct.Nativit.*

395. *Mala ſub ſpecie virtutis & boni contecta quam periculoſa.*

Ioab tenuit mentum Amaſæ, quaſi deoſculans eum &c. Ecce figura tentationum, quas immittit Diabolus ſervis Dei ſub ſpecie boni, ſæpè enim palliat ſe ſuperbia, invidia, avaritia, & omne aliud vitium, quæ cum non audeant bonos tentare aperta facie, quos ſciunt omne malum odiſſe, aſſumunt aliquod virtutis velamen, ocagnoſcantur eſſe quod ſunt; ſicut Ioab tenuit mentum Amaſæ, quaſi oſculaturus & ne ſuſpicaretur eum hoſtem eſſe, & non obſervatet gladium eius doloſum, & ita occidit eum dolo; ſic & Iudas tradidit Chriſtum; hocque maximè verificatur in religioſis, & ſervis Dei, quando irretiti inveniuntur aliqua affectione immoderata, per quam ſæpè ſub ſpecie pietatis, vel charitatis paulatim præcipitant in ſcelera horribilia.*op.de profect.religioſ.l.2.c.5.*

396. *In ſchola Chriſti ſæpè qui videntur inſipientes mundo, ſunt apud Deum ſapientes, & è contrà &c.*

Ingreſſa ergo eſt mulier ad populum, & locuta eſt eis ſapienter &c. Nota quod prudentia huius mulieris liberavit civitatem ab obſidione, quod non fecit quicomque alius homo, & ideò appellatur meritò ſapiens; vt videas quod apud Deum ſæpe debilior eſt ſapiens, licèt non apud mundum.*in Eccleſ.c.9.*



CAPUT XXI.

397. *Peccata ſunt cauſa famis, ſterilitatis, & aliarum adverſitatum.*

Facta eſt quoque fames in diebus David tribus annis iugiter &c. Notandum, quod cum torqueretur regnum David ſterilitate, & fame, maximè ipſe conſuluit Dominum, vt originem tantæ calamitatis dignaretur ei revelare; cui reſpondit Dominus: *Propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas &c.* ex quo patet, *ait Gloſſa moralis*, quod effuſio ſanguinis innocentis avocat è Cœlo adverſitates publicas. Datur & nobis intelligi, quod propter peccata inducitur ſterilitas terræ, & pluvia fæcundans terram ſubtrahitur, vt addiſcamus ex hoc, quod tunc ad domum orationis ad Deum placandum debemus confugere.*ſer.4.de Dedicatione.*

398. *Crucifigenda eſt caro, mundusque ad Deum placandum.*

Deditque David ſeptem filios,quos Saul,& quinque Michol Gabaonitis, qui crucifixerunt eos. Cur ſeptem filij à Saul deſcendentes crucifiguntur ad Deum placandum, & avertendam iram divinam? vt pœna reſpondeat culpæ. Sed myſticè per ſeptem filios Saul ſignificatur vniverſitas vitiorum, *ait Gloſſa moralis*, quæ debent crucifigi cum carne, Mundo, & Diabolo ad Deum placandum. Sic Chriſtus in cruce affixus fuit, & crucifixus in medio duorum latronum, vt nobis daret intelligere, quod caro, & Mundus veluti latrones ſunt crucifigendi ad hoc, quod ſpiritus noſter in cruce Domino offeratur, & Deus placatus reddatur.*in Luc.c.23.v.33.* Qui igitur paſſibulum mortificationis crucis negligit aſſumere; expectet ſuæ exterminationis iudicium: nullus enim homo excipitur ab hac regula.*ſerm.1.Dom.4.quadrageſimæ.*



CAPUT XXII.

399. *David in articulo mortis cantavit Pſalmum decimum ſeptimum in actionem gratiarum pro ſui liberatione à ſuis hoſtibus ad exemplum noſtrum.*

Locutus eſt autem David Domino verba carminis huius Dominus petra &c. Vbi advertendum; quod in eodem ſenſu, licet ſecundum aliam litteram, diverſiſque terminis ponitur hic, & in Pſaltèrio.*in Pſalm.17.* Notandum eſt, quòd in hoc Pſalmo repræſentatur expectatio Meſſiæ, eius Adventus, & liberatio facta per ipſum generis humani.*in Pſalm.17.*

400. Qui

400. *Qui fabricam sui profectus tam corporalis, quàm spiritualis super Christum stabilit, securus incedit ab omni periculo.*

Dominus petra mea, & robur meum, & salvator meus. Nota, quod meritò appellat Dominum petram, robur, & Salvatorem, quia ei, qui confidit firmiter in solo Christo, omniaque temporalia despiciens, domum suam, non suprà rem vanam, non suprà arenam, non suprà vanescentem materiam, sed supra solidissimam petram, tutamque ab omni ictu hostium fundat; ô fœlix ille, qui tale ædificium extollit. *fer. de S. Agatha, & in Luc. c. 1. v. 69.*

401. *Deus ordinatè à malo liberat, & ad bonum per gradus provehit animam.*

Dominus petra mea, robur meum, salvator meus; Deus fortis, scutum, cornu salutis mea elevator meus, refugiū meum &c. Nota, quod in his vocibus assignatur modus, quo Deus hominem à malo liberat, & ad bonum elevat: liberat enim per Baptismum, & pœnitentiam à potestate Diaboli, ipsum confirmat, ne cadat, & vt hostem vincat, & deinde sublevat, & adiuvat ad operandum, & cor inflammat ad amandum. *in Psalm. 17.*

402. *Peccata sunt funes Inferni.*

Funes Inferni circumdederunt me &c. Sed quænã sunt funes Inferni? ergone Infernus habet funes? habet quidem & fortissimos, & sunt peccata mortalia, quibus homo irretitur post consensum deliberatum, ex quibus ad infernum ducitur per reatum culpæ, & pœnæ ad quem statim obligatus remanet. *Psalm. 118. capite 4. vers. 13.*

403. *Tentationes Diaboli sunt torrentes Inferni & vanitates mundana inducunt mortem.*

Circumdederunt me contritiones mortis, & torrentes Belial terruerunt me. Contritiones mortis, idest vanitates huius mundi sunt induentes mortem, & torrentes Diaboli sunt variæ tentationes, quibus Diabolus captivat homines. *in Psalm. 17.*

404. *Vera compunctio cordis ex Dei inspiratione sola pervenit.*

Ascendit fumus de naribus eius &c. Nota, quòd per nares Dei intelliguntur inspirationes Dei in corda hominum immissæ, ex quibus provenit fumus compunctionis pœnitentium. *op. summa de invisibilitate Dei.*

405. Christus dicitur Cœlum Cœlorum inclinatum ad terram; quando in carnem venit: vnde hic dicitur; *Inclinavit Cœlos; & descendit. in Psalm. 17.*

406. *Deus descendit ad proficientes in via spirituali in nube devotionis.*

Cribrans aquas de nubibus Cœlorum. Quid est cribrare aquas de nubibus? hoc est extrahere aquam lachrymarum de corde proficientium, per quas Deus descendere dicitur infundendo devotionem veram. *fer. 1. in Vigilia Nativitatis.*

407. *Aqua divini Verbi effusa est per totum orbem terrarum per Apostolos, & Prædicatores.*

Cribrans aquas de nubibus Cælorum. Ergo ne Deus incumbit ad hanc cribrationem? ergo enim sit vbique, vbique faciet pluere? maximè: pluit enim super iustos, & iniustos; Christus enim exposuit Apostolos, & Prædicatores, tamquam nubes plenas aqua salutaris doctrinæ, vt eam diffunderent per totum orbem terrarum, & irrigarent omnium animas. *fer. de SS. Sim. & Iuda.*

408. *Talis est nobis Deus, quales nos ipsi.*

Cum sancto, sanctus eris, & cum perverso perverteris. Nam cum sancto per exercitium operum virtutis Deus est sanctus per collationem bonorum: cum innocente per vitationem mali, Deus est innocens per collationem boni; & cum perverso Deus est perversus, scilicet cum puniendo. *in Psalm. 17.*

409. *Christus dives factus est pauper vt nos pauperes ditaret.*

Et populum pauperem salvum facies. Vide quomodò specialiter Christus dicitur venisse, vt pauperes salvos faceret; sed nonne etiam divites? sed attende quòd omnes homines erant pauperes carentes divitijs virtutum, & gratiarum, subiecti oppressionibus malorum Dominorum, scilicet Dæmonum: Christus igitur dives solus factuã est pro nobis pauper, vt nos à Dæmonis tyrannide liberaret, & virtutibus, & gratijs ditaret. *fer. 4. in Nativit.*

410. *Veri servi Dei semper ad pugnam prompti, & parati esse debent.*

In te curram accinctus, in Deo meo transiliam murum. Quid est currere in Deum accinctus? idest stare in actu pugnandi: & ante Deum in tali statu debet se exhibere, vt transiliat murum peccatorum. *in Psalm. 17. & Vgo Card. hic.*

411. *Qui proficit de virtute in virtutem, hic verè currit.*

In te curram accinctus &c. Quomodò hic dicitur David currere in Deum? Nota, quòd terminus huius cursus est, Deus, sed quomodò ad Deum itur? proficiendo de virtute, in virtutem, & ferventer diligendo: hic est cursus, quem debes amplecti in via Dei ô serve Dei; vt possis dicere, in odorem vnguentorum tuorum curtimus: *fer. 1. fer. 4. Pentecost.*

412. Deus

412. *Deus est præmium expositum in cursu, & bravia huius vitæ ad quod est soliciiè, & velociter currendum.*

In te curram accinctus. Cur non dicit ibo, veniam ad te, sed dicit curram in te? quia Deus est præmium expositum in hoc itinere mortali, & sicuti si quis aurum daret, aut thesaurum apponeret in bravio, omnes libenter absque violentia currerent, sic & ad Deum, ut ad inexhaustum thesaurum justi currunt; si igitur natura rerum persuadet currere ad præmium promissum, curramus, & nos; nam qui non currit in hac via, dignus non erit præmium propositum accipere. *in Luc.c.9.v.23.*

413. *Verba Dei illuminant intellectum, & purgant affectum.*

Eloquium Domini igne examinatum, &c. Quid est igne examinatum? hoc est quia verba Dei, eius leges, ut ignis illuminant intellectum, & à corruptione purgant affectum. *in sap.cap.*18. dicitur ergo, *eloquium Dei igne examinatum*, quia verba Dei devotè audita, & recepta fulgent per veritatem, ferveut per charitatem, & inflammant ad pietatem. *Psalm.*118.*cap.*10.*v.*14.

414. *Adventus Christi in carnem fuit opus pura misericordia Dei, sed ex pacto, & promissione fuit debitum.*

Magnificans salutes Regis, &c. In quonam fuit hæc magnificatio? in hoc quod adventus Verbi in carnem originaliter fuit actus divinæ misericordiæ, sed supposito pacto, & promissione divina fuit debitus. *in Luc.cap.*1.*v.*72.



CAPVT XXIII.

415. *David quarè dicitur egregius Psaltes.*

Dixit David egregius Psaltes, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, &c. Cur David super cæteros Prophetas dicitur egregius Psaltes? & cur dicitur ei constitutum esse de Christo? nonne & alij Prophetæ loquuti sunt de Christo? Nota, quod David super alios dicitur eximius prophetarum, & maximus, & propter regiam dignitatem, & propter humilitatis eximiam abundantiam, & propter promissionem apertè ei factam de Christo, & quia perfectius, & apertius tractat de Christo, quàm alij, & hinc etiam Psalmi magis frequentantur in Ecclesia. *Præfat. in Psalm.*

416 *Beata Virgo Maria ex ortu Christi facta est lucidissima Aurora.*

Sicut lux auroræ, oriente Sole manè absque nubibus rutilat, & sicut pluvijs germinat herba de terra, &c. Quid sibi vult hæc lux auroræ oriente Sole? nonne oriente Sole aurora evanescit? sed nota, quod hic mysticè alluditur ad prærogativas Beatæ Virginis Mariæ, quæ vere fuit aurora, cuius lux est sanctitas eius, qua Verbum sol justitiæ processurus de ipsa, eam irradiare dignatus est; & licèt semper lux huius auroræ rutilaverit, tamen in ortu solis, scilicet Christi non solum non evanuit, imò veluti elevata in alterum solem mirabiliter irradiata fuit, quia exijt è Virgine absque nubibus, scilicet absque macula peccati originalis, lucida ergo fuit absque nube peccati, & ante, & post Christi Nativitatem. *op.specul.Beatæ Virginis lect.*11.

417. *Ex nativitate Beatæ Virginis orta est fæcunditas spiritualis animarum.*

Sicut lux auroræ oriente Sole manè absque nubibus rutilat, & sicut pluvijs germinat herba de terra, &c. Vide connexionem ortus auroræ oriente sole, & fœcunditatis terræ ex pluvia adveniente: licet enim cum oritur Sol materialis sine nubibus non cadit pluvia super terram, non tamen sic accidit ad ortum Solis mystici, scilicet Beatæ Virginis; datur ergo intelligi; quod ad exortum Mariæ mysticæ auroræ rutilantis sanctitate, & copia gratiarum abundavit pluvia roris, scilicet benedictionis, & gratiarum irrigans superficiem mundi, & corda credentium adimplens; ô lucida aurora Maria: qui ergo vult benedictionibus adimpleri, ad auroram Mariam accedat. *op.Eccles. Hier.p.*4.*cap.*7.

418. *Donum pietatis in mente hominis facit auroram, & crescit usque ad meridiem lucis perfectæ.*

Sicut lux auroræ oriente Sole manè absque nubibus rutilat, &c. Nota etiam, quod hic textus potest aptari mysticè dono pietatis, quod adveniens in anima habet ortum perfectum, & consummationem: Est enim dulcis radius à sole infinitæ pietatis medtibus inspiratus, quo mens in se ipsa illuminatur, & ad Deum colendum sursum habilitatur, & inferius ad proximo subveniendum piè inclinatur; sic enim omnes operationes mens illuminata pio desiderio in fontem pietatis extendit, & omnem impietatem excludit, & ad horam meridianam proficiendo properat, in qua divinum cultum ferventer, & perfectè exercet, & deinde ad proximo subveniendum se applicat. *op.de dono p.& cap.*1.& 2.

419. *Ex Maria omne bonum provenit; est enim aurora, Luna, & sol influens in omnia.*

Sicut lux auroræ oriente Sole, &c. Cuncta salus mea, & omnis voluntas; nec est quidquam ex ea, quod non germinet, &c. Nota, copulationem auroræ, & solis, & germinationis terræ, &c. Vt detur intelligi, quod Maria Virgo hæc omnia maria implet, est enim aurora mystica, ad cuius exortum datum est præambulum indicium lucis veræ, & gratiæ in homines infundendæ; est & veluti Sol ob fervorem suæ charitatis, & radiositatem suarum gratiarum, & prærogativarum, & magnitudinem suæ potestatis, quibus omnes sanctos, & Angelos transcendit; ab ipsa autem habemus omne bonum, & salutem. *op.de Eccles.Hierarch. p.*4.*cap.*7.

420. peccatores

420. *Peccatores sunt veluti spinæ à Christo vite mystica separata & igni tradenda.*

Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus, & si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneque succensæ comburentur. Cur coaptat peccatores spinis? ecce optima consonantia: spinæ manibus non tanguntur, quia pungunt, & lacerant, sed falce scinduntur, & igni traduntur: sic peccatores sunt spinæ proximos suos odiendo, detrahendo, injuriando, contristando pungentes, & lacerantes, & quia non sunt palmites Christi, ideo velut spinæ non valentes producere uvas, scilicet bona opera, à Christo separantur, & igni traduntur. *serm.4. Dom. 19. post Pentecost. & in Luc. cap.6. v.44.*

421. *Christus habens cathedram in Cœlo, docet nos interius in animo.*

David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres. Quis est iste David inter tres sapientissimos? nonne Salomon fuit sapientior? sed nota, quod hic est Christus, qui inter tres Personas divinas missus est magister, & doctor Ecclesiæ, & nunc in Cœlis sedens in cathedra gloriæ, docet nos interius in animo, nec valet sciri aliqua veritas, nisi splendeat in nobis veritas ab ipso proveniens. *serm.1. Hexaem.*

422. *Exemplum abstinentiæ in David ostenditur.*

Noluit ergo bibere, &c. Nota, quod valdè sitiens David concupivit bibere aquam de cisterna Bethlehem, in quo loco erat exercitus hostium, & cum tres viri fortissimi, etiam cum periculo vitæ ex illa cisterna detulissent aquam Regi, noluit bibere, sed eam libavit Domino; in quo dedit suis militibus exemplum abstinentiæ summæ; est enim gradus altus abstinere non solum à superfluis, sed & à licitis, & necessarijs. *op. Eccles. Hier. p.1. c.4.*

423. *Sapientia de Salvatore refrigerat animam.*

O si quis mihi daret aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem, &c. & noluit bibere, &c. Cur post tantam sitim, & desiderium illius aquæ Bethlehem noluit aquam allatam bibere? quia sua desideria ad ipsam aquam materialem non tendebant; desiderabat aquam de cisterna Bethlehem, in qua Christus nasciturus erat, nempè perfectam notitiam Salvatoris, ipsumque videre, quia hæc sola recreat æstum, delectat intuitum, & satiat appetitum; ideo non est mirum, si illam materialem projecit, &c. *Psalm.118. c.9. v.3.* Nota etiam, quod secundum S. Irenæum alludere prophericè voluit ad aquam salutarem cisternæ Bethlehem, scilicet ad sanguinem Christi, quem assumpsit Christus de Virginis Matris utero, & uberibus, dicens exclamando; *ô si quis mihi daret, &c.* dans intelligere quod sanguis Christi solus est desiderandus.

CAPUT XXIV.

424. *Superbia in Prælatis cavenda, quæ graviter à Deo punitur, quia eorum peccata inficiunt populum subditum.*

Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade numera Israel, & Iudam, &c. Nota, quod hic proponitur ratio, quare Deus iratus est contra Israel: sed cur contra populum, si Rex est, qui peccaverat? ergo alius est qui peccat, & alius est, qui vapulat? Respondent hic Doctores, quod cum peccasset etiam populus, vel quia non restitit, vel quia consensit, & etiam ob rebellionem Absalon: hinc peccatum Regis complevit mensuram decretam à Deo peccatorum, & tunc Deus punivit cum Rege etiam populum; hinc ait Divus Gregorius, *peccat Rex, & punitur populus, quia ita sunt juncta merita rectorum, & plebium; ut sæpè ex vita pastorum deterior fiat vita plebium, & ex vita plebium mutetur vita pastorum*; sed in quonam peccavit David numerando populum, nonne erat suum munus scire numerum militum, & subditorum? nonne & alij Reges descriptionem populi fecerunt, ut tempore Nativitatis Christi, & tamen non legitur, quod Deus contra ipsos iratus fuerit? quia David descriptionem ordinavit, non propter utilitatem, vel necessitatem, sed propter vanitatem, & superbiam, ideo iratus est Dominus contra ipsum. *in Luc. cap. 2. v.2. & l.4. dist.14. p.2. art.1. quæst. 1.* Et hinc nota quod sicut tumor indicat mulierem corruptam, & prægnantem, sic & plures Principes inflantur de subditorum multitudine, & potestate, & tales veluti corrupti ex superbia impregnantur à toto populo, ut evenit in David. *op. Diat. sal. tit.7 cap.1.*

425. *Percussio pectoris à Deo imposita, ut signum contritionis cordis.*

Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, &c. Sed quænam percussio cordis fuit ista? & quomodò id cognitum est ex percussione pectoris exteriori? percutiebat pectus, & pœnas de se exigebat, ut Deus parceret, hinc consuetudo in Ecclesia venit, ut in confessione culparum tundamus pectora in redargutionem, & contestationem conscientiarum. *in Luc. cap.18. v.13.*

426. *Status præsentis vitæ est forum misericordiæ: alia vitæ status est forum justitiæ.*

Melius est, ut incidam in manus Domini, multæ enim misericordiæ eius, &c. Ecce quid elegit David; se tradit in manus Dei; sciebat enim duos status esse, scilicet præsentis, & futuræ vitæ, status præsentis vitæ est misericordiæ, alterius vitæ status est justitiæ. *lib.4. d.20. p.1. dub.5.*

427. *Angelorum amicitia cum homine turbatur ob ſuperbiam noſtram, aliaque peccata.*

Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael , & mortui ſunt ſeptuaginta millia virorum ; cumque extendiſſet Angelus manum ſuam , &c. Vide quomodò per miniſterium Angeli facta eſt tanta clades : ſed quomodò Angelus tam promptum ſe oſtendit ad malum hominum ; nonne ſunt Angeli noſtri cuſtodes , & defenſores ? ſunt quidem , ſed tamen amicitia eorum nobiſcum turbatur ob peccata noſtra, maximè ob ſuperbiam. *ſerm. 2. fer. 3. Paſcha & ſerm. 4 de Angelis.*

428. *Puritas viri iuſti rectè comparatur ovibus.*

Iſti, qui oves ſunt quid fecerunt , &c. Nota quod David orans pro ſubditis , ut averteret iram divinam , propoſuit eorum innocentiam tanquam ovium ; ut iudicaret eorum innocentiam , & ſe ipſum ſolum peccatorem ante Deum exponeret: Ovis enim non habet arma ad impugnandum,non cornua ſuperbiæ non calces violentiæ , non dentes crudelitatis , non ungues rapacitatis , non venenum malignitatis ; ſic & vir juſtus habet puritatem in affectione , veritatem in operatione , & nulla duplicitas eſt interius,nulla fallitas exterius: has oves libenter , & faciliter liberat Deus ab efficctibus ſuæ iræ.*ſerm.1.Dom.1.poſt oct.Paſcha.*

429. *Vera humilitas abjicit à ſe Deum , & ipſum abjiciendo attrahit.*

Quid cauſa eſt , ut veniat Dominus meus Rex ad ſervum ſuum? Ita dicebat Areuna Regi David,cum vidiſſet ipſum regem ad ſe venientem ; ſed forſan his verbis volebat eum expellere à domo ſua ? minimè : quia hoc dictum fuit actus humilitatis , cognoſcens enim ſuam indignitatem, ſe fatebatur indignum tanta gratia ; ſic verus humilis veluti expellendo Deum à ſe , ad ſe ipſum attrahit ; ſic & nos dum accedimus ad ſacram Euchatiſtiam. *in Luc.c.7.v.6.*

430. *Viſitatio Chriſti in receptione Euchariſtiæ actus eſt ſumma dignationis divina, & ſumma admirationis.*

Quid cauſa eſt ut veniat Dominus meus rex ad ſervum ſuum , &c. Nota quod iſte ſervus videns regem ad ſe venientem , admirando hoc dicebat ; ſic & nos videntes Chriſtum veluti hoſpitium in noſtro pectore quærentem, cognoſcentes divinam dignationem,io admirationem debemus exire,& in confeſſionem noſtræ indignitatis. *in Luc. c.1.v.43.*

431. *Adventus Chriſti in carnem memorabilis propter nimiam dignationem.*

Quid cauſa eſt , ut veniat Dominus meus ad me , &c. Sic & dicere debemus cogitantes adventum Chriſti in carnem ; in quo relucet maxima Dei dignatio.*in Luc.c.19.v.38.*



LIBRI TERTII REGUM
PROLOGUS.



IN hoc tertio libro agitur de ſenili conditione Regis David, & de terminatione ſui regiminis , & de inſtitutione , & promotione Salomonis, in quo præfigurabatur Chriſtus , qui eſt pax noſtra , qui fecit utraque unum ; cujus etiam corporis myſtici typus fuit materiale templum Salomonis; per quod patet , quod quælibet pars veteris teſtamenti ordinata eſt ad præfigurandum Chriſtum. *opuſc. Princip. ſacræ Scripturæ.*



CAPUT I.

432. *Peccatum minuit fervorem charitatis.*

David autem ſenuerat : cumque operiretur veſtibus non calefiebat. Quænam fuit cauſa huius excedentis infrigidationis Regis David ? cum non perveniſſet adhuc ad decrepitam , redactus dicitur ad tantam frigiditatem ? reſpondet Gloſſa, id provenitſe , vel quia de ſenioribus patentibus natus eſt, vel quia multum in prælio ſanguinem ſuderat,vel potius ex quo Angelum cædentem viderat , ideo pavore vehementi contabuit , unde in incommoditate frigoris uſque ad mortem permanſit. Moraliter docetur , quod ſicut eclypſis ſolis diu poſtmodum nocet terræ eo quod modico tempore ſibi virtus radiorum ſolis ſubtrahitur , & ſicut aqua calorem minuit , vel extinguit : ſic peccatum minuit , vel extinguit fervorem charitatis , dolorem ſimiliter, & timorem inerit; dolorem ob certitudinem perpetratæ culpæ , & timorem ob incertitudinem veniæ, ut patet in David. *op. Comp. Theol. lib.3.cap.7.*

433. *Ubi deficit charitas , ibi viget frigus omnis mali.*

Cumque operiretur veſtibus non calefiebat , &c. Nota , quod ad ſubveniendum David , qui frigore tabeſcebat,proviſus eſt adoleſcentula virgine , &c. per quod datur intelligi, quod ſocietas charitativa relevans

relevans calefacit animam, & ubi deficit hæc, ibi viget omne malum. *In Eccles. cap. 4.*

433. *Christus quærit desponsationem virginum.*

Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem. Cur virgo quæritur ad calefaciendum David? quia David fuit figura Christi, qui quærit virginalem pudicitiam, & desponsationem cum virginibus puris. *op. Diat. sal. appendix pro virginibus.*

434. *Christi desponsatio cum virginibus describitur.*

Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem. Cur quærunt virginem adolescentulam desponsandam cum sene? nonne dicitur par pari nube? sed adverte, quod iste senex David est Christus; qui quærit adolescentulas virgines, cum quibus desponsari vult, & præcipue cum Deo consecratis; in huius signum ab Episcopo, vices Christi gerente, traditur annulus virginibus velandis in typum huius spiritualis desponsationis. *op. Diat. sal. appendix pro virginibus; & l. 4. d. 20. p. 2. dub. 6. & serm. 4. Dom. Trinit.*

435. *Sapientiæ cœlestis mirabiles effectus.*

Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege, Rex verò non cognovit eam. Quæ est virgo illa Sunamitis uxor, & virgo tam fervens, ut frigidum calefaceret? tam sancta, ut calentem ad libidinem non provocaret? Glossa respondet; *Hæc est sapientia cœlestis*: de hac dicitur. *sap. cap. 8. Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & præposui illam regnis, & sedibus, super speciem, & pulchritudinem dilexi illam.* Hæc illustrat intellectum, inflammat affectivam, & roborat operativam; hæc unit animam Deo, ipsamque lætificat; hæc pulchra nimis, scilicet corde per fidem, ore per confessionem, & corpore per honestam conversationem. *serm. 2. Hexaem.*

436. *Regnum Christi æternum.*

Tulitque cornu olei, & unxit Salomonem. Nota quod in unctione Saul adhibita est lenticula testea: in unctione Salomonis cornu, & hoc quia non in Saul, sed in Salomone figurabatur regnum Christi duraturum in æternum. *in Luc. cap. 1. v. 69.*

437. Admittitur libenter ad consortium Angelorum, & Dei Prædicator exercens rectè munus suum unde à Deo dicitur ei; *Ingredere, quia vir fortis es, & nuntians bona. in Luc. cap. 1. v. 79.*

438. *Remorsus conscientiæ maximè superborum timorem incutit.*

Adonias timens Salomonem abiit in tabernaculum, &c. Cur Adonias audiens Salomonem fratrem sui inauguratum in Regem fugit, & se abscondit in tabernaculo? sed cur fugis, cur non confugis ad fratrem Regem? quia regnum ambierat, & ideo, quia conscientia suam iniquitatem ei dictitabat, hinc fugit timens furorem fratris. *Psalm. 118. cap. 5. v. 15.*



CAPUT II.

439. *Via universæ carnis duplex: alia ad Cœlum, alia ad Infernum ducit.*

Viam universæ carnis ingredior, &c. Quænam hæc est via, de qua loquitur David in fine vitæ constitutus? hæc est via æternitatis per mortem, quæ est cunctis inevitabilis. *op. solilog. c. 3.* sed nota quod hæc via est duplex; Diaboli una: Dei altera; In illa nunquam, quis abiit, quin spoliaretur, & occideretur, per quam descendit homo ab Hierusalem in Hierico: In ista semper est pax; iosaoiâ ergo est ire per viam, in qua nunquam homo evasit, & relinquere viam, in qua nunquam homo periit. *serm. 3. fer. 3. Pascha.*

440. *Mandatorum Dei observantia, & custodia debet fieri non solum cum timore; & amore, sed & cum vigore, & fortitudine.*

Sic autem præcepit David Salomoni, dicens; *confortare, & esto vir fortis, & observa, ut custodias mandata Dei*; quia in observantia mandatorum Dei requiritur animi fortitudo, & sancta audacia. *Psalm. 118. c. 9. v. 6.*

441. *Ad mandatorum observantiam valde inservit custodia etiam cæremoniarum externarum.*

Sic enim dicebat David Salomoni: *custodias mandata Dei, ut ambules in viis eius, ut custodias cæremonias eius: Psalm. 118. cap. 9. vers. 3.* Proprium est enim superborum, & fatuorum contemnere instituta, & cæremonias ab antiquis patribus ordinatas, tanquam superstitiones vanas; quod non sine maximo damno evenit; è contra proprium est bonorum, & humilium eas etiam minimas observare, faciunt enim mirabiliter ad profectum animæ. *op. specul. discipl. p. 1. prolog.* Sacræ autem cæremoniæ, & ritus in Ecclesia traditi fuere ab Apostolis ex institutione Christi, per quos significantur multa mysteria sacra; & spectant ad donum intellectus Spiritus Sancti. *lib. 4. d. 8. p. 2. art. 1. q. 2. & op. Diat. tit. 6. cap. 3.*

441. *Beata Virgo Maria thronum apud Christum habet, nec repulsam in suis petitionibus invenit.*

Surrexit Rex in occursum matris; adoravitque eam, & sedit super thronum suum & ait pete mater mea, neque enim fas est; ut avertam faciem tuam à me. Hæc dixit Salomon Rex suæ matri, quod & figura fuit Christi alloquentis eum Matre Maria Virgine, quæ tanti apud ipsum est meriti, ut non possit repulsam pati, eum sit digna in omnibus exaudiri, ad hanc igitur accedamus, hanc honoremus, hanc in nostrum auxilium invocemus. *serm. 3. de Beata Virgine.*

443. *Antiquitus facerdotes fubditi erant Regibus, nunc Reges fubduntur facerdotibus.*

Ejecit Rex Abiathar, ut non effet facerdos, &c. Vide quomodò in lege fcripta facerdotes amovebantur à Regibus; Nunc è converfo Reges poffunt amoveri à fummo Sacerdote, quia folius Dei poteftati fubjectus eft. *op. Ecclef. Hierarch. p. 2.cap.1.*

444. *Peccata in recidivis difficilius remittuntur, & plus à Deo puniuntur.*

Surrexit Banaias, & aggreffus Semei percuffit eum, & mortuus eft. Nota, quod ifte Semei eft qui remiffionem obtinuerat à Salomone de feditione, cui Rex præceperat, ut maneret in Hierufalem, at ille tranfgrediens præceptum Regis denuo feditionem commovit; unde irremiffibiliter præcepit fuo miniftro à fecretis, ut eum occideret; per quod patet, quod difficilius recidivi inveniunt mifericordiam, & facilius à Deo puniuntur. *op. comp.Theol.l.3.cap.7.& in Ioan.collat.x6.*



CAPUT III.

445. *Ex actibus exterioribus dignofcitur amor interior animæ in Deum.*

Dilexit Dominum Salomon ambulans in præceptis David patris fui. Ecce quale fignum affignat facer textus dilectionis Salomonis; & charitatis, fcilicet ambulationem rectam, & obfervantiam exteriorem præceptorum Patris fui; ex actibus enim exterioribus dignofcitur, quod amor in Deum latet interius. *Pfalm. 118.cap.11.v.7.& fap. cap. 8.*

446. *An in fomnis poffit quis mereri.*

Apparuit Dominus Salomoni per fomnium nocte, dicens poftula quod vis, &c. Ergone poteft quis mereri in fomnis, dum liberum arbitrium eft ligatum? fed attende, quod ad meritum requiritur ufus liberi arbitrij, & fi aliquis in fomnis dicitur meruiffe, id eft privilegij fpecialis(ut communiter dicitur de Beata Virgine) vel quia ante vigilando meruit, ut in fomnis reciperet revelationem, vel gratiam, ut fuit in Salomone.*l.x.d.x5 p.x.art.1.q.6.ad 1.*

447. *Deus fæpè in fomnis vifitat fuos amicos.*

Apparuit Dominus Salomoni per fomnium nocte. Cur magis in fomnis, ut plurimum, Deus vifitat fuos, & revelat fua fecreta? Refpondetur, quia anima in vigilia eft ad exteriora fenfibilia comprehendenda; tum quia etiam Dominus, qui pofuit tenebras latibulum fuum, ad ipfius occultationem, magis vult in fomnia, quam in vigilia revelationes emittere; tum quia magis in fomnis, quàm in vigilia agitur, quàm agat, quodque exigitur in revelationibus; tum quia in fomnis homo tenet medium inter mortuum, & vivum, ficque quodammodò à vita corporali recedit.*lib.2.d.25.p.2.q. 6.ad 5.*

448. *Petens à Deo in oratione fpiritualia, obtinet fæpè etiam temporalia bona.*

Poftula à me quod vis, & ait da fervo tuo cor docile, &c. Vide quomodò Deus excitat nos, ut in oratione ad ipfum confugiamus, & quam fit Deus liberalis: quia enim petijt non temporalia, fed fpiritualia, ideo exauditus eft; fic & qui in nomine Iefu petit, falutaria requirit. *in Luc. cap. 18. v. 41.& ferm. 1. Dom. 4. poft oct. Pafcha.* Difce etiam, quod fi folum tibi curæ eft bonum fpirituale animæ, illudque à Deo petas, Deus plus dat, quam petatur, nempè etiam temporalia bona. *ferm.4.in Rogat.*

449. *Qualis fapientia requiratur in Prælatis, & Principibus.*

Da ergo fervo tuo cor docile, ut poffit judicare, &c. Vide qualem fapientiam expetebat Salomon, nempè non fecundum voluntatis impetum, fed fecundum rationis imperium in fingulis procedentem, & cum difcretione difcernendo inter bonum, & malum; & hæc eft infufa habitualiter in eo; talifque requiritur in poteftatibus Ecclefiafticis, & fæcularibus, & hanc petere inftanter à Deo debent. *op. Ecclef.Hierarch. p.2.cap. 3. & op.de fex alis feraph.cap.7.& op.comp. Theol.l.1.cap.42.*

450. *Qui vult fapientiam cæleftem, à Deo ipfam exquirat, & petat.*

Da mihi cor docile, &c. Vide quomodò Deus ftatim conceffit Salomoni fapientiam neceffariam, quia eam exoptavit, & exquifivit; fic debent rectores populorum corde humili à Deo ipfam petere, &c.*ferm.2. Hexaem. & in Luc. cap. 18.v.1.*

451. *Sapientia à Deo procedit: malignitas à Diabolo.*

Da mihi cor docile, &c. Vide quomodò Salomon ad Deum confugit, ut fapientiam obtineat; hæc enim à Spiritu Sancto procedit; ficut è contra malignitas, partialitas, & calumnia à Diabolo; attendant hoc Principes, & Prælati. *ferm. 4.Dom. 3.poft oct.Pafcha.*

45x. *Qui vult à Deo exaudiri in oratione dignè digna, & congruè congrua petat.*

Quia poftulafti verbum hoc, &c. Ecce quali modo petere à Deo debemus, quæ defideramus, fcilicet dignè digna pro falute animæ, & congrua, & utilia magis animæ, quam corpori. *ferm. 3. & 4. in rogation.*

453. *Salomon Spiritu Sancto dictante locutus eft, & fcripfit varios libros.*

Quia poftulafti verbum hoc, &c. Vide, quod Spiritus Sanctus dictavit Salomoni ea, quæ tradidit in fuis libris; ideo Ecclefia eos recipit ut canonicos. *in Ecclef.proæm.*

454. *Deus*

454. *Deus liberalissimus plus concedit, quàm petitur ab eo in oratione.*

Sapiens eris, sed & qua non postulasti dedi tibi. Vide largitatem Dei nostri, qui plus petenti humiliter concedit, quàm sciat desiderare. *op. de dono sapientia cap. 3. & in Sap. cap. 7. & sermon. 4. in rogat.*

455. *Prælatorum negligentia, & mala exempla reddunt eos animarum interfectores.*

Mortuus est filius huius mulieris nocte, dormiens quippe oppresserat, &c. Ecce figura patens negligentiæ, vel vitæ scandalosæ Prælatorum, qui verè sunt animarum interfectores, dum ignavi dormiunt in somno negligentiæ, vel malorum exemplorum. *in Thren. c. 2.*

456. *Fovens alium cum damno proximi Deo exosus, & in proximum crudelis.*

Tulit filium meum de latere meo, & collocavit in sinu suo, filium autem suum, qui erat mortuus, posuit in sinu meo, &c. Vide qua arte ista pessima mulier rapuit filium propriæ matri, ipsumque in sinum proprium reposuit; quæ actio, licet videatur pia, & laudabilis, tamen fuit à Salomone condemnata; ut pateat, quod qui fovet sub specie etiam amoris alium cum damno proximi, Deo est exosus, & proximo crudelis, quia habet sinum cordis plenum crudelitate, & crudelitate. *in Luc. cap. 16. vers. 21.*

457. *Filius meus vivit, & filius tuus mortuus est.* Sic dicebat ista impia meretrix, quæ occiderat proprium filium, & mortem hanc imputabat alteri; similes sunt isti meretrici, qui peccata propria, non sibi, sed aliis imputant. *sermon. 1. Domin. 22. post Pentecost.*

458. *Non est Filius Ecclesiæ; sed Diaboli, qui quærit, & amat divisionem.*

Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. Vide perbellum mysterium in hoc facto; Istæ duæ meretrices figurabant synagogam, & gentilitatem, quæ litigabant circa Christum; nam synagoga volebat eum divisum à Divinitate, sed esse filium Ioseph, & Mariæ: è contra Gentilitas ad Deum conversa puerum integrum fatetur, quia naturam totam corporalem ex sola Virgine credit esse: ex quo patet quòd vera mater est Ecclesia Catholica ex gentibus collecta amans unitatem: synagoga verò falsa amans divisionem. *sermon. 4. domin. infra octav. Nativitatis.*

459. *Divisio causa interitus; unitas causa salvationis.*

Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. Vide impietatem, & crudelitatem hujus meretricis quæ volebat divisionem pueri; mater verò è contra respuebat talem divisionem; ex quo patet ait Divus Bernardus, quod non est vox patria, vel matris illa vox dividatur, quia divisio est causa interitus, & ruinæ, unitas causa salvationis; divisio est Diaboli: unitas Dei. *in Luc. c. 11. v. 17.*

460. Rectus Iudex oppressos eripit, & oppressores punit: sic Salomon audita causa duarum mulierum super raptu pueri, reddidit infantem matri propriæ. *op. de Eccles. Hier. p. 2. c. 2.*

CAPUT IV.

461. *Bona mundi omnia sunt vana: sola gratia Dei stabilis.*

Erat autem Salomon regnans super omnem Israel. Nota, quod in hoc capitulo, & libro, sicut & in Eccles. describuntur innumera bona, deliciæ, voluptates, divitiæ Regia Salomonis, postque concludit, quod omnia sunt vanitas, afflictio spiritus, & nihil permanere; ut nobis pateat, quòd nullo modo est amádum, quod absque dubio est perdendum, & doloris est causativum finaliter, qualia sunt omnia bona mundana; solusque Deus ejusque gratia stabilis est, & ob id amanda, & amplexanda. *ser. 6. de Apostolis, & ser. 1. de uno Martyre.*

462. *In tempore legis Israelitæ sub umbra foliorum fruebantur fructu Sacræ Scripturæ; nunc absque umbra Christiani habent ex ipsa usum omnis boni.*

Sedebat unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua. Notat hoc Sacer Textus, ut indicet pacem, & quietem regni tempore Salomonis; sed mysticè aliud intelligi debet; ut autem pateat, quæritur cur non dicitur sedebat unusquisque sub vite, & ficu cibans se fructibus, sed solùm ad umbræ refrigerium terminatur datetur intelligi discrimen, quod est inter fructus ex Sacra Scriptura provenientes, quibus fruebatur synagoga, & inter eos, quibus nunc divesest Ecclesia, nam tunc quiescebant sub umbra imperfectè, & obscurè percipientes bona ex Sacra Scriptura, & lege provenientia; sed perceptio patens, & affluentia bonorum Ecclesiæ Christi est reservata, quibus pascitur sub arbore crucis. *serm. 14. Hexaem.*

463. *Principis, & Prælati sapientia debet esse triplex.*

Dedit Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam, & latitudinem cordis. Nota, quod hæc tria requiruntur in sapiente Principe, scilicet sapientia ad judicandum secundùm æquitatem; prudentia ad operandum cum honestate, & bonitate: & latitudo cordis, seu judicium ad deliberandum cum utilitate proximi: primum pertinet ad genus demonstrativum; secundum ad judiciale, tertium ad deliberativum. *Psal. 118. cap. 3. v. 13.*

464. *Transitus à scientia ad sapientiam exigit sanctitatem vitæ, & absque ea incidit homo in vanitatem.*

Disputavit à cedro usque ad hyssopum, &c. Vide in quibusnam se exercuit doctrina Salomonis: scilicet in inquisitione naturæ rerum, & quia ei defecit sanitas; hinc cecidit in vanitatem: non sic David, qui dicebat, *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, &c. serm. 19. Hexaem.* Studium ergo scientiarum ad Deum, & animæ profectum est dirigendum, alioquin in vanitates, & insanias falsas incides.



CAPUT V.

465. *Animæ in hac vita, vel in Purgatorio debent paliri antequam ad ædificationem cælestis templi deportentur.*

Misit Rex Salomon Hiram, &c. Nota, quod Salomon volens ædificare templum Domino, jussit, ut lapides, & ligna polirentur, & quadrarentur in Libano, & sic quadrata deportarentur ad usum fabricæ templi: sed cur non in civitate Hierusalem poliebantur? per hoc significatur, quod cum animæ nostræ ordinatæ sint ad ædificandam cælestem Hierusalem significatam in templo, ordinavit Deus, ut priùs polirentur ab omni scoria peccati in hac vita, vel in Purgatorio, quia nihil inquinatum potest in illam intrare. *serm. de Animab. Purgat.*



CAPUT VI.

466. *In Cælo non purgantur, vel remittuntur peccata, sed tantùm in hac vita, & in Purgatorio.*

Malleus, & securis, non sunt audita in ædificatione templi. Verè hoc fuit mirabile, quòd in tanta ædificatione, nunquam fuerint audita malleus, & securis; sed hoc fuit in figura quietis, & sanctitatis cælestis Hierusalem, in qua malleus, vel securis pœnitentiæ, vel purgationis, non intrat; cum in ipsam non potest intrare aliquid inquinatum. *serm. de Animab. Purgat.*

467. *In adorationibus Deo factis Christiani apposito modo procedunt Hebræis.*

Ingressus templi ab oriente. In fabrica templi ostium erat positum ab oriente, & consequenter adorabant, & orabant facie versa ad occidentem: Christiani verò ad orientem orant, quia illuminatio jam advenit per Christum.

468. *Ædificavit tabulatum super omnem domum, &c.* Nota, quod hoc fuit pinnaculum templi, super quod à Diabolo portatus est Christus, quando ipsum tentare voluit. *in Luc. c. 4. v. 9.*

469. *Templum Hierosolymitanum figura fuit Beatæ Virginis Mariæ.*

Et ædificavit Salomon domum, & consummavit eam, &c. Nota quod hæc ædificatio facta cum tantis expensis, arte, & magisterio figura fuit ædificationis factæ à Deo alterius templi vivi, scilicet Beatæ Virginis Mariæ: de quo cantatur Rithmus pulcherrimus *op. Laus Virginis fig. 12. & op. Psalt. min. quinquag. 1. & 2. & op. specul. B. Virg. lect. 7. & 10. & 14.*

470 *Per exercitium operum misericordiæ spiritualium, & corporalium habetur ingressus in Cælum.*

Fecitque duo ostia de lignis olivarum. Cur duo ostia de lignis olivarum? oliva significat misericordiam, & quia dupliciter exercetur in proximum, scilicet spiritualiter, & corporaliter, per hoc datur intelligi, quod in templum gloriæ per hanc duplicem portam habetur ingressus; sic & Christus de monte Oliveti ascendit in Cælum, quia pio homini reservatur aula cælestis gloriæ. *op. Diat. sal. tit. 7. c. 4.*

471. *Perseverantibus solis datur gloria, isti que soli portantur ab Angelis in Cælum.*

Sculpsit in ostiis templi Cherubim, & palmas. Ad quid hæc cæremonia? Nota, quod solis perseverantibus significatis in palmis Angeli accurrunt, ut animas tales deportent in Cælum. *ser. 4. Dom. Palm.*

472. *Tota regula Fratrum Minorum ducit ad observantiam altissimæ paupertatis.*

Operuitque Salomon omnia auro. Cur auro? quia omnia, quæ fiunt in templo sancto debent esse aurea, & sancta: mysticè significatur, quod tota regula Fratrum Minorum, & vita debet esse cooperta laminis aureis scilicet purissima, & altissima paupertate. *op. expos. regul. fratr. min. cap. 1.*

473. *Ædificavitque eam septem annis.* Quomodò hic dicitur templum ædificatum septem annis; si *in Ioa. c. 2.* dicitur, ædificatum quadraginta sex annis? sed hic loquitur de prima ædificatione; in Evangelio, postea de reædificatione, postquam destructum fuerat. *in Ioan. c. 2. v. 20.*



CAPVT VII.

474. *Iudicis proprium est sedere ad judicandum rectè, non ad fovendam malitiam.*

Domunculam quoque fecit Salomon in qua sedebat ad iudicandum. Cur dicitur in qua sedebat? nonne potest judex judicare etiam stans? Iudex tamen in judicando debet sedere exteriùs, ut demonstret, quod secundùm acta, & probata maturè judicat & sincerè, severus contra iniquitatem, non opprimendo innocentem. *Psal. 118. c. 2. v. 7.*

475. *Lachrymæ contritionis lavant animam ab omni impuritate.*

Fecit quoque mare fusile decem cubitorum, &c. Cur hoc lavatorium propè portas tabernaculi fecit Salomon? quia ingressuri tabernaculum debebant ibi priùs lavare manus, & pedes; daturque mysticè intelligi, quòd qui vult dignè intrare in tabernaculum, scilicet se offerre Deo in oratione, & sacrificio debet priùs lavare animam ab omni impuritate in mari, scilicet in aqua lachrymarum, & contritionis. *op. Diat. sal. tit. 7. c. 3.*

476. *Baptismus obligat hominem ad observantiam decem mandatorum.*

Fecit quoque mare fusile decem cubitorum. Cur decem, & non potiùs duodecim cubitorum? quia hoc mare significabat Sacramentum Baptismi (*ait Glossa hic*) indicaturque quod baptizati tenentur ad observantiam decem mandatorum, quia in his continentur omnia, quæ facere debemus. *l. 3. d. 30. a. 1. q. 4.* in Baptismo enim promisimus abrenunciare Diabolo, & pompis ejus. *ser. 4. de dedicat. Ecclesia.*

477. *Aposto*

477. *Apostoli, & Prædicatores figurati sunt in duodecim bobus sustentantibus mare æneum.*

Stabant & super duodecim boves. Cur super duodecim boves voluit ot sustentaretur illa fabrica maris ænei? Hoc fuit figura duodecim Apostolorum, imò & omnium Prædicatorum; Bos enim significat deditum labori. *ser.3. de dedicat. Ecclesiæ addit Glossa,* quorum munus est sustentare mare, scilicet pœnitentiæ, & omnis boni Ecclesiæ. *in Luc. c.6.v.13.* Nota etiam hic, *ut addit Glossa*, quòd in quatuor partes collocati fuerunt tres boves per ordinem; quia ipsorum munus est portare, ad quatuor mundi partes fidem Trinitatis, & per ipsam baptizare omnes gentes.

478. *Cor nostrum ardens amore Dei est altare aureum.*

Fecitque Salomon altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis. Cur hoc altare ante ostium Sancti Sanctorũ collocatum fuit? quia significabat cor nostrum, quod debet esse aureum charitate; quia est tunc altare divinum, quod debet semper ardere igne gratiæ, & charitatis; dicitur autem positum ante Sanctum Sanctorum, quia spiritus absolutus ab impetu carnis, & sensualitatis liberè fertur in Deum. *serm.1. de S. Laurentio, & ser.3. in dedicat templi, & hic Glossa.*

479. *Qui perseverat usque ad finem in operibus bonis à Deo glorificatur.*

Perfecit Salomon omne opus in domo Domini. Vide, quòd Salomon id, quod inceperat, perfecit, quia non sufficit incipere bene, sed requirit Deus perseverantiam in bonis operibus. *in Luc. c.14. v.28.*



CAPUT VIII.

486. *Beata Maria Virginis assumptionis in Cœlum gloria præfigurata in portatione arcæ in locum suum in templo Salomonis.*

Tunc congregati sunt omnes majores, &c. ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est de Sion; *& intulerunt eam in locum suum.* Hic agitur de portatione arcæ; in Sanctum Sanctorum templi; quodque fuit figura assumptionis Beatæ Virginis Mariæ in Cælum (ad quam concurrerunt cum Christo Angeli, & omnes Sanctorum Ordines, (*ait Glossa*) sed cur dicitur in locum suum nonne Empireum, in quo assumpta fuit est locus omnibus communis: Nota, quòd loquendo de Mariæ Virginis assumptione, dicitur in locum suum assumpta, quasi appropriando, quasique discernendo illum ab aliis omnium Sanctorum locis, nempe in locum super omnia loca dignissimum, scilicet super choros Angelorum, ad quem suus filius eam sublimavit. *opusc. specul. Beata Virg. lect.11.* Nota etiam, quòd hoc potest esse thema pro concione in translatione alicujus imaginis, B. Virginis Mariæ.

481. *Uterus Virginalis Beatæ Virginis locus dignus Filij Dei.*

Tunc congregati, &c. ut deferrent arcam in locum suum. Nota, quòd per arcam intelligitur Christus filius Dei, qui concurrentibus Angelis translatus est in locum suum dignissimum, scilicet in uterum Virginis, qui locus est dignior quolibet alio. *op. specul. Beata Virg. lect.11. & 7.*

482. *Maria impleta est gloria Domini.*

Nebula implevit domum Domini; impleverat enim gloria Domini domum Domini, &c. Quænam gloria est hæc, qua impleta est domus Domini? hæc fuit præsentia Domini demonstrata exteriùs per nebulam mirabilem: mysticè figurabat præsentiam Verbi ostensam in utero Beatæ Virginis Mariæ per nebulam assumptæ humanitatis, simulque gratia sua ejus animam implevit. *op. specul. B.V. lect.7.*

483. *In nubibus Deus sæpe ostendit sua virtutis præsentiam.*

Nebula implevit domum Domini. Cur nebulam immisit Deus in templum? quia solet Deus indicare suam præsentiam, & majestatem per nebulam ut pater etiam in transfiguratione Christi. *in Luc. cap.9. vers.34.*

484. *Obumbratio Beatæ Virginis facta à Spiritu Sancto præfigurata in apparitione nebula.*

Nebula implevit domum Domini. Quomodò nebula immittitur à Deo ad ostendendam suam gloriam, & non potiùs radius solis? hoc fit ut contemperetur lumen divinitatis. Sic dicitur de Beata Virgine, quòd Spiritus Sanctus eam obumbravit, scilicet moderando suæ infinitæ virtutis, & majestatis præsentiam luminosam. *in Luc. c.9. v.34.*

485. *Reliquiæ Sanctorum mirabiliter ornant Ecclesiam.*

Nebula implevit domum Domini, & intulerunt arcam in templum, &c. Vide quid factum est post ædificationem templi, in quo portata, & collocata fuit arca Domini; & hæc erat reliquia pretiosa; & ideò Ecclesia collocat Sanctorum reliquias in templis ad ipsorum sanctificationem, & ornatum. *ser.1. de dedicat. templi.*

486. *Præsentia corporis Christi replet Ecclesiam gloria Dei.*

Et intulerunt arcam in locum suum, & implevit domum Domini gloria, &c. Quomodò dicitur impletum templum gloria Domini? nonne gloria est quid invisibile, & spirituale? est quidem invisibilis gloria Dei, sed facta est visibilis, & sensibilis per nebulam, & arcæ præsentiam: hocque fuit figura corporis Christi, qui sub nebula specierum Eucharistiæ conservatur in Ecclesia, cuique adsunt, & assistunt supernorum spirituum conventus. *ser.1. in dedicat. templi; & serm.2. Dom.3. Advent. & ser.2. Dom. Palm. & in Psalm.67.*

487. *Perfectus contemplativus ſimul excæcatur, & illuminatur.*

Dominus dixit ut habitaret in nebula.] Quomodò habitat Dominus in nebula, & non potiùs in ſole? ergone ejus ſedes eſt nubes obſcura? Nota myſticè, quòd hic eſt ſermo de perfecto contemplativo, cujus menti occurrens Deus Sol æternus, dicitur habitare in nebula, ideſt dum mens excæcatur in perceptione ſenſibilium, tunc luce ſuperna magis illuminatur; ô beata, & luminoſa cæcitas! *ſerm.* 10. *Hexaem.*

488. *Maria Virgo fuit firmiſſimum, & elevatum tabernaculum Dei.*

Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum: Alij legunt *excelſum, & firmiſſimum ſolium, &c.* Quomodò appellatur hoc templum firmiſſimum habitaculum in ſempiternum Dei, ſi aliquando deſtructum fuit? ergo de alio habitaculo loquitur? quodnam eſt iſtud? nihil aliud niſi Beata Virgo Maria, in qua tamquam in ſolio Dominus ſedit in ſempiternum, verè firmiſſimum, & excelſum fuit in intellectu, & in affectu; excelſum quoque ſuper homines, & elevatum ſuper Angelos; excelſum inſuper eſt gratia, & elevatum in gloria. *opuſcul. ſpecul. B. Virgin. lect.* 7.

489. *Beata Virgo Cœlo capacior continens Deum, quem Cœli capere non poſſunt.*

Si Cælum, & Cæli Cælorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi. Vide quomodò Salomon poſt ædificationem templi fatetur immenſitatem Dei, quam non poteſt capere illud templum. *op. de inviſibilitate Dei*, ergone dubitur aliquid, quod poſſit capere Deum incomprehenſibilem? ſed nota quod cum perſpiceret Salomon incapacitatem, & puſillitatem illius templi materialis, ad aliud capacius templum reſpexit, nempe ad Mariam Virginem, quæ potuit capere in proprio utero Deum: fuit enim capacior mundo, & ventre, & mente; & ob id cum contineret Deum in ſe, ejus gratia immenſa fuit. *opuſc. ſpecul. Beatæ Virginis lect.* 5.

490. *Beata Virgo Maria Cœlo nobilior.*

Si Cælum, Cælique Cælorum te capere non poſſunt. Nota, hoc verum eſt: cum ergo Virgo Maria potuerit capere Deum, ſequitur; quod ſit nobilior, altior, & capacior Cælo; imò Cælum Cælo quocumque nobilius, quia abundavit cæleſti puritate, cæleſti charitate, & aliis cæleſtibus virtutibus, & quia incomprehenſibilem Deum in ſe capere potuit, ergo ea nihil putiùs, nihil ſublimius, nihil perfectius. *op. ſpecul. B. Virg. lect.* 5. *& op. de Eccleſ. Hier. p.* 4. *c.* 7.

491. *Quodcumque obſequium Deo à nobis præſtitum parvum eſt reſpectu dignitatis Dei.*

Si Cælum, & Cæli Cælorum te capere non poſſunt, &c. Vide, quòd illuminatus iſte Rex rectè, & clarè cognoverat, quod poſt tot ſumptus, & labores in cultum Dei præſtitos totum pro nihilo reputabat; ſic enim debemus nos facere perpendendo divinam dignitatem, & majeſtatem; & noſtram nihilitatem. *in Luc. c.* 21. *v.* 5.

492. *Eccleſia materiales conſtructa ſunt ad colendum in oratione Deum.*

Sint oculi tui aperti, & aures tuæ erectæ, &c. Vide quid petit, & expectat Salomon à Deo poſt ædificationem templi: ſed cur non aotè etiam id prætendebat à Deo? nonne ubique poteſt Deus oculos apertos, & aures erectas habere confugientibus ad ipſius tribunal? poteſt quidem, ſed cognoſcebat, quod domus Eccleſiaſtica ad hoc à Deo ordinata eſt, ut ibi præcipuè colatur Deus per actum orationis; in qua Deus oratur, & adoratur, hic eſt finis principaliter intentus à Spiritu Sancto. *in Luc. cap.* 19. *verſ.* 46. *& ſermon.* 4. *de dedicat. Eccleſiæ.*

493. *Oratio cæteris paribus gratior eſt in Eccleſia, quàm in cæteris locis, & faciliùs impetratur ibi remiſſio peccatorum.*

Quicumque oraverit in loco iſto, &c. ſi peccaverit homo in proximum ſuum, &c. Notabilia ſunt iſta verba, in quibus Spiritus Sanctus dat intelligere, quòd oratio fuſa in Eccleſia (cæteris paribus) à Deo exauditur in templo; item & ſi homo peccaverit in proximum ſuum ſcilicet in Chriſtum, cum ipſi in baptiſmo promiſerit quaſi juramento obedientiam, ſi confugiat pro remiſſione peccati obtinenda ad domum orationis Deus faciliùs erit ei propitius. *ſer.* 4. *de dedicat. templi.*

494. *Omnis peccans peccat in Chriſtum contra ſponſionem ipſi factam in baptiſmo.*

Si peccaverit homo in proximum ſuum. Hic videtur, quòd Salomon per hæc verba doceat, quod ſolùm peccata in proximum in templo remittuntur, non etiam peccata in Deum? ſed nota illud verbum (*in proximum ſuum*) & transfer mentem ad parabolam de Samaritano *Lucæ c.* 10. ubi dicitur, quòd Chriſtus noſter proximus fecit miſericordiam in vulneratum; Chriſtus igitur eſt noſter proximus aſſumptione carnis, contra quem peccamus tranſgrediendo ejus præcepta, & frangendo promiſſionem ipſi veluti juramento firmatam in baptiſmo abrenunciandi Diabolo, & pompis ejus. *ſerm.* 4. *de dedicat. templi.*

495. *In templo devotè adſtans, & ad Deum confugiens faciliùs (cæteris paribus) triumphat de hoſtibus.*

Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos tuos, & ſuperatus fuerit, &c. & converſi egerint pœnitentiam, & deprecati fuerint in loco iſto, tu exaudies eos de Cælo Domino, & reduces eos, &c. Ecce quomodò in tempore bellorum, & incurſionis inimicorum tum ſpiritualium, & corporalium, quid agendum pro liberatione, ad orationem maximè in templo Dei confugiendum, in quo faciliùs exaudiuntur orantes. *ſer.* 4. *de dedicat. Eccleſia.*

496. *Oratio facienda in Eccleſia tempore ſterilitatis, & aliarum adverſitatum.*

Si clauſum fuerit Cælum, &c. Vide remedium, quod Sacer

facet Textus hic nobis offert pro temporibus sterilitatum siccitatis, inundationis aquarum, tempestatum, & similium, nempe confugere ad Deum in oratione maxime in templo, &c. *serm.4. de dedicat. Ecclesiæ, & op. de profess. religios. l. 2. c. 66.*

497. *Devotio irrigans animam facile excitatur in Ecclesia.*

Si clausum fuerit Cœlum, &c. Id intellige etiam spiritualiter, si siccitas indevotionis occupabit animam tuam, recurre ad Deum in templo, & Deus facile eam irrigabit pluvia contritionis, compunctionis, & gratiæ. *ser.4. de dedicat. Ecclesiæ.*

498. *Septem vitia capitalia inferunt omnia mala.*

Si fames orta fuerit, &c. Nota hic Salomonem septem mala corporalia enumerare, per quæ significantur septem mala spiritualia nempe per famem, gula: per pestilentiam, Luxuria: per corruptum aërem invidia, & detractio: per ærugienem, avaritia: per locustam, superbia, & vana gloria, per rubiginem ira: & per possessionem inimicorum, accidia, per hæc torquentur mortales. *serm.4. de dedicat. Ecclesiæ.*

499. *Oratio facta maximè in templo tristitiam cordis fugat, prosperitatem confert.*

Si quis cognoverit plagam cordis, &c. Ecce quale remedium pro tristitia cordis assignat Spiritus Sanctus, nempe confugium ad orationem in sacro loco. *serm.4. de dedicatione Ecclesiæ.*

500. *Domus Dei est refugium justorum, & iniquorum.*

Qui non est de populo tuo Israel, cum venerit, & oraverit, &c. Vide clementiam Dei nostri, quia hic promittitur, quod orans in domo Dei, etiamsi peccator sit, & inimicus, exaudietur, si toto corde oraverit ad Dominum in loco sancto; solem enim suum oriri facit Deus super justos, & injustos. *serm.4. de dedicatione Ecclesiæ.*

501. *Oratio fusa etiam extra Ecclesiam, directa tamen ad ipsum acquirit aliquam novam vim apud Deum.*

Si egressus fuerit populus per viam ad bellum, quocumque miserit eos, &c. & contra domum orabunt, exaudies eos, &c. Vide mirabilem dispensationem divinæ pietatis ex gratia Ecclesiasticæ dedicationis, quia non solùm præsentiam orantium in domo orationis exauditur oratio, sed etiam absentium, dummodò suum referant cor per considerationum, & devotionum adorationes, quæ fiunt in Ecclesia; cum agitur fueris in itinere, vel in labore, vel in justa occupatione, si ad domum orationis interesse non poteris, quasi egressus ad pugnam, dirige mentem tuam ad domum orationis; sic enim Deus eos exaudit. *serm.4. de dedicatione Ecclesiæ.* Ex quo patet qualem vim habeat consecratio Ecclesiæ, quæ ob applicationem, & assistentiam meritorum Ecclesiæ, ob præsentiam Eucharistiæ excitat corda etiam absentium, si dirigant ipsa in orando ad Ecclesiam.

502. *In Ecclesia ut in domo propria Deus exercet actus Hierarchicos.*

Si quis oraverit in domo hac, &c. Nota, quod Ecclesia appellatur propriè domus Dei: Cur domus Dei? nonne est Dominus aliarū domuum? domus Dei specialiter dicitur Ecclesia, quia sicut in cælesti Hierarchia domus Dei tria efficit, scilicet purgat, illuminat, & perficit; sic specialiter in Ecclesia purgat affectū à sordibus peccati per confessionē, illuminat per prædicationem verbi Dei, & perficit quietaos appetitum dulcedine Eucharistiæ. *serm.4. Dom.9. post Pentecost.* Vide quomodò Ecclesia materialis est typus Ecclesiæ triumphantis.

503. *Qui vult obtinere veniam peccatorum, debet observare sequentia.*

Si populus, quia prævaricatus est tibi gemens, & confitens nomini tuo veniet, & adorabunt, & deprecati fuerint in domo hac, tu exaudi de Cælo, & dimitte peccata populi tui. Vide quo ordine remissionem peccatorum poteris obtinere; primò gemere per dolorosam contritionē in corde; secundò confiteri peccata per recognitionem in ore ad laudem nominis Dei, posteà venire per defectuom emendationem in opere, & tunc cum adorabis cum timore, & deprecatus fueris cum devotione in domo Ecclesiæ merueris obtinere veniam peccatorum. *serm.4. Dom.9 post Pentecost.*

504. *Oratio placat Dominum, &c.*

Exaudies in Cœlo orationem eorum, & propitiaberis populo tuo, &c. Hic est effectus principalis devotæ orationis, in qua propitiatio acquiritur apud Deum; propitiatur enim propter orationem factam à se ipso, à proximo, & à Christo. *ser.1. Dom.10. post Pentecost.*

505. *Christus est mysticum templum conjungens lapides angulares, scilicet Iudæum, & gentilem, omnes acceptans.*

Qui non est de populo, &c. si oraverit in domo hac exauditur. Ergone & inimici Domini admittentur in templum? nonne ejiciuntur è templo excommunicati? sed recurrendum est ad mysterium; Per hoc templum figuratur Christus, qui admittit omnes ad se confugientes, unde est lapis angularis connectens in unum, & Judaicum, & gentilem populum. *in Ioan. c.12. v.20.*

CAPUT IX.

506. *Perseverantiam in actibus bonis vult Deus, istosque admittit in suam familiaritatem.*

Factum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus, &c. apparuit ei Dominus, &c. Vide quomodo post completionem domus Dei Salomon cumulatus est apparitionibus, & pluribus gratiis à Deo; per quod patet quod qui vult aliquod opus altum incipere, debet prævidere, si vult perseverare, & quòd perseverantibus Deus confert suam familiaritatem, & munera cœlestia. *in Luc. c.14. v.28.*

507. *Protectio divina, & angelica quanta in Eccleſia Deo dicata.*

Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & eſſent oculi mei aperti &c. In quonam conſiſtit hæc Dei ſanctificatio? & quomodò ponitur nomen Dei in Eccleſia? vt detetur intelligi, quod in Eccleſia eſt divina attentio ad exaudiendum invocantes, & vt ſanctificatio divina in ipſa conſervetur Deus aſſignat ipſi angelicam protectionem ad cuſtodiendum adorantes, & ad introducendum in Cœlum orationes noſtras. *ſerm. de dedicat.*

508. *Cultus exterior Deo non placet abſque interiori.*

Sanctificavi domum hanc &c. ſi autem averſi fueritis vos &c. auferam Iſrael, & templum &c. Vide ex hoc (*ait Gloſſa moralis*) quod cultus exterior, ſicut eſt ædificatio materialis Eccleſiæ variarum veſtium, non eſt Deo gratus abſque cultu interiori; qui conſiſtit in actibus fidei, ſpei, & charitatis: vult autem Deus ſanctificationem animæ, qua deficiente eijcitur turpiter ab hoſpitio noſtro; rogemus ergo Dominum, vt det nobis domũ materialem ſuam frequentare per crebras orationes, & devotas, & interiorem animæ ſanctificare, vt dignetur in ea habitare, & tandem nos cum gaudio in cœleſtem recipere. *ſerm. 1. de dedicat. Eccleſia.*

509. *Curioſitas, & vanitas ſuperfluarum rerum facit recedere ab obſervantia legis divinæ.*

Filia autem Pharaonis aſcendit in domum, quam ædificaverat ei Salomon. Vide, quòd Salomon poſtquam ædificaverat domum Dei, & propriam, aliam pro vxore ædificavit, & hoc fuit curioſitatis, & reprehenſibile; tuneque incepit recedere ab obſervantia legis divinæ. *in Eccleſ. c. 2.*



CAPVT X.

510. *Regina Saba merito iudicabit Iudæos, & nos de negligentia in auditione verbi Dei, & obſervantia mandatorum eius.*

Sed & Regina Saba &c. Vide, quòd hæc Regina audita fama ſapientiæ Salomonis, voluit præſentem adire ipſum, & immediatè audire: idque dicitur ad confuſionem Iudæorum, & noſtram, qui tantopere negligimus audire verbum non hominis, ſed Chriſti, eiuſque mandatorum obſervantiam perficere; vnde merito in die iudicij condemnabit nos. *in Luc. c. 11. v. 31.*

511. Qui vult perfectus eſſe ſapiens debet diligenter aſcendere ad ea quæ nobis loquitur verus Salomon, ſcilicet Chriſtus, & hoc exemplo huius Reginæ, quæ ad purum hominem audiendum de longinquo venit. *in Sap. c. 8.*

512. *Delectatio cœleſtis gloriæ non poteſt in hac vita ſenſibiliter exiſtimari.*

Verus eſt ſermo, quem audivi, & probavi, quod media pars non eſt renunciata mihi. Nota, hoc dicetur à Beatis in gloria: cum enim videbunt exclamabunt, quod delectatio non eſt, vt audierunt, ſed ſine comparatione maior: ſi ergo tam dulce eſt Deum audire in hac vita, quid erit, quando bonum audietur in ſemetipſo. *ſerm. 7. de Apoſtolis, & ſerm. de Sancta Maria Magdalena.*

513. *Felicitates ſervorum Dei præfiguratæ in opulentia Salomonis.*

Beati viri tui, qui ſtant coram te &c. Sic dicebat admirans Regina Saba, videns maieſtatem gloriæ Salomonis: ſed adverte, quod hoc dicitur in figura ſervorum Dei; nam Chriſtus verus Salomon magnificat ſuos ſequaces tum ad vitam activam, tum ad contemplativam, conferendo eis virtutes, gratias, & abundantiam omnium bonorum. *in Eccleſ. cap. 2.*

514. *Mariæ Virginis ingreſſus in mundum præfiguratus in Regina Saba.*

Ingreſſa eſt Regina Saba in Hieruſalem cum comitatu multo, & divitijs. Ad quid notatur ingreſſus illius mulieris in Hieruſalem? quia præfigurabat ingreſſum Beatæ Virginis Mariæ in mundum: verè enim ingreſſa eſt Regina Cælorum, & mundi puriſſima, & cum plenitudine gratiarum. *op. ſpecul. Beatæ Virginis lect. 13.*

515. *Ingreſſus Beatæ Virginis in Cœlum præfiguratus in Regina Saba.*

Ingreſſa eſt Regina Saba in Hieruſalem cum comitatu multo, & divitijs &c. Hoc fuit figura Beatæ Mariæ Virginis, quando ingreſſa eſt Cœlum, tanquam Regina Mundi, & Cœli: cum comitatu cœleſtium multum, & cum divitijs innumerabilibus meritorum. *op. Spec. Beatæ Virg. lect. 15.*

516. *Bene operantes merentur ingredi regnum Cœlorum cum divitijs meritorum pluribus.*

Ingreſſa eſt Regina Saba &c. Nota hæc eſt Eccleſia militans, quæ multo comitatu ſalvandorum ingreditur poſt labores, & operationes ſanctas in regnum Cœlorum, & cum divitijs meritorum, & camelis, ideſt proficientibus portãtibus aromata bonorum operum: aurum charitatis infinitum, & gemmas pretioſas virtutum ad Regem Salomonem, ideſt ad Chriſtum. *ſ. 3 Dom. Palm.*

517. *Sapientia Chriſti præfigurata in ſapientia Salomonis.*

Non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere. Ecce quod ſacer textus exprimit hic profunditatem ſapientiæ Salomonis, vt det aliquam figuram ſapientiæ Chriſti, cui nihil poteſt latere. *in Luc. c. 8. v. 47. & in Sap. c. 8. & Eccleſ. c. 2.*

518. *Admiratio Reginæ Sabæ ob magnificentiam Regis Salomonis figura fuit admirationis animæ ingredientis in Cœlum, ipſiuſque Regni deliciarum.*

Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſervorum, ordinemque miniſtrantium, veſtes, & pincernas, & holocauſta, non habebat vltra ſpiritum ſcilicet conſiderandi prudentiam eius, vt dicit Interlinearis. Hic autem exprimitur admiratio animæ evolaturæ coronandæ in Cœlis, quæ mirabitur in diſpoſitione ſapientiſſima domus cœleſtis: Cibi menſæ cœleſtis ſunt delectationes in dextera Dei: habitacula

cula sunt mansiones multæ pro diversitate meritorum: ordines ministrantium sunt ordines Angelorum: pincernæ sunt animæ Sanctorum: vinum æterni amoris, & Deo, & Sanctis invicem propinantes: vestes sunt charitates: eorum holocausta sunt laudes, quæ sine fine offeruntur. Ecce his omnibus visis anima beata non habebit vltra spiritum, quia à se deficiens, tota transibit in Dominum: In his omnibus Salomonis sapientiam mirabilitet, & in ordinatissima prædictorum multitudine delectabitur, ita quod etiamsi non liceret amplius vivere, quàm vnius diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum meritò contemnerentur. *ferm. 4. Dom. 2. quadrag. & in Ioan. collat. 63. & ferm. 2. de omnibus sanctis, & in Luc. cap. 2. v. 19.*

519. *Proprium munus Principis est in suo regimine procedere distinctè, & ordinatè.*

Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis &c. non habebat vltra spiritum. Ecce quid in admirationem rapuit hanc Reginam, nempe optima dispositio, & ordo, quo disposuerat Rex Salomon omnia sua, sciens, & hoc esse munus boni Principis. *in Luc. c. 2. v. 2. & c. 9. v. 15.*

520. *Salomon circa ornatum vestium fuit curiosissimus, quod postea confessus est totum esse vanitatem.*

Videns Regina Saba vestes ministrantium &c. Vide quomodò in admirationem etiam rapta est ista Regina ob industriam, & facultatem, qua ornavit se, & suos Salomon, in hocque fuit curiosissimus, & ingenuosissimus, quod postea confessus est totum esse vanitatem. *in Luc. cap. 12. v. 27. & in Eccles. c. 1. & 2.*

521. *Christus habet suos ministros compositos, & ordinatos, Diabolus è contrà incompositos, & deformatos.*

Videns Regina sapientiam Salomonis &c. Salomon fuit figura Christi, qui vult suos ministros, & servos compositos, & ordinatos, pulchros in anima humiles, & bonos; Diabolus è contrà vult suos incompositos, & deformatos, & immundos. *in Luc. c. 16. v. 13.* Ecce quare Deus tam mirificum ordinem instituit in suis Ecclesiæ ministris, hoc enim totum est à Spiritu Sancto impetratum. *op. specul. discip. prolog.*

522. *Stupor Reginæ Saba, fuit figura stuporis causati in legis peritis ob sapientiam Christi.*

Regina Saba videns sapientiam Salomonis vltra non habebat spiritum. Scilicet ob stuporem ex insolita, & magna imaginatione, quod fuit figura stuporis, quem habuerunt legis periti in audiendo sapientiam Christi disputantis inter Doctores. *in Luc. c. 2. v. 47.*

523. *Mensa sapientiæ increatæ, & incarnatæ, figurata in mensa Salomonis quam Beatis Christus exhibet.*

Videns Regina Saba sapientiam Salomonis, & cibos mensæ &c. Ergone sapientiam Salomonis cognovit hæc Regina ex ordine, quem in mensa habebat? maximè: quia fuit figura amorosæ sapientiæ; quæ veluti mensam paratam Christus exhibet in Cœlo animabus, in qua dapifer est Christus; pincerna Spiritus Sanctus, & Pater hospes largissimus; Christus ministrat eihum, dum semetipso convivantes reficit, & satiat; Spiritus Sanctus potû propinat dum suis donis convivantes potat, & inebriat; Pater verò in vtroque seipsum liberalissimè exhibet, & communicat in filio ad cognoscendum, & habendum; in Spiritu Sancto ad amplexandum, & degustandum; sicque anima sancta, & beata regnum suum in pace possidet, & verum Salomonem contemplatur. *op. de dono sap. c. 11.*

524. *Contemplativus quomodò spiritum à semetipso separat.*

Videns Regina Saba sapientiam Salomonis &c. vltra spiritum non habebat &c. Quomodò spiritum non habebat si vitam habebat? expiraveratne ex hac vita? minimè: sed veluti rapta fuit per admirationem extra semetipsam, in hocque figuratur excessus animæ contemplativæ, quæ dum fervore amoris aliquando supra se rapitur, vt merito spiritus supra spiritum esse dicatur, quia contemnendo semetipsum relinquit, & in comparatione dilecti, se despicit, & miro modo fit, vt per dilectionis ignem in illum sustollatur; qui est supra se, & per vim amoris expellatur, & exeat etiam à se, nec se cogitet; dum Deum solùm amat; vnde humanum statû transeundo mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videtur in divinum deficere, ita vt ipse iam non ipse sit, eo dumtaxat tempore, quo incipit Domino altius inhærere: ô felix divisio, & mirabilis separatio. *op. de septem itiner. æternit. in prol. dist. 3.*

525. *Verbis non potest explicari dulcedo, quæ in oratione acquiritur.*

Saba videns sapientiam Salomonis non habebat vltra spiritum &c. Vidi oculis meis, quod media parte mihi nuntiata est &c. Nota, quod hoc potest dici à servis Dei fervide orantibus, quibus Deus infundit talem dulcedinem, quæ nec probari, nec explicari potest. *sermo. de S. Elizabeth.*

526. *Contemplativi beati dicuntur aliqualiter in hac vita.*

Beati viri tui, & beati servi tui &c. Quomodò beati? si beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui in hac vita haberi non potest? Beati dicuntur, idest felices, eo modo, quo potest talis felicitas haberi in tali statu; Beati dicuntur mysticè etiam in hac vita, qui continuè stant coram Deo; & quinam sunt? suot contemplativi, qui vel actu, vel habitu stant contemplantes divinas perfectiones quia cum Deo omnia bona habentur, & sine quo nihil boni habetur. *in Luc. c. 1. v. 45. & c. 10. vers. 23. & in Ioan. collat. 78.* Contemplatio enim est quædam mors, per quam ab huius vitæ laqueis eripitur anima, & se transfert in melius, scilicet in Deum. *op. meditat. vitæ Christi. c. 49.*

527. *Beatitudo aliqualis competit devotis auditoribus verbi Dei.*

Beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Vide quidnam requiritur ad hanc participationem felicitatis spiritualis, scilicet stare coram Deo, & eius præsentiæ incumbere, devotéque, & reverenter eius verba audire. *Psalm. 118. c. 3. v. 15.*

528. *Præſentia Dei exercitium beatitudinem quamdam affert, præcipueque Christi patientis.*

Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper. Si hæc dicuntur de viris ſpiritualibus, ergo exercitium divinæ præſentiæ affert quamdam participationem beatitudinis. Semper ergo cogitare debes te eſſe in præſentia Dei tui, & ipſum ſemper habeas in tuo cogitatu: ſuper Chriſtum autem pro te vulneratum graviſſimè, quaſi ſemper dirigas cogitatum, & quòd ipſe ſit Deus tuus, qui pro te talia paſſus eſt cogitabis, & ſi hoc egeris orietur in te lux tua, & elevaberis Dei noſtri pietate ad cœleſtia contemplanda, & ibi delicijs abundabis; tunc inter conſolationes, & tribulationes inſeparabilis pertranſies, nihil ſitiens, niſi Deum tuum, & ſulum eius affectans honorem; tunc comprehenſor dici poteris, potius, quam viator, beatus non miſer, Angelus non homo, non peccator, ſed ſanctus.*op. ſtim. divin. am.p.2. c.4.& 7.& 9.*

529. *Opera miſericordiæ ſunt aurum puriſſimum, quod Deo offertur.*

Fecitque Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius, & trecentas peltas ex auro probato. Nota hæc myſticè dicuntur de vero eleemoſynario, qui theſaurum coacervans in regni cœleſtis templum ſcuta aurea ibi reponit, ſcilicet opera miſericordiæ, quæ verè aurum Cœli poſſunt dici, quia per ipſa emitur regnum Cœlorum; dicuntur autem fuiſſe ſexcenti ſicli auri, & ducenta ſcuta, & trecentæ peltæ idest media ſcuta veluti lunulæ; quia per centenatium ſignificatur præmium centuplicatum, quod reportatur ex eleemoſynæ largitione.*ſerm.4.in Epiph.*

530. *Perfectio interna ſanctitatis eſt thronus Salomonis, ad quem aſcenditur per ſex gradus.*

Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore &c. qui habebat ſex gradus. Iſte thronus erat ſedes imperialis, quæ in Canticis appellatur ferculum, eo quod ſedentes ferat, vel de loco ad locum circumferat, *ſic Gloſſa.* Myſticè ſignificat ſtatum internæ ſanctitatis, qui eſt veluti thronus, in quo Rex ſapientiſſimus, & verè pacificus Chriſtus Ieſus, vt ſponſus dulciſſimus, ſpecioſiſſimus, & deſiderabilis totus reſidet, & cuius cacumen Cœlum attingit; ad huc aſcenditur per ſex gradus, ſcilicet à ſenſu ad imaginationem, ab hac ad rationem, à ratione ad intellectum, ab intellectu ad intelligentiam, ab hac ad ſapientiam exceſſivam, quæ incipit in via, & conſummatur in patria.*op. Brevil.p.5.c.6.* vt autem hæc intelligantur, notandum, quod iſti ſex gradus figurati ſunt in ſex diebus, quibus creatus eſt mundus, & in ſeptimo requievit Deus; primò enim eſt ſenſuum operatio, qua per mundum ſenſibilem, & per imaginationem anima ponit ſibi ſpeculum, per quod tranſit ad Deum opificem, tamquam per veſtigia, & in veſtigijs Creatoris: per rationem abſtrahentem à quacumque mutabilitate, & contingentia, & tranſeuntem ad æternum, & incommutabile, ſe exercendo circa mentem, in qua relucet imago Sanctiſſimæ Trinitatis, & tandem pervenit ad thronum veri Salomonis celſitis biſce creaturis contemplando divinitatem Dei ſummi, in qua eſt perfecta quies, & beatitudo.*op. itiner.mentis in Deum per totum, & in Luc.c.9.v.28.*

531. *Thronus Salomonis myſticè eſt ſtatus amoris Dei, ad quem per ſex gradus pervenitur.*

Fecit etiam Salomon thronum &c. Myſticè iſte thronus eſt locus quietis, vbi eſt vera pax; ad ipſum pervenitur per ſex gradus. Primus gradus eſt ſuavitas, in quo addiſcit homo, quam ſuavis ſit Dominus per meditationes &c. ſecundus aviditas, ſeu aſſuefactio circa illam ſuavitatem, per quam eſuries oritur animæ &c. Tertius, eſt ſaturitas reficiens animam, & faciens cætera faſtidire præter Deum: Quartus ebrietas, per quam non ſolum delectator de Deo, ſed tormenta pro ſolatio deſiderat: Quintus eſt ſecuritas, per quam libenter ſuſtinet omne damnum: Sextus eſt vera tranquillitas, à qua non poteſt perturbari per quodcumque accidens.*op.Incendium cap.2.*

532. *Maria Virgo fuit thronus eburneus, in quo in Incarnatione Chriſtus requievit.*

Fecit Rex Salomon thronum &c. Quis eſt thronus, in quo figuratus Salomon ſedit, niſi Beata Virgo Maria? quæ dicitur eburnea, ſcilicet puriſſima facta à Deo, & in qua Deus in Incarnatione ſedit cum omni plenitudine gratiarum.*op. de Eccleſ.Hier.p.1.cap.7.& op.comp. Theol.l.4.c.5. & op.ſpecul.Beatæ Virginis lect.2.*

533. *Charitas thronus eburneus, ad quem pervenitur per ſex gradus.*

Fecit Rex Salomon thronum eburneum &c. Nota, quod iſte thronus myſticè eſt charitas, ad quem per ſex gradus pervenitur, ſcilicet ſex beatitudinum à Chriſto expreſſarum, ſcilicet paupertas, mititas, luctus, eſuries, ſitiſque iuſtitiæ, miſericordia, munditia, & pax. *in Luc.c.6.v.24. vel vt ait S.Petrus 2.c.1.*Virtus ſcientiæ abſtinentiæ, patientiæ, pietatis, fraternitatis, & charitatis.*ibid.*

534. *Sapientia eſt thronus Salomonis, ad quem pervenitur per ſex gradus.*

Fecitque Salomon thronum &c. Nota etiam quod iſte thronus Salomonis eſt ſapientia, ad quam pervenitur per hos ſex gradus, ſcilicet per ſpiritum timoris, ſcientiæ, pietatis, conſilij, fortitudinis, & intellectus.*in Luc.c.6.verſ.14. & cap.19.verſ.4.*

535. *Eccleſia militans figurata eſt in throno Salomonis.Pſalm.88.*

Ideò eius poteſtas figurata in leonum effigie, qui poſiti erant ante thronum.*in Luc.c.6.v.14.* Vnde infra dicitur, quod Salomon magnificatus eſt ſuper omnes Reges terræ: Chriſtus enim in Eccleſia magnificatur per Eccleſiaſticas dignitates.*in Sap.c.19.in fine.*Io ea igitur, & in eius membris tamquam in throno requieſcit Chriſtus. *op. de Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*

536. *Caſtitas*

536. *Castitas est thronus Salomonis eburneus.*

Fecitque Salomon thronum eburneum. Cur eburneum? Nota, quod Ebur est frigidum, solidum, & candidum, & significat animam castam, in qua est frigiditas contra concupiscentiam; soliditas per firmam perseverantiam, & candor per meram innocentiam; & sicut Ebor si iovolvatur in uno panno lioeo candido, servat panoum, oe incendatur, sic interior castitas servat corpus exterius, oe ab incendio libidinis eauratur. *op. Diat. sal. tit. 4. c. 4.* Unde anima casta est, in qua tamquam in throno libenter quiescit verus Salomon. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 4.*

537. *In utero Virginis Mariæ, ut in throno Salomonis requievit Christus, quia fuit eburneus, scilicet purissimus ab omni labe etiam originali.*

Fecitque Salomon thronum &c. Nota mysticè iste thronus fuit oterus Beatæ Virginis, in quo novem mensibus requievit filius Dei, quia fuit eburneus, scilicet purissimus, quantum ad eatinctionem fomitis, & concupiscentiæ originalis, & actualis. *op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 4.* Ad hunc thronum, *ait Glossa moralis*, ascendit Christus per sex gradus; Primus fuit oratio solitaria: Secundus virginalis verecundia: Tertius discreta prudentia: Quartus inquirentis diligentia: Quintus humiliantis se decentia: & Sextus obedientia; Primus exprimitur in ingressu Gabrielis ad eam orantem: Secundus in turbatione: Tertius in cogitatione, ibi; (*& cogitabat*) Quartus ibi, (*quomodò fiet istud &c.*) Quintus ibi (*ecce ancilla*) & Seatus ibi (*fiat mihi &c.*) Unde de hoc throno caoitur pulcherrimus Rithmus. *op. Laus Beatæ Virg. sig. 12.*

538. *Anima justi sedes Christi.*

Et fecit Rex Salomon thronum &c. Mysticè hic thronus est anima justi quæ est sedes Christi, in qua requiescit tamquam in throno purissimo. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 4.*

539. *Maria Virgo fuit opus inter omnia excellentissimum.*

Non est factum tale opus in universis regnis. Nota, quod cum potuerit fieri simile opus ab aliis Regibus potentibus, hoc mysticè debet intelligi de Beata Virgine Maria, quæ fuit thronus Salomonis mystici; de qua verè dicitur, quòd non est factum tale opus io mundo, nec io Cœlo, nec in terra, oec lo limbo, quia est plenum domioica gloria; qoia super omnem puram creaturam refulsat, & relucet plenissime in Maria; unde verè dicitur. *Eccli. c. 42. Vas admirabile opus Excelsi*, quia Christus per Mariam habet gloriam de restauratione facta in Cœlo; de redemptione facta io mundo, & de liberatione facta in Inferno. *op. Beata Virgin. lect. 7.*

540. *Christi magnificentia præfigurata multipliciter in Salomone.*

Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ divitiis &c. Nota, verus Salomon est Christus sapientissimus, quia est sapientia Patris; Salomon interpretatur Pacificus, & ipse est pax, qui fecit utraque unum, & antiquam discordiam fœdere proprij sanguinis concordavit: Inquantum homo magnificatus est propter assumptionem humanitatis se unitæ personæ, in donis charismatum divinorum, & sapientia limpidissimæ cognitionis, & universa terra, idest homines terreni (continens pro contento) desiderabant videre vultum ipsius propter nitorem originalis innocentiæ, ut audirent ejus sapientiam. *serm. 1. Dom. Palm.*

541. *Christi pulchritudo ineffabilis.*

Universa terra desiderabat videre vultum Salomonis. Hic est Christus, qui fuit desideratus cunctis gentibus, tum ob pulchritudioem interiorem, & exteriorem, quia speciosior sole erat, in quem desiderant Angeli prospicere; & ideo ejus visio est summæ delectationis. *serm. 2. Dom. 1. Adventus, & serm. 2. Hexaem. & in Luc. c. 8. v. 40.*

542. *Scientia Sacræ Scripturæ incomparabiliter excedit omnem scientiam Gentilium, & Philosophorum Mundi.*

Singuli deferebant &c. Ecce qualis magnificentia Regis Salomonis, & civitatis Hierusalem, in qua erat tanta abundantia argenti, quanta lapidum &c. Idque fuit figura status Ecclesiæ militantis post adventum Christi, in qua notitia Sacræ Scripturæ signata in argento excessit incomparabiliter omnem aliarum scientiarum notitiam. *op. Princip. Sacræ Scriptura, & in Eccles. c. 2.*



CAPUT XI.

543. *Qui stat, videat ne cadat, nam semper etiam in senectute timendum est.*

Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas. Notantur autem hæc à Sacra Scriptura, ut pateat quod Salomon io juventute dilexit munditiam, in senectute luxuriam. *in sap. c. 8.* ut videas, quod homo nunquam est securus, semperque debet pavere, ne reprobus fiat.

544. *Luxuria, & mulierum familiaritas aufert rationem, & infatuat cor.*

Et depravatum est cor ejus. Quid est depravatum? depravatum, idest infatuatum est cor ejus; sic facit luxuria, & conversatio mulierum, tollit enim usum rationis, reddit hominem similem brutis animalibus, ut patet in Salomone. *op. Diat, sal. tit. 1. c. 9.*

545. *Hominis proprium est peccare, ideo de nemine scandalizandum est.*

Et depravatum est cor ejus &c. Cur notantur hæc de Salomone tam à Deo priùs exaltato? ut non solùm discamus pavere, sed etiam quod proprium hominis est peccare, & de nemine peccante quantumcumque à Deo exaltato est scandalizandum. *op. Solilog. c. 1.*

546. *Carnalis affectus quàm animæ perniciosus.*

Et depravatum est cor ejus &c. Cur depravatum? quia adamavit mulieres alienigenas: ergo addisce quam noxius sit amor carnalis: hic enim sapientiam Salomonis absorbuit, & induxit in baratrum fornicationis,& in nefandissimum idolorum cultum dejecit; talisque affectus est longioquum idolum veri amoris, & pinus anxietate. *op. de septem itiner. æternitatis itiner. 4. d. 3.*

547. *Nimia curiositas in studiis animam pervertit.*

Et depravatum est cor ejus &c. feceitque quod non placuerat Domino. Mitum certè est hoc, quomodò Salomon tam sapiens, & illuminatus, in tantum præcipitium ceeidit? sed attende, quod causa talis defectionis fuit, quia voluit transire à sapientia, quæ est supra, ad scientiam quæ est infra: voluit enim disputare à cedro usque ad hysopum, & scire multa inutilia, & vana, & ideo corruptus curiositatibus, & vanitatibus factus est vanus, & oblitus est sui. *serm. 19. Hexaem.*

548. *Tentatio trium hostium, scilicet Diaboli, mundi, & carnis est in homine perpetua.*

Suscitavit Dominus Salomoni tres adversarios &c. Vide quomodo Deus Salomoni in tanta opulentia posito suscitavit tres adversarios; significantque tres hostes hominis, scilicet Diabolum, carnem, & mundum, contra quos semper est pugnandum. *in sap. c. 10.*



CAPUT XII.

549. *Sæpè ex Patre sapiente nascitur filius fatuus.*

Venit autem Roboam &c. Iste fuit filius successor in regno Salomonis de quo narrantur multa gesta insipienter facta; ut videas, quod sæpè ex patre sapiente nascitur filius insipiens; & ideo nimia industria non est habenda circa successorem. *in Ecclesi. c. 2.*

550. *Væ regno, in quo regnat puer, & insipiens.*

Roboam derelicto consilio senum &c. Vide qua de causa Roboam perdidit amorem populorum, & subditorum, & simul regnum, quia erat puer, scilicet non ætate, sed sapientia, ideo imprudens &c. *op. de Ecclesf. Hier. p. 2. 3. & in Thren. c. 1.*

551. *Minimus in regno Cælorum major est maximo in Ecclesia militante.*

Digitus meus minimus major est humero Patris mei Salomonis. Hæc dicebat Roboam filius Salomonis hyperbolicè jactans se potentiorem suo Patre; & licet verum non diceret, tamen hæc possunt adaptari Beatis, nam minimus in regno Cœlorum est major maximo in Ecclesia militante. *Psalm. 14.*

552. *Amor nimius auri est species idololatriæ.*

Fecit Ieroboam duos vitulos aureos &c. Cur aureos fecit hos vitulos? quia propter aurum idololatria committitur; vitulus enim aureus adoratur, quando amor auri amori Dei præponitur, quia avaritia est servitus idolorum. *serm. 3. Dom. 3. post oct. Epiph.*

553. *Idololatria est species fornicationis spiritualis.*

Fecerunt duos vitulos, quorum unum posuerunt in Dan alium in Bethel. Et hoc fecit Jeroboam, ut induceret ad fornicationem hanc spiritualem filios Israel. *Psalm. 72. & 113.*



CAPUT XIII.

554. *Vir quis verè sit: & quis sit vir Dei.*

Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini &c. Notandum hic, quod cum Jeroboam erexisset altaria, & idola in scandalum populi Israelitici, dum actu incensum ipsis offerebat, ecce vir Dei venit, & in sermone Domini, scilicet jussu Dei ipsum publicè reprehendit, prædixitque ei mala maxima imminentia: In quo facto quæritur hic cur nomine proprio non exprimitur, sed communi viri Dei? idque factum est cum maximo mysterio: Vir enim dicitur à virilitate, & virtute, eo quod nunquam superatur adversis, sicut & virtus perpetuò se opponit vitio: Ille igitur homo, qui viriliter operatur ordinando se rectè cum Deo, cum seipso, & cum proximo, verè est vir, & vir Dei. *serm. 1. de uno Confessore.*

555. *Deus solus est, qui mortificat, & vivificat.*

Et exaruit manus ejus &c. Nota, quod Jeroboam extendens manum, ut apprehenderet virum Dei ipsum corripientem, exaruit manus ejus, & postea ad orationem pro eo fusam à viro Dei, sanata est; per quod patet, quod cum iste vir prædicaret verbum Dei nomine ipsius Dei, etiam ipse Deus ad vocem concionatoris est, qui mortificat, & vivificat, vulnerat, & medetur; sic & spiritualiter operatur verbum Dei in anima. *in Luc. c. 6. v. 10.*

556. *Invitat nos Deus: invitat & Diabolus ad prandium.*

Veni mecum, ut prandeas, & dabo tibi munera. Hæc sunt verba impij Jeroboam invitantis Prophetam Dei ad prandium, postquam sanitatem manus ei contulerat, qui tamen, ut Deo obtemperaret, noluit ire; mysticè notatur, quod invitat nos Christus: invitat & Diabolus ad suum prandium; dicit Christus veni mecum ad prandium gratiæ, & refectionis cœlestis; dicit idem

idem Diabolus, & mundus ad refectionem, & prandium delectationis carnalis; sed illud terminat ad felicitatem æternam, istud ad luctum æternum. *in Ioan. collat.* 89.

557. *Qui à Deo amittitur, invenitur à Diabolo, & qui à Deo recedit, abripitur à Diabolo.*

Invenit eum leo in via, & occidit. Nota, quòd iste Propheta postquam transgressus est præceptum Domini, occurrit ei leo, & in pœnam inobedientiæ occisus est. Per hoc datur intelligi, quod quem Dominus perdidit, Diabolus invenit, & qui à Deo recedit à Diabolo abripitur. *ferm.* 1. *Dom.* 3. *post Pentecost.*

558. *Qui invenitur in via perditionis, à Diabolo occiditur.*

Invenit eum in via Leo, & occidit. Cur in via, & non alibi? in via scilicet perditionis, & inobedientiæ, vel in cloaca peccatorum; quos igitur invenit Diabolus in via hac occidit, & absumit. *ferm.* 1. *Dom.* 3. *post Pentecost.*

CAPUT XIV.

559. *Simoniæ peccatum à justis vitatur: à malis exercetur.*

Tolle in manu tua decem panes, & crustulam &c. Nota, quod Jeroboam cum videret ægrotantem filium, misit per uxorem munera ad Ahiam Prophetam Domini, ut ipse indicaret, quid eventurum esset filio ægrotanti; at ipse, ne Deum offenderet, recusavit munera, & munus suum liberè exercuit prædicendo mala imminentia Jeroboam; nam simoniæ vitium abhorruerunt viri justi, non sic impij. *l.4.d.25.art.1. qu.4.ad* 3.

560. *Sequela Dei qualis omnibus Christianis præcipitur.*

Non fuisti sicut servus meus David, qui secutus est me in toto corde suo. Sic dicebat Ahias Propheta in persona Dei Jeroboam impio; ut daret intelligi, quod qui vult pœnam reproborum evitare, debet sequi Deum credendo, amando, & obediendo; fides enim illuminat, & dirigit: charitas affectum trahit, & ordinat: obedientia deducit, & confirmat in bono. *in Ioan.c.*11.*v.*30.

CAPUT XV.

561. *Iusti impugnantur à Diabolo, ut eos pertrahat sub suo dominio: & peccatores, ne evadant à suis laqueis.*

Ascendit Baasa Rex Israel in Iudam, & ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi, vel ingredi de parte Asa Regis Iuda. Nota hoc fuit fortalitium fabricatum à Rege Israel contra Regem Juda, & significat, ait *Glossa moralis*, Diabolum, qui quantum potest, impugnat eos qui sunt de regno Christi, ut sub suo dominio pertrahantur, & qui sunt de suo regno prohibet quantum potest, ne ad gratiam revertantur: Diabolus enim non cessat omnes invadere, decipere, & ad peccatum inducere, nec omittit ullam artem. *ferm. de S.Thoma.*

CAPUT XVI.

562. *Reprobi antequam ad sepulchrum se reducant sepulti moriuntur in peccatis.*

Et mortuus est in peccatis suis, quæ peccaverat, faciens malum coram Domino. Hoc dicitur de quodam Rege impijssimò, qui antequam expiraret, dicitur, quod mortuus est in peccatis suis, idest sepultus vivens in peccatis, & postea sepultus in Inferno: quod contingit impiis, qui in sepultura peccatorum viventes, transigunt vitam infelicem. *in Eccles.c.*8.

563. *Mundani totum studium ponunt in ædificandis domibus caducis.*

Et ædificavit Ierico &c. Hæc civitas jam pridem destructa fuerat à Josue, & nunc tempore Regis Acab reædificata est: mysticè Jerico luna interpretatur, significatque bona temporalia, & mundana, circa quæ laborant mundani homines, & contra quæ Jesus Salvator pugnat. *in Luc.c.*9. *v.*1.*&* 2.

CAPUT XVII.

564. *Per orationem potestas miraculorum acquiritur; item & per jejunium.*

Vivit Dominus &c. si erit ros, vel pluvia, nisi juxta oris mei verba &c. Vide hic quomodo Elias comminatus est Regi Achab, quod ros, vel pluvia non cadent per plures annos in terram, & siccitas durabit usquequo ei videbitur; sed cum qua fiducia id ausus est Elias? observa illa verba, (*nisi juxta oris mei verba*) ergone ipse erat Dominus valens claudere, & aperire cœlum? maximè, quia Elias erat vir orationi deditus, & jejunio; hæc enim impetrant potestatem miraculorum. *op. de prof. religios.l.*2.*c.*66. *& op. apol.paup. resp.*2.*c.*3. *& ferm.*9. *Hexaem. & ferm.* 1. *&* 5. *de uno Confessore.*

565. *Propter peccata inducitur sterilitas terræ, & siccitas.*

Vivit Dominus &c. non erit ros, vel pluvia &c. Cur hoc ausus est Elias? nonne id videtur magna crudelitas, & immisericordia? non est id mirum, quia totum fecit dictante Deo, quia videbat peccata inundare, ideo dixit, *non erit pluvia &c.* quia propter peccata inducitur sterilitas, & siccitas terræ, & sæpè plerumque calamitates torquent homines peccantes. *ferm.*4. *dedicat. Ecclesiæ, & Psalm* 67.

566. Confessio

566. *Confessio vera peccatorum parat animæ pœnitenti panem refectionis cœlestis.*

Præcepi corvis, ut pascant te in torrente Carith. Vide quàm mirabilis sit Deus, in providendo suis servis: sed quid significat quod, per corvum voluit pascere Eliam in torrente Carith? Nota quod corvus est animal nigrum, & clamosum; significaturque peccator ob culpam niger factus; sed dum clamat in confessione peccatorum, tunc ei ministratur panis refectionis ad pascendam animam in torrente lachrymarum, & doloris. Plora ergo peccator, & dic da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lachrymarum. *ser. 3. Dom. 4. Quadragesimæ.*

567. *Sacramentum Corporis Christi fructuosè ministratur, moranti in torrente Carith scilicet contritionis.*

Corvi deferebant carnes, & panem Eliæ in torrente Carith, manè, & vespere. Cur carnes, & panem? Nonnè sufficiebat panis? Carnis provisio potiùs erat ad deliciandum, quàm ad necessitatem sustentationis; maximèque pœnitenti degenti in solitudine? sed attende, quod hoc factum est in figura Sacramenti Eucharistici, in quo est panis in specie, & caro in re. Hocque ministratur in torrente Carith: Carith interpretatur divisio, & significat contritionem, qua homo à peccato, & à Diabolo separatur, & ideò carnem Christi in torrente comedit, qui media contritione perfecta ad ipsum se præparat. *ser. 9. in Nativ. & ser. 5. in cœna Domini, & ser. 1. Dom. 1 post octav. Paschæ, &c.*

568. *Mirabiliter elucet divina pietas nobis per malos Sacerdotes ministrans suum corpus.*

Corvi deferebant carnes, & panem. Cur per corvos; & non per homines? In hoc elucet divina pietas in nos, dum per corvos, scilicet per malos Sacerdotes nobis parat confectionem corporis sui in Eucharistia. *ser. 5. in cœna Domini.* Et nota, quod in hoc apparet divina misericordia in nos, quæ non ad sui injuriam respicere videtur, ut nobis juvet.

569. *Mirabilis providentia Christi elucet manentis nobiscum in Eucharistia usque ad finem mundi.*

Corvi deferebant manè, & vesperè. Cur manè, & vespere? nonnè sufficiebat manè? per manè significatur exordium, & per vespere finis Ecclesiæ; daturque intelligi, quod Christus nobiscum manet, & manebit in Ecclesia, usque ad consummationem mundi. *ser. 9. in Nativ. & ser. in Cœna Domini.*

570. *Multa mirabilia Eucharistiæ figurantur in hoc pastu Eliæ per Corvos.*

Corvi deferebant carnes, & panem manè, & vespere. &c. Jam dictum est hic significari pastum Eucharistiæ nobis in Ecclesia paratum; sed attende mysteria, quæ elucescunt in hac figura. Corvi dicuntur Sacerdotes, qui ad modum corvi debent cognoscere, per pœnitentiam spernere, & per locutionem momentaneam attectare, cras, cras, annuntiando futuram gloriam. Istis verò præcepit Deus, ut pascant Eliam; scilicet quemliber bonum Christianum, deferendo ei panem, & carnes, scilicet Eucharistiam sub specie panis, continentem carnem Christi, excoctum non igne materiali, sed sola Cruce passionis, & coctum igne dilectionis; dicuntur autem manè deferre panem, eo quod manè Sacerdotes debent jejuno populo carnem Christi sub specie panis ministrare, & vesperi in quo fuit institutum nempè: reducendo ad memoriam, quod Christus post cœnam Apostolis dedit. *ser. 1. Dom. 1. post octav. Paschæ.* Nota hic, quod meritò Corvis comparantur Sacerdotes, quia sicut Corvi absque eo quod ipsi comederent carnes, & panem, veluti illum spernentes ignoscebant fami Eliæ, ipsum pascendo, sic & Sacerdotes mali, vitæ cibum aliis dispensant, remanentes ipsi jejuni.

571. *In hoc facto pastus Eliæ exaltatur divina providentia Dei in nos, & confunditur avaritia, & solicitudo humana.*

Sed & corvi deferebant carnem, & panem Eliæ &c. Vide ô avare providentiam Dei: Si enim Deus pavit Eliam per corvos, potest, & tibi providere; reprobetur ergo solicitudo avaritiæ; qui enim dat se ipsum, quomodò non dabit cibum, & victum? Instruit ergo hic Christus nos, nè in necessitatibus temporalibus de procuratione hujus Patris diffidamus. *ser. 2. Dom. 14. post Pentecost. & op. de paup. Christi. q. 1. a. 2.*

572. *Peccator per pœnitentiam pascit Christum.*

Sed & Corvi deferebant panem Eliæ &c. Nota hic, quod per Eliam significatur Christus; sed quomodò pasci dicitur, per Corvos? Corvus significat peccatorem nigrum ob peccata: Christus autem esurit nostram pœnitentiam; quandò ergo reducit se peccator ad pœnitentiam; tunc dicitur pascere Christum; Sic bonus latro quando conversus est, pavit Christum. *in Thren. cap. 3. & in Ioan. collat. 23.*

573. *Pascens relevansque inopem, pascitur, & relevatur ipse à Deo.*

Vade in Sarephta Sidoniorum; præcepi enim mulieri viduæ, ut pascat te. Vide mirabilem Dei providentiam; nam misit Eliam ad viduam, ut exercèret misericordiam in ipsum; volens hoc medio ditare eamdem viduam; sic enim inopem pascens, pascitur, & ditatur à Deo. *in Luc. cap. 4. v. 26.* Disce igitur ô homo, quod quando à Deo tibi mittitur inops, tunc Deus intendit potiùs relevare tuam miseriam, & opibus te ditare.

574. *Per eleemosynam pauperes divites fiunt.*

Vivit Dominus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ, in hydria &c. Vide, quod Deus misit Eliam ad viduam pauperrimam, ut ab ipsa pasceretur; Cur mittit Eliam indigentem ad magis indigentem? Cur non

non potius ad aliquem divitem? ut mundo appareat virtus eleemosynæ, in multiplicando divitias, & bona etiam temporalia. Ideo quia Deus volebat hoc medio relevare viduam, inopem à sua paupertate, ad eam misit Eliam, cum quo exercere posset suam misericordiam. *in Luc cap. 9. v. 13.* Ut discas, quod etiam si paupertate torqueris, non debes ab eleemosynæ largitione te retrahere secundùm tuam possibilitatem, quia per hanc Deus relevabit inopiam tuam &c. Discant, & divites modum, quo possunt suas domos, & familias opulentas conservare, & augere.

575. *In Cruce panis Eucharisticus decoctus est.*

En colligo duo ligna &c. Cur duo ligna colligit ad faciendum panem, & cur hæc notantur? cur non unum vel plura ligna? Id mysteriosè notatur quia ille panis figurabat Eucharistiam, quæ in cruce significata per duo ligna excocta est, & præparata igne Spiritus Sancti: Unde statim ac Christus eam instituit, statim ad passionem, & Crucem cucurrit. *op. expos. missa. c. 4. & ser. 3. in cœna Domini.*

576. *Christus vult, ut in Ecclesia celebretur Sacramentum Eucharistiæ in memoriam suæ passionis.*

En colligo duo ligna &c. fac subcinericios panes, &c. Vide, quod sicut Elias petiit panem subcinericium à vidua; sic Christus ab Ecclesia vult, ut celebretur hoc Sacramentum Eucharistiæ in memoriam suæ immolationis in Cruce figurata, per duo ligna. *fer. 3. in cœna Domini, & op. principium Sacræ Scripturæ.*

577. *Meditatio passionis Christi animam mirabiliter reficit.*

Fac de ipsa farina subcinericium panem &c. Hæc dixit Elias viduæ; hæc eadem dicit Christus Ecclesiæ, & animæ devotæ: nempè ut colligat duo ligna per meditationem Crucis, & passionis Christi, & de farina scilicet ex Christo, qui attritus est in Cruce, extrahet, & conficiet panem; quo fide, & devotione reficiet animam; & dicitur panis subcinericius, quia hæc refectio sub cinere amaræ passionis Christi memoriæ coctus est. *serm. 3. Dom. 4. Quadrag.*

578. *Eucharistica farina à Christo nobis parata ad refectionem nostram.*

Hydria farinæ non deficiet, neque lecythus olei &c. usque in diem pluviæ &c. Mysticè per hanc farinam significatur Sacramentum corporis Christi, quod veluti granum natum est in utero Virginis, & attritum in mola Crucis, cui commixtum est oleum, scilicet gratia Spiritus Sancti; hæc farina cum oleo non deficiet usque in diem pluviæ; scilicet usque ad resurrectionem generalem, in qua virtute influentiæ divinæ resurgent corpora. *fer. 4. in Vigil. Nativ.*

579. *Hospitalitas à fame, & penuria liberat hominem misericordem.*

Hydria farinæ non deficiet &c. Vide qualem effectum, & gratiam recepit hæc mulier ex actu hospitalitatis, nam periculum famis evasit, & gratiam divinam adepta est; sic agit Deus cum misericordibus. *in Luc. cap. 19. v. 6.*

580. *Iejunium aliquando impetrat resurrectionem mortuorum.*

Et reversa est anima pueri, & revixit &c. Vide qualem efficaciam habuit oratio Eliæ post jejunium quadraginta dierum: Ieiunium enim cum oratione impetrat quidquid à Deo petitur. *op. Apolog. pauper. Christi. p. 2. c. 3.*

581. *Resuscitatio mortuorum spiritualiter præfigurata in resuscitatione filij viduæ.*

Et revixit &c. Nota hic, quod leguntur isti filius viduæ resuscitatus ab Elia, & duo alij, scilicet parvulus, & vir ab Eliseo, in quibus tres mortui postea à Christo resuscitati præfigurantur, & præcipuè resuscitatio spiritualis trium generum mortuorum, nempè eorum, qui moriuntur interius tantùm per consensum; & qui moriuntur etiam exterius, & qui addunt consuetudinem; resuscitatio hujus adolescentis figurabat secundam mortem. *In Luc. c. 7. v. 15. & 16. & c. 8. v. 55.*

582. *Deus non respicit personam, sed merita.*

Et revixit &c. Vide, quod Deus relictis cæteris mulieribus Israelitis, ad extraneam misit Eliam, ut ipsam sublevaret, quia illæ non erant dignæ: Deus autem non est acceptator personarum, sed meritorum. *in Luc. c. 4. v. 27.*

583. *Auditores verbi Dei tunc facile credunt, & convertuntur, quando vident dictis facta connexa.*

Nunc cognovi, quia vir Dei es, & Verbum Domini verum in ore tuo. Sic dixit hæc vidua Eliæ; sed quomodò poterat dicere, quod verbum, & prophetia de multiplicatione, & durabilitate panis, & olei esset vera, si adhuc non erat tantum tempus elapsum? Nota, quod id dixit, quia vidit miraculum resuscitationis pueri; quia dictis facta associavit. *in Luc. c. 1. v. 38.* Sic & idem evenit Prædicatoribus Verbi Dei.



CAPVT XVIII.

584. *Vbi regnat peccatum, ibi est inopia spiritualium bonorum, ubi abundant peccata, ibi sterilitas, & omnia mala.*

Erat autem fames vehemens in Samaria. Ecce quod ulciscente divina justitia ob multiplicationem scelerum, tempore Regis Acab, Deus immisit famem vehementem, per totam Samariam. Per quod datur intelligi, quod ubi abundant peccata, ibi abundant mala; scilicet sterilitas terræ, siccitas, & similia. *ferio. 4. Dedic. templ.* Item ubi abundant peccata, ibi est inopia

inopia ſpiritualium bonorum, & præcipuè verbi Dei. *in Luc.cap.4.v.25. & c.15.v.14.*

585. *Iudæi non proficientes ex prædicatione Christi, relicti ſunt in ſua obſtinatione, & gentiles converſi ſunt, quia volentes recipit, obſtinatos deſerit.*

Erat autem fames vehemens &c. Nota quod hæc fames orta eſt ex ſiccitate trium annorum cum dimidio, idque fuit figura, quod tempore prædicationis Chriſti, quæ duravit tribus annis cum dimidio, Judæi non receperunt pluviam gratiæ exigentibus peccatis ſuis; ſicque ſicut Elias miſſus eſt ad extraneum, ſic prædicatio facta eſt ad gentilitatem, quæ faciliter recepit divinam gratiam; ut dicas, quod Deus non niſi volentem recipit, & obſtinatos deſerit. *In Luc. c. 4.v.27.*

586. *Prælati, aliique in negotiis externis applicati, non valentes incumbere continuæ orationi, ſe applicent ad exercitium præſentia divinæ.*

Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto. Nota, quod hoc ſolebat ſæpè dicere Elias, & Eliſeus; Per quæ verba dant intelligere, quale eſſet juge exercitium ipſorum, nempè circa præſentiam Dei ad modum Angelorum, qui licet mittantur à Deo in miniſterium hominum, tamen à divina contemplatione non recedunt; quod maximè eſt advertendum à Prælatis, qui ob multiplices occupationes, cum non valeant ſæpiùs devotioni, & orationi incumbere, ſaltem hoc exercitium non prætermittant, habendo jugem memoriam Dei, ante oculos cordis, & hoc nè omnino refrigeſcant, nè in diſſuetudinem orandi veniant, nè Deo alieni efficiantur, nè gratia divinæ propitiationis eis quaſi inſenſibiliter ſubtrahatur. *op. de 6. alis ſ.raph.c.8.*

587. *Sæpè ob peccata Principis turbatur, & vexatur populus.*

Non ego te turbavi, ſed tu, & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Dei. Hæc ſunt quæ dixit Elias Regi Acab, ut intelligeret, quod fames illa orta in regione illa, ob quam tantam turbationem expertus eſt populus, ortum habuit ex peccatis, & ſceleribus ipſius Regis, ejuſque familiæ: ob peccata enim Prælati ſæpè turbatur populus ſubjectus. *Pſal.118.ſ.6.v.7.*

588. *Cave ne relinquas, & magis derelinquas Deum.*

Non ego te turbavi, ſed tu, & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Dei. Nota hic, quod non dicitur, qui reliquiſtis; ſed qui dereliquiſtis: è contra ait David, *in Pſal. 118. ego autem non dereliqui mandata tua*; quid eſt relinquere, & derelinquere? Relinquere eſt peccatum committere conſilio ſubito: derelinquere mandata Dei, eſt Deum offendere ratione excitata, voluntate conſiliata, & conſilio definito, & hoc eſt peſſimorum, & reproborum. *Pſal.118.ſ.6.v.7.*

589. *Iudæi claudicant in duas partes: Chriſtiani rectà incedunt.*

Vſquequo claudicatis in duas partes. Cur in duas partes? quia uno pede incedunt; ſcilicet ſe innitentes ſolùm veteri teſtamento: non ſic Chriſtiani, qui utrumque teſtamentum credunt. *Pſal.138.*

590. *Deum offendens claudicat in via Dei.*

Vſquequo claudicatis in duas partes. Quid eſt claudicare in duas partes? quia per viam peccati incedebant, & quia peccatum eſt deordinatio voluntatis à recta regula divina, ideo dicuntur claudicare. *In Luc.c.7.v.25.*

591. *Impoſſibile eſt ſervire Deo ſimul, & Diabolo.*

Vſquequo claudicatis in duas partes. Quid eſt claudicare in duas partes in Dei obſequio? Nihil aliud eſt, niſi quod impoſſibile eſt duobus Dominis ſibi invicem adverſantibus ſervire, ſcilicet Chriſto, & Diabolo, ſpiritui, & carni; ſic Iſraelitæ ſe profitebantur cultores veri Dei, & tamen Idolis thus offerebant. *in Luc. c. 16. v. 13. & in Ioan.c.10.v.30.*

592. *Deus ſequendus eſt totaliter, non partialiter.*

Vſquequo claudicatis in duas partes: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum. Vide, quod in ſequela Chriſti non eſt claudicandum, ſed toto corde, & totaliter eſt ſequendus: non enim Deus vult, ut una pars Chriſto detur ſuæ vitæ, & altera reſervetur ſibi, vel Diabolo, vel mundo. *In Ioan.c.10.v.30. & collat.38.*

593. *Deus exigit cor totum, dimidiumque non admittit.*

Vſquequo claudicatis &c. ſequimini eum. Id eſt toto, & integro corde: Non enim Deus vult dimidiam partem cordis, ſed vult ipſum totum, & totaliter ad pœnitendum, ad orandum, ad benè vivendum. *fer.2. Dom. 17. poſt Pentec.*

594. *Martyres alij ſunt Chriſti: alij Diaboli.*

Dentur nobis duo boves, illi eligant unum bovem, & in fruſta cadant, & ego alterum bovem &c. Sic propoſuit Elias Sacerdotibus Baal, ut experientiam patentem ſumerent, quiſnam eſſet verus Deus, an Baal, an ille, quem Elias colebat: nempè ille tantum, qui de cœlo deſcendere faceret ignem, & incenderet fruſta bovis immolati. Sed cur Elias propoſuit occiſionem, & immolationem bovis, & non aliquod aliud majus ſignum? Nota quod maximum myſterium latet in hoc facto: Bos in Sacra Scriptura dicitur rex jumentorum, eſtque utilius cæteris, & deditus laboribus perpetuo, ſub jugo collum ſupponens, & dicitur de homine benè & malè laborante in Eccleſia Dei in bonum, & malum. *Pſal.126. & ſer.2. de dedicat.templi.* Datur igitur intelligi, quod ſicut Bos in fruſta cæſus poſitus eſt in altari ligneo Baal dicato: ſic & multi portant Crucem, vel macerant carnem, vel in Cruce laborum vivunt, ſed non pœnitent, & iſti miſeri Crucifixi, & martyres Diaboli ſunt: alij ut Bos ab Elia mactatus in honorem Dei veri, in cruce poſiti macerant carnem & pœnitent, & iſti

ſunt

funt martyres Christi ; ô quot martyres habet Diabolus. *in Psal.21.& in Ioan.c.13.v.36.& 37.*

595. *Amoris divini ignis mirabiles effectus.*

Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem, & aquam &c. Vide mirabiles effectus excellentis fidei, & qualis zelus in Elia : nam Deus ipso orante immisit de cœlo ignem, qui statim mirabiliter devoravit & victimam, & ligna, & lapides, & aquam ; sed nota, quod hoc fuit figura effectuum adventus spiritus sancti in discipulos, & in quamlibet animam : nam peccata mortalia, & venialia, carnalia, & spiritualia velut pulverem, & ligna consumit. *op. de Eccles. Hier.p.4.cap.2.& in Luc. cap.12.v.49.*

596. *Duxit Elias omnes Sacerdotes Baal ad torrentem Cison, & interfecit eos.*

Cur interfecit eos ? ut disperderet, & dissiparet idololatras ; fuitque figura destructionis idololatriæ factæ per Christum. *op Principium S. Script. in fine.*

597. *Ascensio Christi in cœlum fuit præsagium adventus spiritus sancti in nos.*

Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendit de mari. Nota quod ex ascensu hujus nubeculæ orta est pluvia grandis super terram ; sic post ascensum humanitatis Christi in cœlum advenit spiritus sanctus in Ecclesiam. *serm. 3. de Ascens.& in Luc.c.12.v.56. & c.24.v.51.*

598. *Vita contemplativa elevat animam super creaturas, ipsamque fert in Deum.*

Ascendit Elias in verticem Carmeli &c. Ecce nubecula &c. Vide figuram status veri contemplativi, qui se superferens super creaturas omnes intrat in altum domus Domini ad vitæ eminentiam, sicut fecit Elias. *in Luc.c.9. v.28.*

599. *Vir justus est nubecula, quæ in altum ascendit.*

Ecce nubecula &c. Mysticè hic est justus (ut fuit B. Nicolaus) qui per pietatem, quam exercet in miseros, est veluti nubecula immittens pluviam eleemosynarum ; diciturque ascendere de mari, scilicet de tribulationibus pro Christo, & ad imitationem ipsius assumptis. *fer.1.de S.Nicol.*

600. *Christus, & Beatissima Virgo exemplar humilitatis, pietatis, & omnium virtutum.*

Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis. Quid est nubecula, quæ repræsentat aliqualiter vestigium hominis ? Hic est imitator virtutum Christi,& Beatæ Virginis ; diciturque quasi vestigium, quia nemo potest pertingere ad tantarum virtutum perfectionis apicem &c. *ferm. 1. de S. Nicolao.*

601. *Beata Virgo Maria nubes rorifera.*

Ecce nubecula parva &c. Mysticè hoc potest dici de Beata Maria Virgine, quæ fuit nubes rorifera, corda nostra perusta malis refrigerans. *op. Psalt. Ps.60. & op. Psalt. min. quinquag.2.*

602. *Oratio cum jejunio fervens omnipotens ostenditur.*

Et facta est pluvia grandis. Vide quomodò ad orationem factam à viro Dei Elia, cœlum dedit pluviam : nam oratio fervens omnia potest ; & impetrat nobis bona necessaria, etiam temporalia. *fer. 1. & f. de uno Confes.& fer. 4. de dedic. templi, & apol. pauper. resp.2. cap.3.* Vide igitur quomodò oratio prævalet naturæ inferiori, prævalet virtuti cœli, impetrat naturæ spirituali, attrahit spiritum sanctum, inclinat filium Dei, & mitigat Patrem, ac per hoc quodammodò dominium habet respectu universorum. *in Luc. cap. 18. v. 1.*

603. *Perseverantia in oratione est necessaria.*

Idque patet ex perseverantia exercita ab Elia in oratione, per quam obtinuit pluviam,& abundantiam terræ. *in Luc.c.18.v.1.*



CAPUT XIX.

604. *Consortium mulieris diligenter est vitandum.*

Timuitque Elias, & surgens abiit quocùmque eum ferebat voluntas &c. Cur aufugit iste vir justus faciem Jezabelis ? nonne fortiter absque pavore se priùs opposuerat Regi contra se irato ? quomodò nunc pavet faciem Reginæ ? sed sat sit, quod Jezabel erat mulier, & Regina : sciebat enim quod fœmina more scorpionis semper est parata hominem ferire : sciebat, quod à facie mulieris quasi à facie colubri debemus omnes fugere ; & qui Deo placet, effugiet mulieres ; & qui peccator est capietur ab illa, quia amarior morte est, & laqueus venatorum. *fer. 2. de Invent. Crucis.*

605. *Fuga mortis quænam stat cum perfectione, & quænam non.*

Timuitque Elias, & surgens abiit &c. Cur fugis ô vir Dei ? nonne perfecta charitas excludit timorem ? ergonè pro justitia times mori ? Nequaquam : nota tamen quod fuga mortis ex perversitate mentis, vel ex ignavia, & timore servili, vel ex naturali ratione, dicit imperfectionem : nec stat cum perfecta charitate, quia licet timere mortem sit naturale, scilicet fugere, tamen est voluntarium, & licet perfecta charitas non excludat timorem omnem naturalem, excludit tamen illius dominium, quo timidus in fugam convertitur : fugere autem mortem licet sit actus de se imperfectus, potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam

superadditam: v.g. ut quis se reservet ad gloriosum triumphum, ut fecit Apostolus Paulus, vel ad præbendum infirmis spei solatium, ne dum mortem imminente trepidare se sentiunt, in desperationem labantur; ut fecit Christus aliquando non ex vehementia timoris, sed ex condescensu perfectissimæ charitatis. *op. apol.pau.resp.1.c.1.* Sed cur occultavit se Elias? ad fugiendam ostentationem voluit potius se humiliter occultare, quàm imprudenter se manifestare. *in Luc.c.4.v.42.*

606. *Timuit Elias, & abiit &c.* Cur fugit vir constantissimus, & zelo Dei ardentissimus? fugit Jezabel: Jezabel interpretatur fluxus sterquilinij, & significat concupiscentiam temporalium; qui ergo vult Deum perfectè sequi, debet fugere omnia temporalia, & carnalia. *in Luc. cap. 6. v. 15.*

607. *Boni absque maximo dolore, & tædio non possunt videre mala inundantia mundum.*

Sufficit mihi Domine tolle animam meam; non enim melior sum, quam Patres mei. Cur in hæc verba prorumpit Vir, cum Dei voluntate aliàs tam compositus? Ergonè ob impietatem Jezabelis evitandam petit à Deo mortem? sed attende, quod Elias zelabat summoperè, & ardenter mandatorum Dei observantiam; ideoque videns mala per totum Regnum inundare, & semper indies augescere, petebat præ dolore, & zelo Dei potiùs mortem, quàm tot mala exuodantia videre, ideoque Salomon. *cap. 4. Eccles.* dicebat, *& laudavi magis mortuos, quàm viventes*; nempè eo quia ista mala, & crudelitates non videor, quas nemo bonus potest videre, & non dolere. *in Eccles. cap. 4.*

608. *Angelorum proprium est nos in malis consolari, & ad bonum excitare.*

Surge, & comede &c. Sic dicebat Eliæ Angelus Domini, ipsum à somnis excitans, & oblatione panis refocillans: Hie mirum, nam hoc est proprium Angelorum, nos in malis consolari, & ad fervorem excitare. *l. 2, d.11. a.2. q.1. & ep. comp. Theolog.l.2.c.18.*

609. *Pœnitentia panis confortat animam in itinere hujus vitæ, & ducit ad montem gloriæ.*

Et ecce ad caput suum subcinericius panis; & vas aqua &c. surgens comedit, & bibit &c. Nota mysterium: Panis subcinericius est pœnitentia significata in cinere, sub quo humiliantur pœnitentes, & quia vera pœnitentia fit cum lachrymis, ideo vas aquæ ad caput ostenditur, quia hoc pane confortata anima ambulat quadraginta diebus usque ad montem Dei, scilicet per totum tempus vitæ, observando legem Decalogi, & quatuor evangeliorum, quater enim decem, quadraginta complet, & ducit ad montem Dei Horeb: Horeb interpretatur mensa, scilicet ad mensam Regni cœlestis. *fer. 4. Dom. 4. Quadragesima.*

610. *Eucharisticus panis comedendus coctus sub cinere pœnitentiæ, & cum aqua lachrymarum.*

Et ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ. Cur panis subcinericius, & non alio modo coctus? quia figurabat panem Eucharistiæ, qui proponitur comedendus; sed debet esse coctus sub cinere & non crudus, nempè non indevotè, & negligenter: idque fit dum homo timore mortis, vel cum memoria mortis Christi ad Communionem per contritionem, & devotionem digne se præparat. Panem ergo cum aqua sumit, qui corpus Christi cum lachrymarum potu, & cum cinere memoriæ mortis Christi sumit. *fer. 2. in die cinerum. op. Princip. S.Script. in fine.*

611. *Eucharistia ad caput debet sumi, non ad pedes.*

Et ecce ad caput panis, & vas aqua &c. Cur ad caput, & non ad pedes? & cur subcinericius? hic panis est Eucharistiæ Sacramentum, qui coctus recipitur, dum sub cinere mediationis mortis antecedenter coquitur: ad caput verò sumitur, dum excellenti devotione, & reverentia ad ipsum accedit homo: Ad pedes verò locatur, dum indignè recipiendo, veluti pedibus conculcatur. *fer. 2. in die cinerum.*

612. *Non solùm Eucharistia non solùm verbum Dei, non solùm gratia Dei: sed & obedientiæ obsequium panis est reficiens animam in itinere hujus vitæ.*

Et ecce ad caput suum subcinericius panis &c. & ambulavit in fortitudine cibi illius &c. Vide ad caput positum panem, quo refectus Elias ambulavit quadraginta diebus &c. quis panis est iste tantum robur adjiciens corpori lassu? hic panis est non solùm Sacramentum Eucharistiæ, præbens vires mirabiles digne suscipienti, non solùm verbum Dei susceptum, non solùm adjutorium gratiæ Dei, sed & obsequium obedientiæ: hæc enim ita reficit hominem, ut sine labore potest ambulare per viam hujus vitæ usque ad montem Dei Horeb, scilicet ad cœlum. *in Luc. cap. 11. v.3.*

613. *Pœnitentia est panis confortans, & securè ducens hominem in hac via.*

Surge, & comede: grandis enim tibi instat via. Quænam via est hæc? via est hujus laboriosæ vitæ, ad quam conficiendam debet surgere homo per pœnitentiam, cujus adjutorio poterit securè, & in fortitudine pertransire usque ad montem gloriæ. *fer. 5. Dom. 1. Adventus.*

614. *Alij in hac vita ambulant per viam inferni: alij per viam cœli*

Surge, & comede: grandis enim tibi instat via. Quænam via? sed nota, quod hæc via erat ad montem Dei Horeb, per quam transeunt, qui pane gratiæ reficiuntur: Alij grandem, & laboriosam vitam assumentes per viam inferni ambulant: istisque dicitur continuè à Deo, surge scilicet

fcilicet per pœnitentiam; quia grandis eſt via cœli; per quam tibi eundum eſt. *ferm.5. Dom.1. Advent.*

615. *Panis gratia, & iuſtitia confortat animam in itinere laborioſa huius via.*

Surge, comede: grandis enim tibi inſtat via. Quid eſt, quod comedere debet, vt confortatus poſſit aſcendere in montem Dei? Hic panis eſt gratia Dei, quem ad caput Deus offert; vt homo ſurgens à ſomno peccati per pœnitentiam ipſam recipiat, confortetur, & ambulet faciliter in via huius vitæ vſque ad Montem Dei Horeb. *ferm.5.Dom.1.Advent.& op.temp.Theolog.l.5.c.36.*

616. *Surgendum eſt à ſomno peccati, ne periclitetur homo in tempeſtatibus huius vita.*

Surge. Nota hoc verbum, (*Surge*) ſcilicet à ſomno peccati, idque continuè dicitur nobis à Deo: Multa enim & gravia pericula ſunt in ſomno peccati: Surge igitur ne tempeſtate tribulationum pericliteſ. *fer.5.Dom.1.Adv.*

617. *Panis iuſtitia eſt, quo debemus in hac vita refici &c.*

Surge, & comede, ſcilicet, *panem ſubcinericium.* Nota hic eſt panis Iuſtitiæ, quem eſuriunt viri Iuſti in hac vita, in cuius fortitudine ambulant per viam huius vitæ *fer.5.Dom.1.Advent.*

618. *Qui vult panem gratia ſumere, debet à ſomno peccati ſurgere.*

Surge, & comede. Nota hunc ordinem; quia dormiens non comedit; ideò priùs à ſomno debet homo ſurgere, & poſtea comedere: datur myſticè intelligi, quod qui vult comedere panem oblatum à Deo, ſcilicet gratiæ divinæ; debet à ſomno peccati, torporis, negligentiæ ſurgere: non enim dormiens poteſt comedere: hæc confortat in hac grandi via huius vitæ. *fer.4.Dom.4. Ad.& fer.2.Dom.4.Quadrag.*

619. *Timor gehenna, & amor gloria excitant animam ad laborandum.*

Surge comede &c. Nota, quod Elias ab Angelo bis fuit excitatus ad comedendum panem: Cur bis? quia duplex excitatio proponitur à Deo, ſcilicet timore gehennæ, & amore gloriæ, his duobus impulſibus peccator excitatur, vt à ſomno peccati ſurgat, & pane gratiæ reficiatur. *ferm.2. Dem.4.Quadrag.*

620. *Angeli nobis auxilia multa conferunt in itinere huius vita.*

Surge, & comede &c. Vide quid fecit Angelus excitando Eliam, eique præbendo panem, & comitem ſe præbendo in laborioſo itinere mortis: ſic & nobiſcum Angeli operantur: nam corroborant noſtram fragilitatem, confirmant; confortant nos, & promovent in laborioſo decurſu huius vitæ, in exercitio virtutum, quouſque ad Montem Dei perveniamus, ſcilicet ad ſtatũ perfectionis vel gloriæ. *fer. de Sancta Michaele.*

621. *Ad Montem perfectionis invitamur à Deo, & Angelis continuè.*

Surge, & comede grandis enim &c. & ambulavit &c. Hæc ſunt verba, quæ nobis in via perfectionis ambulantibus, dicuntur à Deo, & Angelis, vt à ſomno torporis excitemur, & grandia opera arripiamus virtutis, quouſque ad ſtatum perfectionis, & gloriæ perveniamus. *fer de Sancte Michaele. & fer.4.de Angelis.*

622. *Angeli aſſiſtunt obedientibus, & laborantibus, in continua actione: reſiſtunt inobedientibus.*

Vide ex hoc quod Angeli aſſiſtunt obedientibus, reſiſtunt inobedientibus: ergo ſimus obedientes, & laboremus, vt poſſimus tam fortes auxiliatores habere. *ferm.4.de Ang.*

623. *Torpor abyciendus in itinere huius vita.*

Surge &c. grandis enim tibi inſtat via. Ecce quale motivum affert Angelus Eliæ; ſurgendi, & ambulandi diligenter, quia ſcilicet grandis inſtat via tenenda, & ob id magnum eſt iter; & tempus breve; Vnde hæc verba nobis continuè diriguntur, ſurge à ſomno, ſurge à torpore, ambula ſolicitos, quia breve eſt tempus viæ, & grandis via eſt calcanda. *op.diat.ſal.tit.1.c.7.*

624. *Ieiunavit quadraginta diebus &c.*

Vide, quod ſicut Elias hoc ieiunium quadragenarium aſſumpſit ad honorem Dei, vt perſecutiones Iezabel evaderet, & ad Montem Dei Horeb celeriter perveniret: Sic datur nobis intelligi, quod anima hominis ieiunantis, & abſtinentis per ieiunium tentationem carnis ſuperat, & ad montem contemplationis faciliter pervenit. *op.diat.tit.1.c.6.*

625. *Ieiunium quadrageſimale quarè inſtitutum; vbi de tribus ieiunijs ordinatis à Seraph. Franc. in ſua regula.*

Ieiunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Nota, quod tres præcipuè leguntur ieiunaſſe quadraginta diebus, nempe Moyſes, Elias, & Chriſtus; duplex autem eſt ieiunium, ſcilicet mœroris; & gaodij: primum eſt, quo carni placentia cibaria ſtudio pœnitentiæ abſcinduntur, & hoc ſignificatur in ieiunio Moyſis: ſecondum eſt, cum cor tantis eſt iniundum ſpiritualibus delicijs, vt pœna ſit vacare menſis; & eſt per conſequens delectabile ieiunare; cum ieiunatur; non vt corpus affligatur, ſed ob devotio interrumpatur, quia ſpiritus recreatur; primum dividitur in duo capita nempe, eſt pro deletione culpæ; fuitque ordinatum in byeme à Seraphico S. Franc. ſcilicet à die omnium Sanctorum vſque ad Natale Domini: ſecundum ordinatur pro amorione miſeriæ, & ad futura imminentia præcavenda, fuitque ordinatum ab eodem Sancto Patre tempore veris, eſtque Quadrageſima Eccleſiæ: Ieiunium verò gaudij eſt Ieiunium Chriſti Ieſu, quo non tantùm à cibis carnalibus, ſed ab omni terrena delectatione

delectabiliter abſtinetur, fuitque ordinatum à Sancto Franc. non ſub præcepto, ſed cum benedictione Dei ſuaſit, & ipſum remiſit ad devotionem fratrom. *op.expoſ.Regulæ.c.3.*

626. *Prædicator prius debet perfectioni propria incumbere, & poſtea aliorum ſaluti.*

Ieiunavit quadraginta diebus &c. Per hoc vide, quod ſicut Elias prius abijt in deſertum, & pervenit ad Montem Dei Horeb, vbi edoctus eſt, poſteà vnxit Reges, & Prophetas ad regimen populi, ſic Prædicator prius vacare debet propriæ perfectioni, & deinde ædificatiooi alienæ; quia cuius vita deſpicitur, reſtat, vt eius prædicatio contemnatur. *in Luc. capite 1. verſ.8. in fine.*

627. *Ieiunium Eliæ fuit figura ieiunij quadrageſimalis Chriſti.*

Et ieiunavit quadraginta diebus. Sic dicitur de Elia, & Moyſe, quod ieiunium fuit figura ieiunij Chriſti, vt veritas reſpooderet figuræ, vt ieiunium Chriſti tam à lege, quàm à Prophetis haberet teſtimooium. *in Luc.c.4.v.1.*

628. *Mons Horeb fuit, in quo Chriſtus transfiguratus eſt coram Moyſe, & Elia.*

Et ieiunavit quadraginta diebus in Monte Horeb. &c. Hic eſt Mons, io quo transfiguratus eſt poſteà Chriſtus, & io quo apparuit Moyſes, & Elias, vt oſtenderetur dignitas horum duorum, & in bis legis, & prophetiæ. *in Luc. cap.9.*

629. *In itinere perfectionis requiritur ſuavis refectio, & virtutis augmentatio.*

Qui cum ſurrexiſſet comedit; & ambulavit in fortitudine cibi illius vſque ad Montem Dei Horeb. Nota hunc ordinem: primò ſurrexit: ſecundò comedit: tertiò ambulavit ex virtute augmentata vſque ad Montem Dei per quæ explicantor gradus itineris perfectionis; nam poſtquam tendens ad perfectionem ſurrexit, vt hoc iter arripiat, debet prius refici cibo ſapieotiæ, non ſolùm ipſum recipiendo per auditum, ſed & deguſtando per amorem experimentalem, vnionemque amoroſam: & hinc itinerantis virtus augmentatur, donec cum propheta ad Montem Dei Horeb perveniatur: vnctio enim Spiritus Sancti facit contemnere inferiora, elevat ad ſuperiora, & dulcedinem infinitam divinæ præſentiæ facit ſentire; & ſic ad æternitatem confidenter, & velociter incedere. *op.de 7.itiner. æternit. itinere 6. d.6.& 7.*

630. *Panis Euchariſticus in via Mandatorum Dei fortificat, & confortat.*

Qui ſurgens comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus &c. Vide qualem virtutem in hoc pane ab Elia ſumpto Deus infuerit. Idque fuit figura Euchariſtici panis, qui in via laborioſa mandatorum Dei mirabiliter confortat; & ideò famelici eſſe debemus, & quærere hunc panem cum ſpooſa in Civitate, per vicos, & plateas, & de domo in domum, nempe recurrere in Civitatē cœleſtem nunc per plateā Apoſtolorum, nunc Martyrum, & per domos ſingulorum Sanctorum, & per vicos Angelorum circuire, meditando quærere, & meditando mendicare, & orare, eo modo quo mendici pro bonore, & in nomine Sanctiſ. Mariæ, vel alterius Sancti quæruot panem. *ſerm.6. Dom. infrà. octav.Epiph.*

631. *Idem Confirmatur.*

Comedit & ambulavit in fortitudine cibi illius, vſque ad montem Dei. Nota bic tria mirabilia, quæ relucent in receptione Sacramenti Euchariſtici: Primum eſt activorum confortatio, cum dicitur; *& ambulavit in fortitudine &c.* Panis enim cor hominis confirmat: ſecundò confortationis continuatio, cum dicitur, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, ſcilicet in die proſperitatis, & in nocte adverſitatis, contrà quæ confortari multum iodigemus; tertiò iooitur continuationis remuneratio, quæ eſt in cœleſti refectione, vnde dicitur, *vſque ad Montem Dei Horeb*, qui interpretatur menſa: Vide ergo quot mirabilia efficit ſumptio panis Euchariſtici. *ſer.6.in cæna Domini.*

632. *Ex aſſiſtentia Spiritus Sancti iter virtutis, & perfectionis dulce, & facile.*

Ecce ſpiritus conterens petras, & montes. Vide, quod Angelus non ſolùm cibo confortavit Eliam, ſed & ſermone ei proponens aſſiſtentiam ſpiritus Dei valentis conterere, ac tollere omnes difficultates io via perfectionis: vnde aſcenſus ad montem perfectionis, quando fit per vigorem & commotionem Spiritus Sancti tollet omnes difficultates. *ſer.2. Hexaemer. ad finem.* Ne igitur paveas ô homo difficultates occurrentes in via virtutis, quia aſſiſtentia Spiritus Sancti tolluntur, & diſſipantor.

633. *Ad ſuſtinendum perſecutiones Prælatorum eſt neceſſaria maxima patientia.*

Ecce Spiritus conterens petras, & montes. Nota hæc verba etiam in malum, nempe ad explicandam qualitatem furoris malorum Prælatorum in ſubditos: ſi ergo tibi acciderit talis adverſitas, debes ad Deum confugere, vt te patientia maxima armet: per hanc enim ſolùm ad victoriam pervenies. *in Eccleſ.c.10.*

634. *Inſpirationes Spiritus Sancti, ſunt magis ad delectandum, quàm ad terrendum animam.*

Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Nota quod dicitur, *ſibilus auræ tenuis, ſcilicet ſuavis*, quia inſpirationes Spiritus Sancti datæ ſunt, ad elevandum animam, ad delectandum magis, quàm ad terrendum. *In Sap.c.17.*

635. Vir

635. *Vir iustus debet totus ignis zelo honoris Dei ardere.*

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum &c. Sic dicebat Elias, taliterque est vir iustus præcipue publicus, & Prælatus, scilicet totus igneus per zelum divini honoris; est enim id opus Iustitiæ.*op.diat.tit.10.c.5.*

636. *Prædicatoris conditiones quales.*

Eliseum unges prophetam pro te. Cur ad hunc statum, & gradum per vnctionem voluit Deus promovere Eliseum? quia eum volebat Prophetam, Doctorem, & Concionatorem Verbi Dei, talisque debet esse inunctus divina gratia, instructus mea obedientia, & inflammatus fraterna benevolentia.*in Luc.*

637. *Deus habet plures veros servos suos, sibi notos; Mundo ignotos.*

Relictus sum solus. Sic dicebat Elias loquens cum Deo, vt autem sciretur quod adsunt plures iusti timentes Deum, Mundo, imò sibi ipsis ignotos, solique Deo notos subdit; *dereliquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.in Luc.c.18.v.11.* Hinc disce, quod sæpe Deus sua dona impertitur quibusdam pauperibus; & prima facie Mundo vilissimis, & sibi charissimis.

638. *Concionatores sunt Vicarij Christi, in opere conversionis Mundi.*

Et reliquit pallium suum Eliseo &c. Cur pallium solùm reliquit Elias discipulo suo? Nota, quod relinquendo pallium Eliseo, voluit indicare, quod in Eliseo remanebant sua exempla, & sanctitas vitæ; vt loco sui eadem opera exerceret ad amplificandum cultum Dei; & hoc fuit figura Iesu Christi, qui ascendens ad cælos, loco sui reliquit Apostolos, & Prædicatores tamquam Vicarios; vt pallio suo vterentur, scilicet exemplis, & laboribus suis ad convertendum populos suos.*in Luc.c.19.v.36.*

639. *Qui vult ascendere ad perfectam sequelam Christi, debet relinquere omnia terrena.*

Et reliquit pallium &c. Cur vocans ad suam sequelam Eliseum ipsi reliquit pallium? Vt ipsum instrueret, quod ad perfectam sequelam Christi figurati in Elia, relinquendum est pallium, scilicet terrenorum: sic Apostoli sequentes Christum reliquerunt retia.*in Luc.c.5.v.28.*

640. *Sequenti Christum relinquenda sunt omnia terrena; & quomodò.*

Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. Ecce, quod Eliseus ab Elia vocatus ad suum discipulatum, statim sine mora reliquit boves, & secutus est eum; quia hoc est, quod Deus vult à suis sequacibus, nempe vt relinquant cum Apostolis retia, scilicet omnia terrena negotia, & sæcularia desideria. *in Luc. cap.5. verf.28. & op. de paup. Christi quæstione 1. art.1.* Nota tamen, quod sicut Eliseo permissum est ire ad osculandum patrem, & Matrem; sic non prohibetur, quin sequens Christum aliquod munus sæculare exerceat in parentes, non ex carnalitate, sed ex pietate.*in Luc.c.9.v.60.*

641. *A sequentibus Christum relinquenda sunt terrena, quod ad affectum: quoad effectum verò non semper, sed ijs vti ad subsidium pauperum.*

Reversus autem tulit par boum, & mactavit, & coxit carnes, & dedit populo, & comederant. Cur Eliseus volens sequi Eliam occidit boves, vt pararet convivium populo? Voluit Deus, vt per hoc addisceamus, quod non semper relinquenda sunt terrena à sequentibus Christum, nisi quoad affectum: & quoad effectum, vt ijs vtantur, non pro vanitatibus, sed pro vtilitatibus pauperum.*op.de Paupert.Christi,quæst.1. art.1.*

CAPUT XX.

642. *Servi Dei licet liberi sint ad patrandum malum, tamen ob difficultatem, & aversionem ad peccatum, existimant id impossibile.*

Vnde dicunt Mundo id, quod Rex Israel dixit nuntijs Benedad: *omnia propter quæ misisti servum tuum in initio faciam; hanc autem rem facere non possum, in quo non tollitur potestas, sed ponitur difficultas.* Vnde verus Christi amator existimat impossibile moraliter voluntariè Deum offendere, eiusque præcepta transgredi.*in Luc.cap.11. verf.7.*

643. *Prælatis, & Prædicatoribus incumbit onus trahendi ad Deum, & servandi animas à morte spirituali.*

Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Hoc dictum est Prophetæ cuidam: Idem, & à Christo dicitur in vocatione Prædicatorum, & Prælatorum, quia tenentur servare, & custodire gregem Dominicum à rapacitate Dæmonis.*in Luc.cap.19.v.13. & c.12.v.48. & cap.17.verf.11.* Vnde quando ô homo collocatis super candelabrum Ecclesiæ in statu prælationis; vel in officio prædicationis, audi quod tibi dicimr custodi virum istum, populum istum, qui si lapsus fuerit ob negligentiam tuam, erit anima tua, pro anima illius; nec id est mirum quia Prælati officium est subiectorum corda discutere, & de singulorum factis computum, & rationem exigere, te ddereque rationem de ipsarum salute.*op.Eccles.Hier.p.4.c.3.& in Luc. c.8.v.19.*

644. *Prælatorum munus est agere causas hominum apud Deum, & causas Dei apud homines.*

Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit erit

erit anima tua pro anima illius &c. Ad quem hæc diriguntur? nunquid unuſquiſque eſt cuſtos fratris ſui? Nota, quod ad prælatos præcipuè iſta diriguntur: debent enim eſſe fidei juſſores populorum, & ſubditorum: nam eorum munus eſt agere cauſas hominum apud Deum per precum interventionem: item & agere cauſas Dei apud homines ſuæ curæ commiſſos, gubernando, corrigendo &c. *op.apolog.paup.reſp. 4.c.3.poſt initium, & op.de ſex alis ſeraph.c.8.*

645. *Prælati ſæpè puniuntur à Deo pro peccatis ſubditorum.*

Cuſtodi virum iſtum &c. Ergo ſi Prælatus negligens erit, & ob ſuam negligentiam ſubditus peccabit, punietur; etitque anima ejus pro anima ſubditi. *In ſap.c.6. & l.2.d.11.a.2. quaſt.3. ad prim.* Attendant hoc Prælati, & cum timore, & tremore ſuum munus exerceant.

646. *Angeli cuſtodes non puniuntur ob damnationem animæ.*

Cuſtodi virum iſtum &c. Certum eſt, quòd cuicumque animæ aſſignatur Angelus, qui debet eam cuſtodire: ergo videtur, quod ſi anima damnabitur puniri debet Angelus cuſtos? ſed nequaquam id dicendum eſt, quia cuſtos tantùm punietur ob negligentiam in cuſtodia, quæ in Angelis non poteſt contingere. *l.2.d.11.a.1.quæſt. 3. ad primum.* Diriguntur igitur hæc hominibus Prælatis, non Angelis.



CAPVT XXI.

647. *Bona hujus mundi exoptata afflictionem & animæ, & corporis ſecum portant: Bona cœleſtia vitam, & conſolationem.*

Et projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit. Cur infirmatur Rex Achab? Cur ſine cibo degit vitam? quænam adverſitas ei contingit? quia concupiſcebat vineam Naboth & denegatam; ergonè Rex potens, & dives ob denegatam vineam infirmatur, & veluti ad ſtatum deſperatum ſine cibo ſe reducit? maximè: Nec id eſt mirum; ex hoc diſcendum, quod bona hujus vitæ deſiderata, & expectata affligunt animam, & corpus, ſæpè infirmitates pariunt: Non ſic bona cœleſtia, quæ deſiderata, & expectata pariunt quietem, & dulcedinem, & vitam. *ſer. 1. de uno Martyre.*

648. *Iuſtitiæ corruptio intervenit ubi res aliena deſiderantur.*

Da mihi vineam &c. Vide quomodò iſte Rex ob deſiderium, quod habebat inordinatum poſſidendi vineam Naboth, declinavit à recta juſtitia, impièque eam abſtulit; quia qui inordinatè rem alienam deſiderat, non poteſt non declinare à recto in obliquum. *in Thren. c. 3.* Hinc Deus talem concupiſcentiam prohibet in decalogo.

649. *Hortus Eccleſiæ diſſipatur, cum à miniſtris ejus quæruntur temporalia ſpiritualibus abjectis.*

Da mihi vineam, ut faciam mihi hortum olerum. Ecce cauſa ob quam prætendebat Rex impius vineam Naboth, nempè ut eam converteret in hortum olerum, ex quo tot mala orta ſunt; myſticè datur intelligi, quod vinea Eccleſiæ mutatur in hortum olerum, quando per carnalitatis ſtudium diſciplina coërcetur, quando contemplationis claritas in terreſtres occupationes, & affectiones commutatur; quando vita Clericorum, & Religioſorum veluti lutum diſſipatur, dum in rebus ſpiritualibus ſola carnalia quæruntur. *in Thren.c.2.*

650. *Triſtitia nimia quàm perinculoſa.*

Quid eſt hoc? Vnde contriſtata eſt anima tua. Vide Regem Achab oppreſſum nimia triſtitia, & ideo facilè excidit in maximum ſcelus injuſtitiæ; ſic facit omia triſtitia, ob quam miſerabiliter vincitur anima à Diabolo. *Pſal. 118. cap. 6. v. 1.*

651. *Bonum arreptum ad nocendum proximo non Deo, ſed Diabolo acceptum.*

Et prædicaverunt jejunium, & ſedere fecerunt Naboth. Vide quomodò Rex Achab, & Jezabel ut cooperirent ſuam perfidiam, ordinaverunt jejunium: ſic multi perverſi Chriſtiani bonum ſimulant, ut magis noceant, taleque bonum à Deo maledictum. *ſer. 6. in die cinerum.*

652. *Chriſti mors pro Eccleſia figurata in morte Naboth.*

Lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt &c. Quare mortuus pro hæreditate paterna, nempè pro vinea, per quod figuratus eſt Chriſtus, qui pro vinea ſua, ſcilicet Eccleſia, & anima, quæ eſt ſua hæreditas, & ad quam excolendam venit ipſe, & providit Apoſtolos, alioſque cultores, mortuus eſt, ergo quicunque ſpoliat Chriſtum hac vinea animæ, ipſum hæreditate ſua ſpoliat: advertant hoc Prælati mali, & homines ſcandaloſi. *ſer. 4. Dom. 19. poſt Pentec.*

653. *Bona opera bona intentione facta, etiam extra charitatem valde proficua ſunt.*

Nonnè vidiſti Achab coram me humiliatum, idcirco non inducam malum in diebus ſuis &c. Sed cur Deus parcit, & non exequitur mala comminata contra Regem Achab, & Jezabel? quia ſe humiliavit coram Deo indutus ſacco. At notandū, quod non legitur reſtitutio data, factaque vineæ Naboth: ergo adhuc erat extra charitatem, & in peccato mortali: quomodò ergo Deus acceptavit ejus pœnitentiam informem? Reſpondetur; quod non acceptavit talem pœnitentiam ad meritum vitæ æternæ, ſed ad aliquod ſublevamen tēporale: nam opera bona extra charitatem facta, ſi ſunt ex bona intentione utilia ſunt: Primò ad tēporaliū multiplicationē: Secundò ad tēporalis pœnæ diminu

diminutionem, ut in Naboth patet: Tertiò ad gratiæ impetrationem: Quartò ad bonæ vitæ satisfactionem: Quintò ad peccati resistentiam; peccatum enim suo pondere ad aliud trahit, si ei non resistitur, & tandem ad tolerabiliorem pœnam in inferno; ne cesset igitur homo, etiam in peccato existens bona opera multiplicare. *lib.4.d.15.p.1. art.1.quæst.6.*

654. *Consideratio pœnæ æternæ peccatis debita induxit hominem ad pœnitentiam.*

Nonne vidisti Achab coram me humiliatum? &c. Cur, & quo motivo hic impios se reduxit ad pœnitentiam externam? quare induit sacco, & internam petit veniam à Deo? Hoc fuit ex consideratione pœnarum, & malorum, quæ comminatus est Elias: hoc enim est motivum efficax inducens peccatorem ad pœnitentiam. *In Ioan.cap.5. vers.9.* Discant hoc Concionatores: quia ut plurimùm homines mundani potius moventur formidine pœnæ, quàm amore Dei.

655. *Virtus zelum veritatis, & honoris Dei inconcussum retinet in corde, seque contrarium ostendit semper Dei inimicis.*

Numquid invenisti me inimicum tibi? Hæc dixit Achab Eliæ prophetanti ipsi, & comminanti mala: Sed respondit Elias: Inveni; quia venundatus es, ut faceres malum in conspectu Dei; quasi diceret, quicunque est contrarius Deo, est contrarius mihi: Hic enim est influxus, ex luce cælesti proveniens in animam, per quam stabilitur in Deum, scilicet zelus veritatis, & honoris Dei; unde talis zelator sine acceptione personarum veritatem divinam cuicumque, & in quocumque loco intimat. *fer.9. Hexaem.*

656. *Verbum Dei auditum efficax est ad expellendum spiritum superbiæ ex corde.*

Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quid est quod Achab tam subitò post tantum scelus, & cujus cor tanta superbia repletum erat humiliatus est? hoc fuit prodigium efficaciæ Verbi Dei, ab ore Eliæ prædicati, & attente ab Achab auditi, habet enim inter alia, hanc efficacem virtutem, scilicet expellendi superbiæ spiritum à corde. *fer.3. Dom.3. Quadrag.*

CAPUT XXII.

657. *Ubi non est ordo, & maximè in Congregationibus ibi est confusio.*

Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, sicut oves non habentes pastorem. Hæc dixit Propheta Michæas Regi Achab, per quod prædixit mortem imminentem Regi, & dispersionem futuram populi Israel; Per quod datur nobis intelligi, quod ubi non est ordo, & subordinatio subditorum ad caput, ibi dispersio, & confusio: Ideò rectissimè Spiritus Sanctus in Ecclesia collocavit Ordinis Sacramentum ad tollendam confusionem. *l.4.d.24.p.1.a.2.q.1.*

658. *Qui vult ad alta conscendere, facilè invenit ruinam, & interitum.*

Vidi universum Israel dispersum in montibus. Cur in montibus, & non in valle? quia cum Achab superbo voluit Israel in altum conscendere; qui enim in altum vult conscendere, facilè ruit in interitum. Sic & Diabolus duxit Christum in montem, ut ipsum præcipitaret facilius. *in Luc. cap.4.vers.5.*

659. *Oves Christi carentes pastore in maximo periculo vivunt.*

Vidi cunctum Israel, &c. Sicut oves non habentes pastorem? Væ ergo ovibus, quæ non habent pastorem, quia unusquisque in viam suam declinat. *in Luc. c.15.v.4.*

660. *Sine Christo Pastore certus est interitus.*

Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, & sicut oves non habentes pastorem, &c. Ergo mirum non est, si homo post tot sæcula deviaverit in tot errores, quia erat sine Christo Pastore; quia qui Christum ducem non habet necessariò in lapsum debet incidere. *in Luc.c.15.v.4.*

661. *Maxima dignitas est assistentium Ministrorum Christi.*

Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris, & à sinistris. Hic loquitur de exercitibus Angelorum coram Deo assistentibus, per quod notatur dignitas ipsorum. Item & suo modo dici potest de Ministris Altaris. *in Luc.c.1.v.19.*

662. Sancti in hac vita non vident Deum facie ad faciem, sed in ænigmate, licèt modo perfectissimo, in quo sensu dixit Michæas; *Vidi Dominum sedentem, &c.* nempe similitudine ipsum repræsentante, &c. *In Ioann. capit. prim. vers.18.*

663. *Peccatum non est à Deo, nisi permissivè.*

Quis decipiet? (Vide quod hic videtur, quod Deus quærat spiritum decipientem: imò quod præcipiat spiritui mendaci, dicendo, *egredere, & fac?* scilicet decipe: ergone malum est à Deo præcipiente? Minimè: Hæc intelligenda sunt de voluntate divina permittente solùm, sic exigentibus peccatis Regis Achab: nam in Scriptura Sacra verbum imperativi modi aliquando sumitur præceptoriè, aliquando consultoriè, aliquando insinuatoriè, aliquando permissivè, ut hic. *lib.1. d.47.art.2.quæst.1. ad 1.*

664. *Diabolus quomodò dicitur mitti ad exercendam suam potestatem in homines.*

Egredere, & fac ita. Sic Deus dixit Diabolo, ut

M m m iret

iret ad decipiendum Achab per Prophetas impios: sed quid est hoc? ergone Angeli mali mittuntur à Deo? ergone eis imperat malum? sed attende, quod in exercitio, quo Diabolus nos exercet, duo concurrunt, scilicet potestates, & usus: primum est à Deo: secundum non est à Deo nisi permissivè: cum autem missio dicat imperium, & authoritatem, ideò propriè Diabolus non dicitur mitti à Deo, sed à Lucifero Principe, cui obedire intendit; & hinc Dæmones dicuntur Angeli diaboli, non Dei: boni autem Angeli Dei. *lib.2.distinct.10. dub.1.*

665. *Spiritus avaritiæ assumitur à Diabolo, ut per ipsum inducat avaros ad temporalia bona congreganda.*

Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore Prophetarum. Sic dixit Diabolus: Sed nota, quod cum iste spiritus persuaderet bellum Regi Achab, Namach, Galaad Regi Syriæ significat spiritum avaritiæ, qui semper persuadet temporalia, quæ multis actibus malis congregantur; ideò dicitur Spiritus mendax in starcris. *sermo 3. Domin. Quadrag.*

666. *Mali semper oderunt bonos.*

Mittite virum istum in carcerem, &c. Vide quomodò in carcerem Achab conjecit Michæam virum sanctissimum, eò quod vera ei prænuntiavit, scilicet mala imminentia; nec id est mirum, nam iniquus odio habet veritatem, & bonos, additque peccatum, ad peccatum. *in Luc.c.3.v.20.*

667. *Viri perfecti in tribulationibus impinguantur, & lætantur.*

Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, &c. Cur dicitur sustentari pane tribulationis? quomodò vocat tribulationem panem? quia tribulationes viris perfectis sunt panis reficiens, impinguans gratia Dei. *Psal.118. cap.9 vers.15.*

668. *Temporalium avaritia, & opulentia concutit Ecclesiam Dei.*

Iosaphat fecit naves, quæ navigaverunt in Ophir propter aurum, quia confractæ sunt, &c. Hic datur exemplum, & figura malorum, quæ in Ecclesia Dei causantur, propter avaritiam Prælatorum: Iosaphat interpretatur judicans, & significat Prælatos: Ophir interpretatur infirmans, & significat Mundum infirmum: per aurum significatur amor temporalium, scilicet avaritia. Navis ergo Iosaphat in Ophir propter aurum vadit; quando Iudex, & Prælatus in Ecclesia temporalia quærit, & tunc naves scinduntur, quia propter aurum oritur discordia in Ecclesia, sicque quassatur, & periclitatur. *serm. 3. Domin.3. post octav.Epiphan.*



LIBRI QVARTI REGUM
PROLOGUS

NOTA, quod in Tertio Libro actum est de regno bipartito tempore quo floruit: in hoc Quarto Libro consequenter agitur de ipso tempore, quo cadere cœpit. In quo præfiguratur Christus, ut evacuaturus omnem gentilitatis ritum, non solùm in interemptione Pseudoprophetarum per Eliam, & ut suscitaturus mortuos in Eliseo: Sed & ut confecturus Eucharistiæ Sacramentum in pane subcinericio, ut ascensurus in cœlum in translatione Eliæ in curru igneo. *opusc. Princip. Sacræ Scriptur. in fine.*



CAPUT I.

669. Non licet absque peccato gravissimo requirere consilium, vel ministerium à Diabolo: Idque patet hic, ubi reprehenduntur Nuntii Regis Samariæ, qui missi erant ad consulendum idolum Accaron. *l.2.d.7.p.2.a.2.q.3.*

670. *Vbi Diabolus adoratur, & habet veneratores ibi sunt sordes.*

Vt eatis ad consulendum Deum Accaron Beelzebub. Cur Beelzebub appellatur istud idolum? Beelzebub interpretatur vir muscarum, quia ubi colebatur hoc idolum, ibi muscæ multæ habitabant propter sordes cruoris bestiarum, quæ in templo ejus immolabantur. *in Luc. capit. 11. vers.15.* Vt videas, quod ubi colitur Diabolus, ibi sordes multiplicantur, & quod Diabolus est vir, & Princeps muscarum, scilicet animarum, quæ relinquunt Christum. *opuscul. compend.Theol.lib.2. cap.28.*

671. *Prælatus ad bonum exemplum subditorum in parcitate victus, & in humilitate habitus, est veluti cælum, cuius claritas non deficit unquam.*

Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus, &c. Nota, hoc est signum, quod dixerunt Regi, ejus nuncij, ut indicarent qualitatem Eliæ: & licèt prima facie videantur despectus, & vilis ab ipsis existimatus: tamen apud Deum hoc est signum proprium Prælatorum, & Prædicatorum, qui à Deo dilecti sunt, nempe fotis contemptibiles in victu, & vestitu: Sed tamen sunt veloti cæli, qui ob nebulas nunquam desetunt suam claritatem, quia eorum sanctitas sub asperitate pœnitentiæ amplius augmentatur, & occultatur. *opusc.Eccles. Hierarch.part.4.cap.5. & in Ioan.c.1.v.21.*

672. *Pœnitentia exterior grata valdè Deo.*

Vir pilosus, & zona pellicea, &c. Sic incedebat Elias, sic omnes Sancti antiquitus incedebant in signum pœnitentialis vitæ: est enim id Deo valde gratum. *In Ioann. capit. 1. vers. 21. & capit. 21. vers. 19.*

673. *Deus vult, ut servis suis reverentia exhibeatur, punitque irreverentes.*

Descendit ignis de Cœlo, & devoravit eos. Nota, quod cum misisset Rex quinquagenarium cum quinquaginta militibus, ut vocaret Eliam, & duceret eum ad conspectum suum, Elias fecit descendere ignem de cælo, qui eos omnes devoravit, & idem eveoit alteri quinquagenario; idque voluit Deus, ut ostenderet qualiter puniet contemptores Sanctorum, & quam reverentiam debeamus exhibere servis suis. *lib.4. dist.1n. part.2. dub. 2. & in Ioann. cap 6. vers.28. & cap.9. vers.54. & cap.12.vers.49.*

674. *Virtus miraculorum immediatè à Deo dependet, non à sanctitate operantium miracula.*

Descendat ignis de cælo, &c. Vide qualem potentiam ostendit Deus in sermone Eliæ. Sed nota quod talis prodigia patrata fuere non præcisè ex virtute sermonum, & verborum Eliæ, sed quia ad ejus positionem astitit virtus superior, & hoc non tantùm ratione charitatis in eo existentis, sed potiùs ratione gratiæ miraculorum, quæ in eo vigebat: in quo non peccavit Elias, imò dignè fecit, quia illi confidentes in multitudine comitum irreverentes loquebantur, contemnentes virtutem Dei, quæ erat in eo; ideò justè experti sunt Dei judicium justum, & potentiam viri justi. *l.4.d.10.p.2.dub.2.*

675. *Ignis charitatis consumit omnem scoriam peccati, & expurgat animam.*

Si homo Dei sum, descendat ignis de cale, & devoret te, &c. Hoc dixit Elias ad punitionem malorum; sed hæc verba etiam in bonam partem sumi possunt: nam ignis de cœlo descendens, qui est charitas, devorat, & consumit omnem scoriam, & in suam pulchritudinem convertit animam. *serm.1.de Virgine.*

676. *Sæpè petere signa è cælo, signum est non fidelitatis, sed rebellionis, & duritiei.*

Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, &c. Nota, quod hoc miraculum est ab Elia factum incredulis, & perversis, quia sæpe hæc petere, signum est incredulitatis, & obstinationis. *in Luc. c.11.v.16. & c.12.v.49.*

677. *Adoratio exterior signum est reverentiæ exhibitæ sanctitati.*

Qui cum videret curvavit genua contra Eliam, &c. Ecce, quod iste miles adoravit in Elia virtutem, & sanctitatem, & obtinuit, quod petebat; ideò hæc adoratio in Sanctos est licita, & Deo grata. *ser.2.in ep.de decem precep.*



CAPUT II.

678. *Discipulus Christi Christum nunquam deserere debet corde, & mente, cujus societas affert securitatem, & pacem.*

Vivit Dominus, & vivit anima tua; quia non derelinquam te. Sic dicebat Eliæ Eliseus tamquam bonus discipulus, quia nolebat ejus comitatum, & societatem deserere; ut esset magis securus; sic debent facere cum Christo, qui se profitentur ejus sequaces, & discipulos, quia ex societate Christi habetur securitas ab omni malo, omnis perfectio, & felicitas. *in Luc. capit. 8. vers.22. & 38.*

679. *Difficultas operis, & gratia obtinenda non retrahat nos ab oratione, & perseverantia petitionis.*

Obsecro domine, ut fiat in me duplex Spiritus tuus: Respondit Elias rem difficilem postulasti. Nota, quod petebat, ut bonus discipulus spiritum propheriæ, & miraculorum, qui ei collatus est, licèt esset res difficilia; Per idque edocemur, quod in oratione non debemus ob quamcumque difficultatem cessare à petitione, confidentes in Dei misericordia. *in Luc.c.11.v.7.*

680. *Sacramentum Baptismi præfiguratum in Elia, & Eliseo.*

Transierunt Iordanem siccis pedibus. Per quem transitum præfiguratum est Sacramentum Baptismi, per quod fit transitus à culpa ad gratiam. *in Ioan. c.1. v.25.*

681. *Exemplum Christi munit nos ab omnibus adversitatibus, & prosperitatibus hujus vitæ.*

Et transierunt ambo per siccum, &c. Vide quomodò Eliseus Eliæ pallio munitus transivit Iordanem postquam raptus fuerat in cælum; datur-

quæ nobis intelligentia, quod cum ascenderit Christus in cælum nobis reliquit sua exempla, & Sacramentorum mysteria in subsidium, quibus nec prospera, nec adversa timeamus. *opusc. Eccles. Hier. part. 4. cap. 5.*

682. *Iejunium ducit animam ad cælum, & ad cælestia.*

Ecce currus igneus, &c. Vide quomodò Elias post jejunium raptus est in cælum, quia jejunium divinam præsentiam facit acquirere. *op. apol. paup. resp. 2. cap. 5.*

683. *Seraphicus Pater Sanctus Franciscus præfiguratus in Elia ducto in cælum curru igneo.*

Ecce currus igneus, &c. Nota hæc contingebant in figuris: Elias namque præfiguravit Sanctum Patrem Franciscum, quia tam verbo, quàm exemplo pœnitentiam prædicavit præventus donis supernæ gratiæ, & meritis invictæ virtutis adauctus, prophetandi repletus Spiritu, incendioque Seraphico totus ignitus, ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, comprobatus est venisse in spiritu, & virtute Eliæ. *opusc. legend. S. Francisc. prolog.*

684. *Vita contemplativa est currus igneus Eliæ ducens in cælum.*

Ecce currus igneus. Cur in curru igneo ducitur Elias? cur non in nube, vel alio modo? quia erat vir deditus contemplationi: Nam vita contemplativa est currus igneus ducens ad cælum animam, habetque quatuor rotas: Prima rota est consideratio mentalis animæ, quæ reflectens sese reducit ad interiora sua, per quod videt se formatam per naturam, deformatam per culpam, & reformatam per gratiam: Secunda est, qua reflectit se ad exteriora, cognoscens instabilitatem, & miseriam hujus vitæ: Tertia rota est, qua se reflectit ad inferiora cognoscens mortis inevitabilem necessitatem, judicij finalis formidabilem austeritatem, & pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem: Quarta rota est, qua convertitur ad superiora, practicè cognoscens cælestis gaudij inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, & interminabilem æternitatem: Hic est currus igneus quatuor rotis consummatus, in quo debes ô anima Religiosa, post tuum fidelissimum amicum Christum assiduè contemplando, cæli palatium conscendere. *op. soliloqu. in prolog.*

685. *Charitas est currus igneus in cælum ducens animam.*

Ecce currus igneus, &c. Nota, quod per istum currum figuratur charitas, quæ est virtus sola ducens in Paradisum; cujus rotæ quatuor sunt: Amor Dei; amor sui: amor amici, & inimici: Quicumque autem aliqua harum rotarum caruerit, in cælum non recipietur. *serm. 5. Dom. 8. post Pentec. & ser. 2. Dom. 16. post Pentec.*

686. *In curru Eliæ ascendunt tantùm nobiles in quocumque statu.*

Ecce currus igneus, &c. Cur in curru vehitur Elias in cælum? nonne hoc est proprium nobilium? maximè: hic currus igneus est charitas, per quem tantùm Reges, & nobiles, scilicet justi ascendunt: Sed nota, quod mysticè, etiam currus est status Virginum, viduarum, conjugatorum, & diversorum ordinum religiosorum. *serm. 2. Dom. 16. post Pentecost.*

687. *Currus ducens ad paradisum est quadriga virtutum.*

Ecce currus igneus, &c. Nota, quod mysticè significatur, quod vir justus transfertur in Paradisum deliciarum per quatuor virtutes, scilicet pœnitentiam, misericordiam, temperantiam, & patientiam; Prima respicit peccata propria: Secunda afflictos: Tertia prosperitates: Quarta adversitates. *ser. 3. de S. Andrea.*

688. *Ignis dilectionis divinæ est currus vehens animam in cælum.*

Ecce currus igneus, &c. Cur igneus, & non potiùs cælestis, vel aereus, vel terrenus? quia proprium ignis est sursum tendere, significatur que ignis dilectionis divinæ, qui animam tamquam in curru ascendere in cælum facit. *in Luc. c. 3. v. 21.*

689. *S. Pater Franciscus datus est fratribus suis currus, & auriga.*

Pater mi currus Israel, & auriga, &c. Cur appellatur currus, & auriga? nonne simul impossibile est esse currum, & aurigam? Hoc dictum est meritò de Elia, currus ducens suos discipulos per exempla virtutum, & auriga simul; sed hoc verissimè competit Sancto Patri Francisco, qui visus est à suis fratribus, ductus in curru igneo per cubiculum, ut intelligerent ipsum esse currum, & aurigam suum, ut ipsum imitarentur in exercitio virtutum. *op. legenda S. Franc. c. 4.*

690. *Christus reliquit pallium exemplorum, sicut Elias suum Eliseo.*

Et levavit pallium Eliæ, &c. Ecce quid contingit Eliseo, scilicet pallium Eliæ, nempe exemplum bonum; sic & Christus, & Sancti ascendentes ad cælum reliquerunt nobis suum ipsorum pallium, nempe bona exempla, ut his induti incedere possemus, & ascendere similiter ad cælum. *In Luc. c. 19. v. 37.*

691. *Deus collocat sæpè homines in statu necessitatis, ut recurrant ad ipsum.*

Vbi est Deus Eliæ? & iterum percussit aquas, & divisæ sunt aquæ. Vide cum Eliseus videns, quod percussione aquarum non sunt divisæ aquæ, ad Deum recurrit, dicens. *Vbi est Deus Eliæ? &c.* Sic facit nobiscum Deus, ponens nos in aliquo statu necessitatis, ut ad ipsum recurramus. *serm. 2. in Epiphan.*

692. *Iustus irascitur contra vitium, sed diligit vitiosum secundum naturam.*

Et maledixit eos in nomine Domini. Vide, quod Eliseus maledicit ittidentea se, eosque facit occidi à leonibus: Per quod videtur ipsum fecisse contra præceptum Domini præcipientis, ut benedicamus maledicentibus nos: sed respondetur, quod hoc fecit in odium vitij: Iusti enim amant Naturam, & odio habent iniquitatem. *in Luc. cap. 6. v. 28.*



CAPUT III.

693. *Iusti stant stabiliter, quia in præsentia Dei vivunt.*

Vivit Dominus in cuius conspectu sto. Quid est stare nisi permanere, & firmiter rectum in loco esse? quomodò dicitur stare in conspectu Dei? nonne etiam ambulans est in conspectu Dei? quia Iusti sive ambulent, sive non semper stent, in conspectu Dei vivunt, scilicet, quia oculos defixos in Deum habent, transitoria calcantes, & ad superna se erigentes. *In Ioan. coll. 88.*

694. *Quo profundius homo se humiliat, eo altius erigit fabricam spiritualem.*

Facite fossas, & fossas torrentis huius, & replebitur aquis, &c. Hæc dixit, & præcepit Eliseus, volens miraculose providere Regem, & exercitum Regis Iuda aquis; sed cur hioas fossas ordinavit? ut daret intelligi, quod qui aquis gratiæ irrigari vult, & in altum erigere fabricam spiritualem, debet duplicem fossam fodere, scilicet fossam humilitatis in intellectu, & alteram in affectu, quia qui se humiliat exaltabitur. *in Luc. cap. 6. v. 48. & cap. 13. v. 8.* Intellige, quod non sufficit humilitas intellectua, nisi etiam superaddatur humilitas affectus, &c.



CAPVT IV.

695. *Deus facit voluntatem humilis orantis.*

Quid vis ut faciam tibi. Vide, quod ad humiliationem huius viduæ stantis, exhibet ipsi Eliseus quidquid vult: Idem enim practicat Deus cum ijs, qui cum humilitate se in conspectu suo offerunt, quorum voluntatem facere promittit. *in Luc. cap. 13. v. 12.*

696. *Deus solum gratia sua implet cor vacuum per humilitatem.*

Et cum plena fuerint vasa, tolles. Hic notatur maximum miraculum factum à Deo ad subventionem huius humillissimæ viduæ, nempè repletio vasorum vacuorum. Per quod significatur, quod Deus solum cor vacuum per humilitatem implet sua gratia, & relinquit superbos in sua miseria. *in Luc. c. 3. v. 5.*

697. *Beata Virginis Mariæ anima repleta est oleo misericordiæ & bonorum cælestium.*

Et cum plena fuerint, tolles, &c. Nota, quod in hac muliere, figurata est Beata Virgo Maria, cuius vasa scilicet quia anima eius erat vacua, perfectissima humilitate, nempè affectus, & effectus, desideria, & beneficia oleo misericordiæ, repleta fuerunt à Spiritu Sancto: Vnde eius cor sanctuarium fuit plenum omni dulcedine. *op. spec. Beata Virginis lect. 7.*

698. *Beatæ Virginis Mariæ Misericordia in alios diffunditur sanctos.*

Cum plena fuerint vasa, tolles, &c. Nota, quod non sine magno mysterio præcepit Eliseus viduæ, ut cum eius vasa plena essent, tolleret & vasa vicinorum; figurata enim fuit plenitudo misericordiæ, & pietatis Virginis Mariæ, quæ diffusa est in vicinos, scilicet in alios sanctos: unde ipsa dicit, quod in plenitudine sanctorum est eius detentio. *op. spec. Beatæ Virginis Mariæ l. 7.*

699. *Sine Christi merito non possumus solvere debita.*

Cum plena fuerint vasa, tolles, &c. Ecce, quod sicut hæc Vidua non potuit solvere debita quousquè Eliseus multiplicavit oleum; sic nec homo potuit solvere debita ra peccatis contracta, quousque oleum Misericordiæ Christi nobis fuit superius fusum, & communicatum. *In Luc. cap. 11. v. 4.*

700. *Qui vult recipere in vase cordis oleum Spiritus Sancti, claudat ostia domus.*

Ingredere, & claude ostium, &c. Sic præcepit Eliseus viduæ, nempè ut clauderet ostium domus, & postea recipere posset oleum in vasa; sed cur voluit antecedenter hanc clausionem ostij? quia oleum de cœlo datur tantum clauso ostio: ostia domus sunt sensus nostri, & os nostrum: hæ fores ab illicitis cogitationibus, nisi fuerint clausæ, oleum gratiæ in domum mentis tuæ in vasa non multiplicabitur; Intra ergo in cubiculum mentis tuæ, & claude super te ostium contra omnia præter Dominum, & virtutum, quæ conferunt ad quærendum illum. *serm. 3. Dom. in Albis, & serm. 3. fer. 3. Pentecost.*

701. *Qui vult multiplicare oleum Spiritus Sancti intra se, accipiat mutuo vasa à suis vicinis.*

Vade, & pete mutuo vasa à vicinis tuis. Cur voluit Eliseus, ut ab amicis, & vicinis Vidua hæc peteret vasa aliena? Cur non est contentus vasis proprijs? Nota Mysterium: Vasa vicinorum nostrorum sunt virtutes, & exempla Iustorum, vult ergo, ut si volumus repleri oleo Spiritus Sancti petamus, scilicet talia exempla in domum mentis nostræ colligamus: sed nota, quod si ad exempla bonorum non proficimus, tunc vasa nostra vacua remanebunt. *serm. 3. Dom. in Albis, & serm. 3. fer. 3. Pentec.*

702. *Eleemosyna multiplicat bona spiritualia, & temporalia.*

Vade, & pete mutuo à vicinis tuis vasa, &c. Vide, quod Eliseus non est contentus, ut vidua utatur vasis suis; sed vult ut recurrat ad vicinos; quodnam est hoc mysterium? Nota, quod ista vasa erant vacua, & significant egenos, & pauperes vacuos rebus temporalibus: Ista sunt in domo propria congreganda, & tunc oleum, scilicet res tuæ crescent, & in hac, & in alia vita. *fer. 3. Dom. 12. post Pentec.*

703. *Si cessabit in domo tua eleemosyna, cessabit oleum bonorum.*

Stetitque oleum cum defuerunt vasa, &c. Vide, quod dum adsunt vasa vacua, oleum abundat: deficientibus vasis oleum stat; daturque intelligi, quod si in domo tua deficient vasa vacua, scilicet pauperes, & egeni, idest si deficiet eleemosyna, deficiet & oleum bonorum: Vult enim Deus apud te esse pauperes, ut per eos salveris & corpore, & anima, scilicet, ut abundes bonis temporalibus, & spiritualibus. *op. in Pater Noster, & serm. 3. Dom. in Albis.*

704 *Deus habitat in corde, & anima rectè, & ordinatè disposita.*

Vir Dei sanctus est, qui transit per nos; faciamus ergo ei cœnaculum, & ponamus in eo lectulum, mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit maneat apud nos. Vide quomodò mulier Sunamitis voluit ædificare, & præparare hospitium permanens Eliseo, perque actum pietatis postea ei tot bona advenerunt, &c. mysticè Eliseus figurat Deum, qui sæpè transit per nos scilicet volando, inspirando; ideo domus animæ est diligenter præparanda, & ornanda, ne forte ad nos declinans recedat, eo quod sedem paratam non inveniat; nam ad illos sine contradictione pervenit, ubi contradictionem voluntaris improbè non agnoscit. *op. de Eccles. Hierarch. p. 1. c. 4.*

705. *Opera misericordiæ, maximeque subventio operariorum Christi meretur maximum præmium*

Ecce sedulo in omnibus ministrasti nobis: quid vis, ut faciam tibi. Hoc dixit Eliseus per puerum suum Sunamiti, quæ toties officia charitatis exercuit in virum Dei, & socium: unde datur intelligi, quod qui obsequium impendit pauperibus, maximeque laborantibus in Ecclesia pro Christo, magnam habent à Deo remunerationem, & merentur divina beneficia, & retributiones. *in Luc. cap. 4. v. 39. & cap. 8. v. 3.*

706. *Idem Confirmatur.*

Quæ concepit, &c. Vide quale præmium habuit hæc Sunamitis ob hospitalitatis virtutem exhibitam Eliseo; nam cum esset senex, & sterilis prolem habuit, & post filius eius à mortuis suscitatus est; hospitalitatem igitur nolite oblivisci, quia qui recipit membrum Christi, & ipsum Christum recipit. *in Luc. c. 19. v. 6.*

707. *Inter cæteros Christi dolores, dolor capitis fuit maximus.*

Caput meum doleo. Hoc dicebat flens filius Sunamitis, & postea mortuus est, qui jussu Elisei resuscitavit: Hoc fuit figura Christi filij Beatæ Virginis cuius dolores capitis cæteros omnes excesserunt; unde idem poterat dicere: Caput meum doleo: nam licet esset flagellatus, manus, & pedes perforati, ipsum tamen caput sanctissimum alapis cæditur, sputis maculatur, arundine percutitur, spinis coronatur; ut videas, quod huius capitis membra non sunt, qui carnaliter vivendo, tanti eius doloribus non compatiuntur quia sub spinoso capite, non decet corpus vivere delicatè. *serm. 1. in Parasceve.*

708. *Ministri verbi Dei se abstineant à confabulationibus & alijs curis non spectantibus ad proprium munus.*

Si occurrerit tibi, non salutes eum, &c. Cur hanc curialitatem vetat Eliseus puero suo? quia ibat ad suscitandum mortuum; Vide mysterium, & interim transfer mentem ad id, quod præcipit Christus suis ministris, & prædicatoribus. *Luc. cap. 10.* dicens, *neminem per viam salutaveritis.* Cur benignissimus, & curialissimus dominus hanc obsequiosam curialitatem vetat? Nota, quod id non fuit ad declinandum tale obsequium, sed præcipit ne alicuius officij confabulatione remorarentur ab iniuncto officio, suscitandi mortuos, & ne se ingererent in actus, sibi non convenientes. *in Luc. cap. 10. v. 4.*

709. *In via cavendum est à multiloquio, & confabulationibus tanquam valde noxys.*

Si occurrerit tibi homo, non salutes eum. Cur prohibuit salutationem, cum hic sit actus virtuosus? Nota, quod vetat actum licitum, ne ad illicita redigatur, nempè ad multiloquium, quod fere sine peccato non potest esse: & ut datur intelligi, quod loquacitas, & multiloquium à viatoribus est cavendum, quod multum consuevit esse in ipsis, id enim est, ut plurimum, occasio contentionum, & aliorum peccatorum. *in Luc. cap. 10. v. 4.*

710. *Nemini salus certa est prædicenda in hac vita, sed cum timore vivendum est.*

Si occurrerit tibi homo in via, non salutes eum. Cur non salutandum esse hominem ei occurrentem præcipit? Nota ly (*in via*), & ly (*salutes*): Vult dicere non salutes eum, idest non salutem certam ei, qui adhuc possit damnari, dum est in via prænunties: salus enim est in fine vitæ non in medio: ergo semper est timendum. *in Luc. c. 10. v. 4.*

711. *Salus Patriæ, non viæ: bona cœlestia, non terrena sunt optanda.*

Non salutes eum in via, &c. Nota (*in via*); non salus viæ est optanda alicui, sed salus Patriæ, non terrena, sed cœlestis, & nunquam præteritura. *in Luc. cap. 10. v. 4.*

712. Non

712. *Non consortium, & societas viæ, sed imitatio vitæ sanctorum salvum facit.*

Non salutes eum in via. Nota (*in via*), idest non salutem prænnunciabis homini propter consortium, & societatem viæ; sed propter consortium vitæ, nempè non propter collocutionem sanctorum, sed propter eorum imitationem: *non enim qui dicit mihi Domine, Domine, sed qui fecerit voluntatem Patris mei intrabit in regnum cœlorum:* ait Christus. *Matth. 7. in Luc. cap. 10. v. 4.* Vide igitur, quod regnum cœlorum non promittitur verbis, sed operibus non bene loquentibus, sed bene operantibus.

713. *Non lex, sed gratia Evangelij suscitat mortuos à peccati morte.*

Giezi posuit baculum super puerum, & non revixit. Vide quomodò ad passionem baculi Elisei non revixit mortuus, sed quando ipse incubuit super ipsum: quid est hoc? Cur sciens Eliseus puerum non suscitaturum ad positionem baculi, voluit, ut super ipsum poneretur? At hoc contingit in figura: nam per baculum, in quo est correptio, significatur lex: per incubationem significatur incarnatio facta per Christum, & per hanc suscitatus est; nam in Sacramentis legis veteris non conferebatur gratia sanans, & liberans à morte, sed in Sacramentis novæ legis. *in Luc. c. 10. v. 37. & ser. 14. Hexaem. & in sap. cap. 16. & in Ioan. c. 1. v. 17.*

714. *Mortui spiritualiter in anima suscitatio qualiter fiat.*

Et incubuit super puerum. Vide, quod ad hanc suscitationem Eliseus applicavit os ori, oculos oculis, & manus manibus: Cur hæc cæremonia? ad indicandum modum suscitationis peccatoris: Nam Deus dat cordi lumen intelligentiæ, os ori verbum ædificationis, manus manibus opera Iustitiæ. *in Psalm. 122.*

715. Certitudo fidei nostræ exaltatur ex praeclaritate meritorum, & miraculorum, quæ fuerunt patrata à Deo per sanctos Prophetas, & Patriarchas; ut evenit per Eliam, Moysem, & Eliseum: Vnde Elisei miracula hic enarrantur ad majorem firmitatem certitudinis fidei. *serm. 9. Hexaem. & serm. 14.*

716. *Concupiscentia carnis, est infirmitas mortalis ob quam Christus medicus venit in mundum.*

Et puer aperuit oculos, &c. Nota, quod hæc suscitatio pueri fuit figura suscitationis factæ per Christum filij viduæ Civitatis Naim; & per hanc mortem significatur mors, quam infert concupiscentia carnis, ob quam curandam venit Christus medicus è cœlo. *In Luc. c. 7. v. 16.*

717. *Satisfactio pœnitentialis restituit hominem jam perditum matri Ecclesiæ.*

Tolle puerum istum, & duc eum ad matrem suam: Hoc dixit Eliseus Giezi discipulo suo; idem & dicit Christus Sacerdoti absolventi pœnitentem, qui per satisfactionem restituitur Deo, & matri Ecclesiæ: & sicut Mater libenter suscipit filium suscitatum sic Christus, & Ecclesia gaudenter pœnitentem peccatorem. *in Luc. c. 7. v. 16.*

718. *Congregatio Religiosorum, & Religionum institutio fuit inchoata, & figurata in Eliseo, & filijs prophetarum cum eo habitantibus.*

Eliseus reversus est in Galgala, & filij prophetarum habitabant coram eo. Cur in Galgala habitabat Eliseus? sed nota, quod Galgala erat locus sacer, quia (ut ait Lyranus) ibi filij Israel primò posuerunt castra in ingressu terræ, & circumcisionem ibi fecerunt, & Pascha celebrarunt: In hoc loco, ut plurimum habitabant Eliseus, & filij Prophetarum, scilicet discipuli eorum eo, quibus erat veluti Prælatus, unde vivebant collegiati vacantes orationi, & contemplationi; & ideo post Samuelem hic orta est congregatio Religiosorum, præfigurans institutionem Religionum Ecclesiæ Dei. *op. Diæt. tit. 4. cap. 1. & Lyran. in cap. 2. & hic.*

719. *Littera occidit: spiritualis intelligentia vivificat.*

Mors in olla: & ait Eliseus, appone farinam, & dulcorabitur. Vide quomodò pulmentum factum ex oleribus amaris dulcoratum est appositione farinæ. Idque contingit in figura, dat enim nobis intelligere Spiritus Sanctus, quod sacra Scriptura debet legi, ita ut cum litterali, historicoque sensu debeat misceri spiritualis intelligentia, sicque quod alias esset noxium, quia littera occidit, fit dulce menti eam ruminanti. *Psalm. 36.*

720. *In multiplicatione panis Eucharistici relucet mirabilis potentia Iesu Christi.*

Vir quidam venit deferens viro Dei panes primitiarum, & panes ordeaceos, & frumentum novum in pera, &c. Nota, quod hoc fuit figura potentiæ Christi, ostensæ in institutione Sacramenti Eucharistici: nam vir ferens panes est Christus, qui prius tulit frumentum novum in Incarnatione, deinde panes ordeaceos per passionem, & deinde panes primitiarum secundum statum Resurrectionis: Christus igitur tulit, & exhibuit se ipsum panem vitæ omnibus, & sicut panes pauci Eliseo oblati multiplicati fuerunt, ut sufficerent ad satietatem centum virorum; sic & Christus existens in cœlo multiplicat se ipsum, simul & semel in multis locis, & multis sumentibus, per quod relucet mirabilis potentia Christi Iesu. *serm. 5. in cœna Domini.*

721. *In necessitatibus divina largitas excedit nostram indigentiam, ideo in ipso est confidendum.*

Comedent, & supererit. Sic respondit Eliseus ministro mensæ, qui ei retulit paucitatem panis, & multitudinem indigentium; *Comedent, & supererit;* quasi diceret: confide in Deo, quia sua largitate excedit nostram indigentiam, quod & ad amussim evenit; per quod intelligere debemus, quod in indigentia rerum, debemus in Dei providentia confidere. *In Luc. c. 9. v. 13. & 17.*

722. Parcitas

721. *Parcitas victus qualis debet eſſe in menſa Religioſorum.*

Comedent, & ſupererit, &c. Vide quid appoſitum eſt menſæ horum Religioſorum, nempè panis, qui virtute divina multiplicatus eſt ad ſatietatem, & abundantiam, per hoc diſcere debent Religioſi, quomodò & in eorum menſa, & ſuperfluitas evitanda, & vilitas ciborum ſectanda ſit. *In Ioan.c.6.v.9.*

723. *Prædicatoris munus eſt populo exhibere panem, ſcilicet Scripturæ, & ad Deum ſpectat eum multiplicare.*

Da populo, ut comedat, &c. Hoc dictum eſt miniſtro ab Eliſeo; Idem myſticè dicitur Prædicatori à Chriſto: Eius enim munus eſt exponere populo panem ſacræ Scripturæ, cuius multiplicatio, & fructificatio ad Chriſtum pertinet. *in Luc.c.9.v.17.*



CAPVT V.

724 *Baptiſmi mundatio præfigurata in mundatione Naaman.*

Vade, & lavare ſepties in Iordane. Cur Volens Deus mundare à lepra Naaman præcipit lavationem ſeptuplicem in Iordane quia præfigurabatur Baptiſmi regeneratio, per quam ſepties dicitur lavari genus humanum, ſcilicet per ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti, à ſeptem vitijs, & peccatis commiſſis per ſeptem dies vitæ. *ſerm.1.& 3.Dom.2. poſt octav. Epiphaniæ: & ſerm. 1. & 3.Dom.13.poſt Pentec.& in Luc.c.4.v.27.& c.19.v.4.*

725. *Per pœnitentiam mundatur anima ab omnibus peccatis.*

Vade, & lavare ſepties in Iordane. Vide figuram Sacramenti Pœnitentiæ; & contritionis, quod ſignificatur in Iordane, quod interpretatur rivus iudicij: nam ex timore iudicij oritur compunctionis, & lachrymarum rivus, in quo mundatur anima ab omnibus peccatis. *ſerm. 1.& 3. Dom.13.poſt Pentec.& op.Diæt.tit.7.c.5.& in Ioan.coll.45.*

726. *Pœnitentiam vult à nobis Deus toto tempore vitæ, & pro omnibus peccatis, & non tantum pro uno.*

Vade, & lavare ſepties in Iordane. Cur ſepties? ſepties dicit univerſitatem, quia debemus toto tempore vitæ pœnitere de omnibus peccatis totius vitæ, & non ſolùm pro peccato uno, vel unius anni. *ſerm.3.Dom.18.poſt Pentec.*

727. *Septem Sacramenta habent vim lavandi animam eamque mundandi.*

Vade lavare ſepties in Iordane. Nota (*ſepties*) quia ſeptem ſunt Sacramenta novæ legis, mundantia animam à vitijs, & ornantia virtutibus. *op. Comp. Theol.l.6.c.5.*

728. *Peccator leproſus per peccatum in anima purificatur per imitationē ſanctitatis Chriſti.*

Reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri parvuli. Vide quales effectus expertus eſt in ſe Naaman prius leproſus per lavationem ſeptuplicem in Iordane: ſed cur aſſimilata eſt eius caro mundata caro à pueri parvuli? ſed oculos mentis verte ad parvulum Ieſum, & videbis, quod cum peccator ſit fœtidior leproſo, ſi lavetur in flumine pœnitentiæ perfectæ, aſſimilabitur aliqualiter puritati eiuſdem parvuli Ieſu; Imitare igitur ſanctitatem, mouditiam, & humilitatem Chriſti, ſi vis reſtitui ad puritatem eiuſdem. *ſerm.9.in Nativit.*

729. *Chriſti potentia in conferendo ſalutem data ſuis miniſtris non indiget, ut manu tangant, ſed ſufficit præceptum cū vera fide.*

Putabam (ait Naaman) quod Eliſeus egrederetur ad me, & manu tangeret locum lepræ. Nota hic actus eſt modicæ fidei, dum credebat neceſſarium eſſe tactum manus: ſed ut ipſi daret intelligere virtutis miraculorum potentiam ei collatæ à Deo, noluit tangere, ſed ipſum miſit ad aquas Iordanis: ſic & Chriſtus aliquando manu tangebat inconferendo ſanitatem, aliquando ſola voce. *in Luc. cap. 5.v.13.*

730. *Prædicare, & alia ſacra miniſteria exercere damnabile apud Deum eſt, ſi fiant ob lucrum temporale; ſumere autem ipſum pro ſuſtentatione neceſſaria, ut rectius hæc munera obeantur, laudabile, & licitum.*

Da eis talentum, &c. Vide quomodo ponitus eſt Giezi lepræ infectione ob talenta accepta à Naaman; ſed ſi hoc, ergo non licebit accipere aliquid pro prædicatione, vel alijs miniſterijs Eccleſiaſticis, & tamen videtur praxis in contrarium; ſed reſpondemus, quod non debemus evangelizare, ut manducemus, ſed ideo manducare, & ſumere alia neceſſaria ut evangelizemus, aliaque miniſteria exerceamus: qui ſecus fecerit, ſimilis eſt Giezi, & Balaam, qui mercedem iniquitatis amabant. *op. de paup q.1.a.2.ad 17.& ſerm.5.Hexaem.*

731. *Malum cupiditatis lepra eſt ſpiritualis, quæ difficile curatur.*

Argentum accepiſti, lepra Naaman adhærebit tibi. Cur lepra punitus eſt Giezi, & non alia pœna? quia cupiditas eſt lepra, quæ difficile curatur: nam ob cupiditatem iſte male accepit pecuniam, ideo ſic punitus eſt. *ſerm.5.Hexaem.& in Luc.c.17.v.13.*

732. *Avaritia grande malum à conſortio Angelorum eijcit hominem.*

Lepra Naaman adhærebit tibi, &c. Vide peſſimos effectus avaritiæ: nam ſicut Giezi leproſus factus eſt, & eiectus à conſortio aliorum, ſic & avarus, & cupidus, leproſus eſt in anima, & ut talis eijcitur extra conſortium ſanctorum. *ſer.1.Dom.3.poſt octav. Epiph.*

733. In hac vita ſæpè punitur peccator ſenſibiliter ad deteſtationem peccati. Sic factum eſt in Giezi, qui lepra coopertus eſt ad deteſtationem avaritiæ, & Simoniæ. *in Luc.cap.13.v.5.*

CAPVT

CAPVT VI.

734. *Per lignum Crucis sumus extracti de abysso Mortis.*

Pracidit lignum, & tulit illuc, & natavit ferrum. Vide mysterium huius facti: ceciderat securis ad imum fluminis, & cum Eliseus proiecisset lignum in aquam, ferrum natavit; Per hoc significatur, quod cum nos tamquam ferrum proiecti essemus in profundum peccatorum, & mortis, Christus venit in Mundum, & per lignum Crucis nos extraxit de aquis peccatorum: *op. expos. Missa. c. 4.*

735. *Qui cum Deo habitat, & in ipsum confidit, non debet timere quamcumque potentiam, quia à Deo, & Angelis custoditur.*

Noli timere, quia plures nobiscum, Sic dixit Eliseus Ministro suo, qui videns exercitum circumdantem, & obsidentem Civitatem tremore, & timore maximo angebatur; Noli timere? Cur? quia plures nobiscum: & qui sunt? Deus cum suis Angelis, qui enim in Deo confidit, & cum Deo ambolat, non debet timere quamcunque externam potentiam. *in Luc. cap. 12. vers. 11. & ser. 17. Hexaem. & Psalm. 123. & op. Comp. Theolog. lib. 2. cap. 8.*

736. *Angeli nos adiuvant contra hostes visibiles.*

Noli timere, quia plures nobiscum sunt. Nota quod isti plures adiutores Eliseo fuerunt castra Angelorum, quia isti nobis sunt in subsidium contra hostes visibiles. *op. Comp. Theolog. lib. 2. c. 18. & 19.*

737. *Luxuria mali effectus enarrantur.*

Quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis vendebatur. Vide ad quantam inopiam, redacta sit Samaria; sed nota mysterium intentum à Spiritu Sancto valde notabile: stercus columbæ, quæ est avis luxuriosa significat immunditiam luxuriæ; quinque argentei venditur, vel emitur, nempe quinque speciebus procreatur, scilicet fornicatione, adulterio, stupro, incestu, & contra naturam: & bene quarta pars stercoris emitur quinque argenteis, quia cum quatuor sint in peccato luxuriæ, scilicet cogitatio, delectatio, consensus, & operatio: vnum solum de istis, scilicet delectationem emit, & procurat luxuriosus. *op. dict. tit. 1. capite 9.*

CAPVT VII.

738. *A Christo Domino tamquam à firmamento cataractæ omnium gratiarum aperiuntur, & diffluunt.*

Si fecerit Deus cataractas cœli aperire, numquid poterit esse quod loqueris? Promisit Eliseus pluviam Regno Samariæ, & abundantiam frumenti immensam, & quia duces exercitus videbant maximam annonæ penuriam, id non credentes dixerunt, *si fecerit Deus aperire cataractas cœli:* Ecce figura effectuum, quos immisit Christus in suo adventu; erat enim maxima fames in terra, homines moriebantur in peccato: & ecce ad eius adventum cataractæ cœli & omnium bonorum apertæ sunt, & inundaverunt in Ecclesiam. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 6.*

739. *Peccatum inficit in se, & in consortio, scilicet animam subiective, & per consensum etiam corpus.*

Quatuor viri leprosi erant iuxta introitum portæ. Cur iuxta introitum portæ? quia leprosi eijciebantur de consortio aliorū; recteque per lepram significatur malignitas peccati mortalis, quod sicut lepra inficit in se, & in consortio, scilicet conversantis cum leprosis: nam non solum inficit in se animam, in qua est subiective, sed & corpus per consensum, & communicationem effectuum; & sicut extra castra, & civitatem eijcitur leprosus, sic & existens in peccato mortali eijcitur extra cœlum. *in Luc. capite 5, vers. 16.*

740. *Bona visa de Christo, & suis sequacibus sunt publicanda ad gloriam Dei.*

Hæc dies est boni nuntij; si tacuerimus, & noluerimus nuntiare ceteris, arguemur. Sic dixerunt illi viri leprosi videntes discessum, & fugam hostis obsidentis Civitatem: Idem & debent dicere Prædicatores Christi, qui tenentur bona visa de Christo nuntiare, nec ea reticere, alioquin sceleris arguentur. *in Luc. cap. 8. vers. 34. & cap. 24. vers. 37.*

741. *Qui pascunt intellectum, & non transeunt ad affectum in lectione Sacræ Scripturæ, vident, sed non comedunt.*

Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Nota hæc fuit prophetia facta illi duci, qui non credidit prædictioni factæ ab Eliseo de liberatione Civitatis, & abundantia panis futura: dixitque ei, *videbis, sed non comedes*, quia occisus fuit in porta à turba comprimente: sed adverte, quod idem verè potest dici incumbenti studio Sacræ Scripturæ, & sacrarum litterarum si solum vt intellectum pascat, absque eo quod lectionem dirigat ad reficiendum affectum: Videbis oculis tuis, & non comedes: sic enim multi fame spiritualiter moriuntur. *in Sap. cap. 8.*

742. *Corpus Christi in Eucharistia credentes, sed sumere non curantes, fame moriuntur.*

Videbis oculis tuis, & inde non comedes. O quot sunt similes isti duci! qui vidit oculis suis prædictionem iam factam verificatam,

ſed non potuit perfrui bonis quæ vidit! quot inquam ſunt qui vident, & credunt Corpus Chriſti in Euchariſtia, ſed ſe alienantes ab eo, nec ſumere ipſum curantes fame, in tanta opulentia moriuntur: Væ igitur iſtis miſeris. *op. expoſit. Miſſæ. c. 4.*

CAPUT VIII.

743. *Ex ordinatione divina in pœna peccatorum inducitur fames, & ſterilitas terræ.*

Vocavit Dominus famem ſuper terram &c. Quomodò vocata eſt fames? nonne ex ſterilitate terræ provenit? maximè: ſed dat intelligere quod ex ordinatione divina propter peccata veniunt ſterilitas terræ, & alia temporalia mala. *ſerm. 4. de dedic. Eccleſ. & Lyranus hic.*

744. *In hac vita bona ſunt commixta ſemper cum malis.*

Apparuit mulier, cuius filium Eliſeus vivificaverat &c. Notatur hic beneficium maximum à muliere, eiuſque filio receptum, ſcilicet recuperatio vitæ: ſed tamen ſubditur ſtatim, quod ob famem debuerunt peregrinari in terram alienam, quia bona huius vitæ ſunt ſemper commixta cum malis: vnde hæc vivificatio fuit plena, & vnita periculis. *Pſal. 118. c. 10. v. 12.*

CAPUT IX.

745. *Iuſti Chriſti ſequaces apud mundum inſani reputantur.*

Quid venit inſanus iſte ad te? Sic appellaverunt Eliſeum ſervi Iehu: nec id eſt mirum, quia ſapientes Mundi ſtultum, & inſanum reputant ſequentes Chriſtum. *ſap. c. 5.*

CAPUT X.

746. *Zelum habentes honoris Dei viros ſibi conſimiles libenter recipiunt.*

Veni mecum, & vide Zelum meum pro Domino; Sic dixit Rex Iehu ad Ionadab Virum Religioſum, & devotum, quia Iehu cum zelaret honorem Dei, libenter comites ſibi ſimiles recepit, vt poſſet dicere Deo: Vide zelum meum pro Domino: Charitas enim facit videre zelum Dei, & odium malorum. *Pſalm. 118. cap. 10. verſ. 15.*

CAPUT XI.

747. *Superbia, & luxuria ſuffocat animas à Deo creatas.*

Athalia Mater Ochoziæ interfecit omne ſemen regium. Vide quomodò hæc perverſa mulier ob deſiderium dominandi, & laſciviendi interfecit omnes filios Regis; ſignificatque ſuperbiam, & laſciviam, ob quam ſuffocatur ſemen Regium; ſcilicet animæ à Deo creatæ. *ſerm. 4. Dom. 4. poſt octav. Epiph.*

CAPUT XII.

748. *Pecunia, aliaque ſanctè offeruntur templo ad ipſius reparationem, & reverentiam cultus Dei.*

Omnem pecuniam oblatam accipient Sacerdotes, & inſtaurent ſarta tecta domus &c. Sic præcepit Iehu: vt oſtenderet oblationes ſactas ſervandas eſſe pro reparatione templi, & in honorem cultus divini. *in Luc. c. 21.*

749. *Lapides vivi ad ædificandam cœleſtem Ieruſalem ſunt animæ à Chriſto ſanguine ſuo emptæ, & exciſæ.*

De pecunia templi emebantur lapides exciſi ad inſtaurandum Domini templum. Myſticè iſti lapides exciſi ſunt animæ à Chriſto ſanguine ſuo emptæ, & dolatæ, quæ adhibentur ad ædificium cœleſtis Sion: noli ergo negligere tempus ædificandi; nunc autem eſt tempus, vt ædificetur Sion, nunc intrant lapides in ſtructuram perfecto ædificio, & dedicata domo: quid curris ſero quæſituros, inanites petiturus, fruſtra pulſaturus, foris remanſurus. *ſer. 2. in Paſch.*

CAPVT XIII.

750. *Verbum Dei eſt ſagitta, quæ à Chriſto jacitur contrà hoſtes Domini, & peccatores.*

Iace ſagittam, percute iaculo terram. Sic præcepit Eliſeus Regi Iehu: ſed quodnam myſterium eſt hoc? litteraliter ſignificabat, quod iacere debebat ſagittas contrà Syriam; myſticè datur intelligi, quod verbum Dei eſt ſagitta, quod de arcu Sacræ Scripturæ iacitur contra terram, ſcilicet contrà hoſtes Dei, & peccatores; Verba enim Dei ad cor peccatoris pertingentia, vulnerant ipſum, vt emolliatur. *ſermone 4. Dom. Paſ.*

751. *Qui*

751. *Qui fidem sine operibus habent, non percipiunt vim verborum Dei.*

Si percussisses quinquies, vel septies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nota, quod qui percutitur solùm ter iaculo prædicationis est peccator habens fidem Trinitatis, sed sine operibus, qui percutitur quinquies quinque sensuum refrenationem habet: qui septies septiformem gratiam Spiritus Sancti contra septem vitia habet, isteque victor contra Diabolum evadit. *serm.4. Dom.Pass.* Ad perfectam igitur victoriam requiritur fides recta: pugna contra vitia, & ornatus virtutum.

752. *Christus de Cruce saliens confregit adversarium.*

Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. Quid est sagitta salutis contra Syriam nisi Christus Iesus: sicut enim sagitta ex arcu & ligno volat ad percutiendum adversarios, sic Christus per incarnationem in quo fortitudo ferri scilicet divinitatis, coniuncta est ligno molliciei humanitatis, de cruce saliens confregit adversarios nostros. *l.1.in prolog.*

753. *Peccator etiam consuetudinarius à Christi gratia tactus reviviscit.*

Mortuus tetigit ossa Elisei, & revixit. Vide quomodò ex contactu solo ossium Elisei revixit mortuus; fuitque figura resuscitationis Lazari, & consuetudinarij, qui ex contactu gratiæ Dei reviviscit. *in Luc.c.7.v.16.& in Ioan.c.15.vers.24. & ser.9.Hexaem.*

CAPUT XIV.

754. *Religiosus debet manere, in vocatione, & cavere ne ad impertinentia sui status diffluat.*

Contentus esto gloria, & sede in domo tua; quare provocas malum, vt cadas? Sic dixit Ioas Amasiæ: Idem (ait Glossa) dicitur Religiosis, ne recedant ad opera sæcularia, sed maneant in vocatione sua: qui enim ab incepto itinere retrocedit, deridetur pro temeritate sua, & præsumptione, & pusillanimitate in prosequendo. *in Luc.c.14.v.29.*

CAPUT XV.

755. *Christus veniens in Mundum primò visitavit despectiores, & qui maiorem indigentiam habebant.*

Rex Syriæ cepit Aion Galilaeam, & terrã Nephtali, &c. Notatur captio, & reductio in captivitatem duarum Tribuum Zabulon, & Nephtalis, quæ habitabant in his locis, captis à Rege Syriæ: & de istis tribubus solis notatur in nocte Nativitatis Christi, quod primo tempore alleviata est Terra Zabulon, & Nephtali, & via maris trans Iordanem Galileæ gentium; sed cur nominantur istæ duæ tribus tantum? Nunce Deus visitavit & cæteras? nominantur autem istæ duæ solæ, quia erant cæteris despectiores, & magis indigentes, ideòque primò à Christo visitandæ. *in Luc.c.4.v.31.*

CAPUT XVI.

756. *Religiosi se exemplar Sanctæ vitæ ponentes sæcularibus sunt veluti Seraphim; qui vero se ponunt exemplar perditionis sunt Dæmones.*

Misit Rex Achaz exemplar altaris Damasci ad Vriam Sacerdotem in Hierusalem. Vide impietatem huius Regis Iuda, qui præcepit, vt in Hierusalem extrueretur altare Idolorum ad similitudinem Altarium gentilium; mysticè per hunc perversissimum Regem figurantur Religiosi male viventes, qui vita pessima sua sunt exemplar perditionis sæcularium, huic sæculo nequam se conformantes relictis, & abiectis Patrum, & Regulæ institutis: hi sicut relinquunt alijs exemplum culpæ, erunt posteris cum Dæmonibus exemplum pœnæ: qui vero contemptis terrenis cœlestia appetentes, sunt exemplar Sanctæ vitæ, eum Seraphim præmiabuntur, quorum est informare Angelos inferiores per amorem perfectum. *op.Eccl. s.Hierar.p.1.c.1.*

757. *Deus Pater videtur repulisse, & dereliquisse Christum vsque ad patibulum Crucis ad nostram vtilitatem.*

Transtulit altare de loco templi ad Aquilonem &c. Mysticè hoc Altare est Christus Iesus, cuius humanitatis sacrificio Deus nobis placatus redditur, & super quod quasi altare omnia nostra sacrificia spiritualia offeruntur: Hoc altare videtur Deus repulisse, & veluti dereliquisse maledictioni acerbissimæ passionis in Iudæorum manibus vsque ad Crucis patibulum, eum tradendo morti ad nostram redemptionem. *in Thren, cap.2.*

758. *Altare fidei nostræ prophanatur, cum nudatur bonis operibus.*

Transtulit Altare &c. Mysticè hoc altare, est fides nostra, super quam sacrificium boni operis immolamus: tuncque repellitur, & prophanatur, cum nudatur bonis operibus, & violatur pravis operibus. *in Thren.c.2.*

CAPUT XVII.

759. *Summum omnium malorum est, cum homo traditur in captivitatem Peccati.*

Et tradidit eos Dominus in manu diripientium &c.

&c. Nota, quod filij Iſraël in captivitatem Aſſyriorum redacti ſunt, ſic diſponente Iuſtitia Dei ob plurima ipſorum ſceleta; per quod ſignificatur miſeranda ſervitus peccati, & Diaboli: cum enim homo ſe à Deo avertit, tunc traditur in talem ſervitutem.*in Thren.c.1.& c.9.v.52.*

760. *Ob peccata habitatorum aliquando Deus immittit beſtias nocivas locis, & civitatibus.*

Immiſit in eos Dominus leones interficientes &c. eo quod ignorant ritum Dei terræ. Vide quomodò Deus contra iſtoa populos, quia non colebant Deum immiſit leones ipſos devorantes; Vt diſcas, quod ptoptet peccata habitatorum immittit Deus in locamalas beſtias, Dei offenſam vindicantes.*in Sap.c.11.*

761. *Impoſſibile eſt ſervire ſimul Deo, & Mundo &c.*

Fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Deum, ſed nihilominus, & idolis ſuis ſervientes. Quomodò poteſt vere dici de Samaritanis, quod timerent Dominum,& quod colerent Idola? nonne veriſſimum eſt, quod nemo poteſt duobus Dominis ſervire? *Luca c.16.* Veriſſimum eſt: ſed iſtæ gentes erant timentes Deum, ſcilicet quoad appatentiam, ait Gloſſa: habebant quaſdam cæremoniaa, & opera bona, ſed tamen perverſi erant cultores idolorum: Vnde & perverſiſſimi,& Deo exoſi erant; ſic & eſt quilibet ipſorum imitator: quia impoſſibile eſt ſervire Deo, & Mundo, carni, & Diabolo: ſunt enim inter ſe diviſi, & contrarij.*in Luc.c.16.v.13. & cap.9.v.52. & in Ioan.c.4.v.22.*



CAPUT XVIII.

762. *Humilitas eſt Virtus, quæ facit Deo adhærere, & ſequi veſtigia Chriſti.*

Adhæſit Domino, & non receſſit à viſtigijs eius, fecitque mandata eius. Nota, quod hæc dicuntur in laudem Eccleſiæ Regis Iuda, & hoc quia humillimus fuit; Beatus ergo eſt, qui ſervat humilitatem in corde, & in operibus, quia hæc facit Iuſtum Deo adhærere & obſervate ipſius præcepta.*ſer.1.de S.Nicolao.*

763. *Qui toto corde ad Mariam convertitur plenitudinem omnium bonorum acquirit.*

Transferam vos in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & olei & mellis, & vivetis, & non morie mini. Nota hæc dicta fuete Iſraelitis à Miniſtro Regis Aſſyriorum, vt ſe rebellarent à proprio Rege: ſed tamen vana promiſſa erant iſta; & ideò non attendentes his vania oblationibus, ſteterunt in ſuo propoſito nec ipſis defecerunt talia bona; Myſticè hæc dicuntur à Deo nobis: transferam vos in terram fructiferam &c. quænam eſt hæc terra, tam fertilis? hæc eſt B. Virgo Maria terra benedicta fructifera ferens fructum, ſcilicet dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt fructua panis confortantis defectum: fructus vini ad perfectionem reducentis: fructus olei illuminantis intellectum, & fructus mellis dulcorantis affectum; qui igitur toto corde ad terram hanc convertitur, & hunc fructum acquirit, viver, & non morietur, morte æterna. *op.ſpecul. B.Virg. Lec.*18. Ecce igitur ô homo cauſa, quare in miſerrimo ſtatu vivis,quia ad hanc terram non recurris.

764. *In Chriſto plenitudo omnis boni deſiderabilis habetur.*

Transferam vos in terram fertilem, vini, panis, olei, & mellis. Nota, quod hæc verificata ſunt in nobis, qui tranſlati ſumus ad Chriſtum per fidem: nam in Chriſto eſt fructus panis confortantis, vini perficientis; olei illuminantis, & mellis dulcorantis: ô quàm bonum eſt Chriſto adhærere.*op.Spec.B.Virg.lect.*18.

765. *In Eccleſia Dei ſunt omnia bona.*

Transferam vos in terram fertilem &c. Nota, quod ſupradicta poſſunt exponi de Eccleſia Catholica, in qua ſunt omnia bona deſiderabilia, & in qua ſola eſt ſalus.*op.Spec.B.Virg.lect.*18.



CAPUT XIX.

766. *Prælati ſunt mediatores inter Deum, & ſubditos, ipſumque debent placare &c.*

Quæ cum audiſſet Rex Ezechias, ſcidit veſtimenta, & opertus eſt ſacco, ingreſſus eſt domum Domini &c. Vide quid fecit Ezechias Rex quando intellexit malum animum Regi Aſſyriorum, & imminentem ruinam, ſtatim enim ſe totum pœnitentiæ conſecravit, incumbens orationi: ſic eſt bonus Prælatus, nempe mediator inter Deum, & ſubditos, vt ſicut negotium Dei getit apud illos, ita etiam negotia eorum ſtudere debet apud Deum fideliter promovere, ipſum placando, gratiam impetrando, & præparando à malo.*op.de ſex al.ſeraph.cap.*8.

767. *Qui ad maturitatem non reducunt bonum inchoatum ſunt veluti fœnum inutile.*

Facti ſunt vt fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ areſacta eſt antequam veniret ad maturitatem. Sic dixit Deus de Aſſyrijs: Idem dicitur de ijs, qui bona inchoant, ſed ad maturitatem non veniunt.*Pſal.*118.*c.*10.*v.*3.

768. *Qui in humilitate fundant ædificium, in altum illud extollunt.*

Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorſum & faciet fructum ſurſum. Nota, quod hic datur à Deo modus extollendi in altum fabricam ſpiritualem, & producendi fructos optimos, nempe deorſum mittendi radicea in humilitate, quia quanto profundius erit fundamen

damentum, & radix tanto altiùs ædificabat &c. *op. spec. B. Virg. lect.* 17.

769. *Humilitas existens in imo, in altum sursum fructus producit multiplicem.*

Mittet radium deorsum, & faciet fructum sursum. Nota hæc est vis humilitatis, quæ existens in imo, io altum sursumque fructum emittit: sursum inquam in alio intellectu, sursum in alto affectu, sursum in contemplatione, sursum in dilectione: ô beata humilitas. *op. spec. B. Virg. lect.* 17.

770. *B. Virgo humilitate sua evecta est in altum super omnes creaturas.*

Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum. Quis est iste de domo Juda, nisi B. Virgo Maria? quia enim hæc Beatissima fuit super omoes homines humillissima, ideo in altum produxit fructum beatissimum. *op. spec. B. Virg. lect.* 17.

771. *Superbia, avaritia, & blasphemia contrahit inimicitiam cum Angelis.*


Venit Angelus Domini, & nocte illa percussit centum octoginta quinque millia Assyriorum. Cur tantam stragem fecit Angelus Domini? ad conterendam superbiam, avaritiam, & blasphemiam Assyriorum: ista namque vitia, præcipuè reddunt Angelos inimicos homini. *fer.* 2. *fer.* 3. *Pascha.*

772. *Deus in necessitate cum humana auxilia deficiunt, tunc maximè succurrit per se, vel per adjutores Angelos.*

Et percussit centum octoginta quinque millia Assyriorum &c. Vide quomodò Deus io tanta necessitate fuit super Angelos adjutor Israelitarum; quis ergo timebit, dum Deum adjutorem in tribulatione habet? Confidamus ergo semper in Domino, maximè in necessitatibus extremis. *fer.* 6. *de Apostol.*

773. *Angeli assistunt patienter se agentibus in tribulatione.*

Exemplum habemus de hoc, in hac percussione Regis Assyriorum, dum Ezechias cum suis patienter tribulationem sustinebat expectaos à Deo auxilium. *fer.* 4. *de Angelis &c.*



CAPUT XX.

774. *Deus aliquando permittit in electis suis aliquod malum, ut inde eliciat bonum.*

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem. Notant hic Doctores in Glossa, quod Ezechias ex victoria, quam per Angelum habuit contra Assyrios elevatus est in aliquam superbiam, nec gratias Deo reddidit: ideo immisit Deus in eum hanc infirmitatem, ex qua postea pœnitens conversus est ad Deum; hinc inferre debemus, quod Deus in electis suis aliquando permittit aliquod malum, ut ipsi magis exerceantur in actibus virtuosis, & ut magis manifestetur divina misericordia io eos: permissio enim mali non est positiva volitio mali; sed volitio ejus eventus, quod Deus ex tali permissione elicit. *l.* 1. *d.* 47. *dub.* 2. *& a.* 1. *q.* 2.

775. *Sæpè flagella temporalia Deus immittit in nos propter nostram ingratitudinem, & peccata, & ut sanetur infirmitas spiritualis animæ.*

In diebus illis ægrotavit Rex Ezechias. Cur Deus immisit Regi hanc infirmitatem? respondent Doctores in Glossa, ut dictum est, ob aliqualem superbiam, & quia non reddidit gratias Deo de parta Victoria contra Sennacherib, ex quo addiscere debemus, quod Deus flagello infirmitatis, vel alicujus adversitatis quandoque affligit homines in punitionem peccati commissi, & ut recordentur peccatorum suorum, & confiteantur ea, & ideo semper debet medicus primò suadere confessionem, ut cessante causa cesset infirmitas. *fer.* 3. *Dom.* 5. *post Pentecost.*

776. *Ob ingratitudinem Deus aufert dona concessa &c.*

Ægrotavit Ezechias usque ad mortem. Nota, quod Deus abstulit saoitatem Ezechiæ ob ingratitudinem: nec id ast mirum, quia hoc judicium exercet Deus in præsenti sæculo, auferendo etiam dona concessa, propter negligentiam, desidiam, & abusionem. *In Luc. c.* 19. *v.* 24. Ingratitudo meretur amittere quæ habet, nec alia accipere, & quæ retinet infructuosè tenere, & fraudari præmio, & majus supplicium mereri pro negligentia & contemptu. *op. de prof. relig. l.* 2. *c.* 63.

777. *Deus vult ut ad aliorum suffragia, & orationem recurramus in necessitatibus.*

Ægrotavit Ezechias, & venit ad eum Isaias &c. Cur missus est à Deo Isaias in hac occasione infirmitatis Ezechiæ? Nota non solùm missus est ad intimandam ei mortem imminentem, sed ut hac occasione recurreret ad orationem, & suffragia S. Prophetæ: vult enim Deus, ut aliorum suffragiis, quæramus juvari, ne fortè ardua petitio, vel præsumptio nos reprimat. *op. de prof. relig. l.* 2. *c.* 72.

778. *Recogitatio peccatorum movet animam ad pœnitentiam.*

Qui convertit faciem suam ad parietem, & flevit magno fletu. Cur Ezechias volens orare convertit faciem suam ad parietem? cur non ad cœlum? ad parietem (ait Glossa) ut securius, & attentius recogitaret sua peccata, quia recogitatio peccatorum excitat animam ad fletum. *in Ioan. Collat.* 88.

779. *Tribulatio humilem, prosperitas superbum hominem reddit.*

Qui conversus ad parietem flevit fletu magno. Ecce quomodò tribulatio reddit humilem homi-

 nem,

nem,& trahit ad Deum ; è contra poftea exiftens ifte Rex in profperitate fupetbum fe oftendit in adventu nuntiorum Babylonis, ut patet in hoc eodem capitulo : ex hoc enim miffus eft Ifaias ad eum reprehendendum. *ferm.17. Hexaem.*

780. Qui recta intentione operatur dicitur ambulare coram Deo in veritate, & corde perfecto. Unde dicebat Exechias : *Domine memento, quod ambulaverim coram te in veritate, & corde perfecto*, fcilicet recta intentione. *In Luc.c.1.v.6.& 75.*

781. *Lachrymæ, ex compunctione procedentes inclinant Deum ad remiffionem.*

Flevit itaque Ezechias fletu magno, & ait Dominus audivi orationem tuam &c. Ex quo patet qualem efficaciam apud Deum habeant lachrymæ, quæ proficifcuntur ex magna compunctionis amaritudine : inclinant enim Deum ad remiffionem peccatorum. *In Luc.c.21.v.62. & cap.4.v.38.*

782. *Deus longam vitam concedit fæpè, ut homo non deficiat ab operis boni efficacia.*

Et addam diebus fuis quindecim annos. Cur prolongavit Deus vitam ifti Regi ? quia Deus in tali prolongatione inteodit, ut homo non deficiat ab operum bonorum efficacia, & adverfantium inimicorum victoria. *In Ioan.collat.52.*

783. *Deus in conceffione gratiarum plus dat, quam petatur.*

Facile eft umbram crefcere decem lineis &c. Vide quod Ezechias in fignum fanctitatis à Deo recipiendæ petit, ut fol crefcat decem lineis, fcilicet procedat decem horas : at Deus voluit, ut retrocederet, ita quod cum dies effet in decima hora, retrocedendo decem horas,& deinde procedendo per alias decem horas, poftea duas alias fole tendente ad occafum : ficque dies illa habuit triginta duas horas. *fer. 16. Hexaem.* Ut videas, quod Deus ultra petita femper addit novas gratias. *fer. 4. in rogat.*

784. *Incarnatio Chrifti præfigurata in hac retroceffione Solis.*

Volo ut revertatur retrorfum Sol decem gradibus. Sic in perfona Dei dixit Ifaias ; fed cur voluit hoc miraculum Deus facere per retroceffionem Solis, per decem horas,& non potiùs per novem, vel octo ? hoc fuit ad præfigurandam incarnationem verbi : Sol enim fapientiæ increatæ verbi defcendit per decem lineas, fcilicet per novem choros Angelorum, & his relictis tranfiit ad decimum, fcilicet ad hominem affumendum. *In Luc.c.15.v.8. & c.24.v.27. & l.2.d.9.q.7. in comp. & fer.1. & 5.Hexaem.*

785. *Homines inferioris meriti conftituent infra Angelos decimum chorum in gloria.*

Sed volo, ut revertatur retrorfum decem gradibus. Jam dictum eft, quod in hoc decimo gradu fignificantur homines inferiores Angelis. Hinc inferuor Doctores, quod qui ab hac vita mortali tranfibunt cum meritis æqualibus fanctis Angelis, collocabuntur fecundum proportionem ad choros Angelorum ; qui verò erunt inferioris, & infimi meriti conftituent decimum chorum. *l. 2.d.9.q.7. comp.*

786. *Efficacia orationis attrahit Deum ad operandum mirabilia.*

Sed volo ut revertatur retrorfum decem gradibus. Cur decem gradibus ad orationem Exechiæ voluit Deus, ut fol retrocederet ? fed nota pulcherrimum myfterium circa efficaciam orationis:indicatur enim in primo gradu, quod oratio impetrat relaxationem divinæ fententiæ : in fecundo remiffionem culpæ : in tertio victoriam in fpirituali pugna : in quarto reparationem virtutis naturæ : in quinto confervationem pacis in tempore : in fexto cuftoditionem tranquillitatis confcientiæ : in feptimo inflammationem divinæ gratiæ : in octavo illuminationem fupernæ fapientiæ : in nono adaperitionem cœleftis patriæ : in decimo acquifitionem mercedis æternæ ; ex quibus intelligitur, quod oratio prævalet naturæ inferiori, virtuti cœli, naturæ fpirituali, attrahit Spiritum Sanctum, inclinat filium Dei, & mitigat Patrem,& per hoc habet dominium omnium univerforum *in Luc.c.18.v.1.*

787. *Oratio revocat Relaxationem divinæ fententiæ.*

Audivi petitionem tuam &c. Vide, quod hanc fententiam mortis oratio humiliantis revocare potuit : ô quanta eft efficacia orationis ! *in Luc. c.18.v.1.*

788. *In hoc reditu Solis configuratæ funt decem condefcenfiones Chrifti.*

Sol retroceffit decem gradibus. O quàm verum eft, quod Sol, fcilicet Chriftus exiftens in finu Patris, per decem condefcenfiones humiliatus eft propter noftram falutem ! Primus gradus eft affumptio carnis. Secundus mortalitatis affumptio. Tertius affumptio famis, fitis, frigoris. Quartus item paupertatis noftræ. Quintus item & tentationis. Sextus corporis item laffitudinis, & laboris. Septimus item mentis anxietatis. Octavus eft paffionis in cruce. Nonus mortis, & Decimus eft defcenfus ufque ad infernum : his omnibus voluit nos fanare à decem plagis Ægypti. *fer. 7. de decem præcep.*



CAPUT XXI.

789. *Peccator quantumcumque iniquus fi pœnitentiam veram fecerit accipiet remiffionem.*

Manaffes fecit abominationes peffimas &c. Nota, quod ifte iniquiffimus Rex plurima fcelera commifit, idolis facrificia obtulit, populum idololatrare fecit,& tamen quia verè pœnituit, obtinuit remiffionem fuarum culparum, & reftitutus eft in regnum fuum ; difce igitur ô homo, qualis, & quanta fit virtus pœnitentiæ, quæ placat Deum, & relaxationem divinæ fententiæ impetrat. *op. foliloqu. c. 1. & fer.2. de pluribus martyr.*

790. Principe

790. *Principes impij sæpè insurgunt in eos, qui eis veritatem prædicant, & ipsos arguunt.*

Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis. Ecce quid fecit iste Rex iniquous contra eos, qui ipsum arguebant, & veritatem prædicabant, sic & Principes mali sæpè idem faciunt. *in Luc. c. 13. v. 34.*

CAPUT XXII.

791. *Post tribulationem Deus immittit consolationem.*

Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, & fecit quod placitum est coram Deo. Ecce quomodò post imperium Manasse iniquissimi Regis, post captivitatem secutam populi Israelitici Deos providit, & misit Regem sauctum, qui honorem Dei restituit, & quietem in regno omnibus dedit: nam Deus oon sinit homines totaliter in calamitaribos deperire, & post tenebras mittit lucem. *ser. 16. Hexaem.*

792. *Verus humilis ad aliorum suffragia confugit.*

Misit Iosias ad Holdam prophetissam, ut pro se oraret, eique aperiret, quid facturus esset Deus &c. Nota, quod hic actus fuit perfectæ humilitatis, timens enim ne propter suam iodignitatem à Deo repelleretur, recurrit ad Prophetissam, ut ejus suffragiis adjuvaretur: sic exigit vere humilitas, sicuti nihil de se confidentis, & aliorum suffragia quærentis. *op. de prof. relig. l. 2. c. 71.*

793. Deus aliquaodo de mundo tollit suos amicos, ne videant mala mondo vel locis imminentia, & ob id ne doleant. Sic fecit cum Josia, de quo dicitur hic à Deo: *colligeris ad sepulchrum ne videant oculi tui mala omnia, quæ introducturus sum super locum istum. l. 4. d. 50. p. 2. a. 1. q. 2.*

CAPUT XXIII.

794. *Transiens ab amore creaturarum ad amorem Solius Dei, verum Pascha celebrat.*

Facite Phase Domino. Nota, qood Iosias postquam destruxit omnes abominatiooes, & idola, induxit populum ad celebrandum Pascha, vel Phase in honorem Domini; per quod significatur transitus spiritualis, quo aoima in vita spirituali, relictis creaturis suum amorem transfert in solom Deum, hocque est Phase Domioo charissimum. *in Ioan. c. 13. v. 1.*

795. *Pro morte Iosiæ composuit Hieremias suos threnos, mysticèque reducuntur ad Ecclesiam, vel ad Christum.*

Mortuus est Iosias in campo Mayeddo &c. Nota quod pro hac morte sanctissimi Regis Hieremias composuit suos threnos, ut dicitur. *Paralip. l. 2. c. 35. & Zachar. c. 12.* quia ex hac morte orta est desolatio Hierusalem, & habitatorum; mysticè significantur mors Christi, & damna Ecclesiæ, & cujuslibet animæ. *in Thren. prolog.*

CAPUT XXIV.

796. *Soli humiles effugiunt rete Diaboli.*

Pharao transtulit omnem Hierusalem in captivitatem, scilicet omnes principes, & nobiles, & reliquit solum pauperes. Cor non etiam pauperes? ut daretur intelligi, quod violentiam Diaboli nemo potest effugere, nisi solus humilis; sicut piscicu-li sagenam captis grandioribus. *Dial. l. 7. c. 1.*

CAPUT XXV.

797. *Ecclesia justo Dei judicio subjicitur persecutionibus infidelium, quando fideles se totos effundunt in carnalitatibus maximèque Prælati.*

Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & obsedit Hierusalem &c. Nota, quod à Deo permissum est in pœnam habitatorum Hierusalem, quæ destructa est, & habitatores in captivitatem docti sunt; hoc mysticè verificatur de Ecclesia, quam Deus punit per schismaticos, hæreticos, & malos Priocipes in pœoam peccatorum in ea iouodantium, maximèque Prælatorom. *in Thren. c. 1.*

798. Superbia excæcat mentem hominis. Idque figuratum est in Sedecia Rege qui jussu Nabuchodonosor fuit excæcatus io pœnam suæ superbiæ. *ser. 3. Dom. quinquag.*

799. *Vitium gulæ destruit omnia bona spiritualia animæ.*

Muros Hierusalem destruxit Princeps cocorum. Vult dicere quod quando gula, & ebrietas obsidet animam, tuoc virtutes periclitantur. *op. de 6. alis Cherub.*



LIBRI
PRIMI PARALIPOMENON
PROLOGUS

PARALIPOMENON interpretatur instrumentum vetus : in hoc repetuntur, & supplentur ea, quæ tradita sunt in libris Regum, & multa alia quæ innuuntur in cæteris libris Sacræ Scripturæ, & dividitur in duos libros, in primo agitur de translatione Sacerdotis, in secundo de translatione regni ; quæ omnia ad Christum referuntur. *op. Princip. S. Script.*



CAPUT IV.

1. Via amoris Dei latissima, & facillima.

Inveneruntque pascuas uberes, & valde bonas, & terram latissimam. Hoc dicitur de quibusdam Israelitis,quod mysticè transfertur ad eos, qui per dilectionis viam quærunt Deum : isti namque inveniunt viam Dei latissimam, quietam, facilem, & fertilem,unde dicebat David : *latum mandatum tuum nimis. Psal.*118.*c.*6.*v.*16.



CAPVT XII.

2. Qui Dei sunt adjuvantur à Deo per consilium, solatium, & auxilium.

Adjuvat te Dominus Deus tuus : tui ergo sumus &c. Sic dixit quidam Princeps ad David, videns eum justum, & à Deo protectum ; quia qui Deum habet, & Deus correspondet præbendo consilium intellectui, solatium affectui, & auxilium in rebus suis : Beatos igitur, qui sub protectione Dei habitat. *Psalm.*118.*c.*6.*v.*5.

3. Qui in bonis operibus se exercent à Deo benignè suscipiuntur,conferendo eis gratiam cooperantem, & perfectivam.

Suscepit eos David, & constituit eos Principes turmæ. Vide quomodò istis bellatoribus qui se tradiderunt sub dominio David, ipse contulit gradus primatios in exercitu. Sic facit Deus cum iis, qui mundum deserentes,Deo se offerunt: nam Deus eos suscipit, gratiam eis conferendo provectivam, & perfectivam, ut in suo servitio veluti Principes alusque, dominantes agnoscantur. *Psal.*118.*c.*8.*v.*10. hinc vide quomodò multi sancti qui in sæculo vilissimi nati sunt, à Principibus ob sanctitatem honorati sunt, ut in Religione S. Francisci S. Didacus, B. Paschalis. B. Felix de Cantalitio, & alij.

4. In via perfectionis strenue laborandum contra hostes.

Filij Iuda portantes clipeum, & hastam expediti ad prælium venerunt ad David. Ecce quomodò comparere debent ad conspectum Christi ipsius milites nempè portantes clypeum, & hastam,expediti ad prælium ; clypeus est pœnitentia quæ protegit nos ab hostibus, ne vulneremur,hasta est zelus justitiæ his armis ad Christum sequendum debemus accedere,strenueque dimicare contra hostes,ne vincamur tentatoris importunitate. *fer.*4.*Dom.*3. *Quad.*

5. Qui corde perfecto accedunt ad Dei obsequium, isti ab ipso Deo glorificantur.

*Omnes viri bellatores,& expediti cum corde perfecto venerunt in Ebron, ut constituerent Regem David,super universum Israel &c.*Ecce figura perfectè sectantium Christum ; qui enim corde perfecto per dilectionem perfectam, ad Deum accedunt, sicuti fecerunt martyres, alijque sancti, qui expediti ad pugnandum, reliquerunt omnia temporalia, Christum solum proprium Regem amplexati sunt ; isti eundem videbunt gloriosum in cœlis. *Psal.*118.*c.*3.*v.*2.



CAPVT XIV.

6. Divulgatio nominis Iesu facta est per totum mundum ob ejus opera mirabilia.

Divulgatum est nomen David in universis regionibus,

bus, & dominus dedit pavorem eius super omnes gentes. Vide qualem protectionem habebat Deus de David viro iusto, quia dedit ei victoriam super hostes, & voluit, ut divulgaretur nomen eius cum pavore omnium gentium; quod fuit figura divulgationis nominis Iesu: voluit enim Deus, ut eius nomen, per totum orbem publicaretur ratione omnis excellentiæ, dignitatis, & supereminentiæ: dedit enim illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu flectatur, &c. *in Luc.c.4.v.36.*



CAPVT XVI.

7. *Quænam requiruntur ad confessionem perfectamque laudem Dei.*

Fecit David Asaph Principem ad confitendum Domino, & fratres eius. Nota, quod hoc officium erat canentium laudes Dei in templo: ad quid tria requiruntur: scilicet charitatis affectio: cantus clarus, & intentio recta. *in Psalm.118.c.4.v.14.*

8. *Quænam disciplina exercenda in choro.*

Fecit David Asaph Principem, & fratres eius ad confitendum Domino. Cur plures assignantur à David, & inter hos plures Princeps Asaph ad canendum laudes Dei in choro? Nota, quod Asaph interpretator collectio; datque intelligere, quod ad cantum in choro requiritur primò collectio, uniformitasque psallentium, quoad omnes extremonias exteriores: secundò collectio interior, nempè ut cum timore, & humilitate, tanquam Deo visibiliter præsente psallamus, ut mens nostra voci, & actibus exterioribus concordet; ut viventur in choro omnia, quæ honestatem, gravitatem, & rectam dispositionem corporis, & mentis impedire possunt: nam dicitur. *Psalm.34. In populo gravi laudabo te: op.specul.discipl.p.1.c.15.*

9. *Modus psallendi in choro cum Angelis qualis.*


Fecit David Asaph Principem, & fratres eius ad confitendum Domino. Cur titulum Principis tribuit David isti viro, cum solum eius officium exercere deberet in choro canendo cum socijs laudes Dei? Nota, quod Asaph interpretatur collectio; sed quæ collectio est ista, quæ fit in psalmodia? Collectio hæc est hominum, & Angelorum coram Principe Deo, ait enim David. *Psalm.137. In conspectu Angelorum psallam tibi:* ecce quomodò colliguntur Angeli cum hominibus psallentibus in choro ad Deum laudandum: daturque intelligi, quod ad confitendum Domino exemplo Angelorum requiritur primò humiliatio timoris, & reverentiæ in corde; secundò expressio honoris, & magnificentiæ in ore; & tertiò ostensio amoris, & benevolentiæ in opere; tuncque intersunt Angeli cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, & ordinantibus prosunt. *serm.1.Dom.3.post octavam Epiph.& serm.4.Dom.8.post Pentec.*

10. *Meditanti mysteria fidei semper nova perscrutanda occurrunt.*

Quærite faciem eius semper. Quomodò semper potestne quis semper in actu huius perquisitionis sistere? præterea quando quis ad faciem Domini contemplandam pervenit, ad quid nova quæsitio? Nota, quod additur illa particula (*semper*) quia iusti, & servi Dei debent semper mentem suam habere ad Deum conversam, semper veritatem eius speculandam quærere; quia semper nova mysteria perscrutanda devote meditanti occurrunt; est enim mare magnum sine termino veritas, & bonitas divina. *Psalm.118.c.8.v.5.*

11. *Maria Virgo mare plenum gratia, tonans contra vitia, & Dæmones.*

Tonet mare, & plenitudo eius. Quid est iste tonus maris? Nota, quod dicitur mare tonare, quando aquæ colliduntur ad invicem, & ad rupes, & indè generatur sonus ad modum tonitrui: mysticè allusio fit ad mare Beatæ Virginis Mariæ: tanta namque inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo in Maria fuit, ut ipsa mare plenum possit dici; quia in ea fuit congregatio omnium gratiarum, ad eam intraverunt flumina gratiarum aliorum sanctorum, & Angelorum: hoc igitur mare tonare desiderabat David: quia Mariæ mare gratiarum tonat contra luxuriam, castitatem proponendo; contra superbiam humilitatem sentiendo; contra ingratitudinem gratias agendo; ad hoc mare invitamur, ut suspirijs, lachrymis, castigationibus, eleemosynis, & venerationibus moveatur, ut nobis effundat de sua plenitudine. *op.spec.B.Virg.lect.7.*



CAPVT XVII.

12. Sancti antiquitus ante Adventum Christi optabant, & à Deo incessanter petebant eius Adventum, & redemptionem mundi, ut patet hic. *v.* 22. ubi ait David. *Nunc Domine sermo, quem locutus es famulo tuo, & super domum eius confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es, &c. in Luc.c.1.v.70.*

13. *Virgo Maria domus benedicta à Deo multipliciter.*

Te Domine benedicente, benedicta erit hæc domus in perpetuum. Quomodò domus, de qua ad litteram loquitur hic, quæ est templum Hierusalem dici potest benedicta in æternum, si toties fuit destructa? nota, quod loquitur de domo Dei mystica, scilicet de Beata Virgine Maria, quæ fuit domus, & habitaculum Dei benedictum à Deo; benedicta inquam propter plenitudinem gratiæ in ipsa venerandæ: benedicta propter prolem benedictam, propter multitudinem suæ misericordiæ, propter magnitudinem gloriæ, immensitatem, & copiositatem, ideò benedicta super omnes mulieres. *opusc.spec. Beatæ Virginis: lect.14.*



CAPVT XXI.

14. *Recogitanti ingratitudinem, quæ intervenit in peccato, peccatum redditur nimis difficile.*

Peccavi nimis, ut hoc facerem. Quid est nimis peccare?

peccare? quia reſpiciebat ad ingratitudinem, quæ in offenſa Dei quacumque intervenit; recogitanti enim talem ingratitudinem in Deum, peccatum eſt nimis, ſcilicet difficile. *Pſalm.* 118.*c*.9.*v*.10.

CAPUT XXII.

15. ***Ad ſtudium ſcientiarum quænam requiruntur.***

Filius, qui naſcetur ex te, erit quietiſſimus, &c. Hic eſt Salomon, qui interpretatur pacificus, & ſapiens ſuper omnes homines, quia habuit ea, quæ ad exercendam ſapientiam, & incumbendum conſiderationi rerum, erant neceſſaria; nempè ſapiens, potens, & in pace cum omnibus per circuitum: hæc tria enim cum deficiunt, multos retrahunt à ſtudio; ſcilicet ignorantia, paupertas, & inimicitia. *In Eccleſ.c.*1.

16. ***Prudentia qualis in Principe exigitur.***

Det tibi Deus prudentiam, & ſenſum ut regere poſſis Iſrael, & cuſtodire legem Domini. Ecce quid optabat David Salomoni eius filio; idemq; exigitur in Principe regente ſecundum dictamen rectæ rationis, nempè obſervantia mandatorum Dei, & ad hanc obſervantiam requiritur prudentia, & ſenſus ordinans media ad hunc finem. *Pſalm.* 118. *c*.7.*v*.10.

17. ***Divites, & potentes qualiter paupertatem ſpiritus habere poſſint in corde.***

Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas domus Domini. Quomodò verè poterat hæc dicere Rex David potentiſſimus, & ditiſſimus? quia licet eſſet ditiſſimus temporaliter, erat tamen corde ſequeſtratus, & affectu nudatus ab omnibus rebus terrenis, cor fixum in Deo habens, mortificationem carnis, & paupertatem ſpiritus continue Deo offerens, & omnia cum tali bona affectione faciens: O felix talis dives verè pauper ſpiritu. *in Luc.c.*21.*v*.4.

CAPUT XXIII.

18. ***Officium pſallentium in choro inchoatum juſſu David quale.***

Levitæ ſtent mane ad confitendum, & canendum Domino, ſimiliterque ad veſperam. Ecce unde inchoatus eſt mos in Eccleſia pſallendi in choro die, ac nocte; hoc autem eſt officium Angelicum, nam choriſtæ ad ſimilitudinem Angelorum vigilias, & chorum exercent ante Dominum. *Pſalm.* 118. *cap.* 4. *v.* 14. *& ſerm.*1.*in feſto omnium ſanctorum.*

CAPUT XXIV.

19. ***Sanctus Ioannes Baptiſta præco novi Teſtamenti, præfiguratus in diſpoſitione facta à David ſacerdotum cultus Dei dicatorum.***

Octava ſors octava Abia. Nota, quod de hac familia fuit Zacharias, & ſanctus Ioannes Baptiſta, iſtinctuque Spiritus Sancti cecidit ſors octavo loco huic familiæ; nam cum per numerum ſeptenarium ſignificetur vetus teſtamentum, per octavum novum, per hoc ſignificatur, quod huic familiæ ſpectabat eſſe præconem novi teſtamenti. *in Luc.cap.*1.*v*.5.

CAPUT XXV.

20. ***In cultu Dei requiritur, ut evitetur confuſio, & omnia ordinate fiant.***

Igitur David, & magiſtratus exercitus ſegregaverunt in miniſterium filios, &c. dedicato ſibi officio ſervientes. Vide quomodò Deus exigit, ut in divinis officiis omnia fiant ordinatè, & non confuſè, & ſine erroris hæſitatione, ut quiſque deputatum officium congruè exequatur, item & ſtrenuè, & non pigrè, item & devotè, & reverenter ſine diſſolutione, & ſtrepitu. *opuſc. de ſex alis ſeraph. capite* 8.

CAPUT XXVIII.

21. ***Alij relinquunt Deum, alij derelinquunt: primi mali ſecundi peſſimi.***

Si dereliqueris Dominum, proijciet te in æternum. Sic dixit Salomoni David: ergone pro quocumque peccato incurritur æterna damnatio? nonne & Deum offendit David, & tamen ſalvatus eſt? Nota, quod aliud eſt relinquere Deum, aliud derelinquere: relinquit qui peccat conſilio ſubito: derelinquit qui peccat conſilio definito: primus admittitur facilè ad pœnitentiam; ſecundus proijcitur à Deo in æternum ob perſeverantiam finalem in peccato. *Pſalm.*118.*c*.6.*v*.7.

22. ***Conſcientia pura eſt aurum, quo confingitur homo ad ſimilitudinem Angelorum.***

Aurum puriſſimum dedi, ut fieret ex eo ſimilitudo Cherubim ſecundum opera exemplaris, &c. Cur voluit, ut fieret imago Cherubim ex auro puro? Nota myſticè aurum purum eſt conſcientia pura, quæ in vitiis ſpiritualibus potiſſimè invenitur, propter quam vita Angelica in ea ſimilis potiſſimè reperitur: iſti enim lumine fidei vident Deum, & per amorem ipſi inſeparabiliter adhærent. *op. Eccleſ. Hierarch.p.*1.*c*.3.

CAPUT

CAPVT XXIX.

23. Deus summè detestatur effusionem sanguinis humani.

Filium meum unum elegit Deus adhuc puerum, & tenellum, &c. Ita dixit David populo: sed cur Deus voluit, ut Salomon eligeretur puer, & tenellus ad hoc, ut ab ipso ædificaretur domus sua, & non potius David sanctissimus? quia Salomon erat tanquam puer Immunis ab effusione sanguinis humani, & in pace cum omnibus: David autem effuderat multum sanguinem hominum, etiam licitè, ideo noluit Deus, ut David ædificaret templum. *in sap. cap. 9.* Disce ex hoc, quam Deus abhorreat effusionem illicitam sanguinis humani, quod potest inferri ex hoc quod Iudices effundentes sanguinem hominum ex debito justitiæ, ob idque, justè, & meritoriè, tamen irregularitatis nota sunt signati in foro Ecclesiastico.

24 Vota, & oblationes Deo fiunt in templa pro gratiarum actione.

Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, &c. Nota, quod hæc vota fiebant in gratiarum actionem pro beneficijs à Deo receptis. *in Luc. cap. 21. v. 1.* ut videas quod gratiarum actio est una ex oblationibus charioribus, quæ Deo fiant.

25. Benedicimus Deum in gratiarū actionem.

Et benedixit Domino David coram multitudine, &c. Quid indiget Deus nostris benedictionibus? sed nota, quod benedicimus Deum in gratiarum actionem pro beneficijs receptis. *in Luc. cap. 1. v. 68.* Nota etiam, quod sic benedicendo Deum, benedictionem ab ipso recipimus.

26. Omnia quæ habemus etiam sine obligatione peccati Deo debemus.

Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus; dedimus tibi. Nota humilem sensum sancti Regis David, qui cum obtulisset varia vota Deo, omnia tanquam Dei propria ab ipso recognoscit: unde si acceptat oblata, est meræ suæ bonitatis effectus. *in Luc. cap. 7. v. 42. & cap. 16. v. 1. & cap. 17. v. 9.*

27. Villici Dei sumus, quia ab ipso omnia recipimus.

Tua sunt omnia, &c. Ergo villici Dei sumus, & ab ipso omnia, quæ habemus, recepimus, tanquam œconomi, & dispensatores. *in Luc. capite 16. v. 1.* ut videas, qua humilitate, & submissione coram Deo adstare debemus in oblationibus nostris.

28. Peregrini sumus, & advenæ coram Domino, &c. Sic fatetur David dicens: *Peregrini etiam sumus coram te, & advenæ: dies nostri sicut umbra super terram. in Luc. c. 16. v. 1.*

29. Cum Deus à divitibus ordinavit eleemosynam, petit ab ipsis quod suum est.


Tua sunt omnia, & quæ de tua manu accepimus; dedimus tibi. Notent hoc dictum divites, quando enim Deus ab ipsis exigit eleemosynam, tunc petit, quod suum est: ideo valdè ingratus est, qui pauperi opem negat. *Diat. salt. tit. 2. c. 7.*

30. Vita nostra sicut umbra pertransit, ideo in ea non est fidendum; sic loquitur David hic: *dies nostri sicut umbra sunt super terram.*

31. Dilectio proximi exigit affectionem in affectu, & simplicitatem in intentione, sic enim Deo placebit, ut dicit hic Psalmista: *scio Domine, quod probes corda, & simplicitatem diligis. Psalm. 118, cap. 8. v. 1.*

32. Quis est, qui diligit, & servit Deo in simplicitate cordis.

Scio Domine, quod corda probas, & simplicitatem diligis. Quis est, qui simplicitate servit Deo? qui unicum bonum, & summum, quod indivisibile est, intendit; ideo qui Deo, & mundo servire intendit, non operatur in simplicitate cordis. *in Luc. cap. 11, v. 34. & c. 18. v. 16.*



LIBER SECUNDUS PARALIPOMENON.



CAPVT III & IV.

33. In anima justi est atrium, sanctuarium, & sanctum sanctorum mysticè.

In templo Salomonis fuit atrium, sanctuarium, & sanctum sanctorum. Nota hæc dicuntur mysticè de Ecclesia: nam in ea, qui vivi sunt per gratiam dicuntur esse in atrio Ecclesiæ, & non foras: qui habent stolam innocentiæ, dicuntur esse in sanctuario, & qui utrumque habent in sancto sanctorum. *Psal. 65.*



CAPUT V.

34 *Sonus Prædicationis fit per tubam: sonus orationis per organa.*

De tubis, & organis sonitus longè audiebatur. Sic dicitur de musica, quæ in templo Salomonis resonabat: mysticè idem debet fieri in Ecclesia: nam sonitus tubæ, est prædicationis: sonitus organi est orationis; de tuba flatus venit ab ore, scilicet à Cœlo in terram, quia procedit de ore Dei; de organo flatus venit à terra ad Cœlum; ad quod requiruntur claves, & folles, quæ manu præmuntur, idest, ut benè operationes adjuvent sonum orationis. *ferm.4.Dom.2.post Pentec.*

35. *Locus electus ad colendum Deum proprius est Hierusalem, locus scilicet pacis.*

Elegi Hierusalem, ut sit nomen meum in ea, &c. Vide quomodò ad litteram Deus elegerat Hierusalem tanquam locum proprium ad cultum Dei, & ideo volebat, ut ibi tribus vicibus proficiscerentur Israelitæ ad colendum Deum. *in Luc. cap. 2.v.22. & 42.* Mysticè Christus elegit Hierusalem scilicet locum pacis ad moriendum ibi, ut in cruce paticos regnum virtutis, sacerdotium sanctitatis, & legem judicij, & veritatis gentibus daret: gerit enim typum Ecclesiæ animæ sanctæ, & Hierusalem superoæ. *in Luc.c.18.v.31.*

36. *Oratio fundenda ad Deum cum externa dispositione corporis secundum qualitatem orationis.*

Stetitque Salomon super basim aneam, & deinceps flexis genibus contra universam multitudinem, scilicet facie ad terram versus, & manibus levatis in Cœlum ait Domine Deus, &c. Vide quomodò Salomon volens orare tali dispositione corporis se aptavit; & quia multiplex dispositio corporis orantium habetur in facra Scriptura in Moyse, in Salomone, in Magdalena, in Christo: hinc discamus, quod aliquando debemus in orando corpus totaliter erectum, & faciem versam ad Cœlum supertius, & hoc præcipuè cum in contemplatione mysteriorum cœlestium versamur: aliquando facie, & corpore ad terram verso, ut quando humiliter petitur venia peccatorum; istæ enim, & similes industriæ exteriores multum adjuvant orationem nostram. *op.myst.Theol.c.3.p.3.*

37. *Orationis instãtia debet habere tres socias.*

Exaudi preces famuli tui, &c. Vide quomodo Salomon nos suo exemplo docet, quod oratio fervens debet habere tres socias, scilicet humilitatem, affectuositatem, & importunitatem: prima ungit, secunda pungit, tertia urget. *Psalm.118.c.10.v.1.*

38. *Ecclesia est locus orationis, in quo Deus facilius exaudit.*

Quicumque oraverit in loco isto exaudi de habitaculo tuo, ideft de Cœlis, &c. & subdit, *si deprecatus fuerit in domo orationis exaudietur.* Cur restringit orationem in templo fundendam? nonne in omni loco orandum est: quia domus orationis est Ecclesia, & in ea facilius Deus exaudit. *ferm. 4. de dedicat.*

39. *Pœnitens verus facile à Deo exauditur.*

Si conversi fuerint ad pœnitentiam, & fuerint deprecati, &c. In his verbis edocemur, quam Deo placeat pœnitentia, & quomodò pœnitens verus, si ad Deum confugerit in oratione, maximè in domo Dei, exauditur, & liberabitur ab infestatione Diaboli. *ferm.1.in die Cinerum.*

40. *Deo serviens habet ipsum magistrum docentem vias salutis.*

Domine doce eos viam bonam per quam ingrediantur, &c. Ita dicebat Salomon; sed cor ipse, cum esset sapientissimus, non instruebat suos populos, sed rogabat Deum, ut ipsos immediatè doceret? quia ultra doctrinam exteriorem, requiritur interior, quæ est à Deo per aspirationem, & adhortationem, compunctionem, & devotionem, eosque illuminans interius circa viam salutis. *Psalm. 118. c.2.v.10.* Hinc mirum non est, si tot viri alioquin idiotæ, sed verè spirituales altissimis mysterijs sacræ Scripturæ à Spiritu Sancto imbuti sunt.

41. *Obedientia est via, quam ostendit nobis Deus ad ingrediendum in Cœlum.*

Doce eos viam bonam, per quam ingrediantur. Quæ est hæc via? via hæc est una scilicet obedientia; quæ non solum est una amplectens cæteras omnes virtutes; & vera, quia spiritualis, sed etiam bona, quia omnia temporalia facit renunciare. *Psalm.118.c.3.v.5.*

42. Solus Deus scrutator cordium, sic dicebat Salomon. *Tu solus nosti corda omnium*; quare nec Dæmones, nec Angeli possunt abdita puta cordis præcisa revelatione cognoscere. *l.2.d.8.p.2.q.6.*

43. *Deus requiescere dicitur ut in lecto, in monasterijs sanctarum congregationum.*

Nunc consurge Domine in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ. Quomodò dicitur Dominus requiem sumere? & in quo lecto requiescere potest? præterea quæ arca est hæc, quæ cum Deo requiescere dicitur? mysticè hæc debent intelligi: Hæc arca namque est Ecclesia, cum qua Deus dicitur requiem sumere in lecto spirituali monasteriorum, in quibus congregantur homines ad cultum Dei exercendum. *Psalm.131.*

44. *In anima mortificationibus voluntarijs subjecta requiescit Deus.*

Nunc consurge in requiem tuam. Nota etiam, quod hæc requies, seu lectus, in quo requiescit Deus est anima, quæ per opera mortificationis ad se attrahit Deum. *Psalm.131.*

45. *Uterus Beatæ Virginis lectus fuit requiei Christi.*

Nunc consurge in requiem tuam, tu & arca, &c. Nota mysticè hæc arca est Beata Virgo Maria, in

cujus

ejus utero requievit Christus : unde in his verbis prophetabat Salomon , & expetebat Incarnationem Verbi in utero Mariæ Virginis. *Psal.* 133.

46. *In præsepe post nativitatem Christus requievit.*

Nunc consurge in requiem tuam , tu & arca, &c. Nota , quod hæc arca est humanitas assumpta à Verbo, hæc requievit in præsepe jumentorum post nativitatem. *Psalm.* 133. Idem & potest dici de sepulchro post suam mortem. *ibid.*



CAPUT VII.

47. *Prostratio corporis ex humilitate Deo placita , & in Religionibus piè introducta.*

Omnes filij Israel videbant descendentem ignem, & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt. Vide unde orta est laudabilis consuetudo religiosorum, qui aliquando proni in terram Deum adorant cum humilitate , & maximè cum descendit ignis gratiæ , & splendet super domum conscientiæ, qui mos est valdè pius Deoque placitus. *Psal.* 118*c.*2.*v.*9.

48. *Celebratio festorum cum octava in Ecclesia quare introducta, ejusque mysteria enarrantur.*

Fecitque collectam die octavo , eo quod dedicasset Altare septem diebus , & solemnitatem celebrasset diebus septem. Cur in die octavo fecit collectam, & non septimo ? & cur septem diebus istæ solemnitates celebratæ sunt ? ad indicandum maximum mysterium ; Dedicatio altaris duravit septem diebus ; celebratio solemnitatis tabernaculorum aliis septem diebus , & deinde octava collectam fecit : quid est hoc ? quia septem diebus ante octavam celebramus festa sanctorum, quasi septenario hujus vitæ dies octavs significat glorificationem, quam expectamus ; qui igitur sanctè vivunt in cursu hujus vitæ, colligentur ad festum Paradisi in octavs. *Psalm.* 29.

49. *Qualia beneficia conferat veneratoribus templi, & in eo orantibus.*

Fecitque collectam die octavo , &c. Cur per octo dies in dedicatione Altaris, & celebratione solemnitatis fecit festum Salomon? ad indicandum, quod octo beneficia conferuntur venerantibus Ecclesias, & in iis devotè orantibus. Primum est exauditio facilis eorum , quæ petuntur ; secundum liberatio à tentationibus ; tertium est fœcunditas terræ , & alienatio sterilitatis ; quartum salubritas , & sanitas ab infirmitatibus : quintum consolatio in tristitia ; sextum est prosperitas in adversitatibus; septimum victoria de inimicis ; octavum est incolumitas in periculis. *ser.* 4. *de dedicat.*—

50. *Propter peccata inducitur sterilitas terræ, & ariditas aeris : propter orationem fœcunditas , & pluvia.*

Si clausero Cælum , &c. Ecce quod misericors Deus docet undenam oritur sterilitas terræ, & ariditas aeris, & quibus remediis abigenda ; nempe propter peccata sterilitas terræ materialis, & animæ quoad gratiarum influxum nobis advenit : remedium est confugium ad Deum in oratione, & maximè in templo. *ser.* 4. *de dedicat. templi.*

51. *Ecclesia introducta est , & concursus populorum in eam ad colendum, & orandum Deum.*

Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui oraverit in loco isto, &c. In quonam loco ? nonne Deus semper habet oculos apertos? locus iste est domus Ecclesiastica, quæ facta est, ut ibi congregentur populi ad colendum Deum per actum orationis , in qua Deus oratur, & adoratur, & ideò facilius exauditur orans in loco isto. *In Luc.* 19. *v.* 46. *& ser.* 4. *de dedicat.*



CAPUT VIII.

52. *Holocaustum perfectum vult Deus à nobis.*

Tunc obtulit Salomon holocausta super altare, &c. Post tot solemnitates Salomon obtulit holocausta super altare ad hæc ordinatum , jussitque ut perpetuò ministri deputati idem facerent ? Mysticè indicatur nobis quod tota vita nostra , operationes, & intentiones dirigendæ sunt ad offerendum holocaustum Domino : hoc autem est sacrificium, quod totaliter igne consumitur , signatque omne opus sive corporale , sive spirituale , quod Deo offertur, vel offerendum est Deo igne ardentissimæ charitatis , quodque perficietur in gloria. *op. de dono sap. c.* 11.



CAPUT IX.

53. *Anima quomodò constituitur regina in regno spirituali Christi.*

Regina quoque Saba cum audisset sapientiam Salomonis venit, &c. Ecce quod Regina potentissima venit illecta à sapientia Salomonis ad eum videndum , & audiendum ; quid significat hoc ? nihil aliud nisi quòd anima , quæ regnum suum in pace possidet, & verum Salomonem contemplatur , verè Regina est in regno Ecclesiæ : verè enim reges sunt, qui rectè agendo regunt , & gubernant seipsos ; omnesque isti introducuntur ad mensam cælestem Christi ; isti contemplantur sapientiam, domum ædificatam, scilicet humanitatis, cum septem columnis donorum Spiritus Sancti plenam thesauris Dei , cum apparatu ferculorum omnis generis , scilicet summi boni , cum assistentia tot ministrorum cælestium ; & verè beati Reges. *op. de dono sap. c.* 11.

54. *Sapientia cælestis hominibus recondita infunditur à Deo in animabus sanctis.*

Vicisti famam virtutibus tuis. Hoc dixit Regina Saba

Saba Salomoni, &c. hoc & veriùs dicitur de animabus ſanctis, quarum virtutes ſuperant famam, quia Deus in oratione inſpirat ſapientiam ſuam io devotione: ad cujus notitiam perfectam non pervenit mundus. *ſerm.de Sancta Eliſabeth.*

55. *Viſio Dei eſt merces fidei in gloria.*

Beati ſervi tui, & hi, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, &c. Hoc dixit hiperbolicè Regina Saba; ſed verè dicitur de Beatis in gloria, quia enim continuè elatè vident Deum, ideò beati; quæ viſio eſt præmium fidei, & perfectiva memoriæ. *Pſalm. 118.c.1.v.1.*

56. *Laus potiſſima juſtorum maximeque Beatorum eſt circa dilectionem Dei.*

Quia diligit Deus Iſrael, & vult ſervare eum in æternum, idcircò poſuit te Regem ſuper eum. Nota: Salomon Chriſtum ſignificat: Iſrael electos, hos Deus Pater vult ſervare in vita æterna ex dilectione, quia conſtituit propter hoc ſuper eos Regem Chriſtum: ideò Regina Saba, ſcilicet anima ſancta veniens in cæleſtem Hieruſalem ad cæleſtem Salomonem, laudat hanc æternâ dilectionem:hæc eſt perfecta laus Beatorum.*ſer.1.fer.2.Pentec.*

57. *Aromata quanam placeant Chriſto: ubi de aromatibus Sanctæ Mariæ Magdalenæ.*

Non fuerunt aromata talia, qualia hæc quæ dedit Regina Saba Salomoni. Nota: myſticè hic agitur de oblationibus, quæ ab anima ſancta debent fieri Chriſto: aromata autem ſunt humilitas, & familiare obſequium cum devotione, hæc ſuperant valorem aliorum mundi aromatum, & talia exhibuit Magdalena Chriſto figurata in aromatibus à Regina Saba Salomoni oblatis.*in Luc.c.7.v.37.*

58. *In anima munda, & caſta requieſcit Deus, ut in throno.*

Fecitque Salomon ſolium de ebore, &c. Quiſnam eſt thronus eburneus Chriſti figurati in Salomone, niſi anima munda, & caſta, in qua veluti in throno requieſcit. *op.Eccleſ.Hier.p.1.c.1.*

59. *In utero Beatæ Virginis Mariæ,ut in throno eburneo requievit Chriſtus.*

Fecitque Salomon thronum eburneum, &c. Myſticè hic thronus eburneus eſt uterus Beatæ Virginis Mariæ, quem ſibi ædificavit Chriſtus mundiſſimum, & potiſſimum. *op.Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*

60. *In anima qualiter ſpiritualiter erigatur thronus Chriſti per ſex gradus.*

Fecitque Salomon thronum grandem, ad quem aſcendebatur per ſex gradus. Cur per ſex gradus?quia ſex gradus ſunt, quibus ad ſeptimum aſcenditur, qui eſt thronus Chriſti; primus gradus eſt pudicitia in carne; ſecundus ſimplex innocentia in mente: tertius modeſtia in ſermone: quartus eſt ſuadibilitas in affectu: quintus liberalitas in effectu: ſextus eſt maturitas in judicio: ſeptimus eſt ſancta ſimplicitas in intentione, hocque gradu attingitur culmen Cæli, & conſtituitur anima thronus Chriſti; nam intentio pura relictis omnibus, tendit, & portat animam in Deum. *ſerm.2. Hexaem.*

61. *Qui ſunt verè Reges deſiderant videre faciem Chriſti.*

Omnes Reges terræ deſiderabant videre faciem Salomonis, &c. Vide quomodò fama miraculorum Chriſti præfigurata fuit in fama Salomonis:oſtenditur;quòd Reges deſiderant videre vultum Chriſti; Reges inquam, qui regere ſciunt regnum animæ. *op.de dono ſap.c.11.in Luc.cap.4.v.14.& cap.6. verſ.17.*

CAPUT X.

62. *Verba dulcia ligant homines,&c.*

Si placueris populo huic, & lenieris eos verbis clementibus ſervient tibi, &c. Nota:hoc fuit conſilium, quod ſeniores dederunt filio Salomonis, quia ut prudentes ſciebant, quòd verba dulcia;& clementia ligant homines, eoſque inducunt ad amorem, & fiduciam. *Pſal.118.c.10.v.3.*

CAPUT XIII.

63. *Diſcretio quàm neceſſaria in Prælatis.*

Roboam erat rudis, & corde pavido, nec poterat reſiſtere eis. Vide qualitates hujus Principis, & quarè non valet reſiſtere ſubditis ſe ejus diſpoſitionibus opponentibus:rudis erat, & pavidus corde; ſed unde proveniebat hæc ruditas, & pavor? ex defectu diſcretionis, & circumſpectionis, hæc enim docet quid agendum, & qualiter: ideò ob defectum talis virtutis homo in extrema ſemper deflectit, & ob id ſicut ſine ipſa zelus præcipitat, compaſſio excedit, ſic & patientia remiſſum in regiminis vigore facit, quia rebelles ſub ſpecie humilitatis non reprimit. *opuſcul. de ſex alis Seraph. cap.7.*

64. *Dux generalis exercitus Chriſtiani eſt Chriſtus: Sacerdotes ſunt duces particulares ei ſubordinati.*

Ergò in exercitu noſtro dux Deus eſt, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & reſonant contra vos. Sic dicebant filij Iſrael, ſed falsò, eum eſſent rebelles contra proprium Principem; ſed verè hæc poſſunt dici à Chriſtianis, quorum dux univerſalis eſt Chriſtus, qui ducit populum per deſertum hujus mundi, protegens meliùs quàm Iſraelitas in deſerto ab æſtu vitiorum, & illuminans contra tenebras errorum, expandens nubem lucidam veritatis revelatæ ſuper eos: Duces particulares ſubordinati Chriſto ſunt Sacerdotes, & Eccleſiæ rectores, qui prædicando verbum Dei clangunt tubis: ſed væ iis, qui cæci ſunt, & duces facti ſunt cæcorum.*ſerm.1.in Epiph.*


CAPUT



CAPUT XIV.

65. *Bonum non est bonum, nisi fiat secundùm beneplacitum Dei.*

Fecit Asa quod est bonum, & placitum erat in conspectu Dei sui. Nota illam connexionem boni, & placiti; nam bonum non est bonum, nisi fiat secundùm beneplacitum Dei; idest modo, & tempore à Deo ordinato. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 7.



CAPUT XV.

66. *Deus non derelinquit hominem, si priùs homo non derelinquit Deum.*

Si dereliqueritis Dominum, ipse derelinquet vos. Vide quinam sunt illi, qui derelinquuntur à Deo, nempe qui priùs Deum derelinquunt consilio pravo definito. *Psal.* 118. *c.* 6. *v.* 7. Quarè Deus nisi repellatur, à nobis non abscedit. *in Luc. c.* 8. *vers.* 37.

67. *Cum quibusnam dicitur propriè Deus esse.*

Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, &c. Ergone Deus tantùm est cum iis, qui sunt cum Deo? nonnè Deus est in omnibus, & cum omnibus immensus, ob id præsens? Nota illam particulam (*cum;*) hæc particula autem importat associationem cum mutua conformitate voluntatis: & ideò solùm boni propriè dicuntur esse cum Deo. *l.* 2. *d.* 37. *p.* 1. *dub.* 1. Est igitur Deus cum bene viventibus in conversatione, cum patientibus in tribulatione, cum viriliter pugnantibus in bello, cum bene regentibus in prælatione. *serm.* 4. *in Vigilia Nativ.*

68. *Deus tantùm invenitur ab ipsum quærentibus.*

Si quæsieritis Dominum invenietis. Ecce quinam sunt, qui inveniunt Deum; solùm enim inveniunt, qui illum quærunt: sed adverte, quòd in hac perquisitione requiritur temporis opportunitas, loci congruitas, quærentis humilitas, & quæsiti utilitas; primum respicit tempus hujus vitæ: secundum cor, in quo quærendus est: tertium respicit modum, quo humiliter est quærendus, & hinc sequitur utilitas particularis, scilicet inventio Domini. *fer.* 5. *Dom. infrà oct. Epiph. & fer.* 6. *in Regat.* Qui igitur mala intentione, vel solùm ob temporalia, vel indebitè quærunt Deum in oratione, ipsum non inveniunt. *in Luc. c.* 11. *v.* 10.

69. *In exitu animæ è corpore non est pax habitatoribus terræ; sed tantùm habitatoribus Cœli.*

In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum. Sed quodnam tempus hoc tam infaustum, in quo egredientibus non erit pax, & pavor occupabit omnes habitatores terrarum? Nota: tempus hoc est tempus exitus animæ è corpore: Nota etiam, quòd inter homines alij sunt habitatores terræ, alij Cœli: terræ habitatores sunt carnales, & mali terrenis vitiis, voluntate, opere, & consuetudine: habitatores Cœli sunt viri spirituales; istis quidem in morte est pax maxima ob serenitatem conscientiæ, & protectionem Angelorum: illis non est pax in egrediendo, & in ingrediendo, quia circumdantur ab inimicis, torquentur, & sine pace ingrediuntur in infernum. *serm.* 3. *fer.* 3. *post Pascha, & serm.* 12. *in Pentecost.*

70. *Spes retributionis confortat hominem in arduis.*

Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestra, erit enim merces operi vestro. Vide quo merito excitat Deus laborantes in hac vita, nempe proponendo præmium ab ipso paratum: spes enim remunerationis valdè confortat laborantes, & adjuvat fortitudinis virtutem. *op. comp. Theol. lib.* 5. *cap.* 36.

71. *Omnis homo tenetur quærere Dominum sub pœna mortis.*

Si quis non quæsierit Dominum moriatur à minimo usque ad maximum, à viro usque ad mulierem. Vide ergo, quod nemo excipitur, sed omnes sive potentes, sive impotentes, sive litterati, sive indocti tenentur quærere Dominum sub pœna mortis æternæ. *fer.* 6. *Dom. infrà oct. Epiph.*



CAPUT XVI.

72. *Medicorum ars subjaceat naturæ, & divinæ potentiæ viribus.*

Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est, & mortuus est. Ergone mortuus est, quia confugit iste Rex in infirmitate sua gravissima ad medicorum artem? nonne creavit Deus medicinam pro utilitate hominum? Nota verba, & signa mysteria: nota inquam quod dicitur, *in arte medicorum magis confisus est*: ergo in hujus artis exercitio etiam medici deliquerunt, quia eorum ars, seu artis exercitium, non fuit subordinatum divinæ potentiæ, ad quam medici debent aspirare: medicus enim si vult in sua arte proficere debet sequi, & subordinari naturæ, & divinæ potentiæ; & ideò plus debet confidere in divina virtute, quàm medicinæ. *in Luc. c.* 8. *v.* 44: Et hinc medici debent curare primò, ut infirmus purget conscientiam per pœnitentiam, ut cessante causa, cesset effectus. *fer.* 3. *Dom.* 5. *post Pentec.*

73. *Infirmus priùs debet confugere ad Deum, quàm ad medicum corporalem.*

Ægrotavit Asa dolore pedum, nec in infirmitate quæsivit Dominum, &c. Ecce admonitio necessaria non solùm medicis, sed magis, & infirmis, quia enim sæpe ob peccata Deus immittit infirmitates; hinc ut auferatur causa, primò debent ad Deum per pœnitentiam recurrere. *fer.* 3. *Dom.* 5. *post Pentec.*

Hinc

Hinc cauſa quarè ſæpe medicamenta non proficiunt, nec medici ſanant, quia non auferrur radicalis cauſa infirmitatum, confidunt enim magis in arte medicorum, quàm in Deo, exemplo hujus perverſi Regis.

74. *Stulti deſpiciunt medicinam animæ, volentes potiùs medicinam quærere pro aſino corporis.*

Ægrotavit Aſa, &c. Vide quomodò iſte perverſus cum eſſet infirmus in anima, & in corpore, & relicta medicina animæ, quæſivit medicinam pro corpore: ſic ſtulti plures volunt potiùs medicinam quærere pro aſino ſuo, ſcilicet corpore, & retinere infirmitatem in anima abſque medicina pœnitentiæ, quæ eſt ſanativa ab omni infirmitate, & langoore ſpirituali. *fer.3.Dom.14.poſt Pentec.*

75. *Invidia eſt podagra ſpiritualis ducens ad mortem.*

Ægrotavit Aſa dolore pedum, & mortuus eſt. Nota, quod Aſa ratione podagræ ſignificat Invidum: podagra enim tollit greſſum corporis: invidia profectum ſpiritualem; nec requirit in ſua infirmitate Dominum propter difformitatem ſuæ voluntatis cum divina; ducitur autem ab hac infirmitate ad mortem, ideſt quando videt proximum proficere, tunc tanto languore livoris tabeſcit, & torquetur, quod moritur in infirmitate peſſima propter putridam putrefactionem totius hominis. *ſerm.1.Dom.4.quadrageſimæ.*



CAPUT XVIII.

76. *Per verbum Dei receptum devote intrat Spiritus Dei: per ipſum rejectum diſcedit.*

Per quam viam tranſivit Spiritus Domini ad me, ut loqueretur tibi, &c. Sic dixit Sedecias impius ſimul percutiendo maxillam Micheæ Prophetæ dum prophetabat mala ſibi eventura: ſed quænam eſt hæc via, per quam venit, & recedit Spiritus Dei? Nota, quod via per quam tranſit ſpiritus veritatis ad cor eſt verbum Dei à Prædicatore prolatum, & ab auditoribus receptum: ſi enim devotè recipitur, tunc intrat ſpiritus Dei: ſi contemnitur, tunc recedit, & tranſit. *Pſalm.118.cap.10.v.7.*



CAPUT XIX.

77. *Amicitia bonorum cum malis Deo exoſa.*

Impio prabes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, &c. Sic dixit Propheta Regi Ioſaphat, qui fœdus fecerat cum impio Achab, ut pateret, quod amicitia bonorum cum malis eſt Deo exoſa, eo quia boni facilè corrumpuntur malis exemplis. *ſerm.10. de Apoſtolis.*

78. *Vir quantumcumque iuſtus indiget pœnitentia; quia nemo ſine crimine vivit.*

Impio prabes auxilium, idcircò iram Dei merebaris; ſed bona inventa ſunt in te, eo quod praparaveris cor tuum ad requirendum Dominum, &c. Vide, quod iſte Rex ſanctus non eſt inventus ſine culpa; & quia egit pœnitentiam, ideò Deus illi pepercit; & hæc eſt cauſa, quarè ſancti ſemper pœnitentiam amplexi ſunt, quia nemo ſine crimine vivit. *fer.2.de Sancta Agnete.*

79. *Iudices conſtituti ad iudicandum, perſonam Dei repræſentant.*

Videte quid faciatis, non enim hominis, ſed Dei exercetis judicium. Ita dicebat Rex Ioſaphat ſuis judicibus conſtitutis ad judicandum in civitatibus, proponendo enim ipſis, quod gerebant perſonam Dei judicantis; volebat ut abſtinerent ſe ab acceptione munerum, & perſonarum, & ab omni acto injuſtitiæ. *opuſc.Eccleſ.Hierarch. part.2.cap.2. & in Ioan.c.7.v.24.*

80. *Religioſorum munus eſt eum diligentia, maturitate & religioſitate omnia facere.*

Cuncta cum diligentia facite: agite diligenter, & erit vobiſcum Dominus in bonis. Hæc dixit Ioſaphat Rex ſuis judicibus: ſed veriùs diriguntur ad religioſos, quibus debitum incumbit omnia cum maturitate, diligentia, timore Dei; & religioſitate facere: qui ſic operantur habent Dominum ſecum. *ep.ſpecul.diſcipl.p.1.c.22.*

81. *Indifferentia in Prælatis quàm neceſſaria.*

Non eſt apud Deum iniquitas, neque perſonarum acceptio nec cupido. Si hoc eſt verum, ergo boni Prælati indifferentiam habere debent cum ſubditis; mediumque tenere virtutis, extremitates vitiorum fugiendo. *op.de Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*



CAPUT XX.

82. *Ieiunium Deo acceptum eſt, ſi confeſſio peccatorum ipſum comitatur.*

Ioſaphat timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit ieiunium in univerſo Iuda. Nota illam particulam (*in univerſo Iuda;*) Iuda interpretatur confeſſio; copulat ergo jejunium cum confeſſione, quia, qui vult, ut jejunium ſit Deo acceptum, debet per confeſſionem delere peccata. *ſerm.6.in die Cinerum.*

83. *Ignorans quid eligendum eſt in neceſſitatibus, debet ad Deum recurrere.*

Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Ita loquebantur viri Iuda exiſtentes in neceſſitate magna; per quod edocemur, quod exiſtentes in anguſtia, & ignorantes quid eligendum, ad orationem, & ad Deum recurrere debemus. *ep.comp. Theol.l.2. c.52.& op.centiloq.p.1.ſec.11.*

84. *In*

84. *In periculis, & in quolibet eventu præmuniri debemus oratione saltem mentali.*

Cum ignoramus, &c. hoc solum residui habemus, ut oculos nostros ad te dirigamus. Ecce optimum consilium: nempe debemus omnia agenda oratione saltem mentali prævenire, & nos præmunire ad omnes eventus oratione, & ad Deum recurrere; felix ille, qui oratione utitur pro remedio omnium suorum malorum. *opusc. de sex alis Seraph. c.* 8.

85. Pauperes oppressi à potentibus instruuntur hic ad confugiendum ad auxilium Dei, dicentes cum fiducia; *Non est nobis tanta fortitudo, ut possimus resistere tanta multitudini. in Eccles. c.* 4. *&* 9.

86. *Deus collocat nos sæpe in angustiis, ut cognoscamus nostram infirmitatem.*

Non est nobis tanta fortitudo, ut possimus resistere, &c. Id dicebat Iosaphat in magna angustia cognoscens suam infirmitatem: sic Deus nobiscum agit, ut agnoscentes nostram infirmitatem ad Deum pro auxilio confugiamus; & in oratione illud petamus. *in Luc. c.* 11. *v.* 4. *& c.* 22. *v.* 40. *& in Ioan. c.* 12. *v.* 27.

87. *Maria Virgo vallis benedictionis.*

Vocaverunt locum illum vallem benedictionis. Nota, quod in hac valle viri Iuda obtinuerunt miraculosè victoriam insignem contra hostes, & ideò vocaverunt illam vallem, vallem benedictionis; mysticè Vallis benedictionis est Beata Virgo ob humilitatem insignem ipsius significatam in valle, quia pro humilitate fuit repleta omnibus benedictionibus. *opusc. spec. Beatæ Virginis lect.* 15.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XXI.

88 *Invidus infirmitatem maximam patitur, & moritur egressione vitalium.*

Tu autem ægrotabis infirmitate pessima uteri, donec egrediantur vitalia tua, &c. & mortuus est, &c. Sic prophetavit Elias Ioram Regi pessimo, per quem significatur invidia infirmitas pessima: nam tabescit languore livoris, & torquetur, quando bonus proficit, ita ut videantur sibi viscera de suo ventre exire, & sic moritur in infirmitate sua pessima propter putrefactionem totius hominis, nam putredo ossium invidia est. *ser.* 1. *Dom.* 4. *quadrag. & serm.* 1. *Dom.* 20. *post Pentec.*

89. *Quicumque persecutor proximi moritur infirmitate pessima.*

Et super omnia percussit Ioram Dominus languore alvi insanabili pessimo. Ex pœna à Deo isti pessimo Regi illata, quia interfecit fratres suos discere, quod quicumque est persecutor fratrum, & proximorum suorum moritur infirmitate pessima. *fer.* 1. *Dom.* 20. *post Pentecost.*



CAPUT XXIII.

90. *Legis observantia requiritur non solùm in corde, & ore, sed & in opere.*

Dederuntque in manu ejus legem tenendam. Ita fecerunt Sacerdotes antequam ungerent Ioas in Regem: ut indicarent, quod lex ligat ad observantiam non solùm cor, & os, sed & manus, scilicet observanda corde, & ore, & opere. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 13.



CAPUT XXIV.

91. *Transgressio præceptorum Dei numquam utilitatem aliquam affert.*

Quarè transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit. Sic dicebat viris Iuda Ioiadas Sacerdos Domini: sic & omnibus hoc documentum dirigitur; nam unquam transgressio mandatorum Dei aliquam utilitatem attulit. *Eccles. cap.* 2.



CAPUT XXV.

92. *Sine Deo omnia consilia, & omnis potentia vana sunt, & inutilia.*

Dei est adjuvare, & in fugam convertere. Sic dicebat Sacerdos Regi Amasiæ, suadens eum, ne se opponeret hostibus, nec confideret in robore sui exercitus, eò quia Deus non erat cum Israel, & quia ubi est Deus, ibi omne robur, & bonum: ubi abest Deus, ibi vana sunt consilia, apparatus, & omnis potentia. *Psal.* 118. *c.* 8. *v.* 5.



CAPUT XXVI.

93. *Temperantia politica quàm necessaria, & utilis Principibus.*

Fecitque Ozias quod erat rectum in oculis Domini juxta omnia, quæ fecerat Amasias Pater ejus. Vide quomodò iste Rex prosperatus est in suo regimine à Deo, & hoc quia veram politicam observavit; nempe temperantiam, quæ docet nihil appetendum, pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, & sub jugo rationis cupiditatem domare. *ser.* 1. *Hexaem.*

94. *Fama præconium virtuosum est, quando fundatur in bonis operibus.*

Egressumque est nomen Oziæ procul, eo quòd auxiliaretur ei Dominus, &c. Vide quomodò Sacra

Scriptnra nutat cvulgationem numinis iſtius Regis; ut pateat, quod talis evolgatio eſt opos Dei, quandu fundata eſt in rectitudine vitæ; ſicut & legitur de Chriſto. *in Luc. cap.7. verſ.17. & cap.4. verſ.37.*

95. *Superbia grande malum lepra ſpiritualis.*

Et cum Ozias roboratus eſſet, elevatum eſt cor ſuum in interitum ſuum, & neglexit Dominum, & tenens manum, ut adoleret incenſum; orta eſt ſtatim lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini. Vide effectus ſuperbiæ iſtius Regis: nam cum elevatum eſſet cor ejus in ſuperbiam, Deus in pœnam peccati immiſit in eum lepram: per quod datur intelligi, quòd peccatum ſuperbiæ eſt lepra ſpiritualis, reddens animam ſimilem Dæmonibus, & exoſam Deo, & Angelis. *ſer.1.Dom.3.poſt oct.Epiph.& in Luc.c.17.v.13.*

96. *Immunitatis Eccleſiaſticæ invaſio, fractioque avocat iram Dei.*

Iratuſque Ozias tenens manu thuribulum minabatur Sacerdotibus, &c. Vide quomodò iſte Rex volens contra mandatum Sacerdotum munus Sacerdotale uſurpare, à Deo corripitur lepra: timeant & hoc, qui jura Sacerdoalia, & Eccleſiaſtica invadunt; nam tale peccatum ſenſibiliter à Deo punitur. *ſerm.1.Dom.13. poſt Pentecoſt. & in Luc. c.5. v.9. & c.17.v.13.*

CAPUT XXX.

97. *Deus à nobis laudandus præcipuè, quia potens, ſapiens, & clemens.*

Pius, & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non avertet faciem ſuam à vobis, ſi reverſi fueritis. Audi Ezechiam Regem, qui volens inducere populum ad Deum laudandum, & ſectandum proponit clementiam, & pietatem ſuam erga pœnitentes: Deus enim laudandus, & honorandus eſt præcipuè, quia potens, ſapiens, & clemens eſt. *Pſalm.118. in titulo 2. expoſit.*

98. *Ordo ſervandus eſt in publicis miniſteriis Eccleſiæ, & Religionum.*

Steteruntque Sacerdotes, & Levitæ in ordine ſuo iuxta diſpoſitionem & legem Moyſis hominis Dei. Nota ordinem, quem ſervabant miniſtri templi; ſed cur additur, quod talis ordo fuit ſecundùm diſpoſitionem, & legem Moyſis hominis Dei? cur dicitur, quod Moyſes erat homo Dei? ut pateat quòd talis ordo fuit conſtitutus ex inſpiratione divina: datque intelligere Spiritus Sanctus, quod in miniſteriis Eccleſiæ, & religionum ordo debet ſervari, ſic enim exigit auctoritas divina, æquitas, & honeſtas: & ſi oppoſitum fiat, contra religionem fit, eſtque abuſio, & irreverentia patens. *ep. ſpecul.diſcipl.p.1.c.6.*

99. *Bonitas Dei maximè relucet in condonatione peccatorum.*

Bonus Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum. Vide quomodò appellatur Deus bonus ex eo, quod propitiatur, condonando culpas iis, qui ad ipſum confugiunt: Condonatio enim offenſarum maximè facit relucere divinam bonitatem. *Pſal.118. c.5. v.4.*

CAPUT XXXII.

100. *Oratio fervens facit triumphare de inimicis.*

Oraverunt Ezechias Rex, & Iſaias adverſum hanc blaſphemiam Sennacherib, &c. Vide quomodò in obſidione facta à Sennacherib Ezechias Rex, & Iſaias Propheta ad Dominum in oratione confugiunt, & per orationem triumpharont de hoſtibus: oratio enim inter alios plurimos effectus de inimicis triumphat. *op.de profec. religioſ. lib.2.cap.66.*

101. *Deum offendens retribuit mala pro bonis.*

Elevatum eſt cor Ezechiæ, quia non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, & facta eſt ira contra eum. Nota, quod ſicut iſte Rex demonſtratur ingratus, quia non retribuit iuxta beneficia maxima, quæ à Deo receperat: ſic & omnis, qui Deum offendit, benefacienti Deo malefacit, quod iniquiſſimum, & crudeliſſimum eſt. *in Luc. c.6. verſ.32.*

102. In multis ob ſuam culpam multitudo donorum occaſio eſt præſumptionis; qood patet in hoc Rege Ezechia: ſtent igitur cum timore, & tremore, qui à Deo beneficiis extraordinariis cumulantur. *in Luc. c.10. v.19.*

CAPUT XXXIII.

103. *Peccator quantumcumque maximus nunquam deſperet de divina miſericordia, ſed pœniteat.*

Manaſſes poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum Deum, & egit pœnitentiam valde, &c. & Deus exaudivit orationem eius. Diſce ô peccator ex hoc facto Manaſſes, qui in tot peccata enormiſſima ceciderat, poſtea pœnitentia ductus confugit ad Dominum, & Deus ei pepercit; quod numquam deſperandum, licet peccata ſint tam multa, ut arenam maris excedere videantur, ſed ad pœnitentiam, & orationem confuge, & Deus propitiabitur peccatis tuis. *ſerm.4. in Circumciſ. & ſer.3. Dom.22. poſt Pentec.*

104. *Qualis oratio ad Deum fructuoſior.*

Oravit ad Dominum, &c. Quomodò oravit? oravitne vocaliter, an mentaliter? Nota, quod oratio alia

alia est vocalis, alia purè mentalis: alia mixta; quænam autem ex his sit utilior, est distinguendum: nam in viris spiritualibus mentalis, & mixta est utilior, quia per istam fertur anima in Deum cognitione, & amore, & in iis, qui indigent provocari ex varia, & multiplici negotiorum distractione, utilior est vocalis, quæ juvat maximè ad talem finem; nam vocalia introducta est ad affectus accensionem, item ad intellectus instructionem, & ad faciliorem recordationem temporis orandi. *l.4.d.15.p.2.art.2.q.3.*

105. *Oratio qualis est magis satisfactoria.*

Oravit Manasses ad Dominum, &c. & Deus exaudivit illum. Hic notandum in oratione, quam fudit Manasses (quæ ponitur in fine Bibliæ extra libros Canonicos) & hic innuitur, iste pœnitens facit sæpe mentionem de malè commissis, in eaque se ostendit accensum ad gemitum, & quia in tali gemebunda oratione maximè laborant virtutes animales, & caro tabescit, ideò hæc magis est satisfactoria, & Deo placens. *lib.4. distinct.15.p.2. art.1.quæst.3.*

106. *Per orationem impetratur remissio non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.*

Oravit ad Dominum, &c. Sed quomodò oravit? quid intendebat? Audi quid dicit in oratione supracitata: *Peto Domine, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reserves mala mihi, &c.* Ecce quod petebat remissionem culpæ, & etiam pœnæ; hæc enim impetratur in oratione virtute meritorum Christi, *in Luc. c.7.v.48.*

107. Verus pœnitens quantumcumque à Deo gratiis foveatur, numquam tamen debet oblivisci suorum peccatorum, eaque in oratione debet remmisci: sic faciebat Manasses in sua oratione: *peccavi Domine, peccavi remitte mihi, &c.* Sicque recognoscens suam indignitatem, anhelat tamen simul ad charitatem perfectam. *in Luc. c.15.v.21.*

108. *Homo pœnitens accipiens remissionem peccatorum, totum ex Dei misericordia debet recognoscere.*

Oravit ad Dominum, &c. Quid intendebat Manasses in hac oratione? nihil aliud, nisi remissionem peccatorum, & recuperationem divinæ amicitiæ; & ut eam obtineret, totum refundit in divinam misericordiam, dicens, *salvabis me secundùm magnam misericordiam tuam:* nam homo quantumcumque faciat, totum debet refundere in Dei misericordiam. *in Luc. c.19.v.10.*

109. *Pœnitens debet confidere in bonitate divina, sed cum veneratione, & humilitate.*

Orabat ad Dominum, &c. Nota, quòd in sua oratione Manasses fatetur se ad Deum recurrere pro remissione peccatorum confisus in pura sua bonitate, quam reverenter amplexabatur dicens: *Tu Domine secundùm bonitatem tuam promisisti pœnitentiam remissionis peccatorum:* debemus igitur confidere in divina bonitate, sed tamen cum maxima reverentia, & humilitate. *Psal.118.c.3.v.15.*

110. *Vult Deus exercere suam bonitatem in remissione peccatorum, sed exigit à nobis pœnitentiam.*

Orabat ad Dominum, &c. Nota, quòd dicebat in hac oratione, *Domine secundùm bonitatem tuam promisisti pœnitentiam:* ideò copulat simul bonitatem Dei, & pœnitentiam nostram, quia bonitas divina est sicut aurum, quod est ponderosum, quia vult quidem exercere in nos suam bonitatem, sed eum pondere pœnitentiæ nostræ. *Psalm. 118. cap. 5. vers.1.*

111. *Dei ira super peccatores est insustentabilis: Misericordia est immensa, & sine termino.*

Orabat ad Dominum, &c. Nota, quod in oratione sua fatetur iste pœnitens, quod ira Dei est insustentabilis, nihilque ei potest resistere: è contra ejus misericordia est investigabilis, & immensa, quia est sine termino. *Psal.118.c.10.v.15.*

112. *Peccatum ligat hominem multiplici vinculo.*

Coangustatus oravit ad Dominum. Nota, quòd in oratione suas angustias exprimit dicens: *Incurvatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi, &c.* Veréque id dicebat, quia erat in captivitate positus; & per hoc significatur, quod homo propter peccatum circumplexus est vinculis originalis culpæ, quæ sunt plura remanentia post deletionem originalis; vinculis item reatus pœnæ; vinculis item corporalium miseriarum; unde verè potest dici, quòd sit incurvatus multo vinculo ferri, scilicet famis, sitis, frigoris, caloris, nuditatis, infirmitatis, aliarumque innumerabilium miseriarum, quæ non finunt hominem respitare; imò & ipsa voluntas est sibi contraria, & diversa quoad affectiones! ô misera vita nostra! *serm.1.domin.2. Adventus.*

113. *Deus affligit hominem ad extorquendam justitiam veluti pecuniam à nobis.*

Postquam coangustatus esset, oravit ad Dominum, &c. O felix, qui hunc peccatorem pœnitentem imitatur: sed nota, quod sicut captivi coangustantur vinculis ad extorquendam pecuniam: sic Deus sæpè coangustat peccatores ad extorquendam pecuniam, scilicet ad satisfaciendum justitiæ Dei, coangustantur inquam infirmitatibus, & adversitatibus: felix ergo est, qui Deo sic satisfacit; væ autem eis, qui postquam evaserunt ab infirmitatibus, emendationem nullam persolvunt; væ inquam eis, quia dum iterum comprehenduntur gravioribus vinculis coangustantur. *serm.3.Dom.9 post Pentecost.*

114. *In morte coangustatur terribiliter homo.*

Postquam coangustatus esset, oravit ad Dominum, &c. Vide figuram existentis in agonia mortis, in qua homo maximè coangustatur, quia oculi impediuntur, cor suffocatur, omnia membra torquentur, & anima ab omnibus membris solvitur, quia vult Deus ab homine tunc extorquere justi-

 tiam,

tiam ; ô quanta, & qualis anguſtia ! felix qui paratus pervenit ad tale extremum. *ſerm.3. Dom. 9. poſt Pentecoſt.*

CAPUT XXXIV.

115. *Deus maximè placatur per humilem pœnitentiam externam, ſi coniuncta ſit cum interna.*

Reveritus es faciem meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, ego quoque exaudivi te. Hoc dixit Deus Ioſiæ pœnitenti : ex quo patet, quòd Deus libenter, & facilè parcit eis, qui teverenter per pœnitentiam externam, & internam ad ipſum confugiunt. *Pſalm.118.cap.4. verſ.4. & cap. 2. verſ.16.*

CAPUT XXXV.

116. *Chriſti mors deflenda eſt à nobis.*

Luxerunt Ioſiam univerſus Iuda, & Ieruſalem. Vide figuram mortis Chriſti in morte Ioſiæ : hæc enim deflenda eſt à nobis, ſicut defletur ab Eccleſia quolibet anno per recitationem lamentationum Hieremiæ. *Thren.prol.& in Luc.c.23.v.27.& cap.24. verſ.27.*

117. *In morte quiſque vinctus remanet, & à Dæmonibus obſidetur.*

Surrexit Nabuchodonoſor, & vinctum catenis duxit in Babylonem, &c. Nota hæc eſt ultima captivitas Iudæorum, in qua nullus remanſit quin eſſet captivus, & ſervus : ſignificatque ultimam captivitatem hominis in morte, vel in judicio, ad quam conveniunt lætantes Dæmones, & tunc ondique mala occurrunt, nec ullus eſt, qui ab accuſatione defendat. *in Thren. capit. ſecund. in fine.*

118. *Quando Principes ſunt mali, & populus captivus fit Diaboli.*

Vniverſi Principes Sacerdotum, & populus prævaricati ſunt, &c. Nota, quod ob prævaricationem Principum, & Sacerdotum, ſecuta eſt prævaricatio populi, & inde captivitas. *Pſalm. 118. cap.11. verſ.1.*



LIBRI



LIBRI PRIMI ESDRÆ
PROLOGUS.

NOTANDUM primò quod iste liber tractat de reductione populi sub Iesu filio Iosedech, ritumque populi reparantis: item de instructione reducti per legis doctrinam, qui sacram Scripturam, & litteras præparavit; item de reædificatione murorum Jerusalem facta per Nehemiam, qui fuerunt tres Sacerdotes, & duces populi, in quibus præfiguratus est Christus quoad fervorem zeli, quo inardescebat pro reædificatione templi veri, quod sumus nos, & reparatione salutis. *op. Principium sacræ Scripturæ, & serm. 14. Hexaem.*

Notandum est etiam, quod isti duo libri sunt Canonici, quorum primus appellatur Esdræ: secundus Nehemiæ: alij duo apponuntur in fine Bibliæ tanquam non canonici, licet multam authoritatem habeant apud plures sanctos Patres, &c.

Notandum est, quod triplici modo Deus rexit populum Israeliticum: primò per Judices, ut in libro Judicum; secundò per Reges, ut patet in superioribus libris Regum: tertiò per Sacerdotes, & hoc tertium regimen incœpit post reditum Judæorum à captivitate Babylonica factum jussu Cyri Regis Persarum, & de hoc regimine agitur in sequentibus libris.



CAPUT I.

1. *Ecclesia est civitas à Christo ædificata.*

Ascendat in Ierusalem, & ædificet domum Domini Dei Israel, &c. Sic permittit Iudæis Rex Cyrus, ut Iudæi redirent à Babylone in Ierusalem, & ipsam reædificarent cum templo; idque fuit figura ædificationis Ecclesiæ factæ à Christo, ut in ea triumphaturemus de Diabolo. *serm. 3. Dom. 2. post Pentecost.*



CAPUT IV.

2. *Diabolus in baptismo nostro amittit potestatem super nos, & per peccatum revertitur in possessionem hominis.*

Nunc igitur notum sit Regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, & muri eius restaurati, possessionem trans fluvium non habebit. Sic scripserunt ministri Regi, ut suaderent, ne permitteret Iudæis reædificationem civitatis, & templi: sed quia civitas ista est Ecclesia, in qua Diabolum vincimus; datur per hoc intelligi, quod trans fluvium Iordanis, scilicet baptismi, Diabolus non habet potestatem super baptizatum, nisi per nova peccata peccator se denuo remittat in eius potestatem. *serm. 3. Dom. 2. post Pentecost.*



CAPUT VI.

3. *Diabolus libentius per se, vel per alios trahit ad peccatum perfectiores homines, quàm imperfectos.*

Nabuchodonosor tulerat de Ierusalem aurea, & argentea vasa, &c. Nota, quod per vasa aurea significantur perfecti, & religiosi, per argentea imperfecti: libentius ergo Diabolus attrahit ad peccatum per se, vel per alios perfectiores homines, & chariora Ecclesiæ membra, *serm. 1. Dom. 20. post Pentecost.*

CAPUT VII.

4. *Quilibet Christianus tenetur parare cor ſuum ad recipienda myſteria fidei, corde, ore, & opere.*

Eſdras paravit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Dei. Quid eſt parare cor?&c. Nota, quod ad hoc tenetur quilibet homo, nempè parare cor ſuum ad inveſtigandum legem Dei per ſoliditatem fidei in cognitiva, per ſinceritatem ſpei in affectiva, per ſedulitatem ſtudij in operativa, ad inveſtigandam legem evangelicam ſecundum dictamen veritatis æternæ. *ſerm. 1. Dom. 4. Adventus.*

CAPUT VIII.

5. *Omnia bona nobis à Deo data cuſtodienda ſunt uſque ad mortem, de quibus tanquam cuſtodes eorum ſtrictè examinabimur in morte.*

Vigilate, & cuſtodite, donec appendatis coram Principibus, & Sacerdotibus in theſaurum Domini. Quid eſt, quod cuſtodiendum erat ab Iſraelitis? ſed nota, quod hæc verba ad homines omnes diriguntur; dat enim Deus nobis intelligentiam, quod ſumus cuſtodes omnium bonorum, quibus nos ipſe ditavit, & tanquam depoſitum Chriſti appendendum eſt in ſtatera ſuæ juſtitiæ in morte, & in judicio coram Angelis, & Apoſtolis; in qua ſtatera ex una parte erunt merita, & demerita; ex altera corona. *ſerm. 3. fer. 2. Pentec.* Ad hoc diriguntur verba Divi Pauli ad Thimoteum, *ô Thimotee depoſitum cuſtodi bonum.*

CAPUT IX.

6 *Quomodò in punitione peccatorum erunt noviſſimi primi.*

Manus Principum, & magiſtratuum fuit in hac tranſgreſſione prima. Ecce quinam fuerunt primi in tranſgrediendo præcepta Domini, ſcilicet Principes, & magiſtratus; notatur autem hæc prima tranſgreſſio iſtorum, or denotetur, quod etiam ſecundum ſententiam Chriſti fuerunt noviſſimi, ſcilicet in noviſſimo reddituri rationem de omnibus peccatis, quibus duriſſimum judicium fiet. *fer. 4. Dom. ſeptuageſima.*

7. *Principes puniuntur à Deo ob peccata ſubditorum commiſſa ſua ipſorum negligentia, & cauſa.*

Manus Principum, & magiſtratuum, &c. Cur iſtis imputantur primæ tranſgreſſiones, ſi populus, & plebs etiam peccavit? quia Principibus imputantur peccata ſubditorum ob negligentiam, & cauſam ipſorum commiſſa. *in Luc. c. 19. v. 47. & cap. 22. v. 52.*

8. In peccatis ubi concurrit, contemptus patens Dei dicitur quod ad Cœlum pertingunt, & quod committuntur coram Deo. Sic Eſdras dicebat Deo *iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & creverunt uſque ad Cœlum*; idest quia factæ ſunt in contemptum veritatis divinæ omnia ſpeculantis. *in Luc. c. 15. v. 21.*

9. *Diabolus ſemper conatur commiſcere malos cum bonis, ut ſint iſtis in ſcandalum.*

Mixtum erat ſemen ſanctum alienigenis terræ. Vide mala à Principibus patrata in Iſrael, qui ducentes uxores alienigenas miſcuerunt ſemen ſanctum cum perverſis: Idem facit quotidie Diabolus, qui quærit intermiſcere malos cum bonis, ut ſint iſtis in ſcandalum, & ut triticum ſuffocetur à zizania. *ſerm. 2. Dom. 4. poſt oct. Epiph.* Vide igitur quomodò ſocietas malorum fugienda eſt à bonis, quia à Diabolo in ipſorum ruinam præparatur.



CAPUT X.

10. *Confeſſio peccatorum debet eſſe pura, ſcilicet cum intentione emendandi vitam.*

Vos tranſgreſſi eſtis: Confeſſionem date Domino Deo; & facite placitum eius. Quid eſt iſta confeſſio Deo placita, niſi recognitio, & confeſſio peccatorum pura: nempè cum propoſito emendandi vitam, & faciendi, quod Deo eſt placitum: qui contrarium fecerit, confeſſionem faciet Pharaonis. *ſerm. 2. in Rogation.*

11. *Separatio ab uxore inter fidelem, & non baptizatum facienda.*

Separamini ab uxoribus, &c. Vide quomodò Deus præcipit ſeparationem inter fidelem, & infidelem conjugem non baptizatum: non enim eſt verum Sacramentum. *l. 4. d. 49. art. 1. q. 1.*

LIBRI

LIBRI SECUNDI ESDRÆ, QVI EST NEHEMIÆ PROLOGUS.

NOTA, quod ſub Eſdra facta eſt deſcriptio populi: ſub Nehemia, qui fuit Dux, reædificatio civitatis, & templi, & ideo iſte liber appellatur Nehemiæ, licet deſcriptus ab Eſdra.

CAPUT I.

11. *Anima virtutibus deſtituta, eſt civitas ſine muris, & portis Diabolo expoſita.*

Murus Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ combuſtæ igni, &c. Audi Nehemiam deplorantem calamitates civitatis Ieruſalem; ſed quia hæc eſt figura animæ deſtitutæ virtutibus, ideo Eccleſia deplorat miſeriam civitatis myſticæ; nam ſi deſtituta remanet virtutibus, tunc eius portæ expoſitæ ſunt igni cupiditatis, & voluptatum, & tentationibus Diaboli: munienda ergo eſt hæc civitas, ne pateat ingreſſus hoſtibus. *ſerm.3.Dom.Trinit.*

13. *Sacerdos ut perſona publica orans pro populo debet confiteri coram Domino ſua, & aliena peccata, ut perſona privata in confeſſione tantum confiteri debet propria.*

Confiteor, & oro pro peccatis filiorum Iſrael, pro me, & domo patris mei. Hic videtur, quod Nehemias confeſſus fuerit peccata aliorum, & tamen id non licet, nec decet abſque peccato confeſſario inquirere in confeſſione peccata aliorum, tali confeſſioni impertinentia, tunc ſanans aliam ſibi ipſi vulnus mortale detractionis infligit: & ſi hoc eſt verum quomodò canonizatur hæc confeſſio Nehemiæ? Reſpondetur; quod Nehemias gerebat perſonam publicæ perſonæ, ideo orans pro populo Deo exhibebat ſua, & aliena ſcelera ad divinæ juſtitiæ laudem, & divinæ miſericordiæ impetrationem: tali pacto decet in oratione; ſed tamen nunquam alicui perſonæ privatæ fateri peccata aliena. *lib.4.d.21.p.2.a.1.q.3.ad primum.*

CAPUT III.

14. *Prædicator debet perſeveranter abſque timore exercere ſuum officium.*

Steterunt Sacerdotes in ornatu ſuo, & clamaverunt filij Aaron cum tubis, &c. Vide, quod iſti miniſtri Altaris non deſtiterunt ab exercitio ſuo ob formidinem, & contrarietatem inimicorum: daturque intelligi, quod Sacerdotes, & Prædicatores exemplo Chriſti non debent deſiſtere à denuntiatione ſui officij ob quamcumque contrarietatem; ſed debent firmiter perſeverare in juſtitia. *In Ioan.c.7.v.37.*

CAPUT IV.

15. *Dæmones irrident eos, qui inceptam viam ſpiritualem deſerunt, retrocedentes à Dei ſervitio.*

Ædificent: ſi aſcenderit vulpes tranſiliet murum, &c. Hæc & alia verba deriſoria dicebant Gentiles in Iudæos ædificantes muros civitatis, confidentes quod ob violentiam ipſorum deſiſtere deberent ab incœpto opere: myſticè: Illi ſunt Dæmones, & perverſi homines, qui ſubſannant, & derident valdè eos, qui ab incœpto itinere perfectionis, vel refrigeſcunt, vel deſiſtunt. *in Luc. c.14.v.30.*

16. *A Diabolo, & à Mundo irridentur qui ab incœpto opere deſiſtunt.*

Quid Iudæi faciunt imbecilles? Ædificent, &c. Gentiles exiſtimantes Iudæos deſtitutos ab incœpta reædificatione civitatis deridebant eos: ſic qui retrocedit ab incœpto deridetur à Diabolo, & à mundo pro temeritate in præſumendo, pro inſtabilitate in proſequendo, & pro puſillanimitate in deſiſtendo;

desistendo: in omni igitur, quod agimus, oculatos inimicos considerare debemus, qui nostris operibus insidiantur, & nisi contra eos vigilemus, patimur eos irrisores, quod ad malum habemus persuasores; hancque irrisionem maximo studio abhorret vir spiritualis. *in Luc. c. 14. v. 30.*

17. *Diabolus cessans aliquando nos impugnare, tunc magis fraudulenter quærit nos vincere.*

Et dixerunt hostes nostri; nesciant, & ignorent, donec veniamus in medio eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus, &c. Sic dicebant Gentiles contra Iudæos ædificantes muros Ierusalem: nempè fingentes se non curare talem reædificationem, putaverunt Iudæos inopinatò invadere, & occidere: Mysticè datur intelligi astutia Dæmonum, qui aliquando cessant tentare, sed talis cessatio est major impugnatio, quia dormitantes postea inopinatò invaduot, eosque vincunt; semper igitur est vigilandum contra hostes, sive actu teotantes, sive non. *op. de prof. religios. l. 2. c. 56.*

18. *Vtraque manu, & tota virtute debemus famulari Domino.*

Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium. Vide, quod Israelitæ toti se occupabant in reædificatione Ierusalem, & simul ad se defendendos ab hostibus: datutque nobis intelligi, quod toto conatu, utraque manu, totaque virtute debemus Domino famulari, simulque Deo obsequi, Diabolo resistere: talibus enim Deus se totum exponit. *in Luc. c. 2. v. 28.*

19 *Prædicator debet utraque manu prædicare, scilicet ore, & opere.*

Vna manu faciebat opus, altera tenebat gladium, Nota, quod hic instruuntur Prædicatores, qui in ore gladium verbi Dei portant, & quod etiam in manibus illum debent tenere, scilicet sanctis operibus, quibus adversarium terrent. *in Luc. c. 10. v. 2.*

20. *Ab ascensu aurora rationis, vel ab incæpta vita spirituali debemus tenere lanceam, & pugnare usque ad finem.*

Media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu aurora, donec egrediantur astra. Vide quid tibi est faciendum ô homo; qui incœpisti Deo servire: ab aurora idest initio bonæ vitæ, usque ad exitum astrorum, scilicet animæ è corpore debes tenere in manibus lanceas, scilicet zelum contra vitia, & contra ea pugnare, si vis coronari in gloria. *serm. 2. in Vigil. Nativit. & op. spec. B. Virginis lect. 11.*

21. *Nos ipsi debemus opera bona facere, non alijs hæc committere.*

Nos ipsi faciemus bonum, &c. Nota hæc verba, *Nos ipsi*, non alij milites, sed nos ipsi: dum enim agitur de salute propria non alijs hoc opus debemus committere, sed nos ipsi debemus operari. *op. spec. Beata Virginis lect. 11.*

22. Prælati suum munus debent exercere, non committendum Vicarijs: ideo dicitur, *nos ipsi non nostri Vicarij faciemus opus*: quod opus? oportet nos bonum, dum tempus habemus, ad omnes, maximè ad domesticos fidei. *op. spec. Beata Virginis: lect. 11.*

23. Si lanceam zeli contra vitia non extendamus in mundo, Deus lanceam iræ suæ contra nos extendet; & ideo hic dicitur. *Teneamus lanceas ab ascensu Aurora, &c.* Scilicet lanceam zeli contra impetum vitij, contra impugnationem Diaboli, carnis, & mundi; alioquin Deus acuet lanceam, scilicet iram dicam contra nos in judicio. *opusc. spec. Beata Virginis: lect. 11.*

24. *Beata Virgo seipsa nutrivit, & omnia obsequia Christo debita fecit non per alios.*

Nos ipsi faciemus, &c. Beata Virgo non nutricem aliam, non Vicariam, sed semper semetipsam exhibuit Dei ministram, quia in utero Christum gessit, aluit, fovit, portavit, & prosecuta est usque ad mortem. *op. spec. Beata Virginis: lectio. 11.*

25. *Ab ascensu aurora, idest ad exemplum Maria debemus bonis operibus insistere.*

Nos ipsi faciemus ab ascensu aurora, donec egrediantur astra. Quid est ab ascensu auroræ? aurora est Maria Virgo illuminatrix nostri ad benè operandum; ab ascensu auroræ operamur, quando ita-diante exemplo, & vita Mariæ ad benè operandum incitamur. *op. spec. Beata Virginis: lect. 11.*

26. *Maria astrum omnium astrorum nos illuminans, & dirigens.*

Donec egrediantur astra. Quænam astra? mysticè sunt sancti; sed astrum omnium astrorum est Maria Virgo, quæ jam egressa est ad nos dirigendum, illuminandum, & ducendum ad viam Cœli. *op. spec. Beata Virginis: lect. 11.*



CAPVT V.

27. *Memoria Dei circa nos alijs est in bonum, alijs in malum*

Memento mei Deus in bonum. Cur dicit in bonum? quia petebat in bonum, non in malum, scilicet confitebatur Dei excellentiam, & petebat misericordiæ relaxationem, non iræ, vel vindictæ exhibitionem. *in Luc. c. 23. v. 42.*



CAPVT VII.

28. *Antè Christi passionem clausa fuerunt Cœli porta.*

Non aperientur porta Ierusalem usque ad calorem solis. Sic præcepit Nehemias: fuitque figura clausionis portarum Cœli, quæ apertæ sunt ad adventum caloris solis, scilicet amoris Christi in Passione exhibiti. *serm. 3. in vigil. Nativ.*

CAPVT

CAPUT VIII.

29. *Existentibus in Purgatorio, & egenis huius vitæ mittenda sunt suffragia à vivis per eleemosynam.*

Mittite partes eis, qui non præparaverunt sibi. Sic præcepit Nehemias, ut dum cibum sumebant, mitterent partes indigentibus; Hæc dicuntur continuè nobis à Deo, mittite vos, qui habetis bona temporalia, partes bonorum vestrorum indigentibus, & præcipuè existentibus in Purgatorio: esuriunt enim eleemosynam, & alia bona opera nostra. *serm. 2. Dom. 4. Quadragesimæ.*

30. *Lectio sacra suadetur.*

Et legerunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum &c. Vide quomodò Esdras volens inducere populum ad observantiam legis divinæ, priùs eam lectione aperuit; sed cur lectione usus est, & non potiùs concione? Sed nota, quod iste magnus vir modo concionabatur, modo lectione sacra instruebat populum, & his mediis induxit ipsum ad pristinum cultum Dei; lectio autem sacra debet esse aperta, & frequens, quia hac mirabiliter inducitur anima ad cultum Dei. *Psalm. 118. c. 2. v. 2.*

31. *Processio cum ramis palmarum in Dominica sexta quadragesimæ præfigurata hic.*

Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & ramos palmarum &c. Ecce quomodò præfigurata fuit processio facta à turbis cum ramis palmatum, quando obviam processerunt Christo, & hoc in signum victoriæ, quam Christus reportavit de inimicis generis humani. *in Ioan. cap. 12. v. 13.*

CAPUT IX.

32. *Quàm utilis confessio frequens peccatorum.*

Et confitebantur peccata sua quater in die, & quater in nocte &c. Vide qua industria placuerunt isti homines Deum: disce ex hoc quàm Deo sit placita frequens confessio peccatorum: ô utinam tu quater saltem in anno id faceres. *serm. 8. in Rogat.*

33. *Quanta, & qualis misericordia divina in remissione culparum.*

Tu autem Deus propitius, & clemens, non dereliquisti nos &c. Vide quomodò iste vir à Deo illuminatus exaltat divinam clementiam, qua Deus se propitium ostendit post scelera multa populo Israelitico; daturque intelligi quam magna sit Dei misericordia in remissione peccatorum, & quam pretiosa sit pœnitentia nostra. *serm. 2. Dom. 10. post Pentecost. & Psalm. 118. cap. 5. v. 10.*

34. *Oratio quàm Deo chara, & peccatoribus ipsis fructuosa.*

Manna tuum non prohibuisti de ore suo &c. Audi Nehemiam, qui notat, quod post adorationem vituli, post multa scelera Deus se elementem exhibuit tribuendo manna, ex hoc, quod per orationem ad ipsum confugerunt; hinc intelligere debemus, quàm Deo sit chara oratio, & qualem dulcedinem, & fructus affert orantibus, etiam peccatoribus; & si hoc, quid putamus, quæ bona redundabunt amicis Dei devotè orantibus? *opus. de profec. religios. l. 2. cap. 69.*

35. *Spiritus Sancti adventus quanta bona animæ afferat.*

Spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos, & manna tuum &c. Vide quomodò adventus Spiritus Sancti illuminat intellectum; facit vincere inimicos, & dulcedinem affectui affert. *serm. 11. & 12. in Pentecost.*

CAPUT X.

36. Gazofilacium erat propriè locus, in quo reponebantur divitiæ oblatæ templo, ut paret hic, ubi dicitur, quod Levitæ offerebant decimas ad gazofilacium in domo thesauri; dicitur enim à gazis, idest divitiis, & phylaca, quod est locus custodiæ. *in Luc. c. 21. v. 1.*

CAPUT XII.

37. *In cœlo Angeli, & homines faciunt duos choros ad laudandum Deum.*

Ascendere autem fecit super muros duos choros laudantium &c. Nota, quod hæc fuit figura eorum, quæ à Beatis fient in cœlo, qui erunt distincti veluti in duos choros, scilicet Angelorum, & hominum, qui non cessabunt laudare Dominum in æternum. *serm. 1. in festo omnium sanctorum.*

LIBRI TERTII ESDRÆ PROLOGUS.

STE Liber est reputatus inter Apocriphos libros & ideò non est canonicus, nec videtur scriptus ab Esdra, cum multa repetat sine utilitate, & necessitate in superioribus posita, sed quia citatur aliquando à Sanctis Patribus, ideò hic apponitur, non tamquam liber Sacer scriptus, sed quatenus habens aliquam auctoritatem citatur à Sanctis, & etiam à Seraphico Doctore, licet veluti per transennam quæ infrà adnotantur.

CAPUT III.

38. *Christus figuratus in Rege Dario, qui fecit canam magnam suis Principibus.*

Rex Darius fecit canam magnam suis purpuratis. Nota Darius interpretatur fertilis, & significat Regem Christum; qui ratione suæ divinitatis, & humanitatis est cibus perfectus satians animam, quantum ad gustum interiorem, & exteriorem, & licèt satiet, non tamen generat fastidium, imò continuum desiderium causat, quia ratione suæ divinitatis, & convenientiæ cum anima medullis ejusdem illabitur, & cum ratione suæ infinitatis excedat capacitatem animæ generat simul desiderium, & quietem. *serm. 1. Dom. 2. post. Pentecost.*

Nota hic fundamentum radicale quare Dei cognitio, & fruitio simul satiet animam, & novam famem desiderumque ingerat.

39. *Beatis in gloria Deus præparavit canam magnam.*

Rex Darius fecit canam magnam &c. O quam magna est ista cæna, quam Christus in gloria suis electis præparavit! nam in ipsa numquam deficient fercula, numquam amovebitur mensa, quia numquam deficiet laus, gloria, & lætitia; Beati igitur, qui ad cœnam hanc vocati sunt. *ferm. 1. Dom. 2. post Pentecost.*

CAPUT IV.

40. *Veritas ab omnibus hominibus desideratur, & est inexpugnabilis.*

Magna est veritas, & fortior omnibus; omnis terra invocat veritatem & omnes tremunt eam. Quomodò hoc est verum, cum multi maximè Principes eam abhorreant, & veritas odium patit? sed nota, quod veritas potest considerari in generali, vel in speciali: primo modo veritas est inexpugnabilis, & omnibus prævalet, & omnes homines eam desiderant cognoscere; licet aliquando in speciali per rationes phantasticas obumbretur, & oppugnetur. *l. 1. in prologo. dub. 7. & serm. 4.*

41. *Christus est mysticum firmamentum Ecclesiæ.*

Convertitur in gyro Cœli, & iterum revertitur in eumdem locum in uno die. Sic loquitur iste textus de firmamento: sed mysticè hoc intelligi debet de Christo, qui est firmamentum Ecclesiæ, quia in una persona firmatæ sunt duæ naturæ humana, & divina, cujus motus est circularis, quia de sinu Patris in Virginis uterum est ingressus, deinde per mundum, & Lymbum progrediens iterum ad Patrem rediit disponens omnia suaviter. *ep. de Eccles. Hier. p. 4. c. 6.*

42. *Fides facit elevare animam ad videndum Deum, & tranquillitatem affert.*

Tunc elevavit faciem suam ad Ierusalem benedixit Regem Cœlorum, & ait; Abs te victoriam. Sic dixit ille adolescens, qui veritatem tamquam reginam prædicaverat Regi Cyro, & à quo obtinuit ingressum populi in Jerusalem, gratias agens Deo: mysticè, qui imbutus est fide, quæ ducet omnem veritatem, elevat faciem suam ad Jerusalem, scilicet possessionem pacis in regno animæ suppeditatis desideriis carnalibus; Hæc concordia est à Deo, nec unquam ullus habet veram pacem nisi à Deo, & isti sunt affectus fidei. *serm. 1. Dom. 1. Adven.*

LIBER QUARTUS ESDRÆ

CAPUT IV.

43. *Uriel quisnam Angelus, & quodnam munus Angelorum circa nos.*

Uriel Angelus missus est ad me &c. Nota Uriel est unus ex quatuor Angelis in Scriptura nominatis, & interpretatur lucens Deo, vel ignis Dei, & significatur, quod Angeli mittuntur ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum: Nota etiam, quod iste Uriel est Angelus, qui missus fuit ad consolationem populi Israel dum in captivitate premebatur. *Centiloq. p. 3. s. 18.*



LIBRI TOBIÆ
PROLOGUS.

LIBER iste antiquitus juxta sententiam multorum non erat adnumeratus inter Canonicos libros, ut advertit Sanctus Hieronymus in galleato, & post ipsum Lyranus, erat tamen maximæ auctoritatis apud Sanctos Doctores, quia mirabiliter inservit ad morum informationem; nunc autem est in Concilio Tridentino inter Canonicos libros adnumeratus; In hoc autem præfiguratus est Christus, ut exemplar omnis modestiæ. *op. Principium Sacræ Scripturæ.*

CAPUT I.

1. *Pater dum filium habet suarum virtutum imitatorem, vivit in filio.*

Tobias genuit ex sua uxore filium, nomen suum ei imponens. Nempè (ait Sanctus Bonaventura) ut signaret patrem in tam nobili filio vivere, & in ejus virtutibus & imitatione lætari: Nota etiam, quod antiqui consueverunt appellare filios nomine suo ipsorum proprio, ut in hoc signarent patrem in illo filio imitatore suarum virtutum vivere. *in Luc. c. 1. v. 59.*

2. *Qui exercitium præsentiæ Dei, Deumque præsentem habet, impletur Spiritu divino.*

Quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi gratiam in conspectu Regis. Ecce quomodò Tobias invenit gratiam apud Deum, & homines, scilicet, quia fuit memor Dei, nempè quia Deum sibi præsentem semper habebat; ideò etiam gratia Spiritus Sancti replebatur. *in Luc. c. 1. v. 67.* Nota autem, quod ad hoc exercicium requiritur ut Deo detur totum cor ad credendum, ad pœnitendum, ad orandum, ad diligendum. *serm. 2. Dom. 17. post Pentecost.*

3. *Exercitium operum misericordiæ elevat animam ad Deum.*

Tobias quoque pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur, eos esurientes alebat &c. Vide in quibusnam exercitiis iste vir sanctus vitâ suam degebat, nempè circa opera misericordiæ spiritualia, & corporalia; unde mirum non est, quod Deus sua gratia eum impleret, quod anima ejus elevata ad cœlestia semper staret, quod dulcedine cœlesti irrigaretur ariditas mentis, & corporis. *op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 2. & serm. de S. Elisabeth, & op. comp. Theol. l. 5. c. 52. & serm. 1. & 2. Dom. 1. post Pentecost. in Luc. c. 11. v. 47.*

CAPUT II.

4. *Tunc dies festus perfectè celebratur, cum pauperes vocantur ad convivium; exerceturque pietas in egenorum sublevamen.*

Cum esset dies festus, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ dixit filio suo vade, & adduc aliquos de tribu tua timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Vide quomodò pro complemento diei festi iste vir justus quærebat pauperes suos commensales Deum timentes; nam Deus exigit à nobis hanc exhibitionem pietatis fraternæ, maximè indigentibus. *in Luc. c. 14. v. 13.*

5. *Relinquenda sunt omnia in sequela Christi, quæ ipsam possunt impedire.*

Exiliens de accubitu, relinquens prandium jejunus pervenit ad corpus sepeliendum. Vide fervorem hujus viri sancti, qui non habito ullo respectu ad suum corporale subsidium prandium reliquit, ut ad sepeliendum corpus sui proximi procederet; per hoc datur intelligi, quod omnia, quæ possunt nos impedire ad perfectè sequendum Christum, relinquenda sunt. *in Luc. c. 5. v. 28. & in Ioan. c. 13. v. 4. & collat. 89.*

6. *Qui in hac vita festum ducit, in altera vigiliam ducet : & è contra : qui in hac vita lugebit in altera gaudebit.*

Manducavit panem cum luctu, & tremore, memorans illum ſermonem Domini per Amos: Dies feſti veſtri convertentur in lamentationem, & luctum, &c. O quàm benè iſte vir à Deo illuminatus ex aſpectu mortui cadaveris,aſcendit ad contemplationem hujus veritatis,nempè tempus hujus vitæ eſſe tempus flendi, & pœnitentiæ,& meritò, quia qui vult in hac vita diem feſtum agere,lætati, & deliciari,in alia vita lugebit,& planget;ex oppoſito qui in hoc exilio flebit, & triſtitiam habebis pro Chriſto, in altera diem feſtum aget. *in Luc. cap.5.v.35.& in Ioan.c.16.*

7. *Dormitatio in peccatis quàm periculoſa.*

Contigit autem, ut cum Tobias obdormiebat, calida ſtercora hirundinum inciderant ſuper oculos ejus, & cæcus factus eſt, &c. Hic notant Doctores, quod hæc cæcitas non eſt orta ex naturali virtute ſtercoris hirundinum, maximè quia cecidit in oculos clauſos, ſed ex Dei ordinatione; ſed cur voluit hoc Deus? ut addiſceremus ſpiritualiter, quænam mala afferat ſecum dormitatio in peccato: præcipuè enim cauſat excæcationem animæ: ſurget ergo peccator, ne incidas in hoc tantum malum. *ſerm.5. Dom.1. Adventus, & op. comp.Theol.l.3.c.7.*

8. *Cupiditas, & avaritia temporalis excæcat animam.*

Et Cæcus eſt. Quomodo? ex ſtercore hirundinum, quod cecidit in oculos: myſticè ſtercus ſignificat temporalia,quæ ſunt ſtercora inquinantia hominem, ſi igitur permittas, ut te occupet ſomnus,& dormitatio in his temporalibus cæcus eris.*ſerm.4. Dom.4. poſt oct. Epiph. & ſerm.3. Dom. Quinquag.& ſerm.2.fer.4.Paſcha, & op.com.Theol. l.3.cap.19.in Luc.cap.2.v.15. & cap.18.v.35.*

9. *Iuſtos Deus probat per tribulationes.*

Exemplum de hac veritate habemus in Tobia à Deo excæcato ob exercitium, & exemplum veritatis, & patientiæ: ex qua excæcatione multas coronas meriti ſibi acquiſivit. *in Eccleſ. cap.8. & op.comp.Theol.l.1.c.35.& l.2.cap.27. & opuſ.expoſ. in Pater,& in Luc.cap.13.v.5.*

10. *Memoria probitatis Patrum debet filios excitare ad imitationem ipſorum.*

Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo, &c. Vide quo motivo increpabat Tobias parentes,& conjunctos ipſi inſultantes,& Deum non timentes, ut eos reſipiſcere faceret ad bonam frugem;quaſi diceret ſancti & nos ſumus, quia noſtri Patres fuerunt ſancti: ſancti inquam debemus eſſe per bonam converſationem,& operationem ſimilem. *in ſap. cap.17. & in Ioan. cap. cap.5.v.20.& cap.8.v.39.*

11. *Menſa Chriſtianorum à quibuſnam debet eſſe immunis.*

Non licet nobis edere de furto &c. Vide quanto zelo ardebat iſte vir juſtus, ut menſa domus ſuæ aliena eſſet à quacumque re illicita; quatuor autem cavenda ſunt in menſa à Chriſtianis,nempè gulæ voracitas, immiſericordia in pauperes, mala detractorum ſocietas, & cibaria illicita. *ſerm.5. Dom. 2. Quadrageſima.*

CAPUT III.

12. Judicia Dei ſunt æquitatis divinæ indicativa. Unde dicit Tobias. *Iuſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta*, quia Deus omnia juſta facit, & ſecundùm juſtitiam ordinata. *Pſalm. 118.c.8.v.8.*

13. *Oratio gemebunda ab orantibus debet dirigi ad obtinendam veniam peccatorum ſuorum, & parentum.*

Ne reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum, quoniam non obedivimus &c. Cur meminit peccatorum ſuorum parentum? cur de ſuis ſolis non plangit? quia juſtus debet orare pro ſe, & pro parentibus: ſed cur pro parentum peccatis? quia filij aliquando puniuntur pro peccatis parentum. *l.2.d.33.art.1.qu.1.op.de inſtructione Sacerd.*

14. *Iuſti moriuntur in pace, impij in bello.*

Et nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum miſericordiam, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Quomodò petit pacem in morte iſte vir, cum in morte neceſſariò ſit pugnandum cum adverſariis? petebat pacem in morte, quia ſciebat bonos recipi in pace, impios in bello: ideo hæc pax ſemper fuit exoptata à juſtis.*in Luc. c.2.v.29. & ſerm.3. fer. 3. Paſcha & ſerm.5. Dom. 8. poſt Penteceſt.*

15. *Qui per tribulationes patienter tranſeunt, fidenter petunt veram pacem in morte.*

Et nunc Domine ſecundùm voluntatem præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Sed qua fiducia hoc prætendit, & petit? quia videbat ſe probatum per tribulationes; qui enim vitam degunt patienter per tribulationes, confidenter poſſunt à Deo petere pacem, & ſanctam mortem, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Cœlum? onde felicius eſt duci per aſperam viam ad regnum, quàm per planam, & amænam ad ſupplicium. *ſerm.3. fer. 3. Paſcha, & ſerm. 5. Dom. 8. poſt Penteceſt, & ſerm. de S. Agata.*

16. Qui

16. *Qui in bello viuunt, in pace moriuntur; & è contra qui in pace viuunt, in bello moriuntur.*

Nunc Domine præcipe recipi in pace spiritum meum. Cor petit singulariter hanc pacem in morte? quia vixerat in bello: Deus enim sic disposuit, quod qui cum hostibus, & vitijs pacem non habent viventes, in pace moriantur, qui vero pacem habent cum hostibus, & vitijs viventes, pace careant morientes. *ferm.5. Dom.8. post Pentecost.*

17. Diabolus de facto occideret existentes in peccato tamquam in sua possessione, vt euenit moltis iusto Dei iudicio, nisi misericordia Dei eos reprimeret: Habemos exemplum in his septem viris Saræ à Diabolo occisis. *fer.2.Dom.4. post oct.Pascha.*

18. *In nuptijs alij vocant Diabolum, alij Christum.*

Asmodæus occiderat septem viros Saræ &c. Cur istos occidi permittit Deus à Diabolo? quia suis noprijs vocaverunt Diabolum, scilicet sine timore, imò cum offensa Dei; è contra felices nuptiæ ad quas Iesus vocatur scilicet timore Dei. *ferm.1.Dom.1.post oct.Epiph.*

19. *Qui vivit in peccato sine filijs moritur in manibus Diaboli.*

Asmodæus occidit septem viros Saræ &c. Nota, quod isti occisi sunt, & mortui sine filijs, vt pateat sterilitas peccatorum: nam peccatores sine fructu vivont, & in manibus Diaboli moriuntur. *in Luc.c.20.v.32.*

20. *Ad nuptias præparatio fiat oratione, & ieiunio.*

Ad hanc vocem perrexit Sara in superius cubiculum domus, & tribus diebus, & noctibus non manducavit, sed persistens in oratione &c. Vide quomodò ista sponsa fugavit Asmodæum, & quo remedio vsa est ad fæcunditatem recuperandam, & prosperitatem in coniugio, scilicet ieiunio, & oratione ò felices nuptiæ, quas talis præparatio præcedit. *ferm.1.Dom.1.post oct.Epiph.*

21. *Bonus orans ascendit in superiorem partem animæ, & se in Deum colligit.*

Ascendit in superius cubiculum domus suæ &c. Ad quid? ad ieiunandum, & orandum: bona enim est oratio, quæ intra cubiculum animæ, in superiori parte spiritus funditur Deo, se abstrahens ab omnibus rebus. *ferm.5. de vno Confessore. & in Luc.c.6.v.12.*

22. *Deus misericordiam promittens ad ipsum confugientibus, ipsam facit debitum ex sua liberalitate.*

Benedictum est nomen tuum, qui cum iratus fueris misericordiam facis, qui te invocant. Ecce quid Deus exigit à nobis, quando se iratum ostendit, ad eius scilicet misericordiam confugere, & ipsum deprecari: hanc enim promisit Deus ad se confugientibus, tuncque misericordia Dei fit debitum. *in Luc.c.1.v.72.*

23. *Tribulatio libenter tolerata habet vim impetrandi à Deo misericordiam, & veniam peccatorum.*

Et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui te invocant. Ecce quod tribulatio libenter pro Christo tolerata habet vim orationis, quia per eam impetratur à Deo expurgatio à culpa, & misericordia divina. *f.2.Dom.2.post oct.Epiph. & fer.3. Dom.21.post Pentecost.*

24. *Flagella divina sunt sæpe effectus divinæ misericordiæ.*

Benedictum nomen tuum, qui cum iratus fueris misericordiam facis. Quomodò copulari possunt ista duo opposita, scilicet, ira & misericordia Dei? & quomodò cum se iratum ostendit, tunc misericordiam exhibet? sed sic est: Tunc enim Deus se iratum ostendit, quando flagella immittit; & tunc misericordiam suam exhibet, quando per flagella nos vocat ad pœnitentiam, & gratiam promerendam. *f.2.Dom.2.post oct.Epiph. & ferm.2. fer.4.Pentecost. & f.17.Hexaem.* ò ita igitur misericors, quia irascitur Deus non vt puniat, sed vt parcat.

25. *Deus non delectatur in tribulationibus nostris, sed veluti violenter eas immittit.*

Non enim delectaris in tribulationibus nostris. Cur dicitur, quod Deus non delectatur in tribulationibus nostris? potestne Deus delectationem sumere ex creatura? id intelligi debet quoad effectus; vultque dicere, quod Deus non delectatur in nostris malis, quia ea immittit sic exigentibus nostris peccatis, vel nostro maiori bono. *ferm.1. Dom.2. Adventus: & in Luc.c.8.v.24. & v.25.*

26. Gradus castitatis bonus est detestare omnem voluntatem luxuriandi: Sic dicebat ista bona anima: *Tu scis Domine, quia numquam concupivi virũ. op.de grad.virt.c.4. & Ps.118.c.11.v.14.*

27. *Devotio ad Deum mores exterius componit, quod requiritur in iustis, maximè Prælatis.*

Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum ijs qui in lenitate ambulant. Sed quænam perfectio, vel peccatum est hoc? forsan ludere est de se peccatum? sed nota, quod explicatur in quonam consistit hic ludus vitiosus, nempe in levitate morum, idest vanitate: nam vir iustus, maximè Prælatus debet vitam suam condire bono exemplo, & hoc fit evitando levitates, & vanitates exteriores, quod tantum obtinetur per devotionem ad Deum. *op.de sex alis Seraph.c.8.*

28. *Post amaritudinem pœnitentiæ, & tribulationis Deus immittit consolationem.*

Hoc pro certo scit omnis, qui te colit, quia vita eius si in probatione fuerit coronabitur, & in tribulatione liberabitur, & in correptione ad misericordiam suam venire licebit &c. Vide quid promittitur pœnitentibus, tribulatis, & à Deo correptis, & flagellatis, nempe dulcedo, præmijque liberatio, & misericordia divina, & tunc magis percipitur dulcedo divina: sicut post vigiliam dulcis est somnus, requies post laborem, sanitas post languorem, lumen post cæcitatem tranquillitas

quillitas poſt tempeſtatem.*ferm.2.de S.Agnete,& in Eccleſ.c.12.& in Luc.c.12.v.56.*

29. *Cultus Dei in quonam conſiſtit, eiuſque effectus.*

Hoc pro certo ſcit omnis, qui te colit &c. Quid eſt colere Deum? Colitur Deus ſanctitate vitæ, fide, ſpe, & charitate, item ſacrificio laudis, & actione gratiarum: qui autem ſic colit Deum, exauditur à Deo, & proſperatur. *in Ioan. collat.47.*

30. *Probat Deus ſuos amicos, vt eos coronet.*

Et ſi in probatione fuerit coronabitur. O felix probatio divina! probat enim Deus ſuos per tribulationes, vt eos in gloria coronet.*in Sap.c.3.*

31. *Tranquillitas animæ, & devotio, lætitiaque cordis eſt fructus lachrymarum.*

Poſt tempeſtatem tranquillum facis, poſt lachrymationem, & fletum exultationem infundis. Ecce quali ordine Deus procedit in infundendo lætitiam cordis, & devotionem: nempe poſt lachrymarum effuſionem, cordiſque compunctionem. *in Luc.c.12.v.56.& c.21.v.31.*

32. Exaudit Deus vt in ipſo ſperemus: exaudit autem in ſe confidentes, vnde hic dicitur, quod exaudita eſt oratio Tobiæ, & Saræ, quia otaliter in Deo confidebant.*in Luc.c.1.v.13.*



CAPVT IV.

33. *Verbi, & doctrinæ divinæ devota ſuſceptio eſt radix, & fundamentum omnium bonorum.*

Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde, quaſi fundamentum conſtrue. Quid eſt conſtruere fundamentum per verba in corde? verba igitur eorum veluti lapides, quibus conſtruitur fundamentum? ſic ſic eſt: loquitur Tobias in perſona Dei, indicatque quòd verba Dei devote recepta in corde ſunt veluti fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, per quod omnis boni ſecuritas ad animam provenit: nam verbum Dei devote receptum in terra cordis, removet ab ea omnem duritiam, impinguat eam devotione, & eam præparat ad pœnitentiam ſpiritumque, & vitam donat.*ferm.4.de vna Sancta Virgine.*

34. *Honor parentibus maximè matri exhibendus eſt ex præcepto divino.*

Honora matrem tuam omnibus diebus vitæ tuæ. Vide, quod ſpecialis affectus debetur parentibus, maximè matri ex præcepto Dei. *in Luc. cap.8.verſ.19.*

35. *Numquam datur tempus, in quo liceat oblivisci Dei, eiuſque beneficiorum: tuncque cadit hæc oblivio cum Deus deſeritur à nobis.*

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habebis Deum. Ergone præcipitur hic, vt ſemper in mente habeatur Deus? vult dicere quod ſemper præcipimur Deum in mente retinere, diligenter, firmiter, inceſſanter, & conſtanter, ideò numquam licet ipſum deſerere propter amorem creaturæ.*in Luc.c.12.v.27.*

36. *Eleemoſyna præcipitur, eiuſque effectus pandantur.*

Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab vllo paupere. Vide quod hic præcipitur eleemoſyna; ſed nota, quod eam facere debes de ſubſtantia tua, non de rapinis, & rebus alienis: quia ſi averteris faciem tuam à paupere, Deus avertet faciem ſuam à te: ſi eris miſericors in pauperes, theſaurum tibi theſaurizas in morte tua, & coronaberis præmio æterno. *ferm.5. de pluribus Martyribus. in Luc.cap.10.verſ.32.& ferm.1.Dom.1. poſt octavam Pentecoſt.* Nota etiam, quod dicitur pauperi fac eleemoſynam, non diviti. *lib.4. diſtinctione 15. part.2.dub.7.& in Luc.cap.3.verſ.11.* quia vna ex conditionibus neceſſarijs ad eleemoſynam eſt ſublevatio paupertatis, & miſeriæ.

37. *Eleemoſyna tribuenda eſt ſecundum proportionem facultatum.*

Si multum tibi fuerit tribue: ſi exiguum, etiam exiguum libenter da &c. Vide quomodò hic aſſignatur modus, quo eleemoſyna eſt facienda nempe ſecundum proportionem facultatum: nam cui Dominus plus dedit de facultatibus vel temporalibus, vel ſpiritualibus, maius etiam motivum habet magis merendi, quod eſt contra divites, qui minus offerunt, quàm pauperes. *ferm.2. Dom.5.poſt Pentecoſt.& lib.4.diſtinctione 15. p.2. dub.7. & in Eccleſ.c.11. & in Luc.cap.7. verſ.11. capite 11.verſ.41. & capite 16. verſ.7. & cap.21. verſ.3.*

38. *Filiorum educatio eſt eleemoſyna Deo chariſſima.*

Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam &c. Nota hanc particulam ex (*ſubſtantia tua*), quænam eſt hæc ſubſtantia? cur non dicitur de redditibus vel pecunia tua? ſed attende, quod in hac particula comprehenditur omne bonum ſive naturale, ſive ſpirituale, ſive temporale: vnde cum filij ſint ex ſubſtantia Patris, ijs debetur eleemoſyna ſcilicet ſpiritualis, nempe bona educatio. decipiuntur enim qui res ſuas cogitant dare Deo, vel pauperibus, & filios per malam educationem Diabolo tradunt. *ferm.2. Dom.5. poſt Pentecoſt.*

39. *Magna & Deo chariſſima eleemoſyna eſt animarum ſaluti incumbere.*

Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam. Nota, quod in

in hac substantia includuntur dona spiritualia: Illi ergo qui hæc exercent in salutem aliorum participant alijs, ea quæ à Deo receperunt ad similitudinem Angelorum, isti eleemosynam Deo charam faciunt. *op. de Eccles. Hier. p. 3. c. 3.*

40. *Pauper potest etiam maximam eleemosynam facere, licet parum det.*

Si multum tibi fuerit tribue. Quodnam est hoc multum? multum scilicet de substantia; sed adverte quod etiam pauper, si exiguum dat temporaliter, potest tamen bona voluntate subveniendi date multum; ideò ei voluntas imputabitur pro facto apud Deum, quia Deus pensat non quantum, sed ex quanto. *in Luc. cap. 10. v. 35. & cap. 21. v. 3.*

41. Opera misericordiæ maxime confortant animam, eique fiduciam firmam in Deum præstant: sic dicitur hic *Magnam fiduciam apud Altissimum præstat eleemosyna*; nam hæc superaddita operibus pœnitentialibus, veluti cibus animæ dat vires. *op. meditat. vita Christi cap. 47.*

42. *Eleemosyna à morte, & à peccatis liberat: estque salarium quod Deus à nobis expectat in remunerationem.*

Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Cur eleemosyna habet tantam virtutem? estne veluti Sacramentum delens peccata? sed adverte, quod eleemosyna est veluti salarium, quod Christus noster medicus expectat ex medicinatum sacramentalium exhibitione facta virtute sanguinis sui effusi: expectat enim, vt remuneremus eum in pauperibus, tuncque facilius nobis impertitur liberationem à peccato à morte æterna, & alijs pœnis. *op. diat. sal. sit. 2. c. 4.*

43. *Superbia est origo omnium malorum, ideò homo à se eam ablegare debet.*

Superbiam numquam in tuo sensu, aut in verbo tuo dominari permittas. Sed cur? quia in ipsa sumpsit initium omnis perditio: & quænam perditio est hæc? transfer mentem ad parabolam de ove, & drachma perdita. *Luc. c. 15.* & dic, quod in ove significatur iustitia origialis: & in drachma imago, quæ est in anima; sed per superbiam perdita est iustitia originalis, & obtenebrata imago naturalis: Perditi etiam sunt Angeli propter eam: fuge ergo ô homo superbiam, & à corde, & verbis, scilicet interiùs, & exterius eam à te repelle. *serm. 2. Dom. 3. post Pentecost.*

44. *Servis Dei competit specialiter fugere omnem fastum exteriorem.*

Numquam in tuo sensu, aut verbo superbiam permittas dominari. Nota in tuo sensu, aut verbo: Hæc enim diriguntur servis Dei, & præcipuè clericis, qui assistunt in ministerijs Domino: debent enim non solùm à corde, sed & in actibus exterioribus omnem vanitatem, fastumque ablegare *op. de Eccles. Hierarch p. 2. c. 1. & in Luc. c. 9. vers. 46.*

45. *Præceptum naturale in nobis insitum est, vt homo omnibus benefaciat sicut vult sibi fieri.*

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Nota quod hic datur præceptum negativum; & *Luca c. 6.* datur affirmativum, *quod tibi vis fieri &c.* quia vnum implicatur in altero: hocque est præceptum naturale, quo prætendit Deus, vt omnes homines sibi mutuo benefaciant, & caveant ab omnibus, quæ ipsum possunt proximum lædere. *in Luc. c. 6. v. 31. & c. 18. v. 20.* Nota etiam, quod in his duobus præceptis stat impletio totius legis divinæ in ordine ad dilectionem proximi. *op. de prof. religios. l. 2. c. 28. & diat sit. 3. c. 6.*

46. Præcepta Decalogi in ordine ad proximum sunt contenta in præcepto legis naturæ, *quod tibi non vis &c. diat. sal. sit. 3. c. 6. & locis supracit.*

47. *Panis, & vinum corporaliter eroganda sunt pauperibus; spiritualiter verò animabus Purgatorij, & panis verbi Dei indigentibus distribuendus.*

Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede. Intellige de pane corporali, quoad egenos huius vitæ & spiritualiter quoad existentes in Purgatorio, quibus panis suffragiorum est distribuendus; item & verbum Dei prædicandum indigentibus. *serm. 2. Dom. 4. Quadragesima.*

48. *Consilium à Deo, non à Diabolo, à sapiente, non à fatuo requirendum.*

Consilium semper à sapiente require. Sic dicebat Tobias filio suo: Nota hic, quod consilium est appetitus inquisitionis à ratione directus de his, quæ à nobis sunt facienda, vel non facienda, & ideò vt recta fiat inquisitio primo debet peti consilium à Deo, non à Diabolo, idest secundùm regulas legis æternæ; & etiam à sapientibus expertibus, non à fatuis. *op. diat. sal. sit. 6. c. 2. & op. de dono consil. c. 1. & in Luc. c. 3. v. 14. & c. 18. v. 18.*

49. *Perseverantiam exigit Deus in suis servis in laudibus divinis.*

Omni tempore benedic Deum &c. Nota *omni tempore*, idest incessanter suis temporibus te exerce in laudibus divinis: hoc enim exigit Deus à suis servis. *Psalm. 118. c. 2. v. 4.* Vide ergo, quod qui debito tempore incumbit Dei obsequijs, dicitur ipsi servire omni tempore.

50. *Paupertas ex necessitate naturali etiam meritoria est, si patienter, & cum timore Domini toleratur.*

Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Ecce quomodo paupertas ex necessitate naturæ si cum patientia, & timore Domini toleratur, occasio est ductiva in viam salutis æternæ. *op. de paup. Christi art. 2.*



CAPUT V.

51. *Angeli ob miniſterium, & cuſtodiam noſtri à ſuo præmio non fraudantur.*

Perge, & inquire aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalva mercede ſua. Quinam fuit iſte? & ſi fuit Raphael, ergone merces danda erat Angelo? nonne ſunt iam in termino omnis meriti? Nota, quod Theologi movent *in l. 1.* hanc quæſtionem, cui Seraphicus Doctor reſpondet, quod Angelis non augeſcit præmium eſſentiale; quia ſunt iam in termino, ſed augetur accidentale tam extenſivè, quam intenſivè ex ratione boni proprij, & coniuncti, quia miniſtrando alijs faciunt opera bona, quibus merentur gaudium accidentale, & etiam concives ſuos ad gaudium cœleſte perducunt: gaudent enim tum propter Chriſti exultationem, tum propter ruinæ Angelicæ reſtaurationem, tum propter hominis perditi reinventionem. *l. 2. d. 11. a. 2. q. 2. & in Luc. c. 6. v. 23.*

52. *Chriſtus ſemper à nobis invenitur paratus ad auxiliandum.*

Invenit iuvenem paratum ad ambulandum. Iſte fuit Angelus Domini, per quem ſignificatur Chriſtus miſſus de Cœlo, qui ſemper paratus eſt ad ambulandum cum homine, & ad auxilium ferendum. *in Ioan. c. 1. v. 36.*

53. *Angeli ſemper ſunt parati ad noſtram ſalutem procurandam.*

Perge, & require aliquem &c. & egreſſus invenit iuvenem &c. Nota hic fuit Angelus, qui paratum ſe exhibuit ad comitandum filium Tobiæ ſicut perfectiſſime totum perfecit: ex quibus nihil aliud ſignatur, niſi quod Angeli nos in via perfectionis dirigunt, ipſi ducunt, ipſi deducunt, ipſi reducunt; & ideò nullos debet timere, trepidare aut formidare magna aggredi, cum habeat tales duces, tales adiutores. *ſerm. de Sancto Michaele.*

54. *Chriſti viſio per fidem magnum gaudium affert: maximum per ſpeciem.*

Gaudium ſit tibi (ait Angelus) cui Tobias: quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video. Sed cur tam dolet iſte vir iuſtus, & Deo conformis, quia non poterat videre lumen Cœli? At aliud lumen prætendebat videre, nempe Deum, qui eſt verum lumen Cœli idque dicitur in figura eorum, qui carent lumine fidei abſque quo non poteſt videri lumen Cœli, quod eſt Chriſtus, vere dulce lumen, & delectabile, ſuaviſſima lux purgatæ mentis ſapientia: & ſi tantam ſuavitatem affert videre Chriſtum per fidem; quid cum per ſpeciem videbitur in gloria. *ſerm. 5. in die Nativitatis.*

55. *Prælati boni ſunt lumina Cœli: mali ſunt tenebroſi ſubditos obtenebrantes.*

Quale gaudium mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video. Nota, quod hæc dicuntur in perſona ſubditi habentis Prælatum, qui nec vita, nec ſcientia eſt luminoſus: nam Prælati ſunt lumina Cœli, ſcilicet Eccleſiæ, ſcilicet per conſcientiæ puritatem, & ad ſubditos lucem diffundentes per doctrinam, & opera exemplaria: modo quando ſunt tenebroſi per malam vitam, tunc etiam non eſt mirum, ſi ſubditi ſint tenebroſi; ô quot ſubditi poſſunt dicere, in tenebris ſedeo, nec lumen Cœli, ſcilicet Prælati video. *op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

56. *Carens gratia Dei ſedet in tenebris, & ſine gaudio vivit.*

Quale gaudium mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video. Nota myſticè id dicitur in perſona carentis gratia Dei, quæ eſt verum lumen animæ, iſteque vere in tenebris ſedet, nec lumen Cœli poteſt videre. *in Eccleſ. c. 12.*

57. *Ignorantia eſt pœna peccati originalis tollens viſum, & gaudium animæ.*

Quale gaudium mihi &c. Nota id poteſt dici à quolibet homine infecto culpa originali, quæ per ignorantiam aufert viſum animæ tam delectabilem, relinquens eam in tenebris iacentem. *op. de trib. termin peccati. cap. 3. & in Luc. cap. 5. verſ. 16.*

58. *Proprium Angelorum eſt conſolari poſitos in tribulatione.*

Forti animo eſto, in proximo eſt, ut à Deo cureris. Sic dixit Angelus Tobiæ poſito in tribulatione: proprium enim eſt Angelorum conſolari eos, qui ſunt poſiti in tribulatione. *op. comp. Theol. l. 2. cap. 18.*

59. *Paupertatis tolerata pro Chriſto mirabiles effectus.*

Sufficiebat nobis paupertas noſtra, ut reputaremus divitias hoc, quod videbamus filium noſtrum. Ita dicebat flens uxor Tobiæ ob diſceſſum filij à Patre miſſi in Mediam ad exigendam ſummam pecuniæ à Gabelo, de qua erat creditor; ſed notanda ſunt iſta verba plena myſterijs: dicitur enim, quòd illis ſufficiebat eorum paupertas: quomodo ſufficiebat? an ex paupertate ſufficienter proviſi erant neceſſarijs? cur non potius dicit, melius erat ſuſtinere paupertatem? ſed dicit ſufficit bat, ſed optime dicitur ad laudem paupertatis: ſufficit enim hæc excellens virtus paupertatis pro Chriſto toleratæ loco omnium bonorum, ſufficit inquam, quia eſt virtus ſummopere placens Deo, protectionem divinam meretur, & facit reges Cœlorum ipſam ſectantes. *in Luc. c. 7. v. 22.*

60. *Angeli aſſiſtunt patienter ſe agentibus in tribulatione.*

Noli flere, dicebat Tobias uxori ſuæ: Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei. Sed in quo fundatur hæc tua credulitas ô bone vir? optime dicebat: ſciebat enim per revelationem, quòd Angeli aſſiſtunt patienter ſuſtinentibus tribulationes: ſciebat quod homo cum non poſſit portare tot

tot mala, quæ intentantur à Diabolo, à mundo, à carne: Deus providit Angelus nobis adjuvantes in tot periculis; ideò hæc dicebat. *ferm. 4. de Angelis*; in quo elucet maximè divina providentia in nos homunculos.

CAPVT VI.

61. *Memoria passionis Christi quàm efficax contra omnia mala.*

Et ecce piscis immanis exivit de aqua, & ait Angelus: Exentera piscem, & cor ejus, & fel; & jecur repone tibi, sunt enim ista necessaria ad medicamenta militer &c. Nota hic maximum, & pulchrum mysterium. Piscis hic mysticè est Christus Jesus, qui dignatus est latere sub aquis humanitatis nostræ: capi voluit laqueo mortis nostræ affatus est tribulatione tempore passionis: in corde ejus amor figuratur; In felle amaritudo passionis; in jecore constantia suæ virtutis, hæc reponenda sunt in memoriæ thesauro, quia sunt necessaria ad medicandum omnem morbum spiritualem nostrum. *in Ioan. collat.* 89.

62. *Christus Iesus ut pascatur pascit nos suis carnibus.*

Et ecce piscis immanis exivit de aqua ad devorandum Tobiæ filium. Si figuratur Christus in hoc pisce, quomodò dicitur, quod exivit, ut devoraret nos? sed attende mysterium, ut devoraret nos, nobis suas carnes exhibuit comedendas, & ideò comedat, & incorporet nos sibi, voluit ipse à nobis comedi: ut pascatur, pascit nos. *in Ioan. collat.* 89. *& op. de præparat. missæ c.7. & l. 4. d.9. art.1. qu.2. ad argum.*

63. *Orationis tela jacienda contra Diabolum, qui per ipsam debilitatur, & vincitur.*

Expavescens Tobias clamavit, cum invaderet eum piscis. Ecce ad quodnam remedium confugit Tobias, videns se invasum à Pisce immani; nempe ad clamorem invocans auxilium ab Angelo: edocemurque quod contra Diabolum securius telum est clamor in oratione, & si hoc debemus facere, quando invadimur à Dæmone, quid debet facere, qui in ventre hujus piscis invenitur malè vivendo. *ferm. 2. Dom. 2. Quadragesimæ.*

64. *Diabolus retinet in ventre existentes in peccato mortali.*

Clamavit Tobias: Domine invadit me piscis. Vide quomodò iste vir justus ad invasionem solam piscis clamat ad Dominum: sed quia piscis iste significat Diabolum: hinc edocentur, quid facere debent illi; qui non solùm invaduntur à Diabolo tentando, sed & in ventre ejus jam absorpti sunt, & sunt omnes malè viventes existentes in peccato: clamare debent de ventre ceti ad Dominum, ut liberentur. *ferm. 2. Dom. 2. Quadragesimæ.*

65. *Angeli sese exhibent in adjutorium nostrum tamquam nostri fratres.*

Obsecro Azaria frater &c. Cur appellatur iste Angelus frater à Tobia? quia Angeli sunt veluti fratres nostri in adjutorium nostrum missi, valde soliciti de nostra salute: ergo eorum consilia tamquam fratrum suscipienda. *ferm. 4. Dom. 5 post Pentecost.*

66. *Consideratio pœnarum Inferni liberat à Dæmone, & peccato.*

Cordis particulam super carbones si ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum &c. Hic est maxima quæstio an verè fumus ejiciat Dæmones: cui respondent meliores Theologi, quod nulla res corporea potest ejicere Dæmones, sed solùm virtus divina. *sic Lyranus hic*: unde hæc verba sunt mysticè intelligenda, nempè si cor super carbones ponitur scilicet cordis consideratio super carbones, idest pœnarum Inferni, fumus excitabit contritionem, quia per eam ejicitur omne Dæmonium, & peccatum; præcipuèque avaritiæ. *ferm. 4. Dom. 5. post Pentecost. & ferm. 1. in Vigilia Nativit. Domini; in Luc. c. 11. v. 14.* Hinc patet quod per orationem, charitatem, & contritionem extricatur omne genus Dæmoniorum. *ferm. 3. Dom. 3. Quadrag. & ferm 2. fer. 2. Pascha.*

67. *Oratio ejicit Dæmones.*

Fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum. Quid est iste fumus? nisi oratio fervens fundata super merita Christi: hæc enim Dæmones fugat. *op. de sex alis Seraph. c.8. & ferm. 3. Dom. 3. Quadragesimæ.*

68. *Christi passio medicamentum efficax contra morbum spiritualem animæ, & contra Diabolum.*

Cordis particulam super carbones &c. Nota hic piscis est Christus, cujus cordis particula, scilicet ejus dilectio nobis exhibita in passione, & perforatione est motiva ad declinationem omnis malitiæ: fellica autem passionis ejusdem amaritudo est omnis turpitudinis concupiscentiæ purgativa, & cæcitatis, & caliginis spiritualis abstersiva: sic hoc collyrium liberat ab omni malo. *op. de Eccles. Hier. p.3. c.2. in Luc. c.24. v.45.*

69. *Diabolus accipit potestatem super nubentes in peccato mortali; & excludentes finem matrimonij.*

Audi me, qui ita conjugium suscipiunt &c. Vide quinam sint nubentes, super quos Dæmonium accipit potestatem, tamquam super porcos, scilicet qui Deum à se, & à mente excludunt per peccatum mortale, & libidini vacant, sicut equus, & mulus, scilicet sine ratione, & sine Sacramenti. *ferm. 1. mom. 1. post oct. Epiph. & ferm. 1. & 2. Dom. 3. Quadragesimæ.* Sed in quonam consistit hæc potestas Diaboli super tales malos nubentes? quia eos præcipitat de peccato, in peccatum, de ruina, in ruinam, donec eos ruere faciat in Infernum. *ferm. 2. Dom. 3. Quadragesimæ.*

70. *Præparatio per jejunium, & orationem ad nuptias fugat Diabolum, & avocat Deum ad tales nuptias.*

Tu autem cum acceperis uxorem jejunabis tribus diebus, & noctibus, & orationi vacabis cum ea &c. Eccequid fugat Diabolum, & vocat Deum ad nuptias, scilicet timor Domini, jejunium, & oratio, & hæc est causa, quare multi deficientes in hoc solùm tribulationes, & infestationes Diaboli inveniunt. *serm.1.Dom.1.post oct.Epiph.*

71. *Superbia, & humana gloria appetitus tollit meritum orationis, & bonorum operum.*

Tu autem intra in cubiculum tuum, & vacabis orationi &c. Cur in cubiculum clausum vult Angelus Tobiam, dum jejunabat, & orabat? ut fugeret superbiæ, & humanæ laudis vanitatem; quia hæc tollit meritum orationis, & bonorum operum. *serm.3.de uno Confess. & in Luc.c.6.v.12.*



CAPUT VII.

72. *Claritas bonitatis patefit in subventione pauperum, ex qua Patres merentur benedictionem in filios.*

Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri filius es &c. Cur Tobias pater appellatur vir bonus, & optimus? ea actibus externis bonis, scilicet ex compassione, & misericordia, quam exhibebat pauperibus, & qua mortuos sepeliebat, & hoc affert secum benedictionem etiam filiorum. *serm. de Sancto Martino.* Ea quo infertur, quod bonitas patris dignitatem, & benedictionem in filios affert. *in Luc.c.3.v.2.& Psalm. 118.c.4.v.15.*

73. *Benedicuntur à Deo nubentes in timore Domini.*

Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob impleat benedictionem suam in vobis. Sic dixit Raguel à Deo instructus, quia nubentibus datur benedictio Ecclesiæ, & Dei, si nubunt in timore Dei. *serm.4.Dom.Trinit.*

74. *Fides servanda est Sacramento matrimonij, & Deo.*

Forti animo esto filia mea, Dominus Cæli det tibi gaudium &c. Idest fortiter serva fidem, & sponsi tui ne lædas amorem: sponsi inquam carnalis, & sponsi spiritualis, scilicet Dei. *ser.de Sancta Agatha.*



CAPVT VIII.

75. *Angeli custodes compescunt potestatem Diaboli ad nostrum profectum.*

Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deserto &c. Quomodò religavit? quave catena, si Diabolus est purus spiritus? Nota, quod hæc religatio Dæmonis, nihil aliud est, nisi suppeditatio ipsius potestatis: nam Angeli custodes compescunt eam, quia ubique nobis assistunt, nec patiuntur nos lædi à Diabolo, nisi velimus; vide igitur, quanta sit hæc benignitas Dei in nos, quanta obligatio nostra ad Angelos, quia cum habeamus adversarios tam potentes, nusque impugnantes, modò per blanditias tentationum, modò per astutias illusionum, modò per curiositatem, contra quorum calliditatem, & potentiam humana fragilitas non possit stare, ideo Deus destinavit Angelos adjutores, qui sævitiam eorum coerceront, & eorum repellerent impugnationem: Gratias igitur agamus Deo, qui tales nobis dedit propugnatores. *serm. de Sancto Michaele, & serm. de SS.Angelis, & opusc.comp.Theol.l.2.c.18.*

76. *Iudicum, & Principum debitum est coercere oppressores subditorum.*

Tunc Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deserto. Vide quodnam est munus à Deo impositum Angelis: sed quia in his figurantur Prælati, Principes, & Judices; datur per hoc intelligi, quod istorum debitum est coercere tyrannidem, & violentiam eorum, qui subditos tentant opprimere, eosque punire, & innocentes liberare. *op. de Eccles. Hierarch. p. 2. cap.2.*

77. *Matrimonium cum debito fine factum Deo charum.*

Tu scis Domine, quia non luxuria causa accipio conjugem, sed sola posteritatis dilectione. Ecce qualis est finis præcipuus, ob quem institutum est Sacramentum matrimonij, nempè procreatio filiorum. *in Luc.c.10.v.34.*

78. *Deus à nobis est benedicendus cum timore quidem, sed principalius ex amore, & principalius ob bona spiritualia, quàm temporalia.*

Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit nobis, ut putabamus. Nota mysteria horum verborum: nam cum Pater, & Mater sponsæ dubitarent, quod Tobias sponsus occidendus esset à Diabolo in prima nocte nuptiarum, ut contigit prioribus maritis suis, videntes ambos incolumes, his verbis benedixerunt Dominum, & gratias ei egerunt, sed cur dicitur in his verbis, quod Dominus est Deus Israel, & non potius Jacob? & cur non dicitur tantùm Dominus, vel tantùm Deus? sed attende, quod Dominus est nomen majestatis inducentis timorem: Deus est nomen bonitatis inducentis amorem: nomen Israel est nomen gratuitum, & à Deo impositum: nomen Jacob, nomen est ab hominibus impositum; per quæ datur intelligi, quod Deus est benedicendus quidem cum timore, sed principaliùs ex amore, & quod gratias Deo agere debemus principaliùs ob bona spiritualia, & gratiæ, quàm ob temporalia. *in Luc.c.1.v.68.*

CAPUT IX.

79. *In Maria Virgine benedicta est omnis conjugata, vidua, & virgo.*

Et dicatur benedictio super uxorem tuam &c. Hæc fuit benedictio augurata à Gabelo Saræ jam cum Tobia matrimonio copulatæ: sed cur non benedixit eam, sicut benedixit Tobiam dicens, benedicat te Deus &c. sed solùm ei auguravit benedictionem uxori Tobiæ? non dirigitur hæc benedictio immediate ad Saram, quia nondum erat exposita mundo benedictionis suos mulierum, nempè benedictio Mariæ Virginis; nam benedictio omnium mulierum propalanda, & diffundenda erat adventu Mariæ Virginis, in qua omnes mulieres fuerunt benedictæ. *op. spec. Beatæ Virginis lect. 15.*

80. *Nuptiæ, & nuptialia convivia, quæ exercentur cum timore Domini, sunt à Domino multipliciter honorata.*

Sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. Vide circumstantias, & modum, quo Deum isti conjuges vocaverunt ad suas nuptias, scilicet cum timore Domini, & ideo mirum non est, si postea prosperati fuerint in omnibus ipsorum operibus, & filiis: nam similes nuptias honorat Deus multis beneficiis: sicut è contra infelices sunt illæ ad quas non Deus, sed Diabolus, & peccatum concurrit, quia convertuntur in luctum. *serm. 1. Dom. 1. post oct. Epiph.*

CAPUT X.

81. *Amissio pueri Iesu facta à Maria, & Ioseph, eorumque dolor præfiguratus in Tobia Patre, & filio &c.*

Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum &c. Sic flens dicebat Mater Tobiæ filij, eo quod ipsum reputabat veluti perditum; quod fuit figura doloris Mariæ, & Joseph, quando quærebant Jesum, jam ab ipsis perditum. *in Luc. c. 2. v. 48.*

82. *Mulier magis prona ad fletum, cui sine dedecore plangere permittitur, non verò viris.*

Flebat itaque mater Tobiæ irremediabilibus lacbrymis. Cur hic introducitur mater, & non pater plorans? quia mulieribus facile absque dedecore conceditur fletus, cum sint ad hunc valde propensæ non sic viris: unde etiam in morte Christi mulieres flentes introducuntur ad conspectum Principum, & Sacerdotum, quia iste sexus, ut contemptibilior liberius plorat. *in Luc. c. 23. v. 27.*

83. *Omnia bona in Christo habentur; sine Christo nullum bonum possidetur.*

Omnia simul in te uno habentes, non te debuimus dimittere. Sic dicebat flendo mater Tobiæ: sed quomodò omnia in filio haberi dicuntur? quia erat figura Christi, in quo sunt omnia bona: qui igitur est cum Christo, & habet Christum omnia bona: sine ipso nihil &c. *In Ioan. collat. 78. & in Luc. c. 10. v. 42.*

CAPUT XI.

84. *Contemplativus sedet in supercilio montis felix, & beatus.*

Anna sedebat in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. Vide hanc mulierem, quæ, ut posset videre de longinquo suum filium revertentem ascendit ad supercilium montis, & ibi sedebat, & hoc est figura animæ sanctæ, quæ ab activa, vel à vallibus terrestribus per contemplationem ascendit in altum, ubi sedet, requiescit, & de longinquo potest videre bona Domini, quæ expectat: ô vita beata plena discretione; devotione, charitate, securitate, tranquillitate, suavitate, & agilitate. *in Luc. c. 9. v. 28.*

85. *Visus animæ reparatur felle tribulationis.*

Statimque linivit oculos Patris felle, & statim recepit visum. Cur hac arte voluit Deus, ut recuperaret Tobias visum? ut daret nobis intelligentiam, quod fel tribulationum, si patienter tolerantur pro Christo, visum animæ facit recuperare: item quod fel lachrymarum reddit visum purgatum. *serm. 4. Dom. Quinquag.*

86. *Fides Iesu Christi, & meditatio Passionis ejus facit reparare visum animæ.*

Sumens de felle piscis linivit oculos ejus, & visum recepit &c. Quid mysterij latet in hoc facto? supra dictum est, quod in hoc pisce figuratur Jesus Christus patiens, & crucifixus; si vis ergo visum acutum tribuere animæ, line collyrio fidei Jesu Christi, & meditationis ejus passionis oculos animæ tuæ, & visum acutum recipies. *In Ioan. collat. 46. & op. comp. Theol. l. 4. c. 20.*

87. *Qui stercore amoris terrenorum excæcatur, per fel compunctionis recuperat visum.*

Sumens de felle piscis &c. Vide quali remedio voluit Deus restituere visum per stercora amissum à Tobia; ut intelligas, quod qui stercore amoris terrenorum excæcatur, debet per amarosam compunctionem, tamquam fellis unctionem curari, sicque ad speculationem cœlestium redibit. *Psalm. 118. c. 9. v. 7.*

88. *Altissimus gradus patientiæ est benedicere, & gratias Deo agere ob afflictionem ab ipso immissam.*

Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti

gasti me &c. Vide ad qualem gradum pervenit iste vir perfectissimus in virtute patientiæ, nam gratias agebat Deo in afflictione, qua Deus ipsum probavit. *op. de grad virtut. c. 5.*

89. *Christus nos ab omnibus malis adventu suo liberavit; ideo gaudere, & ei gratias agere debemus.*

Et per septem dies epulantes cum gaudio magno gavisi sunt. Vide, quod priùs gratias Domino egerunt, & deinde per septem dies gaudium epulando demonstrarunt, & hoc. Primò quia Sara per Raphaelem à Dæmonio liberata est. Secundò cæcus liberatus est. Tertiò bonis temporalibus ditati sunt. Quartò filius à morte liberatus est: Et quia in Raphaele, qui interpretatur medicina, significatur Christus medicus animarum nostrarum, qui à captivitate Diaboli nos liberavit, qui nos sedentes in tenebris illuminavit, qui nos honis spiritualibus ditavit, & vitam reddidit, ideò ei gratias agere debemus, & gaudio magno exultare per septem dies, scilicet per totum tempus vitæ. *serm. 5. in Nativit.*



CAPUT XII.

90. *Passiones carnales, & animales nisi præfocentur, occidunt animam.*

Meipsum à devoratione piscis eripuit. Sic dicebat Patri Tobias filius loquens de beneficiis ei à Raphaele exhibitis: mysticè datur intelligi, quod nos circumdamur à bestia immensæ magnitudinis scilicet ab animali passione, & carnali, & nisi præfocetur, occidit hominem; ad Christum igitur, vel ad Angelum Custodem confugiendum est, ut nos adjuvet in tantis periculis, quia passiones animales impediunt operationes bonas, vel eas præfocant; his extinctis, & præfocatis, facile evadimus ab omni periculo. *Psalm. 118. c. 10. v. 9.*

91. *Angelorum beneficia frequenter memoriæ refricanda.*

Me duxit, & reduxit sanum &c. Vide, quod filius repetit beneficia à Raphaele recepta: sic idem à nobis exigit Deus, ut frequenter memoriæ commendemus plurima beneficia, quæ nobis à custodia Angelorum proveniunt; Angelis enim suis mandavit de nobis. *in Luc. c. 4. v. 10.*

92. *Vir justus non sinit se vinci à cupiditate.*

Sed peto Pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur dimidium partem sibi assumere &c. Vide perfectionem, & gratitudinem hujus boni filii, qui dimidiam partem obtulit liberaliter bonorum suorum Raphaeli: non enim cessit carnalitati, vel cupiditati, quia suis passionibus dominabatur. *Psalm. 17.*

93. *Deus à servis suis est laudandus publicè ad exemplum fraternitatis.*

Benedicite Deum Cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei quia fecit vobiscum misericordiam. Cur Angelus præcipit Tobiæ, & filio, quod benedicant Deum coram aliis? ut non potiùs jubet, ut intrent in cubiculum ad hoc opus agendum? Sed ontra, quod vult Deus glorificari à suis servis etiam coram aliis, ut suo exemplo pertrahant alios ad imitationem, ideo hic ordinatur exemplum perfectæ humilitatis cum æmulatione ordinatæ charitatis. *in Luc. c. 6. v. 15. & c. 8. v. 47.* hoc est, quod Deus vult in congregationibus sacris, ut æmulentur charismata majora.

94. *Deo debemus gratias agere pro beneficiis receptis etiam publicè, quando redundat in honorem Dei.*

Benedicite Deum Cæli, & coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam. Vide, quod homo tenetur agere gratias Deo pro beneficiis à Deo receptis etiam omnibus audientibus, quando redundat in bonum exemplum, & ad majorem decorem majestatis divinæ. *in Luc. c. 8. v. 47. & c. 17. v. 16.*

95. *Dei gloria manifestanda coram omnibus in prodigiis, & miraculis ab ipso factis.*

Benedicite Dominum &c. & coram omnibus viventibus. Ecce quod absque ullo respectu vult Deus, ut fiat à suis servis manifestatio suæ gloriæ etiam coram omnibus: unde quando aliquod opus cedit in Dei gloriam non est occultandum. *in Luc. c. 1. v. 17. & c. 2. v. 65. & c. 5. v. 7. & c. 7. v. 21. & c. 8. v. 39. & v. 47.*

96. *Tempore opportuno sacramenta, & prodigia divina sunt reticenda.*

Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est. Quomodò subsistunt hæc duo contraria? docet enim Angelus, quod bonum est mirabilia divina abscondere, & opera Dei revelare; sed id intelligendum est tempore opportuno, quia tempus est tacendi, & tempus loquendi; hæc autem sunt revelanda, quando charitas proximi, & major cultus Dei id exigit; alias verò ea debent occultari, & de hoc sunt plura exempla sanctorum. *in Luc. c. 9. v. 36. & c. 2. v. 48. & in Joan. c. 16. v. 18. & op. legend. S. Franc. c. 13.*

97. *Sanctus Pater Franciscus stigmata conservavit occulta, donec vidit eorum publicationem cessuram fore in manifestationem gloriæ Dei.*

Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem revelare honorificum. Hanc sententiam S. Pater Franciscus perfectè exercuit: nam cum Sacramentum Christi Jesu in suo corpore portaret, nempè ejus sacra stigmata, hæc occultavit quamdiu potuit, sed postea revelavit ipsa, quando cognovit talem revelationem cessuram in gloriam Dei. *op. legend. Sancti Francisci cap. 13.*

98. *Dei secreta amatoribus revelanda: superbis, & tentatoribus abscondenda.*

Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare honorificum &c. Videtur hæc contraria

contraria, sed intelligenda sunt juxta capacitatem auditorum, nam superbis, & teatoribus abscondenda sunt secreta divinaramatoribus, & humilibus revelanda ad gloriam Dei. *in Sap. c. 6. & Psalm. 118. cap. 2. v. 1.*

99. *Oratio, jejunium, & eleemosyna mutuò se adjuvant ad majus meritum.*

Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere. Ecce quomodò oratio est Deo fundeoda, nempè cum jejunio, scilicet corporali; & spirituali, & cum eleemosyna: mutuò enim se adjuvant ad majus meritum, & ut quælibet sit magis Deo accepta. *serm. 6. in die cinerum.*

100. *Oratio ad Cælum volat, si eleemosyna, & jejunio tamquam duabus alis formetur.*

Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna magis &c. Cur præmisit Angelus ante eleemosynam orationem; & jejunium? Nota, quod præmisit orationem, & deinde subjunxit jejunium, & eleemosynam, ut intelligeremus, quod si volumus, ut oratio ad Cælum volet, debet habere duas alas, scilicet jejunium, & eleemosynam: oratione reficimur contemplationis suavitate, & jejunio afficimur puritate, & alacritate, & eleemosyna expurgamur à superfluitatibus, sicque exonerata anima ab omni fœditate facile volat ad Cælum per orationem. *serm. de S. Martino.*

101. *Oratio est thesaurus omnium bonorum.*

Bona est oratio. Ad quid est bona? bonum est triplex, honestum, utile, & delectabile: ad quodnam ex his tribus bonis prodest? Nota, quod dicit bona indifferenter, quia per ipsam impetratur omne bonum, & tollitur omne malum, quia est tributum, quod Deo solvitur pro omnibus beneficiis divinis. *in Luc. c. 11. v. 1.*

102. *Iustitia perfecta in homine ad Deum, seipsum, & proximum est in oratione, jejunio, & eleemosyna.*

Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna &c. Nota hæc tria, quæ complent perfectè justitiam hominis ad Deum, & seipsum, & ad proximum? nam pietas ad Deum oratione, & ad seipsum jejunio, & ad proximum eleemosyna completur, imò omnia ad Deum ordinantur, quia his decimæ Deo debitæ redduntur. *in Luc. c. 18. v. 12. & Psal. 101.*

103. *Iejunium, & oratio sanant omnia mala corporis, & animæ.*

Bona est oratio cum jejunio. Cur hoc? quia jejunio sanantur pestes corporis, oratione pestes animæ: sic illa bona vidua vacabit jejuniis, & obsecrationibus. *in Luc. c. 2. v. 37.*

104. *Eleemosyna conficitur thesaurus opulentissimus, & indeficiens.*

Et eleemosyna bona est magis, quàm thesauros auri recondere. Cur comparat erogationem rerum, & evacuationem thesaurorum, quæ fit per eleemosynas cum thesauris opulentis? quia evacuando thesauros materiales per largitionem eleemosynarum thesaurus in Cœlo reconditur opulentissimus: quia eleemosyna à morte liberat, purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam, & quisnam opulentior thesaurus, & indeficien potest inveniri? *in Luc. c. 12. v. 33.*

105. *Peccans hostis est sui, seipsum interficiens.*

Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ. Quare hostes? quia interficiunt seipsos spiritualiter, & hæc est mors horribilis privans animam vita. *op. Diat. tit. 3. c. 4. & in Ioan. collat. 28.*

106. *Angeli offerunt orationes nostras Deo, sicque redduntur magis accepta.*

Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos obtuli orationem tuam Domino &c. Sed ad quid Angelus offerebat orationem Tobiæ ejusque opera Domino? forsan ut nota ipsi Deo fierent? at Deus omnia perfectè novit: ad quid ergo? sed nota, quod hoc est officium proprium Angelorum; nempè proferre orationes, & opera nostra in conspectu Domini, non ut ea agnoscat, cum omnia perfectè sciat, & videat, sed ut ea, quæ ipse novit, & amat, narrent, laudent, & prædicent: tum ut etiam Deum consulentes nos promoveant semper ad majora: tum ut opera nostra sint magis in conspectu suo accepta. *serm. de S. Michaele & op. comp. Theol. l. 2. c. 18. & in Luc. cap. 11. v. 2.* Et hoc est, quod Ecclesia intendit nobis dictare, dum jubet, ut Diaconus in missa Sacerdoti offerat thuribulum. *op. Diæt. salsit. 2. c. 5. in Luc. c. 14. v. 32.*

107. *Oratio Deum lenit: Angelos ad se trahit, & Dæmones fugat.*

Quando orabas cum lachrymis &c. ego obtuli orationem tuam. Vide quomodò oratio traxit ad Tobiam Angelum, & Deum sibi propitium reddidit, & Diabolum fugavit. *serm. 4. de Angelis.*

108. *In missa Christus simul cum Sacerdote offert orationes, & preces, quæ in ipsa fundantur.*

Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam. Hoc dixit Angelus Tobiæ; sed nota, quod hoc dicitur ab Angelo magni consilii cuicumque Sacerdoti, dum offert in missa suas preces: Nam Christus cum Sacerdote orat, & preces, & oblationes suas, & populi, & Ecclesiæ Deo Patri offert, & gratias refert. *op. expos. missæ cap. 4.*

109. *Ad Angelos, & sanctos confugere debemus, ut adjuvent nostras orationes, & suis meritis suppleant nostros defectus.*

Quando orabas cum Lachrymis, ego obtuli orationem tuam &c. Sed cur se ingerit Angelos in hac oblatione, ut offerat orationem in conspectu Dei ait ipse; sed ad quid hoc? nonne Deus est ubique? nonne oratio est ascensus in Deum? sed attende mysterium: Angeli, & Sancti, qui apud Deum plurimum valent, se ingerunt, & maximè cum rogantur, ut suis ipsorum meritis suppleant nostros defectus, ut orationes nostræ gratiores sint apud Deum, ut magis accendamur in amore Dei, & ut sua ipsorum merita nobis communicent; ideò ad Angelos, & Sanctos sæpè recurrendum est, quia ab ipsis innumerabilia beneficia quotidie recipimus. *op. myftic. Theol.c.3.p.3.*

110. *Insti quo Deo chariores, eo acrioribus tentationibus torquentur.*

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Quomodò subsistit hoc dictum, cum illa petitione, qua Deum oramus, ut non sinat nos induci in tentationem, cum tentatio sit animæ mali inductiva? Sed nota, quod alia est tentatio, quæ à Deo venit, alia à Diabolo, quæ à Deo fit per flagella, infirmitates &c. est bona, quia à Deo inducitur, & ad probationem, & ad exercitium virtutis, & ad majus meritum, hanc suis servis Deus immittit: quæ à Diabolo immittitur ad hunc finem, ut homo peccet, sed tamen in iis, qui charitate vigent, est etiam inductiva ad bonum: sed iis, qui de facili induci possunt ad malum, est periculosa, ideo ad Deum recurrere debent, ut liberentur, vel fortificentur. *l.2. d.23. a.1.qu.3. & serm. 2. de S. Agnete, & in Ecclesc.8.*

111. *Tentationes faciunt ad gloriosiorem coronam, & ad majus meritum, ideo sunt signa dilectionis divinæ.*

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te &c. Nota illâ particulam, (*necesse fuit*) cur necesse? necesse nempè, ut magis mereretur, ut coronam ampliorem gloriæ acciperet, ut probaretur, an sit fidelis amicus Dei, ut addisceret suam infirmitatem, & magis radicaretur in cognitione, & humilitate sui, & ad Deum audentius confugeret: O quot bona proveniunt ex tentationibus. *op. de profect. religios.l.2.c.1.in Ecclesc. cap. 8.*

112. *Adversitas desiderabilior prosperitate.*

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te &c. Ecce soluta illa quæstio, an desiderabilior sit adversitas, an prosperitas: cum impij prosperantur ut plurimum: Justi ut plurimum adversitatibus torquentur: disce ex hoc, quod hæc est via ad Cœlum perveniendi, ideo cum videris aliquem justum tentatum, signum habes, patens specialis dilectionis divinæ. *in Luc.c.16.v.25.*

113. *Secreta Dei ut plurimum per Angelos revelantur.*

Ego sum Raphael Angelus &c. Cur usus est in hoc facto Angelorum ministerio? id fuit ut disceremus, quod Deus sua secreta justis ut plurimum per Angelos revelat. *op. comp. Theol. l. 2. cap.18.*

114. *Deus per Angelos medetur nostris infirmitatibus spiritualibus &c.*


Ego sum Raphael Angelus unus de septem, qui adstamus ante Dominum &c. Nota, quod tantùm quatuor Angeli in Scriptura nominantur, scilicet Raphael, Gabriel, Uriel, & Michael: in quo mysterium hoc involuitur, quia Angeli habent quadruplum defectum ab hominibus relevare, scilicet pronitatem ad malum, quæ est ex ignorantia, & concupiscentia, & ad hanc medendam mittitur Raphael, qui interpretatur medicina Dei: secundum: difficultatem ad bonum, & ad hanc tollendam mittitur Gabriel, qui est fortitudo Dei: tertium: longinquitatem à Domino, & ad hanc medendam mittitur Michael, & quartum: tepiditatem à mente, & ad hanc medendam mittitur Uriel, qui interpretatur ignis Dei: Hæc omnia officia exercent Angeli ad nostrum profectum. *op. Centiloq.p.3.sec.18.*

115. *Angeli ad consolationem hominum aliquando se visibiles per corpora assumpta ostendunt, & in ipsis exercent actus proprios corporum.*

Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, ego autem cibo invisibili utor &c. Sic dicebat Raphael, ut videas, quod Angeli, licet opera propria corporum, maximè actus sensitivæ, & vegetativæ animæ videantur egere, tamen ea verè non faciunt, nisi apparenter, & hoc ad solatium hominis. *l.2. d.8.p.2.art.3.qu.1.*

116. *Angeli promptissimi in obtemperando Dei præceptis.*

Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit &c. Vide quomodò statim ac Angelus exequutus est Dei jussa, ad suum Deum reversus est. *in Luc. c.1.v.38.* Ex quo addiscere debemus, qua celeritate, & promptitudine Deo servire, & ipsi obtemperare debeamus &c.



CAPUT XIII.

117. *Prompti continuè debemus esse ad gratias agendum Deo pro beneficiis receptis.*

Aperiens Tobias os suum benedixit Dominũ &c. Ecce qualis promptitudo inerat in corde hujus justi: recognoscens enim tot beneficia recepta à Deo, statim ei gratias egit; per quod nos Christiani instruimur, quod debemus os apertum habere, magisque cor ad divinam laudem, & gratiarum actionem, maximè post beneficium Redemptionis. *in Luc. c.1.v.64.*

118. *In activa vita se exercentes suis operibus confitentur Domino, laudemque peculiarem ei tribuunt.*

Confitemini Domino, Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris. Nota, quòd dicit in operibus, non dicit in verbis; allusioque fit ad vitam activorum, qui se exercentes in operibus propriis, Deum confitentur, laudantque speciali modo. *in Luc.c.1.v.19.*

119. *Ecclesia gaudium magnum advenit, quando peccator redit ad gratiam.*

Confitere Domino, ô Ierusalem, in bonis ejus, & benedic Deum, & revocet ad te omnes captivos, & gaudeas in omnia sæcula. Nota hæc verba diriguntur ad Jerusalem, scilicet ad Ecclesiam militantem, quæ orat pro filiis suis captivis, cum redeunt ad statum gratiæ de captivitate peccati, ob reintegrationem numeri electorum, maximè gaudet, & exultat. *in Luc.c.15.v.9.*

120. *Puritas conscientiæ affert secum illuminationem mentis.*

Luce splendida fulgebis &c. Loquitur Sanctus Tobias cum Jerusalem: mysticè cum anima, quæ per puritatem conscientiæ ad Deum redit, & ei promittit lucem splendidam; sed quænam est hæc lux splendida? cui dicitur splendida? id dicitur, quia puritas conscientiæ ad modum Solis per totum illuminat mentem, nempè ad habendam notitiam de rebus divinis, & ad participandam claritatem divinam. *in Luc.c.11.v.36.*

121. *Contemplativi in hac vita fruuntur participatione beatitudinis cælestis.*

Beati omnes, qui diligunt te, & gaudent in pace tua. Et quinam sunt isti felices? sunt, qui diligunt Deum, & dilectione ferventi intrant per contemplationem in statum pacis perfectæ; ô beata contemplatio, quæ quodammodo reddit suos beatos in hac vita: sicut enim beati in Cœlo fruuntur per dilectionem, & perpetuo adhærent Deo per pacem tranquillam, & consummatam, sic & contemplativi suo modo. *Psalm. 118.c.1.v.1. & in Luc.c.6.v.19.*

122. *Per Christum, & in Christo recuperata fuit innocentia originalis puritas.*

Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem. Hoc dicebat Tobias confidens, quod posteri sui reddituri essent ad civitatem Jerusalem; mysticè fit allusio ad Christum, qui innocentiam ab Adam perditam recuperavit, nobisque exhibuit. *serm.4. Dom.12. post Pentecost.*

123. *Iusti quomodò fiunt thronus Dei ex sapphiro, smaragdo, & lapidibus pretiosis.*

Ex sapphiro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis ædificabuntur portæ, & muri civitatis &c. Quomodò id est verum, scilicet, quod civitas Jerusalem ædificata fuerit ex sapphiro, cùm certum sit ipsam ædificatam esse ex lapidibus communibus? sed mysticè hæc debent intelligi de anima, quæ ad modum civitatis regalis fit thronus Dei: diciturque fabricata ex sapphiro, & smaragdo, quia sapphirus est solidus lapis cœlestis, & aetei coloris, significatque illos, qui sunt stabiles contra extrinsecas mundi tribulationes, ob spem futurorum, & cœlestium bonorum; smaragdus est lapis mundus contrà impetuosum sanguinis fluxum utilis, significatque eos, qui in amore castitatis roborati innatas in se corporis reprimunt passiones, & talibus gemmis, & similibus, idest in viris solidis in fide, & opere virtuosis præparat Dominus suum thronum, tamquam in civitate regali Jerusalem: felix igitur, qui sic se sinit ædificari. *op. Eccles. Hier.p.1.c.4.*

124. *In gloria perpetuò Beati cantant Alleluia laudantes Dominum.*

Per vicos, & plateas tuas cantabitur Alleluia. Quid significat hoc verbum, *Alleluia*, quod cantatur à Beatis in Cœlo? Alleluia significat laudate Dominum; daturque intelligi, quod Beati in Cœlo perperuò laudant Dominum, mutuò sese invitantes ad Deum laudandum, nihil enim dulcius potest audiri. *in Psalm. 118. 2. expos. in titulo, & op. stim. div. am.p.3.c.20. & serm. 1. in festo omnium sanctorum.*

CAPUT XIV.

125. *Felicitas revertentium à servitute peccati ad libertatem gratiæ quanta.*

Revertentur omnes timentes Deum ad Ierusalem, & relinquent gentes idola sua, & habitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ &c. Hæc fuit prophetia sancti viri Tobiæ de regressu Judæorum in Jerusalem, & de felicitatibus, quibus ditabuntur; sed nota, quod hic regressus promittitur tantùm timentibus Deum; quia datur intelligi, quod timentes Deum pœnitentiam assumunt, & ex filiali reverentia, & timore, qui aversi fuerant à Domino per peccatum, revertuntur ad Deum, relinquendo idola vanitatum, introducuntur in Jerusalem concorditer per pacis tranquillitatem, & habitant in ea per boni operis continuationem; felix igitur pœnitens, si verè ad Deum revertitur. *serm.4. Dom.3, post Pentecost.*

126. *Angeli custodes sunt Reges Cæli, quibus augetur gaudium accidentale ob conversionem nostram.*

Et gaudebunt in ea omnes Reges terræ. Qui sunt isti Reges terræ, qui ad reversionem Judæorum in Jerusalem gaudebunt? Isti sunt Angeli nostri custodes, qui per dispensationem à Deo eis datam nos regunt, & suo ipsorum adjutorio homines ad pœnitentiam, & statum gratiæ revertuntur; ideò

ideò dicitur, quod gaudebunt in Cœlo, ideſt eis augebitur gaudium (non quidem eſſentiale) ſed accidentale; ſed nota quod dicitur gaudebunt, quia gaudent de noſtra ſalute, ſed non triſtantur de noſtra perditione. *ſerm.4.Dom.3.poſt Pentecoſt.*

127. *Cœleſtis Ieruſalem ædificatur ex vivis lapidibus eorum, qui ſalvantur.*

Domus Dei, quæ eſt in terra Iſrael, quæ incenſa eſt reædificabitur, ibique timentes Deum revertentur. Alludit Sanctus Tobias ad reædificationem, quæ poſteà facta eſt, civitatis Jeruſalem, & templi Domini: myſticè alluditur ad ædificationem cœleſtis Jeruſalem, quæ fit lapidibus vivis, nempè animabus timentibus Deum, quæ ibi habitabunt in ſæcula ſæculorum: Væ igitur illis, quos ſolitarios relinquit Dominus in terra ſine gratia, qui numquam invenient hanc civitatem. *ſerm.1. in feſto omnium Sanctorum.*

128. *Qui permanet in juſtitia, & gratia, gratiam apud Deum, & homines invenit.*

Omnis generatio ejus, ſcilicet Tobiæ, in bona vita, & ſancta converſatione permanſit, ita ut accepti eſſent apud Deum, & homines. Vide effectus bonæ, & ſanctæ vitæ: qui enim permanet, & conſervat gratiam Dei, ejuſque ſanctum timorem, ſtabilis ſit, Deoque acceptus eſt, & hominibus. *Pſalm.118.c.6.v.10.*




LIBRI



LIBRI JUDITH
PROLOGUS.

PRIMÒ notandum, quod hæc historia contigit post reditum populi Iudaici tempore Cyri factum à Babylone in Iudæam:temporeque Nabuchodonosor Regis Ninive successit, eo quod elevatus in superbiam ob victorias plures volebat subjugare totam terram suo imperio; & quia per prudentissimam Iudith confusus remansit, ideo hic describuntur eius mirabilia facinora, per quæ præfigurabatur Christus, ut exemplum summæ prudentiæ: omnia enim ad Christum ordinabantur. *op. Princip. S. Scripturæ, & Glossa.*



CAPUT I.

1. *Ædificium temporalis potentiæ fundatum in proximi ruina citò ruit.*

Arphaxad Rex Medorum subjugaverat multas gentes imperio suo. Nota, quod iste vir superbus gloriabatur de potentia sua, sed citò perdidit regnum; & vitam manu,& potentia Nabuchodonosor Regis Assyriorum:Ex quo disce, quod in altum erigens ædificium temporale super ruinam proximi, ut fecit iste perversus Rex, quærit ruinam, nec potest tale ædificium durare, quia est fundatum super arenam.*serm.1.de uno S.Martyre.*

2. *Qui super alios vult se extollere, ædificat super ventum, citoque ruit.*

Et subjugaverat gentes multas suo imperio, & gloriabatur, &c. Vide superquod fundamentum ædificavit suam potentiam iste Rex: nempè super ventum suæ ambitionis, ideo citò cecidit, quia qui non sustinent alios super se positos, voluntque omnibus dominari, quæruot infallibilem ruinam, sicut iste, qui gloriam, & regnum perdidit devictus in bello à Nabuchodonosor. *serm. 1. de uno S. Mart.*

3. *Potentes sæculi fundant suam magnitudinem in ambitione: potentes Cæli in humilitate, & despectione sui.*

*Arphaxad Rex Medorum subjugaverat multas gentes, & gloriabatur, quasi potens in potentia exercitus.*Nota: hæc est praxis potentium sæculi, qui super ventum ambitionis fundant suam magnitudinem: Vos autem non sic; ait Christus suis sequacibus, sed super humilitatem, & subjectionem. *in Luc.c.22.v.23.*

4. *Confidens in proprijs viribus, & potentia imbecillis est, nec timeri debet ab eo, qui habet Deum adiutorem.*


Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui. Nota illam particulam, (*quasi potens*) ergo non erat potens, sed quasi potens: cur hoc? quia gloriabatur, & confidebat in suo magno exercitu, non in Deo, ideo facile victus est:unde confidens in suo, & habens Deum adjutorem non debet timere potentiam sæcularium.*in Luc.c.14.v.31.*



CAPUT II.

5. *Potentes sæculi quærunt subvertere, & dissipare alios, ut se ipsos exaltent.*

Dixitque cogitationem suam Nabuchodonosor esse, ut omnem terram subjugaret imperio suo, &c. Ecce alius superbus Rex, qui Holopherni suo duci præcepit, ut non parceret ulli regno, vel civitati, sed omnes gentes, & earum facultates subjugaret suo imperio; qui tamen per unam mulierem à Deo est confusus; idque non est mirum, quia proprium est potentum sæculi destruere alios, ut seipsos exaltent, sed hoc nihil aliud est quærere, nisi subitum interitum.*serm.1.de uno Martyre.*



CAPUT III.

6. Qui alium trahit ad peccatum, auxiliator, & miles Diaboli fit.

De universis autem urbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios fortes, & electos ad bellum. Vide autem Holophernis, qui ex urbibus ſubjugatis ſeligebat viros ad bellum magis aptos in auxiliarios, &c. Et hæc eſt aſtutiſſima ars Diaboli, qui cum de ſe non poſſit excidia, & ruinas ad libitum inferre, aſſumit in ſuos auxiliarios eos, quos ſubjugat magis aptos ad malum inferendum, & per ipſos parat tot ruinas in mundo: Et quinam ſunt auxiliarij Diaboli? ſed recurre *ad Caput ſecundum v. 2.* ubi dicitur, quod Nabuchodonoſor habuit cum ſuis myſterium conſilij ſui; quodnam eſt hoc myſterium Diaboli? myſterium eſt quid ſecretum, quod inſinuat Diabolus hominibus impijs, qui alios ſuis iniquitatibus trahunt ad malum: Iſti igitur auxiliatores Diaboli ſunt, laſcivæ mulieres, hæretici, mali conſiliarij; iniqui ſocij, prædicatores quæſtuarij, adulatores, & omnes ad peccatum trahentes, qui in auxilium Diaboli ad capiendas animas ſtimulantur; iſti ut in myſterijs, & arcanis Diaboli verſati ſunt venatores, adjutores, rete, ſagena, milites, & Apoſtoli Diaboli; ô quot animæ ad Cœlum aſcenderent, quæ ad infernum trahuntur miniſterio iſtorum. *ſerm. 2. fer. 4. Penteceſt. ſerm. 3. Dom. 4. poſt Penteceſt. ſerm. 3. Dom. Paſſionis.*



CAPVT IV.

7. In neceſſitatibus ad Deum clamandum eſt inſtanter, & ferventer in oratione.

Sic legitur feciſſe populus Bethuliæ timentis obſidionem Holophernis, ex quo Deus ſubvenit ei per miniſterium Judith. *Pſal. 118. cap. 10. v. 1.* Ergo tempore neceſſitatis, & malorum imminentium orandum eſt ad Dominum, maximè per deprecationem publicam.

8. Perſeverantia in oratione eſt neceſſaria.

Scitote, quoniam exaudiet preces veſtras, ſi permanſeritis. Nota, *ſi permanſeritis*, quia ultra alias conditiones perſeverantia eſt neceſſaria. *op. de profect. religioſ. l. 2. c. 71.*

9. Orationem comitari debet pœnitentiâ, ieiunium cum alijs pijs operibus.

Scitote, quoniam exaudiet Dominus, ſi permanſeritis in ieiunijs, & obſecrationibus in conſpectu Domini. Ecce quid eſt, quod condire debet orationem, ad hoc, ut exaudiatur, ſcilicet jejunia, obſecrationes, aliaque opera pœnitentialia, & in eis continuatio requiritur. *ſerm. 6. in die Cinerum.* Hinc diſcendum, quod oratio, & jejunium ſunt arma efficacia contra hoſtes. *ſerm. 4. Dom. 1. Quadrageſimæ.*



CAPVT V.

10. Cultus Dei protectionem divinam, & victoriam contra hoſtes acquirit; deſerentes eius cultum ipſe Deus deſerit.

Deus pugnavit pro eis, quia noluerunt ſequi Deos alienos, deſerentes autem Dei cultum, eos exire fecit de terra ſua, &c. Sic dicebat Achior Holopherni, loquens de populo Iſraelitico; quæ verba ad nos diriguntur, ut intelligamus, quod colens toto corde Deum nunquam à Deo deſeritur, ſed pro eis pugnat in tempore neceſſitatum è contra deſerentes cultum eius, etiam eos deſerit Deus, & ſinit tradi in manus inimicorum. *in Ioan. collat. 47.*



CAPVT VI.

11. Diabolus utitur auxilio ſocij perverſi, ut transfodiat hominem.

Gladius militiæ meæ tranſiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Iſrael, & non reſpirabis ultra, donec exterminaberis cum illis. Sic dixit Holophernes Achior, male ſentiens, quod ei dixerit, quod Deus Iſrael nunquam deſerit ſuos cultores, ſed pro eis pugnat; myſticè Holophernes eſt Diabolus, qui volens exterminare aliquem, vel populum, transfigit gladio malitiæ latera hominis, ſcilicet uxorem, mulierem, vel aliquem ſocium perverſum, qui ſua malitia bonos pertrahat ad peccatum, hacque arte exterminium parat animabus. *ſerm. 3. Dom. infra oct. Nativit.*

12. Achior ligatus ab Aſſyrijs manibus, & pedibus ad arborem fuit figura Ieſu Chriſti ligati ad columnam in odium ſuæ bonitatis; unde dicitur de Achior, *ligaverunt eum ad arborem manibus, & pedibus. ſerm. 1. in Paraſceve.*

13. Proſtrationes, quæ fiunt facie ad terram verſa ante Deum ſunt ſignum humilitatis, & valdè Deo chara.

Omnis populus cecidit in faciem adorantes Dominum. Vide, quod mali cadunt retrorſum: boni colentes Deum in faciem cadunt in ſignum humilitatis, & Deo iſtæ proſtrationes valdè ſunt charæ; hinc in Eccleſia ordinatæ ſunt miniſtris ſimiles proſtrationes. *in Luc. c. 17. v. 16.*

14. Perfecta charitas foras mittit timorem, & audaciam facit; ideo confidentes in ipſo defendit; præſumentes de ſe deſerit.

Qui præſumentes de te non derelinquis, & de ſua virtute glorianti humilias. Sic dicebant orantes filij Iſrael: nam ſciebant, quod qui in Deum, eiuſque bonitatem confidit per veram ſpem, & charitatem, audax fit, ſciens quod tales protegunt ab ipſo: è contra ſuperbos de ſua virtute gloriantes humiliat. *op. Diat. ſalt. tit. 10. cap. 9.* Hinc ſequitur, quod duplex præſumptio invenitur: bona, & mala: præſumptio prima eſt bona, quia eſt confi- dentiæ

dentiæ fundatæ super bonitatem divinam: secunda mala est arrogantiæ fundatæ super vanitatem, & superbiam. *in sap. cap. 7. & Psalm. 118. c. 1. v. 8.*

15. *Oratio est à nobis frequentanda, si velimus liberari ab obsidione hostium infernalium.*

Per totam noctem intrans Ecclesiam Iudith oravit, petens auxilium à Domino. Ad quid petebat hoc auxilium? quia Holupheroea obsidione constrinxerat civitatem, ideo ad orationem confugit tanquam ad securum asylum: Nos igitur, qui continuè obsessi sumus ab hostibus infernalibus, ad orationem confugere debemus, si volumus evadere crudelitatem tam immanium hostium. *serm. 3. in Rogat.*



CAPUT VII.

16. *Sapientia unius justi defendere potest civitatem debilem contra hostes potentes.*

Holophernes præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam. Vide plures exercitus obsidentes parvam civitatem parum munitam militibus, & alijs necessarijs ad defensionem; quid facient igitur isti miseri contra tot, & potentes exercitus? Ecce Dei providentia assistens in tanta necessitate; nam per sapientiam, & prudentiam unius debilis mulieris, scilicet Iudith eos liberavit; ergo magis confidendum in divina providentia, quam in humana potentia; Vide etiam, quod sæpè per merita unius justi tota civitas liberatur à periculis. *in Eccles. c. 9.*



CAPUT VIII.

17. *Vidua secundum præceptum Christi instruitur exemplo Iudith.*

Iudith in superioribus domus suæ fecerat cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ. Ecce perfectissimum exemplar vitæ contemplativæ, & activæ, in quibus se exercebat hæc vidua, quæ verè vidua erat coram Deo. *in Luc. c. 2. v. 37.*

18. *Iejunium, & cilicium est medicamentum efficax contra gulam, & luxuriam.*

Habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ. Et ad quid hoc faciebat? quia timebat infirmitatem gulæ, & luxoriæ, quæ sunt duo gravissima mala; ideo hoc duplex medicamentum applicavit ad dolorem, & partem patientem. *Diat. sal. tit. 2. c. 4.*

19. *In Iudith pulcherrima figurata est pulchritudo Ecclesiæ.*

Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas. Cur notatur pulchritudo, & opulentia Iudith? quam proportionem habent ista cum sanctitate vitæ? Respondet Glossa, quod in hac muliere figurabatur Ecclesia catholica, quæ est formosissima, & ditissima, sic à Christo suo sponso constituta; uxor Agni est Ecclesia Christi, cuius pulchritudo non solum splendore, scilicet conversatione sanctorum, sed etiam membrorum decore constat: tota pulchra, & sine macula & in visceribus, & in membris: eiusque oculi sunt Prælati, & provisores: os sunt Advocati, & Doctores: aures sunt pœnitentiarij, & confessores, causarumque auditores: ossa sunt sapientes bonorum, & malorum discretores: collum sunt clerici, & cantores; pectus sunt nobiles, & potentes: ubera sunt consiliarij: brachia sunt milites: manus operatij, & artifices; coxæ sunt famuli: pedes sunt rustici, & agricultores: his membris constat sponsa pulchra, quia pulchrior est sponsus. *serm. 1. Dom. 19. post Pentec.*

20. *Ecclesiæ opulentia qualis.*

Cui vir suus reliquerat divitias multas. Cur notantur hic divitiæ huius mulieris? sed jam dictum est ex Glossa significari Ecclesiam: ergo & hæc sponsa Christi est dives; dives inquam, quia Christus eam ditavit divitijs plurimis gratiarum, Sacramentorum, aliorumque bonorū spiritualium, replevit enim eam bonis, ut nos ditaremur in bonis domus eius. *fer. 4. Dom. 2. post Pentec.* Nota etiam, quod Christus permisit, ut Ecclesia ditaretur possessionibus temporalibus, ne cultus Dei propter paupertatem, & inopiam deperiret. *l. 4. d. 24. p. 1. art. 1. q. 3.*

21. *Ecclesiæ pulchritudo iterum consideratur.*

Erat autem eleganti aspectu nimis, &c. Iam vir istius mulieris mortuus erat, & suam sponsam pulcherrimam divitem reliquerat: signaturque Ecclesia pulchra fide, pulchrior spe, & pulcherrima charitate: pulchra item in conjugatis, & in incipientibus; pulchrior in viduis, & in proficientibus; & pulcherrima in virginibus, & in perfectis. *serm. 6. in Rogat. & serm. 3. in Ascens. & serm. 3. in Pentecost.*

22. *Mariæ pulchritudo figurata in Iudith.*

Erat autem eleganti aspectu nimis, &c. Cur pulchritudo notatur in hac sancta muliere? nonne dicitur vana pulchritudo à Spiritu Sancto? quia Iudith fuit figura Beatæ Virginis; & ideo etiam pulchritudo Mariæ hic designatur; Maria enim pulchritudine corporali, & spirituali universas creaturas superabat, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur: Pulchra inquam ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum. *op. spec. Beatæ Virg. lect. 12. op. P salterium Psalm. 1. & 13. & 77. & 84. & 85. & 95. & op. Psalt. minus.*

23. *Mariæ divitiæ expenduntur.*

Cui vir suus divitias multas reliquerat. Si Iudith fuit dives sic facta à viro suo: ergo figurata Iudith, scilicet Maria fuit opulentissima: Unde dixit Angelus, *Dominus tecum*, scilicet Dominus opulentissimus tecum est opulentissime, ideo Maria fuit ditissima super omnes creaturas: dives in auro amoris, in gemmis virtutum, & donorum, in aro-

matibus bonorumoperum, & exemplorum: dives inquam, quia in ipſius manibus, & poteſtate Deus depoſitavit omnes theſauros gratiarum, & bonorum. *op. ſpecul.B. Virg. lect.8.& 13.& ſerm.1.fer.2. Paſchæ:& opuſc.Pharetr.l.1.c.5.*

24. *Laus,& fama bona conſequitur ad vitam ſanctam.*

Erat autem hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum. Ecce ratio, quarè iſta mulier erat famoſiſſima, quia timebat Dominum: nam laus propriè competit operibus bonis. *l.2.d.25.p.2.art. 1.q.3.& d.24.art.1.q.1.& op.ſpec. Beatæ Virg. lect.9* ſic etiam dicitur, *Proverb. Mulier timens Dominum ipſa laudabitur.*

25. *Beata Virgo Maria in omnibus famoſiſſima, &c.*

Erat autem in omnibus famoſiſſima. Nota, *in omnibus*, ſcilicet in vita, in exemplo, in actibus, &c. ſic Beata Virgo Maria fuit famoſa propter virtutes, & exempla ſua laudabilia; famoſior propter miſericordias, & beneficia ſua inenarrabilia; & famoſiſſima propter gratias, & privilegia ſua tam mirabilia. *op.ſpecul.Beatæ Virginis lect.9.*

26. *Fama bona in quo conſiſtit,& unde trahit originem.*

Hæc erat famoſiſſima in omnibus: timebat enim Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de ea malum. Nota, quod in his verbis exprimitur in quonam conſiſtit bona fama, & unde trahit originem, nempè oritur ex probitate contra carnem, mundum, & Diabolum: item ex religione, & ſanctitate per puritatem reſpectu ſui, proximi, & Dei: item ex timore Domini: item ex teſtimonio cuſtodiæ exactæ oris, *ſerm.de ſancta Eliſabeth.*

27. *Præſumptio, & temeritas impedit effectus orationis.*

Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? iſte ſermo miſericordiam non provocat, ſed potius iram Dei, poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini in arbitrium veſtrum,&c. Nota, quod merito ab iſta ſancta muliere reprehenduntur ſacerdotes, eo quod decreverunt tradere civitatem hoſtibus, ſi intra quinque dies non vidiſſent auxilium Dei, & meritò, ait Gloſſa, quia cum afflicti ſumus nec tempus nec modum præſcribere Domino debemus, ſed magis arbitrio eius cuncta relinquamus,& regnum Dei tantum abſolute petere debemus: unde ſimilis temeritas, & præſumptio magis provocat iram Dei, quam miſericordiam excitet. *Pſalm.* 140. Debet enim orans voluntatem ſuam volnntati divinæ conformare, ſi vult exaudiri. *In Ioann. collat.*47.

28. *Indulgentia peccatorum obtinetur à petente cum lachrymis, & contritione peccatorum.*

Indulgentiam eius cum lachrymis poſtulemus. Ecce quid requiritur ad acquirendam indulgentiam peccatorum, ſcilicet eam petendo cum lachrymis, & contritione, quia lachryma quodammodo cogit Deum ad exaudiſionem petitionum. *opuſc. Diet.ſal. tit. 7. cap. 3. & ſerm. 10.in Rogat.*

29. *Per humiliationem, & tribulationem ſolum pervenitur ad veram conſolationem.*

Expectemus humiles conſolationem Dei. Nota, quod ante conſolationem ponit humiliationem, quia hæc eſt unica, & ſola via perveniendi ad conſolationes divinas. *in Luc.cap.6.v.24. & cap.2. v.25.& ſerm.2.de uno Confeſſore.*

30. *Ex profectu, vel defectu Religioſorum, & Clericorum dependet profectus, vel defectus laicorum.*

Vos eſtis Presbyteri in populo Dei,& ex vobis pendet anima illorum. Quomodò ex Presbyteris pendet anima ſubditorum? Nota, quod hic loquitur de cauſa morali, vultque dicere, quod ex profectu, vel defectu Presbyterorum, ſcilicet Religioſorum, & Clericorum dependet defectus, vel profectus ſubditorum, nam ſuo exemplo alliciunt ſæculares ad imitationem, *opuſc.Eccleſ.Hier. p.1.cap.3.*

31. *Prædicatores boni vivificant mortuos, & vitam eis tribuunt.*

Vos eſtis presbyteri in populo Dei: ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda ipſorum erigite. Nota, quod non ſolum bona vita, ſed & eloquium ſacerdotum, ſcilicet ſancta prædicatio, eorum admonitiones, & conſilia mortuos in peccato vivificant, & ſanctificant, ad vitam. *op.de Eccleſ.Hierarch.p.4.c.5.*

32. *Patientia in adverſis facit acquirere amicitiam Dei,& cognoſcere, quis ſit verus amicus.*

Abraham Pater noſter tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Ecce quid facit acquirere amicitiam Dei, eamque probare, nempè patientia in tribulationibus, & tentationibus,& hac via tranſierunt omnes Dei amici. *fer.1.de SS.Philipp.& Iacob.& in Ioan.collat. 69.& in Luc. cap. 21. v. 13.& lib. 2.d.29 art.2.q.1. ad 5.& in Eccleſ.c.8.*

33. *Quæcumque flagella à Deo ad pœnam noſtram immiſſa ſunt ſemper citra condignum noſtrorum peccatorum.*

Reputantes peccatis noſtris, hæc ipſa ſupplicia minera eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur ad emendationem. O quam id eſt verum! Vtinam & hæc ſententia Domini imprimeretur indelebiliter in mentibus noſtris: quæcumque enim pœnæ non ſunt condignæ, quia ſunt debitæ ex parte noſtri; unde merito hæc flagella à Deo immiſſa patimur, quia peccavimus in Chriſtum. *ferm. 4. de pluribus Martyribus.*

34. *Non*

34. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Reputantes peccatis nostris, hac, &c. Ex hoc etiam edocemur, quod non sunt condignæ quæcumque passiones hujus temporis ad futuram gloriam, tum quia peccavimus, & ob id meritò hæc patimur; tum quia laboramus ex debito, quia servi sumus, & ideò rectè operando, vel mala sustinendo, reddimus debitum; ergo est meræ bonitatis divinæ, si tandem coronamur gloria. *serm. 4. de plurib. Martyribus.*

35. *Scrutari aliena facta ob curiositatem, & de ipsis malè judicare à Deo est vetitum.*

Vos autem nolo, ut scrutemini actum meum, &c. Cur vetat, ut Sacerdotes scrutentur actum suum? nonne ad ipsos spectabat curam habere de ipsa, ut eorum subdita? sed notare, quod cum hæc mulier à Deo duceretur per media, quæ prima facie videbantur parum recta, admonuit eos, ne curiosè vellent scrutari facta illius; scrutari enim curiositatis causa facta aliorum à Deo est vetitum. *Psal. 118. c. 5. v. 5.*

36. *Confessarij caveant à nimia perscrutatione à pœnitentibus, maximè quoad quasdam circumstantias, vel actus, qui solùm inserviunt pascendæ curiositati.*

Vos autem nolo, ut scrutemini actum meum. Cur vetas, ut Sacerdotes scrutentur actum tuum, si ad ipsos pertinet scire, quæ ad tuam salutem concurrunt? Nota, quòd Iudith interpretatur confessio: & ideò mysticè hæc verba diriguntur Sacerdotibus, & Confessariis, qui quidem debent inquirere peccata pœnitentium, sed cum maxima cautela; ideò sanum consilium est se abstinere à quibusdam perquisitionibus circa circumstantias, vel peccata inusitata, quorum cognitio potest magis nocere ipsis, & pœnitentibus simul, observentque illud periculum: ne quid nimis. *l. 4. d. 19. dub. 5.*

37. *Oratio est unicum asylum in tribulationibus.*

Usque dum renumiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum. Vide ad quod confugium recurrit hæc sancta mulier in hac occasione, nempe ad scutum orationis: Daturque nobis instructio, quòd in tempore tribulationis semper opponendum est scutum orationis; eo quòd armis orationis securè aggrediuntur hostes, & omnes hostiles nequitiæ destruuntur. *serm. 3. Dom. 10. post Pentec. & ser. 1. de S. Ambrosio.*



CAPUT IX.

38. *Iudicia Dei sunt expedita, nec possunt impediri industria, vel malitia humana.*

Omnes viæ tuæ paratæ sunt, & iudicia tua in tua providentia posuisti. Vidè quomodò hæc illuminata mulier rectè cognoscebat hanc veritatem circa dispositiones judiciorum Dei: dum dicit, quod ejus viæ, scilicet opera, dispositiones, & judicia sunt parata, & in sua providentia rectè disposita, ita quod nec possunt impediri malitia, vel impertia, vel industria humana, quia nihil fit à casu, vel fortuna apud Deum. *Psalm. 118. cap. 1. v. 3. & c. 7. v. 6. & in Sap. c. 14.*

39. *Datur modus, quo superbia gladio proprio amputetur, & dissipetur.*

Fac Domine, ut gladio proprio superbia eius amputetur. Sic orabat Iudith loquens de Holopherne sperans auxilio Dei posse ipsum occidere ipsius gladio: sed spiritualiter datur intelligi, quod superbia gladio proprio amputari potest: nempe dum pensato ejus periculo superbus eam rejicit. *Psal. 118. c. 3. v. 7.*

40. *Incauti percutiuntur labiis, & verbis dulcibus fœminarum.*

Percuties eum ex labiis charitatis meæ. Nota, quod hic intendebat Iudith impetrare à Deo, ut ex verbis suis dulcibus alliceretur Holophernes (non quidem ad peccatum, ut malè dixerunt aliqui) sed ut uxorem eam sumere cogitaret: patet enim, quod ipsa habebat bonum finem, dum dicit, quod ejus labia erant labia charitatis: sicque intendebat hoc medio habere occasionem, eum occidendi, quod in bello justo est licitum; *sic Lyranus:* At ex hoc discere debemus, quod incauti præcipitantur ex verbis dulcibus fœminarum; nihil enim fortius muliere ad deliniendum virum, & informandum ejus animum ad quodcumque voluerit: quod etiam intellige in bonum. *opuscul. Pharetr. lib. 1. cap. 8.*

41. *Verba ex charitate prolata, quot bona efficiunt.*

Percuties eum ex labiis charitatis meæ. Quænam sunt ista labia charitatis? habet ne charitas labia? habet equidem: nam labia ex charitate mota detestantur impietatem, exaltant, & laudant Deum & prædicant aliis prudentiam informantem. *Psal. 118. c. 11. v. 11.*

42. *Constantia in concupiscibili est necessaria ad Deum serviendum, & incedendum in via perfectionis:* unde bona Iudith orabat Dominum dicens: *Da mihi constantiam in animo meo, ut contemnam illum*, scilicet Holophernem, nempe sensualitatis motus, & ictus. *Psal. 118. c. 8. v. 13.*

43. *Superbi Deo, & hominibus exosi.*

Nec superbi placuerunt tibi ab initio, &c. Hoc optimè dixit Iudith, quia superbi sunt Deo, & etiam hominibus exosi: sunt enim litigiosi, bellicosi, & impij. *Psalm. 118. c. 4. v. 3. & in Luc. c. 18. vers. 17.*

44. *Humiles, & mites Deo placent, eius familiaritatem contrahunt, & Deus in ipsis quiescit.*

Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Sed hæc complacentia in quonam consistit? quia Deo placentes ipse facilè eos exaudit, suam familiaritatem eis impertitur, & in ipsis

quieſcit. *diat. ſal. titul.7. cap.2. Pſalm.118. capit.11. verſ.9.*

45. *Vana eſt oratio eius, qui proximo non dimittit iniurias.*

Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Ergo qui non eſt manſuetus fruſtra orat, ut ſibi dimittantur peccata? ſed qui ſunt manſueti? qui alios non lædunt, qui injurias dimittunt, qui charitatem in proximum habent. *in Luc. cap.11. verſ.4.*

46. *Oratio apud Deum efficax non confidentis in ſua virtute, ſed ſolum in virtute divina: inefficax præſumentis de ſe.*

Exaudi me miſeram de tua miſericordia præſumentem. Ecce qualis conditio ſit neceſſaria efficaci orationi, & quid eſt, quod reddit eam inefficacem; nempe ſecure orat Deum, qui diffidens de ſe, confidit in ſola divina virtute; è contra præſumptuoſa, & exoſa eſt oratio præſumentis de ſe. *in ſap.c.7.*



CAPUT X.

47. *Mirrha confeſſionis peccatorum Holophernem infernalem confundimus.*

Unxit ſe myro optimo Iudith. Notatur hæc unctio inter alia ornamenta, quibus ſe Iudith accinxit ad ſe præſentandum coram Holophetne: ſed myſticè datur intelligi, quod Iudith myſtica, quæ interpretatur confitens, ſcilicet anima confitendo peccata ungit ſe, & præparat ad ſecurè confundendum Holophernem infernalem: Actiores enim dolores Diabolo non infligimus, quàm confeſſione peccatorum. *ſer.4.in Epiph.*

48. *Stupor in mirabilibus Dei confundit malos, & elevat bonos.*

Et cum audiſſent viri illi verba Iudith, conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor. Vide, quod apprehendit eos ſtupor, ſed in malum omen, nam ſtupor in mirabilibus Dei confundit hypocritas, & exaltat homiles, & bonos in laudem Dei. *in Luc. c.5. v.26.*



CAPUT XI.

49. *Beata Virgo ſuper omnes mulieres ditata exterius, & interius mirabilibus gratijs.*

Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum. Hæc dicta ſunt de Iudith, ſed ſolum de figurata, ſcilicet de Maria Virgine verificantur, non enim eſt, vel unquam fuit in terra talis mulier in aſpectu clariſſimæ vitæ, in pulchritudine mundiſſimæ conſcientiæ, & in ſenſu verborum diſcretiſſimæ linguæ. *op.ſpecul. Beata Virginis lect.6.*



CAPUT XII.

50. *Oratio, ad hoc ut aſcendat ad Deum, exigit ſeparationem animæ à terrenis.*

Petiit Iudith, ut daretur ei copia nocte, & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum, &c. Vide quid fecit hæc anima à Deo illuminata, ut ſua oratio eſſet Deo charior, & pretioſior, egrediebatur de conſortio turbarum, ſic & faciebat Chriſtus, ut daret nobis intelligere, quod oratio debet eſſe elevata, & orans elevatus à terrenis, quia per eam anima relinquens omnia creata, elevatur in Deum. *in Luc. c.6. verſ.12. & ſer.5. de uno Confeſſore.*

51. *Oratio pura exigit baptiſmum præcedentem animæ.*

Exibat Iudith, & baptizabat ſe in fonte aquæ, & aſcendebat orabatque Dominum. Vide quomodò hæc anima priuſquam ad orationem aſcenderet, baptizabat ſe in fonte aquæ: Daturque intelligentia, quòd qui vult bene, & fructuosè orare, debet priùs ſe mundare in fonte lacrymarum, & contritionis à ſordibus peccati, & à carnalitatibus ſenſualitatis. *ſerm.5. de uno Confeſſ. & ſerm.4. Dom. infrà oct. Epiph.*

52. *Qui vult ad ſtatum contemplationis aſcendere, debet ſeparari à terrenis rebus affectu.*

Exibat, & baptizabat ſe in fonte aqua, & aſcendebat, &c. Vide ordinem aſcenſus animæ ad ſtatum contemplationis; priùs baptizanda eſt à ſordibus peccatorum, & ſic ad quietem ſpiritualem tranſire; & ſicut Iudith per tres dies hoc fecit; ſic triplex gradus hujus quietationis aſſignatur; Primus eſt ſeparatio ab iis, quæ turbare poſſunt animam, ſcilicet à cogitationibus, & curis hujus vitæ: Secundus eſt dies contemplationis, qui eſt lucidus: tertius perfectæ dilectionis. *ſerm.4. Dom. infrà oct. Epiphan.*

53. *Deus offert gratiam ſuis, ut eos elevet ad Cœlum: Diabolus ſuam gratiam offert ſuis, ut liberiùs peccent.*

Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inveniſti gratiam coram me. Sic dicebat impius Holophernes Iudith, ut eam ad peccatum alliceret; ſic facit Diabolus cum ſuis, quibus exhibet ſuam gratiam, & vinum delectationum carnalium, ut liberiùs peccent; non ſic Chriſtus, qui gratiam ſuam exhibet, ut hominem à peccatis avertat. *op. ſpecul. Beata Virginis lect.5.*

54. *Gratia Dei veritas, & ſtabilitas eſt: gratia mundi, & Diaboli fallax.*

Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inveniſti gratiam coram me. Et quam gratiam? gratiam mondanam, fallacem, maledictam omne malum inducentem, ſic accidit iis, qui gratiam quærunt apud mundum: gratia verò juſtorum eſt illa, quam apud

apod Deum inveniunt, quæ est veritas, & sanctitas: Felix, qui hanc quærit, & invenit; infelix, qui illam quærit, & non invenit. *opusc. spec. Beatæ Virginis lect. 5.*

55. *In Cœlo Beati bibunt felicitatem ineffabilem ad fontem vitæ.*

Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me, &c. Nota, quòd hæc, quæ malè sine dicta sūt Iudith ab Holopherne, dicuntur in Cœlo Beatis ad majorem ipsorum exultationem: Bibe nunc ex fonte perenni beatitudinis, quoniam invenisti gratiam coram supremo Principe: ô verè inaudita magnificentia, ô læta, & jucunda exultatio, qualis nonquam in hoc sæculo audita est. *op. soliloq. c. 4.*



CAPUT XIII.

56. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

Et pugionem Holophernis evaginavit Iudith, & percussit bis in cervicem eius, &c. Vide, quòd non sine mysterio notatur, quòd Holophernes occisus est à Iudith proprio gladio: ut per hoc discerenius, quod per quæ quis peccat, per hæc & torquetur judicio Dei, scilicet per manum mulieris, quam malè concupierat. *in Sap. c. 11.*

57. *Infirma mundi eligit Dominus, ut confundat potentes, & sapientes mundi.*

Iudith abscidit caput ejus, &c. Vide mirabilem artem Dei, qui volens eripere Iudæam ab incursion. tot exercituum Nabuchodonosor, non est usus potentia mondi, sed muliere infirma, ut magis ejus divina providentia, & potestas eloceat, quæ infirma mundi eligit, ot confundat sapientes, & potentes hujus sæculi. *In Eccles. cap. 9.*

58. *Sola humilitas triumphat de potentia Diaboli, & mundi.*

Abscidit caput eius, &c. Mirum qoidem videbitur hoc facinus ab imbecilli sexu patratum, non tamen iis, qui non ignorant quanta sit vis humilitatis; sicut enim hæc mulier sua profunda humilitate Deum inclinavit ad sui adjutorium, cor fortificavit, & brachium roboravit ad perditionem impij Holophernis: ita sola humilitas est, quæ de Diabolo triumphat, & mundo, quia est eradicativa omnium malorum: contraria enim contrariis curantur, idcò Deus vult, ut superbia eradicetur humilitate. *sermon. 2. de uno Confessore.*

59. *Ieiunium triumphat de Diabolo: crapula occidit animam.*

Abscidit caput Holophernis, qui iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. Vide mirabiles effectus abstinentiæ Iudith, & crapulæ Holophernis; nam una mulier abstinens, & jejunans potuit triumphare de Holopherne potentissimo: nec mirum, nam jejunium fugat Diabolum, & triumphat de mundo, & carne; crapula è contra omne malum, & mortem infert. *opuscul. diet. sal. titul. 2. cap. 6.*

60. *Beata Virgo Maria figurata in Iudith, quia sua arte, humilitate, gratia, & virtutibus liberavit Ecclesiam ab hæresibus, & potestate Diaboli.*

Abscidit caput eius, &c. Hæc fuit Beata Virgo Maria, de qua canitur pulcherrimus rithmus. *op. laus Beatæ Virgin fig. 14. & ser. 2. de uno Conf.*

61. *Beati omnes congaudent cum anima in ingressu Ierusalem cælestis.*

Omnes accensis luminaribus congyraverunt circa eam, &c. Ecce quod ad ingressum Iudith in Bethuliam post triumphum, omnes congyraverunt circa eam cum luminaribus, ei congaudentes, &c. Idque est figura congratulationum, & applausuum, quæ fiunt à Beatis in ingressu animæ post reportatum triomphum de Diabolo, & mundo, in illam beatam gloriam. *opusc. compendiosum princip. in fine.*

62. *Spes in Deum triumphat de inimicis, & excitat animam ad gaudium, & laudem Dei.*

Laudate Dominum Deum, quoniam non deseruit sperantes in se. Vide quales effectus sunt spei, & confidentiæ in Deum; nam hæc reportat victoriam de inimicis, & laudem excitat in anima, fiduciamque in adversis imprimit. *op. de sex alis Cher. & Psal. 118. c. 11. v. 15.*

63. Angeli custudiunt nos in periculis: sic fatetur bona Iudith dicens, *custodivit me Angelus eius, &c. serm. de S. Michaele & in Luc. c. 4. v. 10.*

64. *Castitas meretur omnem benedictionem à Deo.*

Benedixit te Dominus in virtute sua, &c. Hoc dixit Ozias Pontifex Iudith: indicans, quod cum per castitatem triumphaverint de inimicis, meruit benedictionem à Domino; sed nota, qood dixit, *benedixit te in virtute sua*; oec exprimit qualis fuerit hæc benedictio ut intelligamus, hac loquutione indifferenti, quod castitatem amans, & servans, benedictionem à Deo accipit temporalem, spiritualem, & æternalem. *ser. 5. de una Virgine.*

65. *Beata Virgo Maria triumphavit de Diabolo pro se, & pro nobis.*

Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Quia Iudith figurabat Mariam Virginem, ideò hæc verba ponderanda sunt ad ipsius gloriam: Dicit igitur Sacer textus, quod Deus benedixit eam in virtute sua, quia debellavit nostros inimicos; cur non dicit inimicos suos, sed nostros? quia non solum Maria triumphavit de Diabolo pro se, sed & pro nobis: nempe oobis præparavit sua virtute, & benedictione vires, quibus possemus vincere hostes; unde qui triumphat de Diabolo, post Dei auxilium, totum debet à Beata Virgine recognoscere; ergo in tentationibus, & periculis confugiamus ad asylum

afylum noftrum, ad Beatam Virginem, quæ eft terribilis Dæmonibus, ficut caftrorum acies ordinata. *op. fpec. Beata Virginis lect. 14.*

66. *Ulcifcitur Deus fuas offenfas in teftimonium fua iuftitia, & humana malitia.*

Deus Ifrael, cui tu teftimonium dedifti, quod ulcifcatur de inimicis fuis, ipfe caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manus meas, &c. Sic dixit Iudith Achior, qui jam loquens cum Holopherne dederat teftimonium de juftitia Dei, &c. unde Iudith ei oftendens caput abfciffum Holophernis confirmavit, quod Deus fe ulcifcitur de inimicis fuis in teftimonium fuæ juftitiæ, & humanæ malitiæ & hoc ad exemplum noftrum, ut Deum timeamus. *ferm. 1. Dom. infrà oct. Afcenf.*

67 *In Maria Virgine impleta funt benedictiones omnium benedictarum mulierum.*

Benedicta tu à Domino Deo in omni tabernaculo Iacob. Hoc dixit Achior videns, quod operata eft Iudith, fed nota, quod Iudith fuit figura Beatæ Virginis, & quòd hæc benedictio impleta fuit in Beata Virgine Maria, quia fola fuit totaliter, & plenariè benedicta. *in Luc. c. 1. v. 42.* Vnde etiam habetur ex Divo Auguftino, quod Adam poft foporem dixit Evæ hæc eadem verba. *opufcul. Principium Sacra Scriptur.* quæ folùm de Beata Virgine poffunt verificari, &c.



CAPVT XIV.

68. *Diabolus fuos obftinatos in malonon pulfat adverfitatibus, ne convertantur.*

Nullus audebat cubiculum virtutis Affyriorum pulfando, vel intrando aperire, &c. Vide, quod fervi Holophernis non audent pulfare fuum tabernaculum, ne ipfum à fomno exturbent, &c. myfticè Affyrij funt Dæmones, quorum virtus funt homines impij, quorum minifterio utitur ad multiplicationem peccatorum: non audent Dæmones pulfare adverfitatibus, licet pulfent delectationibus oblatis, & hoc ne fortè excitentur à fomno peccati, & ad flagellum convertantur. *fermon 9. in Rogat.*

69. *Dæmones continuè nos circumveniunt infidiantes tamquam negotiatores iniqui, ut animas noftras lucrentur; ubi de mercatura hominis cum Diabolo.*

Nullus audebat pulfare cubiculum virtutis Affyriorum. Nota, quod non audent pulfare tabernacula obftinatorum, non ceffant tamen pulfare alia tabernacula: fed in quonam confiftit hæc pulfatio? Affyrius interpretatur infidians, daturque intelligi quod Dæmones nos tamquam negotiatores iniqui circumveniunt, & infidiantur, ut animam noftram ipfis vendamus pro vili pretio fœdæ voluptatis; & tamen funt tot ftulti mercatores, qui abfque confideratione vendunt animam fuam Diabolo; ô quam infelix mercatus, ô quam gloriofum eft, quod amittitur! quàm grave quod mercatur! quam vile, quod appetitur, quam infelix commercium! *fer. 9. in Rogat.*

70. *Peccatores funt tabernaculum, & cubiculum Dæmonis.*

Nullus audebat pulfare cubiculum virtutis Affyriorum. Quodnam eft hoc cubiculum, & tabernaculum? nota, quòd ifti funt exiftentes in peccato mortali, ifti funt tabernacula, in quibus habitant Dæmones. *fer. 9. in Rogat.*

71. *Perverfi fimul uniti ad malum, & alios ad peccatum trahentes virtus funt Dæmonum.*

Nullus audebat pulfare cubiculum virtutis Affyriorum. Cur appellat Holophernem virtutem Affyriorum? quia in ipfo confiftebat præcipua virtus ipforum, quia ad ejus imperium omnia fiebant; per hoc fignificatur, quòd multi peccatores obftinati fimul uniti in malum, & præcipuè intenti ad trahendum alios in peccatum, dicuntur virtus Dæmonum, quia per ipfos Diabolus exidia, & incendia portat in damnom Ecclefiæ quod per fe non poffent facere. *fer. 9. in Rogat.*

72. *Timor intolerabilis erit in damnatis.*

Intolerabilis timor, & tremor cecidit fuper eos. Scilicet Babylonios audita decapitatione Holophernis: idque figurat timorem, & tremorem intolerabilem interiorem, & exteriorem damnatorum ob pœnam damni, & fenfus. *Pfal. 118. c. 8. v. 8.*



CAPUT XV.

73. *Deus libenter, & frequenter vifitat contemplativos, ut ipfos benedicat.*

In figura hujus dicitur hic, quòd, *Ioacim fummus Sacerdos de Ierufalem venit in Bethuliam cum univerfis presbyteris fuis, ut videret Iudith, & benedixerunt illam una voce dicentes, Tu gloria Ierufalem &c. eò quod caftitatem amaveris.* Sic Deus de Cœlo vifitat animam contemplativam, eamque fuis benedictionibus replet. *in Luc. c. 1. v. 79.*

74. *Beatam Virginem omnes benedixerunt.*

Et venit fummus Sacerdos cum univerfis presbyteris fuis, qui una voce benedixerunt eam. Id fuit figura Beatæ Virginis, quæ triomphans de inimicis noftris, nos ab ipfis liberavit; unde Deus, Angeli, & homines eam benedixerunt. *op. fpec. Beata Virginis lect. 14.*

75. *Benedicta eft Maria Virgo per caftitatem contra luxuriam.*

Benedixerunt eam omnes una voce dicentes Tu gloria, &c. eo quod caftitatem amaveris, &c. Si igitur Iudith vidua ob caftitatem benedicitur, multò magis Maria Virgo, quæ Deum parere meruit. *op. fpecul. Beata Virginis lect. 15.*

76. Benedicta

76 *Benedictio omnium gratiarum in Mariam descendit.*

Benedixerunt eam omnes vna voce &c. Sed in qunnam consistit hæc benedictio? quia repleta fuit dnnis Spiritus Sancti, & omni genere gratiæ, vt esset causa nobis indulgentiæ, & beoedictinnis. *op. Laus B. Virgin. fig. 14.*

77. *Ratio persequens sensualitatem, ipsam debilitat.*

Filij Israël vno agmine persequentes Babylonios debilitabant eos. Ecce quid à nobis faciendum est: debemns inquam per rationales motus persequi Babylonios, scilicet motus sensuales; sic enim debilitantur, & enervantur, & tandem dissipantur. *Psalm. 118. c. 1 n. v. 6.*

78. *Vidua timens Deum laudabilis est propter pudicitiam virginalem, coniugalem, & vidualem.*

Fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris &c. Vide quomndò laudatur hæc vidua nb castitatem, & pudicitiam, & cum non exprimant vidualem tantùm, dat intelligere, quod fuit laudabilis ob castitatem, & pudicitiam in statu virginali, viduali, & coniugatn. *in Luc. c. 2. v. 36.*

79. *Doctrina morales Ethnicorum, à Sanctis veluti spolia collecta sunt ad profectum Catholicorum.*

Per dies triginta fuerunt collecta spolia Assyriorum à filijs Israel. Mysticè hæc spolia sunt doctrinæ Ethnicorum, quæ à Sanctis collectæ sunt, & convetsæ in vsum, & pnfectum Catholicorum. *Psal. 118. c. 11. v. 2.*

CAPVT XVI.

80. *Deo debet omnis creatura servire ob beneficia tum spiritualia, tum naturalia.*

Adonai Domine, tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt &c. misisti spiritum tuum, & creata sunt &c. Ecce quod Iudith fatetur, quod omnis creatura tenetur Creatori servire, recognnscendo tot beneficia nnn solùm spiritualia, sed & naturalia à Deo recepta: hæc enim est perfectin Creaturæ. *Psalm. 118. cap. 6. vers. 11.*

81. *Prælati sunt montes defendentes Ecclesiam: sed quando in fide, & in suo munere deficiunt, tunc totum ædificium Ecclesiæ à fundamentis commovetur.*


Montes à fundamentis movebuntur &c. Quid est qnòd mnntes mnvebuntur? mysticè montes sunt Prælati custodientes Ecclesiam; sed væ illis, si in fide cnncutiantur, vel in probitate vitæ; quod & tempore Antichristi eveniet. *in Eccles. c. 12.*

82. *Deus est iudex strictè vindicans omnia mala, sed præcipuè lædentem proximum.*

Væ genti insurgenti in genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis in die iudicij &c. Nota hæc verba; nam Dominns iustissimus iudex iudicabit bnonm, & malum, & omnes actiones malas; sed tamen severissimum se ostendet in eos, qui prnximum lædunt: vndè si Deus graviter puoit peccata cnntrà ipsum cnmmissa, gravissimè tamen vindicabit peccata lædentis proximnm. *ser. 2. Dom. 24. post Pentecost.*


83. *In inferno est ignis verus puniens animam, & corpus: Vermis verò spiritualis.*

Dabit ignem, & vermes in carnem eorum. Hic movetur quæstio maxima, an verè futuri sunt vermes in infernn rodentes carnem: & si nnn, ergo nec ignis verus? sed respondetur, quod verus ignis ibi est torquens animam, & corpus; Vermis autem dicitur rodens carnem, quia cum in anima sit remorsus rodens animam per consensum, etiam redundabit in carnem vnitam; tum etiam; quia opus carnale potest dici vermis carnalis, qui torquebit totum coniunctum. *l. 4. d. 50. p. 2. art. 2. q. 1.* Per qnod nnn solum anima, sed etiam carn punietur in inferno. *serm. 4. Dom. 6. post Pentecost.*



LIBRI ESTHER
PROLOGUS.

PRIMO nota, quod apud Hebræos hic liber est agiographus: inter catholicos est,& inter canonicos numeratus:continetque Sacramenta Christi, & Ecclesiæ, & in eo præcipuè præfiguratur Christus, vt exemplar clementiæ summæ.*op.Principium.S.Scripturæ.*



CAPUT I.

1. *Potentia, & divitiæ, huius mundi vanissima.*

In diebus Assueri Regis, quando regnavit super centum viginti septem Provincias &c. Cur à Spiritu Sancto notatur hæc tanta potentia, & opulentia Regis Assueti? vt videas ex hoc, quod vanissima sunt ista bona Mundi: nam sicut tanta potentia, & opulentia exaruit, sic & omnia bona mundana, ne in his corda figamus, sed ad æterna duratura aspiremus. *serm.* 1. *de S. Andrea, & serm.4.de vno Confessore.*

2. *Convivium grande fecit Deus Pater in nuptys filij sui, & Ecclesiæ.*

Fecit igitur grande convivium suis Principibus &c. Nota, quod hoc fuit figura nuptiarum inter Christum, & humanam naturam in Incarnatione: Assuerus enim interpretatur beatus, & significat Christum, Hester elevatio vocationis: quando igitur Verbum incarnatum est, & copulatum cum humana natura Pater æternus fecit grande convivium in vtero Beatæ Virginis, præparando ipsum in communem possessionem omnium, & ad communicationem omnium bonorum. *in Ioan.collat.*11.

3. *Deus vocat, & invitat omnes homines cuiuscumque status ad Cælum, vt ibi fiant Reges, & Principes.*

Rex Assuerus invitavit ad convivium populum à maximo, vsque ad minimum. Quomodò, & cur invitavit minimos etiam pauperrimos, si priùs dicitur hoc convivium præparatum tantum Principibus, pueris suis, & Præfectis Provinciarum? quomodò subsistit hæc præparatio convivij, qua Primis sui regni paratum est cum vocatione pauperum, & miserorum? optimè subsistunt: Rex Assuerus est Christus, qui præparavit convivium gloriæ solùm Principibus, nam qui intrant in illam regiam civitatem sunt vera Reges, & Principes nobiles: sed tamen in terra invitat, & vocat omnes quoscumque, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos, & miseros, vt qui voluerint intrare, & obtemperare fiant in ingressu Reges, & Principes: omnibusque exhibet, & offert auxilia necessaria ad hoc munus, nec vnquam debitur excusatio in aliquo. *serm.4. Dom.2. post Pentecost. & lib.1. distinctione 39. dub.6. & distinct.46. art.1. quæstione 1. & op. de dono sap. cap.11.*

4. *Anima virtutibus ornata est stratum pretiosissimum Dei.*

Lectuli quoque aurei, & argentei super pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide &c. Nota, quod cum mysterio afferuntur ista pretiosissima ornamenta, quæ erant in cænaculo, in quo convivium celebrandum erat: vt detur mysticè intelligentia, quod anima elevata per contemplationem, & virtutibus varijs ornata est cænaculum, simulque stratum Dei, in quo Deus requiescit &c. *in Luc.c.*22.*v.*12.

5. *In Cælo vnusquisque iucunditatem habebit de alterius gloria, tamquam sibi propria.*

Vinum, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur in vasis aureis &c. Nota, quod ista vasa aurea erant omnibus communia; & ideò mysticè datur intelligi, quod in gloria vnusquisque bibet iucunditatem de gloria alterius: per ista vasa enim intelliguntur

liguntur Sancti antea charitate pleni, & ideò de iucunditate alterius quisque eum gratiarum actione bibet. *sermone 2. Dom. 1. post oct. Epiph.* Attende igitur ô anima, & considera locum speciosum, quem tibi sapientia divina ædificavit; attende & victum deliciosum, ornatum curiosum, thesaurum pretiosum, quem tibi divina potentia congregavit; attende quod ibi est, tam perfecta charitas iustorum, quod vnusquisque de alterius bonis, vel gaudio gaudebit, sicut de proprio. *op. soliloq. c. 4.*

6. *Vinum ex fonte Sanctissimæ Trinitatis iucundissimum bibetur à Beatis in Cœlo.*

Vinum vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur &c. Nota, quòd vinum in hoc convivio erat vinum regium, & præcipuum: quid est hoc vinum regium, & præcipuum? vinum est fruitionis beatæ ex fonte beatissimæ Trinitatis derivans, & in vasis aureis, scilicet in cordibus divina charitate ornatis collocatum. *serm. 2. Dom. Trinit.*

7. *In curia, & schola Iesu Christi nobiliores ministrant.*

Sicut Rex statuerat, præponens mensis singulis de Principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet: Ergone Principes ministrabant, & non potiùs vt accumbentes ministrabantur? Sic sic est: in curia enim Iesu Christi Principes, & nobiliores alijs ministrant, & serviunt: attendant hoc Prælati Ecclesiæ qui ad imitationem Christi debent ministrare, & non ministrari. *in Luc. cap. 9. v. 16.*



CAPVT II.

8. *Mulieres vanæ in suavitatibus vnguentorum solent delinquere.*

Sic dicitur de his puellis, quæ introducendæ erant ad conspectum Assueri Regis, quod vngebantur oleo myrrhino &c. *in Luc. capite 7. vers. 38.*

9. *Beata Virgo Maria omnium creaturarum pulcherrima, omnium oculis gratissima, ob id rapuit cor filij Dei.*

Esther erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Ecce expressa figura pulchritudinis Beatæ Virginis Mariæ, quæ pulcherrima corpore, mente integerrima, & spiritu sanctissima: ob id sicut adamas ferrum trahit, sic Beata Virgo cor filij Dei, & ad se atttaxit, omniumque oculis amabilis, cœlestium civium provocavit in se affectum. *serm. 2. de B. Virg. & in Luc. c. 1. v. 28.*

10. *Anima sancta non quærit ornatus externos, sed virtutes mentis.*

Non quæsivit cultum muliebrem &c. Vide Esther, quæ non sicut cæteræ puellæ quæsivit foris se ornare, sed nativa pulchritudine contenta, quæsivit ornare animam puritate, & virtutibus: sic facit anima Deum amans, quæ se intra se ipsam colligens, animam, & non corpus virtutibus conatur exornare, vt possit verè dicere nigra sum (scilicet exterius) sed formosa interiùs. *serm. 10. Hexaem.*

11. *Virgo Maria super omnes mulieres dilecta à Deo, & ideò Regina facta Mundi &c.*

Et adamavit eam Rex super omnes mulieres &c. Vide figuram Beatæ Mariæ Virginis: Esther interpretatur præparata, & quia fuit præparata à Deo omnibus virtutibus, ideò super omnes mulieres à Deo dilecta: & ideò ad cubiculum Regis introducta, scilicet simul, & semel fuit mater, & filia; Virgo, & fœcunda, ancilla, & Domina totius Mundi, & Regina. *serm. 2. de Beata Virg. & op. specul. B. Virginis lect. 5. & in Luc. cap. 1. vers. 3. & op. Laus Beatæ Virg. fig. 15.*

12. *Maria Virgo, quia super omnes mulieres, & creaturas à Deo dilecta, ideò ad eam accedamus &c.*

Et adamavit eam &c. Si Maria Virgo super omnes creaturas à Deo dilecta, quia invenit gratiam, & misericordiam coram Deo, ideò accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam inveniamus in auxilio opportuno. *in Luc. cap. 2. vers. 16. & serm. 2. de Beata Virg. & op. Laus Beatæ Virg. fig. 15.*

13. *Maria, quia à Deo super omnes dilecta ad regnum Mundi fuit evecta, & humanum genus à morte liberavit.*

Et adamavit eam Rex &c. Quid vtilitatis ex hoc amore redundavit? duplex vtilitas, scilicet eam Deus exaltavit in Reginam totius Mundi; & sicut Esther, liberavit sua gratia totum humanum genus, iam ad mortem condemnatum. *op. Spec. Beatæ Virg. lect. 5. & op. Laus Beatæ Virg. fig. 15.*

14. *In Mariam descendit omnis gratia divina communicabilis puræ creaturæ.*

Et adamavit eam, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres &c. Quam gratiam, & misericordiam? Nota, quod hic textus loquitur indefinite, vt intelligas, quod gratia omnis vitæ, & veritatis communicata ei fuit communicabilis puræ creaturæ; & ideò meritò dicitur plena gratia, scilicet omni gratia & misericordia; ergo meritò dicitur Regina mater misericordiæ: & ideò ad eam recurramus, vt ad fontem gratiarum, ad

eam accedere non trepidandum eft, quia tota dulcis, tota fuavis, tota mifericors. *ferm. 2. de Beata Virg. & op. Laus Beata Virg. fig. 15.*

15. *Synagoga repudiata à Chrifto, & gentilitas ei defponfata.*

Iuffit præparari convivium permagnificum pro coniunctione, & nuptijs Efther. Vide, quod loco Reginæ Vafthi iam repudiatæ fuccedit Efther; per quod fignificatur, quod fynagoga repudiata fuit à Chrifto, & Efther, ideft Ecclefia defponfata Chrifto ex gentilitate adunata. *ferm. 1. Dom. 1. poft oll. Epiph.*

16. *Convivium, & dona qualia in defponfatione filij Dei cum Ecclefia, & anima.*

Iuffit præparari convivium permagnificum cunctis Principibus, & fervis fuis pro coniunctione, & nuptijs Efther, & dedit requiem univerfis provincijs, & dona largitus eft iuxta magnificentiam principalem. Nota, quod hoc fuit figura defponfationis Chrifti cum Ecclefia: ficut enim in nuptijs convivium inftruitur, veftes, & dona largiuntur, fic & Chriftus convivium permagnificum præparavit, in quo corpus fuum ad comedendum, & fanguinem ad bibendum dedit; largitus eft etiam dona in cruce, ubi fponfam duxit; dedit enim corpus fuum tortori, Spiritum Patri, Matrem Joanni, Paradifum Latroni, & omnibus fervis fuis dona Spiritus Sancti. *ferm. 1. Dom. 1. poft oll. Epiph.*

17. *Idem confirmatur.*

Iuffit præparari convivium &c. requiem dedit Provinciis &c. Sic fecit Chriftus in his nuptiis Ecclefiæ: ô quot confolationes & delectationes fpirituales funt in Ecclefia: Nota, quod dicitur requies data in Provinciis; quia plures funt Provinciæ hac requie fruentes; per has enim nuptias requies datur in Provincia Cœli; item in Provincia mundi à concuffione, & vexatione data eft requies viriorum bonis; item in Provincia inferni per liberationem animatum à Lymbo: item in Provincia Purgatorij: in cruce autem dedit dona &c. *ferm. 1. Dom. 19. poft Pentecoft.*

18. *Ad defponfationem animæ cum Chrifto qualiter fiat præparatio.*

Et juffit præparari convivium permagnificum pro conjunctione, & nuptiis Efther. Vide, quod priùs præmittenda eft præparatio ad nuptias; Hic verò proponitur defponfatio animæ cum Chrifto per fidem, & ad has nuptias anima fe præparare debet: primò per cordis munditiam, & devotam orationem: fecundò per exteriorem pœnitentiam; tertiò per veram patientiam, & malorum tolerantiam. *ferm. 2. de S. Agnete.*

19. *Obedientia exaltat ad regnum: inobedientia dejicit à regno.*

Nota, quod loco Vafthi jam à regno expulfæ exaltata eft ad folium Efther: cur hoc? quia Efther humillima, & obediens fuit omnibus præceptis Mardochæi, qui ejus curam gerebat: Vafthi verò Regina expulfa, quia noluit obedire Regi. *ferm. 1. de S. Antonio, & op. Laus B. Virg. fig. 15.*

CAPUT III.

20. *Homo quantumcumque à Deo gratiis ornatus, & exaltatus trepidet, ne in peccata, & in damnationem incurrat.*

Poft hæc Rex Affuerus exaltavit Aman, & pofuit folium ejus fuper omnes Principes, quos habebat, &c. Vide in quantam fublimitatem evectus eft Aman, qui poftea miferrimè fufpenfus eft; ut hinc difcas, quod homo, quantumcumque fuerit à Deo exaltatus, & gratiis ditatus, debet tamen timere, & ad Deum humiliter recurrere, ne in fuperbiam, & peccata incidat, quia adhoc poteft deprimi, & damnari. *op. ftim. divini amoris p. 3. c. 17.*

21. *Interfector pauperum eft, qui fubtrahit eis neceffaria.*

Decem millia talenta appendam arcariis gazæ tuæ, fi tibi places, ut populus Ifrael pereat &c. Sic propofuit Aman Regi Affuero, volens potiùs cum fubtractione talentorum fuorum videre deftructionem populi captivi Ifrael: myfticè fignificatur, quod multi funt, qui fubtrahunt id, quod deberetur in fubventionem pauperum, potiùfque volunt expendere in pompas, & vanitates &c. Ifti funt interfectores pauperum, qui merentur pœnam à Deo maximam, & privationem vitæ. *ferm. 2. Dom. 8. poft Pentecoft.*

CAPUT IV.

22. *Clamans in oratione, ut à Deo audiatur, quid facere debet.*

Quæ cum audiffet Mardochæus fcidit veftimenta fua, indutus eft facco, & fpargens cinerem capiti fuo, & in platea media civitatis voce magna clamavit, & hoc ejulatu ad fores palatij venit. Ecce quid fecit Mardochæus, ut à Deo, & à Rege exaudiretur pro revocanda fententia mortis, & in hoc datur inftructio peccatori, fi vult exaudiri in oratione à Deo, primò veftis veteris confuetudinis per emendationem debet fcindi: deinde facco pœnitentiæ indui: deinde cinis memoriæ mortis menti imponi, & poftea in medio plateæ civitatis, fcilicet Ecclefiæ in oratione clamare, & ad fores palatij tantùm clamare, ut Angeli, Virgines, martyres, Apoftoli audiant, & dicant Domino dimitte eam, quia clamat poft nos. *ferm. 3. Dom. 2. Quadragefimæ.*

23. *Non intrabit in Cœlum habens faccum veteris converfationis.*

Non erat licitum intrare facco aulam Regis &c. Vide typum puritatis, cum qua intrari debet in Cœlum: non enim habens veftem veteris confuetudinis

suetudinis poterit intrare regnum Cœlorum. *ser. 3. in vigil. Nativit.* sed requiritur vestis candida continentiæ, & charitatis. *serm. 3. Dom.19. post Pentecost.*

24. *Timor pure servilis, & mundanus non intrat in regnum Cælorum.*

Non erat licitum indutum sacco aulam intrare Regis. Sed quodnam vestimentum ad hunc ingressum erat necessarium? vestis pretiosa: figuraturque quod in regnum Cœlorum non poterit quia intrare indutus sacco timoris purè servilis, & mundani cum affectione ad peccatum; nam talis timor licèt faciat abstinere à peccato, non tamen id fit corde, & detestatione peccati, sed tantùm pura formidine pœnæ: requiritur igitur alia vestis, scilicet charitatis, vel timoris filialis. *op. Diat.sal.tit.6.c.1.*

25. *Peccatum originale erat saccus, quo induta humanitas non poterat intrare in Cælum.*

Non erat licitum indutum sacco intrare aulam Regis. Nota, quod hæc fuit figura clausionis regni Cœlorum factæ per peccatum originale, quo anima induta veluti sacco sordido, non poterat intrare in Cœlum, væ igitur nobis, si à Christo non essemus induti stola gratiæ per baptismum, aliaque sacramenta, & ab ipso non fuisset ablatum impedimentum. *l.4.d.3.p.2.dub.3.*

26. *Zelantes honorem Dei, & salutem animarum invitantur ad clamandum induti sacco ad fores palatij regni cælestis propter stragem, quæ quotidie evenit in perditione tot animarum.*

In platea media civitatis voce magna clamabat &c. Cur clamat Mardochæus? ob imminens excidium populi Israelitici, & ideò zelans ejus salutem clamabat &c. Instruimur & nos, maximè Religiosi, & Prædicatores ad hujusmodi imitationem, videntes enim infinitam stragem tot animarum ad infernum descendentium, & Dei nostri tantum contemptum, si ille pro morte corporali Judæorum tantum dolorem, & tristitiam propter nimiam plenitudinem charitatis publicè prætendebat; quomodò nos miseri lachrymis quietem imponimus? quomodò justi oculi possunt à plorare cessare, videntes tantam vesaniam in proximo, & animarum mortem æternalem imminere? animetur iis anima justi viri, & Dei sui contemptum non sustinens, animarum mortem abhorrens, conetur modis omnibus, quibus potest, animas à peccatis librare; seque totum fundat in oratione quotidie clamans in prædicatione, aut proximos instruens lectione, aut eos audiens in confessione, ut animas recolligat, & convertat, & salvet. *op. stim. divini amoris p. 2. cap.11.*

27. *Non potest homo sacco mortalitatis indutus explicare mirabilia gloria.*

Non est licitum indutum sacco intrare aulam regiam. Nota, quod etiam dicitur de Prædicatoribus volentibus tractare, & exponere divitias regni cœlestis: non enim licet indutum sacco hujus mortalitatis intrare in aulam regiam Paradisi, quia nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit quod Deus in gloria præparavit suis. *op. stim. divini amoris p.3.c.18.*

28. *Ad Mariam Virginem recurrendum clamore magno in tot periculis, ut nos audiat.*

In platea media civitatis voce magna clamabat, & ejulatu maximo usque ad fores palatij. Cur Mardochæus usque ad fores palatij clamat, & plangit? ut audiatur à pulchra Esther, & impetret à Rege liberationem populi à morte: Ecce quid nobis est faciendum: clamare debemus induti sacco pœnitentiæ in oratione, ut audiat nos Maria Virgo figurata in Esther, ut audiens nostrum clamorem, moveatur ad intercedendum pro nobis; idcò ô peccator Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore tuo, non discedat à corde tuo, & ut impetres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. *serm.3. Dom.2. Quadragesima.*

29. *Qualis pœnitentia requiratur ad placandum Deum.*

In omnibus Provinciis planctus ingens erat apud Iudæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco, & cinere multis pro strato utentibus. Ecce typus veræ pœnitentiæ, qua Deus placari debet: pœnitentia inquam in qua concurrit memoria mortis, abjectio conversationis veteris, fletus, & contritio pro peccatis, corporis humiliatio, & cordis liberat à Diabolo, & à culpis. *fer.1. in die Cinerum.*



CAPUT V.

30. *Quænam requirantur ad ingressum securum in conspectu Domini.*

Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regia contrà basilicam Regis &c. Vide quæ fecit Esther, ut posset securè intrare ad conspectum Regis, & obtinere gratiam liberationis: præmisit autem jejunium trium dierum in se, & in populo Israel, & deinde induta regalibus vestimentis se obtulit ad conspectum Regis; mysticè datur intelligi, quod requiritur primò pœnitentia significata in prima die: secundò labor in exercitio virtutum, & tertiò decor virtutum, sicque secure anima adstare poterit ante conspectum Dei, & obtinere quidquid voluerit. *serm. 1. in Vigilia Nativitatis.*

31. *Si Deus non extendat virgam suæ clementia ad nos, non poteremus intrare ad ipsum.*

Rex videns Esther extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu &c. Nota, quod hoc signum erat clementiæ regiæ per quod denotatur, quod si Deus non extendit virgam auream suæ bonitatis, & clementiæ ad nos, non potetimus ad ipsum intrare, & cum ipso regnare:

totum enim est suæ bonitatis. *op. stim. divini amoris p.3.cap.*18.

32. *Felix ad quem Deus extendit suam virgam auream flagellorum.*

Extendit contra eam virgam auream &c. Quomodò extensio virgæ, quæ est instrumentum flagellandi, signum est clementiæ regiæ? nota, quod illa erat virga quidem, sed aurea; nam Dei percussiones, & correptiones sunt paternæ, dulces, & benignitatis divinæ effectus; flagellat enim filium, quem amat, & recipit; unde si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. *op.Phar.l.4.cap.*48. *& serm.* 17.*Hexaem.*

33. *Flagella Dei sunt vincula, quibus Deus trahit ad se animam, quam diligit.*

Et extendit contra eam virgam auream. Si extendit contrà Esther suam virgam Rex, quomodò id fuit signum ejus clementiæ, & si contra eam extendit, quomodò per eam voluit attrahere ad se sponsam suam? sed nota, quod talis est mos Dei diligentis suos, nam flagella sunt vincula, quibus attrahit ad se suos. *serm.* 1.*fer.*4. *Pentecost.* Adversa corporis animæ sunt remedia, ægritudo carnem vulnerat, mentem curat, languor enim vitia excoquit, & vires libidinis extinguit: bonum igitur mihi est Domine tribulari, dummodò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari; bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in Cœlo. *op. Phar. l.* 4. *c.* 48. ô felix anima illa contra quam Deus extendit suam virgam: videtur enim esse contrà, sed verè est pro ipsa.

34. *Felicitates mundi onerando evanescere faciunt animam, spiritualia bona solùm ipsam quietant.*

Et cum hæc habeam, nihil me habere puto, donec videro Mardochæum sedentem ad fores palatij. Vide quomodò se habet vanissimus, & impius Aman; describit enim suas opulentissimas felicitates, divitias, sanitatem, prosperitates, gratiam, & familiaritatem tanti Principis; fœcunditatem in prole, nobilitatem consanguineorum, & amicorum, & tamen tantillum contrarietatis minimæ, sibi suæque vanitati exosum totum ipsum demrbat, & quid hoc fuit? nota quid: quia videbat vilem homunculum sibi, dum transibat non assurgere, & reverentiam non exhibere, quid est hoc? nihil aliud indicat, nisi quod notavit Salomon, scilicet quod omnia ista temporalia vana sunt, & vanum reddunt hominem: solaque bona spiritualia, & gratia Dei possunt quietam reddere animam. *in Eccles. Præfat.*



CAPUT VI.

35. *Nox est tempus aptius lectioni, & applicationi negotiorum, & studiorum.*

Noctem illam duxit Rex insomnem, jussitque afferri historias, & annales priorum temporum, quæ cum illo præsente legerentur &c. Vide quomodò in nocte se applicuit Rex lectioni, & applicationi negotiorum, quia nox est tempus aptiùs ad lectionem, meditationem, & applicationem negotiorum, & studiorum. *Psalm.* 118. *c.* 4. *v.* 7. Et hinc semper in religionibus observantibus tempus nocturnum dicatum fuit meditationibus, & orationi.

36. *Deus non solùm in Cœlo, sed etiam in mundo honorat suos servos.*

Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus &c. Sic propositum fuit Assuero, & sic jussit; ut exterius honoraretur Mardochæus, vilis homo quidem, quoad aspectum exteriorem, sed vir dives valde virtutibus; sic enim facit Deus, qui non solum in Cœlo, sed & in Mundo honorificat suos servos. *serm.* 2. *de uno Martyre, & op. comp.Theol.l.*4.*c.*20.

37. *Per crucem, persequutiones, martyria, & flagella Christus suos exaltat, & honorat.*

Dixit Rex Aman festina, & sumpta stola, & equo, fac ut locutus es &c. Cur Rex volens honorare Mardochæum, voluit, ut Aman ei inserviret, & præcederet eum equo jam insedentem? Nota hoc fuit figura honoris, quem exhibet Christus suis imitatoribus: facit enim, ut equum ascendant, sicque appareant honorati, & quis est iste equus? equus est mysticè Sancta crux, & martyrium &c.*op.comp. Theol. l.*4.*c.*21. Vide ergo, quod sicut per Aman iniquissimum, & inimicum Marduchæi, honoratur ipse Mardochæus servus Dei fidelis, sic & per suos hostes, & tyrannos Deus honorat suos Martyres; & quisnam major honor, quàm pro Rege occidi? Ergo verissimum est, quod dicebat S. Petrus Chrysologus; nempè quod contraria sunt divina mundanis.



CAPUT VII.

38. *Christus nisi à nobis sanctè inebriatus non tribuit sua dona, & Paradisum.*

Dixit Rex ei, scilicet Esther, postquam vino incaluerat: quæ est petitio tua Esther, ut detur tibi, etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis? Cur notatur hæc ampla oblatio facta Esther à Rege cum vino incaluerat? mysticè datur intelligi, quod anima solùm impetrabit à Christo

Christo bona æterna, si vino compunctionis, dilectionis, & lachrymarum inebriabit ipsum Christum, sic enim de facili regnum gloriæ impetrabit. *serm.3. in Rogat.*

39. *Caveat qui est Christi inimicus accedere ad convivium Christi, ne suspendatur, & mala morte moriatur.*

Intravit autem Rex, & Aman, ut biberent cum Regina &c. Vide exitum infaustum Aman, qui cum esset proditor, & infidelis ausus est Intrare ad convivium cum Rege, & Regina; Disce & tu ô homo, quamdiu es inimicus Dei, & in peccato mortali, ne verearis accedere ad convivium Christi, ne mala morte pereas: Priùs ergo ad pœnitentiam recurre, ut Pater æternus te introducat ad convivium amicorum dicens Pater peccavi in Cœlum, & coram te. *op. stim. diu amoris. p.3. c.17.*

40. *Introducitur anima Deum amans in cellam vinariam Christi.*

Intravit autem Rex, & Aman, ut biberet cum Regina &c. Cur non dicit, ut comederet, si convivium jam erat paratum? dicit ut vinum biberet, ut intelligamus, quod anima Dei amore fervens introducitur in cellam vinariam, ubi vinum regia magnificentia dignum manu Christi propinatur, vinum conditum, redolens pigmenta fragrantia, vinum purum, vinum ignitum, per quod significantur varij gradus charitatis, quibus potantur, reficiuntur & inebriantur animæ: ô felix consortium cum Christo. *op. de dono Sapientiæ cap.6.*

41. *Debemus præponere salutem animæ quibuscumque regnis, & bonis temporalibus.*

Quæ est petitia tua &c. si inveni gratiam coram te da mihi animam meam, & populum meum &c. Vide quomodò ista sapiens mulier præposuit salutem proximorum regnis, & sedibus; ut discas, quod debemus præponere salutem animæ omnibus rebus terrenis: quid enim prodest, si universum mundum quis lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. *serm. 1. Dom. 4. post oct. Pascha.*

42. *Qui fidelis non perseverat usque in finem à Christo condemnabitur.*

Suspensus itaque est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo &c. Vide quid profuit tanta opulentia, & regia familiaritas impio Aman, si tandem inventus infidelis suspensus est in cruce; disce & tu, quod si fidelis Christo non perseverabis, tandem à Christo condemnaberis. *op. stim. diu. amoris p.3. c.17.*

43. *Beata Virgo Maria Aman infernalem vicit, & perdidit.*

Et suspensus est Aman &c. Nota, quòd hoc totum fuit patratum arte, industriaque Esther, sic mysticè datur intelligi, quod figurata Esther, scilicet Beata Virgo Maria sua humilitate, & charitate sublimissima prostravit Diabolum, de qua cantatur pulcherrimus Rithmus. *ap. laus Beatæ Virginis sig.15.*

44. *Humilitate sua Beata Virgo superavit superbiam Dæmonis.*

Et suspensus est &c. Vide quomodò humillima Virgo triumphavit de superbo Aman, scilicet de Diabolo. *serm.2. de una Confessore.*

45. *Qui foveam injustè parat proximo, ipse in eamdem incidit; qua enim mensura mensi fuerimus proximum, eadem remetietur nobis.*

Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo &c. Vide hic, ait Glossa, quòd iste incidit in foveam, quam injustè paraverat Mardochæo: Disce & tu, quod si fraudibus malè tractaveris proximum, & tu flagellaberis æternaliter, & temporaliter in mundo. *serm.3. Dom.1. post Pentecost.*



CAPUT VIII.

46. *Sententia mortis hominum revocata per litteras à Christo scriptas in Evangelio signatas sigillo virginitatis Mariæ Virginis, & Spiritus Sancti.*

Consuetudo est, ut epistolis, quæ ex Regis nomine mittuntur, & illius sigillo signata sunt, nemo audeat contradicere. Talis erat praxis in curia Regis Assueri, & ob id talibus litteris revocata est sententia jam opera Aman data mortis Judæorum; talisque est praxis omnium Principum: Mysticè Christus est noster Rex, qui revocavit sententiam mortis latam contra homines per Evangelium; quod fuit signatum sigillo virginitatis Mariæ, & donorum Spiritus Sancti, qui est digitus Dei. *serm.2. in Dom. Passion.* Discamus ex hoc quod sententia contra nos signata, sigillo, & intercessione Beatæ Virginis erit signata, statim delebitur.

47. *Litteræ Christi signatæ sunt sigillo charitatis: litteræ Diaboli sigillo obstinationis.*

Ipsæque epistolæ, quæ Regis nomine mittebantur annulo ipsius obsignatæ erant &c. Mysticè litteræ Christi sunt bonæ conscientiæ in quibus omnia bona opera, verba, & desideria nostra scripta sunt: sed sicut littera sine sigillo, sic sunt omnia bona opera sine charitate, quæ corda nostra sigillat Spiritus Sanctus. Litteræ Aman, scilicet Diaboli sunt malæ conscientiæ, in quibus omnia opera, verba, & desideria mala sunt scripta, & sicut litteræ Christi signatæ sunt sigillo charitatis digito Spiritus Sancti; sic litteræ

Diaboli

Diaboli sigillo obstinationis, quæ in morte cujuslibet aperietur, & examinabuntur. *serm.* 8. *in Pentecost.*

48. *Prædicatores sunt nuntij Christi, portantes litteras Christi, ut litteras Diaboli dissipent.*

Ipsæ epistolæ missæ sunt per veredarios, qui per omnes Provincias discurrentes veteres litteras novis nuntijs prævenirent. Nota, quod cum Aman nomine Regis misisset litteras omnibus Provinciis pro morte Judæorum; deinde opera Esther novæ litteræ missæ sunt, revocantes veteres, & sententiam mortis: mysticè, nuntij portatores litteras revocatorias sententiæ mortis hominum sunt Prædicatores, qui per mundum mittuntur, qui præveniunt hanc mortem, portantes cautelas salutares contra fidelium damnabiles corruptelas; ô quot bona fidelibus populis per bonos Prædicatores afferuntur. *Psalm.* 118. *cap.* 10. *v.* 5.

49. *Post tenebras Deus immittit lucem: scilicet post tempestates consolationem.*

Iudæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Scilicet quia sepulti prius jacebant in tenebris tristitiæ, tunc nova lux lætitiæ orta est; hic enim est ordo, quem Deus servat cum suis amicis post tristitiam mittit consolationem, post fletum risum. *in Eccles. cap.* 3. Justu autem Dei judicio est correspondentia, ut sic fiat transitus à contrario in contrarium, à tribulatione, scilicet ad consolationem, & à consolatione ad æternam afflictionem ad modum cujusdam Crucis.

50. *Per Christum, & prædicationem Evangelij orta est Iudæis, scilicet infidelibus, & fidelibus nova lux, gaudium, honor, & tripudium.*

Iudæis autem nova lux oriri visa est, gaudium & honor, & tripudium. Ecce quod ad publicationem epistolarum Regis Assueri (nempè ut dictum est suprà ad publicationem Evangelij) per Christum orta est pax, salus, gaudium, lux, & honor. *in Luc. c.* 2. *v.* 32.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT IX.

51. *Bona fama debet fundari in virtute, & operibus sanctis.*

Fama quoque nominis ejus (scilicet Mardochei) crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. Vide in quo fundata fama hujus justi; nam per exercitium virtutum adspiciens ad cœlestia pervenit ad tantam existimationem apud omnes; qui enim quærit gratiam apud Deum, invenit eam apud Deum, & homines. *serm. de Sancta Elisabeth, & in Luc. c.* 1. *v.* 30.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT X.

52. *Gaudium spirituale, & opus bonum in hac vita est parvus fons respectu gaudij cœlestis.*

Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in aquas plurimas redundavit. Hoc est somnium à Deo Mardochæo ostensum, per quod significatum est, quod Esther debebat in aquas plurimas lætitiæ redundare &c. mysticè datur intelligi, quod gaudium spirituale quantumcumque grande est parvus fons respectu gaudij cœlestis, gloriæque animæ, & corporis: Datur etiam intelligi, quod quantumcumque parvum opus, & donum spirituale, quod habetur in hac vita est quidem parvus fons, sed in gloria copiosè remunerabitur quia crescet in solem, & aquas plurimas gloriæ quoad animam, & in lucem quoad corpus. *serm.* 4. *Dom.* 1. *post oct. Pascha.* Laboremus igitur in hac vita, quia non sunt condignæ passiones, & opera hujus temporis ad futuram gloriam, quæ præparata est à Deo pro istis minimis.

53. *Sacra Scriptura quoad sensum litteralem est parvus fons: sed quoad mysticum est mare magnum, lux, & sol per totum illuminans.*

Parvus fons crevit in fluvium, in lucem, in solem, & in aquas plurimas. Mysticè hic explicantur mysteria Sacræ Scripturæ, quæ in superficie dicitur parvus fons: sed quoad mysteriorum continentiam crescit in fluvium, & in mare magnum, in solem emittentem radiosissimos splendores. *op. Principium Sacræ Scripturæ.*

54. *Idem confirmatur, nempè in principio Sacra Scriptura fuit parvus fons, & postea crevit in fluvium, lucem, solem, & aquas plurimas.*

Parvus fons crevit &c. Hæc est Sacra Scriptura, quæ in legis datione fuit parvus fons, quia parvus est legis liber, posteà crevit in fluvium magnum in libro Josue, Judicum, Regum, Esdræ, Judith, Esther, & Machabæorum, & post conversus est in lucem prophetiæ, quia prophetia est lux, & post in solem, scilicet in Evangelium, & tandem multæ intelligentiæ elicitæ sunt, & in aquas plurimas redundavit per multiformitatem mysteriorum, quæ explicata sunt in Ecclesia Sancta Dei. *serm.* 13. *Hexaem.*

55. *Beata Virgo Maria fuit parvus fons per humilitatem, & crevit in fluvium, solem &c. generando Christum.*

Parvus fons. Quis est iste parvus fons, & rivulus, nisi humillima Virgo Maria, quæ cum generavit

ravit Christum crevit in fluviũ, in lucem, & solem, scilicet quia Christus fuit fluvius propter abundantiã gratiæ, Lucẽ sapientiæ, & Solẽ justitiæ. *l.* 1 *prolog.*

56 *Beata Virgo facta est Regina mundi.*

Parvus fons, &c. Esther est, quam Rex accepit axorem, & voluit esse Regiaam. Vide, quod Beata Virgo figurata est in Esther, quæ fuit facta mater misericordiæ, ut eam invocaremus, & ad eam accederemus cum fiducia. *serm.* 2. *de B. Virgine.*



CAPUT XIII.

57. *Princeps non tyrannica potestate, sed amore debent regere subditos.*

Cum plurimis gentibus imperarem, nolui abuti potestate, & magnitudine, sed cum clementia, &c. Ecce quali arte Principes debeot regere populos, scilicet non abutendo tyrannica potestate, sed cum clementia, & pietate: sic enim repræsentant ordinem potestatum cælestium. *op. Eccles. Hier. p.* 2. *c.* 3.

58. Domioi Dei virtuti omnis creatura subjacet, nec est qui possit resistere suæ voluntati, ut dicitur hic. *serm.* 2. *in Epiph. & serm.* 1. *Dom.* 4. *post oct. Epiph. in Luc. c.* 5. *v.* 12. *& c.* 19. *v.* 32. *& opusc. Eccles. Hierarch. p.* 4. *c.* 1. Hinc sequitur, quòd ex his, quæ videntur contraria, scit elicere effectus contrarios, & conferre, & ordinare omoia ad suam gloriam. *ser.* 2. *Dom.* 10. *post Pentec.*

59. *Qui vult de Diabolo triumphare, & mortem evitare confugiat ad orationem.*

Omnis Israel pari meate, & obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet. Vide qua arte Aman, scilicet Diabolus vincitur, & quomodò mors animæ evitatur, nempe clamando ad Dominum: nam oratione totum obtinetur. *serm.* 9. *in Rogat.*



CAPUT XIV.

60. *Pœnitentia externa, & interna quàm potens ad debellandum hostes infernales.*

Esther quoque confugit ad Dominum, &c. cumque deposuisset vestes regias, fletibus, & luctui apta vestimenta suscepit. Vide quomodò hæc mulier oratione, & pœnitentia externa, & interna confugit ad Dominum; & triumphavit de hostibus; Placet igitur Deo pœnitentia non solùm interna; sed & externa. *ser.* 1. *in die Cinerum. & ser.* 3. *de uno Confess.*

61. Beata Virgo Maria humilitatis actibus, & pœoitentiæ externæ, & internæ triumphavit de peccato, & Deum placavit, ut habetur in figura in persona Esther. *ser.* 2. *de uno Confess.*

62. *Oratio ut exaudiatur, exigit fiduciam in Deo.*

Da mibi fiduciam Domine Rex Deorum, & universa potestatis. Quid est hoc, quod petit Esther? nonne si orabat ad Dominum fiduciam impetrandi habebat? sed attende, quod ista mulier à Deo illuminata sciebat, quod ad impetrationem gratiarum, quæ petuntur à Deo necessatiò requiritur perfecta fiducia in divina pietate: haoc igitur expectabat, hanc à Deo quærebat. *Psalm.* 118. *c.* 8. *vers.* 13.

63. *Christi sequaces signa Christi ostendunt: sequaces Diaboli signa Dæmonis.*

Tu scis Domine, quia abominor signum superbiæ, & gloriæ mea super capat meum. Quodnam est hoc signum superbiæ, & gloriæ, & super caput? Nota, quod sequaces Christi habent exteriùs signa Christi: sequaces Diaboli ejus signa inferni: Christi sequaces habent signa Christi, quæ sunt continentiæ, humilitatis, charitatis, & sanctæ conversationis: sequaces Diaboli habent signa luxuriæ, superbiæ in verbis, & tactu io factis, & nutu: contra quæ signa Christus factus est infans contra superbiam in verbis, pannosus contra superbiam in ornatu; involutus est io pannis contra superbiam in actu manuum, vel incessu pedum: & positus in Præsepio contra superbiam in loco eminentiori. *ser.* 2. *Dom. infra oct. Nativit. & ser.* 1. *in Dedicat.*

64. *Mulierum fastus in ornatu Deo exosus.*

Tu scis Domine, quia abominor signum superbiæ super capat meum. Quot sunt hodie mulieres, quæ cùm hac Regina possint verè dicere hæc verba? paucissimæ sunt; nam superbia earum trahit eas ad ornatum, & apparatum superfluum maximè capitis: unde in oratione, vel io mente verè non possunt dicere Deo; tu scis Domioe, quia abominata sum signa superbiæ in capite: è contra imitatrices hujus sanctæ mulieris cum plena fiducia poterunt dicere Deo; tu scis Domine, quod gratia tua abominata sum omnia signa superbiæ, & vanitatis. *ser.* 2. *Dom. infra oct. Nativ. & ser.* 1. *in dedicat.*



CAPUT XV.

65. *Maria Virgo Angelorum familiarissima, & Domina.*

Esther assumpsit duas famulas, & super unam innitebatur, quasi pra deliciis, & nimia teneritudine corpus suum sustinere non valens, altera autem sequebatur Dominam, &c. Nota hic figurari Mariam Virginem: duæ famulæ quibus dominatur fuot Angelica, & humana natura; sed illa cui innitebatur est Angelica oatura, super hanc quidem inoititur tamquam familiarissima se Angelis sociando: tamquam delicatissima io Angelis deliciando: tamquam plenissima se cum sua plenitudine Angelis communicando: tamquam potentissima Angelis imperando, quia omnibus Angelis imperat; & Michael Princeps militiæ cælestis cum omnibus spiritibos administratotiis præceptis Mariæ paret in defendendis io corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter se Mariæ commendantium. *op. spec. B. Virg. lect.* 5.

66. Maria eſt Domina hominum præcipuè ſequentium ſua exempla.

Altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. Ecce quid facit altera famula, ſcilicet natura humana, quæ pro Domioa ſua recognoſeit Mariam, ſequeos, ſeu colligens veſtimenta, nempè virtotes, & exempla ejos; Vide eriam, quod cum in poſteriori loco pooatur natura humana, ſanctè tamen poteſt gloriari, quod Dominam ſuam miſerit ante ſe dominando Angelis, ſcilicet qnod in Maria ipſa quodammodo dominetur Angelis. *op. ſpec. B.Virg. lect.5.*

67. Maria Virgo eſt virga aurea, qua animam contemplantem divina myſteria, præcipuè ipſius privilegia, dulciter confortat, in via hujus vitæ.

Accede igitur, & tange ſceptrum. Eſther ſe ad conſpectum Regis præſentans, & videns eum ſpirantem furorem, ipſa corruit, at Rex ut eam conſolaret eateodit virgam auream: Noia myſterium per bellum: Eſther interpretatur abſcoodita, & ſignificat aoimam contemplativam, quam Deua elevar, & abſcondit à conturbatione hominum, innititurque duabus ancillis, ſcilicet potentiæ intellectivæ, & affectivè, quibua graditur ad Dei cognitiunem, & amorem: dom autem præ ſtupore in recognitione divinæ majeſtatis aliquàdo à ſe ipſa defici, Deus ad ipſam extendit virgam auream; hæc eſt Beatiſſima Virgo aurea ſcilicet charitate, nobilitate, munditia, juſtitia, incorruptione virginali; & ideò quando anima ſe ingerit io contemplatione virtutum Beatæ Mariæ Virginis, & per devotionem eam attingit; tunc, & conſolatur, & confortatur mirabiliter: eſt enim amabilis ad cnntemplandum, & delectabilia ad amandum. *op. ſpec. B.Virg. lect. 12.*

68. Anima contemplativa ſine obſtaculo liberè ad conſpectum divinæ maieſtatis ſe præſentat.

Ingreſſa igitur Eſther ſtetit contra Regem, &c. Vide Eſther, quod cum duarum famularum obſequio ſe liberè Regi præſentavit: Eſther interpretatur abſcondita, vel elevata, & ſignificat animam contemplativam, quam in contemplatione elevat Deus, & abſcondit in abſcondito faciei ſuæ à conturbatione hominum: Iſta per contemplationem ingreditur ad Regem Cœlorum Chriſtum: duæ puellæ cum quibus ingreditur, ſunt duæ vires animæ; ſcilicet iotellectiva, quæ præcedit per cognitiooem, & affectiva, quæ ſequitur per dilectiooem. *op. ſpec. B Virgin. lec. 12.*

69. Maria Virgo eſt virga aurea Dei valens furorem Domini mitigare, & placatum Deum reddere.

Accede, & tange ſceptrum, &c. Hoc ſceptrum eſt virga aurea, & hæc eſt Beata Virgo, quæ dicitur aurea, & regia: aurea per Charitatem, & regia per nobilitatem; aurea per munditiam, regia per juſtitiam; aurea per incorruptiooem virginalem, & regia per dominationem, & poreſtatem regalem: Hæcque valer ad ſedandum furorem divinæ juſtitiæ, & ad confortandum animam in hoc exilio ſuæ ditiooi commiſſ. *op. ſpec. B.Virg. lect. 12.*

70. Princeps iuſtitiam incorruptam ſervans, thronum ſolidum Deo, & auream præparat.

Reſidebat Aſſuerus ſuper ſolium regni ſui indutus veſtibus regiis, auroque fulgens, &c. Nota, quod mos antiquus Principum erat, ut ſolium eſſet auro, & lapidibus pretioſis ornatum, & fulgens; & hoc ut indicaretur juſtitia incorrupta ipſorum, ſicut aurum eſt incorruptibile, daturque intelligi, quod Princeps ſervans juſtitiam incorruptam, ſolium aureum Domino præparat, in quo requieſcit, ut in throno regoi ſui. *op. de Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4.*

71. Anima in qua charitas dominatur Regina eſt, beatum reddens appetitum, cui dominatur: Ubi de felicitate animæ, quæ ſe ſinit regi à charitate.

Cum elevaſſet Rex faciem ſuam, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit. Vide hic quis ſit Rex, quæ Regina myſticè: Rex eſt in regno animæ noſtræ voluntas: Regina eſt charitas: Rex iſte dicitur Aſſuerus, qui interpretatur beatus, quia velut beata dicitur illa anima, io qua charitas imperat, & ſibi ſubdit appetitum, & omnes alias potentias: habet caodeores oculos, ſcilicet ſpeculativam, & activam rationis perſpicaciam, & tunc Regina concidit, quia voluntas ſubditor charitati, quæ dominatur ipſi: felix igitur eſt hæc anima, quæ in hac vita miſera elevatur ad quamdam beatitudinem cæleſtem per charitatem. *Pſal. 118. c. 8. v. 11.*

72. Maria Virgo excepta fuit à lege mortis pro omnibus lata.

Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt, ideò non morieris, &c. Applicantur hæc verba figuratæ Eſther, ſcilicet Mariæ Virgioi, quæ ſola excepta fuit à communi lege mortis, & purificationis. *in Luc. c. 2. verſ. 22.* Ex quo elici poteſt ejus immunitas ab omoi peccatu.

73. Virga crucis fuit ſignum clementiæ divinæ in nos.

Tulit virgam, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eam, &c. Vide; quod Rex, ut coofolatet, & confortaret Eſther, ſeque oſtenderet io eam clementē, extendit ſuam virgam auream ſuper collum ejus, & oſeulatus eſt eam; Idque fuit figura, quod Chriſtus extendit virgam, ſcilicet Sanctæ Crucis (vel potiùs ſe extendit in ea) hancque mundo exhibuit in ſigoum clementiæ bomini exhibitæ. *in Sap. cap. 14.*

74. Devotio Beatæ Virginis in Eccleſia propoſita effectus inſinita clementia divinæ in nos.

Tulitque virgam, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eam. Iam dictum eſt hanc virgam auream eſſe Beatam Virginem: Dicitur autem extenſa ſuper animam noſtram, ſcilicet per devotionem Mariæ exhibitam mundo in ſigoum clementiæ divinæ, ô felix illa anima, ad quam extenditor hæc virga

virga quia hæc valet maximè ad ſedandum furorem juſtitiæ divinæ. *op. ſpec. B.Virg. lect.12.& l.3. d.4.art.1.qu.3. corp.* Qui enim dignè coluerit Mariam, juſtificabitur, & remiſſionem peccatorum obtinebit; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis. *op.Pſalt.Pſal.107.& 116.& 117.*

75. *Gratia Dei Angelicam reddit animam.*

Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei: valdè enim mirabilis es, & facies tua plena eſt gratiarum. Nota, quod hoc verè dicitur de anima habente gratiam in ſe: hæc enim reddit ipſam Angelicam, & ſimilem Angelis. *op.de Eccleſ.Hier.p.1.c.1.*

76. *Admiratio, qua in contemplatione occupat animam, eam extra ſe reddit, & in Deum elevat.*

Regina corruit videns Regem, &c. Nota, quod præ admiratione, & timore extra ſe Eſther rapta eſt ad conſpectum regiæ majeſtatis: idque evenit animæ contemplativæ, quando ſcilicet divino lumine mens irradiatur, & ſummæ pulchritudinis admiratione ſuſpenſa, vehementi ſtupore concutitur, ita ut à ſuo ſtatu funditùs excutiatur, & in modum fulguris coruſcantis, quantò profundiùs in ima humilitatis dejicitur, tantò ſublimiùs, tantòque celeriùs per ſummorum deſideriorum ardorem relevata, & ſuper ſemetipſam rapta in ſublime elevatur. *op. de perfect. vita cap. 5. in Luc.c.1. verſ.1a.*

77. *Felix anima, cui datum eſt, vel dabitur videre faciei Chriſti pulchritudinem.*

Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum. Sic dixit Eſther Aſſuero; ſed hoc verum eſt de facie Chriſti pulcherrima, & plena gratiarum; oam felix eſt ille, cui datum eſt, vel dabitor videre Chriſtum in decore regali æternæ claritatis: facies enim ejus eſt tam dulcis, & tam pulchra, ot illa viſa nihil aliud valeat delectari. *ſer.1.in Epiph.& in Luc.cap.10.v.24.& c.2.v.34.*

78. *Aſpectus Angelorum admirabilis, & extra ſe trahens hominem.*

Vidi te quaſi Angelum, &c. Nota, qood cum Eſther extra ſe rapta fuerit ad aſpectum Regis, dixit ipſum coſpexiſſe veluti Angelum Dei, quia aſpectus Angelorum eſt admirabilis, & aptus ad rapiendum extra ſe eos aſpicientem. *in Luc. cap.1. v.12. & 29.*



CAPUT XVI.

79. *Adulatores, & detractores vitandi à Principibus.*

Aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alind æſtimantes callida fraude decipiunt, & quorumdam ſuggeſtionibus Regum ſtudia depravantur. Ex his diſcant Principes evitare adulatores, & detractores: nam opera iſtorum ſæpè Principes nimis creduli innocentes condemnant. *op. de ſex alis Seraph.c.7.*

80. *Prælatus à ſuis determinationibus jam factis aliquando recedat ſic exigente cauſa.*

Nec putetis, ſi diverſa jubemus ex animi noſtri levitate venire, ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum. Sic ſcripſit Rex Provinciis: in quo notare debemus quali cum animi moderatione regeret ſuos populos, cum vigeret in eo animi promptitudo ad mutandum ſua decreta, prout expedire magis videret bono communi; & hinc diſcant Principes, quod licèt ut plurimum decreta, & leges conſtantes, & firmæ debeant eſſe, tamen aliquando exigente neceſſitate temporum pro utilitate publica, aliter aliquando fieri expedit. *op. de ſex alis Seraph. c.6.*

81. *Obedientes Deo, & Prælatis mercedem plenam conſequuntur.*

Omnes, qui nobis obediunt dignam pro fide mercedem recipient, &c. Sic ſcripſit Rex ſuis ſubditis: ſed hoc dirigitur ad obedientes Deo, & Prælatis, nam iſti mercedem plenam recipient; ſic continuè à Chriſto nobis intimatum fuit; ſic & ipſe in ſe exequutus eſt, ut nos ad obediendum excitaret, & hinc opus Incarnationis ab ipſo fuit factum, ut Patri obediret: Utinam & nos vere imitatores hujus tanti magiſtri ſiamus, ut ſicut hodie celebramus pervigilium ſuæ glorioſæ Nativitatis, in quo explicit hæc expoſitio ſeraphica, ſic obedientia divinis præceptis à nobis exbibita nos renaſci aliquando faciat ad ejus cæleſtem gloriam.



LIBRI JOB
PROLOGUS.

PRIMÒ nota, quod Iob fuit vir gentilis, sed Deo charus, ideò proponitur; ut ejus patientiam imitemur, & ejus Sapientia instruamur: In quo præfiguratus est Christus exemplar patientiæ summæ. *opuscul. Princip. Sacræ Scripturæ.*

CAPUT I.

1. *Virtus Sancti Iob extollitur, quia fuit bonus inter malos.*

Vir erat in terra Hus, &c. Per hoc datur intelligi, quod Iob erat descendens ex filiis Esau, qui regnaverunt in Idumæa, cujus caput fuit Civitas appellata Hus, in qua gentiles gentiliter, & malè viventes habitabant. Sic Gloss. *& in thren. cap.*4. Ex quo patet virtus Iob, qui sine lege, sine exemplis bonis, & in conversatione malorum, fuit vir timens Deum: Nam inter bonos bonum esse, salutem habet: Inter malos verò & laudem: Illud facilitatis est tantæ, quantæ securitatis est: hoc tantæ virtutis est, quantæ & difficultatis: quale namque est illud tangere picem, & non inquinari ab ea, in igne sine læsione versari: ergo in hoc Iob virtus maximè extollitur. *op. Pharetr. l.*4.*c.*22.

2. *Prælatus qualis esse debeat.*

Vir simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Vide hic conditiones boni Prælati: Iob erat vir, non tantùm sexu, sed ætate, & virilitate, scilicet sua virtute irrumpens iniquitatem, & simplex, & recta, scilicet suum, & aliorum profectum requirens, tractans rectè negotia curiæ Christi, & recedens à malo consilio. *In Luc. capit.*23.*vers.*52. *& Psalm.* 118. *cap.*4. *vers.*15.

3. *Deus vult suos amicos transire per multas tribulationes.*

Vir rectus, ac timens Deum, &c. Cur præmittitur bonitas, & sanctitas Iob? quia cum in hoc libro exponantur maximæ tribulationes, per quas transivit Iob, per hoc voluit Deus indicare, quod suos amicos vult transire per multas tribulationes, & per eas experiri eorum fidelitatem. *In Eccles. cap.*8.

4. *Rectitudo viri justi in quonam consistat.*

Vir simplex, justus, ac timens Deum, &c. Nota quod rectitudo viri justi in tribus consistit: primò in mali declinatione, per quam retinetur innocentia: Secundò in bona operatione: Tertiò in amoris Dei intentione. *sermon.* 1. *Domin.* 17. *post Pentecost.*

5. *Iob verè erat vir virtutibus omnibus præditus.*

Vir erat in terra Hus nomine Iob, &c. Nota, quod Iob appellatur vir: Cur vir? Sed hoc dicitur cum magno mysterio: nam vir dicitur à virtutis virilitate: per quod significatur, quod solùm qui ordinant se ipsos rectè ad Deum, & ad seipsum, & ad proximum, verè viri dici possunt: Sed quomodò hæc virilitas exerceri debet? Nota quod in ordine ad Deum exercetur per humilem reverentiam, & devotam obedientiam: Secundò ad seipsum per vitæ innocentiam: Tertiò ad proximum per animi compassionem, & malorum tolerantiam. *fer.*4.*de uno Confess.*

6. *Recta intentio in operationibus est actus simplicitatis Deo charissima.*

Vir erat simplex, &c. Quid est simplex? Simplex per rectam intentionem in Deum, hancque semper iste vir justus præfixit in suis actibus. *In Luc. c.*1.*v.*1.*& c.*3.*v.*4.

7. *Timor Domini est fundamentum fabricæ spiritualis.*

Vir erat simplex, ac timens Deum. Nota hic, quod volens Sacer Textus in medium proponere sanctitatem insignem hujus viri, in principio collocat timorem

timorem Dei; & meritò, quia timor Dei est veluti fundamentum fabricæ spiritualis, quia confert ad cognoscendam Dei voluntatem, & quid appetendum, & quid fugiendum præcipiatur, & quo quasi clavatis calcibus omnis superbiæ motus ligno Crucis affigatur: Timor ergo Domini Animam reddit benè mobilem ad omnes Spiritus Sancti inspirationes, ipsamque Spiritui Sancto omninò subjicit, ut in nullo repugnans sit. *op. de dono sap. c. 11. & de dono timoris cap. 1.*

8. *Septem dona Spiritus Sancti sunt, quæ fœcundant Animam, & divitem reddunt.*

Natique sunt ei septem filii. Cur notantur isti septem filij Iob? Ad indicandum eius sanctitatem: Septem filios corporaliter habuit; sed septem dona per ipsos significata, fuerunt illa, quæ ipsum reddiderunt fœcundum, & divitem. *l. 3 d. 3. part. 1. art. 2. quæst. 1.*

9. *Pater familias dicitur, qui habet multam familiam, præcipuè iustorum.*

Natique sunt ei septem filij, & tres filiæ, fuitque possessio septem millia ovium, &c. Per quod significatur, quod Iob erat Pater familias, quia habebat multam familiam, & præcipuè justorum; qui igitur habet sub se homines rectè ambulantes in mandatorum Dei observantia, verè Pater familias potest dici. *In Luc. c. 13. v. 25.*

10. *Iustus laborat in hac vita pro æterna requie.*

Et fuit possessio eius septem millia ovium, & tria millia Camelorum, quingenta iuga boum, & quingenta Asinæ, ac familia multa, &c. Nota, quod non sine mysterio numerus Boum, & Asinarum redactus est ad quinquagesimum, qui est remissionis, & requiei signum: nam cum ista animalia exerceantur in laboriosa vita, datur intelligi, quod Iob exercebat seipsum, & familiam in vita laboriosa promerendo æterna. *In Ioan. Collat. 56.*

11. *Iustus est magnus coram Deo: Impius coram hominibus.*

Erat vir ille magnus inter orientales omnes. Cur notatur magnus Iob inter orientales? Et cur eius fama extendebatur ad occidentales? sed nota mysterium: nam in parte orientali significatur justitia, & gratia Dei: In occidentali verò peccatum: Dicitur igitur Iob magnus inter orientales, scilicet justos, qui vivunt in luce gratiæ Dei: Unde magnus solum prædicatur apud Deum, & justus: Impij verò dicuntur magni, non apud Deum sed apud homines. *in Luc. c. 1. v. 15.*

12. *Septem dona Spiritus Sancti habent quælibet proprium diem, & proprium convivium, quibus illuminatur, & reficitur Anima.*

Ibant filij eius, & faciebant convivium per domos unusquisque in die suo. Quid est hoc convivium in die suo? quinam erant dies filij Iob? sed notandum, quod ut dictum est per septem filios significantur septem dona Spiritus Sancti, quæ à Deo infunduntur in justis suis; quorum quodlibet habet suum diem, & proprium convivium: Dies est illuminatio mentis: Convivium verò est refectio Animæ, quæ ipsi tribuitur juxta propriam conditionem doni. *op. de septem donis in communi c. 1. & Psal. 101.*

13. *In Cœlo unusquisque Beatus facit convivium, aliosque invitat ad gaudendum.*

Ibant filij eius, & faciebant convivium unusquisque in die suo, &c. & invitabant sorores. Nota, quod hoc est figura magni illius convivij, & refectionis, quam habent Beati in Domo illa magna cœlesti: nam unusquisque Beatus facit convivium in die gloriæ suæ, & invitat sororem suam, scilicet cæteras Animas ad secum congaudendum. *op. solil. c. 4.*

14. *Convivium temporale admittitur etiam in Iustis ad fovendam amicitiam, charitatem, & familiaritatem: In malis ad malum ordinatur.*

Ibant filij eius, & convivium faciebant, &c. Ergone incumbebant filij Iob comessationibus? Nota, quod est convivium indifferens, & licitum, quod fit ad conservandam, & fovendam familiaritatem, & amicitiam: Aliud est malum, quod ad fovendam gulam inservit: Aliud sanctum, ad quod invitantur pauperes, & justi. *in Luc. c. 14. v. 12.* ex quo vides etiam convivium temporale ad fovendam amicitiam, & charitatem esse non solum licitum, sed & potest esse meritorium.

15. *Benedicit Deum, qui totum, quod habet à Deo recognoscit: maledicit Deum, qui de munere Dei gloriam sibi attribuit.*

Mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, dicens, ne fortè peccaverint filij, & benedixerint Deo in cordibus suis, &c. Quid est hoc, quod timebat Iob? ne fortè benedixerint Deo: Nota igitur, quod benedicit Deo, qui totum, quod habet, à Deo recognoscit: maledicit Deo, qui ex muneribus divinis gloriam sibi attribuit: Timens ergo Iob, ne in hoc peccarent, mittebat nuntios, ut monitionibus suis eos cautos redderet. *In Ioan. c. 7. v. 19.*

16. *Patres sanctificant filios, dum pro eis ad Deum orationes fundunt, & soliciti sunt, ne Deum offendant.*

Mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, &c. Quomodò eos sanctificabat? Infundebatne eis sanctitatem? minimè, scilicet orando pro eis, & curando ne Deum offenderent, & in hoc maxima solicitudo Iob circa filios notatur, ait Ugo Cardinalis: Nec id mirum: sciebat enim, quod parentes tenentur reddere rationem de peccatis filiorum, quæ ob ipsorum negligentiam committunt: ex quo filij evadunt sine reverentia, loquaces, blasphemantes, murmurantes, diffamatores, & pereunt. *serm. 1. Dom. 24 post Pentecost.*

17. *Prælati sanctificant subditos, dum pro ipsis orant, & ad studia virtutum provocant.*

Mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, &c. Vide

quale est onus Prælati in suos subditos: tenetur enim Sactificare eos, nempè vigiles super subditorum negotijs spiritualiter, & temporaliter esse: eos defendere, ut verus Pastor, in orationibus pro ipsis vigilare: sed væ, quod de multis videtur appositum: ubi enim sunt Pastorum orationes, ubi lacrymæ, ubi vigiliæ, ubi subsidia pauperum? *serm. 1. Dom. 24. post Pentec.*

18. *Perseverantia est iustorum propria in operibus bonis.*

Sic faciebat Iob cunctis diebus. Quid est hoc, quod faciebat cunctis diebus? nempè sanctificationem filiorum, oblationem sacrificiorum, & orationum pro ipsis: Ecce quomodò perseveranter operabatur: sciebat enim, quod non sufficit benè incipere, sed requiritur perseverantia in bonis operibus: hæc enim est propria iustorum. *In Ioan. c. 15. v. 16. & collat. 28.*

19. *Diabolus nihil potest in nobis, nisi permittatur à Deo.*

Quadam die cum venissent filii Dei, ut adstarent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Quid est hoc, quod audio? Ergone Diabolus audet se immiscere coram Deo inter Dei filios? sic, sic est: sed à Deo permissus: nihil enim potest contra eos, nisi quantum à Deo permittitur. *In Luc. c. 22. v. 31.*

20. *Angeli custodes congregantur coram Deo ad discutiendum id, quod magis expedire saluti hominum, & Regnorum videtur: & ad hoc etiam compelluntur Dæmones ad ipsorum maiorem confusionem.*

Quadam die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, &c. Qui sunt hi filij Dei? Et si sunt Angeli, ut communiter dicunt Patres, quomodò dicuntur venisse, ut assisterent coram Domino? Nonne semper vident faciem eius? sed Respondetur, quod dicuntur venisse coram Domino, quatenus iniuncti ministerij testimonium reddere eos iubet: sic Vgo Cardinalis: Hinc inferunt Doctores, *apud Celadam*, quod congregantur simul aliquando Angeli Custodes Regnorum, & Provinciarum, ut de executione sui ministerij mutuo certiores se faciant, & hoc ad majus nostrum bonum: & Dæmones etiam coguntur ibi intervenire, ut patefiat eorum malitia: sic *ex Divo Augustino*: Nec id est mirum: nam Angeli sunt testes coram Domino nostrorum actuum, sub quorum custodia benè, vel malè egimus. *serm. 2. infra oct. Ascens. & l. 2. d. 11. a. 2. q. 3. ad primum.*

21. *Diabolus totus occupatus semper est in hominum perditionem.*

Circuivi terram, & perambulavi eam, &c. Hoc est, quod fatetur Diabolus: sed ad quid iste circuitus, & perambulatio? Ad excitandum, & inducendum homines ad peccatum: Diabolus enim non sumit cibum, vel quietem, sed semper totus est in hoc negotio peccatorum à principio mundi nec unquam cessat: hoc est tota sua cura, & solicitudo. *op. Diat. Tit. 1. c. 1.*

22. *Diabolus alios circuitu, alios directo incessu invadit, ut inducat ad peccatum.*

Circuivi terram, & perambulavi eam. Qoid est circuire, & perambulare? Perambulare est recta via incedere: si recta via incedit, quomodo dicit, *circuivi*? sed nota, quod Diabolus fatetur suam malitiam velit, nolit: Alios enim apertè invadit, quos scit sine difficultate peccaturos: Alios circuitu invadit, nempè, quos sub apertæ malitiæ specie non potest decipere, sub specie boni id facit, transformando se in Angelum lucis, ut evenit in ijs, qui servitium Dei arripuerunt: hos sub specie boni melioris, facit ut ab incœpto itinere desistant, & suspitantes ad alia se divertant: sicque in utroque decipiuntur. *op. mystic. Theol. c. 3. p. 3.*

23. *Diabolus ipse fatetur non posse se lædere aliquem, nisi à Deo permissus.*

Nunquid considerasti servum meum Iob, &c. & ait extende paululum manum tuam, & tange, &c. Cur tu ô perverse Dæmon non tangis eum? Cur dicis Deo extende manum tuam? Id dixit, quia non potest per se quidquam: Vnde & ipse fatetur, se neminem posse lædere, nisi à Deo permittatur. *In Luc. c. 8. v. 32.*

24. *Deus permittit Diabolo aliquando, ut torqueat suos amicos in corpore, & rebus externis, sed non in Anima.*

Ecce in manu tua sunt universa quæ habet: tantum in eum ne extendas manum. Nota, quod hic Deus, permittit Diabolo potestatem super omnes res externas Iob, & deinde infert *in cap. 2.* etiam super corpus, sed tamen reservat Animam. Vt videas, quod Deus suos amicos permittit tribulare à Dæmone in corpore, & rebus externis; nunquam autem in Anima, quia Anima in manu & protectione Dei est. *In sap. cap. c. 3.*

25. *Bona temporalia facillimè possunt amitti, ideo in eis non est fidendum.*

Boves arabant, &c. irruerunt in eos Sabei, &c. Vide cum quanta facilitate tot bona externa à Iob fuerunt amissa, & violentia externa ablata: ut videas, quod cum tam facilè possint amitti, in eis non est fidendum. *In Luc. c. 14. v. 5.*

26. *Bonum est laborare ad obsequium hominis.*

Boves arabant. Cur de Bobus dicitur arabant, & non de cæteris animalibus? Ideo hæc Animalia ad hunc finem data sunt à Deo: Hinc dicitur de Bobus, quod arabant, scilicet erant in actuali exercitio: de cæteris animalibus autem dicitur, quod pascebantur. *In Eccles. c. 2.* Ex quo elucet mirabilis providentia Dei in hominem.

27. In

17. *In Ecclesia Dei, & Religionibus, qui incumbunt studijs, prædicationi, alijsque ministerijs, debent ab alijs pasci: qui ad hoc ministerium non sunt apti, laborent.*

Boves arabant, & Asinæ pascebantur. Vide discrimen horum animalium: Boves laborabant, Asinæ pascebantur: sic & in Ecclesia Dei: qui incumbunt prædicationi, alijsque ministerijs publicis pasci debent: qui ad ipsa non sunt apti, debent laborare: sic Seraph. P. S. Franciscus istis præcipit, ut laborent. *op. Apol. paup. resp. 4. c. 3.*

28. *Prædicatio verbi Dei quacumque occasione facta, à nobis debet recipi, ut à Deo missa.*

Evasi ego solus, ut nuntiarem tibi, &c. Ecce, quod fugiendo hæc nuntiavit Iob iste servus: Datur per hoc intelligi, quod prædicatio divini verbi quacumque occasione facta debet recipi tanquam à Deo missa: nec ad Prædicatorem, vel eius qualitates, sed ad id, quod prædicat est respiciendum. *In Luc. c. 8. v. 34.*

29. *Malum exemplum Prælatorum est ignis omnia devorans.*

Ignis cecidit è Cælo, & tactas oves, puerosque consumpsit, &c. Mysticè iste ignis est malum exemplum Prælatorum, quod omnia devorat. *In Thren. c. 4.*

30. *Ignis divini amoris consumit quidquid est terrenum.*

Ignis de Cælo descendit, & tactas oves consumpsit & pueros. O felix, cui hoc contigit! felix inquam, quem tangit ignis de Cœlo descendens, scilicet amoris Divini: nam virtus eius omne terrenum consumit, & in aliam naturam, scilicet cœlestem transformat, *serm. 1. de B. Virgine.*

31. *Mala custodia oris, cogitationis, & operum devastat omnia bona.*

Chaldæi tres turmas fecerunt, & invaserunt camelos, &c. Mysticè hic est Diabolus, qui tribus turmis utitur ad devastandum omne studium, & bonum nostrum, scilicet turma illicitorum operum, locutionum superfluarum, & cogitationum terrenarum; his Diabolus devastat omnia bona nostra. *Psalm. 108.*

32. *Detractio, & perversa doctrina est ventus vehemens concutiens, & dissipans omne bonum.*

Ventus vehemens à regione deserti irruit, & concussit quatuor angulos domus, &c. Mysticè ventus irruens à regione deserti, est detractio, & perversa doctrina, quæ à corde, & lingua maledica venit, & irrumpit, & dissipat majores, & minores, & omnia proximi bona. *In Eccles. c. 11.*

33. *Tentatio Diaboli ventus est pessimus.*

Ventus vehemens à regione deserti, &c. Mysticè ventus iste significat tentationem Diaboli, quæ concutit quatuor angulos domus nostræ, scilicet affectus Animæ. *In Luc. c. 8. v. 25.* Sed cur prius abstulit possessionem rerum, quam filios impius Satan? Vide infra *c. 2. n. 2.*

34. *Bona huius mundi non sunt nostra, sed aliena.*

Nudus egressus sum, & nudus revertar illuc. Vide, quomodò iste magnus vir cognoscebat statum suum: cognoscebat, inquam, quod ista bona temporalia non potest homo vel afferre, vel auferre: sunt enim non nostra, sed aliena. *in Luc. c. 16. v. 12. & in Eccles. c. 5.*

35. *Christus Iesus nudus exivit de Vtero matris suæ: & nudus voluit mori.*

Nudus egressus de utero, & nudus revertar illuc. Ecce, quod hæc dicta sunt non solum in Persona omnium hominum, sed etiam ipsius Christi, qui voluit exire nudus de Vtero matris, & nudus mori, ad dandum exemplum summæ paupertatis. *in Luc. c. 14. v. 27.*

36. *Vita hominis est quidam circuitus terminans irremissibiliter ad sepulchrum.*

Nudus egressus sum ex utero, & nudus revertar illuc. Vide expressum circuitum vitæ humanæ, quæ ab utero matris ad uterum terræ per circuitus, & ambages progreditur. *In Eccles. c. 1. 2. & 5.*

37. *Vita nostra quam miserabilis.*

Nudus egressus sum de utero, & nudus revertar illuc. Vide ex hoc, quam sit miserabilis vita humana in exitu, in medio, & in fine: est enim potius hæc vita continua mors: Vide quomodò pauperes sumus in ortu, & ingressu, sive Reges, sive subditi. *In sap. c. 7. & serm. 1. Dom. 3. quadrag.*

38. *Conformitas cum Voluntate divina est terminus perfectionis.*

Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen eius benedictum, &c. Vide, ad quantam perfectionem elevatus est sanctus Iob: nam per conformitatem perfectam suæ voluntatis cum divina, & in prosperis, & in adversis, nobis designavit terminum perfectionis. *In sapien. c. 18. & serm. 4. in Rogation.*

39. *Perfectio suprema patientiæ in Iob exponitur.*

Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Nota, quod hic est altissimus gradus patientiæ, & fortitudinis, nempè sufferre mutilationem membrorum, & ablationem vitæ, & rerum temporalium: In quo gradu fuit Christus, & ad quem omnis justus invitatur. *op. de grad. virt. c. 5. & in Psal. 17.*

40. *Vita nostra est villicatio continua cum Deo tractanda.*

Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Ecce quomodò iste sanctus non finit in tot rerum amissione turbationem intrare in suum cor, quia cognoscebat se villicum rerum omnium, & quod vita divitum, & omnium hominum nihil aliud est, nisi

quædam

quædam villicatio,quia Deus dat nobis res expendendas, donec veniat poſiturus cum homine rationem de villicatione.*in Luc.c.16.v.1.*

41. *A Deo nobis dantur omnia bona, & ab ipſo auferuntur, etiam ſi per ſuos inimicos id faciat.*

Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, quarè etiam mala non ſuſtineamus. Sed quomodò poteſt hæc dicere Iob? Verum quidem eſt, quod Deus dedit, ſed tamen hæc mala à Diabolo ablata fuere? ſed optimè loquitur, quia ſciebat, quod omnia bona à Deo proveniunt, & ſi nobis auferuntur, id evenit ex ipſius voluntate.*In ſap.c.18.& ſerm.4.in Rogat* Scribat (ait ſanctus Auguſtinus) quod ignis, grando, nix,glacies, ſpiritus procellarum, & Dæmonum faciunt verbum eius.



CAPVT II.

42. *Felix, qui tentationem patitur de die: infelix, qui de nocte.*

Factumque eſt, cum quadam die veniſſent filij Dei coram Domino, adfuiſſet quoque Sathan inter eos. Cur te immiſſes impie cum filijs Dei? Vt tentaret Iob: ſed notandum, quod iſta tentatio fuit de die: Cur notatur de die?Vt ſignificaretur victoria eius:felix igitur,qui tentatur de die, ſcilicet coram Domino, & cum aſſiſtentia Angelorum:infelix, qui de nocte, ut evenit Iudæ, de quo dicitur, quod exijt de nocte.*In Pſal.29.*

43.*Diabolus impius tentator omnes actus ſuos ordinat ad exitium hominis.*

Adfuit inter eos etiam Sathan. Cur? ut tentaret Iob, & ut in ipſum exerceret omnes ſuas artes: Vnde notandum,quod primò abſtulit poſſeſſionem rerum, quàm filios, quia ſi prius filios abſtuliſſet, vilis fuiſſet amiſſio rerum, cum non eſſent hæredes,quibus hæc ſervarentur, & deinde pervenit ad tentandum eum in proprio corpore.*Pſal.29.*

44. *Iuſtus exponit pellem, ideſt vitam corporalem, & omnia temporalia pro pelle incorruptibilis vitæ.*

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ dabit homo pro Anima ſua. Quid eſt exponere pellem pro pelle? pellem nempè corruptibilem, ſcilicet bona minus chara, quæ ſunt omnia temporalia, pro pelle, ſcilicet pro bono chariori, nempè pro incorruptibili vita: ſic fit ab eo, qui habet lumen fidei: ſic & ſancti, ut caperent bona cœleſtia, amiſerunt libenter temporalia, etiam vitam corporalem. *In Pſal.48.*

45. *Cum Deus corripit aliquem, tunc ut medicus volens ipſum ſanare tangit et pulſum manu ſua.*

Mitte manum tuam, & tange carnem eius. Quid eſt mittere manum, & tangere carnem? ſi volebat Deus ut eum torqueret in corpore, cur dicit,tange carnem eius?ſed nota,quod hac phraſi datur nobis intelligi, quod Deus cum aliquem corripit, tunc extendit manum, ut bonus medicus, & tangit ei veluti pulſum.*ſerm.3.Dom.2.poſt octav. Epiph. & in Luc.c.21.v.13.*

46.*Tribulatio eſt bonis ad meritum; malis ad interitum.*

Ecce in manu tua eſt, &c. Cur Deus ſubijcit Iob Dæmonis tentationibus, & flagellis? Nota, quod flagella bonis ſunt ad meritum: malis ad interitum; unde ad eius maiorem probationem, & patientiæ exercitium id permiſit.*in Luc.cap.21.v.13.*

47. *Malum exterius torquens Iob fuit lepra fœtentiſſima, & incurabilis.*

Percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem. Nota, hoc ulcus peſſimum fuit lepra peſſima, quæ totum corpus ipſius unico plaga occupaverat.*in Luc.c.5.v.12.*

48. *Percuſſit Iob ulcere peſſimo.* Vt diſcamus ex hoc, quod Deus permittit amicos ſuos à Dæmone torqueri ad ipſorum virtutis probationem. *in Luc c.13.v.5.*

49. *Diabolus homini multipliciter nocet.*

Percuſſit Iob ulcere peſſimo, &c. Nota quod ex hoc habemus Dæmonem, cum à Deo permittitur, nocere multipliciter homini: & primò exterius corpus lædendo, ut fecit in Iob; quandoque intra membra ligando, ut in obſeſſis: & hinc datur parvulis Angelus Cuſtos, ne Diabolus eos lædat: quandoque per impreſſionem imaginem, mala ſuggerendo, alijſque multis modis: quæ omnia contra Iob ipſe iniquus tentavit. *op. Comp. Theol.l. 2.cap.27.*

50. *In homine non eſt ſanitas à planta pedis, uſque ad verticem.*

Percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem. Vide in Iob figuram ſtatus miſerabilis hominis propter peccatum: in eo enim eſt languor capitis,ſcilicet debilitas liberi arbitrij ad bonum, dolor infirmi corporis, ſcilicet inquietudo deſiderij ad malum, & mæror cordis, ſcilicet continuatio mali deſiderij,& concupiſcentiæ.*Pſal.90.*

51.Iob dolor vehemens, & continuatio miſeriæ explicatur per hæc verba.*Sedens in ſterquilinio,teſta ſaniem radebat.In Thren Prolog.*

52. *Iuſti ſæpè derelicti: impij proſperitatibus ditati.*

Percuſſit Iob ulcere peſſimo. Nota quod in Iob Principe poſito in tanta miſeria ſignificantur, iuſti qui licet ſint divites virtutibus, & meritis, tamen ſedent in ſterquilinio veluti ab alijs derelicti:& è contra impij ſunt exaltati.*ſerm.1.Dom.3. poſt.oct.Paſcha.*

53.*In tempore tribulationis debemus recordari præterita proſperitatis.*

Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala autem, quarè non ſuſcipiamus. Vide quomodò ex præterita proſperitate cautelam ſumit iſte vir prudens de futuro:

turo: Unde bonum est in tempore tribulationis memores esse præteritæ quietis. *in Luc. cap. 22. v. 36.*

54. *Visitandi sunt infirmi &c.*

Condixerunt enim tres amici Iob, ut pariter visitarent eum &c. Hæc est una ex operibus misericordiæ visitare infirmos: Unde hoc in his amicis Job notatur ad instructionem nostram. *in Luc. cap. 1. v. 79.*

55. *Qui secundùm sensum Spiritus Sancti prædicant, prædicant de die: qui extorquent in falsos sensus sacram Scripturam, prædicant de nocte.*

Et sederunt in terra septem diebus, & septem noctibus. Nota, quod isti amici Job dicuntur sedisse in terra septem diebus, & septem noctibus: E contra de filiis Job supra dictum est, quod faciebant convivia in die, non in nocte: per quod datur discrimen, inter eos, qui prædicant secundùm mentem Christi, isti prædicant de die, convivium dulce auctoribus: qui verò extorquent sensum Sacræ Scripturæ in falsas expositiones, ut faciunt Hæretici, isti de nocte visitant suos auditores, & sunt figurati in his falsis amicis Job. *in Psal. 101.*



CAPUT III.

56. *Quod ex radice peccati provenit dignum est maledictione.*

Pereat dies, in qua natus sum. Ergone licitè maledicitur creatura Dei? Primò est notandum, quod in Sacra Scriptura quædam sunt, quæ historicè, & allegoricè, & moraliter intelligenda sunt: quædam verò non historicè, sed tantùm mysticè debent intelligi, ut est hic Textus, & hoc dictum Job. *op. de Sandal. Apostol.* unde in hac maledictione ordinem habebat ad pœnam, in qua ob peccatum originale inciderat, & quia quidquid ex peccato oritur, participat de ejus maledictione, hinc Job dixit, *maledicta dies. In l. 2. d. 30. a. 1. q. 1. & Psal. 69.* Nota etiam, quod dicit, *in qua dictum est, conceptus est homo*: homo dicitur ab humo, idest conceptus in humo, seu in peccato spiritualiter. *Ioan. Collat. 12. & c. 15.*

57. *Nox peccati maledicta ob maledictionem multiplicem, quam secum affert.*

Pereat nox, in qua dictum est, Conceptus est homo &c. Cur noctem maledixit Job? Nonne à Deo facta est, & ordinata ad bonum universi? Sed attende, quod hic non loquebatur de nocte materiali, sed de spirituali, nempè de peccato originali, quod tot maledictiones ad exitium hominis secum attulit, & hine subdit, quod stellæ obtenebrantur per talem noctem, quia omnes quantumcumque sancti per peccatum originale obtenebrati sunt. *op. Speculum Beatæ Mariæ Virg. lect. 11.*

58. *Iusti, ut Iob, non cessant deplorare damnationem tot Animarum, & miseriam peccatorum.*

Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Cur Sanctus in hæc, & tot alia lamenta prorupit? Sed nota, quæ subdit, ubi duplicem rationem reddit tot querelarum, quia videbat tot miserabiles perituros in Inferno, ubi æternaliter cruciabuntur pœna sensus, & damni, & meritò, quis enim Deum amare se profitetur, qui perditionem tot Animarum videns, non deplorabit. *op. Mystic. Theol. c. 3. p. 3.*

59. *Electi dicuntur concepti de die: Reprobi de nocte.*

Maledicta nox, in qua conceptus sum, non computetur in diebus Anni. Cur illa nox excluditur à numero dierum Anni? Nota per noctem intelliguntur reprobi peccatores: per diem, electi: illi dicuntur concepti in nocte æterna peccati: Isti in die gratiæ, quia illi æternum non videbunt Lucem divinam: Istis semper erit dies. *Psal. 101. in Ioan. Collat. 12.*

60. *Felix est, cui nox vertitur in diem: Infelix, cui dies vertitur in noctem.*

Dies illa vertatur in tenebras, & non illuminet Deus lumine. Quæ est dies, quæ vertitur in tenebras? Nota hæc mysticè intelligenda sunt: loquitur hic de præscitis, quibus dies prosperitatis vertitur in noctem adversitatis, & quibus nox æterna sine lumine cœlesti continuatur: ô infelices, & miserabiles! è contra felix, cui nox adversitatis vertitur in lucem gratiæ, quia post lachrymas, & adversitates, oritur ei lux &c. *in Ecclesi. cap. 12.*

61. *Occupatio in terrenis, & voluptatibus pessima, & tenebrosa.*

Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis: occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Vide miserabilem statum jacentis in peccato: nam ejus occupatio est pessima, & plena tenebris, quia occupatur in terrenis rebus, & vanitatibus sæculi. *in Eccles. c. 1.*

62. *Infelicitas viventis in peccato exprimitur sub metaphora noctis.*

Noctem illam tenebrosus turbo possideat &c. Jam dictum est, quod hic loquitur de nocte peccati: Unde verè vivens in peccato dicitur ambulare in nocte, quia est fine luce filij Dei; quia est status obscurus, horridus, tristis, frigidus, timore plenus, periculorum absconsivus, & incedentium offensivus, & ad perveniendum, & ad inveniendum, quod quæritur, impeditivus: quia homo in nocte, quando credit ire ab una parte, vadit ad aliam, & quærit à dextris, quod est à sinistris, & ante, quod est retrò, & è contrario, & in ista nocte voluptas insidiatur homini: ô infelix status peccantium. *in Ioan. cap. 11. v. 10.*

63. *Qui parati vivunt ad peccatum maledicunt Luci, & tenebras amant, & præveniunt tentationes Diaboli.*

Maledicant diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan. Qui ſont iſti ? ſunt illi, qui parati ſunt ſuſcitare ſtimulum Sathanæ, nempè qui ex ſua malitia ſunt ſemper parati ad malum ; iſti enim præveniunt Diabolum, ejuſque tentationes, imò potius Diabolum tentant, quam tentantur. *Pſal.118.c.4.v.12.*

64. *Hypocritæ ſunt ſtellæ apparenter lucentes in proſperitate, ſed in adverſitate obſcuræ apparent.*

Obſcurentur ſtellæ caligine ejus &c. Quid eſt hoc, quod intendit Job ? forſan, ut ſtellæ obtenebrentur in Cœlo ? Nunne Deus eas collocavit in Cœlo, ut lucerent perpetuò ? Sed myſticè loquitur Job de hypocritis, qui apparenter lucent, dum proſpera eis eveniunt, ſed poſtea in adverſitate, & tentatione apparent obtenebrati, & à Deo reprobati. *op. Eccleſ. Hier. parte 4. cap. 3.*

65. *Avaritia obſcuritatem, & caliginem Animæ affert.*

Obtenebrentur ſtellæ caligine ejus &c. Nota etiam quod per lucem, & per ſtellas intelliguntur ſancti, eorum exempla, gratia Dei præveniens : hæc enim illuſtrat Eccleſiam totam ; contra quæ opponitur vitium, & præcipuè avaritia : hæc enim veluti caligo aufert lucem Animæ, ita ut non attendens ad bona exempla ſanctorum, & ad inſpirationes divinas, redditur tota excæcata, terrena, & obſcurata. *ſerm. 1. de uno Sancto Doctore.*

66. *Stellæ Sanctorum cum Chriſto, & Beata Virgine pugnant contra tenebras peccati.*

Expectet lucem, & non videat, nec ortum auroræ ſurgentis. Vide hic in medium expoſitas tenebras, & lucem, & auroram tanquam ſimul pugnantes : nam per tenebras peccatum, per lucem Chriſtus, per ſtellas Sancti, per auroram Beata Virgo Maria ſignificantur : hæc omnia ſunt in Eccleſia Dei expoſita contra peccatum pugnantia, & tanquam lumina nos irradiantia ; quæ licet totam Eccleſiam illuminent, tamen qui vivunt in tenebris peccati, veluti excæcatus, hæc non attendunt. *op. ſpecul. B. Virg. lect. 11. & ſerm. 1. de uno S. Doct.*

67. *Minus malum eſſet peccatori non eſſe, quàm eſſe in peccato.*

Quarè non in vulva mortuus ſum &c. Quid hoc eſt, quod ſibi imprecatur Job ? quomodò potius deſiderat non vidiſſe lucem hujus mundi ? Poteſt ne quis deſiderare cum deliberatione potius non eſſe, vel non eſſe natum, quàm eſſe, & vivere ? Nonne quiſque naturaliter deſiderat vivere ? Sed attende, quod loquitur in perſona exiſtentis, & viventis in peccato. Pejor enim eſt ſtatus ejus, quàm ſi nunquam fuiſſet. *in Eccleſ. c.6.*

68. *Homo peccando gradatim in profundum præcipitat ſeipſum.*

Quarè in vulva non mortuus ſum ? quare egreſſus ex utero, non ſtatim perij ? Cur exceptus genibus ? cur lactatus uberibus. Nota hic gradus, quibus peccator in profundum pervenit. Primò enim ſuggeſtione. Secundò delectatione. Tertiò conſenſu, & Quartò defenſionis audacia. Item quatuor modis conſummatur peccatum. Primò eum latens culpa agitur. Secundò cum ſine robore aperitur. Tertiò eum in conſuetudinem tranſit, & ultimo in obſtinatione, ſeu falſæ ſpei ſeductione: Iſta quatuor tanguntur à Sancto Job in ſupradictis verbis. *in Ioan. Collat. 53.*

69. *Viri Reges ſunt juſti.*

Nunc autem requieſcerem cum Regibus, & conſulibus terræ. Qui ſunt iſti Reges terræ ? ſunt Juſti, qui regunt ſeipſos, & partem ſenſualitatis ſubjiciunt rationi : cum iſtis, ait Job, *Si non eſſet peccatum in mundo, requieſcerem.* ò felix iſta ſocietas. *in Thren. c. 4.* & Gloſſa hic : Reges ſunt Prælati, ſuperioſque, qui cunctis motibus carnis, modò appetitum Luxuriæ frænant, modò glotiam elationis inclinant, modò ſuggeſtionem livoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ſunt, quia ſua corpora regere ſciunt : Sed quando ratio deficit à prædictis, non eſt Rex, ſed Regulus, nomen retinens, & officium non exercens. *in Ioan. Collat. 14.*

70. *Avaritiæ peſſimus ſtatus expenditur.*

Aut ſicut abortivum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Litteraliter (ait Gloſſa) *abortivum dicitur ortum non recto tempore :* alluditque ad Sanctos, qui in ſtatu naturæ lapſæ per diluvium mortui ſunt, ut fuerunt parvuli, qui deſcendentes ad lymbum erant tuti de ſua ſalute : Cum his deſiderabat adnumerari : myſticè comparatſtatum ejus, cui vita obtruncatur, ne poſſit peccare cum avaris, & iniquis, quibus conceditur tempus Deum offendendi, & ad conſummationem peccati perveniendi : Illi enim verè fideles, felices que; iſti infideles, & miſeri ſunt. *in Eccleſ. c. 6.*

71. *Peccator per pœnitentiam requiem veram in Deo invenit.*

Impij ceſſaverunt à tumultu, & ibi requieverunt feſſi robore &c. Nota, quod hic Job agit de peccatore per pœnitentiam ad Deum redeunte : docetque, quod in Deo invenit veram requiem poſt labores perpeſſos in via peccati : ſic enim in Deum intrat, & Deus, qui eſt vera requies, intrat in ipſum. *in Ioan. c. 15. v. 8.*

72. *Diabolus impius exactor exigit ab homine peccata, ut ipſum detrudat in Inferno.*

Non audierunt vocem exactoris. Quis eſt iſte exactor, niſi Diabolus qui continuè ab homine exigit peccata, ut poſtea ipſum tradat in carcerem

cerem Infernalem? felix ergo, qui non exaudit vocem hujus maligni exactoris, implendo præcepta, declinando prohibita, sperando promissa, & timendo comminationes: qui hæc facit, securus est ab exactore. *in Luc.c.12.v.58.*

73. *In Domo Dei sunt varia mansiones.*

Parvus, & Magnus ibi sunt, servus, & liber &c. Vide quomodò ad Cœlum omnes viventium conditiones vocantur, quia in domo Dei mansiones variæ sunt, & diversæ meritorum dignitates. Alia enim est gloria Solis, alia Lunæ, alia stellarum. *in Ioan.cap.14.v.4. & Collat.63.*

74. *Thesaurus absconditus in agro puri cordis, & in sepulchro religionis qualis.*

Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint Sepulchrum. Quinam sunt isti felices, qui inveniunt thesaurum, & ubi ipsum inveniunt? Thesaurus iste est opulentia virtutum, & possessio Christi Jesu: hic invenitur in corde puro, & in Sepulchro Religionis, & pœnitentiæ: Thesaurus est etiam cognitio eorum, quæ sunt necessaria ad salutem: Invenitur autem thesaurus iste, non in carnali Anima, sed pura, & Sancta. *serm. 7. In Rogation.*

75. *Contemplativi cum gaudio se recondunt in sepulchro.*

Gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Ergo ne tantum gaudium in inventione sepulchri? Nonne amara est memoria sepulturæ terroremque, & horrorem incutiens? Sed optimè dicit, loquens de statu contemplativorum. O felix, qui hoc sepulchrum intrat, quia ibi invenit thesautos opulentissimos: hoc sepulchrum est contemplationis status, in quo thesauri virtutum reconduntur: In hoc sepulchro contemplatio conditoris ab hoc mundo separat, & mortuos sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos, in intimis abscondit: In hoc sepulchro Christus debet à nobis recondi. *in Ioan.Collat.86.*

76. *Datur instructio Religioso ad mensam recumbenti.*

Antequam comedam suspiro. Cur suspiras? Datur hic instructio maximè Religiosis sedentibus ad mensam, ut comedant, ut antequam cibum ori extendant elevent Animam ad Deum, ut incipiant manducare cum timore, & dolore cordis, & ut dum comedunt cogitent de Deo, attendant lectioni, ut uterque homo sit propria refectione refectus. *op. Regula Novit.c.5.*

77. *Super avarum cadit maledictio Dei.*

Nonne dissimulavi? Nonne silui? Nonne quievi, & venit super me indignatio. Nota, quod licèt hæc dicta sint litteraliter à Job, ut daret intelligi, quod ipse injuriis aliorum non respondit &c. tamen mysticè hæc dicuntur in persona avari, super quem cadit indignatio divina: nam ipse, misero mendicante, dissimulat quasi non videns, silet quasi non audiens, quiescit quasi eleemosynam non habeat: ideò venit super eum indignatio, quia regnum misericordiæ sibi obseratum, ut indigno, & regnum miseriæ eidem reseratum est tanquam digno. *Psal.118.c.3.v.9.*

CAPUT IV.

78. *Patientia in Prælato quàm necessaria.*

Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè feres. Hoc dixit Eliphas Job: Sed hæc dicuntur ad instructionem Prælatorum, qui patientiam debent ostendere eum subditis, & impatientiam evitare, quia per patientiam magis proficiunt, & devinciunt animos subditorum, & è contra per impatientiam confundunt eos, & ipsi subditi non audent aperire suam necessitatem, & sic replent domum murmure, & rancore. *op. de septem alis Seraph.c.5.*

79. *Christus prius verbo instruebat, deinde opere curabat: sicut bonus Prædicator verbo, & opere debet suum munus exercere.*

Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vide qualem charitatem exercebat Sanctus Job in proximos, scilicet verbo instruendo, & opere adjuvando: Sic & Christus faciebat: Sic & bonus Prædicator debet agere. *in Luc.c.6.v.8. & c.22.v.13.*

80. *Verbum Dei devotè auditum mirabilia operatur in Anima.*

Ecce docuisti multos: manus lassas roborasti: Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti. Vide quot bona ex doctrina divina per os Job prædicata secuta sunt: nec id est mirum: nam verbum Dei auditum veritatem docet, efficax est ad sanandum morbos peccatorum, ad purificandum à sordibus vitiorum, à tristitiis interioribus cordium, ad confirmandum in bono, ad inflammandam Animam. *in Ioan. Collat.44.& 76.*

81. *Deum habens, fortitudinem, & constantiam in se conservat: Deum non habens, in his debilis est, & impatiens.*

Vbi est fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum. Hæc dicebat Eliphas Job notans eum impatientia, & inconstantia, sed malè, quia Deum in se continebat: qui enim Deum in se habet, est fortis, constans, & patiens contra omnia adversa. E contra, qui Deum non habet, inconstans, instabilis, debilis, & impatiens est. *serm.1. de Sancta Agnete.*

82. *Qui in uno offendit est omnium reus.*

Vbi est perfectio viarum tuarum. Nota, quod dicit, *viarum*, non viæ: Ille enim perfectus est, cujus perfecta sunt omnia opera: nam qui in uno offendit, seu deficit, reus fit omnium. *in Ioan. cap.5.v.36.*

83. *Perit homo ob defectum innocentiæ.*

Recordare, quis unquàm innocens perijt. Quasi dicat, nullus: perit enim aliquis ob defectum innocentiæ, & ob patrationem peccatorum. *In Luc.c.13.v.3.*

84. *Ob peccata veniunt adversa.*

Vidi eos, qui operantur iniquitatem, seminant dolores, flante Deo perijsse &c. Ecce ex hoc textu clarè patet,quod homo peccans seminat dolores, & colligit eos, adversaque patitur flante Deo: quia justum est,ob peccata venire adversa. *In sap. c.11. & op. Comp. Theol. l.3.c.7. & l.4.d.15.p.1. dub. 3.* Excitant enim peccata spiritum iræ Dei, per quam consumuntur peccatores. *In Ioan.cap. 3.v.36.*

85. *Contemplativorum est facere, audire, & contemplari.*

Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtivè suscepit Anima mea venas susurri ejus. Quid est hoc verbum absconditum, furtivè susceptum? Sed transfer mentem ad Mariam tacitè audientem ad pedes Salvatoris verba divina, & è contra ad Martham loquentem, & disce, quod hæc dicta sunt de Anima contemplativa, cujus non est cum Martha verbis contendere, sed cum maria tacitè audire, & meditari. *In Luc. c.10.v.40.*

86. Per Incarnationem Deus absconditus, manifestatus est: unde potest à quibusque nostrum dici. *Verbum absconditum ad me dictum est. In Ioan. collat.5.*

87. *Væ, qui dormiunt in sopore vitiorum, & vivunt in otio.*

In horrore nocturnæ visionis, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor &c. Quis est iste pavor, & tremor in somno occupans? Nota, quod hoc dicitur de dormitione in peccato: Tunc enim maligni spiritus, dum otiosè vivit Anima ad illicitas cogitationes pertrahũt ipsam, & quantò securius ab externis occupationibus cessant, tantò magis immundæ in te cogitationis strepitum per otium omne congerunt. *In Thren. capite 1. & In Ioan. collat.51.*

88. *Solus Deus stat: omnes creaturæ sunt instabiles, & moventur.*

Stetit quidam, cujus non cognoscebam vultum &c. Nota hic loquitur de Deo, & dicit, *stetit*, quia solus Deus stare dicitur, scilicet immortalis, & æternus: Cæteræ creaturæ, eo quod sunt de nihilo, defluere dicuntur, quia omnes sunt defectibiles. *in Ioan.c.20.v.20.*

89. *Solus Deus bonus: nulla creatura ejus comparatione bona est.*

Nunquid homo comparatione Dei justificabitur, aut suo factore purior erit vir. Vide, quod in hoc textu exprimitur bonitas essentialis Dei,qui solus est bonus, nec ulla creatura in comparatione divinæ bonitatis potest dici bona. *in Luc.c.18.v.19.* Hinc infer, quod si aliquid boni habes, totum est Dei: solum malum, & peccatum est ex nostro posse.

90. *Sola charitas reddit stabilem: Absque charitate homo in perpetuo motu, & commotione est.*

Quanto magis, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Nota, quod consumuntur à tinea, qui à terrena cupiditate occupantur: Isti, quia sunt sine fundamento stabili, scilicet sine charitate commotionibus sunt subjecti: Charitas enim sola stabilem reddit Animam: Væ igitur his, qui terrenum habent fundamentum. *in Luc. c.6.v.49.*

91. *In hac domo lutea voluit Christus nobiscum habitare, ut nos elevaret ad Cælos.*

Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum &c. Ecce infelicitas hominis, qui cogitur in terra habitare: sed tamen Deo (infinitè debemus, quia dignus est habitare nobiscum in terra, ut nos exaltaremur ad domum cœlestem. *serm.4. Dom. Quinquag.*

92. *Qui negligit addiscere necessaria ad salutem peribit in æternum.*

Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Ergone qui non intelligit peribit in æternum? Sed quid est, quod intelligebar? Id, quod est necessarium ad salutem: qui enim negligit hæc scire, peribit in æternum. *in Luc. cap. 6. v. 3. & cap.13.v.3.*

93. *Arbor, quæ non facit fructum, ad ignem deputatur.*

De mane usque ad vesperam succidatur. Quid est, de mane usque ad vesperam? hoc dicitur de vita peccatorum, quam à juventute ad senectam conducunt in peccatis, & quia sunt arbores infructuosæ, ideò succiduntur, & ad ignem æternum deputabuntur. *in Luc.c.13.v.9.*

94. *Fides fundamentum totius ædificij spiritualis: Infidelitas & ignorantia fundamentum omnis mali, & destructio totius ædificij spiritualis.*

Et quia nullus intelligit, in æternum peribit &c. Nullus ergo intelligit, quæ sunt necessaria ad salutem? nullus ex supradictis, scilicet, quia infideles sunt, & ignorantes in iis, quæ scire debent, & docet fides, ideò peribunt: sicut enim fides est fundamentum totius ædificij spiritualis: sic infidelitas,& ignorantia destructio hujus ædificij, & origo omnis mali. *in Lucam c.19.v.45.*

CAPUT



CAPUT V.

95. *Omnes Sancti sunt quidem invocandi, sed tamen debet sua quisque confidere alicui sancto particulari, & sua committere ipsius protectioni.*

Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere. Cur non dicit ad omnes Sanctos, sed ad aliquem tantum? nonne omnes sancti piè invocantur? Sed nota perbellum mysterium: Omnes quidem sancti sunt exorandi præcipua attentione, vt digneotur nobis de mensa illa cœlesti immittere de micis aliquam partem: Sed tamen habeat quisque nostrum vnum specialem sanctum, cui præcipuum impendat obsequium, vt cum non possimus ad divina ascendere, ille suos defectus impleat, qui in cœlesti gloria ipsius semper astat aspectibus, qui videt cum revelata facie, quem ipse laudat incessanti iubilo, huius per suffragia amorem consequi desiderans, qui quantum est de se verè est dignus ad plantam pedis dilecti sui affectus osculum elevare. *op. Mystic. Theolog. c. 3. &c.* Vide ergo quomodò alicuius sancti specialiter devotionem debemus prosequi: & cum id sit verum Ego, qui hæc scribo committo me ipsum & omnia mea toto cordis affectu post Beatam Virginem Mariam, devotioni, & intentioni Seraphici Sancti Bonaventuræ, qui hoc monitum dignatus est nobis dare.

96. *Ad Angelorum protectionem specialiter debemus recurrere.*

Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere &c. Qui sunt isti sancti, quos debemus vocare, & qui nobis respondent? Nota isti sunt Angeli a Deo ad ministerium nostrum missi: hi sunt expeditissimi paranymphi, qui attendentes ad nostras preces, & pias affectiones, Deo offerunt, vt suis miserationibus de sua naturali bonitate impermutabiliter inclusis defectum supplere debent: hi sunt, quit tot insignia impendunt obsequia nobis parvulis, & miseris in hac miseriarum valle degentibus. *op. Myst. Theol. c. 3. p. 3.*

97. *Diabolus per invidiam, & iracundiam multos occidit.*

Verè stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia. Vide super quos Diabolus præcipuè potestatem habet; vt eos occidat nempe super iracundos, & invidos. *In Luc. cap. 9. vers. 40.*

98. *Ira reddit hominem stultum.*

Verè stultum interficit iracundia. Ergone solùm stultum occupat iracundia? maximè: nam cum homo sit animal mansuetum natura, & rationale: iracundia verò tollit rationem, & humanitatem, & rabidum facit, & stultum. *op. diat. sal. tit. 1. c. 5. & in Eccles. cap. 7. & in Luc. cap. 4. v. 28.* Sed attende, quod hic est sermo de ira; quæ cum perturbatione oculi mentalis quærit vindictam; non de illa, quæ dicit affectum purgatum punitionis mali: hæc enim fuit in Christo, & sanctis, quia oritur ex zelo iustitiæ. *l. 3. d. 15. a. 2. q. 3.*

99. Stultus maximè est, qui contemptis æternis inhiat ad terrena. Vnde hic dicitur: *Vidi stultum firma radice, & Maledixi pulchritudini eius.* Verè enim talis prosperitas, quæ anteponitur æternis, maledicta est. *in Eccles. c. 6.*

100. *Pulchritudo excitans concupiscentiam maledicta.*

Et maledixi pulchritudini eius. Cur maledicitur pulchritudo? nonne hæc est donum à Deo datum? Sed nota hanc doctrinam: Pulchritudo potest quidem appeti in quantum est quædam resultatio, & participatio divini decoris: sed quia sæpe inordinatus eius aspectus incitat concupiscentiam, ideò non advertentes amaritudinem latentem, sæpe capiuntur, sicut aves visco, & pisces hamo: hinc talis pulchritudo, & omne concupiscibile tanquam maledictum eliminandum est. *in Ioan. collat. 14. & opusc. de tribus ternarijs peccati cap. 7.*

101. *Impij in exitu Animæ conterentur, & à Christo condemnabuntur.*

Longè à salute filij eius, & conterentur in porta, & non erit, qui eruat. Ecce exitus fragilis iniquorum: nam in porta, idest in exitu Animæ iudicabuntur, & damnabuntur, nec erit qui eos liberet, & eripiat à tanto periculo. *Ps. 99. & 107.*

102. *Prædicans verbum Dei alijs, & non adimplens providet alijs panem, & ipse fame moritur.*

Cuius messem famelicus comedit: ac ipsum capiet armatus. Vide stultitiam doctoris, qui alijs prædicans, & ministrans cibum vitæ, nec opere adimpleos ea, quæ alijs docet, ipse alios satians, fame morietur, & in potestatem Diaboli trahibit. *in Ioan. collat. 30.* O quot fame ista læthali moriuntur.

103. *Diabolus semper armatus est contra hominem, rapitque ad Infernum sibi consentientes.*

Ipsum rapiet armatus. Quis est iste armatus, nisi Diabolus, cuius arma sunt vires impugnandi, quibus vtitur ad impugnandum hominem, capitque ad Infernum sibi consentientes. *ser. 4. Dom. 3. Advent.*

104. *Homo in hac vita debet laborare, & nunquam quiescere bene operando.*

Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum. Nota hic comparationem hominis, & avis: Avis nascitur ad volandum, scilicet ad quærendum sibi cibum; sic & homo debet laborare, & laborando præparare sibi cibum pro alia vita: ergo non est dormiendum, sed vigilandum, non pigritandum; sed solicitè operandum; alioqoin dolebis, & planges in æternum, si non operatus fueris, & pœnitentiæ opera non præparaveris. *serm. de Sancto Petro ad Vinc. & in Eccles. c. 1. & 7.*

105. *Homo naſcitur ad volandum in altum ſicut avis.*

Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volandum. Quænam cohærentia eſt hæc inter laborem hominis in terra, & volatum avium? Sed attende myſterium: homo bene operando in altum volat per dilectionem, & tanto altius, quantò ab his terrenis ſe extricat: Vult igitur, vt intelligamus, quod noſtra converſatio in Cœlis debet eſſe,& in Deum aſcendere.*ſerm de SS.Simone, & Iuda.*

106. *Deus totus occupatus ad noſtram vtilitatem.*

Qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero. Vide totum Deum pro nobis occupatum: magna enim, & inſcrutabilia, & mirabilia fecit in Incarnatione, magnam quidem oſtendens ſuam potentiam, incomprehenſibilia oſtendens ſuam ſapientiam, & mirabilia oſtendens ſuam bonitatem ad noſtram vtilitatem. *in Ioan.c.1.v.3.*

107. *Deus indifferenter vocat ad Cælorum Regnum omnes cuiuſcumque ſtatus.*

Qui dat pluviam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis univerſa. Quomodò verificatur hoc dictum Spiritus Sancti: ergone immittit pluviam etiam in Cœlis, vel centro terræ, dum dicit, *quod irrigat vniverſa.* In hoc enim verbo omnia creata comprehenduntur? Sed loquitur hic ſacer Textus de irrigatione, & oblatione gratiarum divinarum, quas Deus exhibet vniverſis hominibus abſque vlla exceptione perſonarum: *Irrigat aquis vniverſa:* hoc eſt ex omni genere ad ſuam cognitionem vocat Spiritus Sancti gratia: Vocat inquam à ſolis ortu vſque ad occaſum, & in omni genere, & in omni populo, & in omni conditione, & in omni ætate beneplacitum eſt ei: Et cum divites ſibi ſubijcit, pauperes non repellit: Cum fortes humiliat, ad ſe venire debiles non recuſat: Cum nobiles colligit, ſimol ignobiles apprehendit: Cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit: O quam bonus Deus, quàm indifferens! Verè ſol omnibus,radios ſuæ vocationis omnibus immittens. *ſerm.1.Dom.2. poſt Pentecoſt. & ſermone 3. Dom.23. poſt Pentecoſt.*

108. *Non eſt prudentia, vel conſilium humanum contra Dominum.*

Qui apprehendit Sapientes in aſtutia ſua, & conſilium pravorum diſſipat. O quàm id eſt verum: hoc enim patet continua experientia: hoc patuit, quando Phariſæi, & alij Principes Synagogæ tendebant retia, & laqueos contra Chriſtum, vt eum deciperent, & occiderent, quorum conſilia toties diſſipavit, quia non eſt ſapientia, nec conſilium contra Dominum. *in Ioan. cap.11.v.57.*

109. *Deus pauperes protectione particulari cuſtodit à violentia potentum.*

Salvum facit egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. Attendant hæc divites, & potentes opprimentes pauperes: nam iſti ſub protectione Dei peculiari vivunt, eoſque cuſtodit ſpeciali modo: eſt enim refugium pauperi,& adiutor eorum in tribulationibus. *in Luc.cap.7. & v.22.& Pſal.88.*

110. *Increpationes Domini libenter acceptandæ tanquam ſanativæ noſtrorum malorum.*

Increpationem Domini ne reprobes: ipſe enim vulnerat, & medetur &c. Vide hic qualis eſt finis increpationum Domini, nempe ſanitas Animæ, ideò libenter, & conſtanti animo ſunt acceptandæ: Diſciplina enim, & correctio eſt Animæ medicina, quæ & ſi ad tempus vulnus mordeat, tamen ſanat: Ex quo patet, quod,qui nolunt corrigi, non poſſunt ſalvari. *op. Eccleſ. Hierar.p.3.c.1.& Pſal.118.c.5.v.9.& c.7.v.11.& in Luc.cap.9.v.43.*

111. *Deus caſtigatione, vulnere, & percuſſione ſanat noſtra ſcelera & mala.*

Ipſe vulnerat, & medetur, & manus eius ſanabunt &c. Vide qualem ſapientiam, & potentiam oſtendit Deus in ſuis operibus; nam vulnere, & caſtigatione ſanat noſtra vulnera, & mala: ergo eius correptiones libenter acceptandæ. *ſerm.3. Dom.2.poſt oct.Epiph.in Luc.cap.6.v.10. & in Sap. cap.16.*

112. *Deus ſuos multiplici tribulatione probat, eos verò tandem à pœna æterna liberat.*

In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. Cur in ſex tribulationibus, & non in quinque, vel decem? Et quid eſt liberari à ſex tribulationibus, & non potiùs dicitur in ſeptem, cum ſeptima etiam non tangat tribulatum? Sed nota pulchrum myſterium: Sex ſunt dies, in quibus Deus creavit Mundum, & in ſeptima die requievit Deus (ait Gloſſa) ideò in illis ſex tribulationibus ſignantur probationes, quas Deus in hac vita ſumit in ſuis ſervis, vt eos coronet in ſeptima die, ſcilicet in gloria ſic Gloſſa: Sex autem ſunt ſequentes: prima eſt tentatio hoſtis: Secunda corruptionis fomitis & carnis: Tertia ſuperbiæ: Quarta tentatio exterior mali exempli: Quinta humanæ fraudis: Sexta inundatio adverſitatum: Septima eſt damnatio æterna. *in Sap.c.10.& c.3.& Gloſſa hic. & in Luc. c.16.v.21.*

113. *Iuſti omnem proximi iniuriam, & damnum evitare conantur.*

In ſex tribulationibus liberabit te. Nota, quod ad ſex capita reducuntur modi, quibus poteſt lædi proximus, & ob quos Deus immittit flagella, à quibus Deus liberat ſuos amicos ſuntque ſeductio intellectus per falſam doctrinam: corruptio affectus: afflictio corporis: ſubtractio aliæ notitiæ: ſubtractio rei alienæ, detractio verborum: Septimus autem omnium peſſimus eſt malum exemplum, quo vita aliena corrumpitur. *in Lucam cap.17.v.4.*

114. *Sex dies huius vitæ assignantur homini ad laborandum, vt in septima requiescant.*

In sex tribulationibus liberabit te: in septima non tanget te malum. Cur sex tribulationes? quia oportet laborare sex diebus huius vitæ, & tentationes ferre, & vincere; sic enim in septima erit sabbathismos, & liberabitur ab omni malo. *in Luc.cap.23.v.54.*

115. *Diabolus vtitur lingua malorum ad flagellandum homines.*

A flagello lingua absconderis &c. Quodnam est hoc flagellum, quod lingua fit? quia Diabolus vtitur lingua malorum ad flagellandum homines. Nonne est flagellum Diaboli lingua blasphemans, detrahens, odiens, ad malum inducens? ideò Christus, vt tali flagello liberaret, voluit ipse flagellari flagellis iniquorum verborum, personarum, & verberum *ser.2. Dom. quinquages.*

116. Detractorum lingua flagellum Dæmonis, à quibus, vt liberetur homo, debet caute ambulare, vt possit dici: A flagello linguæ absconderis, scilicet caute ambulando. *Psal.118.c.1.v.11.*

117. *Qui obseruat Dei praecepta quiescere facit bestias sensualitatis.*

Bestiæ terræ erunt pacificæ tibi, & scies, quod pacem habet Tabernaculum tuum. Quid est hæc pacificatio bestiarum? quis est, qui omnes bestias pacificas inuertit? Sed nota, quod bestiæ istæ sunt passiones, & appetitus sensualitatis nostræ: verè sunt bestiæ contra rationem pugnantes. Vis ergo has bestias pacificas habere,& vt tranquillū tabernaculum Animæ seruetur? Cura toto corde, vt caro subijciatur spiritui per frænum abstinentiæ, & continentiæ, & sic pacem habebit tabernaculum Animæ tuæ.*in Ioan collat.66.*

118. *Adiutorio Angelorum pacem habet Tabernaculum Animæ.*

Cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Quodnam pactum est hoc cum lapidibus? ne scilicet lædant: Sed confer hunc textum cum alio Psalmi 90. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: hoc enim est munus Angelorum custodum, qui nos defendunt ab omni læsione.*in Luc.c.4.v.11.* Additur autem hic liberatio ab offendiculo pedum ex lapide,quia cum hæc læsio sit maxima, potes inferre, quod si in minimis liberatur homo, multo magis à maioribus eripitur à custodientibus Angelis.

119. *Pax per peccatum perdita cum bestijs, & alijs creaturis nocentibus, per exercitium Sanctitatis acquiri potest.*

Bestiæ terræ erunt pacificæ. Nota, quod hæc pax cum bestijs irrationalibus perdita est per peccatum: si enim homo non peccasset, nullus ignis eum vreret, nulla aqua submergeret, nulla bestia noceret: Sed ex dono speciali adhuc creaturæ pacem seruant cum Sanctis: sicut ignis cum tribus pueris: sicut aqua cum filijs Israël in mari rubro, sicut Leones cum Daniele. *serm.2. fer.3. Pascha.* Hoc maximè verificatum est in Sancto Patre Francisco, cui creaturæ obediebant.*op. legenda S.Franc.c.5.& l.2.d.15.a.2.q.1.ad 3.* Idem & de Beato Felice legitur,ad quem volucres familiariter volitabant cum maximo Animæ suæ solatio.

120. *Iustus pacem continuam habet: Impius bellum crudele cum bestijs Infernalibus.*

Et bestiæ terræ erunt pacificæ. Nota, bestiæ immanes sunt superbia, auaritia, aliaque vitia: Istæ continuè pugnant contra peccatorem, nec vnquam paratum habent tabernaculum tuum: Iustus verò de ipsis triumphans pacem continuam habet in Anima. O beata pax iustorum:Infelix bellum impij: contra impium autem in iudicio, & in Inferno pugnabunt omnes bestiæ istæ. *serm.2. fer.3.Pascha.*

121. *Compassio proximi medium arcens peccata ab Anima.*

Visitans speciem tuam non peccabis. Quid est visitare speciem nostram? Sed nota, quod hic immittitur effectus optimus compassionis proximi; Visitamus enim speciem nostram,cum homini, & proximo compassionis actus exercemus: id enim est medium valdè accommodatum ad vitandum peccata.*op.diat.salut. tit.7. cap.1.* Sicut enim omnia membra corporis nostri mutuo compatiuntur sibi, multo magis debet esse, vbi est maior vnio, scilicet spiritualis,quia sumus membra Christi.*serm.1.de vno Confess.*

122. *Iusti in Sepulchro cælesti sepeliuntur; Impij in Sepulchro Inferni.*

Ingredieris in abundantia Sepulchrum &c. Quomodò dicitur in abundantia ingressurus in sepulchrum? nonne dixerat Iob:*nudus egressus sum & nudus reuertar illuc.* Sed nota quod hic loquitur de Sepulchro cœlesti, in quo glorificatum corpus reconderur: Dicitur autem ibi esse abundantia, quia ibi nullius boni est penuria, & nullius mali præsentia. O Sepulchrum beatum, quarè non te quærimus, quarè non te appetimus,quarè pro te obtinendo bona nostra omnia non tradimus!Sed proh dolor, potius quærimus peccando Sepulchrum in Inferno.*serm.2.de Sancto Iacobo.& in Luc.c.6.v.38.*

123. *Parochianorum Christi, & diaboli Sepulchri qualis differentia.*

Ingrediens in abundantia Sepulchrum. Nota illam particulam, *in abundantia*; per quod ostenditur quale Sepulchrum sit paratum Parochianis Christi,& Diaboli: nam illis paratum est Sepulchrum cum abundantia omnis boni, vt accidit Lazaro mendico, qui fuit ab Angelis portatus in sinum Abrahæ: Istis parata est fouea profundissima cum omni miseria,vt diuiti euenit.*in Luc.c.16. vers.22.*

124. *Electi rectè comparantur tritico.*

Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Nota, rectè electos comparari tritico ob fructuositatem meri-ti, &

ti,& virtutis: quia enim faciunt fructum pœnitentiæ in tempore ſuo, ideò in horrea Domini finaliter congregantur. *in Luc.c.3.v.17.in ſap.c.10.*

125. *Anima contemplativa in Sepulchro mentis reconditur cum abundantia virtutum, & bonorum.*

Ingredieris in abundantia Sepulchrum &c. Hoc dicitur Animæ contemplativæ: hæc enim ingreditur in mentem propriam tanquam in Sepulchro abſtracta ab omnibus creatis rebus, ibique omnibus virtutibus conditur in abundantia, ſcilicet ſpe æternorum gaudiorum. *in Ioan.collat.86.*



CAPUT VI.

126. *Nulla pœna poteſt eſſe ſine culpa.*

Vtinam appenderentur peccata, quibus iram merui &c. Ergone has pœnas ſuſtinuit Iob ſine cauſa? nonne omnis pœna eſt à culpa? Sed attende, quod cauſa alia dicitur communiter, ſcilicet cauſa, ſine qua non: alia cauſa propria: prima eſt peccatum originale, à qua omnis pœna mundi trahit originem, & ſine qua nulla eſſet pœna: Alia eſt propria, ſcilicet meritoria, & finalis, & hanc non habuit Iob, ſed fuit in exercitium ſuæ virtutis, & exemplum noſtrum. *l.4.d.15.p.1.dub.3. l.2.d.36.a.1.q.2.*

127. *Boni in ſtatera Iuſtitiæ præponderant in dexteram, mali in ſiniſtram.*

Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in ſtatera. Cur vult Iob, vt in ſtatera appendantur ſua peccata? Ergone iuſtitiam expetit, & non potius miſericordiam? Sed nota, quod expectabat videre ſtateram Dei: Hæc eſt Chriſtus ſalvator, qui in hac vita pœnitentibus peccatum per miſericordiam relaxans, levæ eſſe oſtendit: nam paſſio Chriſti præponderat omnibus peccatis, ait Gloſſa hic: hæc ſtatera tamen in iudicio bonis præponderat ad dexteram, quia in ea parte ponuntur merita, & bona opera: malis præponderat ad ſiniſtram, quia peccata comparebunt ſine meritis. *Pſal.118.v.154.*

128. *Sagittis Chriſti debemus reſpondere ſagittis charitatis.*

Quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. O Felix, qui hæc poteſt dicere cum Beato Iob: Sed quænam ſunt ſagittæ Domini? ſagittæ Domini Ieſu ſunt opprobria, irriſiones, flagella, ſputa, colaphi, clavi, & lancea: hæc fuerunt ſignum maximum charitatis Chriſti: Felix ergo ille eſt, in quo ſunt iſtæ ſagittæ ebibentes eius Spiritum, ſcilicet qui ſagittas tribulationum libenter ſuffert, & opponit ſagittis his Chriſti Ieſu. *fer.2.Dom.infra octav. Nativitatis.*

129. *Tribulationes, & pœnalitates huius vitæ ſunt ſagittæ promoventes nos ad multa bona.*

Quia ſagitta Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Nota, quod Beatus Iob appellat ſuas pœnalitates ſagittas Domini: ſunt enim ſagittæ vulnerantes dulciter Animam, quia per has exercetur humilitas, & cognitio ſua, & promovent plurima bona. *l.4.d.4.p.1.a.1. quæſt.1.*

130. *Infelix, qui ad cibum Euchariſticum non recurrit, vt Animum cibet.*

Nunquid mugiet bos, cum ante præſepe plenum ſteterit? Quaſi dicat: non, ſed comedet: Nota, quod per iſtam metaphoram dat intelligere, quod ille eſt verè irrationabilis Bos, qui cum videat præſepe ſalvatoris plenum cibo cœleſti, in quo paravit ſuum corpus, & ſanguinem ad ipſum non recurrit: ſic enim cum vitam fugiat, fame morietur. *in Ioan.collat.34.*

131. *Prædicationis verba debent eſſe condita ſale exempli ſanctæ vitæ.*

Nunquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? Nota, quod hoc eſt Verbum Dei prædicatum: Dat igitur intelligere, quod ad hoc vt fructificet, debet eſſe conditum exemplo, & verbo: & ſicut ſal cibos condit, vermes necat, carnes ſiccat: ſic prædicatio verbi Dei à vermibus vitiorum, & putredine illæſam ſervat Creatori ſuo humanam naturam; ſed tunc ſal evaneſcit, quando Diſcipulus Chriſti fit indevotus in contemplatione, & indiſcretus in actione & prædicatione. O magnum periculum! Advertant hoc Prædicatores. *in Luc.c.15.v.34.*

132. *Peccatum mortale eſt cibus mortem afferens Animæ.*

Aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem? Quis eſt tam ſtultus, qui ſciens latere venenum in cibo, illud tamen vult ſumere? ſic eſt, qui peccat: peccata enim ſunt cibi Diaboli venenati: hæc afferunt mortem Animæ: ſtultus eſt igitur omnis peccans. *fer.2.in die cinerum.*

133. *Paupertas maxima fuit, ad quam redactus eſt Iob.*

Quæ priùs nolebat tangere Anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Ecce in qualem inopiam redactus eſt Iob ad exemplum, & inſtructionem noſtram; *quæ prius nolebat tangere Anima mea &c.* Nota, quod hoc dicere poterant Apoſtoli Chriſti, qui ob inopiam coacti ſunt vellere ſpicas, vt inediam expellerent: Diſcant ex hoc exemplo, qui ab altiori ſtatu, ad pauperrimum aliquando rediguntur, vt exemplo Chriſti, & Diſcipulorum, & Sancti Iob, libenter anguſtias ſufferant. *in Luc.c.6.v.1.*

134. *Verbi Dei concionatores ſint contenti vilibus cibis exemplo Chriſti, & Iob.*

Quæ prius nolebat tangere Anima mea &c. Nota, quod ſi Iob, & magis Chriſtus, & Diſcipuli eius contenti erant vilibus cibis: ſic & Concionatores verbi Dei non debent eſſe ſoliciti de cibo, ſed ad modum pauperum vivere vt poſſint verè dicere cum Iob: quæ priùs nolebat &c. *in Luc.cap.10.v.8.*

135. Ama

135. *Amaritudo passionis Christi per meditationem vertitur in cibum dulcissimum Animæ, & convertit omnia amara in dulcedinem.*

Quæ prius nolebat tangere Anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Nota, quod hoc dicebat Iob inflammatus amore Dei: sed magis, & veriùs poterit dicere Anima, quæ amaritudines, dolores, & pœnas Christi crucifixi contemplatur: nam talis meditatio vertit hæc amara in dulcedinem, & cibat dulciter Animam: Præterea omnia tristia, omnia gravia, tædiosa, & aspera per hanc meditationem redduntur dulcissima: sic legitur, de quodam ingresso in Religionem, cui labores Religionis videbantur intolerabiles, & ad extremum asperi: procidens ergo ante Imaginem Crucifixi, cœpit cum lachrymis replicare has angustias, insipiditatem ciborum, potus, & vini, & statim ex latere Imaginis cœpit sanguis emanare, & cum ille fortiter suas angustias flens replicaret, respondens Imago Christi, dixit, quod quandocumque sentiret asperitatem in cibis, vel in potu, extenderet manus cordis, & ea intingeret in salsamento sanguinis Christi, totumque in dulcedinem expetiretur conversum, &c. ô quam verum hoc, quod & martyres, & sancti mirabiliter experti sunt. *op. de perfectione vitæ c.6.*

136. *Patienter tolerans adversa à Deo immissa, committit bellum dulce cum Deo.*

Quis mihi det, ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus. Quid est, quod desideras ô sancte Iob? *Et qui cœpit* (respondet) *ipse conterat me: solvat manum suam, & succidat me: Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti:* Notate verba, signate mysteria: Videte quid expetit Iob à Deo: cum enim Deus manum calcarat ipsum terribiliter affligendo, ipse veluti committens bellum cum Rege supernæ providentiæ, recurrebat ad conflictum patientiæ, aliosque dolores multiplices desiderans: O virtus invicta tanti viri sancti. *in Luc.c.14.v.31.* sic & legitur de sancto Patre nostro Francisco, & alijs sanctis amore Dei flagrantibus.

137. *Sancti à Deo illuminati tunc confortantur, cum à Deo tribulationibus affliguntur.*

Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, & non contradicam, &c. Quid est, quod petis ô Sancte Iob? Cur non potius liberationem à tantis malis postulas? ô virtus invicta! ô amor Dei! quales effectus patis in corde justorum: nam dum tribulatur à Deo, tunc confortatur in corde: Et nota, quod Deus cum suis se gerit, ut medicus bonus: sicut enim medicus volens infirmo tribuere aliquod amarum, illud palliat sub aliquo dulci: sic Christus volens exercere suos exterius tribulationibus, interius eos confortat, & consolatur, ut libenter possint tolerare quæcumque adversa. *ferm. 3. de pluribus martyribus:* Unde mirum non est, si sancti martyres in profundo tormentorum positi se tam hilares ostenderunt.

138. *Iusti desiderant in hac vita tribulationes, ut transeant ad consolationes, impij è contra à consolationibus, & delicijs transeunt ad æternam afflictionem.*

Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat. Ecce qualis doctrina nobis exponitur, nempè si volumus in alia vita delectari, in hac desiderate debemus pati: hæc sit consolatio nostra: Impij è contra à delicijs præsentibus volunt transire ad æternas pœnas: fit enim alterna mutatio. *in Luc.c.6.v.24.*

139. *Tribulatio confortat Animam, si patienter toleretur.*

Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat. Sed quomodò copulat consolationem cum dolore? quia dolor, & tribulatio patienter tolerata, Animam confortat, & mirabilem vim confert. *l.4.d.15.q.1.dub.2.& Psal.118.c.4.v.8.*

140. *Iusti non solum non contradicunt Christo eos per tribulationes probanti, sed consolantur de tali tribulatione, & probatione.*

Hæc est consolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Nota hæc duo: *Vt non contradicam: & hæc sit consolatio mea:* Iob interpretatur dolens, & signat pœnitentem dolentem de peccatis: hic non solum non contradicit sermonibus Christi sancti sanctorum, sed est ei magna consolatio, ut Christus velut bonus medicus non pateat patefaciendo vulnera scelerum cum gladio prædicationis, ut affligatur multiplici dolore tribulationis, & contritionis propter recuperationem sanctitatis. *fer.1.Dom.infr.oct.Nativ.*

141. *Impij contradicunt sermonibus Christi prædicantis.*

Vt non contradicam sermonibus sancti. Vide quid expetebat Iob, nempè, quod Deus ipsum confortaret, ne contradiceret sermonibus divinis: non sic faciunt falsiloqui, qui contradicunt doctrinæ Christi prædicatæ. *ferm.1.Dom.infr.oct.Nativit.*

142. *Qui Prælato corrigenti non contradicit, Angelus est.*

Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat, & non contradicam, &c. Nota, quod proprium est Principatuum recipere benigno affectu ea, quæ influunt, & infundunt in Dominationes: sic & qui benignè recipiunt correctiones Prælatorum, nec ipsis resistunt: horum mores Angelorum imitantur: Et è contra, qui resistunt eis supervenit repentinus interitus. *op. Eccles. Hier. p.3.c.1.*

143. *Patientes pro Christo induant fortitudinem, & caveant pusillanimitatem.*

Quæ est fortitudo mea, ut sustineam: nec fortitudo mea fortitudo lapidum: nec caro mea ænea est. Nota hic, quod videtur Iob deficere in virtute constantiæ, & fortitudinis: sed tamen hoc dicitur in persona aliquorum, qui se sinunt occupari à pusillanimitate, quæ maximè cavenda est: nam reddit Animam

 debilem

debilem in sustinentia passionum pro Christo. *ser. 5. Hexaem & serm. 2. de pluribus martyribus.*

144. *Iob fuit exhæredatus à suis fratribus.*

Vnde dicit, *fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* In quibus verbis notatur crudelitas frattum, quam exercuerunt in Iob. *in Luc. c. 18. v. 29.*

145. *Non solum mundus, sed & consanguinei in tempore necessitatis derelinquunt; imo & fratres ipsi.*

Fratres mei præterierunt me, &c. Vide quomodò fratres Iob usum mundi secuti sunt, qui suos, maximè tempore necessitatis majoris deserit: Vnde non est fidendum mundo, nec sanguine coniunctis. *in Ioan. c. 9. v. 21.*

146. *Felicitates carnales raptim transeunt.*

Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit, &c. Vide quomodò sanctus Iob fatetur, quod felicitates carnales raptim transeunt sicut torrens. *in Ioan. c. 16. v. 22.* Verè enim felicitates mundi, & si sint plurium annorum raptim transeunt.

147. *Multiplicitas passionum Christi prædicta in his verbis.*

Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit, &c. Nota, hæc verba dicta esse in persona Christi, quem persecuti sunt fratres sui, scilicet Iudæi, & in multiplicem passionem eum dederunt. *in Ioan. collat. 79.*

148 *Passiones huius temporis parua sunt comparata æternæ afflictioni Inferni.*

Vnde dicit Iob: *qui timet pruinam*, scilicet paucas pœnas huius vitæ, *irruet super eum nix*, idest absorbebitur à pœnis maximis in Inferno, vel in Purgatorio. *In sap. c. 3. & Psal. 118. c. 6. v. 3. & serm. 1. de sancto Laurentio.*

149. *Via peccatorum involuta, & vacua omnium bonorum.*

Involuta sunt semita gressuum tuorum, ambulabunt in vacuo, & peribunt. Quinam sunt isti miseri? sunt qui viam cupiditatis, & vanitatis calcant: nam in vanum laborant, & tandem peribunt. *Psal. 118. c. 1. v. 1. & c. 3. v. 3.*

150. *Iob quàm zelans fuit salutis amicorum suorum.*

Quarè detraxistis sermonibus veritatis, &c. Vide quod Iob ab omnibus derelictus, & in tantis miserijs involutus, tamen zelans bonum, & salutem suorum proximorum, eos non cessat corripere: sic faciunt amici Dei zelantes salutem Animarum. *ser. 1. de uno Confessore.*

151. *Detractio grande malum.*

Quarè detraxistis sermonibus veritatis? Nota, quod hic principaliter arguit suos amicos de detractione; quia detractio est grande malum, ipsum detrahentem, & alios venenò inficiens. *In sap. c. 1.*

CAPVT VII.

152. *In hac vita qui non pugnaverit, in altera non coronabitur.*

Vnde dicitur: *militia est vita hominis*: quia hæc vita aliud non est, nisi pugna, & certamen contra Diabolum, mundum, & Carnem. *op. Comp. Theol. l. 5. c. 36. & in Psal. 134.*

153. *In hac militia vexillum in missa ostenditur ad excitandum nostrum desiderium, & fortitudinem.*

Vt autem securè, & lætanter in hac militia pugnaremus nobis Ecclesia ostendit in missa vexillum exercitus Christi, scilicet dum elevatur Corpus Christi à Sacerdote, quasi tunc dicat: Ecce vexillum in Cruce rubricatum, & depictum: Ecce Dominus Iesus, in medio nostri est. *opusc. Exposit. missæ c. 4.*

154. *Non coronabitur in Cœlo, nisi qui legitimè in hac militia certaverit, & sequetur Christum in equis albis: condemnabitur autem, qui in equis nigris Diabolum sequetur.*

Militia est vita hominis super terram. Si est militia hæc vita, ergo sunt in ea & pedestres, & equestres: Nota ergo, quod Dominus Iesus visus est à sancto Ioanne, *in Apocal. cap. 19.* cum diadematibus multis, & cum gladio utraque parte acuto, & exercitus eorum qui sequebantur eum, erat in equis albis: nam Christus venit ad judicium cum coronis, ut coronet gloria eos, qui eum secuti sunt militantes in equis albis, scilicet in corporibus per observantiam mandatorum: & è contra feriet eos, qui in equis nigris secuti sunt Diabolum ipsi obsequentes, & obedientes. *serm. 1. fer. 3. Pentec. & serm. 3. Dom. 10. post Pentec. & serm. 2. de sancta Agnete.*

155. *Ad coronam percipiendam non qualibet militia sufficit in hac vita.*

Militia est vita hominis super terram. Si omnis hominis vita est militia, ergone omnes coronabuntur; nonne multi ex his damnabuntur post tot labores, & pugnas? sed nota, quod hæc militia præmianda debet esset voluntaria, alioquin non coronabitur: Requiritur ergo primo, ut voluntas libenter pro Christo acceptet pugnam fortiter, & perseveranter: nam multi quidem subeunt tentationes, & probationes, sed vel inviti, vel pro mundo, Carne, & Diabolo, & isti non coronabuntur, sed punientur in Inferno. *ferm. 2. de pluribus martyrib. in Luc. c. 4. v. 1. & c. 21. v. 9.* Ad hoc autem prælium contra Diabolum, Carnem, & mundum excitamur exemplo Christi Iesu, qui per omnia fuit tentatus pro similitudine absque peccato. *op. meditat. cap. 17.*

156. Militia

156. *Militia in hac vita exercenda cum Christo, & cum Diabolo.*

Militia est vita hominis super terram. Si hoc est verum, ergo multiplex militia exercenda: Et primò contra Regem superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, eique resistendum: secundò cum Rege supernæ providentiæ, acceptando tentationes, quas Deus immittit, & alias confidenter desiderando. *in Luc. c.14.v.31.*

157. *Militandum est Christo cum spe coronæ gloriæ.*

Militia est vita hominis super terram, & mercenarij dies eius. Vide quod pugnandum est ab homine etiam spe coronæ gloriæ: sic erit bonus miles, & mercenarius. *in Luc. c.15.v.19.*

158. *Egere subsidijs præsentis vitæ competit sanctorum perfectioni.*

Menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Quid est menses vacuos, & noctes laboriosas? nisi menses, & noctes degisse vitam cum defectu necessariorum huius vitæ, & cum summa egestate? Vide ergo quomodò electi rerum Conditori serviunt, & sæpè rerum inopia coangustantur: per amorem Deo inhærent, & tamen subsidijs præsentia vitæ egent. *op. de paupertate Christi q.1.a.2.*

159. *Qui non Dei viribus, sed suis confidit, in vanum laborat.*

Ego menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi, &c. Nota, quod hæc dicebat Iob volens exprimere suas angustias exteriores, & interiores; sed tamen verius dici possunt ab ijs, qui Deum non habent, qui in Deo non confidunt, sed in proprijs viribus: Isti enim in vanum laborant tota nocte, & nihil apprehendunt. *in Luc. cap.5.v.4. & in Eccles. cap.2.*

160. *Homo debet sæpè cogitare tempus amissum, ut se ad bona opera stimulet.*

Ego menses vacuos habui, & noctes laboriosas, &c. Ecce quid facit iste Vir iustus, cogitat ad tempus præteritum amissum, ut nos excitet ad recuperandum tempus perditum, & ad amplexandum opera bona. *in Ioan. c.4.v.36.*

161. *Mundus habet menses vacuos, & noctes laboriosas: Væ illis, qui ista transeunt sine bonis operibus.*

Menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Nota emphasim verborum: Dicit primò, *menses vacuos*: & deinde *noctes laboriosas*: mensis dicitur perfectio dierum, & significat opera, quæ à nobis in hac vita facienda sunt in ordine ad vitam æternam: Nox est facta ad hoc, ut homo à laboribus requiescat: Igitur, qui otiosè vivunt, menses vacuos habent, qui laborant in peccatis, laborant in nocte, scilicet peccati: nam mundus habet suas noctes, quia noctem facit umbra tenebrarum: est enim absentia solis: Igitur qui interponit hæc inordinatè inter Deum, & Animam, noctem habet, quia non percipit ea, quæ Dei sunt: Infelix igitur, qui vitam in tali nocte transigit. *in Ioan. c.4.v.36. & cap.13.v.30.*

162. *Iusti laborant in die cum fructu: Impij in nocte sine fructu.*

Menses vacuos, & noctes laboriosas mihi numeravi. Cur noctes, & non dies? quia hoc discrimen est inter electos, & reprobos: Illi laborant in die, & cum fructu, & pace: Isti in nocte, scilicet sine lumine gratiæ Dei, & ideo infructuosè: laborant quidem impij, sed inaniter: isti laborant, & opera faciunt, sed vacua: Infelix igitur peccator, qui in vanum laborat. *in Ioan. c.21.v.4. & in Eccles. c.2.*

163. *Anima contemplativa in otio contemplationis non quiescat semper, sed aliquando ad studium actionis, & operum pænitentiæ se conferat.*

Si dormiero dicam, quàndo consurgam: & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras. Vide ordinem operum Iob, qui modò ad contemplationem confugiebat dormiens in quiete ipsius: deinde ex tali otio consurgebat ad exercitium pœnitentiæ, & actionis, & inde revertebatur ad contemplationem: Hæc debent facere viri contemplativi, qui modò quiescere debent in otio contemplationis, sed non habent deserere actionem purgationis, nempè opera pœnitentiæ, & alia quæ ad salutem Animarum expediunt, & ita hæc arripere, ut sint veluti scala denuo ad contemplationem redeundi. *op. medit. Vita Christi. c.47.*

164. *Clerici ad terrena inhiantes deturpant Ecclesiam Dei.*

Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris cutis mea aruit, &c. Mysticè hic introducitur Ecclesia, quæ deplorat suam miseriam: nam per carnem intelliguntur Clerici, in quibus apparet pulchritudo Ecclesiæ: dum vero putredine carnalitatis, & pulvere vanitatis inficiuntur, tunc deturpant totam Ecclesiam. *in Thren. cap.3.*

165. *Clerici superantur sæpè à sæcularibus in operibus bonis.*

Induta est caro mea putredine, & cutis mea aruit, & contracta est. Iam dictum est per carnem intelligi Clericos, de quibus Ecclesia conqueritur: Per cutem, & pellem, opera exteriora facientem; scilicet sæculares: sic in passione Christi Discipuli fugierunt, & cutis remansit, scilicet mulieres Christo adhæserunt, ut videas, quod sæpè Christus à Religiosis deseritur, & à sæcularibus vincuntur, qui permanent in obsequio Christi. *in Thren. cap.3.*

166. *Infelicitas ariditatis cutis est per avaritiam.*

Cutis mea aruit, & contracta est, &c. Hoc dicitur in figura avari, qui ob avaritiam aridus fit, & contrahitur, ne proximo benefaciat, estque maxima infirmitas. *in Luc. c.6.v.11.*

167. *In mundanis, quæ velociter tranſeunt non eſt immorandum, ſed in æternis, quæ ſunt perpetua, & perpetuo duratura.*

Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur, & conſumpti abſque ſpe, &c. Vide quomodò iſte ſanctus vir fatetur inanitatem huius mundi, & vitæ: tranſit enim mundus cum omnibus rebus ſuis quoad pulchritudinem, quoad dulcedinem, à culpa ad pœnam, & à pœna in pœnam: Vnde ei non eſt fidendum, nec in ipſo immorandum, ſed in perpetuis, ſcilicet in rebus cœleſtibus. *In Luc. cap. 21. v. 33.*

168. *Diffidentia in Deo auget noſtras miſerias.*

Dies mei velocius tranſierunt, &c. abſque ulla ſpe. Nota hanc particulam, *abſque ulla ſpe*, quia diffidentia de Dei auxilio auget noſtras miſerias, ideo eſt fugienda, & vitanda tota diligentia. *In Luc. cap. 8. verſ. 49.*

169. *Vita præſens breviſſima, & velociſſima, ideo patienter ſuſtinendæ ſunt tribulationes, quia velociter tranſeunt.*

Dies mei velocius tranſierunt, &c. Vide quomodò ſanctus Iob, cum opprimeretur à plurimis afflictionibus, temperabat eas conſideratione brevitatis vitæ præſentis: ſciebat enim modicam, & brevem eſſe vitam noſtram in comparatione æternæ. *In Ioan. c. 16. v. 22.*

170. *Ventus eſt vita præſens velociſſimè tranſiens.*

Dies mei velocius, &c. quia ventus eſt vita mea, & non revertetur oculus meus, ut videat eam. Vide quomodò Iob alienabat ſuam mentem à voluptatibus mundi: cogitabat enim velocitatem huius vitæ, eiuſque brevitatem irrevocabilem ad modum venti tranſeuntis, & non revertentis. *In Eccleſ. c. 9. & in ſap. c. 2.*

171. *Nomen, & fama impiorum poſt mortem evaneſcit, & ipſi in Inferno permanent.*

Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcenderit ad Inferos, non aſcendet, &c. Hic ſequitur Iob pertractare vanitatem rerum mundanarum, & præcipuè hominis memoriam impiorum, quam docet eſſe tranſitoriam, & vaneſcere ad modum nubis, quæ reſolvitur in aquam: Impiorum enim memoria pertranſit, & in Inferno eorum pœna in æternum durat. *In Eccleſ. c. 9. & In ſap. c. 2.*

172. *Qui intrant in Infernum, nunquam in æternum exient finaliter.*

Qui deſcendunt ad Inferos, non aſcendent, &c. Nota, quod hic explicatur æternitas damnationis Animæ, quæ in Inferno ſemper remanebit finaliter, nec unquam exiet, niſi ad audiendam ſententiam extremam in die Iudicij *l. 4. d. 45. a. 1. q. 3.* Nota ex hoc, quod Dominus retribuet in menſura æquali penſato reatu, ſed in majori, penſata duratione, quia citò tranſit delectatio, ſed ſempiterna manet punitio. *In Luc. c. 6. v. 38.*

173. *Qui vult remiſſionem peccatorum, non debet parcere ori in confeſſione cum contritione, & ſatisfactione.*

Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine Animæ. Ecce expreſſa perfecta pœnitentia, quæ fit media contritione, confeſſione, & ſatisfactione: Hanc proponit ſacer Textus in his verbis. *in Luc. c. 7. v. 16.*

174. *Qui vult Dei oſculum obtinere, debet ore ſuo ad eius honorem, & proximi utilitatem uti.*

Non parcam ori meo, loquar in tribulatione, &c. Ecce Iob deſiderans oſculum ſpiritus Dei, ei exhibebat ſuum os, proponens ipſo uti ad honorem Dei, & utilitatem proximi: hæc enim eſt bona diſpoſitio ad oſculum Dei recipiendum. *Pſalm. 118. cap. 7. v. 7.*

175. *Homo aſſimilatur mari.*

Nunquid mare ego ſum? Quænam comparatio eſt iſta? quomodò comparat ſe mari iſte ſanctus? ſed optimè: nam homo dicitur mare propter profunditatem cordis arcanorum. *Pſalm. 39.*

176. *Etiam contemplativi quieſcentes in Deo ſubiecti ſunt timoribus, & terroribus, ut totaliter abſtrahant ſe ab omnibus vetitis.*

Si dixero conſolabitur me lectulus meus, terrebis me per ſomnia. Nota, quod ſanctus Iob dicit, quod dum conabatur quieſcere in lectulo, Deus ipſum terrebat per ſomnia: ſed myſticè loquitur de Anima contemplativa, quæ dum quieſcit in ſomno contemplationis, Deus immittit ei ſæpè terrores judiciorum ſuorum, & hoc, ut ipſam abſtrahat totaliter ab omnibus creatis: ſic etiam Diſcipulis ſuis ſubtraxit ſuam præſentiam corporalem, eos tali abſentia affligens, ut magis ab omni amore carnali, abſtraheret, & magis ſe diſponerent ad gratiam Spiritus Sancti recipiendam. *In Ioan. cap. 16. v. 7.*

177. *Iob tentatus, & probatus fuit à Deo, ita ut nec vigilans, nec dormiens poſſet corporaliter quieſcere.*

Terrebis me per ſomnia, &c. Nempè ut nec dormiens, nec vigilans poteram quieſcere: quia ope Dæmonis horribiles viſiones occupabant eius mentem. *In ſap. c. 17. & 18.*

178. *Pœnitens iudicium debet exercere in ſe ipſum ſe ſuſpendendo ut latronem.*

Suſpendium elegit Anima mea, & mortem oſſa mea. Quid eſt hoc, quod dicit Iob? ergone ob deſperationem voluit ſe ſuſpendere, vel occidere? quomodò ſubſiſtit hoc propoſitum cum ſanctitate ſua? optimè hoc dicebat ſanctus Iob: Nota ergo, quod proprium eſt veri pœnitentis facere judicium in ſe ipſum: id enim eſt, quod requirit Deus à nobis, nempè facere judicium, *ex Michea cap. 6.* ſicut igitur judicium facit, qui furem vel latronem ſuſpendit; ſic pœnitens ſeipſum tanquam furem,

&c

& Animæ suæ jugulatorem suspendere debet in cruce pœnitentiæ. *sermon. 1. Dom. 12. post Pentecost.* Subjice ergo ô peccator te ipsum actibus pœnitentiæ, si via Dei Iustitiæ satisfacere.

179. *Verus contemplativus suspendit Animam totaliter ab his terrenis rebus.*

Suspendium elegit Anima mea. O felix suspendium: suspenditur quippe Anima, dum à terrenis rebus, & creatis se elevat ad contemplationem increatæ Veritatis, & in Deum per admirationem rapitur, ita ut nunquam ad hæc inferiora redeat, nisi meræ necessitatis causa. *opusc. de septem itiner. aetern. itin. 3. d. 2. & op. Incendium c. 2. & 3. & opusc. myst. Theol. c. 3. p. 1.*

180. *In via Dei debet homo mori multipliciter per varios gradus.*

Suspendium elegit Anima mea, & mortem ossa mea. Quid hæc est electio mortis? ergone se occidit Iob? minimè corporaliter, sed spiritualiter: Sic etiam quilibet in via Dei, debet aliquam mortem eligere: Vel enim debet extinguere in se vitam peccatorum, vel carnalem concupiscentiam per mortificationem, vel abdicando à se omnem cupiditatem, vel per contemplationem separari à vita carnali, & in Christo vivere. *in Ioan. collat. 57. & op. Itiner. mentis c. 7. & in thren. c. 3.*

181. *Homo à Deo quàm sit magnificatus.*

Quid est homo, quia magnificas eum. Quid est magnificas eum? Vt intelligamus, quod homo est animal super omnia magnificum, & altissimum: quia Deus eum ratione ditat, infusione gratiæ visitat, & honore collatæ virtutis exaltat. *in Ioan. collat. 54.*

182. *Deus suos modò visitat gratia, & dulcedine, modò tristitibus probat.*

Visitas eum diluculo, & probas illum, &c. Nota, quod Deus visitat, & postea probat: sicut enim Christus modò læta agebat, modò tristia aggrediebatur: Sic Deus cum suis idem facit: modò visitat sua gratia, & dulcedine spirituali, modò probat tentationibus: Sic hæc simul miscendo, ut fiat ex mane, & vespere dies una & perfectus. *in Psalm. 29.*

183. *In hac vita non degustatur Deus usque ad guttur, & ad satietatem, sed tantum in gloria.*

Nec dimittis me ut gluttiam salivam meam. Quid est hoc, quod Deus nolebat, ut Iob deglutiret salivam suam? Nota, quod saliva significat sapientiam Patris, quæ ex ore Altissimi prodiit: Deus igitur non vult, ut deglutiatur à suis hæc saliva usque ad ventrem, scilicet usque ad satietatem: hoc enim erit solùm in gloria; sed tantùm resocillat in præsenti. *in Psal. 138. & in Ioan. c. 9. v. 7.*

184. *Finis huius vitæ miserabilis est incineratio.*

Ecce nunc in pulvere dormiam, & si mane me quæsieris non subsistam. Vide finem hujus miserabilis vitæ, quæ est incineratio, & reductio in pulverem: hoc debet semper ante oculos haberi ad confundendam nostram superbiam. *in Psalm. 77. & in Luc. c. 19. v. 44.*

185. *Gradus, quibus spiritualiter ad pulverem redigitur peccator.*

Ecce nunc in pulverem, &c. Vide quomodò post tot tribulationes homo redigitur in pulverem: quod spiritualiter evenit peccatori prosperanti temporaliter: primò enim infirmitate circumdatur: Coangustatur in accretione infirmitatis: ad terram prosternitur in morte, & percussus evertitur in incineratione. *in Luc. cap. 19. vers. 44.*



CAPVT VIII.

186. *Deus evigilat ad erogandum suis: Diabolus evigilat ad opilandum oculos suorum.*

Si tu diluculo consurrexeris ad Deum, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet tabernaculum tuum, &c. Vide Deum paratum occurrere suis vigilantibus in oratione. Sed nota, quod Deus, & Diabolus evigilant, sed differenti modo: Deus statim occurrit orantibus, ut ipsos gratia sua repleat: Diabolus è contra evigilat, ut suos excæcet oculosque eorum opilet ad malitiam prorogandam. *Psal. 118. c. 10. v. 4. in Luc. c. 12. v. 37.*

187. *Oratio fundenda ad Deum summo mane, præcipuè à Tyronibus in via Dei.*

Si tu diluculo consurrexeris ad Deum. Nota illam particulam, (*diluculo*) quæ potest referri ad orantem, & ad ipsam orationem: Datur ergo intelligi Tyronibus in via Dei maximè Religiosis, quod in principio vocationis debent se totos dedicare orationi: Instent orationi ferventer, non solùm in oratorio, verum etiam ubicumque fuerint, cum ipsi sint templum Dei: Cæterùm mane, & vespere tempus est orationis opportunum, quod penitus peculiari vacuum oratione, si vacat, culpabiliter præteritur, maximè cum profundum nocturnus sopor induerit silentium, tunc sanè liberior erit, purior que oratio, nullo tunc turbata clamore, oculis aspicientis laude tentata: Sic mentis tranquillitas, & quædam spontanea quandoque animi promptitudo, imò inspiratio, quæ se offert, otiique libertas, non innoxiè negliguntur, quæ etiamsi defierint, sunt quodam studio comparanda, Psalmorum, Hymnorum, Sanctarum meditationum, & genuflexionis instantia devotionis spiritus est excitandus. *opusc. Speculum Discipl. part. 1. cap. 12.* In ipso igitur suarum omnium operationum initio Dominum invocare, & suam ad ipsum intentionem dirigere assuescant: Instent orationi frequenter, quæ novam in horto Domini plantolam fovet, provehit, & informat: Ibidem. *part. 1. cap. 1. & opuscul. Regula Novitiorum cap. 2.*

188. *Qui vult ſpiritualem mentis refectionem, & tranquillitatem invenire, præveniat ſolem per orationem.*

Si tu diluculo conſurrexeris ad Dominum, &c. pacatum reddet tabernaculum tuum, &c. Cur diluculo conſurgendum eſt ad Deum? Sed transfer mentem ad Iſraelitas, qui jubebantur prævenire ſolem in colligendo manna; & ex hoc diſce, quod qui vult invenire refectionem ſpiritualem, & mentis ſecuritatem, & tranquillitatem, debet ſolem prævenire intelligibilem per orationem, & contemplationem, *Pſal.* 118.*c.*10.*v.*4.

189. *Deus confert ſua dona mundis corde, ore, & opere.*

Si mundus, & rectus inveneris, ſtatim Deus evigilabit ad te, & pacatum reddet tabernaculum iuſtitiæ tuæ. Vide quid requiritur ad hoc, ut Deus nobis evigilet, & conferat ſua dona, nempe munditis cordis, oris, & operis: non enim poſſunt ſtare ſimul immunditia, & dona Dei. *op.Eccleſ.Hier. part.*3.*cap.*2.

190. *Rectitudo intentionis exigitur in ſerviente Deo, & ad hæc, ut dona Dei recipiantur.*

Si mundus, & rectus inveneris, &c. Nota, quod non ſufficit ad ſanctè operandum munditia à peccatis, ſed etiam exigitur rectitudo ſanctæ intentionis in cogitationibus, locutionibus, & actionibus. *in Luc.c.*3.*v.*4.

191. *Qui cupit addiſcere debet à doctis inquirere veritatem, nec in ſuo judicio fidere.*

Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam. Vide ex hoc conſilio, quod nemo debet ſuo proprio judicio fidere, ſed qui vult ſine errore diſcere, & rectè operari, debet alios conſulere, & cum maturitate procedere, non contemnens audire. *in Luc. cap.*2.*verſ.*46. *& c.*4. *verſ.*17.

191. *Sine gratia interna devotionis non poteſt Anima per ſpem in altum ſe elevare.*

Nunquid poteſt virere ſcirpus (id eſt juncus) *abſque humore?* Nota, hac ſimilitudine docemur, quod homo eſt arbor infructuoſa ſine humore divinæ gratiæ, & præcipuè, quod non poteſt ſpem ſuam in Deum erigere ſine humore gratiæ internæ devotionis. *in Sap.cap.*15.

193. *Devotio quàm neceſſaria ſervienti Deo, & quid ſit.*

Nunquid poteſt virere ſcirpus abſque humore? Quaſi dicat: minimè: ergo, ut dictum eſt, ſine humore internæ devotionis non poterit homo dignos fructus producere in via Dei: Devotio autem eſt ſtudium Deo placendi in omni actione, ut ſemper quaſi in ejus præſentia caveat, unde ei diſplicet, & doleat, ſi fortè fecerit, & ſtudeat in quo, & qualiter ei magis poſſit placere: talis autem devotio eſt unctio Spiritûs Sancti, quæ mentem illuminat ad cognoſcendum quid ſit melius: Inflammat voluntatem ad appetendum bonum: roborat ad perficiendum: actiones ordinat ad virtutes: mores exteriùs componit: Scientiam fidei dulcem reddit: Spem in fiduciam erigit: amorem Dei accendit: dat fiduciam impetrandi petita: orationem impinguat: cor humiliat: contra adverſa conſtantiam præſtat: omnia opera bona delectabilia reddit: mentem in ſuperna elevat: mundum viloſcere facit: peccata delet: proximos ædificat, & alia bona plura facit. *opuſ. de ſex Alis Seraph. cap.*8.

194. *Qui in ſeipſo, & non in Deo confidit, innititur telis aranearum.*

Non ei placebit vecordia eius, & ſicut tela aranearum fiducia eius. Nota, quod hic Sacer Textus loquitur de hypocrita, qui Deum deſerens, in ſeipſo, & ſuis actibus, & virtute confidit: Docet igitur, quod iſte miſer nihil aliud facit, niſi texere telas aranearum, quia laborat ſine fructu. *in Iaan. collat.*74.

195. *Qui toto corde in hac vita Deo ſervit, tranſiens per tribulationes, in alia ridebit.*

Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo. Nota, hæc diriguntur Sancto Iob, cui poſt tot tribulationes toleratas promittitur riſus, & jubilus: Sic enim dicebat Chriſtus: *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis,* ſcilicet riſu ſpirituali, qui conſiſtit in jucunditate mentis propter contemplationem veritatis. *in Luc.cap.*6.*v.*21.

196. *Poſt triſtitiam, & tribulationem hujus vitæ venit gaudium viſionis divinæ.*

Videbis faciem eius in jubilo. Ecce quid promittitur Sancto Iob, nempe poſt tot tribulationes, & afflictiones, viſio Dei cum jubilo, & lætitia cordis. *in Luc.c.*2.*v.*30.

197. *Ad conſpectum Iudicis ſupremi omnia peccata in publicum producentur.*

Qui oderunt te, induentur confuſione, &c. Dat hic nobis intelligere Sacer Textus, quod viſo Iudice in die judicij, mala omnia ante oculos mentis verſabuntur. *l.*4.*d.*43. *art.*3.*q.*3.



CAPUT IX.

198. *Homo etiam purus in comparatione ad Deum, impurus eſt.*

Verè ſcio, quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo. Ergone juſtificatio eſt impoſſibilis in homine etiam Deo ordinatus, & cum eo compoſitus? minimè: Sed adverte, quod juſtificatio poteſt ſumi pro juſtitia inhærente: Sic qui non eſt conſcius culpæ mortalis, verè dicitur juſtificatus: poteſt & ſumi prout dicit totalem perfectionem, & eſſentialem juſtitiæ, & hanc ſolus Deus habet: eſt enim per eſſentiam talis: & ſic in comparatione ad hanc juſtitiam, omnes juſtitiæ noſtræ ſunt ſicut pannus

pannus menstruatæ ut dicit Isaias c.64. & in hoc sensu loquitur Iob. *l.4.d.21.part.2.dub.3.*

199. *Qui in iustitia sua confidit, pugnat cum Deo cum certa damno, & damnatione: qui in Dei misericordia fidit, pugnat cum certa victoria.*

Verè scio, quod non iustificabitur homo cum Deo compositus, si voluerit cum Deo contendere, non poterit ei respondere unum pro mille. Vult dicere, quod qui vult cum Deo contendere confidens in sua justitia, rectè damnabitur; qui verò in misericordia sua confidit, cum certa victoria pugnabit, quia non poterit ei respondere unum pro mille, scilicet pro 100 nostris iniquitatibus, quibus Deum offendimus; unde ad solam ejus misericordiam recurrendum est. *in Luc. c.14. vers.31.*

200. *Solus pacem habet, qui voluntatem suam Voluntati Dei conformat: Bellum continuum habet, qui voluntate sua Deo resistit.*

Sapiens corde est, & fortis robore: quis resistit ei, & pacem habebit? Quasi dicat, nullus homo unquam pacem habebit, sed perpetuum bellum, qui sua voluntate resistit Deo: è contra, perpetuam pacem habet qui suam voluntatem conformare studet Dei voluntati. *Diat. salut. tit.7. c.6.* Hinc disce, quod pax in sola conformitate divinæ voluntatis obtinetur.

201. *Humiliandum est coram Deo; nec ei resistendum, &c.*

Sapiens corde, & fortis robore est: quis resistit ei, & pacem habebit? Nota hæc verba Spiritus Sancti, & ea menti imprime: Dat enim nobis Sacer Textus intelligere, quod cum Deo non possumus contendere, nec per justitiam, quia peccatores sumus, nec per potentiam, quia infirmi, & servi ejus sumus, nec aufugere ab eo per astutiam, quia eum nunquam latere possumus, & dominij sui terminos exire: Humiliemus ergo nos coram ipso, & sic misericordiam consequemur; patientes, & humiliter virgam Domini sustineamus. *op. de perfect. relig. l.2. c.6. & in Luc. c.21. v.15.*

202. *Sine Dei adjutorio non possumus vincere hostes.*

Sapiens corde est, & fortis robore, &c. Ergo si solus Deus sapiens, & omnipotens, ad ipsum in bello, & in periculis debemos confugere quia solo eius adjutorio poterimus triumphare de omnibus nostris inimicis quantumcumque potentibus. *ser.6. de Apostol. & in Ioan. c.1. v.3.*

203. *Qui gloriam Deo auferre conatur pacem habere non potest.*

Quis resistit ei, & pacem habebit? Quis est, qui resistit Deo, & ob id pace privatur? Sed transfer mentem ad verba Angelorum cantantium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: ergo priùs gloria Deo est danda: gloriam autem Deo aufert, qui sibi quod Dei est usurpat, & iste pacem non potest habere, quia iste resistit Deo: ô igitur stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam. *in Lucam capit.2. vers.14.*

204. *Prælati, Sacerdotes, & Prædicatores mali destruunt Ecclesiam Dei.*

Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo: qui facit Arcturum, oriona, & Hyadas, &c. Quomodò hæc verificantur? quomodò, si Deus præcipit soli ne oriatur, & non obtemperat? Nonne subjecta Deo sunt omnia? Mysticè hæc debent intelligi: nam per solem, & stellas intelliguntur Doctores, & Prælati Ecclesiæ, quibus Deus præcipit, ut resplendeant in Ecclesia ornato cœlestium virtutum: Sed in multis videtur oppositum: nam non relucent in eis sol ferventis charitatis, nec Luna pietatis, nec stellæ munditiæ, & castitatis: nec apparent constellationes duodecim signorum, scilicet exempla duodecim Apostolorum: non hyades, non pleiades, non oriona cum interioribus austri, idest nec virtutes interiores, nec exteriores: Ideò totius Ecclesiæ species in tenebram, & deformitatem est mutata, & tunc cum hæc apparent multa mala imminent, & pericula mundo. *op. de Eccles. Hier. p.4. cap.5.*

205. *In Ecclesia, ut in Cœlo sunt variæ constellationes diversorum ordinum.*

Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri, &c. Ad quid Sanctus Iob ponit in medium istas constellationes? Sed attende, quod Ecclesia est mysticum Cœlum in qua sunt constellationes variorum ordinum Sanctorum: Sunt enim duodecim signa Apostolorum: sunt & Hyades, & Pleiades, & Oriona, scilicet (ait Glossa) Oriona, quæ sunt tempestatis signa sunt martyres: Hyades, quæ significant pluvias, sunt Doctores: Interiora Austri sunt Anachoretæ, & contemplativi. Sic Glossa. *op. Eccles. Hier. p.4. c.5.*

206. *Apostolici viri sæpè apud mundum sunt despectissimi, licèt Deo gratissimi.*

Et stellas claudit sub signaculo. Quid est obsignatio, & occlusio stellarum? quandonam à Deo occultantur? Sed nota, quod per stellas significantur Prædicatores, & Apostolici viri, qui rectè exercentes suum munus, Deo resplendent, sed apud mundum sæpè videntur despectissimi, & abjectissimi tanquam purgamenta mundi, sed tamen à Deo exaltabuntur. *sermon. 2. de Apostolis.*

207. *Dei potentia maximè dignoscitur in perpetuo regulato cursu solis, & stellarum.*

Qui præcipit Soli, &c. qui extendit Cœlos, &c. qui facit Arcturum, &c. In his motibus tam variis, & regulatis Cælorum, & stellarum Deus maximè suam potentiam, & sapientiam manifestat. *in Luc. cap.8. vers.14.*

208. *Nemo ſcit, an odio, an amore dignus ſit.*

Si venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam, &c. Vult dicere, quod ipſe non poteſt ſcire, ſi Deus venerit ad ipſum conferendo gratiam, vel ſi recurrit auferendo eam, ideſt ſi odio, an amore dignus ſit: Idque eſt verum, præciſa revelatione certa: nec certitudinaliter id poteſt ſciri, ſed tantùm probabiliter, excepto, quod in exiſtente in peccato, nihil poteſt ſciri, niſi quod ipſe eſt dignus odio, & reprobatione. *in Eccleſ. cap.9.& 11. & in Ioan. collat.64. & 71. & in Ioan. cap.3.v.7.*

209. *Deus cum illuminat Animam dicitur ad ipſam venire.*

Si venerit ad me, non videbo eum, &c. Quomodò dicitur Deus venire, cum ſit ubique? Dicitur venire per effectus novos, nempe illuminando Animam, eique infundendo ſapientiam cæleſtem, & conſolationem internam: cum autem hanc ſubtrahit, tunc dicitur recedere. *in Io.collat.64.*

210 *Qui volunt contendere cum Deo confuſionem inveniunt.*

Quantus ſum ego, ut reſpendeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Vide Sanctum Iob, qui optimè noverat, quod cum Deo velle contendere, eſt quærere confuſionem: nec aliquis ad tantam pertinaciam reducitur, niſi ſit in profundo malitiæ immerſus. *in Luc.c.20.v.26.& 40.& c.6.v.9.* Vnde optimè Sanctus Iob ſubdit, *qui etiamſi habuero quippiam iuſtum, nec reſpondebo, ſed iudicem meum deprecabor;* non enim eſt juſtitia aliqua apud Deum in homine, &c. *Sap.c.12.*

211. *Deus timendus eſt à nobis, quia eſt Index ſeveriſſimus, ſapientiſſimus, & potentiſſimus.*

Sapiens corde, &c. quis reſiſtet ei? ſi fortitudo, &c. Nota in hoc capite Iob inſerit timorem in Anima, docetque, Deum eſſe timendum, quia eſt Iudex potentiſſimus, ſeveriſſimus, juſtiſſimus, ſapientiſſimus. *ſermon.4.de una Sancta Virgine. & in Sapientia c.12.* Ex quo inferri debet, quod ad conſervandum in corde amorem Dei, virtutes, & cum Deo conformitatem, timor eſt ſummè neceſſarius, quia initium ſapientiæ eſt.

212. *Sancti, & Prælati ſuſtentant Dei Eccleſiam ſuſtentati à Chriſto.*

Sub quo curvantur, qui portant orbem. Quinam ſunt iſti tam fortes, qui portare poſſunt orbem? Iſti ſunt Apoſtoli, & miniſtri Eccleſiæ, quæ nomine orbis terrarum ſignificatur: Iſti portant, & ſuſtentant Eccleſiam, & licèt laboribus curventur, tamen non deficiunt ſuſtentati à Dei virtute. *in Sapientia cap. prim.& cap.12.* Et hine meritò dicuntur Sancti firmamentum Eccleſiæ. *ep. de Eccl. Hier.part.4.cap.6.*

213. *Deus multifariam multiſque modis ſe exhibet Animæ ferventer oranti.*

Et cum invocantem exaudierit me, non credo, quod audierit verba mea. Videntur hæc verba contradictionem continere: ait enim Iob, quod Deus ſi exaudierit eum orantem, non audiet ejus verba: ſi exaudit, quomodò non audit? Sed nota, quod Iob tanquam perfectè illuminatus noverat Deum ſe oſtendere cum variis affectibus ipſis orantibus: aliquando enim videtur affectui orantis, quod Deus nec audite, nec exaudire velit, aliquando videtur iratus, aliquando quaſi aliis occupatus Deus curare non videtur quaſi videat, & orantem tranquille ſuſtineat, ſed non reſpondeat ei aliis intentus: aliquando videtur quaſi benignè oranti intendere, ſed tacendo non annuere, ut preces illas ſuſcipiat cum affectu: ò bone Deus quantum orantes diligis: ſunt enim omnes iſti actus effectus amoris Dei infiniti, quos exhibet Animæ oranti, ut ipſam perſeverare faciat in oratione. *op. de perfect.Religioſ.l.2.c.67.*

214. *Anima orans aliquando contemplatur Dei ſeveritatem, ut ad timorem excitetur.*

In turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa. Vide Iob orantem, cui ſe offert Deus ſeveriſſimus Iudex, idque aliquando evenit Animæ oranti, ut ad timorem excitetur, & ſe humiliet coram Deo. *ſer.4.de una Sanct. Virg.& op de perfect.relig.l.2.c.67.*

215. Anima orans debet contemplari Deum modò ut amantem, modò ut vindicantem, modò ut potentiſſimum, modò ut ditiſſimum, &c. Sic faciebat Sanctus Iob, ut patet in toto hoc capite. *ſermon.4.de una Virg.& ſerm.3.Dom.14.poſt Pentec. ſap.cap.13.& in Luc.c.11.v.22. & ep. Comp. Theol. lib.1.cap.19.*

216. *Iuſtificantur à Deo, qui ſe reputant iniuſtos: condemnantur, qui ſe reputant iuſtos.*

Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendero, pravum me condemnabo. Videntur contradictionem involvere hæc verba. Quomodò ſi voluerit ſe juſtificare, ſe condemnabit? Sed nota, quod Chriſtus ſe profitetur veniſſe vocare peccatores, non juſtos, ideſt non eos, qui ſe juſtos reputant: hos enim condemnat Deus: Vult ergo, ut omnes confiteamur noſtra peccata, & indignitatem, ſi volumus ejus gratiam. *in Luc. c.5.v.32.& c.18.v.12.& cap.19.v.22.*

217. *Ob peccatum originale caro noſtra ſubjecta eſt tentationibus Diaboli.*

Terra data eſt in manu impij. Sed de qua Terra loquitur hic, quæ data eſt in manu impij? cum videamus etiam juſtos multarum terrarum poſſeſſores? De carne noſtra hic eſt ſermo, quæ originaliter eſt terra: hæc ſubjacet tentationibus Diaboli, ob infectionem originalem, quæ nobiſcum naſcitur cum impietate, & culpa: quæ infectio ex conſequenti etiam incurrit Animam. *lib.2. d.21. a.2.q.2.ad 2. & Pſal.32.*

218. Caro

218. *Caro Christi, non Anima subiecta facta est impijs persecutionibus.*

Terra data est in manu impij. Nota, hic loquitur de Christo, cuius Anima quidem immunis fuit ab impiorum manibus, sed tamen caro, & corpus ab ipsis fuit pessimè tractatum *in Psal. 95. & in Ioan. c. 5. v. 23.* Quod etiam dicitur de sanctis à Tyrannis occisis &c. *sap. c. 3.* Idem & dicitur de terrena potestate, quæ permissivè à Deo sæpe datur etiam impijs ad tempus. *in Luc. c. 4. v. 6.*

219. *Vita præsens augendo decrescit tendens velocissimè ad finem.*

Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum. Ecce qualia est vita præsens, quæ per augmenta decrescit, & tendit quotidie in finem, ideò in ea non est fidendum. *in Ioan. c. 16. v. 22. & in sap. c. 5.*

220. *Vita nostra est sicut vmbra, quæ nihil stabile continet.*

Dies mei velociores fuerunt cursore, fugierunt, & non viderunt bonum. Vide, quàm exactè explicat Sanctus Iob miseriam, & fugacitatem vitæ præsentis: nempe comparando eam vmbræ, quæ fit per interpositionem corporis inter lucem, vel Eclypsim, quæ per interpositionem terræ evenit, sic vita nostra, ex coniunctione sui ad terram eclypsatur, & in vmbram declinat, & obscuratur. *in sap. c. 5.*

221. *Navis Animæ qualiter exoneranda, & oneranda, vt feliciter transeat mare huius vitæ.*

Dies mei transierunt quasi naves poma portantes. Cur comparat dies navi? quænam proportio est ista? Sed nota, quod Anima & corpus significantur nomine navis in hac vita pertranseuntis mare mundi: Daturque intelligi, quod sicut navis, ad hoc vt securè transeat mare, debet exonerari aqua: sic & Anima debet exonerari peccatis, ne mergatur in profundum, & posteà oneranda pomis virtutum, & operum Sanctorum. *serm. 1. Dom. 4. post Pentecost. & in Ioan. cap. 6. vers. 21.*

222. *In navi Animæ per rimas sensuum intrat aqua, à qua, ne mergatur debet purgari per confessionem.*

Dies mei pertransierunt quasi navis poma ferens. Nota hoc verbum (*pertransierunt*:) Dat igitur intelligere, quod sicut navis agitata & aquis exausta, & ventis agitata velocissimè transit, & si per rimas dat locum aquis submergitur: sic sancti viri vita immunis ab aquis concupiscentiæ, velocissime pertransibat versus patriam: Discamus & nos effundere aquam per confessionem, quia valde pertimescendum est, ne navim nostram aut procella tempestatis abripiat, aut fluctibus absorbeatur, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat: Regenda est ergo cum magna solicitudine propter diversa pericula occurrentia. *serm. 1. Dom. 4. post Pentecost. & in Ioan. cap. 6. v. 21.*

223. *Pœnitentia est navis securè ducens ad portum salutis.*

Dies mei pertransierunt quasi navis poma ferens. Cur dies navi assimilatur? Nota, quod non sumit dies simpliciter, sed dies ductos in tribulatione, & pœnitentia: Vnde propriè pœnitentia est secunda tabula, vel navis nobis parata, vt securè ducamur in portum salutis: ergo sicut qui in mari existens submergi se exponit si navem relinquit: sic qui pœnitentiam deserit: Teneat se ergo in pœnitentia, qui non vult submergi in culpa. *serm. 1. Dom. 4. post Pentecost. & in Ioan. c. 6. vers. 21.*

224. *Qui vult ad portum duci salutis oneret navem pomis de arbore Crucis collectis.*

Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes. Cur sumit comparationem navis oneratæ pomis? & non potius alia materia? Nota, quod poma de arbore colliguntur: Dat nobis intelligere, quod fideles debent esse veluti poma de arbore Crucis collecta: sic enim facilè per navem pœnitentiæ ad patriam reducuntur. Tales fuerunt Martyres tanquam poma rubra de horto dominico collecta, & ad mensam cœlestem exposita. *serm. 2. Dom. 4. post Pentecost.*

225. *Electi sunt poma ad patriam cœlestem pertranseuntia, relinquentes post se odorem exempli.*

Quasi naves poma portantes. Nota quod navis ferens poma relinquit post se odorem gratum: sic electi Christi fideles, dum per mare huius mundi pertranseunt, relinquunt post se odorem virtutum, & exemplorum. *in Eccles. c. 2. & in sap. c. 4.*

226. *Vita nostra est continuus cursus ad mortem vel potius continua mors.*

Dies mei pertransierunt velut naves. Nota mysterium huius metaphoræ: nam sicut navis pertransiens mare nullum post se vestigium relinquit: sic vita nostra pertransit, nullum vestigium relinquens, quia statim ac fumus, desinimus esse: est ergo vita nostra continuus cursus, vel potius continua mors, quia veniente pueritia defertur infantia, & sic successivè de alijs. *in sap. c. 5.*

227. *Qui se non committit navi Crucis Christi non poterit pertingere ad portum salutis.*

Dies mei pertransierunt sicut navis &c. Nota, quod iste transitus bonus Sancti Iob factus est veluti in navi: quænam est hæc navis? navis est lignum Sanctæ Crucis, sine qua non potest quis pertingere portum: Nota etiam, quod mos est navigantibus semper ad Cœlum intendere, & inde vias sui cursus agnoscere, per diem solis indicijs, per noctem astrorum signis: sic debet iustus respicere ad solem iustitiæ Crucifixū, & ad stellas, scilicet ad exempla Sanctorum. *in Ioan. c. 6. n. 21.*

228. *Sanctus Ioannes Evangelista in sinu Christi requiescens volavit ad escam cælestem.*

Sicut Aquila volans ad escam. Nota mysticè hæc verba dicta esse in persona Sancti Ioannis Evangelistæ, qui fuit Aquila præcipuè tunc, quando recubuit in pectore Domini: tunc enim volavit ad escam cœlestium donorum. *in Ioan. proœm.*

229. *Iustus semper vivit in timore.*

Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Quid times ô beate Iob? Timeo (ait) super omnia opera mea: Sed cur hoc? nónne tua opera fuerunt bona? sed optimè dicit: quia vir iustus semper timet, & in bono, & in malo: malum timet, quia nocivum: bonum timet, quia nescit, si est Deo gratum: Timet & tempore pacis, & tempore belli, ne hostes intrent castrum Animæ: ergo custodiendæ sunt diligenter portæ sensuum. *diæt. tit. 6. c. 1.*

230. *Qui pœnitentiam in vita non agit, in altera eam subibit, & è contra &c.*

Non est, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Quid est hoc, de quo loquitur Iob? quid est, in ambobus? Vtrumque, scilicet pœnam in hac, & in alia vita: sciebat enim quod qui in hac vita excipitur à flagellis, & à pœnitentia, in altera ea subibit: & è contra, qui in hac vita pœnam subibit, in altera gaudebit. *fer. 1. Dom. 3. post oct. Pasch.* Hinc dicebat Christus suis Discipulis: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

231. *Solus Christus satisfecit pœnæ, & culpæ, Diabolum superavit, & hominem eripuit.*

Non est qui vtrumque possit arguere, & in ambobus mittere manum. Si hic loquitur de culpa, & pœna peccati, vel de Diabolo deceptore & homine transgressore, vel de pœna Inferni, & Purgatorij: quomodò dicit non inveniri aliquem valentem arguere vtrumque? nonne Deus est omnipotens? Sed nota, quod nondum tunc erat verbum incarnatum, cui soli pertinebat mittere manum in vtraque, scilicet satisfaciendo pro culpa, & pœna, item triumphando de Diabolo, & hominem eripiendo; item puniendo æternaliter in Inferno, & corrigendo corporaliter in Purgatorio. *serm. 1. Dom. 3. post oct. Pascha.* Ideò ad Christi incarnationem alludebat.



CAPUT X.

232. *Vera pœnitentia in confessione peccatorum qualiter facienda.*

Tædet Animam meam vitæ meæ, loquar in amaritudine Animæ meæ, dicam Deo noli me condemnare. Nota hic exprimi perfectam pœnitentiam pœnitentis, cui ita displicet peccatum, vt potiùs præeligat velle se incurrisse mortem corporis sui, quàm peccasse mortaliter, & amisisse Deum, qui est vita Animæ, & sic dicit: *tædet Animam meam vitæ meæ*, & quasi dimisso eloquio corporali præ nimio dolore contritionis: loquitur in amaritudine Animæ suæ, reducendo ad memoriam omnes abominationes, & scelera perpetrata, quibus ad iram provocavit Deum, vt sic iustus possit dicere Deo, noli me condemnare, quia peccata mea pavesco, & ante te erubesco. *serm. 2. Dom. 11. post Pentecost.*

233. *Iustum tædet vivere propter occasiones multiplices peccatorum.*

Tædet Animam meam vitæ meæ &c. Cur tædet? ob peccata, scilicet ob occasiones tam multiplicatas Deum offendendi: sic iustus potius vellet non vivere, quàm Deum offendere. *in Eccles. cap. 2.*

234. *Verus humilis contrà se ipsum coram Deo, & hominibus loquitur.*

Dimittam adversum me eloquium meum. Vide qualis humilitas inerat in corde iusti, qui profitetur se coram Deo velle loqui: sic enim pusillanimitatem eijciebat à corde suo vt magis in Domino confideret. *Psal. 118. c. 4. v. 2.*

235. *In Cœlo exultatur eloquium omne fletus, & doloris.*

Dimittam adversum me eloquium meum. Et quandonam hoc eveniet? Sed nota, quod Iob ad statum gloriæ aspirabat, & ideò dicebat, tunc omne eloquium longè erit à me, scilicet eloquium proprium huius vitæ, quod est vetustatis & miseriæ, quia in gloria totum redundat lætitia, & gaudio. *Psal. 118. c. 8. v. 4.*

236. *Amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguit supplicia sequentis iræ.*

Loquar in Amaritudine Animæ meæ. Quid loquetis ô Beate Iob? Resp. Dicā Deo, noli me condemnare, cum nescias, vtrum amore, vel odio dignus sis? Optimè hoc dicebat: sic enim Anima orans, quandoque respicit Deum vt Iudicem ipsum timendo, continuando trepidis desiderijs tearum, & infirmitatem propriam cum confidentia infinitæ misericordiæ: quia sciebat amaritudinem præsentis pœnitentiæ validissimam esse ad extinguenda supplicia sequentis iræ: Vnde talis pœnitens confidenter potest Deo dicere: noli me condemnare. *op. de 7. itiner. ætern. itin. 2. d. 4. & in Luc. c. 7. v. 16.*

237. *Aliquando orans induit personam rei: aliquando filij, aliquando tribulati &c.*

Loquar in amaritudine Animæ meæ, dicam Deo noli me condemnare &c. Vide quomodò Iob personam assumit rei, coram Deo Iudice astans cum tremore, dicens, *noli me condemnare &c.* sic facit orans: aliquando personam assumit filij, aliquando tribulati &c. *op. de perfectio. Relig. lib. 2. cap. 61.*

238. *Manum Domini impossibile est effugere.*

Cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere. Nota hnc verbum ô hnmo : quia impossibile est, potestatem Dei tam in vita, quàm in morte, tam in præsenti, quàm in futuro effugere : Vnde Deo humiliemus Animas nnstras. *in sap. cap.* 16.

239. *Totum quod est homo, à Deo est : Vnde patet nobis eius potentia, & auctoritas.*

Manus tua fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu. Nota hæc verba, (*fecerunt, & plasmavernnt*) nam facere refertur ad hominem interiorem, plasmatio ad exteriorem: Item facere refertur ad seminarium materiæ, in quo quoad corpus originaliter fuit insitus, & plasmare ad processum, descendendn ab Adam : & hoc verificatur de omnibus hominibus. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 9. *& sap. c.* 10. *& Psal.* 118. *verf.* 73. *& fer. t. de decem precept.*

240. *Infirmitas hominis ostenditur ex eo, quod factus est ex luto.*

Memento quæso, quod sicut lutum feceris me &c. Nota, quod dicit, (*sicut lutum*) quia cum humanum corpus sit ex luto, etiam sicut lutum vile, fragile, & debile est : Vnde ex hnc ad humilitatem excitari debemus. *ferm.* 1. *Dom.* 11. *post Pentecost. & Psal.* 68.

241. *Deus exaltat, & promovet in altum suos amicos, eos diminuendo, & deprimendo.*

Et in pulverem reduces me. Ecce quid facit Deus reducendo hominem ad pulverem, eum humiliandn, nempe deducit eum de virtute in virtutem, & in statum sublimem. *in Psal.* 58.

242. *Hominis originalis miseria exprimitur, & divina potentia exaltatur.*

Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me : nonne sicut lac mulsisti me & sicut caseum me coagulasti ? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me. Nota quod in his verbis proponitur vilissimæ originis miseria hominis, & divina potentia volens ex tam vili radice hominem sublimare ad tam altum statum : Vide igitur ô homn quomodò de luto origo tua est : propagatus sicut lac, quod mulcetur, & sicut caseus coagulatus in carne &c. Humilia ergo te ipsum, & lauda creatorem tuum, tam mirabilia operantem. *in sap. c.* 7. *& in Eccles. cap.* 11.

243. *Deus post tribulationes, & in tribulationibus visitat suos tamquam Pater pijssimus, vt eos excitet ad visitandum infirmos.*

Vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum. Vide qualem pietatem Dei nostri : nam post tribulationes, imò & in tribulationibus tam diris dignatus est visitare servum suum : visitat enim Deus vt medicus languidum, & infirmum hominem, vt nos excitet sui exemplo, ne dedignetur visitare tribulatos, & infirmos. *in Luc. c.* 1. *v.* 9.

244. *Mirabilis ars Christi capientis Animas exprimitur.*

Propter superbiam quasi leænam capies me. Nota hæc verba, quæ prima facie videntur sine sensu, & tamen mirabilem artem Dei quærentis Animas exprimunt : sciendum autem est, quod ovis ad lignum super foveam profundam ligatur, vt Leæna currens ad prædam, cadat in foveam: Ovis innocens est Christus ligatus ad lignum crucis propter superbiam hominis, vt superbus transgressor ad prædam, & gratiam crucifixi currens, cadat in foveam pœnitentiæ : & hinc proponitur peccantibus imago Crucifixi, vt attrahat nos omnes ad pœnitentiam. *fermone* 3. *Dom.* 4. *post Pentecost.*

245. *Vbi viget impietas, ibi abundant miseria.*

Va mihi, si impius fuero. Sed in quonam tendit hoc, væ ? scilicet hæc miseria ? Sed nota, quod loquitur indefinitè. (*Va mihi,*) quia vbi abundat iniquitas, ibi non prosunt divitiæ, nec aliæ felicitates, sed omnes miseriæ abundant. *in Eccles. c.* 8.

246. *Nisi Christus mortuus esset, & resurrexisset, homo semper in miserijs remansisset.*

Va mihi, si impius fuero, & si iustus, non levabo caput, saturatus afflictione, & miseria. Quid dicis ô Beate Iob ? ergone eodem modn tractatur à Den iustus, & impius ? Sed attende, quod altius suam mentem, & verba dirigebat, nempe ad remedia mediatoris, quibus tam impius, quàm iustus redimebat : Dat enim intelligere, quod si Christus non mortuus esset, & non resurrexisset : væ impio, & iusto, quia homo in miserijs semper permansisset. *ferm.* 1. *in die Pascha.*

247. *In finali iudicio stabunt contra impios multi accusatores.*

Instauras testes contra me, & multiplicas iram tuam adversum me &c. Quosnam testes hic in medium adducit Sanctus Iob ? Sed nota, quod loquebatur de extremo iudicio, & in persons impiorum ; contra quos consurgent plures testes accusantes ; & primò impij accusabuntur à scripturis sacris : Secundo ab omnibus creaturis, quæ omnes pugnabunt, & testificabunt contra impios : Tertio à proprijs malitijs : quarto ab omnibus bonis, qui per exempla, & doctrinam præcesserunt : quinto ab Angelis bonis, & malis, & tandem à Deo. *in Ioan. c.* 5. *in fine* ; *& ferm.* 1. *Dom. infe oct. Ascens.*

248. *Idem confirmatur.*

Instauras cõtra me testes. Qui sunt isti testes: Nota, quod dicit, (*instauras*) idest coacervabis contra impios testes in iudicio: Isti sunt præcipuè Angeli, sub quorum custodia benè, vel malè egerunt: non

solùm autem Angelorum, sed & totius orbis terrarum testimonio confundentur reprobi: In illo die, nihil est quod respondeamus, ubi Cœlum, & Terra, Aqua, & Sol, & Luna, & dies, & noctes, & totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum, & si omnia tacerent, tamen ipsæ cogitationes, & opera ipsa stabunt specialiter ante oculos nostros accusantes nos ante Deum: ô miseri peccatores, qui non solùm totius orbis, sed & Dei orbem judicantis testimonio convincentur. *serm. 2. Dom. infra oct. Ascens.*

249. *Melius est non esse, quàm vivere in peccato.*

Quarè de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret &c. Nota, quod hic Sanctus Job comparat abortivum eum eo, qui in avaritiæ labe, vel alterius peccati vivit: dicens, quod melius est esse abortivum, vel non esse, quàm esse in peccatis, quia nullum malum æquiparari potest peccato. *in Eccles. c. 6.*

250. *Qui non vult in æternum plangere in Inferno, plangat paululum in vita, quæ est paululum, & modica respectu æternitatis.*

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum &c. Cur paululum, & non potius toto tempore vitæ? Paululum vocat tempus hujus vitæ, quod in comparatione æternitatis est paululum: Plange ergo paululum in mundo, ne plangas plurimum in Inferno. *serm. Dom. 2. Adu. & serm. 4. Dom. 15. Post pentecost. & serm. 2. in Ascens. Dom. & in Eccles. c. 3.*

251. *Qui à Deo per peccatum recedit, meritò projicitur in regionem longinquam, scilicet in Infernum, à quo nunquam exiet.*

Antequam vadam ad terram tenebrosam, & non revertar &c. Vide quomodò iste vir beatus desiderat plangere peccata, quia sciebat, quod illi qui se à Deo elongant per peccatum, nec resipiscunt per pœnitentiam, meritò projiciuntur in regionem longinquam, scilicet in Infernum sine spe in æternum unquam revertendi. *in Luc. c. 15. v. 13. & in sap. c. 2. & Psal. 95.*

252. Ante adventum Christi omnes justi irremissibiliter post mortem in Lymbum detrudebantur: unde dicit Job. *Antequam vadam ad terram tenebrosam &c. in Eccles. cap. 9. & in Sap. cap. 16.*

253. *Memoria mortis inevitabilis debet nos revocare à peccatis ad pœnitentiam.*

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi &c. Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non revertar &c. Vide quo motivo inducitur vir justus ad pœnitentiam, scilicet ex motivo brevitatis hujus vitæ miserabilis, & inevitabilitatis mortis, & ex periculo præcipitandi in Infernum: Ergo fratres cum simus adjudicati morti, & sit in nobis necessitas moriendi, & ratione peccati, & ratione defectus in nobis existentis, & ligni vitæ vitam conservantis, si hanc vitam habere non possumus, sic vivamus, ut vitam aliam non perdamus. *serm. 1. de Inventione Sanctæ Crucis.*

254. *Mors corporalis, periculum damnationis, & judicium in morte, & extremo fine mundi debent nos revocare à peccatis.*

Dimitte ergo me, ut plangam, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine &c. Nota, quod hæc tria in mente semper Sanctus Job revolvebat, ob quæ desiderabat facere pœnitentiam: suntque mors inevitabilis, periculum damnationis æternæ, & judicium imminens à Deo faciendum super opera sua. *serm. 3. Dom 9. post Pentecost.*

255. *In Inferno sunt tenebræ palpabiles, & omnes miseriæ.*

Ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine &c. terram miseriæ &c. Vide ergo in Inferno inter cæteras pœnas erunt tenebræ palpabiles in pœnam tenebrarum peccati, in quibus mali vixerunt in hoc mundo. *in Sap. c. 17.* Nota, quod Infernus est terra miseriæ quoad pœnas corporales, & pœnam doloris, est & tenebrarum quoad cæcitatem. *in Ioan. c. 19. v. 3.* Nota etiam, quod in Inferno est quidem ignis, sed permixtus cum sulphure, & materia fumosa, & ideò si aderit aliqua lux, erit tenebrosa, & solùm apta ad videndum tristia, & horribilia. *l. 4. d. 50. p. 1. a. 2. q. 2. & in Ioan. c. 19. v. 3.*

256. *In Inferno sunt tenebræ non solùm corporales, sed & spirituales, quæ impediunt cognitionem delectabilem, sed solùm admittunt lucem, quæ ad cumulum pœnæ inserviunt.*

Ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine &c. Nota, quod non solùm erunt in Inferno tenebræ corporales, sed & spirituales, quia damnati solùm cognitionem habebunt eorum, quæ faciunt ad cumulum pœnæ. *l. 4. d. 50. p. 1. a. 2. q. 2. & 3.*

257. *In Inferno omnis ordo est confusio, & inordinatio: Vbi de inordinatione peccati.*

Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat &c. Sed quomodò id potest dici, cum in Inferno sint Angeli mali, quorum naturalia remanserunt, ergo & ordinum distinctio? At attende, quod in Dæmonibus est ordinum distinctio, & confusio, quia culpæ præsentia fœdat, & deordinat naturam, ob id in Inferno nullus est ordo. *l. 2. d. 6. a. 3. q. 1. in corp.*

258. *Iusti promovebuntur ad ordines Angelorum: Impij irregulares sunt sine ordine.*

Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quis est iste ordo, quo caret Infernus? Nota, quod sicut in Ecclesia irregulares non possunt promoveri ad ordines: sic in alia vita præsciti tamquam

tanquam irregulares, nunquam promovebuntur ad ordines Angelorum, sed tantùm electi, & justi. *Diat.Sal.tit.3.c.4.*

259. *Maximus, & inexplicabilis horror damnatorum, & pœna innuitur.*

Ubi umbra mortis, & sempiternus horror inhabitat. Quis horror, quis tremor, quis timor est in Inferno? si timor est futuri mali, cum damnati actu malum patiantur, quomodò est in eis timor? Ex hoc patet, quàm gravis sit cruciatus damnatorum, ubi tormenta à suis qualitatibus discordant, sicut viventes à Dei voluntate discordabant, ideò ibi timor, & horror permanet cum pœnis, quia in futurum nullus finis pœnarum spectatur: ibi enim est dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, mors sine morte, ideò dicitur (*umbra mortis*) finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit, mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, & pavorem non fugat. *Diat.sal.tit.10.cap.1.*

260. *In Inferno est mors sine morte.*

Ubi umbra mortis. Quid est umbra mortis? idest mors sine morte, finis sine fine, mors perimit, sed non extinguit. *Diat. tit.10.cap.1.*

261. *Horror in Inferno qualis & quantus, ex præsentia Dæmonum.*

Sed sempiternus horror inhabitat. Nota quod hæc pœna Inferni est maxima, quia videmus, quod si nunc appareret nobis solùm unus Diabolus, magnus horror, & quasi intolerabilis esset: quid ergo erit tunc, cum tot horribiles apparebunt. *Diat. tit. 10.c.1.*

262. *Causæ doloris, & miseria Inferni quænam.*

Terram miseriæ, & tenebrarum. Quid est terra miseriæ? Nota, miseria ad dolorem ordinatur, dolor autem damnatorum erit ob quatuor causas. Prima, quia amiserunt damnati bona temporalia hujus mundi. Secunda quia tempus perdiderunt. Tertia quia visionem, & gloriam perdiderunt. Quarta quia Inferni vilitatem, & miseriam acquisierunt: Dolor autem erit ibi vermis rodentis conscientiam: ibi ignis urentis, qui nunquam extinguetur: fœtoris, & frigoris, famis & sitis; tortoris, horroris, tenebrarum, & omnium pœnarum. *Diat tit.10. c.1.*



CAPUT XI.

263. *Ex qualitate verborum cognoscitur qualitas cordis loquentis.*

Nunquid qui multa loquitur non audiet, aut vir verbosus justificabitur? dixisti enim purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo. Nota quod hic Sophar arguit Job de nimia loquacitate, sed frustra, & falsò: licèt hæc verè verificentur de verbosis, & loquacibus. Dicit igitur, quod vir verbosus non justificabitur, & rectè dicit: quia qualia sunt verba quæ exeunt ex ore, tale est cor: ex abundantia enim cordis os loquitur: ergo, ut credatur, te habere mundum cor, os habeas mundum foris, ita ut possis dicere: purus est sermo meus &c. *serm. 4. de Apostol. & in Luc.c.6.v.45.*

264. *Meditatio judicij, & severitatis divinæ in puniendo peccata valdè utilis est.*

Utinam Deus loqueretur tecum, & ostenderet tibi, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Nota, quod in his verbis corripitur Job in figura abhorrentis pœnitentiam: ac si diceretur ei: Utinam tibi Deus vellet explicare, quibus severitatis legibus peccatores debeat judicare: tunc agnitis tuis meritis, & pœnis debitis posses deliberare, quod debetes pœnitentiam salutarem meritis tuis imparem æquanimiter tolerare. *Psal. 118.c.7.v.4.* Vide ex hoc, quàm proficua sit consideratio severitatis divinæ in puniendo peccata, ad excitandam Animam ad pœnitentiam, & ad tolerandum patienter tribulationes, quas Deus nobis immittit.

265. *Propter satisfactionem factam à Christo pro peccatis nostris, multò minorem à nobis exigit Deus satisfactionem.*

Utinam ostenderet tibi Deus, quod multo minora exigaris ab eo quàm meretur iniquitas &c. Hoc dicebatur Sancto Job: sed jam nobis hoc ostensum est: nempè, quia Christus pro nobis satisfactionem dedit Patri pro peccatis nostris: hinc multò minora exigit Deus à nobis, quàm mereantur peccata nostra; imò intuitu talis satisfactionis, Deus effundit super nos divitias suæ misericordiæ. *ep. medit. vita Christi c.86.*

266. *Lex Domini unica, & multiplex, quia est lex charitatis.*

Utinam ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex ejus. Vide quomodò lex Dei dicitur, (*multiplex*) & dixit Christus, quod est unum mandatum, & hoc optime: quia lex charitatis est una, quia ordinat hominem ad Deum diligendum, & est multiplex, quia præcipit dilectionem proximi propter Deum. *in Ioan. cap. 13.v.35.*

267. Deus est à nobis incomprehensibilis, solùmque aliqualiter per vestigia creaturarum potest cognosci: Hinc dicitur hic: *forsitan vestigia Dei comprehendes: excelsior Cœlis &c.* quantumcumque enim elevetur cognitio nostra, semper est inferior, & minima. *lib. 1. sentent. in proœm. & l.3.d.14.a.1. quæst.3. & in Luc. cap. 10. v.22. & in Ecclesf.c.2.*

268. *Sapientia donorum Spiritus Sancti est sine fundo, & termino.*

Longior est terra mensura ejus, & latior mari. Nota, quod hic tractans de sapientia divina dicitur, quod, *longior, & latior terra, & mari*, quia est sine fundo, & termino, quia incomprehensibilia sunt judicia divinæ sapientiæ. *ep.Diat.tit.6.c.4.*

269. *Vanitas erigit hominem in superbiam contra Deum.*

Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum putat natum. Vide quid facit vanitas in corde hominis: erigit enim hominem in superbiam, & ipsum evanescere facit. *in Eccles.proem.*

270. *Peccatum in bestiam, & pullum asini redigit hominem.*

Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum putat &c. Vide quid facit superbia, & vanitas; inducens enim ad peccatum, etiam in bestiam redigit, & cum sit stolidus credens se liberum, tamen funibus peccatorum constringitur. *in Luc.c.19.v.31.*

271. *Orans cum puritate cordis exauditur faciliter à Deo.*

Si iniquitatem abstuleris à te, tunc levare poteris faciem tuam &c. Ecce modus, quo facile poteris elevare faciem tuam ad Deum, & in orationibus tuis exaudiri, nempè removendo peccata, & puritatem conservando. *in Ioan. coll. 47. & cap.9.v.31.*

272. *Qui Deum fideliter amat, ipsique fideliter servit, in Cœlo obliviscitur miseriæ contractæ, & omnium pœnalitatum hujus vitæ.*

Eris stabilis, & non timebis: miseriæ quoque oblivisceris &c. Sic dicitur illi, qui toto corde servit Deo, quia post hanc vitam in cœlesti gloria obliviscitur omnium miseriarum hujus vitæ. *Psal.118.c.6.v.13.*

273. *Iusti oculis stultorum, & mundanorum in extremo vitæ videntur mori, sed in oculis Dei, & Sanctorum nascuntur ad novam vitam.*

Et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. O quam grata est hæc doctrina Deo servientibus! patet autem ex hoc quod justi, licèt oculis mundanorum videantur in fine mori, quia solùm considerant præsentia, non futura: sed oculis sapientum videntur nasci, ideò eorum obitus ab Ecclesia appellatur natale. *Sap. c. 3. & Psal.118.*

274. *Mors justorum est transitus à tenebris ad lucem.*

Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Quomodò qui se consumptum videt potest dici, quod oritur ut Lucifer? quia justi mors est transitus de tenebris ad lucem, cui nox sicut dies illuminatur. *Sap. c. 3. & in Luc. c.23.v.54.*



CAPUT XII.

275. *Deridetur justorum simplicitas à mundanis, maximè propter penuriam bonorum exteriorum.*

Deridetur justi simplicitas &c. Cur communiter in mundo deridetur? Id maximè est, quia annexam habet exteriorum penuriam, & vilificationem. *op. Apol. paup.respons.3.c.3.*

276. *Mundani in hac vita derident justos tanquam viles, stupidos, & insensatos &c. sed postea in alia cognoscent propriam stultitiam.*

Deridetur justi simplicitas &c. Tanquam stolidi, stupidi, & stulti, sed postea in alia vita fatebuntur vecordiam suam, dicentes, ergo erravimus. *in Sap. c. 4. & 5. & in Luc.c.16.v.14.& c.23. v.35. & op. Apol.paup.respons.3.c.3.*

277. *Prædicator debet esse lampas in seipso ardens, & aliis lucens.*

Lampas contempta apud cogitationes divitum. Quænam est ista lampas? nisi Prædicator, scilicet in se ardens, & aliis lucens: sic fuit Sanctus Joannes Baptista; videant, & considerent hoc concionatores. *in Ioan.coll. 29.*

278. *In hac vita pœnitentia est agenda, ne prætereat tempus statutum.*

Lampas contempta parata ad tempus statutum &c. Nota quomodò vita nostra comparatur lampadi accensæ ad tempus à Deo statutum: ut videas ex hoc quàm sedulo pœnitentia agenda in hac vita est, ne præteréat tempus statutum omnibus hominibus. *serm. 3. Dom.2. post oct. paschæ, & op.Apol.paup.resp.3.c.3.*

279. *Alios trahentes ad peccatum sunt tabernacula Dæmonum prædonum Animarum.*

Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Dominum. Quænam sunt ista tabernacula? qui prædones? Nota, prædones isti sunt Dæmones, qui conantur prædare Animam ab omni bono, ut crucietur in Inferno: Tabernacula verò, in quibus securè habitant Dæmones, sunt peccatores trahentes alios ad peccatum, quia per istos Diaboli mercantur, & lucrantur Animas. *serm. 9. in Rogat.*

280. Prædones sunt, qui stipendia Ecclesiæ recipiunt, & utilitati communi non incumbunt, & de istis conqueritur Sanctus Job, quia isti audacter provocant Dominum. *in Thren. c.1.*

281. *Prædicatores sunt volucres Cœli volitantes per varias regiones.*

Volatilia Cœli indicabunt tibi. Quid est, quod à volatilibus Cœli discere debemus? Nota quod per volatilia Cœli intelliguntur Prædicatores, qui

qui à terrenis elevati pennis virtutum, sunt deputati ad volitandum huc, illucque, scilicet ad divinas laudes, & instruendos populos. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 2.*

281. *Multi homines imprudentiores, & stultiores sunt brutis.*

Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia Cœli, & indicabunt tibi, & narrabunt pisces maris. Quid est, quod addiscendum præcipit Deus in schola irrationalium? nonne sunt ratione, & loquela carentes? multa, & mirabilia vult Deus ut addiscamus ex brutis solo instinctu naturali operantibus, ut confundatur nostra vecordia, & ignavia: Vult, ut addiscamus à formica, à brutis, & cæteris animalibus, quæ valdè solicita sunt in quærendo, & eligendo, & providendo sibi cibum in futurum, in præcavendo pericula, & tamen homo stultior animalibus irrationalibus, quod pejus est eligit, nec præcavet pericula, nec prospicit ad futura. *serm. 2. de uno Sancto Doctore, art. 1.* Vide etiam quàm verum sit hoc in aliquibus animalibus, quæ si copulantur ad invicem in generatione, servant sibi mutuò fidelitatem, & tamen cum iste amor mutuus sit infitus in natura, inveniuntur plures, qui infideles vivunt in ordine ad conjugem, & Sacramentum matrimonij: Edocemur etiam per hoc, quod propter Deum debemus postponere omnem alium amorem &c. *l. 4. d. 33. a. 1. q. 1.*

283. *Creaturæ etiam insensatæ nos manuducunt ad notitiam Creatoris.*

Interroga jumenta &c. Sed si interrogaverimus, quid nobis respondebunt, cum non habeant usum rationis, & loquelæ? Imò magnam vocem habent, & altissimam doctrinam de Deo nobis ingerunt: nam nos inducunt ad notitiam summi Creatoris: nam mundus iste creatus est liber patens, nos Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem docens. *in Luc. c. 18. v. 36.*

284. *Homo rudis in via Dei addiscere debet ab hominibus deditis vie activæ, & contemplativæ.*

Interroga jumenta, & docebunt, & volatilia Cœli. Mysticè per jumenta intelliguntur viri spirituales, qui se exercent in colendo terram propriam, scilicet in via activa pœnitentiæ, prædicationis &c. per volucres Cœli homines contemplativi. Ad istos mittitur homo rudis in via Dei tamquam ad Doctores, ut addiscat viam Dei, & salutis, & qualiter debet laborare in observantia mandatorum Dei. *Psal. 118. c. 1. v. 12. c. 9. v. 7.*

285. *Iudicium extremum signa horribilia in creaturis insensatis, & irrationalibus præcedent.*

Interroga jumenta, & volucres Cœli, & loquere terræ, & narrabunt pisces &c. Quid narrabunt ista irrationalia, & quomodò hæc erunt? Resp. quod ista evenient prænuntiantia diem judicij: nam mare se eriget super altitudinem montium, & postea descendent in profundum: marinæ belluæ ascendentes super mare, dabunt rugitus usque ad Cœlum, ardebit aqua, arbores, & herbæ dabunt rorem sanguineum, petræ collidentur ad invicem, terræ motus commovebit terram totam, quasi futurum narrantia judicium. *in Luc. c. 21. v. 27.*

286. *Electi verbum Dei exterius audiunt, & simul interius degustant: Reprobi solùm exterius.*

Auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem. Quomodò hic connectit Job auditionem verborum cum comestione? sed nota mysterium: nam ut etiam adnotavit Sanctus Gregorius, loquitur de electis, & reprobis: nempè indicat, quod reprobi tantùm exterius verba, & inspirationes Dei audiunt: at electi & audiunt, & gustant, quia hoc, quod audiunt, eis per amorem medullitus sapit: reprobi verò, qualiter sapiat, ignorant: quia aliud est aliquid scire, aliud quod cognoscitur, faucibus intelligentiæ degustare. *op. de dono Timor. c. 4. & op. de septem Itiner. ætern. Itiner. 6. d. 6.* Nota autem, quod hoc est discrimen inter reprobos, & electos scientiatos: nam illi faciunt more vesparum, qui vacui devotione, & si habent splendorem scientiarum sunt non habentes favum mellis, sicut apes, quæ mellificant, & ideò evanescunt in suis scientiis, isti verò copulantes sanctitatem cum scientia mellificant pro se ipsis, & pro aliis. *serm. 1. & 19. Hexaem. & serm. 2. de uno Sancto Doctore.*

287. *Homo est magis dispositus ad sapientiam in ætate provecta, quàm in iuventute.*

Quod & docetur hic à Sancto Job dicente: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. l. 3. d. 1. a. 2. q. 4. & sap. c. 4. & c. 13.* Etratio est, quia, licèt substantiæ corruptibilis operatio antiquetur, & senescat in tempore: Animæ tamen rationalis operatio nec senescit, nec antiquatur in tempore, imò juvenescit. *l. 2. d. 19. a. 1. q. 1.* Et hæc est ratio, quare antiquitùs solùm homines provectæ ætatis, & senes eligebantur in Reges, & Principes. *op. de Eccles. Hier. p. 2. c. 3.*

288. *Sine gratia non potest Anima elevari ad Deum.*

Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Vide ex hoc quàm necessaria sit divina gratia ad benè operandum: nam sine ipsa non est possibile aliquid boni agere, & hoc maximè dicitur de obduratis in peccato, qui etiam si illis divina gratia offeratur, tamen non emolliuntur ob ipsorum culpam. *in Ioan. c. 12. v. 41. & sap. c. 12.*

289. *Verbum Dei receptum sine lumine gratiæ non fructificat, sed arescit.*

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram. Vide quàm necessarius sit humor divinæ gratiæ: nam sine ipsa verbum Dei receptum nullum fructum facit; at si concurrit gratia divina, terra subvertitur, sci-

licet peccatores convertuntur ad pœnitentiam. *in Luc. cap. 8. v. 6. & Gloſſa, & in Eccleſ. cap.2.*

290. *Bonus Prædicator nec in ſuperbiam erigitur ex proſperis, nec in impatientiam deprimitur per adverſa.*

Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur, ſi emiſerit eas, ſubvertent terram. Hoc dicitur de Doctore, & Prædicatore non in virtutibus radicato, qui ex adverſis commovetur ad impatientiam, & ex proſperis elevatur in ſuperbiam: At bonus, & virtuoſus firmus & conſtans ſtat per omnimodam patientiam. *op. de Eccleſ. Hier. p.4.cap.5.*

291. *Conſiliarij perverſi à Deo confunduntur, & Iudices pravi.*

Adducit conſiliarium in ſtultum finem, & judices in ſtuporem. Nota illa verba, (*in ſtultum finem*) quia ſine Deo, vel contra Deum conſulens confunditur à Deo, ſicut & pravus Judex. *in Luc.c. 5.v.26.*

292. *Deus in omnibus ſuis actionibus admirabilis redditur ijs, qui eas rectè conſiderant.*

Et adducit in ſtuporem judices &c. Nota, quod hic per Judices veniunt homines docti, & prudentes: Deus autem ſe admirabilem reddit in ſuis actionibus apud eus, quia videntes tot mirabilia, ea contemplantur, & in admirationem, & venerationem Dei aſſurgunt. *in Luc. c.2. v.47. & c.4.v.32.*

293. *Mirabilis potentia Dei eluceſcet in reſurrectione integra corporum noſtrorum.*

Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubverſas in integrum reſtituit. Nota, quod in his verbis Sanctus Job alludit ad reſurrectionem corporum noſtrorum, quæ in extremo mundi tempore fiet, & quia hoc eſt maximum miraculum divinæ omnipotentiæ reſtituere in integrum corpora, & membra jam mortua, & diſperſa; hinc hanc Dei potentiam mirabilem, ad ejus laudem, in medium ponit. *ſerm. 2. Dom. 3. poſt Penteceſt. & ſerm.6. in Paſcha.*

294. *In fine mundi ſapientes ob impietatem erunt involuti in tenebris ignorantiæ, & infidelitatis, quia peccatum mentem excæcat.*

Palpabunt quaſi in tenebris, & non in lumine, & errare faciet eos, quaſi ebrios. Nota, quod eſt prædicatio, quam facit Sanctus Job de ſtatu Eccleſiæ finalis: nam inter alias miſerias, in quibus involventur tunc homines, hæc erit maxima, ſcilicet in ſapientibus, qui ob peccata erunt in tenebris quaſi ebrij involuti, & in profundo infidelitatis. *in Eccleſ.c. 12.& c.9.*

CAPUT XIII.

295. *Viri juſti humiliter, & fiducialiter in oratione aliquando aſſumunt perſonam diſputantis cum Deo.*

Sic etiam dicebat Sanctus Job: *Ad omnipotentem loquar*, & diſputare cum Deo cupio. *in Luc. c.14.v.31.*

296. *Machinantes mendaciis ædificia vana, & cultores falſorum dogmatum Deo ſunt exoſi.*

Unde Sanctus Job dicebat illis ſuis fictis amicis. *Vos eſtis fabricantes mendacia, & cultores falſorum dogmatum. in Sap. c.14.& c.10.*

297. Summus Pontifex repræſentans perſonam Chriſti debet ſectari, ſicut & omnes, qui in perſona ipſius Dei publicè aliquid agunt, quia Deus non indiget noſtris mendaciis, ut ait hic Sanctus Job. *l.4.d.20.p.2.q.6.* Advertant hoc Prædicatores, qui ſolùm vera debent populo enarrare.

298. *Fama mundana, & impiorum vanitas quanta.*

Memoria veſtra comparabitur cineri; & redigentur ad lutum cervices veſtræ. Nota, hoc dicitur iis, qui magnam famam in hoc mundo tanti æſtimant, & non virtutem, quia talis fama eſt pura vanitas, & eſt veluti omnis dies prætereuntis. *in Sap.cap.5. & in Eccleſ.c.2.*

299. Animæ dentes ſunt ſenſus interni, quibus afflictus lacerat ſeipſum: Unde Job dicebat in perſona impatientis hominis. *lacero dentibus carnes meas. in Ioan.coll.33.*

300. *Non debet homo amittere confidentiam in Deo ob quamcumque tentationem, & adverſitatem.*

Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Nota verba hæc ô ſerve Dei, figua myſteria, in quibus edocemur, quod adveniente quacumque tribulatione, vel adverſitate, vel ſubtractione conſolationis internæ, non eſt amittenda confidentia in Deo, ſed ſtrenuè operando, ſe totum Deo committere debet. *op. de perfect. religioſ. l. 2. c.1. & op. Incendium c.3.*

301. *Qui vult Deum experiri Salvatorem, arguat vias ſuas, & pœniteat.*

Verumtamen vias meas arguam, & ipſe erit Salvator meus. Nota, quod in his verbis Sanctus Job nos docet modum, quo à Deo remiſſionem, & ſalutem conſequi poſſumus, nempè vias noſtras arguendo per examen conſcientiæ, & contritionis; ſic ipſe Deus erit nobis Salvator abluens peccata, & conferens ſalutem. *Pſal. 118. cap. 8. v. 16.*

302. *I*

301. *In nominis Iesu virtute obtinetur remissio peccatorum, & salus Animæ.*

Verumtamen vias meas arguam, & ipse erit salvator meus. Quid est Salvator, nisi Iesus? hoc que est nomen, quod assumpsit filius Dei ob desponsationem nostræ salutis, & ad remissionem peccatorum. *in Luc.c.2.v.21.*

303. *Ab hypocrita longè est salus tanquam à Deo reprobato.*

Non veniet in conspectu meo hypocrita. Nota, quod hic adducit rationem, quarè eorum Deo arguit peccata, quia scit hypocritam, & fictum non esse in conspectu Dei per approbationem, sed reprobatum, & ab ipso longè esse salutem. *in Sap. c.5.& in Psal.118.c.11.v.8.*

304. *Qui non est conscius peccati mortalis in iudicio cum confidentia sua salutis apparebit coram Deo.*

Si iudicatus fuero, scio, quod iustus inveniar. Nota, quod hæc verba dicebat Iob ex peculiari revelatione: & hoc in persona sanctorum, quando apparebunt in iudicio coram Deo: eorum enim confidentia surget ex iustitia causæ suæ, ex sufficientia probationum per scriptum instrumentorum ex testibus, & fidelitate advocatorum, & ex amicitia Iudicis. *in Sap cap.5.* Nota etiam, quod hoc dicebatur in persona Christi, de quo Pilatus dixit, se non invenisse in eo causam adjudicandi eum ad mortem. *in Luc.c.23.v.4.*

305. *Magna consolatio hominis scire se habere rectum Iudicem.*

Si iudicatus fuero, scio quod iustus inveniar. Hæc autem dicebat, quia cum non esset conscius culpæ, & cognosceret rectitudinem Iudicis, confidebat constanter in sua conscientia. *in Luc. cap. 23. vers.4.*

306. *Manus dextera Dei consolatur: sinistra terret, & punit.*

Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat. Quam manum? dexteram, an sinistram? Sed note, quod in Sacra Scriptura manus Dei dextera significat effectum divinæ pietatis, distributionem gratiarum. Sinistra verò desolationem: hanc tanquam insuportabilem orabat, ut à se longè esset: Inteudebat igitur, à se removeri timorem servilem, quo formidine pœnæ Deo serviur, sed cupiebat filialem. *Psal.118. c.8. v.12. & in Luc.cap.4.v.34.*

307. *Homa quomodò dicitur folium, & arbor.*

Contra folium, quod vento rapitur ostendis potentiam tuam. Quid est folium hoc, de quo loquitur, & cui se comparat Sanctus Iob? Nota, quod homo dicitur arbor, & folium: arbor in sui conditione, sed folium in tentatione, quando cadit: Intendit igitur exponere Deo suam infirmitatem, & debilitatem, ut ipsum excitet ad pietatem. *Ps.1.*

308. *Peccatum est putredo Animæ auferens omne bonum spirituale.*

Qui quasi putredo consumendus sum, &c. Nota, quod Sanctus Iob induit personam peccatoris; & appellat peccatum putredinem: & meritò, quia sicut putredo in pomo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & saporem: Sic peccatum aufert Animæ decorem, & colorem vitæ, odorem famæ, valorē gratiæ, ac saporē gloriæ. *op.diat.tit.1.c.2.*

309. *Infelicitas corporis nostri post mortem exponitur.*

Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea. Cur Iob se appellat putredinem? nonne habebat Animam immortalem? Sed hic adspiciebat ad corpus, quod quidem est putredo, quia in putredinem post mortem convertitur, & quasi tineis, à serpentibus, & vermibus operitur ipsum comedentibus: quæ utilitas igitur in sanguine nostro, tam superbo, tam luxurioso, &c *fer.3. Dom.10.post Pentec.& fer.2. Dom. Palm. & Sap.cap. 5.*



CAPUT XIV.

310. *Hominis miseria multa, & horribiles exprimuntur à Beato Sancto Iob.*

Homo natus de muliere. (Ecce fragilitas vitæ humanæ trahentis originem de fragili muliere.) *Brevi vivens tempore* (ecce vitæ modicitas) *Repletur multis miseriis* (ecce vitæ calamitas) *qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra* (ecce vitæ nostræ vanitas) *& nunquam in eodem statu permanet* (ecce status varietas, motabilitas, cui vita nostra subjacet.) Quid ergo homo carnalis in hac vanissima vita gloriatur? quid de tanta varietate lætatis? Nonne vides, quod cum stent cælestia corpora, quatuor elementa, stant metalla, multaque alia, tu verò totus vanus ut ombra, velocior transis, vel herba? *fer.2. de Sancto Bartholomæo. & fer.1.de uno Sancto Martyre.*

311. *Idem confirmatur.*

Qui quasi flos, &c. Vide florem; qui cùm pulcher, & odorifetus sit, ad modicum ventum fit pestilens, & evanescit, odorem, & pulchritudinem perdens: Sic est mundana gloria. *fer.1.de uno Sācto Martyre.*

312. *Homo in hoc mundo est veluti in mari.*

Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis, &c. Vide hic continuum motum, transitum, & instabilitatem, quæ accidunt homini viventi in hoc mundo: Unde homo rectè dicitur vivere in mari magno. *Ps.64.& 69.*

313. *Homo ex nomine invitatur ad considerationem suæ miseriæ.*

Homo natus de muliere, &c. Nota nomen (*homo*) est enim ab humo, per quod invitatur ad considerationem propriæ miseriæ: Unde rectè addit: *repletur multis miseriis. in Luc.c.5.v.20. & c.6.v.6. & l.2.d.17.a.1.q.1.*

314. *Homo continuè moritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet.*

Homo natus de muliere brevi vivens tempore, &c. nunquam in eodem ſtatu permanet, &c. Quomodò dicitur homo nunquam in eodem ſtatu permanere? nonne idem eſt in nativitate, & in morte? Remanent enim (aiunt Philoſophi) eadem principia eſſentialia continentia hominem? Sed optime id dicitur, quia quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & cum creſcimus, vita decreſcit. *ſerm de animabus, & in Eccleſ.c.3.& c.9.& ſap.c.2. & 5. & 9.& l.3. d.3.p.1.a.3.q.1.fundam.4.*

315. *Homo eſt flos in mundo, & ſtercus in ſepulchro.*

Qui quaſi flos egreditur, & fugit velut umbra, &c. Cur flori comparatur homo plenus tot miſeriis? Optimè: Vide florem in cacumine arboris, qui præfert pulchritudinem, & odorem, & ecce ad impulſum venti, vel pruinæ cadit in ſtercore: Sic homo vivus videtur quaſi flos per gloriam, & lætitiam carnalem, ſed tamen adveniente morte cadit in ſepulchrum, & ſtercus fit per putrefactionem. *ſer.2.in Vigil.Nativit.*

316. *Stulti ſunt mundani, qui volunt umbra repleri.*

Et fugit velut umbra. Quomodò velut ombra? Si umbra eſt nihil, mundus eſt aliquid? O quàm benè dicitur velut umbra; quia verè mundus eſt umbræ ſimillimus, quia ſicut umbra aliquid eſſe videtur, ſed dum apprehenditur non ſentitur, nec manu tenetur: Sic mundus modò videtur aliquid, ſed totus vanus exiſtit: ergo ſtultiſſimi ſunt, qui volunt umbra fugiente repleri, & vento vaniſſimo ſatiari; & ideò mirum non eſt, ſi avari nunquam ſatiari poſſunt, & quantò plura acquirunt, tantò plura appetunt, & vacuos ſe magis inveniunt. *ſer.de Sanctis Petro,& Paulo.*

317. *Dies vitæ noſtræ exteriores tranſeunt: Interiores ſemper permanent.*

Et nunquam in eodem ſtatu permanet homo. Cur non permanet? Nota quod in homine ſunt dies exteriores, ſcilicet hujus temporis, & ſunt dies interiores, qui ſunt gradus vitæ ſpiritualis: illi non permanent, iſti permanent, & durant: per illos fit tranſitus ad ſepulchrum, per iſtos ad vitam æternam: illos ergo contemnamus, iſtos amemus, & ſectemur. *op.de dono tim.c.3.*

318. *Chriſtus Ieſus fuit flos pulcherrimus, ſed contritus in paſſione.*

Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, &c. Verum quidem quod hæ miſeriæ de homine in communi prædicantur, ſed tamen quia Chriſtus ultro voluit ſe exponere iſtis calamitatibus, ideò verè poteſt dici flos, qui egreſſus eſt ſine peccato conditus: flos Angelis delectabilis, & hominibus ad vitam perutilis: flos ex virga ſcilicet ex Beata Virgine egreſſus, ſed tamen in morte ab inimicis contritus. *op.ſpecul. B.Virg.lect.12.*

319. *Flos caſtitatis facit mundum de immundo conceptum ſemine?*

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Solus Deus: Tu, qui ſolus es? Sed quomodò? Attende ad antecedentia verba: *flos egreditur,& conteritur,&c.* Iſte flos eſt Chriſtus Ieſus, ut dictum eſt flos de flore, ſcilicet de Virgine exiens, & ideò in flore ſignificatur Virginitas, & caſtitas: hæc igitur facit, & reddit mundum de immundo conceptum ſemine, domeſticum de hoſte, Angelum de homine. *ſerm.2. Dom.infra octav. Nativit.*

320. *A Deo ſolo venit munditia Animæ & ab ipſo quærenda.*

Quis poteſt facere mundum de immundo, conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? ergo à ſolo Deo quærenda, & petenda eſt munditia, ſine quo omnia ſunt vana. *ſer.1.& 4. de Apoſtol. & in Luc. cap.5.verſ.12.& c.7.v.22.*

321. *Termini vitæ noſtræ ſunt conſtituti à Deo, nec poſſunt præteriri.*

Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt, &c. Ecce quod quantacumque arte, non poteſt præteriri terminus à Deo cuique noſtrom conſtitutus vitæ, & mortis. *In Eccleſ.c.3. & 8. & in Sap c.2.*

322. *Brevitas lætitiæ huius mundi nos debet excitare ad deſiderium æternæ vitæ.*

Breves dies hominis ſunt,&c. Hinc addiſce ô homo non confidere in hac vana lætitia, ſed ad æternam debes aſpicere, & ad eam totam mentis, & Animæ intentionem dirigere. *op ſolil.c.2.*

323. *Homo dum vivit in hoc mundo poteſt ſemper ſalutem acquirere.*

Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit. Quam ſpem habere poteſt lignum inſenſatum, & carens ratione? Nota, quod hic per lignum myſticè intelligitur homo, qui eſt arbor inverſa, & ſignificatur, quod ſicut lignum præciſum poteſt virtute humoris terræ vireſcere, & radices emittere: Sic & homo, ſi per peccatum mortale præciſum fuerit à Deo, debet ſpem in Deum habere, & ad ipſum confugere, ut dignetur ipſum irrigare humore divinæ gratiæ, & charitatis: ex quo patet, quod quouſque homo vivit, poteſt habere ſpem denuo vivendi, & ideò nunquam deſperare de ſalute ſua. *in Eccleſ.c.11.* Sic & Gloſſa.

324. *Homini lætitiam ingerit memoria reſurrectionis futuræ.*

Lignum habet ſpem, cum præciſum fuerit, rurſum vireſcit. Hoc lignum myſticè eſt homo, qui in morte præſcinditur à vita: ſed ſciens ſe debere reſurgere, ſpem, & fiduciam in Deum debet habere, & gaudere: hoc enim maximè ſublevat Animam in tribulatione poſitam. *in Luc. cap.21. verſ.30.*

325. *Post tribulationes venit consolatio.*

Lignum habet spem, cum præcisum fuerit, rursum virescit, &c. Ex his verbis homo in tribulatione positus debet per spem assequi in Deum, quia licèt separetur à consolationibus hujus vitæ, tamen postea sequitur consolatio, & virescit in gloria. *in Luc.c.21.v.30.*

326. *Resurrectio mortuorum solùm fiet in extremo tempore mundi.*

Homo, cùm dormierit, non resurget donec atteratur Cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo. Nota hic sacrum textum innuere resurrectionem, ipsamque futuram esse solùm in fine mundi; ait enim, (*donec atteratur Cælum.*) Sed quomodò atterendum est Cælum, si hoc est incorruptibile? attamen hic loquitur de Cælo aereo, quod per conflagrationem, & resolutionem omnium corporum mixtorum, mutabit suam figuram. *l.4.d.43.a.1.q.1.ad 1. & d.47.a.2.q.3.& in Luc. cap. 10.v.27. & c.21.v.33.*

327. *Iudicij intolerabilitas extremi, & horribilitas quanta.*

Quis mihi tribuat, ut in Inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus, &c. Quodnam est hoc, quod dicit Beatus Iob? ergone petit dejici in Infernum, donec pertranseat furor judicij? Ex hoc vide qualis erit horribilitas & intolerabilitas extremi judicij. *opusc. Comp.Theol lib.7.c.17.* Hinc dicebat Sanctus Ioannes Chrysostomus, quod qui sensu præditus est, & ratione, mallerit esse in Inferno, quàm iratam faciem judicis aditati videre.

328. *Iustorum consolatio est recordatio immortalitatis, ad quam post judicium transierit.*

Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. O felix expectatio, quæ maximè consolatur justos: expectant enim in tribulationibus positi immutationem ad statum immortalitatis. *in Luc.c.12.v.36.& in Psal.59.*

329. *Vocat nos Deus ad se multipliciter, præcipueque collatione beneficiorum.*

Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Quænam vocatio est hæc, de qua hic loquitur? & quid est, quod dicit, Deum porrecturum dexteram suam operi manuum suarum? ergo sibi ipsi porrigit manum? Sed nota, quod dicit operi manuum suarum, non autem summa opus manuum Dei, quibus porrigit dexteram per collationem beneficiorum: fecit enim Cælos, elementa, & tot creaturas in obsequium hominis, hisque muneribus Deus prævenit nos, ut collatis beneficiis quasi emissis vocibus ad se nos ducere studet: & sicut dicebat se velle respondere his vocibus; sic & nos respondemus, cum digna opera juxta percepta beneficia reddere studemus. *ser.1.Dom.8.post Pentec.*

330. *Vocat nos Deus, cum aliquid præcipit, ut per obedientiam respondeamus.*

Vocabis me, & ego respondebo tibi. Nota quod Deus, cum aliquid præcipit vocat, & cum per obedientiam ei obtemperatur, tunc respondetur Deo, & hinc porrigit dexteram suam adjuvando ad perseverantiam. *serm.1.Dom. septuages.*

331. *Deus in recondito judiciorum suorum velut in sacculo celat opera nostra, postea in judicio manifestanda.*

Signasti quasi in sacculo delicta mea. Quid est hoc? quomodò Deus obsignat in sacculo delicta? Sed hic loquitur metaphoricè, docens, quod Deus nunc tenet obsignata velut in sacculo judiciorum suorum nostra peccata, quæ postea manifestabuntur in judicio extremo. *In Eccles. c.9.* Vide ergo ô homo, quod quando peccas, tunc porrigis materiam Deo implendi sacculum tuorum delictorum, quæ licèt tunc non appareant, nec videantur saccus, veniet tamen tempus ipsum aperiendi, & deformitates ibi inclusas manifestandi mundo cum maxima tua confusione, & rubore.

332. *Qui peccato consentit, de alto in profundum cadit.*

Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo, &c. Ex hoc addisce ô homo, ne à peccati vinculis illaquearis: nam peccatum facit cadere de alto in profundum, & à loco suo, (qui est Deus) removet animam. *Sap.c.17.* sic & Glossa.

333. *Qui in Deo non lætatur, sed in creaturis luctum quærit in seipso.*

Anima illius super semetipso lugebit. Nota illam particulam, (*super semetipso*) nempe qui in se, & non in Deo gaudere quærit, ipse luctum quærit, quia à vera lætitia recedit. *in Ioan.collat.35.*Et ideò dignum est, ut in seipso homo mærores inveniat, qui in se gaudia, relicto creatore, quærebat. *lib.4. d.16.p.1.a.3.q.2.*

CAPUT XV.

334. *Spiritus malignus docet malitias: Spiritus Sanctus docet institias.*

Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. Hæc dicebat, falsò tamen, Eliphas amico suo Iob: sed tamen verificantur de spiritu maligno, qui docet malignitates, calumnias, & iniquitates: è contra Spiritus Sanctus docet justitias, bonitatem, & disciplinam, & scientiam: felix igitur ille Discipulus, qui in schola Spiritus Sancti instruitur: infelix, qui in schola Diaboli addiscit. *ser.4.Dom.3.post octav.Paschæ.*

335. Deus in tribulationibus facilè consolatur interius suos amicos: Unde hic; *Nunquid grande est, ut consoletur te Deus?* quasi diceret: non: quia Deus consolatur per inspirationem suos desolatos. *Psal.118.c.6.v.12.*

336. *Superbia ex corde gignitur, & exterius exit ad sublimia.*

Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Vide, quod superbia radicem trahit ex cogitatione cordis, & deinde erigere facit oculos ad sublimia magna cogitans. *in Luc. c. 9. v. 45. & c. 14. v. 11.*

337. *Cæli non sunt mundi, nec alia creatura in comparatione puritatis divinæ. ser. de Apostol.* Sola Beata Virgo *munda: cæteri omnes homines maculati; Cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Ergoone est impuritas in Cælis? oonne sunt formati ex pura luce, & impermixta? Sed nota, quod per Cælum hic intelligitur aëreum, cujus superior pars est quidem pura, nullis vaporibus terrenis perturbata: pars verò inferior est permixta vaporibus: Vnde per partem superiorem significatur Beata Virgo, quæ sola immunis ab omni culpa fuit: per inferiorem, cæteri homines significantur: sicut enim in hac aeris inferiori parte generantur tonitrua, coruscationes, fulgura, grandines, nives, & pluviæ: sic potentes tonant contra pauperes, eos malè tractando, & terrorem fulminando; sic & multi discordias, & tempestates cordium seminant, aliaque mala producunt. *sermon. 1. de Beata Virgine.*

338. *Homines in his terrenis cor figentes nunquam quiescunt.*

Sonitus terroris semper in auribus impij, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Vide quomodò viro impio cor figenti in his terrenis bonis, nunquam est pax, & quies, ob multas curas, quæ auferunt quietem. *in Eccles. cap. 5. & in Sapientia c. 17. in Luc. c. 18. v. 23.*

339. *Iusti in tribulationibus sublevantur: impij opprimuntur.*

Terrebit impium tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium. Vide quid operatur tribulatio, & angustia in impio: nam torquetur ab ipsa, & veluti vallatur, & suffocatur: Non sic justus, qui præmitur quidem, sed simul sublevatur, & superat eam. *Psalm. 118. c. 9. v. 15.*

340. *Homo ex malitia contra Deum peccans, & præcipuè blasphemus, inhonorat specia li modo Trinitatem, & ad impænitentiam reducitur.*

Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Quis est tam impios, qui contra Deum se armet? Sed nota, quod hoc præcipuè dicitur de homine blasphemo, & de peccante ex malitia contra Deum: Iste enim scienter impugnat veritatem salutarem, & contemnit divinam voluntatem, & persequitur divinam bonitatem, sicque iohonorat totam Trinitatem: & quia talis contemptus non potest esse sine cordis obduratione, hinc, & impœnitentia, & irremissibilitas consequitur. *in Luc. c. 12. v. 10.*

341. *Qui quærit gloriam suam in hoc mundo maximè superbus, & inimicus est Dei & fur eiusdem gloriæ.*

Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Quis ille, qui contra Deum currit, & armatur? est qui contra Dei gloriam armatur, gloriam propriam quærens in hoc mundo, isteque verè inimicus Dei est, & superbus, & à Deo punitur. *in Luc. c. 19. v. 27. & c. 18. vers. 5. & in Ioan. c. 15. v. 8. & collat. 19.* Nota quod dicitur talis superbus armatus contra Deum, quia quærit furari, & rapere Deo suam gloriam.

342. *Impius moritur ante tempus sibi præfixum, & impeditur, ne operetur bonum.*

Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius arescent. Quomodò perit ante tempus suum? Si hoc tempus ei à Deo præfixum fuerat, quomodò divina ordinatio impeditur ab executione? Respondet Sanctus Gregorius, quod impius perit ante tempus, quod sibi præfixerat: vel quia ob peccata vita ejus abbreviatur, & ideò manus ejus arescunt ad benè operandum, & impediuntur: D. Gregor. *hic: & in Luc. c. 6. v. 11.*

343. *Immisericordes moriuntur ante tempus suum.*

Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius arescent. Nota, quod spiritualiter habet manum aridam, qui immisericors est in pauperes, & senex ad largiendum, ideò dies vitæ istis crudelibus abbreviantur. *in Luc. c. 6. v. 11.*

344. *Negligentes in executione inspirationum, & boni propositi puniuntur ante tempus sibi præfixum.*

Antequam dies eius impleantur, peribit, lædetur quasi vinea in flore primo botrus eius. Nota, quod per florem intelligitur bonum desiderium, & bona voluntas agendi pœnitentiam: sed cur aufertur tempus exequendi bonum propositum à Deo? Sed loquitur de prægnantibus, & nunquam ad partum devenientibus: nempe de iis, qui cum bono proposito permanent in iniquitate: Istis enim à Deo aufertur tempus executionis: & in istis hoc bonum propositum facile arescit ob advenientem persecutionem, adversitatem, vel malum exemplum: Væ igitur prægnantibus istis. *in Luc. cap. 21. vers. 23.*

345. *Deficiente igne charitatis interiori, ad exteriorem iniquitatis facilè curritur maximè à Iudicibus.*

Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera accipiunt libenter. Ecce quid facit vitium cupiditatis, maximè in Iudicibus, in quibus deficit ignis charitatis: nam isti, quia torpent frigore, ad ignem exteriorem iniquitatum currunt, nempe ad temporalis commodi solatium: tamen est ignis devorans, & exterminans, & inducens ad omne malum. *in Luc. c. 21. vers. 55.*

346. *Invidus concipit in se omne malum, & peperit iniquitates.*

Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus eius praeparat dolores. Nota hæc verba de hypocrita, & invido:concipit dolorem, & parit iniquitatem, scilicet concipit dolorem judicij temeratij,odij, & livoris, & parit iniquitatem murmurando, & detrahendo: & ultra hæc uterus eius præparat semper dolores:ô grande malum invidia. *in Luc.c.7.v.39.*



CAPVT XVI.

347. *Vera charitas reddit bonum pro malo.*

Vtinam esset Anima vestra pro Anima mea,consolarer, & ego vos sermonibus. Quid est, quod cupit hic Iob:desiderare videtur, ut sui amici torquerentur eodem modo, quo Deus ipsum probaverat? nonne hoc est desiderare malum proximo? Respondet hic Vgo, quod desiderabat, non malum, sed consequens ad malum, nempè scientiam compatiendi afflictis: Vnde voluntatem bonam eos consolandi prompte ostendit, si in consimili necessitate incidissent. *Psal.118.s.5.v.12.*

348. *Sermones, & verba sacra efficacia sunt ad consolandum afflictos.*

Consolarer & ego vos sermonibus,&c. Quibusnam sermonibus? nempè verbis divinis: nam sermo,& verba Dei efficacia sunt ad consolandum à tristitijs interioribus cordium.*in Ioan.collat.76.*

349. *Turpitudo hypocritarum expenditur,item & falsiloquorum.*

Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Hoc dicebat Iob de suis fictis amicis, eosque appellat rugas, ob duplicitatem, ut ostendat qualis sit turpitudo, & ignominia hypocritarum, & falsiloquorum, qui bonum ostendunt exterius,& malum interius intendunt: qui se exterius fingunt quod non sunt, isti sunt rugosi, & duplices, ignominiosique apud Deum. *serm. 2. Dom. infra octavam Ascensionis.*

350 *Mendacium Prælatorum, & Religiosorum in operibus quam ignominiosum Ecclesiæ.*

Rugæ meæ testimonium contra me dicunt. Nota, hæc dici possunt ab Ecclesia sancta de suis Prælatis, & Religiosis, qui rugosi,& turpes apparent, & mendaces, dum profitentur se esse sacerdotes, vel clericos, vel religiosos, vel Prælatos, & contraria suæ professioni operantur. *serm.2. Dom.infra oct.Ascens.*

351. *Anima non potest esse Christi sponsa, si rugosa in facie appareat.*

Rugæ meæ testimonium contra me dicunt. Nota, quod sicut facies pulchra, & ornata est gloria sponsæ apud sponsum:sic facies rugosa est et ignominia: Anima ergo, quæ in facie conscientiæ rugam habuerit, scilicet exterius demonstrando virtutem, & interius conservando malitiam, vel difformes operationes exercens à professione christiana, sponsa Christi non erit. *serm. 2.Dom. infra oct Ascens.*

352. *Contradicens verbo Dei, & Christo concionanti per os Prædicatoris falsiloquus, & Pharisæorum morum imitator est.*

Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi. Hoc dicebat Iob de suis fictis amicis: Hoc & poterat dicere Christus de Pharisæis, idem & nunc dici potest de ijs, qui contradicunt sermonibus divinis. *serm. 1.Dom.infra octavam Nativitatis.*

353. *Diabolus maximam persecutionem excitat aliquando in Ecclesiam per sapientes sæculi.*

Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Nota, quod iste hostis Ecclesiæ est Diabolus, qui sapientes, & Prælatos, & sacerdotes malos significatos per oculos excitat contra Ecclesiam. *in Thren.cap 4.*

354. *Iusti os apertum habent ad divinam laudem: impij ad blasphemandum Deum, & detrahendum proximo.*

Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Vide discrimen justorum, & impiorum: nam illi os apertum habent ad Deum laudandum: Isti ad exprobrandum, blasphemandum Deum,& detrahendum proximo.*in Luc.c.1.v.29.*

355. *Christus voluit iniurias,opprobria,& alapas sustinere ad nostram salutem, & exemplum.*

Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam,&c. Nota, hæc dicta sunt in persona Christi qui voluit hæc opprobria sustinere ad nostram salutem: Voluit enim consp[u]i, ut nos lavaret, velari, ut velamen ignorantiæ à cordibus nostris auferretur: voluit in capite percuti, ut caput nostrum restitueret sanctitati:alapis cædi, & verbis derideri,ut nos ei labijs, & manibus, idest operibus applaudamus.*in Luc.c.22.v.64.*

356. Christus voluit in die Palmarum exaltari, & publicè laudari, ut ignominia passionis sequentis esset gravior ex magnitudine gloriæ suæ: In huius veritatis signum dixit Iob: *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum, &c. in Luc.c.19.v.20.*De quo elicitur quod sicut opposita juxta se posita, magis elucescunt,sic talia opposita in Christo ad majorem ignominiam & pœnam inservierunt.

357. *Gaudium mundi citissimè transit: ob id contemnendum.*

Ego ille quondam opulentus,repentè contritus sum, &c. Vide ex hoc quam vanum sit gaudium huius mundi, & quomodò citissimè transit,ideo est contemnendum: qui vult enim ad gloriam Cœlorum ascendere, debet per famam, & infamiam transire cum Christo.*in Luc.c.19.v.40.*

358. *Chriſtus vulnera ſuper vulnera tulit in corpore ſuo ad maiorem pœnam.*

Concidit me vulnere ſuper vulnus, &c. Nota, hæc dicuntur in perſona Chriſti, qui vulnera ſuper vulnera tulit in ſuo ſacro corpore, quando clavis confoſſus eſt, & perforatus. *in Ioan. c. 2. v. 19. & op. meditat. vita Chriſti c. 86.*

359. *Lachrymarum effuſio eſt tributum debitum naturæ in tribulatione exiſtenti, vel debitum contritioni peccatorum noſtrorum.*

Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. Quomodò vir iuſtus, & cum Dei voluntate compoſitus finit naturam in tantam lachrymarum effuſionem ſe diffundere, ut oculi eius caligare conentur? ſed id non eſt mirum, quia lachrymæ ſunt tributum debitum naturæ in tribulatione poſitæ etiam viris iuſtis, vel pro ſe, vel pro compaſſione proximi, quod & ſanctus Auguſtinus fatetur etiam de ſeipſo: Nota etiam, quod multo magis ſunt effectus contritionis internæ peccatorum, ut legitur de pluribus ſanctis, qui oculorum aciem ob ipſas perdiderunt. *in Thren. c. 2. & ſerm. 1. Dom. 9. poſt Pentecoſt.* Sic de ſancto Patre noſtro Franciſco legitur, ob fletum nimirum viſum ferè totaliter perdidiſſe.

360. *Chriſtus pro nobis flevit, ut nos ad fletum invitaret.*

Facies mea intumuit à fletu. Nota, hæc dici in perſona Chriſti, qui pluries, & præcipuè in Cruce pro nobis flevit, ut & nos pro nobis ipſis, & compaſſione ſuæ paſſionis fleremus. *ſerm. 1. Dom. 9. poſt Pentecoſt.*

361. *Vir iuſtus flet, non tantum pro ſe, ſed & pro miſeria corporali, & ſpirituali proximi.*

Facies mea intumuit à fletu. Cur in lachrymas tam largiter effundit ſe vir iuſtus, cum eſſet tam compoſitus cum divina voluntate? flebat Iob pro ſe quidem, ſed magis pro miſerijs aliorum, quos videbat tribulatione, vel peccatis oppreſſos: ſic enim iuſtus ad imitationem Chriſti compatitur flendo, non ſolum proximo poſito in tribulatione, ſed magis pro miſeria ſpirituali Animarũ à peccatis obrutarum, & ob damnationem tot miſerorum, quos videt in peccatis obcæcatos. *ſerm. 3. Dom. 9. poſt Pentecoſt.*

362. *Prima vox hominis in nativitate eſt fletus veluti prophetantis ſuas miſerias futuras.*

Facies mea contumuit à fletu. Et quando incœpit Iob hunc fletum cum lachrymarum effuſione? Incœpit ab ortu ſuo ſicuti omnis homo: nam primam vocem emittit quilibet à fletu veluti prophetans ſuas futuras miſerias in hac miſeriarum valle. *ſerm. 1. Dom. 9. poſt Pentecoſt.*

363. *Ad patiendum alij ſunt martyres Chriſti: alij Diaboli.*

Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ: cum haberem ad Deum mundas preces. Nota illam particulam (*abſque iniquitate*): Nam aliqui patiuntur iuſtè abſque demerito, & culpa, ſed tamen meritoriè, quia pro Chriſto libenter tolerant pœnas, ut patet in martyribus: Alij patiuntur ob culpam, & ſimul meritoriè, quia pro peccatis ſuis libenter ſuſtinent pœnas, ſic concurrit cauſa cum iuſtitia, & rectitudine voluntatis, ut evenit in omnibus pœnitentibus: Alij pro culpa, & ſine merito, & ob id ſine iuſta cauſa, ſcilicet ſine fine ſupernaturali patiuntur, & iſti ſunt martyres Diaboli. *ſerm. 2. de pluribus martyribus.*

364. *Chriſtus effudit ſanguinem ſuum, ut clamaret ad Patrem pro nobis.*

Terra, ne operias ſanguinem meum, nec in te inveniat locum latendi clamor meus. Nota hic quod metaphoricè loquitur ſanctus Iob in perſona Chriſti, qui fundens ſanguinem ardenter deſiderabat, ut eius fructus non eſſet irritus, & clamor meritorum eius aſcenderet ad Patrem pro Eccleſia. *in Luc. cap. 22. v. 44. & ſerm. 2. in Paraſceve.* Dicitur igitur, *terra*, ideſt homo, ne operias, ne obliviſcaris ſanguinis mei, ſed attende ad eius vocem, quæ clamat ad Patrem miſericordiam, & invocat à te compaſſionem, & pœnitentiam.

365. *Sanguis Chriſti pro pœnitentibus clamat miſericordiam: pro impijs, & obſtinatis clamat vindictam.*

Terra, ne operias ſanguinem meum, nec inveniat in te locum latendi clamor meus. Cur Iob petit, ut ſanguis eius non operiatur à terra? ſed nota, quod loquitur ad peccatores, qui ſunt de terra: & hoc in perſona Chriſti, qui petit, ne à terrenis cupiditatibus impediatur virtus ſui ſanguinis: nam pro pœnitentibus clamat miſericordiam, pro obſtinatis vindictam, & ob id in iudicio ſalvabit electos, & confundet reprobos. *ſerm. 1. Dom. paſſionis*

366. *Vitæ brevitas, mortis certitudo, temporis incertitudo debet excitare nos ad opera bona.*

Ecce enim breves anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non revertar ambulo. Vide, quibus motivis Iob ſe excitabat ad bona opera: nempè vitæ brevitas, certitudo mortis, incertitudo temporis ipſum provocabant ad benè operandum: Hæc eadem in mente & nos habere ſemper debemus. *in Ioan. c. 9. v. 5. & c. 16. v. 22.*



CAPVT XVII.

367. *Iuſti Deum amantes, inhiantes ad beatitudinem deſiderant finem huius vitæ.*

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & ſolũ mihi ſupereſt ſepulchrum. Vide, quod ſanctus Iob conſolabatur interius videns, quod ſpiritus, ſcilicet vita eius attenuabatur, & quod citò mori deberet adſpirans ſolum ad ingrediendum in ſepulchrum: ſed quarè ad ſepulchrum inhiat, & non potius ad gloriam? Imo ad gloriam: nam adſpirabat, & inhiabat non ad ſepulchrum terræ, ſed Cœli, in quo Animæ beatificantur: quaſi diceret: Vtinam

Vtinam dies hoius temporis cito finiantur, ut veniam ad sepulchrum, quod mihi superest solum ad meæ gratiæ complementum: & meritò: quis enim ad introitum talis sepulchri non gaudeat? ô sepulchrum beatum, quarè te non quærimus, quarè te non appetimus, quarè pro te obtinendo bona nostra omnia non tradimus? *ser. 1. de sancto Iacobo.*

368. *Pœna sine culpa aliqua solum in Christo fuit: in cæteris verò cum culpa, à qua est inseparabilis pœna.*

Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Quomodò poterat hoc dicere Beatus Iob? nonne aliqua culpa aliquando inquinatus fuerat? sed attende, quod hæc propriè solum dicuntur de Christo, qui fuit sine omni culpa in se, licet culpa fuerit in homine, pro quo assumpsit pœnas: In cæteris verò hominibus est semper ex culpa, vel præsente, quoad reatum culpæ, & pœnæ, ut in damnatis: vel quoad reatum pœnæ ex culpa jam remissa, ut in pœnitentibus, & Animabus purgantibus, vel quoad culpam jam præteritam, scilicet originalem, vel venialem: Hinc patet, quod culpa non potest separari à pœna aliqua. *l. 2. d. 36. a. 1. q. 2. & in Eccles. c. 7.*

369. *Huius vitæ contemptus acquiritur ex recordatione afflictionum, quibus est plena.*

Et in amaritudinibus moratur oculus meus. Quomodò oculus, & non potius Anima, dicitur morari in amaritudinibus? Dicitur oculus scilicet mentis, nam vir justus, ut ad contemptum huius miserabilis vitæ inducatur, frequenter meditatur amaritudines, quibus ubique scatet. *in Thren. c. 1.*

370. *Qui cum Deo ambulat, & vivit nihil timet.*

Libera me. Et quomodo vult liberationem à tot malis? Subdit: *pone me iuxta te: & cuiusvis manus pugnet contra me:* Ecce unde oritur fortitudo animi scilicet ea præsentia Dei: hæc enim animum invictum contra quameumque potentiam facit. *serm. 6. de Apostol. & in Luc. c. 5. v. 19. & c. 6. v. 8.*

371. *Christus, ut magister exemplum se ipsum imitandum nobis proposuit.*

Exemplum sum coram eis. Nota Iob erat Princeps, & caput populorum, & ut tale dicit positum fuisse à Deo in exemplum aliorum: sed hæc dicta sunt in persona Christi, quia enim religionis summa est imitari, quem colimus: hinc se ipsum proposuit exemplum omnium virtutum, scilicet laboriosæ operationis, patientiæ, charitatisque, ut ad ipsius exemplaris imitationem nos conformemus. *in Ioan. collation. 61.*

372. *Mali in Religiosibus contemnunt exempla, & instituta maiorum, & alys sunt exemplar perditionis.*

Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum sum coram eis. Quid est in proverbium vulgi, nisi contemptus exemplorum, & regulatum Patrum sanctorum, & per vitam pessimam exemplum esse alijs perditionis? Tales sunt, qui in Religiosibus, abjectis Patrum, & regulæ institutis, huic sæculo se conformant, & sunt posteris in exemplum culpæ, ideo erunt etiam pœnæ. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 2.*

373. *Deus posuit in Ecclesia Religiosos, ut sint in exemplum virtutis sæcularibus.*

Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum sum coram eis. Nota, quod de se ipso hoc dicebat Iob tanquam persona peculiariter Deo consecrata: Ideo idem dici debet de Religiosis: hos enim posuit veluti in proverbium, scilicet in exemplum patens sæcularibus, ut secundum ipsorum imitationem, mores pravos corrigant, & contemptis terrenis, cœlestia appetant, & acquirant: Væ igitur illis, qui se exemplar perditionis exhibent. *op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 2.*

374. *Boni ex operibus sublimibus sanctorum in stuporem evehuntur, & mali in confusionem.*

Stupebunt iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur. Nota, quod stupor est propriè justorum, dum vident mirabilia patrati à sanctis, & à Christo: stupent enim, & ex hoc magnificant Deum: mali è contra in confusionem inducuntur. *in Luc. c. 5. v. 26.*

375. *Iusti ex oppositione malorum non deserunt viam rectam, sed permanent, & perseverant.*

Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. Vide quomodò cognoscatur, quis sit in servitio Dei stabilis, & quis infidus: nam justi ex quacumque oppositione, & adversitate non delinquunt vias Dei, scilicet viam cognitionis in fide, & affectionis in charitate, sed perseverant, imo fortiores fiunt: Infidi è contra statim deserunt viam bonam, quam arripuerunt. *in Luc. c. 1. v. 76. sic & Vgo hic.*

376. *Iudicans temerariè reprehenditur: & quid exigitur in iudice recto.*

Igitur omnes vos convertimini, & venite, & non inveniam in vobis ullum sapientem. Quid prætendebat Iob in his verbis, dum protestatur, quod in suis amicis non inveniebatur ullus sapiens? sed nota, quod verus sapiens judex judicat cum maturitate, & æquitate: Isti autem sic arguebant: Deus justum non punit, te autem punit, ergo non es justus: Iob autem intendit in his verbis eos declarare insipientes, & confundere, eo quod intrabant in secreta cordis, & temerariè judicabant, quod nesciebant: Iudex autem rectus debet habere notitiæ claritatem, & in judicio rectitudinis æquitatem *serm. 1. Hexaem. & in Luc. c. 6. v. 10.*

377. *Cogitationes cordis sanctæ ignem accendunt, & conservant amoris Dei: malæ autem, & perversæ extinguunt omne bonum, & omne malum afferunt.*

Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, noctem verterunt in diem, &c. Nota, quod hæc dicuntur à Beato Iob mysticè in persona malorum, qui sinunt occupari sibi cor vanis, & immundis cogitationibus, explicatque earum pessimos

mos affectus: ficut enim cogitationes, & meditationes ſanctæ faciunt, ut Deus cor incaleſcat, ignis dominicus exardeſcat in eo, & augmentetur: è contra cogitationes malæ diſſipationem bonorum faciunt, & ad modum aquæ ignem devotionis extingunnt, & cor inſuper cogitantis affligunt: Vnde quidam ſanctus Pater quandiu in ſanctis cogitationibus ſe exercuit, & per amorem in Deum exarcit, alimentum è Cœlis à Deo concepit, ei enim panis mundiſſimus quotidie mittebatur miniſterio Angelorum: Cumque aliquando ſola immonda cogitaret, panis totus niger, & ſordidus apparuit, & ultra à Deo non eſt miſſus *ferm. s. de ſancto Laurentio*. Vide igitur effectus cogitationum ſanctarum, & malarum in Anima.

378. *Iracundia diſſipat omnes cogitationes bonas cordis, & ipſum torquet.*

Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum, &c. Cur diſſipatæ: & à quo: quodnam eſt vitium cor hominis? Reſp. quod inter omnia vitia homini adverſantia, Iracundia maximè torquet, & cruciat cor: & ideo Iob induit perſonam hominis ad iracundiam ob contrarietates commoti, datque intelligere, quod iracundia eſt vermis diſſipans omnes bonas cogitationes cordis, ipſumque valdè torquens, & affligens *in Luc. c. 9. v. 40.*

379. *Iuſti è vita decedentes, ad Lymbum mittebantur, & ibi detinebantur.*

Vnde Beatus Iob dicebat *In tenebris ſtravi lectulum meum: Infernus domus mea eſt*: quia ſciebat portam Paradiſi clauſam eſſe, & quod in Lymbo omnes juſti ibi detineri cogebantur uſque ad reſurrectionem Chriſti. *l. 4. d. 45. a. 1. q. 1.*

380. *Poſt mortem quales miſeria inſint corpori noſtro.*

Putredini dixi Pater meus es: mater mea, & ſoror mea vermibus, &c. Vide ad quam miſeriam redigatur corpus noſtrum, quod nunc pulchris veſtibus, & tot delicijs nutritur, in ſepulchro putredine conſumetur, & vermibus operietur. *ferm. 1. fer. 4. Paſche.*

381. *Chriſtus ad qualē Infernum deſcenderit.*

In profundiſſimum Infernum deſcendent omnia mea, &c. Nota, hæc dicta eſſe in perſona Chriſti: ſed ad quemnam Infernum deſcendit? forſan ad illum damnatorum, iſte enim eſt omnium profundiſſimus? minimè: ſed tantum ad lymbum ſanctorum Patrum: Dicitur autem profundiſſimus, non in ordine ad alios, ſcilicet ad illum, in quo damnati puniuntur pœna damni, & ſenſus, & ad Purgatorium: eſt enim ſuperior his: ſed reſpectu aeris caliginoſi, qui dicitur Infernus præſens Dæmonum, & reſpectu ſuperficiei terræ, quæ eſt profundior; Lymbus vero reſpectu iſtorum dicitur profundiſſimus. *l. 3. d. 22. a. 1. q. 5. ad 1. & in Eccleſ. c. 9.*

382. *Profundum Inferni eſt ſepultura Parochianorum Diaboli: Cœlum eſt ſepulchrum Parochianorum Chriſti.*

In profundiſſimum Infernum deſcendent omnia mea. Quomodò omnia mea? ſi loquitur de lymbo, certum eſt, quod tantum Anima ibi erat deſcenſura, & non corpus: quomodò dicit omnia mea? ſed attende, quod loquitur in perſona præſcitorum, quorum omnia, ſcilicet Anima, & corpus ſepelienda ſunt in profundiſſimum Infernum, ſcilicet in foveam valdè profundam Inferni, quæ eſt ſepultura Parochianorum Diaboli: ſicut è contra Parochiani Chriſti ſepeliendi ſunt in Empireo. *Eccleſ. cap. 9.*

CAPVT XVIII.

383. *Impatiens videtur inſanus, & ut Animal irrationale perdit Animam ſuam.*

Quarè reputati ſumus ut iumenta, & ſorduimus coram vobis? qui perdis Animam tuam in furore tuo. Nota, iſti amici Iob conqueruntur, quod Iob eos exiſtimaverit, & tractaverit ut jumenta: & poſtea par pari referunt, dicentes, quod ob furorem ipſe Iob perdiderit Animam ſuam: ex quibus verbis patet, quam ſit verum, quod impatiens & furioſus, qui vult ad quamlibet moleſtiam ſibi illatam recalcitrare, & rependere vicem, jumentum, & non homo debet reputari, eo quod non regitur diſcretione rationis, ſed beſtiali motu ſenſualitatis, & propter hoc aliquando ſordetur cognitionis malignitate, & judicij temeritate in corde, opprobrij convitioſitate in ore, maleficij crudelitate in opere, & tunc in furore perdit Animam ſuam: hæc verificata ſunt de amicis Iob, non de ipſo Iob *ferm. 2. Dom. 19. poſt Pentecoſt.*

384. *In Inferno eſt ignis tenebroſus.*

Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? Ergone lux deficiet in igne, in quo cruciabuntur impij in Inferno? nonne lux eſt quid eſſentiale in igne? ſed Reſp. quod lux quidem eſt connexa cum igne, ſed tamen cum majori vel minori actualitate, ſecundum diverſam materiam, in qua eſt: nam cum inſit in materia terreſtri ſulphurea, & cum pice, tunc ignis potius eſt tenebroſus, & talis erit in Inferno ad majorem cruciatum damnatorum. *l. 4. d. 44. p. 2. a. 2. q. 1. ad 3.*

385. *Ignis concupiſcentiæ à Diabolo excitatur, & infert obſcuritatem, & frigiditatem Animæ.*

Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? Vide infelicem ſtatum impiorum, quibus cum deficiat ignis interior charitatis, & gratiæ, ad ignem concupiſcentiæ ſe conferunt, quo igne magis infrigidantur in Anima rerum ſpiritualium amore, & plus accenduntur in vitiorum fervore, ſimolque obtenebrantur in Anima: ô ignis infernalis, quot mala affert Animæ: Ignis iſte eſt, quem habitu ſuo Diabolus ardere facit. *in Ioan. collat. 80.*

386. *Operant ſinè recta intentione in tenebras ruit.*

Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, ſcilicet impij, & lucerna, quæ eſt ſuper eum extinguetur. Quomodò

modò lux in tenebram converti potest? Vel potest obtenebrari, si ejus proprium est illuminare, unde vel lux non est, vel semper illuminat? Item quænam lucerna est ista, quæ est super impium, quæ extinguetur? Nota, hic, textum Sacrum loqui metaphoricè: nam lux stat pro intentione Animæ, quæ si est recta, & ad Deum ordinata, illuminat intellectum: si est mala, tunc non illuminat, imò potius obscurat mentem, & suffocat, & perdit omne bonum. *in Luc. cap.11.v.34.*

387. *Gaudium carnale evanescit, & in tristitiam terminat.*

Et lucerna, quæ est super eum extinguetur. Quænam est hæc lucerna super impium? nihil aliud, nisi gaudium carnale occupans Animam impij: hoc evanescit, & facile extinguitur, & in tristitiam convertitur *Psal. 51.*

388. *Antichristi potentia à Deo comprimetur: Idem & dicendum de impiis suis sequacibus.*

Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum. Nota hæc propriè verificabuntur de Antichristo, cujus potestas à Deo opprimetur, & ipsum præcipitabit Deus in Infernum. Idem & dic de ejus sequacibus. *in Eccles. cap. 10.*

389. *Qui tentationi consentit cadit in rete, & capitur à Diabolo, ne possit exire pro libito.*

Immisit in rete pedes suos. Quis est iste captus in rete? loquitur de impio, qui in tentationis rete se injicit, quando consentit peccato, & ita capitur à Diabolo, quod non potest fugere, quando voluerit: non enim absque brachio divinæ gratiæ potest se liberare à tali rete. *in Ioan. c.21.v.8.* Item voluptas carnalis est rete Diaboli. *in Ioan. ibidem.*

390. *Peccata sunt laquei, quibus Diabolus ducit ad Infernum.*

Tenebitur planta ejus laqueo &c. Loquitur hic de impio, qui in peccatum incidit, & advertit, quod tenebitur ejus planta: A quanam virtute? A Diabolo: nam qui non vult à Deo teneri, ejusque vocationibus obtemperare, à Diabolo tenetur laqueis avaritiæ, invidiæ, & aliorum vitiorum, & his laqueis ducitur ad Infernum. *ferm. 2.Dom.19.post Pentecost.*

391. *Idem confirmatur.*

Immisit in rete pedes suos: tenebitur planta ejus laqueo. O quàm benè hic explicatur infelicitas peccatoris: nam sicut piscis in retibus, se agitando, se plus involuit, & avis plus ambulans per virgam viscosam fortius se capit: ita peccator magis à Deo elógatur, quò in peccatis se involuit, & strictius involvitur à Diabolo. *op. Diat.tit.1.c.2.*

392. *Peccator peccando sub specie boni incidit in laqueos Diaboli.*

Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam. Vide quomodò peccator incidit in laqueos Diaboli: nam sub specie commodi appetit bonum, & Diabolus abscondit sub illa specie laqueos: sicque peccans videt quid concupiscit, sed non videt in quo culpæ laqueo pedem ponat: *Sic D. Gregorius hic.* Unde verum est quod nemo intendens malum, malum operatur, sed semper intendit aliquod bonum, sub quo venenum, & mors latet. *ferm. 2. fer. 4. Pentecost, & ferm.4. Dom. 11. post Pentecost.*

393. *Anima ad temporalia bona inhians, fame attenuatur, & moritur: Ad spiritualia se applicans dulcedine cœlesti cibatur.*

Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas ejus. Nota, quod hæc verba dicuntur de eo, qui se decipi sinit à Diabolo; datque Sacer textus intelligere, quod cum homo ex Anima rationali habeat in perpetuum vivere, & tamen Anima iniqui attenuatur fame, & inedia deficit, quia relicto pabulo internæ refectionis bonorum spiritualium, ad exteriora diffluit spretis æternis: E contra vir spiritualis ad bona cœlestia se applicans, partem omne delectamentum habentem invenit, nempe Christum Jesum. *op. de septem Itiner. ater nit Itiner.6.d.6.*

394. *Paupertas materialis, alijs est in meritum, alijs in demeritum.*

Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas ejus. Loquitur hic de paupere impio, qui cum impatientia, & cum desiderio rerum alienarum, & furandi, patitur miserias paupertatis, quæ isti sunt in damnationis occasionem: E contra in tolerante eum patientia, paupertas est illi meritoria. *opusc. Apolog. paup. respons. 4. cap. 3.*

395. *Avari, & cupidi fame continua, & inedia torquentur.*

Attenuetur fame &c. Nota hic est cupidus, & avarus, qui semper crociatum culpabilem habet annexum suæ cupiditati, nempè & inediæ corporalis, & magis spiritualis nequitiæ per insatiabilem avaritiæ voracitatem. *op. Apol. paup. respons. 4. c. 3.*

396. *Superbia omnia bona destruit.*

Consumat brachia illius primogenita mors. Quænam est hæc mors primogenita? mors primogenita est superbia, primogenita peccati vel Diaboli: hæc enim si intrat in Animam, omnia bona consumit. *op. Diat. tit. 1. c. 3.*

397. *Omne peccatum est mors Animæ ipsam subjiciens Diabolo.*

Consumat brachia illius primogenita mors. Quid est primogenita mors? forsan reperitur secundogenita? Nota, quod duplex est mors: Alia primogenita, estque mors culpæ, & peccati: Alia secundogenita, estque mors materialis pœnæ: Prima est amarissima, & horrenda, & terribilis, quia est opprobriosa subjiciena Animam: hanc

timere debemus ſuper omnia mala. *in Ioan. collat.52.*

398. *Repentinus interitus & temporalis, & ſpiritualis advenit ei, qui fiduciam ſuam non in Deo, ſed in ſua potentia, & rebus caducis confidit.*

Unde hic dicitur: *Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus, & calcet ſuper eum quaſi rex, interitus*: Hoc præcipuè dicitur de impiis tyrannidem exercentibus in alios, ſuper quos Diabolus calcat, & inducit interitum. *In ſap. c. 16. & S. Gregor. hic.*

399. *Peccatum quomodò nihil eſt, & in nihil redigit peccatorem faciens eum ſocium Diaboli.*

Habitent in tabernaculo ejus ſocij ejus, qui non eſt. Quis ille, qui non eſt? ſi habet ſocios, ergo eſt aliquid, & ſi loquitur de impiis, certum eſt ipſos eſſe aliquid? Nota, quod peccatores ſunt ſocij Diaboli, qui dicitur non eſſe, non quoad naturam, ſed quoad benè eſſe gratiæ, quia à ſumma eſſentia, & veritate receſſit, & quia peccatum eſt defectus, & privatio, ideò peccans fit ſocius Diaboli, & in nihilum gratiæ redigitur. *in Ioan.c.1.v.3.*

400. *Non ſolùm ſubſtantia quoad benè eſſe, ſed quoad nomen, & famam impiorum tranſit in nihilum.*

Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis. Vide quomodò peccator Deum offendens in nihilum redigitur, non ſolùm in ſubſtantia, quoad benè eſſe, ſed quoad famam; nam ejus memoria nominis deperditur, & ſi conſervatur, id eſt ad ejus vituperationem. *in Sap.c.2.*

401. *Horror invadit impios tempore mortis.*

In die ejus ſtupebunt noviſſimi, & primos invadet horror. Ecce quid contingit impiis in fine ſuæ vitæ: horror nempè, & tremor, & phantaſmata terribilia. *in Sap.c.17.*



CAPUT XIX.

402. *Qui alium judicat, debet prius ſe ipſum examinare, & judicare.*

At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. Sanctus Job in his verbis arguit ſuos fictos amicos, eo quod ipſi cum eſſent pleni arrogantia, & ſuperbia, ſe ipſos non examinantes arguere, & judicare malè volebant eumdem virum juſtum: quia qui ſe ipſum prius non judicat, quid in alio rectè judicet, ignorat. *in Ioan. cap.8.v.9.*

403. *Iuſtus quomodo à Deo non juſtè, & ſimul juſtè affligitur: Idque præcipue de Chriſto.*

Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, & flagellis ſuis cinxerit me. Nota hæc verba Sancti Job, in quibus videtur taxare Deum de injuſtitia, quod ſine gravi peccato non poteſt dici: ergone injuſtè Deus affligit ipſum? quomodò ergo prædicatur innocens? Sed attende, quod afflictio, quæ à Deo immittitur innocenti dicitur non recta quoad culpam, quæ in innocente non reperitur, ſed æqua quoad pœnam, & meriti augmentum: *Sic D.Gregorius &c.* Unde dixit, quod Deus ipſum cinxit flagellis ſuis, ſcilicet fortitudinis, & patientiæ, per quam patienter ad meritum toleravit omnia. *in Ioan. cap. 21. v. 19.* Nota tamen, quod hæc propriè dicta ſunt de Chriſto, in quo fuit tanta afflictio abſque demerito, & culpa propria, ſed tantùm pro culpis noſtris. *Pſal. 118. cap. 10. v. 12.*

404. *Peccatores ſicut Iudæi Chriſtum contemnendo, ſpoliant ipſum Divinitate quantum in ipſis eſt.*

Spoliavit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo. Hæc dicta ſunt à Beato Job, qui fuit ſpoliatus imperio, & omnibus bonis: Sed melius dicuntur in perſona Chriſti, cujus gloria, ſcilicet Divinitate à Judæis fuit privatus, quantum ad ipſos, quia enim non ut Deum glorificaverunt, ſed ſicut maleficum tractaverunt: Idem & faciunt quicumque contemnendo Deum malè tractant. *ſerm. 3. in paraſceve & opuſ. de perfectione vitæ cap. 5.*

405. *Homo dum ſpoliatur gratia Dei, ſpoliatur gloria.*

Spoliavit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo &c. Nota, hæc poſſunt dici ab eo, qui incidit in latrones, ſcilicet in Dæmonis poteſtatem per peccatum: ſpoliatur enim gloria, & corona, quando ſpoliatur gratia divina. *in Luc.c.10.v.30.*

406. *Qui Deo non vivit unitus inſectus myſtico corpori eſt arbor infructuoſa, & maledicta.*

Deſtruxit me undique, & pereo, & quaſi evulſæ arbori abſtulit ſpem meam. Nota, hæc ad litteram dicta à Job, eo quod privatus fuerat à Deo prole, & proviſione: Sed myſticè dicuntur de eo, qui vivit excluſus à Chriſto per infidelitatem, vel peccatum: Iſte enim caret prole bona, quia non poteſt gignere opus dignum remuneratione. *ſerm. 1. Dom. 7. poſt Pentecoſt.*

407. *Maximum ſignum iræ Dei privatio gratiæ, & gloriæ.*

Iratus eſt contra me furor ejus, & ſic me habet quaſi hoſtem ſuum. Quomodò id profert Job de Deo, cum ſupra ſe oſtenderit tam compoſitum cum Dei voluntate? At hæc dicuntur myſticè in

in persona hominis spoliati gratia divina, & ad Infernum damnati: privatio enim gratiæ divinæ est maximum, & terribile signum iræ Dei. *in Ioan. cap. 3. v. 36.* ô Deus averte hanc iram à me!

407. *Dæmonum crudelitas in homine quanta.*

Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Nota hæc dicta à Beato Job ad litteram de latronibus, qui eum despoliaverunt suis rebus: Mysticè dicuntur de latronibus Dæmonibus, qui sunt veri, & feri latrones invadentes hominem, quem expoliant gratuitis, vel necant in naturalibus, & jugulant in pœnis gehennalibus: Isti sævissimi latrones veniunt ad nos, impugnando: viam per nos faciunt impugnantes comminando. *ferm. 1. fer. 4. Paschæ.*

408. *Obsessus à Dæmone figuratus fuit in his verbis Iob.*

Nam talis miser potest dicere. *Venerunt latrones, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Nam isti sævissimi latrones affligunt afflictione repentina, & diuturna tales obsessos: unde ad liberationem requiritur virtus divina. *in Luc. c. 9. v. 39.*

409. *Contra virum justum armantur plures Dæmones, & homines iniqui.*

Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me &c. Nota illam patriculam, (*simul*) nota etiam quod se ponit in medium singulariter, & inimicos pluraliter: nempè Dæmones, & mali homines, ut videas, quod contra virum justum armantur simul Dæmones, & homines iniqui, se veluti cum exercitu armato opponentes ipsi: semper enim mali incompatabiliter plures sunt bonis. *in Luc. c. 21. v. 20.*

410. *Christi passiò extensa fuit per totum corpus.*

Simul venerunt latrones, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Nota, hæc dicta in persona Christi, cujus humanitas à Judæis undique fuit lacerata, discissa, & vulnerata. *in Ioan. c. 2. v. 19.*

411. *Diabolus in gyrum vadit tentando hominem.*

Obsederunt in gyrum tabernaculum meum. Ecce quid facit Diabolus impius latro: nam in gyrum semper vadit, gyrum tentationum, & circumventionum malignarum texendo, ut hominem cadere faciat. *ep. Compendiosum principium.*

412. *A notis, & conjunctis deseritur, qui Deo vult servire.*

Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Nota, quod mysticè hæc dicuntur à volente ad Dei obsequium secedere: nam talis deseritur à notis, & conjunctis. *in Luc. cap. 2. v. 44. & in Ioan. cap. 23. v. 49.* Ut videas, quod sæpè noti & conjuncti sunt sæviores hostes volenti Deo servire.

413. *Christus à notis suis in majori necessitate fuit desertus.*

Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Nota, quod hæc mysticè dicuntur in persona Christi, qui tempore passionis fuit à suis Discipulis derelictus; non tamen à Beatissima Virgine Maria. *in Luc. cap. 23. v. 49.*

414. *Mundus tempore necessitatis derelinquit suos, & mundani deserunt etiam conjunctos &c.*

Fratres meos &c. Nota, quod sicut hoc evenit Christo, sic & fit à mundo, & à mundanis com suis, qui deserit suos in tempore majoris necessitatis. *in Luc. c. 23. v. 49.*

415. *Qualis eris cum Deo, talis tibi erit Deus.*

Quasi peregrinus fui in oculis eorum. Hoc dicebat Job, ut exprimeret quomodò à suis servis tractaretur: sed tamen in persona Christi pronunniata sunt mysticè, qui sicut peregrinos apparuit suis Discipulis, quia ipsi peregrini erant in fide resurrectionis; ut videas, quod qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus. *in Luc. cap. 24. v. 18.*

416. *Benignitas Dei nos vocantis, ingratitudo nostra in ipsum exponitur.*

Servum meum vocavi, & non respondit mihi, ore proprio illum deprecabar. Vide ad quantam miseriam redactus est hic Princeps, & Sanctus Job: sed tamen hæc querela est Dei nostri iam multipliciter nos vocantis, prævenïendo beneficiis, & gratiis, & ore proprio nos veluti deprecantis, & tamen nos ingrati nolumus respondere, & obtemperare operibus dignis: in quo patesit benignitas immensa Dei nostri, & ingratitudo nostra. *ferm. 1. Dom. 2. post Pentecost, & in Luc cap. 15. v. 29.*

417. *Benignitas Dei veluti rogantis hominem, ut ad ipsum convertatur, ostenditur.*

Orabam filios uteri mei. Hæc dixit Job in persona Dei, qui tanto amore exardescit in nos ingratos, & à se aversos, vocat, & rogat nos, ut ad ipsum convertamur: unde continuè dicit: *obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam Deo.* O immensa pietas Dei nostri! *in Luc. c. 15. v. 29.*

418. *Qui abominantur afflictos, & infirmos exosi Deo, tanquam inhumani.*

Abominati sunt me consiliarij mei, & quem maximè diligebam aversatus est à me. Vide inhumanitatem horum consiliariorum Job, qui cum deberent eum consolari in tot angustiis, ipsum abominabantur, quòd est contra etiam instinctum naturalem: Unde Deus

funt exofi, talefque funt veloti extra ftatum humanitatis exeuntes. *Pfal.118.c.11.v.3.*

419. *Mulieres ferventiores fuerunt tempore passionis Discipulis Christi : sic & saeculares saepe sunt meliores religiosis, & magis Christi amatores.*

Pelli mea consumptis carnibus adhaesit os meum. Nota ; hæc myftieè dicta à Chrifto fuis tempore paffionis, & continoè dicuntur fuis membris : Nam per carnem intelliguntur Difcipuli Chrifti, & Clerici, & Religiofi : per pellem, quæ eft magis corpori exterior, intelliguntur mulieres, & fæculares : Unde ficut tempore paffionis Difcipuli omoes fugientes, reliquerunt Chriftum ; mulieres verò exteriora oeceffaria Chrifto miniftrantes adhæferont Chrifto, morti aftiterunt, nec terroribus, nec minis cefferunt, ob idque ferventiores fe oftendetunt : fic fæpè Clerici, & Religiofi foperantur à pluribus fæcularibus in dilectione divina. *in Thren. cap. 3. & in Ioan.cap. 19. v. 25.*

420. *Beata Virgo Maria Christo crucifixa.*

Pelli mea adhaesit os meum. Nota, per pellem Chrifti intelligi fanctaa mulieres : fed inter eas maximè Beata Virgo Maria, quæ tempore paffionis adhæfit Chrifto, ejufque dolores fuper omnes participavit, quia plus ipfum diligebat. *in Iob.c.19.v.25.*

421. *Compassionem sui à nobis exigit Christus de suis doloribus, & passione, & etiam erga proximum.*

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei &c. Nota : hæc dicta funt io perfona Chrifti in Croce patientis ad Apoftolos, & amicos, ot non folùm compaffionem fui habeamus in fua paffione, in qua poteftati Patris fubjectus fuit, hic enim eft altiffimus gradus mifericordiæ : fed & compaffionem fuorum. *ferm.2. Dom. 1. post Pentecost. & op. de grad. vita c.6.*

422. *Ecclesia mendicat à nobis suffragium pro filiis suis in Purgatorio existentibus.*

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei : Nora : hæc dicta effe ab Ecclefia in perfooa Animarom exiftentium in Purgatorio, pro quibus ipfa mendicat à vivis fuffragia : Ipfi enim mendici funt, & cum eis deficiat moneta meriti, non poffunt folvere, nec meodicare. *ferm. de Animabus Purgat.*

423. In Sacra Scriptura dicitur fæpè, Deum habere manus ut hic Job dicit, *manus Domini tetigit me* : ut oftendatur ejus poteftas, & modus operandi perfectus. *Pfal. 101.*

424. *Cum Deus affligit hominem, tunc dicitur tangere sua manu.*

Manus Domini tetigit me. Quis tactus eft ifte? Tactus per immiffionem tribulationum : tunc enim tangit pulfum homioi. *op. de invisibilitate Dei.*

425. *Resurrectionis Christi, & propria fides necessaria elevat Animam ad spem visionis divinae.*

Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum &c. Hæc dicebat Job quafi videns jam tranfactam paffionem Chrifti, & refurrectionem ipfius, per quam erigebatur ad fpem certam videndi in gloria Deum facie ad faciem : fic igitur loquitur, licet in paffione vita fuerit induta morte, tota vita refurrexit, & ideò fubdit, furrecturus fum in noviffimo die, & rurfum circundabor pelle mea, quando corpus humilitatis meæ configoratum fuerit corpori Chrifti, & tunc videbo in carne mea Deum meum facie ad faciem : Ecce quomodò fides de refurrectione Chrifti, & noftra erigit Animam ad fpem vitæ æternæ. *ferm. prim. Dom.1. Adv. & ferm.1. in Pascha, & in Luc.c.20. v.38. & op. stim. Divi. Amoris part.3.c.19.*

426. *In patria Humanitas Christi erit objectum visus corporei : Divinitas visus intellectualis.*

In carne mea videbo Deum meum. Cur dicit in carne mea ? ergone Deus videri poteft ab oculis corporeis ? fed attende, quod dicit io carne mea, per quod determinatur & videns, & objectum vifum : fcilicet oculis corporeis fuis debetur Humanitas Chrifti : oculis intellectualibus videbitur Divinitas. *l.4. d. 49.p. 2.a.3. q.1. & in Luc. cap.2.v.26.*

427. *In resurrectione corporis resurget earo eadem in individuo, quae est de prima essentiali constitutione ejusdem corporis.*

Et in carne mea videbo Deum. Nota (*in carne mea*) ergone etiam in catne, quam comederunt vermes ? Et quid fi caro unius hominis comederetur ab alio homioe, in quonam refurget ? Refpondetur, quod refurget homo eum carne, quæ eft de effentiali, & prima conftitutione corporis : non autem cum illa, quæ dicitur caro fecuodùm materiam, fcilicet quæ fuperaddita eft per nutritionem : hæc enim eft tali corpori veluti per accidens. *l.4.d.44.p.1. dub.4. & art. 2.q.1. & d.43.a.1.q.1. ad ult.*

428. *Visioni fidei in hac vita in patria respondet visio clara Dei.*

Et in carne mea videbo Deum meum. Addit Ecclefia : *Deum Salvatorem meum.* Nota, quod cum Job in ftatu viæ per fidem elevaretur ad fpem videndi aliquando Deum in gloria : hic dat intelligere, quod licèt in hac vita in vifione per ænigmata fidei poffit intervenire error : in patria tamen videbitur clare fine errore : ruoc enim fapientia divina propooet bonis rationes illas æternas ad contemplandum in fe ipfo, tanquam in fpeculo pulchriformiter, tanquam in libro indelebiliter, & tanqoam in menfa delectabiliter. *ferm.1.Dom.1.Advent.*

429. *Vera*

429. *Vera spes cœlestis gloriæ debet reponi in sinu Animæ.*

Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quænam spes? spes scilicet videndi Deum: Sed in quo sinu? scilicet in sinu humilitatis in abscondendu virtutes: benignitatis in refovendu pauperes, & lunganimitatis in conservandu, & perseverando in bono: Item in sinu pœnitentiæ: sic enim in tuto ponitur ea spes vera, & terminus, obiectumque spei. *in Luc. cap. 16. v. 21. & c. 6. v. 38. & serm. 2. Dom. 2. post oct. Epiphan.*

430. *Qui in hac vita non fugit à gladio iudicij divini, fugere non poterit in morte.*

Fugite ergo à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius est &c. Sed quò fugiendum est? Nota hic per gladium sumi sententiam iudicij divini, quam vt fugere possit, debet homo recurrere ad pœnitentiam; qui enim in hac vita ad hanc non recurrit, non poterit in morte effugere gladium iræ divinæ. *in Luc. c. 3. v. 7. & c. 8. vers. 34. & c. 21. v. 34. & in Ioan. c. 12. v. 50. in fine. & in Ecclef. cap. 11.*



CAPVT XX.

431. *Gaudium malorum, & Mundanorum momentaneum.*

Laus impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Nota hanc sententiam, in qua laus impiorum ponitur brevis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti: Cur illa dicitur brevis: illud velut punctum? Sed tali modo loquendi intendit Spiritus Sanctus exprimere qualitatem lætitiæ, & gaudij mundanorum, & impiorum: Dicit enim primò, quod est brevis eorum laus, & lætitia: & ne decipiaris, credens, quod possit per tempus durare, addit: *ad instar puncti:* punctum enim nullam existentiam firmam habet, sic & instans, quod est punctum temporis; & tale est gaudium impiorum, velut hypocritarum, scilicet sine existentia, & solùm apparens, & ideò est momentaneum in æternam tristitiam terminans. *in Ecclef. c. 2. & serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha. in Luc. c. 6. v. 25. & c. 10. v. 20.* Nota etiam, quia hic dicitur mundus hypocrita: sicut enim hypocrita, licèt sit interius corruptus, exterius tamen apparet bonus, & mundus: sic Mundus in veritate interius est malus, & fœtidus, exterius est floridus, & venustus: gaudium verò eius est sicut punctum, quia huius temporis non habetur nisi instans, ideò non habens longitudinem perseverantiæ, nec latitudinem amicitiæ, nec profunditatem bonæ conscientiæ. *op. diat. sal. tit. 8. c. 1.* Lætitia igitur sæculi vanitas est, cum magno desiderio speratur vt veniat, & cum venerit, non potest teneri. *op. Solil. c. 2. in Luc. c. 2. v. 10. & in Io. c. 16. v. 22. & collat. 73.*

432. *Qui superbè vult elevari super alios, deprimetur in abyssum.*

Si ascenderit vsque ad Cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Vide finem pessimum, & miserabilem superborum: dum enim volunt elevari vsque ad Cœlum super alios, quasi sterquilinium in fine perduntur: Vnde nec Cœlum obtinent, nec terram, sed in fine perduntur, & in Inferni cloacam proijciuntur tanquam sterquilinium. *serm. 4. Dom. 1. post oct. Pascha: & s. 3. Dom. 2. post Pascha: & serm. 2. Dom. 13. post Pentecost. & s. 4. Ascens. & in Luc. c. 10. v. 15. & c. 18. v. 14.*

433. *Superbus veluti flos marcidus in sterquilinium mittitur.*

Si ascenderit in Cœlum superbia eius &c. Vide florem in arbore ascendentem in altum, sed statim cadit in sterquilinium: sic est superbus. *ser. 1. in Vigil. Nativit.*

434. *Superbus vt resipiscat mittitur ad sterquilinium.*

Si ascenderit vsque ad Cœlum superbia eius quasi sterquilinium in fine perdetur. Vide quomodò Spiritus Sanctus ad medendum malo superbi, eius elevationi opponit sterquilinium, vt per considerationem propriæ miseriæ, & miserabilis finis superborum se humiliet, & fructum bonum proferat. *serm. 2. Dom. 7. post Pentecost.*

435. *Iusti sunt stellæ in Cœlo fixæ: Impij, maximè hypocritæ, sunt stellæ fictæ uti sunt aereæ.*

Si ascenderit vsque ad Cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium &c.: Quis est iste, qui suis viribus poterit ascendere vsque ad Cœlum, vel se elevare ad tangendas nubes? est superbus, & hypocrita, respondit Sophar: Ergone superbia, & hypocrisis elevabit hominem ad Cœlum, & non potius deprimet ad terram? Sed attende mysterium: Dicit vsque ad Cœlum ascenderit; idest per cœlestem vitam exterius apparentem, & splendentem: interius verò impiam & iniquam: nam cum tales superbi, & hypocritæ non sint stellæ veræ, cum non sint fixæ in corpore Cœli, idest in Deo, ideò semper pereunt & cadunt in fine: Sunt enim quædam famulæ stellis similes ex vaporibus terreis productæ, quæ de nocte cadere videntur. E contra iusti, & humiles sunt veluti Cœli, vel stellæ veræ, & in Deo fixæ, quæ licèt sancta vita exterius lucem ostendant, tamen eorum gloria maior est ab intus: plus enim est, quod de perfectione celatur interius, quàm quod foris ostenditur. *op. de Ecclef. Hier. p. 4. c. 4.*

436. *Vitia adolescentiæ præcipua sunt in ordine ad luxuriam.*

Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in pulvere dormient. Quænam sunt vitia adolescentiæ, quæ in ossibus continentur? nonne vitium residet in Anima, vel voluntate? Sed respondetur, quod vitia adolescentiæ sunt fer-

vor, & inclinatio ad libidioem, & quia hæc reſident maximè in corpore, ideò dicuntur in oſſibus ineſſe.*in Ioan.c.21.v.19.*

437.*Lingua inter alia mala impugnat maximè mutuam charitatem.*

Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua. Vide, qua arte detractor mutuam charitatem impugnat, & divinam bonitatem, quia ſub ſpecie bonitatis venenat proximum per verba blandientia, ſed dettahentia.*in Luc.c.16.v.24.*

438. *Diabolus vertit ſuos lapides in panem; & Deus ſuit panem in lapides.*

Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus. Quænam cooverſio eſt iſta paois io fel? Sed converte oculos ad lapides à Diabolo Chriſto oſtenſos, vt eos verteret in panem, quod noluit facere: Nota autem, qood per panes intelliguntur voluptates terrenæ, per lapides opera pœoiteotiæ: ſicque patet quodnam ſit munus Diaboli, ſcilicet vertere dutitiem pœnitentiæ in panem voluptatis, qui poſtea vertitur in fel aſpidum in Inferoo: E cootra Chriſtus hos panes voluptatum vult vetti io lapides duræ pœnitentiæ, vt eos io Cœlo vertat io panem dulcedinis æternæ. *ſerm.4. Dom.2. poſt oct. Paſcha.*

439. *Panis cum iniuſtitia acquiſitus vertitur in fel amaritudinis.*

Panis illius vertetur in fel aſpidum. Cur hæc verſio panis in fel? loquitur hic de impio, & cum iniuſtitia, & offenſa Dei bona acquirente: de qoo dicitur, quod eius panis cum iniuſtitia acquiſitus vertetur in fel amaritudinis: eſt enim panis infernalis.*ſerm.3.Rogat.*

440. *Euchariſtia ſumptio indigna in vtero Animæ gignit ſerpentem.*

Panis eius in vtero vertetur in fel aſpidum. Quis panis eſt, qui habet tantam cooformitatem cum felle aſpidum? Sed nota, quod panis myſticè eſt Chriſtus, maximè in Euchatiſtia: qoi ſi male ſumatur, convertitur, non ſecondùm, ſed ratione effectus in fel aſpidum, imò in ſerpentem, quia peccatom mortale eſt peius ſerpeote: ergo loco panis ſacri, ſcilicet Chriſti, ingreditur in vtero Diabolus.*ſerm.4. Dom.3. quadrageſ.*

441. *Damnatis in Inferno convertentur delectationes huius vitæ in fel amariſſimum.*

Panis eius vertetur in fel aſpidum &c. Ecce effectus delectationum, & peccatorum, quæ libere commiſſa ſunt in hac vita: nempe in Inferno coovettentur in fel aſpidum amariſſimum, quo ſaturabuntur damnati io æternum.*ſermone 4. Dom.6. poſt Pentecoſt. & in Ioan. collat.31.*

442. *Anima Sanctorum ex Lymbo fuerunt à Chriſto in reſurrectione liberata.*

Divitias, quas devoravit evomet, & de ventre illius eas extrahet Deus. Ecce effectus reſurrectionis Chtiſti, & deſcenſus eius ad Inferos: fecie enim, liberando Sanctorum Aoimas, vt de ventre ſuo Infernus eas evomeret. *ſermone 3. in Paſcha.*

443. *In Chriſtum compilatæ fuerunt omnes pœnæ hominum.*

Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Hæc dicta ſunt ad litteram de impio: Sed myſticè poſſunt dici de Chriſto: Et oota, quod dicit: *caput aſpidum ſuget*: ſcilicet potio omnium venenorum veluti in compendio: nempe io Chriſto fuerunt inducti omnes fluctus aliorum hominum.*ſerm.1.Dom.quinquageſ.*

444. *Caveat Confeſſarius, ne alios mundando veneno ipſe inficiatur.*

Caput aſpidis ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Quomodò qui ſuget caput aſpidis non moritue, niſi per linguam, & os viperæ? noone venenom aſpidis eſt fortius, & magis inficiens? Nota, quod hic loquitur Deus metaphoricè: Aſpis enim eſt ſerpens parvus, vipera eſt prolixioris corporis, quæ naſcitur exeundo violenter de ventre matris: Datur per hoc intelligi, quod qui initium ſuggeſtionis libenter ſuſcipit, ſignificatum per caput aſpidis, violentis poſtmodum tentationibus cadit devictus: vel quia veoenum aſpidis conciiè, viperæ tardius occidit; per aſpidem violenta, & ſubita, per viperam tentatio tardior ſignificatur: ſic qui aditum dat aſpidi, & ſuggeſtioni, licèt oon ſtatim pereat, peribit tamen, ſi ipſam à ſe non expellit: Hoc diligenter caveaor, præcipuè Confeſſarij, ne dum alios à veoeno quærunt mundare, ipſi inficiantur, ſed ſint velut manus nobilis, quæ alium lavans, lavatur: non vt lixivia, quæ alia mundificans ipſa ioquinatur. *opuſ.Confeſſion.c.1.p.2.*

445. *Qui initio ſuggeſtionis Diabolicæ non reſiſtit, violenter poſtea occiditur.*

Caput aſpidis ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Nota: primò propooit venenum aſpidis, deinde violentiam viperæ: aſpidis ſerpentis parvi caput ſignificat ioitium ſuggeſtioois carnalis, & peccaminoſæ: qui ergo non præcavet, ſed bibit libenter venenum ioitij ſuggeſtionis, admittendo eam io meotem, poſtea violentis ſe tentatioonibus devictus tradit: Cave ergo ab initio &c. *op.Confeſſion.c.1.p.2.*

446. *Anima mediante fide introducitur ad videndum, & deguſtandum Chriſtum, maximè in Euchariſtia.*

Non videat rivulos fluminis, torrentes melli, & butyri. Quis eſt iſte, qui non introducitur ad videndum hæc magnalia? Sed nota, quod per rivulos fluminis iotelligitur contemplatio myſteriorum humanitatis, & Divinitatis Chriſti: per butyrum,

butyrum, quod nascitur ex carne intelligitur Christi humanitas: per mel, quod ex aere descendit Divinitas Christi: Impios ergo ad hæc videnda, & degustanda non introducitur, sed tantùm iustos, qui per fidem se transfert in hoc mare magnum, & repletur dulcedine Paradisi, & hoc maximè in contemplatione, & perceptione Sacramenti Eucharistiæ. *op. de septem Itineri. æternit. Itiner. 6. distinct. 5. & serm. 4. Dom. 1. post oct. Pascha.*

447. *Ex fonte Christo derivant in Animam flumina omnium bonorum.*

Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri. Quinam sunt isti rivuli, quibus privatur impius? Nota, quod rivuli ex fonte emanant: Mysticè fons est Christus, ex quo derivaot rivoli charitatis, fidei, spei, & aliarum virtutum in Animam sanctam, quibus fit in ea fons aquæ salientis in vitam æternam impius verò excluditur à tanto bono. *in Ioan. collat. 39.*

448. *Cibus Diaboli miseram reddit Animam, inducens perpetuam famem: Cibus Christi felicem, & beatam.*

Non remansit de cibis eius, & propterea nihil permanebit de bonis. Nota hic, quod est sermo de impio, qui totis viribus nititur se repleri cibis voluptatum carnalium: sed iste miser remanet indignus, & illaqueatus laqueis Diaboli, fameque æterna torquebitur: Ex opposito, qui cibis cœlestibus est solicitus, iste felix, & beatus invenitur. *in Ioan. collat. 31. & in Luc. c. 6. vers. 24.*

449. *Præsentia horribilis Dæmonum torquet in morte, & torquebit in Inferno impios.*

Vadent, & venient super eum horribiles. Nota: horribiles, id est Dæmones, quorum præsentia erit impijs horribilis in morte, & in Inferno. *in sap. c. 5.*

450. *Peccatum mortale est ignis devorans omnia bona.*

Devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo. Quis est ignis, qui devorat impium, nisi peccatum mortale? Malus quidem ignis maculans Animam, & devorans omnia bona, & naturam inficiens: Infelix ergo est, qui aqua pœnitentiæ hunc ignem non extinguit. *sermone 1. de Sancto Laurentio.*

451. *Ignis tenebrosus torquet damnatos.*

Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius (legunt alij, in oculis eius) & devorabit eum ignis. Vide quid paratum est impijs in Inferno: scilicet ignis, qui in æternum eos torquebit, & simul tenebræ, nempe ignis tenebrosus, magis affligens eos. *in Ioan. cap. 19. v. 37. in Luc. cap. 17. vers. 34.*

CAPUT XXI.

452. *Lingua frænum præcipitur nobis.*

Superponite digitum in ore vestro. Sic dicebat Iob suis fictis amicis, vt compescerent linguam, ne exirent in verba impia: per digitum enim intelligitur discretio, quia discrete ea debemus vti. *in Ioan. c. 8. v. 9.*

453. *Prosperitates malorum in hac vita pertimescere faciunt bonos.*

Ego quando recordatus fuero pertimesco. Quid pertimescis ô beate Iob? quid est quod timore concutit carnem tuam? Nota quod hic subdit prosperitates malorum in hac vita, dicens: *quare impij vivunt, sublevati sunt &c.* & hoc est, quod eos ftos facit pertimescere, quia ex hoc inferunt, quod cum ducant in bonis dies suos, in puncto postea ad Inferna descendunt: ô prosperitas maledicta! *serm. 3. Dom. 5. post Pentecost.* Et ideò continuus successus prosperitatum temporalium certissimum signum æternæ damnationis. *serm. 4. in Regula.*

454. *Temporales felicitates terminant in æternam miseriam.*

Ego quando recordatus fuero &c. quare impij vivunt, sublevati sunt &c. Nota hic, quod Beatus Iob describit omnes felicitates mundanorum, sed postea terminat in hæc terribilia verba: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt:* in quibus verbis describit hominem mundanum velut arborem elevatam, foliorum amænitate vestitam, fructibus, & floribus redimitam, sed postea ventis excussa discinditur, & siccatur, & securi præcisa submergitur, ignisque incendio præparatur. *serm. 7. de Apostol. & serm. 1. de vno Confessore.*

455. *Impij suam felicitatem collocant in vbertate bonorum temporalium.*

Sic dixit Iob de ipsis: *Domus eorum secura, & pacata: Bos eorum corrupit &c.* Sic enim describit vbertatem bonorum temporalium, ob quam stulti se beatos reputant. *in Luc. c. 12. v. 17.*

456. *Impij custodiunt filios, ne ab ipsis relinquantur, & ad obsequium Dei se transferant.*

Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Nota, quod dicit: *in conspectu eorum*; quia filios detinent, ne ad obsequium divinum se transferant: non sic fecit Christus puer, qui relictia parentibus, remansit in Hierusalem. *in Luc. c. 2. v. 44.*

457. *Qui voluptatibus carnalibus vitam ducunt, vt plurimum repentino interitu perduntur.*

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt. Vide quomodò edocemur, quod

conti

continuo successu prosperitatum, & voluptatum carnalium habetur indicium certissimum repentini interitus, & æternæ damnationis. *serm.9.in Rogat.& in Luc.c.21.v.35.& c.16.v.23.*

458. *Peccatum mortale est onus gravissimum submergens Animam ad Infernum.*

Et in puncto ad Inferna descenderunt. Vide quomodò æterna damnatio fit iustissimè, & in puncto: Sed cur in puncto? quia peccando Anima fit gravissima, ita vt subitò demergatur in Infernum quasi plumbum. *serm.3. Dom. septuages. & sermone 3.Dom.1.post Pentecost.& in Eccles.c.9.*

459. *In alia vita Deus reservat præmium bonis, & pœnam malis &c.*

Ducunt in bonis dies suos &c. Vide, quod mali videntur florere in hoc mundo: Sed cur hoc Deus permittit, & ex opposito, quod boni torqueantur in hac vita? quia locus præmij, & pœnæ est altera vita: hinc non est mirandum, hoc scilicet videre bonos tribulatos, & malos lætantes in hac vita, quæ non est locus præmij, & pœnæ. *op.Comp.Theol.l.2.c.55.*

460 *Gaudium temporale terminat in æternam miseriam.*

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad Inferna. Ecce qualem terminum habent ista gaudia temporalia, & transitoria, nempe æternam miseriam in Inferno: Noli ergo ô homo, hæc caduca amare, sed ea despice. *Eccles. c.1.& c.11.& in Luc.c.10.v.10.in Ioan.c.12.v.8. & c.17.v.14.& collat.73. & in Luc.c.19. v.42.& l.2. d.6.a.2.q.1.ad 3.*

461. *Peccator Deum contemnens ipsum à se expellit, & recedere facit.*

Qui dixerunt Deo, recede à nobis &c. Quis est tam protervus, qui expellat à se Deum? Sunt impij contemnentes Deum, eiusque præcepta: factis autem impijs, & superbis dicunt Deo, recede à nobis: Nota autem, quod hic loquitur, non de illis, qui ob humilitatem dicunt idem, vt dixit Petrus Christo, *exi à me, quia peccator sũ*, sic enim se humiliantes ad se attrahunt Christum: Sed de impijs, qui ex tumore, & contemtu superbiæ à se Deum recedere faciunt. *in Luc. c.8.v.37.& cap.18.v.2.*

462. *Impij vias Diaboli ambulant: Iusti vias Christi.*

Scientiam viarum tuarum nolumus. Ista dicunt Deo impij: Sed quænam sunt istæ viæ Domini? Nota: viæ sunt pax, humilitas, patientia, innocentia, & pœnitentia, has norunt iusti: impij ignorant voluntariè. *in Ioan.collat.7.*

463. *Ignorantia crassa vel supina Deum ab Anima expellit.*

Scientiam viarum tuarum nolumus &c. Nota, quod dicit: *nolumus scientiam*: per quod datur intelligi, quod proprium impiorum est ignorantia crassa, vel affectata, scilicet voluntaria de rebus necessarijs ad salutem. *in Sap.c.5.*

464. *In morte impij lucerna fidei, vel spei extinguitur, eisque supervenit inundatio tentationum.*

Lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio &c. Quænam est hæc lucerna impiorum, quæ ipsis extinguitur? Lucerna hæc est fides, & spes, quæ in morte eis extinguitur. *in Luc.c.6.v.49.& in Sap.c.19.*

465. *Reprobi tamquam palea congregantur in fornace Inferni: Electi sicut frumentum in horreum Domini.*

Erunt sicut palea ante faciem venti. Nota, quod meritò reprobi comparantur paleis, quia sunt materia combustionis ignis Inferni, qui nec extinguit, nec extinguetur, in quo congregantur à divina iustitia: E contra electi sunt frumentum, quod in horreis Domini congregatur. *in Luc.c.3.v.17.*

466. *Mors omnes homines æquat.*

Iste moritur robustus, sanus, & felix, alius in amaritudine, & tamen simul in pulvere dormient, & vermes eos operient. Ecce, quod mors omnia æquat: In hac vita vsque ad mortem homines sunt inæquales: aliusest felix, alius miser, alius sanus, alius infirmus &c. sed tamen mors omnes ad eundem terminum reducit: omnes enim simul in pulvere reducentur, omnes vermibus nunquam vestimentis inducentur. *serm.1. fer.4. Pasche.*

467. *Domus cœlestis ab impijs ignoratur, à iustis cognoscitur.*

Dicitis enim ubi est domus Principis? Hæc profert Iob sub metaphora ignorantium domum Principis; per quod datur intelligere, quod impij ignorant, vbi sit domus Principis, scilicet Dei nostri, quia hæc tantùm invenitur à bonis. *serm.1.omnium Sanctorum.*



CAPUT XXII.

468. *Qui necessaria subtrahit pauperibus, meritò à Deo in hac, & in alia vita punitur.*

Aquam non dedisti lasso, & subtraxisti panem. Hæc dicebat Eliphas Beato Iob, vt sic ostenderet, quod meritò à Deo puniretur: Sed tamen licèt hæc sint vera de crudelibus divitibus, qui negant necessaria subsidia pauperibus: Isti enim meritò puniuntur morte æterna à Deo; tamen de Iob non poterant verificari, cum fuerit vir misericors,& pius. *in Luc.c.16.v.21.*

469. Deus dicitur excelsior Cœlo, quia est Dominus Cœlorum, & ideò peccans in Deum dicitur peccare in Cœlum, scilicet contra Dominum Cœli. *in Luc.c.15.v.21.*

470. Contemplativis proponitur Dominus Cœli,

Cœli, ut ad cæleſtium contemplationem ſe applicent: dicitur enim cuilibet. *An non ignoras, quod Deus excelſior Celo eſt.Eccleſ.Hier.p.4.c.4.*

471. *Nimia ſecuritas circa Dei judicia occaſio multorum peccatorum.*

Dicis: Nubes latibulum Dei, nec noſtra conſiderat, &c. Hæc ſententia dicitur in perſona impiorum, qui malè ſentientes de Dei judiciis, vivunt cum nimia ſecuritate,& abſque ullo timore, quaſi Deus non curet multum: nec attendat ad noſtra opera ſive bona, ſive mala: & hoc eſt peſſimum, quia eſt occaſio multorum peccatorum.*in Eccl.c.9.*

472. *Sacra Scriptura veritas confundit, & ſubvertit doctrinas Ethnicorum, & ſæculares.*

Fluvius ſubvertit fundamentum eorum. Quis fluvius? quod fundamentum? fluvius ſcilicet Sacræ Scripturæ, cujus veritas confundit fundamenta ſcientiarum Ethnicorum,& ſæcularium,*opuſc.princip.Sacra Scriptura.*

473. *Impijs Deus obtruncat vitam ante tempus, quod ſibi præfixerant.*

Sublati ſunt ante tempus ſuum, & fluvius ſubvertit fundamentum eorum. Quomodò dicuntur impij ſublati ante tempus ſuum? Si illud tempus dicitur eſſe ipſorum quomodò ſublati ſunt ante tale tempus? Nota, quod dicuntur ſublati ante tempus ſuum, ſcilicet dum ſtabilem, & longam vitam ſibi promittebant,viventes in peccatis abſque emendatione, ſic eis à juſtitia Dei obtruncetur vita, quia fluvius infirmitatis,vel mortis repentinæ ſubvertit eorum fundamentum.*in ſap.c.4.* Nota: hoc fundamentum eſt voluntas, quam habent mali agendi pœnitentiam in fine vitæ,ſed mors eis deſtruit hoc fundamentum ob tempus malè amiſſum.

474 *Origo omnium peccatorum eſt inconſideratio potentia,ſapientia,& præſentia Dei.*

Quaſi nihil poſſit facere omnipotens,æſtimabant eum. Vide unde origo peccatorum omnium, quia enim peccatores veluti exiſtimant vel tractant Deum,ac ſi nihil poſſet, ideò eum non timent: & quia non conſiderant ipſum judicaturum, ideò ipſum offendunt: & quia non conſiderant eum præſentem ubique, ideò multiplicant peccata. *fer.4.dom.2 poſt Pentec. & ſap.c.12. in Luc.c.18.v.2.*

475. *Deus replevit Eccleſiam ſemper plurimis bonis, & tamen homo tot beneficijs eſt ingratus.*

*Quaſi nihil poſſet facere omnipotens, aſtimabant eum, cum ille impleſſet domus illorum bonis.*Ecce certamen ſpirituale inter bonitatem Dei,& ingratitudinem hominis: Deus implevit primò ſynagogam, poſtea Eccleſiam bonis temporalibus, ſacramentalibus,& ſpiritualibus,& tamen Iudæi Chriſtum crucifixerunt, & Chriſtiani actualiter peccando eum contemnunt quaſi exiſtiment,quod nihil poſſit contra eos: ô quam magna eſt hæc ingratitudo hominis in tantum benefactorem. *fer.4. Dom.o.poſt Pentec.*

476. *Per inobedientiam elongatur Deus à nobis.*

*Qui dixerunt Deo, recede à nobis.&c.*Nota,quod inobedicos tranſgrediendo Dei præcepta, tunc Deo dicit; *recede à me*: inobedientia enim facit elongare Deum à nobis. *in Luc.c.19.v.27.*

477. *Qui Deo conformatur ſua voluntate, pacem veram obtinet,& omnia bona.*

Acquieſce igitur Deo, & pacem habeto, & per hæc habebis fructus optimos. Nota ordinem verborum: Primò dicitur:*acquieſce Deo*: Secundò: *pacem habeto*: Tertiò: *fructus optimos*; ut intelliges, quod,qui acquieſcit Deo, ſcilicet omnia ſua in gloriam refert conformando ſuam voluntatem Deo, iſte pacem veram obtinet, & cum ea omnia bona: pacem ſcilicet propriæ Animæ, pacem cum Deo, & cum Angelis: è contra, qui propriam gloriam quærit, & pacem vult,utramque perdit.*in Luc.cap. 2. verſ.14.*

478.*Vbi eſt pax,ibi omne deſiderabile bonum.*

Acquieſce ei, & pacem habeto, & per hæc fructus optimos. Vide magnalia pacis quanta: *pacem habeto, & cum ea fructus optimos*: Verè optimos: per pacem enim habemus interiùs ſecuritatem: exterius unitatem cum proximo: ſuperius hæreditatem cæleſtem,quia pacifici ſunt filij Dei, & hæredes Chriſti: hæc enim propria virtus beatorum, qui in Deo communem vitam, commune ſpeculum, & communem poteſtatem habent. O beata, & deſiderabilis pax! *ſerm.1.in oct.Paſcha & in Luc. c.13.v.9.*

479. *Pœnitentia ordinat ad Deum Animam, & elongat ab ipſa iniquitates.*

Si reverſus fueris ad omnipotentem, ædificaberis,& longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Ecce effectus mirabiles pœnitentiæ: qui enim per pœnitentiam revertitur ad Deum, ordinat Animam ſuam in ordine ad Deum ipſum, ad ſe, & ad proximum per ædificium virtutum, & elongat à tabernaculo ſuo iniquitates. *Pſal.118.c.10.v.6.*

480. *Modus comparandi theſauros aureos datur.*

Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos. Vide quali modo poteris tibi comparare theſauros, & torrentes aureos: nempe terrenis bonis Deo in pauperibus exhibitis, theſauros obtinebis incomparabiles in Cælo. *in Luc.c.18.v.22.*

481. *Gaudium beatorum ex ſocietate communi quale.*

Argentum coacervabitur tibi. Nota: ſupra promittit theſauros: nunc promittit argenti coacervationem, ſcilicet cum eodem auro: Myſticè per aurum intelliguntur perfecti: per argentum imperfecti, ſcilicet minus perfecti: hos Deus coacervat ſimul in Cælo, ut ex ſocietate communi omnium bonorum augeatur eorum gaudium, & omnes ſimul participent de eadem beatitudine. *in Luc.c.6.v.38.*

482. *Perfectus orans debet inniti divinæ largitati, dignitati, & potentiæ.*

Rogabis eum, & exaudiet, & vota tua reddet. Nota, quod in illo verbo,(*rogabis eum*) involuitur recognitio, quam debet habere orans largitatis, dignitatis, & potentiæ divinæ: ſic enim ſecurè obtinetur quidquid petitur. *in Luc. capite 5. verſ.12.*

483. *Humilibus datur gloria*

Qui humiliatus fuerit in gloria, &c. Vide quod ſolius humilis eſt gloria: iſtis enim ſolis Deus eam promittit. *in Luc. cap.12.verſ.32.& capite 14. verſ. 10. & capite 18. verſ. 14. & opuſc. de ſeptem donis cap.4.*

CAPVT XXIII.

484. *Gradus, quibus Anima contemplativa ad Deum, relictis omnibus, fertur, exponuntur.*

Quis mihi det, ut cognoſcam, & inveniam illum, & veniam uſque ad ſolium eius. Vide hic, quo tendebant deſideria ſuſpirantis Animæ Iob ſe exercentis in perfecta contemplatione: Nam Anima contemplativa ad aſpirat ad cognitionem Dei, ſicque volat ad Deum, non curioſis, ſed fidelibus aſpectibus:ſecundò invenit eum per dilectionem; hac enim relictis omnibus fertur in Deum, ſicque ala devotionis, & orationis attingit ſolium Dei, *ſerm.de SS.Simone,& Iuda.*

485. *Amans Deum quærit cognoſcere illum.*

Quis mihi det, ut cognoſcam illum, &c. Vide, quid cupit ſolicitus inquiſitor Iob, ſcilicet attingere ſummam veritatem, nempè Deum, in quo ſtat perfectio Animæ Deum amantis. *in Luc. cap. 8. v. 35. & cap. 2.v.17.& cap.15.v.20.& cap.21.v. 36.& c.23.v.8.*

486. *Deus non invenitur in parte, ſed in toto, ſcilicet toto corde ipſum quærendo.*

Si ad orientem iero, non apparet:ſi ad occidentem, non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, non apprehendam eum: ſi me ad dexteram vertam, non videbo illum. Vide ex hoc, quod Deus non ubique invenitur, nempè, ſi quæritur ex parte tantum: debet enim toto corde, & totus Deus quæri, non in creaturis, ſed in ipſo Deo: Item invenitur ſolum, ubi natus, ubi paſſus, ubi reſurrexit, ubi aſcendit ad Cœlum.*ſerm.2.in Epiphan.*

487. *Sancti veluti aurum probantur à Deo exercitio virtutum.*

Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Vide quomodò Iob, & cæteri ſancti rectè comparantur auro probato per ignem: ſicut enim aurum inter omnia metalla eſt pulcherrimum, ſic juſti per honeſtatem pulchram reddunt Eccleſiam;Secundò auro nihil ductilius: ſic Sancti per obedientiam ductiles ſunt: Tertiò auro nihil ſolidius, & compactius, quia per ignem non evaporat, nec conſumitur, nec minuitur, ſed tantùm purgatur: ſic & Sancti non corrumpuntur per impatientiam igne tribulationis, ſed purgantur, & virtuoſiores redduntur pro ſe, & pro proximo. *ſer.1.de Sancto Laurentio.* Talis fuit beatus Laurentius, *ibidem.*

488. *Anima igne divinæ gratiæ purgata illuminatur & inflammatur.*

Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Vide, quod ignis reddit Animam Deo probatam, & charam: quis eſt iſte ignis tam efficax, & validus? hic ignis eſt divina gratia, cujus officium eſt illuminare Animam ad verum, & inflammare ad bonum: ſcientia enim & virtutibus humanus perficitur animus, ut ait Philoſophus, ideò ſi perfici volumus, hoc igne gratiæ indigemus: hic eſt ignis, de quo dixit Chriſtus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Luc. cap.12.* nobilis certè ignis, propter quem accendendum Dominus in terram venit: ideò à nobis nutriendus, & cuſtodiendus diligenter, ne extinguatur, quia Anima ſine tali igne ſpirituali eſt ſicut carbo ſine igne materiali. *ſermon. de Sancto Laurentio.*

489. *Ignis divinæ gratiæ reddit opera meritoria, Deoque grata.*

Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Iam dictum eſt, hunc ignem ſignificare divinam gratiam:& meritò dicitur, quod Anima tranſiens per hunc ignem, ſcilicet calefacta hoc igne, eſt veluti aurum perfectum probatum: nam ſicut ignis reddit purgatum, & veluti concoctum aurum, quo cor, & corpus confortatur: ſic & hoc igne ſpirituali opera bona conſequuntur, & perficiuntur, redduntur que grata Deo. *ſerm. de Sancto Laurentio.*

490. *Ignis divini amoris reddit Animam glorioſam in Cælo.*

Probavit me quaſi aurum, quod per ignem probatur: Nota, quod probationes, quas immiſit Deus Beato Iob fuerunt afflictiones maximæ quibus veluti aurum in igne expurgatus eſt; datur què intelligi, quod qui in hac vita afflictiones, adverſitates, & pœnas patienter ſuſtinet, per ignem tranſiet ad patriam: Hic ignis eſt charitas, & amor conſummatus, verè ſuavis, amabilis, & deſiderabilis, ſanctos vivificans, lætificans, glorificans, in bono conſervans, & ſtabiliens, & ſatians, & ſolius boni ſummi deſiderium cum ſatietate, & ſatietatem cum deſiderio generans. *ſerm.1. de Sancto Laurentio.*

491. *Ignis purgatorij quaſi aurum Animam, & opera omnia purgat.*

Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit, &c. Nota, quod Iob fuit figura Animarum exiſtentium in igne Purgatorij, qui expurgat omnem ſcoriam ab Anima, & ab operibus factis in hac vita cum imperfectione admixta: ille enim

enim ignis penetrat usque ad intima, & purgans & Animam, & opera, & cogitationes omnes, ut expurgata transeat ad gloriam. *ferm. 1. de sancto Laurentio.*

492. *Ignis tribulationum expurgat bonos, & consumit malos.*

Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit, &c. Quomodò fuit per ignem probatus sanctus Iob? Nota, quod iste ignis significat tribulationes huius vitæ, & sicut igni vas solidum, & plenum resistit, & permanet, vacuum verò crepat, & frangitur: sic, qui plenus est divina gratia, fortitudine, & patientia, purgatur, qui verò vacuus est virtutibus frangitur, & consumitur. *ferm. 1. de sancto Laurentio; & in sup. c. 3.*

493. *Iustorum perfectio consistit in sequela Christi Iesu.*

Vestigia eius secutus est pes meus: Viam eius custodivi, & non declinavi ex ea. Quænam sunt ista vestigia Domini, quæ secutus est Iob si Deus nondum fuerat incarnatus, quomodò dicitur secutus fuisse vestigia eius? sed nota, quod propheticu lumine vidit Redemptorem incarnatum; & in persona imitatorum eius hæc protulit: sic discipuli Christi secuti sunt vestigia Christi per viam humilitatis, concordiæ, charitatis, & perseverantiæ: In hoc enim stat summa perfectio nostra. *ferm. 4. Dom. 4. post Pentecost. & ferm. 1. de sancto Nicolao: & in Luc. c. 5. vers. 28. & c. 8. v. 22. & c. 18. v. 22. & Ioan. capite vers. 44.*

494. *Perfectio sequelæ Christi consistit in subiectione, & obedientia.*

Vestigia eius secutus est pes meus. Quomodò potest dicere Iob se secutum fuisse vestigia Dei? Dei opera sunt exprimentia suam omnipotentiam: in his non poterat verè sequi eius vestigia! imo quia Lucifer voluit æquiparari Deo, ideo cecidit: quomodò ergo dicitur vestigia Dei secutus? sed nota, quod sequela alia est per æquiparantiam, & imitationem, alia per subjectionem, & obedientiam: primum non potest fieri à creatura: sed secundum exigitur in nobis, & Deus nos ad hanc sequelam invitat: in hoc enim sita est perfectio iustorum. *in Eccles. c. 2. & in Luc. c. 5. vers. 11. & in Ioan. cap. 10. vers. 30.*

495. *Solus Deus est, qui cuncta creavit, & ea conservat.*

Ipse solus est, & nemo avertere cogitationem eius potest, &c. Ad quid ponitur hic solitudo Dei? solus est Deus: In quonam solus? solus dicitur, non in ordine ad prædicata personalia; ut solus Pater est Deus: hoc non admittitur; ergo dicitur solus Deus in ordine ad prædicata substantialia, scilicet solus Deus creat. *l. 1. d. 21. quæst. 1.* Vult ergo dicere, quod solus Deus cuncta ex nihilo creavit, eaque rursus ad nihilum redigerentur, si manu sua ea non sustineret: Vnde dicitur, nobiscum esse ne deficiamus. *in Ioan. Collat. 25.*

496. *Consideratio præsentiæ divinæ turbationem sanctam, & timorem in corde gignit.*

A facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor. Ecce quid creaverit in corde Iob consideratio præsentiæ divinæ, eiusque iudiciorum, nempè timorem, & verecundiam: hic enim est proprius effectus talis considerationis. *in Luc. c. 1. v. 29. & Psal. 118. c. 4. v. 12.*

CAPVT XXIV.

497. *Scire, quod Deus æquè iustus, & misericors est, & nescire diem iudicij, incutit simul confidentiam, & timorem.*

Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, & qui noverant eum, ignorant dies illius. Vult dicere, quod iustus scit, Deum omnia cognoscere; Deum esse misericordem, & Iustum: Deum decrevisse tempora sua omnibus rebus, diemque mortis, & vitæ: sed & hunc diem voluit nobis esse ignotum, ut confidendo in Deum, vivamus cum timore, & tremore. *Psalm. 118. c. 5. v. 15.*

498. *Impij, & sequaces Diaboli opprimere tentant pauperes, & bonos.*

Alij subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ. Nota, quod hic exprimit nequitiam potentum sæculi, & Diaboli sequacium, quorum totus conatus est in subversione pauperum, & oppressione bonorum: Hocque præcipuè faciunt hæretici, qui non possunt suis malignitatibus opprimere populum christianum, & Ecclesiam Dei; imò, & Apostolos, & sanctos. *in sup. cap. 2.*

499. *Divites non subvenientes pauperibus in extrema necessitate positis, sunt raptores.*

Alij nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Qui sunt isti impij, qui audent despoliare pauperes, eosque nudos dimittere? sed nota, quod hoc dicitur de divitibus, qui subtrahentes pauperibus necessaria: V. G. victum, & vestitum, qui ob hanc subtractionem coguntur fame, vel frigore perire, dicuntur raptores; & oppressores pauperum: Aliena enim rapere convincitur, qui temporalia ultra necessitatem habere comprobatur, quia sunt bona pauperibus debita. *in Luc. c. 16. v. 19.* Et hinc S. P. Franciscus sanctè gloriabatur, se ounquam fuisse raptorem eleemosynarum, & præjudicium fecisse sanctæ paupertati.

500. *Malum exemplum præbentes sunt raptores Animarum.*

Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Nota, quod etiam dicitur de malum exemplum præbentibus, qui suo malo exemplo expoliant virtutibus alios, & præcipuè existentes in frigore peccantium

ob malam vitam ipſorum non convertuntur multi ad pœnitentiam, & in frigore pereunt peccatorum. *in Ioan.c.18.v.18.*

501. *Fides eſt calumna lucida fidelibus, & tenebroſa infidelibus.*

Vnde dicitur de iſtis, quod ſunt rebelles lumini, quia obſcuritate infidelitatis ſe opponunt lumini fidei, & in tenebris pereunt, ut accidit Ægyptijs. *Diat.Tit.5.c.3.*

502. *Iuſti ad lumen fidei, & verbi Dei illuminantur: Impij obſcurantur, & confunduntur.*

Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reverſi ſunt per ſemitas eius. Nota illud verbum, (*rebelles lumini*): quis eſt rebellis lumini? eſt ille, qui ſua malignitate ſe opponit lumini: nempè iſti ſunt impij, qui ad verbum Dei, & ad lumen fidei non inſtruuntur, nec illuminantur, ut juſti, ſed confunduntur, & magis obſcurantur, cum veritas declaratur, quia credere nolunt. *in Luc. c. 13.v.17.* ſunt item, qui ad audiendum verbum Dei accedunt, non ad addiſcendum. *in Luc.c.20.v.1.& in Ioan.c.3.v.19.*

503. *Viæ Domini ignorantur ab ijs, qui voluntariè ſe opponunt lumini ſanctæ fidei.*

Ipſi ſunt rebelles lumini, vias eius neſcium, &c. Vide quomodò qui ſe opponunt lumini fidei, & divinis inſpirationibus, ignorant vias Domini, quæ ſunt innocentia, & pœnitentia, & ideo non eſt mirum, ſi in errores varios ſe præcipitant. *in Ioan.callat.7.*

504. *Qui malè agit odit cum Diabolo lucem.*

Oculus adulteri obſcurat caliginem. Cur obſcurat caliginem? quia, qui malè agit odit lucem, & in tenebris intrat ſimul cum Diabolo, qui eſt princeps tenebrarum. *in Luc.c.22.v.53.& ap.Confeſſion. c.1.p.1.& l.2.d.22.dub.4.*

505. *Peccatum mortale inducit, & deducit hominem ad Infernum.*

Oculus adulteri obſcurat caliginem, in tenebris ambulat, &c. Vide iter peccatoris: nam omne peccatum mortalè, maximeque adulterium ducit hominem ad ſuum locum, qui eſt Infernus. *Pſalm. 118.c.4.v.13.*

506. *Dæmones valde timent fidem noſtram, cuius virtute elongantur à nobis.*

Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Ecce, quid valet lux contra impios, præcipuè contra Dæmones: & nota, quod ſicut aurora eſt prima lux, quæ in hoc mundo majori illuminat: ſic & fides eſt prima virtus, quæ illuſtrat Animam in mundo minori: & ſicut ad exortum auroræ tenebræ fugiunt, & propulſantur latrones: ſic & principes tenebrarum, ſcilicet Dæmones latrones Animarum abhorrent fidem, & virtute Ipſius fugantur. *op.Diat.Tit.5.c.3.*

507. *Ad exortum auroræ Mariæ Virginis, eiuſque nominis invocationem fugantur Dæmones.*

Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Ecce quod latrones adulteri, qui intenebris operantur, maximè Dæmones, ad exortum auroræ fugiunt tanquam ſi adſpicerent imaginem mortis: ſed cur ad exortum auroræ, & non potius ſolis? ſed nota, quod per hanc auroram figuratur Beata Virgo Maria, quia ipſa fugavit noctem culpæ, quia in luce ſemper fuit: quia nobis oriri fecit ſolem Chriſtum, & in ſe recepit ipſum: Ad cuius exortum, & invocationem fugantur homicidæ, fures, & adulteri, qui oderunt lucem, ſcilicet Dæmones, qui veluti homicidæ occiderunt genus humanum, velut fures rapuerunt Animas noſtras: velut adulteri eas corrumpunt: ideo advenientè gratia, & puritate Mariæ, fugiunt, ac ſi viderent umbram, & imaginem mortis: nec ſic terrent homines acies viſibiles hoſtium, ſicut Dæmones vocabulum Mariæ, ad cuius aſpectum pereunt, ſicut cera à facie ignis. *opuſc.ſpeculum Beatæ Virginis, lect.11.*

508. *Adulteris comminatur Deus maledictionem, & excommunicationem, id eſt ſeparationem à fructibus bonitatis divinæ.*

Maledicta ſit pars eius, ſcilicet adulteri, in terra, nec ambulet per viam vinearum. Ecce quales fructus adulterij: nam hoc peccatum eſt ſummè abominabile Deo, & ideo maledictio infligitur adulteri delectationibus, quæ ſunt partes, quas elegit in terra, & ſeparatur à Deo à via vinearum, ſcilicet à fructibus bonitatis, & ſuavitatis divinæ. *Pſal.118.c.2.v.14.* ergo ſicut excommunicatus ſeparatur à membris Eccleſiæ, eiuſque ſuffragijs privatur; ſic eſt apud Deum adulter.

509. *In Inferno puniuntur multiplici pœnâ damnati ſignificata per calorem, & frigus.*

Ab aquis nivium ad calorem nimium, &c. Cur hæc duo genera pœnarum tantum hic enomerantur? nonne & alijs pœnis cruciabuntur damnati? ſed notandum, quod in Inferno creduntur eſſe quatuor elementa, ſed quia ſunt ad pœnam, ideo enumerantur ea, quæ magis ſunt activa, ut ignis, & aqua: & ideo horum nomine, & maximè ignis veniunt omnes aliæ pœnæ: ut fiat denominatio à majori: & licet poſt diem judicij ceſſabit corruptio, & generatio elementorum, in Inferno tamen remanebit maxima pugna ad majorem cruciatum corporum: ut ſicut per concupiſcentiam carnis, & oculorum peccaverunt, ſic etiam maximè torquebuntur à calore, & frigore cum cæteris pœnis. *lib. 4.diſt.44.p.2.a.2.quæſt.2.& diſt.46. dub. 1.& in Luc. cap. 13. v. 27. In ſap. cap. 3. & Pſalm. 48. & in Luc. cap.21.verſ.33.& Diat.Tit.10. capite 1.*

510. *Amor terrenorum tollit fructum verbi Dei, & mactem ſpiritualem inducit.*

Conteratur quaſi lignum infructuoſum: panis eum

enim sterilem, qua non parit. Quid est pascere sterilem, & conteri quasi lignum infructuosum? Nota, quod pascere sterilem est ministrare panem verbi Dei sterili, scilicet qui in amore terrenorum immersus vivit, & quia talis amor reddit infœcundam Animam, ideò ministratio verbi Dei talibus fit sine fructu,& tales fame pereunt; qui enim seminat in carne, & in sensibus, de carne & meter corruptionem. *in Thren.c.4. & in Luc.c.20.v.31.*

511. *Locus pœnitentiæ est præsens vita tantùm.*

Dedit ei locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. Quis est iste locus pœnitentiæ? Nota, quod locus pœnitentiæ non est in Cælo, neque in Inferno, sed est præsens vita: Age igitur pœnitentiam, ne abutaris in superbiam hoc pretioso tempore, quia nescis quamdiù locum, vel tempus pœnitentiæ habebis. *fer.3.Dom.3.post Pentecost. in Luc.c.13.v.7. & sup.c.12.*



CAPUT XXV.

512. Ea, quæ sunt supra naturam à Dei potestate, & virtute sola possunt pervenire: Unde hic dicitur, quod potestas, scilicet superans vires naturæ, & terror apud Deum est.*in Luc.c.4 v.36.*

513. *Concordia competit viris cælestibus, & Angelis: discordia Dæmonibus, & iniquis.*

Qui facit concordiam in sublimibus suis. Qui sunt isti sublimes Dei? Isti sunt Cæli, in quibus est maxima concordia, & à quibus longè est pugna, & contrarietas, & ob id & corruptio: ergo concordia competit viris cælestibus: Concordia, inquam, & in virtutibus, & in motibus, maximeque in Religiosis, in quibus nulla debet esse disparitas in victu, nulla singularis diversitas in vestitu: Ab istis longè est pugna, contrarietas, & corruptio: E contra ubi sunt rixæ, & discordiæ, ibi contentiones, ibi corruptio,ibi omnia mala: & ideò mirum non est,si Christus quærit nos congregare in unum. *op.de Eccles. Hierarch. part.4.cap.4. in Luc. c.15.vers.9. & serm.de Apostolis.*

514. *Numerus Angelorum, qui sunt Dei milites nobis est innumerabilis: Deo verò numerabilis.*

Numquid est numerus militum eius? Qui sunt milites Dei? Isti sunt Angeli, qui in tanto numero serviunt Deo, quod licèt à Deo sint numerabiles, tamen nobis sunt innumerabiles: in quo patefit mirabilis potentia, & sapientia Dei. *op.de dono sap. cap.10. & sermon.1. de dedicat. & in Luc. cap.2.vers.13.*

515. *Deus indidit omnibus hominibus lumen innatum ad cognoscendum, & amplexandum bonum, & malum vitandum.*

Super quem non surget lumen illius? Quasi dicat, nullus est, cui non surgat: & quodnam lumen est hoc? lumen est innatum in natura, quo naturaliter homo cognoscit in generali, bonum esse amplexandum,& malum fugiendum. *Psal.118.c.7.v.9.* Et hoc est lumen dirigens hominem ad cognitionem, & observantiam præceptorum naturæ, à quo nullus adultus excusatur. *I.2.d.39.a.1.q.1.*

516. *Beata Virgo Maria est veluti Cælum omnibus suos benignos influxus communicans.*

Super quem non surget lumen illius? quodnam lumen, & unde? Nota, quod lumen cum aliis influentiis è Cœlo descendit in terram: ideò mysticè loquitur de lumine influentiarum bonitatis divinæ per Beatam Mariam Virginem, quia est veluti Cælum omnibus creaturis commune, & quantum de se est, omnibus se æqualiter communicans, & omnibus se commensurans, & diffundens radios sui luminis, scilicet suæ innatæ bonitatis, nec ab ullo se subtrahens, nisi illi qui se voluntarie ab ea illuminati negligit. *op. de Eccles. Hier.par.4. cap.7.*

517. *Solus Deus bonus.*

Numquid justificari potest homo compositus Deo? quasi diceret,non: Sed nonne etiam præter Deum inveniuntur multi justi, & Sancti? ideò minimè præter Deum, quia nemo bonus, nisi solus Deus: bonus, inquam, per essentiam, & summum bonum, ideò cum omnis alia bonitas sit per participationem, & deficiens, ideò comparata Dei bonitati est injustitia. *in Luc.c.18. v.19. & opusc. meditat. Vitæ Christi cap.1.*

518. *Stellæ licèt sint ex pura luce formatæ, in comparatione puritatis divinæ sunt impuræ & obscuræ.*

Unde hic dicitur, quod Luna non splendet,nec Stellæ sunt mundæ in conspectu ejus: Stellæ quidem in se sunt lux pura aggregata, & ob id in se puræ, attamen comparatæ divinæ luci, sunt obscuræ; sic est omnis sanctitas creata. *sermon. 1. de Apostolis.*

519. *Hypocritæ immundi coram Deo, licèt lucidi appareant coram hominibus.*

Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. quomodò non sunt mundæ, si ex pura luce sunt compactæ? Sed attende, quod loquitur de stellis apparentibus formatis ex vaporibus terreis: sunt lucidæ quoad apparentiam, sed verè non sunt tales: Isti sunt hypocritæ, qui exterius lucent, sed coram Deo sunt obscurati, & caliginosi, ipsique exosi. *op. de Eccl. Hier.p.4.c.3.*

520. *Opera bona nostra, quæ apparent lucida, sæpè coram Deo sunt obscura.*

Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Nota: Mysticè per stellas intelligi opera nostra bona, quæ lucida apparent, sed tamen sæpè ad examen justitiæ divinæ deducta inveniuntur obscura, & injusta, vel pluribus imperfectionibus admixta. *in Luc.c.11.v.13.*

521. *Homini corpus debet ingerere cognitionem suæ miseriæ.*

Homo putredo, & filius hominis vermis,&c. Nota, quod dicitur homo putredo ratione corporis subjecti, ob quam ad potredinem tendit, & ex quo vermes enascuntur: vultque Deus in hominem inducere talem putredinem, ut continuè suam miseriam recognoscat. *in Luc.c.5.v.20. & in sap.c.9.*



CAPUT XXVI.

522. *Homines alij gemunt sub aquis, alij super aquas ambulant.*

Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis. Quinam sunt isti gigantes gementes sub aquis? Nota, quod gigantes sub aquis sunt Prælati superbi, & avari, qui præ magnitudine curarum, & sollicitudine divitiarum cum Dæmonibus gemunt sub aquis quasi suffocati ab ipsis: Illi verò, qui à rebus terrenis sunt abstracti ambulant cum Deo super aquas facillimè: ô infelix cupiditas! felix abdicatio rerum temporalium! *in Thren.c.1.& ser. 1. in festo om.Sanctor.*

523. *Humilitas est fundamentum creationis novi mundi.*

Qui appendit terram super nihilum. Nota, quod dicitur Deus appendere, seu fundare terram super nihilum, quia creata est de nihilo cum tot aliis creaturis: Mysticè hæc terra est Anima: nihilum est humilitas: Deus igitur erigit veloti novam terram super fundamentum humilitatis,eam recreando,& exaltando ad novum statũ. *op.diat.tit.7.c.1.*

524. *Sine inchoatione gratiæ Dei nihil possumus operari.*

Qui appendit terram super nihilum. Idest Deus nihilum æstimat nostra opera, quia sine gratia Dei nihil valent. *ferm.2.Dom.Trinitatis.*

525. *Prædicator debet se accommodare capacitati auditorum.*

Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Nota, quod sicut aquæ dicuntur ligatæ in nubibus, à quibus paulatim descendunt: sic mysticè nubes sunt Prædicatores, quibus sunt coarctatæ salutares doctrinæ Evangelicæ, & ideò temperatæ secundùm capacitatem auditorum debent eas effundere, alioquin demergent eos. *In Ioannem c.4.v.36.& c.16.v.12.*

526. Iusti, & Angeli ad præsentiam Dei contremiscunt, non timore pœnæ, sed timore reverentiæ: Vnde hic dicitur, quod, *Columnæ Cœli contremiscunt. in Luc.c.4.v.36. & c.21.v.26 & in Psal. 77. & in sap.c.12.*

527. *Christus sicut per Scripturam Sacram repressit Diabolum: sic & docuit nos tali modo confundere illius superbiam.*

Prudentia eius percussit superbum, &c. Quomodò prudentia Deus percutit superbum? Iste superbus est Diabolus caput omnis superbiæ,quem Christus vicit prudenti sapientia sua, scilicet adducendo textum Sacræ Scripturæ in deserto:In quo apparet virtus, & nobilitas Sacræ Scripturæ, efficaciſſimè contra Diabolum *in Luc.cap.4.verſ.4. & in Eccleſ. cap.9.*

528. *Sapientia, & prudentia maxima manifestata est in Incarnatione Verbi.*

*Prudentia eius percussit superbum,*idest *Diabolum:* Quandonam, & quomodò fuit hoc? hoc manifestè apparuit in Incarnatione, qua vicit Diabolum: quia enim Diabolus sua astutia deceperat hominem: Sic Christus arte de Diabolo triomphavit: tetendit enim ei muscipulam Crucem suam, posuit & quasi escam suum sanguinem: sicque ipsum vicit,in quo facto maximo eluxescit potentia, sapientia, & bonitas Christi. *l.3. d.20.a.1. q.1. & l.3.d 4.a.1.q.1.in fund. in Luc.c.15 v.7. & in Ioan.c.8.v.29.& collat.85.*

529. *In creatione Cœlorum elucet mirabiliter divina sapientia.*

Spiritus eius ornavit Cœlos. Vide, quod inter tot mirabilia à Deo facta in mundi creatione mentionem peculiarem facit Sacer textus de creatione cœlorum,& ornatu eis addito; & ideò Dei potentia, & sapientia maxime patefit in hoc, quod Cœlum est sublime superiorem locum tenens, stabile, quia licèt moveatur, tamen nunquam mutat locum,& spectabile, quia ornatum est luminaribus, & ab hac conditione denominatur Cœlum à celando non ab abscondendo, sed à sculpendo, quia est sculptum,& ornatum luminaribus. *ser.8.Hexaem.*

530. *Fides Catholica est Cœlum, & Anima in eo habitatur elevata ad statum cœlestem.*

Spiritus eius ornavit Cœlos. Nota, quod dicitur Cœlos in plurali, licet conveniat in unum: unde signatur fides Catholica, quia facit Animam sublimem per intelligentiam rerum cœlestium, stabilem in veritate, & spectabilem, scilicet ornatam multiformi lumine. *ser.8.Hexaem.*

531. *Vita religiosa, seu Religio est Cœlum habitatum ab Angelis.*

Spiritus eius ornavit Cœlos. Mysticè,hoc Cœlum est Religio, seu status religiosus: sicut enim Cœlum est corpus nobile, sublime, & altiſſimum,ornatum, lætum: sic & vita religiosa, nobilitate ingenua,elevata, læta,ornata:nam vita religiosorum est abstracta, & remota à terrenis curis:est per castitatem immunis à corruptione: est continuativa motuum per executionem obedientiæ: est ordinata secundùm sursum,& deorsum: immunis à contrarietatibus per sanctam concordiam: est & occultativa meritorum, est & diffusiva sanctarum influentiarum in alios: Habitatores autem horum cælorum sunt Angeli, scilicet Religiosi vita angelica præditi ascendentes ad contemplationem divinitatis, & descendentes ad opera pietatis. *op. de Eccleſ.Hier.p.4.c.4.& in Ioan.collat.10.*

532. Cœlum

532. *Cœlum ornatum sunt Apostoli.*

Spiritus eius ornavit cœlos. Quos cœlos? Sanctos Apostolos, quos Spiritus Sanctus ornavit virtutibus, miraculis, & doctrina, ut veluti cæli influerent in totam terram gratiam, & doctrinam evangelicam. *op. de Ecclesf. Hier. p. 4. c. 2.*

533. *Doctores, & Prædicatores sunt cæli ornati à Spiritu Sancto.*

Spiritus eius ornavit Cœlos. Nota mysticè: Isti cæli sunt Doctores, & Prædicatores, quos Spiritus Sanctus ornavit, idest eos ornatos veluti stellis virtutum, exemplorum, & sancta conversatione. *op. Eccles. hierar. p. 4. c. 5.*

534. *Prædicator medicus spiritualis prius seipsum medetur, postea alios.*

Obstetricante manu ejus, coluber tortuosus eductus est. Ad litteram vult dicere, quod per extensionem manus Christi, scilicet gratiæ divinæ ad hominem, eductus est de corde hominum peccatorum coluber, scilicet serpens infernalis ejectus est: mysticè docet Prædicatorem, ut prius suas manus extendat ad se medendum, postea ejiciet peccatum ex corde aliorum. *in Luc. c. 6. v. 42.*

535. *Confessarius quadam peccata à longè, & cautè examinet, ne inficiat pœnitentes.*

Obstetricante manu, coluber tortuosus eductus est. Hoc mysticè dicitur de Confessario discreto, qui in inquisitione quorumdam peccatorum, quæ possunt inficere pœnitentes ignorantes talia peccata, vel modos, debet prius extendere manum, & cautè, & à longè inquirere: sic enim facile exiet coluber tortuosus. *l. 4. d. 19. dub. 5.* magna igitur prudentia exigitur in Confessario in examine, & inquisitione peccatorum.

536. *Furor iræ Christi Iudicis in Iudicio extremo non potest ulla comparatione explicari.*

Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Nota hic, quod duplex adventus Christi exponitur, scilicet primus, & secundus: de primo multa sunt dicta, in quo viæ Christi fuerunt dulces propter suavitatem eloquij: de Secundo dicit: *quis poterit tonitruum eius intueri*, indicans terribilitatem futuris Domini in reprobos: hoc autem tonitruum erit sententia ipsius, qua condemnabit impios: cujus consideratio proposita nunc solis verbis, incutit timorem, & horrorem intolerabilem, & si hoc, quis poterit iram ejus tolerare? *serm. 3. Dom. 15. post Pentec. Ioan. c. 12. in fine.*

537. *Notitia, quam habemus in hac vita est parva stilla in comparatione magnitudinis divinorum, quæ nobis abscondita remanent in Cœlo videnda.*

Cum vix parvam stillam sermonis illius sunt dicta, &c. Vide, quæcomque homo vidit, & novit de Deo in hac vita est parva stilla, & ferè nihil in comparatione eorum, quæ nobis abscondita remanent: sunt enim nobis incomprehensibilia, solumque in gloria manifestanda. *l. 1. in proœm. & ser. 9. Hexaem. & in Luc. cap. 5. vers. 3.*

538. *Quæcumque tribulatio in hac vita est parva stilla iræ divinæ in comparatione pœnarum alterius vitæ.*

Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum, &c. Nota, quod Iob enumerat omnes suas pœnas, & tribulationes, quas nunc appellat parvam stillam sermonis ab ipso auditi; ut videas, quod tribulationes quæcumque hujus vitæ sunt parva stilla iræ divinæ in comparatione pœnarum, quas comminatur Deus in alia vita. *ser. 3. Dom. 15. post Pentec.*



CAPUT XXVII.

539. *Mendacium in corde meditatum sæpè pejus, quàm falsa locutio.*

Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Nota, quod B. Iob primò excludit mendacium ore prolatum, deinde meditatum lingua, scilicet interiori cordis: estne forsan hoc ab illo diversum, cum opus exterius nihil essentiale addat interiori meditato, loquendo de reatu culpæ? Attamen optimè, & gradatim procedit Beatus Iob: nam aliquando pejus est mendacium meditari, quàm loqui, quia illud est studiosæ pravitatis, istud præcipitationis. *in Ioan. c. 8. v. 45.*

540. *Perseverantia in Dei servitio suadetur, estque iustorum propria.*

Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, &c. Ecce discrimen quale inter fideliter Deo servientes, & desidiosos: nam isti modò volunt, scilicet tempore prosperitatis, & modò nolunt, scilicet tempore adversitatis: Illi semper & in prosperis, & in adversis stabiles perseverant Deo serviendo, ut faciebat Beatus Iob. *in Luc. c. 8. v. 13. & op. de dono fortitud. c. 2. & op. de grad. vitæ c. 14.*

541. *Sola Beata Virgo Maria potuit dicere absolutè se semper fuisse innocentem, & puram.*

Iustificationem meam, quam cœpi tenere non deseram: neque enim reprehendit cor meum in omni vita mea. Quomodò hoc poterat dicere Iob, cum certum sit ipsum contraxisse peccatum originale? imò etiam peccasse venialiter? Sed fortè loquitur de peccato actuali mortifero: Absolutè enim hoc poterat dicere Beata Virgo Maria, quæ sola post Christum immunis fuit ab omni culpa originali, & actuali mortali, & veniali. *ser. 2. de B. Virg.*

542. *Obediens Deo obtinet ab eo quidquid petit.*

Neque reprehendit cor meum in omni vita mea, &c. Ecce quid reddidit gratum, & Deo amicum B. Iob: Ecce fundamentum, quo Iob obtinuit à Deo, quod petiit, scilicet obedientia Dei præceptis

ceptis præstita, fugaque ab omni vitiosa operatione. *in Ioan.collat.47.*

543. *Negligentia in Dei obsequio inducit amissionem gratiæ divinæ.*

Iustificationem meam non deseram. Vide quomodò Beatus Iob cognoscens damna, quæ negligentia in Dei obsequio affert, ideò proponit stabilem se conservaturum, & perseveraturum. *Psalm.*118. *c.*1.*v.*5.*&* 16.*&* *c.*9.*v.*13.*&* *c.*10.*v.*11.

544. *Qui Dei præceptis non obtemperant iniqui, & inimici sunt ipsius Dei.*

Sit ut impius inimicus meus, & adversarius meus quasi iniquus. Nota hæc dici à Christo, quibus declarat quis sit ejus inimicus, & adversarius, nempe, qui adversatur ejus præceptis, licèt ore fateatur Deum,tamen corde negat. *Psal.*118.*c.*6.*v.*5.

545. *Prædicator directus à Christo dirigit auditores in via Dei.*

Docebo vos per manum Dei, nec abscondam. Quid est docere per manum Dei? quia Prædicator debet à manu Dei dirigi; sicque securè dirigit suos auditores in via Dei de his, quæ debent scire, facere & fugere. *in Ioan.c.*10.*v.*30.

546. *Supplicia, & pœnæ sunt hæreditas, quæ ex culpa contingit impiis.*

Hæc est pars impij apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipiunt. Quænam hæreditas est ista? & à quonam legatario provenit? hæreditas hæc est successio in pœnis,& suppliciis, quam impiis ex malis operibus, & peccatis Deus ordinavit:è contra hæreditas bonorum est gratia,& gloria. *Psal.*118 *c.*7.*v.*15.

547. *Hæreditas hæreticorum, & impiorum sequacium ipsorum est gladius æternæ damnationis sententia.*

Si multiplicati fuerint filij violentorum in gladio erunt. Idest filij hæreticorum, qui violenter, & perversè extorquent Sacræ Scripturæ sensum,gladio sententiæ æternæ damnationis subjicientur. *Psalm.*88.Idem dicitur de quolibet impio, *in Luc. cap.*19.*vers.*44.

548. *Divitiæ sunt velut somnium inane.*

Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos,& nihil inveniet. Nota hic pulchram metaphoram de dormiente,& somniante: datque intelligere facer textus, quod sicut qui dormit somniaos se habere multas divitias, cum evigilat vacuum esse se inveoit:sic divites cum multa se coogregasse credunt advenieote morte, oibil se habere inveniunt, nisi peccata, quæ propter divitias commiserunt: cum igitur divitiæ sint veluti somnium, non valentes replere cor, sunt à nobis contemnendæ.*ser.*1.*de Invent.Sanctæ Crucis.*

549. *Dives impius, & immisericors in hac vita: in altera erit mendicus,& inops.*

Dives cum dormierit,nihil secum auferet, aperiet oculos, & nihil inveniet. Hic admonentur divites, ne cor suum figant in teosei,& vitiosa rerum conservatione, quia qui despexerit pauperes (ot dives *in Luc. c.*16.) in alia vita redigetur ad mendicitatem, & miseriam. *in Luc.cap.*16.*v.*24.*&* *c.*12.*v.*15. *&* *in Ecclesi.c.*5.*&* 9.

550. *Divites in morte spoliantur divitiis, sicut Asinus mortuus corio.*

Dives cum dormierit, nihil secum auferet,&c. Cur secum non puterit auferre? quia velit, nolit spoliatur divitiis, & omnibus rebus: corpus verò vermibus traditur: sicut Asinus mortuus prius corio spoliatur, deinde corpus canibus, & avibus devorandum exponitur;& ideò potest dici de malo divite, quod sepultura asioi sepelitur,ut dicitur *Hierem.*22.*ser.*1.*de Sancto Iacobo*: & hinc Anima in Iofernum detruditur.*sup.c.*5.



CAPVT XXVIII.

551. *Aurum,& argentum tamquam vilissima terra despiciendum.*

Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur. Cur notatur hoc à Beato Iob, quod apud omnes est evidens; nempe, quod argentum habet veoarum principia, sicut & aurum? nota, quod tradens, & in memoriam reducens originem auri, & argenti, quæ est terra, vult Deus, ut mentem erigas ad cognitionem suæ vilitatis, nempe cum sit terra, & de terra; ideò videas esse contemnendum, & ad bona cælestia animum erigendum. *in sap.c.*7.

552. *Ira grande malum.*

Lapis calore solutus in æs convertitur. Mirum verè est hoc opus, notaturque solventis virtute caloris solis lapides in æs,& non potius in aurum, vel argentum: qualis purgatio est hæc? sed tamen cum isti effectus naturæ sint mirabiles, & occulti, vult tamen Spiritus Sanctus, ut ex hoc assurgat meos nostra ad alium sensum mysticum:dat igitur intelligere mysticè, quod lapis est cor durum, & lapideum, quod quando calore iracundiæ soluitur, statim ad modum æris reddit sonum indignationis, & contumeliæ: Nota etiam, quod sicut calculus percussus malleo emittit scintillam, oon tactus verò non emittit ignem: Sic iracundus videtur patiens, si non tangatur, si verò aliquo verbo contumelioso tangatur, tunc in ignem impatientiæ exit. *op.diat.tit.*1. *c.*5.

553 *Conversi ad pœnitentiam,si Spiritus Sancti gratia imbuantur, fortissimi evadunt contra omnes ictus Diaboli.*

Ferrum de terra tollitur, &c. Mysticè, qui prius erant terra, scilicet terrenis, & peccatis involuti, si ad Deum perfectè convertuntur, Spiritus Sancti gratia fortificantur contra omnes impetus Diaboli: sicque verificatur hoc dictum, ferrum de terra tollitur. *Psal.*104.

554. Cor

554. *Cor lapideum solvitur in æs sonans divinas laudes calore amoris Dei.*

Lapis calore solutus in æs convertitur. Nota, quod per lapidem intelligitur cor lapideum, & durum, quod à calore amoris Dei solvitur in æs, scilicet resonans divinas laudes: Cor igitur, quod non accenditur ex amore plusquam lapideum est. *op. Stim. divi. am. p. 2. c. 2. Psal. 84.*

555. *Per contritionem separatur, & liberatur Anima à peccatis, & à Diabolo.*

Lapidem quoque caliginis, & umbram mortis, dividit à populo peregrinante. Quis est iste lapis caliginis, & umbra mortis nisi peccatum, & Diabolus? Ab his torrens scilicet contritionis separat hominem peregrinantem, scilicet iustum. *serm. 9. de Nativit.*

556. *Synagoga subversa ad adventum Christi.*

Terra, de qua oriebatur panis, igni subversa est &c. Mysticè hæc terra est synagoga, quæ ad adventum Christi subversa est. *Psal. 95.* Intelligitur etiam terra Pentapolis igne subversa. *Sap. cap. 10.*

557. *Populi Iudaici ignorantia, & perfidia abstulit ab eo Christum.*

Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Nota, quod metaphoricè loquitur hic Spiritus Sanctus de populo Iudaico, dicens, quod ignoravit semitam avis: quænam est ista avis? hic est Christus, qui volavit de Cœlis in terram per Incarnationis viam, quam ignoravit populus Iudaicus: dicitur autem, (vultur) quia per Incarnationem volavit de Cœlis ad Cadaver humanitatis, cuius oculos, scilicet intentionem non est intuitus hic populus, ideò eum perdidit. *in Thren. c. 3. & Vgo Cardin. hic.*

558. *Superbus, & lascivus ambulat per viam, quam nescit scilicet perditionis.*

Semitam ignoravit avis &c. Vide, qua metaphora omnibus nota scilicet per volatum avis se ferentis per viam aeris, absque eo quod præcognoscat eam: Dat Spiritus Sanctus intelligere cursum viæ peccantium, qui tanquam animalia irrationalia per viam tenebrosam peccati incedunt absque consideratione, & præcipue intelligitur superbus, & lascivus: isti enim per viam tenebrosam, quam non vident, ambolant, & ideò mirum non est, si inopinato sæpe cursu ruunt ad præcipitium. *in Sap. c. 5.*

559. *Contemplativi exaltantur ad cognitionem mysteriorum Dei, & delibant omne pretiosum.*

Et omne pretiosum vidit oculus suus, profunda quoque fluviorum scrutatus est &c. Vide hic felicitates Animæ contemplativæ: hæc enim ad Divinitatis contemplationem se elevat, & ibi delibat dulcedinem, & omne pretiosum igne charitatis succensum. *op. de Ecclesi. Hier. p. 1. c. 2.*

560. *Qui ex lectione Sacra Scripturæ vult fructum percipere debet scrutari abdita ipsius.*

Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit. Ecce quale est munus Doctoris sacri, & Prædicatorum, qui non solùm debent legere, studereque Sacræ Scripturæ, sed & scrutari acumine ingenij, subtilitate studij, & diligentia scrutinij per meditationem, & adiutorio luminis fidei: Iste verè proficit pro se, & alijs. *in Ioan. cap. 5. vers. 38. & in Luc. cap. 4. vers. 17. & 18.*

561. *Sacra Theologia mirabilia rectè explicantur metaphora fluvij.*

Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit. Nota, quod hic explicatur maximum beneficium nobis à Deo factum in revelatione Sacræ Scripturæ, & theologicarum doctrinarum, in quibus fluvius multiplex proponitur, nempe emanatio divinarum processionum perennia: rerum mundanarum creatio speciosa, & lata: Incarnatio Verbi divini, quod à Patre generatum, & missum in mundum, velociter per circulum ad Patrem redit: Dispensatio Sacramentorum, emundans terram, scilicet hominem ab omni macula: per quæ producta sunt in lucem abscondita Dei, scilicet magnitudo divinæ substantiæ, ordo divinæ sapientiæ, fortitudo divinæ potentiæ, & dulcedo divinæ misericordiæ. *l. 1. in proœm.*

562. *Sapientia divina in se à nobis non potest videri, sed tantum in creaturis, & in Christo.*

Sapientia ubi invenitur; & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium? Hoc dicebat Iob innuens, quod sapientia divina in se non potest videri, & cognosci à nobis, cum sit incomprehensibilis, sed tamen divina pietas non permisit, ut nobis remaneret omninò abscondita, quia ipsam aliqualiter patefecit operibus, & rebus ab ipsa creatis, & maximè per Incarnationem Verbi. *lib. 1. proœm.*

563. *In Christo, & per Christum invenitur sapientia divina.*

Sapientia ubi invenitur, & ubi est locus intelligentiæ. Hoc quæritat Iob: Sed ei respondetur à Paulo Christi præcone, quod à Christo ostensus est locus eius, scilicet in ipso, & per ipsum, quia per ipsum velamen ablatum est, & nobis ostensa sunt mysteria divinæ sapientiæ. *in Luc. c. 4. v. 17. & c. 18. v. 34. & ser. 2. in Epiphan.*

564. *Pretium virtutis inæstimabile, contemptum tamen à mundanis.*

Nescit homo pretium eius. Scilicet sapientiæ, virtutisque: Ecce causa, quare virtus à mundanis contemnitur, qui ipsa relicta, ad immunda, & inutilia se applicant, quia tanquam animalia irrationalia ignorant inæstimabile pretium eius. *op. Diæt. Tit. 5. c. 1.*

565. *Christus non invenitur in deliciarum carnalium lectulo, sed in corde puro.*

Non invenitur in terra suaviter viventium. Scilicet sapientia: quæ est hæc terra suaviter viventium? Aliud non est, nisi vita carnalium deliciarum: Unde posset potius dici terra suaviter dormientium: Viventes enim in delicijs, dormiunt in somno peccati: & ideò sponsa dicebat: *in lectulo meo per noctes quæsivi illum, & non inveni:* Christus igitur æterna sapientia Patris non invenitur, nisi in corde puro, & simplici. *in Ioan. c.7.v.34.*

566. *Christus in lectulo Crucis solùm invenitur, vbi dormit, pascit, & cubat.*

Non invenitur in terra suaviter viventium. Qui sunt isti suaviter viventes? Sunt illi, qui iacent in lectulo, vel vivunt ad mensam carnaliom concupiscentiarum: ibi enim Christus non iacet, non cubat, non pascit: Sed vbi invenimus eum? Adverte, quod invenitur solùm in Cruce: hæc est lectus, hæc mensa, hæc locus, vbi dormit, vbi cubat, vbi quiescit, vbi moratur Christus in meridie: sicut igitur sol in nocte, & rosa in stabulo non invenitur: sic nec Christus in carnali anima. *serm.7. in Rogat.*

567. *Locus suavitatis alius est, in quo invenitur Deus, alius, in quo perditur.*

Non invenitur sapientia in terra suaviter viventium. Quomodò non invenitur in terra suaviter viventium? nonne vbi est Deus, ibi suavitas? nonne suavis est Dominus omnibus timentibus eum? Sed attende, quod alia est suavitas, in qua Christus invenitur: alia, in qua perditur: illa est vera: ista ficta: Attende tamen, quod suavitas alia est naturalis rerum, alia spiritualis, & divina: in illa non invenitur alijs, qui certis rebus abutuntur dediti carnalibus delicijs: in ista, scilicet in remotione peccatorum in pœnitentia, in inventione donorum Spiritus Sancti Christus invenitur. *serm. 6. in Pentecost. & op. de Eccles. Hier. p.1.c.5.*

568. *Deus nullibi est per continentiam, sed vbique per præsentiam.*

Abyssus dicit non est in me: mare loquitur non est mecum. Sed qua veritate id potest dici de abyssis, de mari &c. cum Deus sit vbique? Nota, quod hic, abyssus stat pro Anima existente in peccato: mare stat pro inquietudine cordis hominis: ideò Deus dicitur non esse in creaturarum vitijs, licèt sit in ipsis creaturis. *in sapientia c.7. & Psal.97.*

569. *Deus non invenitur nec residet in corde impuro.*

Mare loquitur non est mecum. Nota, quod specialiter dicit de mari, non de alia creatura, quod ibi non est Deus, quia per hoc mare turbidum intelligitur cor nostrum furore turbidum, rivis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum, & inquietum sæcularium sollicitudinum: In hoc mari non residet Dominus, sed illud transit. *in Ioan. c.6. v.4.*

570. *Thesaurus desiderabilis spiritualis est Christus, & sapientia cœlestis praeponendus cuicumque thesauro temporali.*

Non dabitur aurum obrizum (idest purum) *pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius, non conferetur tinctis Indiæ coloribus &c.* Vide quomodò hic proponit omnia pretiosiora huius vitæ, eaque comparando Christo, eiusque sapientiæ cœlesti, edocet, omnia illa esse vilissima respectu thesauri huius spiritualis: & hoc primò ratione originis, quia thesaurus mundanus est de terra, sapientia autem de Cœlo est: Secundò ratione naturæ, quia ille est res corporalis, ista spiritualis: Tertiò ratione virtutis, qua ille est, finitus, ista infinita. Quartò ratione operationis quia ille ad pauca potest se extendere, ista ad omnia: Quintò ratione æstimationis, quia ille cadit sub æstimatione, ista non: Sextò ratione vtilitatis, quia divitiæ sine sapientia, & Christo nihil prosunt: at Christus, & sapientia sine divitijs prodest: Septimò ratione durationis, quia illæ corrumpuntur, istæ nunquam marcescunt: Octavò ratione inclinationis, quia sapientia sursum elevat, divitiæ ad terram trahunt, imò ad Infernum. *in Sap. c.7. & Psal. 118. c.8. v.15.*

571. *Sapientia, & scientia divina rerum spiritualium trahit originem è Cœlo.*

Trahitur sapientia de occultis. Ecce qualis origo sapientiæ rerum spiritualium nempe de occultis, quia est de Cœlo, & ideò mirum non est, quod secum afferat multas difficultates. *in Sap. c.7. & in Prol. & Psal. 90.*

572. *Christus corporalem pulchritudinem traxit de Beata Virgine.*

Non conferetur ei Topazius de Æthiopia, nec tinctura mundissima componetur. Nota, hic in medium proponi topazium splendidissimum, & mundissimum, vt exprimatur pulchritudo Christi Iesu, qui secundùm carnem fuit pulcherrimus, quia sicut splendor non solùm per integrum vitrum transit, sed etiam eius colorem inter transeundo induit: sic Dei filius purissimam carnem, & pulcherrimum colorem de Virgine traxit superantem tinctos Indiæ, imò totius mundi colores. *serm. 1. de Nativit.*

573. *Veritas absconditur eis, qui verba Dei sequi contemnunt &c.*

Abscondita est ab oculis viventium sapientia. Cur ab oculis viventium? Ab oculis viventium carnaliter, qui suam voluntatem sequentes in cupiditatibus volunt vivere, ideò talibus veritas, & sapientia divina absconditur. *in Ioan. c.8. v.59. & collat.57.*

574. *Bona fama præconium alijs est occasio credendi, alijs invidendi.*

Perditio, & mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam eius. Quomodò mors, & perditio dixerunt de sapientia; *auribus nostris audivimus.* quia de bonis iustorum operibus, alijs fama

ma est occasio invidendi, alijs credendi: illis in malum, istis in bonum: sic evenit Beato Iob, & magis Christo patranti tot miracula in hoc mundo. *in Luc. c. 7. v. 17. & cap. 4. v. 14. & serm. de Sancta Elisabeth.*

575. *Locus Dei est Anima in gratia existens.*

Deus intelligit viam eius, & novit locum suum. Quis est locus Dei, qui vbique est? Sed nota: locus Dei dicitur Anima ab effectibus, nempe Anima in gratia existens est locus, ad quem venit sapientia Dei per illuminationem mentis, per quam iudicatur, & cognoscitur eius præsentia: felix igitur est illa Anima, quæ fit locus à Deo habitatus. *in Ioan. collat. 64.*

576. *In Christo est via, & locus Dei.*

Deus intelligit viam eius (scilicet sapientiæ) *& novit locum eius.* Vide, quod hic loquitur de sapientia incarnata, cuius via est humanitas: & locus est Divinitas. *Psal. 94.* Per humanitatem ergo tamquam per medium venit Divinitas ad nos.

577. *Sub divina providentia legibus reguntur causæ secundæ.*

Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Nota, per hæc verba confundi Ethnicos, & Astrologos, qui volunt, causas secundas non subesse divinæ providentiæ, sed casui, & fortunæ, vel necessitati astrorum, quod falsissimum est, quia omnia à divina providentia reguntur. *Psal. 118. c. 3. v. 1.* Vnde piè constitutum est, vt recursus per orationem fiat ad Deum in siccitatibus, inundationibus, & alijs aeris, terræ, & elementorum eventibus, confusionibusque, quia omnis creatura sentit Creatorem, & Divinæ Maiestati sunt sensitiva, quæ apud nos sunt insensibilia, omniaque ei, vt subiecta, obediunt. *in Luc. c. 8. v. 25.*

578. *Deus cum per Prædicatores nobis aperit abdita sua sapientiæ, dicitur ipse, & videre, & prædicare &c.*

Tunc vidit illam (scilicet *sapientiam*) *& enarravit.* Nota: tunc vidit: ergo Deus prius non viderat &c. sed id dicitur, quoad effectus in nos: cum nos facit videre, & cognoscere mysteria cœlestia per Prædicatores, tunc ipse dicitur videre, & enarrare &c. *op. de invisibilitate Dei.*

579. Timor Domini donum Spiritus Sancti involuit cultum Dei cum cognitione experimentali, & exercitio fidei, spei, & charitatis, inchoaturque in cognitione, & consommatur in affectione: & de quo hic dicitur: *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia. l. 1. d. 4. dub. 5. & Centil. p. 3. sect. 45. & Psal. 118. c. 3. v. 8.*

580. *Ecclesia in vltimis temporibus premetur maximis tribulationibus, & erroribus in plurimis hominibus.*

Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos &c. Notandum, quod hic Iob induit personam Ecclesiæ positæ in vltimis temporibus, & ista comparans primis & antecedentibus, innuit, quàm gravem, & multiplicem persecutionem passura est, & in quas obscuritates errorum casuri sunt Ministri eius: Vnde sicut nunc lucerna Sacræ Scripturæ lucet super caput Ecclesiæ, quia eam illuminat, tunc videbitur in plurimis quasi in nocte abscondita. *Psal. 51. & Glossa hic.*

581. *Perfectè orans loquitur cum Deo, & Deus se præsentem ipsi facit per interiorem illustrationem.*

Quando secretò Deus erat in tabernaculo meo, quando erat omnipotens mecum. Quid est hoc, quod videtur desiderare Iob? Nonne semper vbique est Deus? quomodò nunc desiderat, vt Deus secum maneat? Sed notandum, quod licèt Deus sit vbique, tamen non semper se præsentem ostendit nobis, sed per actuale adiutorium, & illustrationem mentis se offerens Animæ oranti; tunc se ostendit præsentem ipsi: cum enim Anima orat ad Deum, tunc cum Deo loquitur, & Deus vice versa ei respondet per illustrationem mentis, & infusionē gratiæ. *sic Glossa hic. & in Ioan. collat. 52.*

582. *Aliquando Deus videtur à iusto recedere, vt avidius quæratur.*

Quando erat omnipotens mecum. Ergo Beatus Iob desiderabat tunc Deum secum? ergone recesserat ab eo? nonne & erat tunc iustus? quomodò ergo videbatur à Deo derelictus? Sed attende, quod hæc est ars Dei, & actus suæ bonitatis: nam Deus dicitur venire, & manere cum Anima, quando actu confert adiutorium, vel internam consolationem vel illustrationem: Videtur & recedere, quando ista subtrahit: quod aliquando facit, vt avidius desideretur & quæratur ab Anima amante. *in Ioan. collat. 64.* sic & dicebat illa beata Anima: *quæsivi illū, & non inveni &c. Cant. 3.*

583. *Deus vult, vt servi sui inter se amicabilitatem, simplicitatem, tractabilitatem, & docilitatem ad modum puerorum servent.*

In circuitu meo pueri mei &c. Nota, quod hic Sanctus Iob dicit, quod pueri sui stabant in circuitu suo, quando Deus omnipotens erat secum: hic autem loquitur in persona Ecclesiæ, cuius pueri sunt ministri eius, & Religiosi: hos vult Christus, vt sint veluti pueri inter se: scilicet, vt puritatem, amicabilitatem, docilitatem, & tractabilitatem, veracitatem, & humilitatem puerorum servent. *in Luc. c. 18. v. 16.*

584. *Affectuum mundatio præparat Animam ad pinguedinem devotionis.*

Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat rivos olei. Videtur hæc actio parum conformis viro in Deum toto corde affecto: quomodò Iob lavabat sibi pedes butyro? nonne hoc est potius fomentum sensualitatis, & voluptatis carnis? Sed attende, quod hæc ad litteram non sunt intelligenda vti sonant: nam per talem modum loquendi indicare volebat abundantiam, & opulentiam tum butyri, tum olei, tum & aliorum bonorum corporalium, quibus affluebat tempore prosperitatis: non enim lavabat pedes suos

butyro,ſed tanto butyro abundabat,quod potuiſſet lavare pedes:*ſic Lyranus*:Sed cur dicit:quod vere lavabat pedes butyro?vt indicaretur pulchrum myſterium in hoc modo loquendi:Nota,per pedes ſignificantur affectus Animæ, quibus ad propotrionata opera procedit : per butyrum ſignificatur pinguis doctrina Chriſti, per oleum devotio, quæ ex petra, ſcilicet Chriſto procedit: Vult ergo dicere, quod mundatis affectibus Animæ, doctrina cœleſti compungebatur ipſa Anima, & hinc manabat oleum devotionis in ea, quodque præcipuè evenit ijs, qui in foraminibus petræ, ſcilicet vulnerum Chriſti requieſcunt per meditationem, deſiderium, & amorem: Ad hanc petram ergo, ad has rimas ô Anima curre, & ſuges mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo, *ſerm.3.in Cœna Domini.& in Ioan. c.13.v.9. & collat.59.*

585. *Oleum gratiæ Spiritus Sancti extractum eſt de petra, ideſt de Chriſto in Cruce compaſſo.*

Petra fundebat mihi rivos olei. Nota: myſticè hæc petra eſt Chriſtus, qui expreſſus in Crucis patibulo fudit pro nobis oleum gratiæ Spiritus Sancti in plures ramos, ſcilicet plura diviſa,quo oleo in devotione vnguntur proficientium Animæ.*ſerm.4.in Pentecoſt.*

586. *Per bona opera tanquam per portam intratur in Cœlum.*

Procedebam ad portam Civitatis &c. Ad quid affert iſtum proceſſum ad portam Civitatis? & quæ Civitas erat iſta? Nota hæc porta Civitatis, ſcilicet cœleſtis Hieruſalem eſt à nobis invenienda,ſuntque opera bona, per quæ intratur in Regnum Cœlorum: ſi igitur hanc portam non inveneris, non intrabis.*Pſal.20.& 99.& 107.*

587. *Perfecti dicuntur ſenes in via Dei: Imperfecti, iuvenes.*

Videbant me iuvenes, & abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant. Vide diſcrimen morum iovenum, & ſenum: illi præ timore etiam ſi eſſent mali confundebantur videntes iuſtitiam, & ſanctitatem prælucere in Principe: Iſti cum reverentia ſtabant ad conſpectum eius:Myſticè tamen per iuvenes in via Dei, intelliguntur imperfecti, & qui nulla conſilij gravitate deprimuntur:ſenes verò,perfecti, qui exemplorum bonorum vita adſtant coram Deo.*in Ioan.c.11.v.19.*

588. *Humilitas,& obedientia in ſubditis ad Prælatos reddit eos ſimiles Angelis.*

Senes aſſurgentes ſtabant, & principes ceſſabant loqui &c. Vide quali reverentia, & obſequio ſtabant coram Iob Principe ſui ſubditi: Hæc enim humilitas,& obedientia reddit Rempublicam regulatam ad ſimilitudinem Hierarchiæ Angelicæ, & ſubditos tales ſimiles Angelis, qui reverenter aſtantes coram Deo,ipſi obtemperant, & monita ſuperiorum Angelorum amplectuntur. *op.Eccleſ. Hierar.p.1.c.1.*

589. *Principi iuſto non audent ſubditi reſiſtere.*

Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo &c. Ad quid hæc ſuperpoſitio digiti ori? ne viderentur reſiſtere præceptis Principis, in ſignum reverentiæ, & obſequij cognoſcentes eius rectitudinē,& perfectam intentionem.*ſap.c.8.*

590. *Prædicans verbum Dei, & vitam innocentem ducens quaſi cogit auditores ad percipiendam veritatem.*

Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Nota,quod in medium proponit auditum, & viſum auditorum ſuorum: Sed quomodò poteſt dici, quod auris, & oculus beatificat, & laudat, cum hoc ſit proprium linguæ? Vult dicere,quod audientes puritatem ſuæ doctrinæ, & exempla innocentis viæ, videntes quaſi cogebantur ad percipiendam veritatem, & ad corrigendum mores: Ecce conditiones boni prædicatoris.*in Luc.c.4.v.22.*

591. *Docibilitas in credendo Verbo Dei, qualem fructum Animæ pariat.*

Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat. Vide quid facit docilitas in audiendo non ſolùm auribus corporis,ſed Animæ verbum Dei, ſcilicet credendo:nam qui credit audiendo,teſtimonium reddit loquendo,& confitendo per rectam converſionem.*in Luc.c.14.v.15.*

592. *Benedictio larga venit ſuper eum, qui pereuntes vel temporaliter, vel ſpiritualiter liberat.*

Benedictio perituri ſuper me venit. Nota:hic expreſſe tradit Iob actus pietatis, quos exercebat in pereuntes,vel ex inopia, vel ſpiritualiter: Sed quomodò dicit, quod benedictio erepti veniebat ſuper eum, & non potius ſuper eum, qui eripiebator?quia qui pereuntes,vel ex inopia, vel ſpiritualiter ſuis ſuffragijs,& pietatis operibus liberat, multiplex meritum acquirit, nempe gratiam pro gratia,pro exteriori miſericordia,interiorem;pro inferiori, ſuperiorem; & pro tenui pinguiorem: ô quale, & quàm vtile eſt opus miſericordiæ in proximum.*Pſal.118.c.3.v.9.*

593. *Iuſtorum eſt conſolari corda afflicta.*

Et cor Viduæ conſolatus ſum. Ecce qualis compaſſio inerat in corde Iob,qui omnes afflictos, & præcipuè corda viduarum conſolabatur, & dulci ſermone,& affectu.*Luc.c.7.v.13.*

594. *Chriſtus,quia nudatus, humiliatus,& condemnatus eſt,à Patre veſtitus eſt gloria.*

Iuſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo &c. Hæc dicebat ad litteram de ſe ipſo Iob,vt docet intelligi,quod iuſtitia in omnibus, & per omnia ab ipſo ſervabatur: Myſticè hæc dicuntur in perſona Chriſti, quem,poſtquam ipſe nudatus,flagellatus, & confixus fuit,Pater glorioſum reddidit, & coronavit diademate honoris, & gloriæ: vt verificaretur, quod qui ſe humiliat exaltabitur. *ſer.1.Dom.Pal.*

595. Miſe

595. *Misericordiæ opera Sancti Iob nos excitant ad imitationem.*

Oculus fui cæco (scilicet ignorantes dirigendo) *& pes claudo*: (scilicet infirmum supportando:) per quod nos docet altum gradum misericordiæ esse ipsam exercere in proximum. *op. de grad. virtut. cap.* 6.

596. *Princeps debet esse pater pauperum.*

Pater eram pauperum &c. Io quonam hoc exercitium paternitatis, nempè compassionis? pietate in suos subditos tamquam filios, consolando afflictos, & desolatos, & inquirendo causas desolationis: non enim sufficit compassio cordis, nisi & effectibus exerceatur, & præcipuè spectat ad Principem inquirere causas desolationis, ut causa ablata, removeatur effectus. *Ioan. c.* 20. *v.* 13.

597. *Confessarius diligenter inquirat in dubiis causæ veritatem, sed caveat à curiositate.*

Et causam, quam nesciebam diligentissimè investigabam. Hoc monitum dirigitur ad Judices, maximè spirituales, scilicet ad Confessarios, qui audiendo confessionem peccatorum, in dubiis debent diligenter inquirere veritatem: sed caveant à curiositate, & à negligentia: nam per curiositatem nimiam faciliter possunt nocere pœnitenti, & per negligentiam non satisfacere suo muneri. *l.* 4. *d.* 19. *dub.* 5.

598. *Iudicis cautela qualis in judicando.*

Et causam, quam nesciebam diligentissimè investigabam. Ecce quid debet facere rectus Judex, nempè ne sit præceps in proferenda sententia, ne temeratiè judicet, sine probatione credat. *Ioan. cap.* 5. *v.* 30. *& cap.* 7. *v.* 31. *& in Luc. cap.* 23. *v.* 3. *& cap.* 4. *v.* 17.

599. *Iusti moriuntur in Lectulo suo: Impij in patibulo vel in igne, vel in aqua.*

In nidulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies: Quid dicis ô Beate Job? Ergone cursum vitæ tuæ terminare desideras in Lectulo, & non potius in sterquilinio, in quo Deus te posuit? Sed optimè loquebatur: In nidulo scilicet pœnitentiæ, quam toto corde faciebat: sciebat enim, quod in hoc lectulo moriuntur illi, qui ad gloriam præparantur, nempè qui dolore contritionis commoti confitentur peccata sua: E contra impij in patibulo superbiæ, vel in igne avaritiæ, vel in aqua Luxuriæ moriuntur. *serm.* 3. *Dom.* 18. *post Pentecost.*

600. *Contemplativus vivens moritur intra seipsum: Impius extra se ipsum.*

In lectulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies. Quid est iste nidulus, in quo vult mori Job? In nidulo meo, ait, non in alieno, nempè intra me ipsum, & optimè loquitur: nam verus contemplativus abdicans à se omnia creata, se colligit intra semetipsum, ibique Deum solum cogitans, moritur mundo, & dulcedinem Paradisi ibi invenit: E contra impius extra se exiens ad creaturas, relicto Deo moritur veluti ebrius, vel stultus. *op. mystica Theol. cap.* 3. *p.* 1. *&* 2.

601. *Sola perseverantia coronat.*

Et sicut Palma multiplicabo dies. Cur sicut palma? Nota, palma tardè proficit, sed diu in viriditate consistit: Ideò est signum victoriæ, quæ sola perseverantia obtinetur; hæc tenuis ab imis proficit, tardior ad summa succeslit: sic & victoria, & corona solùm obtinetur, qui ab imis, scilicet à tribulationibus, & adversitatibus proficit, & usque ad finem perseverat. *serm.* 4. *Dom. Palm. & in Ioan. c.* 12. *v.* 13.

602. *Felix, qui recipiens doctrinam Christi fructificat: maledictus, qui sterilem eam reddit.*

Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. Nota, quod hic metaphoram sumit arboris, qui fœcundata ab aqua, & à rore cœlesti, fructus optimos facit: significatque, quod recipiens aquam divinæ gratiæ, & rorem doctrinæ cœlestis, fructus vitæ producit, isteque felix est, & benedictus à Deo: maledictus è contra, qui rore doctrinæ cœlestis imbutus nullum fructum affert; Talesque sunt Doctores, & Theologi perversi. *op. Eccles. Hier. p.* 4. *cap.* 4.

603. *Cum silentio, & attentione audiendum est verbum Dei.*

Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Ecce quid agere debet bonus auditor verbi Dei, scilicet cum silentio, attentione, & intentione recta. *sap. cap.* 8.

604. *Qui vult rectè loqui, discat tacendo.*

Et intenti tacebant ad consilium meum. Cur tacebant? Cur suam sententiam non promebant? Ut per silentium discerent loqui: ideò taciturnitatem præmisit locutioni. *sap. cap.* 8.

605. *In auditione verbi Dei repræsentantur processiones divinæ.*

Super illos stillabat eloquium meum. Nota, quod ad hoc, ut ros stillet, requiritur originale principium, à quo fluat, & ex quo stillatio sequitur, & deinde terra imbuitur. Primum repræsentat Patrem producentem filium. Secundum Filium genitum, & Tertium Spiritum Sanctum productum: Hæque processiones repræsentantur in auditione verbi Dei: nam per principium originale, à quo verbum Dei fluit, significatur Pater generans filium: per actum stillandi filius, & per Animam imbutam rore hoc, Spiritus Sanctus. *Psal.* 118. *e.* 6. *v.* 2.

606. *Verbum Dei inflammat cor ad dilectionem, & fœcundat ad operationem.*

Stillabat ſuper eos eloquium meum, expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum &c. Ecce mirabiles effectus verbi Dei devote auditi: irrigat enim, & ſimul accendit cor, & inflammat ad dilectionem Dei, & fœcundat ad operationem. *op. de Eccleſ. Hier. p.4.cap.4.*

607. *Qui non præparat cor ad audiendum verbum Dei, fruſtra illud audit.*

Aperiebant os ſuum quaſi ad imbrem ſerotinum. Ad quid aperiebant os, ſi ſupra dixit, quod tacentes, expectabant verbum Dei? Aperiebant os, non corporis, ſed cordis, ut verbum Dei reciperent: ſic enim fructuosè auditur. *in Ioan. collat.33.*

608. *Princeps, & Prælatus debet quidem ſua dignitate reverentiam incutere ſubditis, ſed etiam amorem per condeſcenſionem ad miſeros.*

Cumque ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator. Ecce figura Jeſu Chriſti, qui cum prædicaret, & tot magnalia patraret, concurrebant ad eum populi, non ſolùm, ut ipſum audirent, ſed & ejus benignitatem per experientiam viderent: ſic Job, cum eſſet Princeps, tamen dicit, quod ſtabat inter ſuos quaſi Rex, ſcilicet non ſolùm timorem reverentialem incutiens in eos, ſed & amorem per condeſcenſionem ad miſeros: Ita debent facere Principes, & Prælati in ſuos. *in Luc.c.12.v.1.& c.14.v.7.& in Ioan.c.20.v.12. Pſal.118.c.2.v.7.& c.4.v.2.& op.de ſex alis Seraph. c.7.& Gloſſa hic.*

609. *Iuvenes ad præſentiam ſenum debent eis cedere primum locum in omnibus.*

Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam prius &c. Nota hic quali reverentia ſubditi ſtabant coram Job: Daturque intelligi ſubditis, & iuvenibus, quod ad præſentiam Prælatorum, & ſenum, debent eis cedere primum locum, tum in ſedendo, tum in loquendo. *in Thren.c.2.*



CAPUT XXX.

610. *Iob contemptus à ſuis ſervis, & ſubditis figura eſt illuſionis facta de Chriſto Ieſu.*

Nunc autem derident juvenes tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei, ideſt ad cuſtodiam canum gregis mei &c. Ecce in quam calamitatem poſt tot proſperitates ſupra enarratas inciderat Job, qui contemptus erat à ſuis minimis ſervis, idque fuit figura illuſionum, quas paſſus eſt Jeſus Chriſtus à ſuis. *in Luc. cap. 18.v.31.*

611. *Hæreticorum pertinacia in contemptu Iob figurata eſt.*

Nunc autem deridebant me juvenes. Nota, hæc poteſt dicere Eccleſia Catholica de hæreticis, qui novitatibus, & novis doctrinis conantur ſubvertere Eccleſiam Dei, deridendo ipſius, & antiquorum Patrum ſtatuta, & ſacrarum Religionum inſtituta. *op. Apol.pauper.Reſpon.4.c.2.*

612. *Probatio ſanctitatis non conſiſtit in patratione ſignorum, ſed in charitate, & obſervantia legis divinæ.*

Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo &c. Job ſanctus deridebatur à ſuis ſubditis, & infimis ſervis, quorum virtus manuum illi erat pro nihilo: myſticè tamen à Chriſto hæc dicuntur de illis, qui ponunt ſuam perfectionem in ſignis, in prædicatione altiſſimarum rerum ſine ſanctitate: quorum virtus manuum pro nihilo habetur à Chriſto: nam probatio ſanctitatis conſiſtit in mutua charitate, & obſervantia divinæ legis. *in Ioan.c.13.v.35.& c.10.v.42.*

613. *Peccator voluptatibus deditus paſcit ſe ipſum ſiliquis porcorum, mendiciſſimuſque eſt.*

Egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine ſqualentes calamitate, & miſeria, & mandebant herbas, & arborum cortices &c. Vide ad qualem miſeriam redacti fuerint iſti miſeri, de quibus loquitur Job, & quos ſibi contrarios eſſe docet: myſticè tamen loquitur de peccatoribus, qui in voluptatibus carnis immerſi vivunt: Iſti namque egeſtate, & fame afflicti, ſemper inhiant ad alias delectationes, quia iſtæ ſunt ſiliquæ porcorum, & ob quas loco deliciarum vivunt ſemper miſeri, ſemper ſqualentes, ſemper mendici, & afflicti interius, & exterius. *in Luc. c.15.v.16.*

614. *Diabolus ſemper habitat in locis horribilibus, præcipuèque in Anima, quæ facta eſt deſertum.*

In deſertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel ſuper glaream: qui inter hujuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant. Qui ſunt iſti miſeri habitantes in deſertis, & cavernis terræ &c? Iſti ſunt primò Dæmones, qui habitant libenter in cavernis, & ſepulchris terræ, taleſque ſunt Animæ exiſtentes in peccato, & poſſeſſæ plenè à Dæmonibus, quibus ſolatium eſt obſidere hominem, & ipſum torquere. *in Luc.c.8.v.27. & ſeq.*

615. *Melius eſt homini agitari à Dæmone, quam eſſe compeditum vinculis peccati.*

Qui inter hujuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant. Quæ deliciæ poterant eſſe iſtæ vivere tanta miſeria? Sed attende, quod hoc poteſt ſumi in bonum pro iis, qui obſidentur à Diabolo, & ab ipſo agitantur, quibus id tolerabilius eſt, quàm vinculis peccatorum compediti: qui enim cognoſcit miſerias peccati,

&

& in peccato existentis delicias computat potius, quodcumque aliud malum, quàm peccatum in se continere. *in Luc.c.8.v.19.*

616. *Stulti, & easi delicias putant miserias, & calamitates.*

Et esse sub sentibus delicias computabant. Qui sunt isti tam cæci, & stulti, qui delicias appellant, & æstimant miserias, & calamitates tales extremas? Imò hoc est judicium stultorum, & cæcorum mundanorum, qui bonum dicunt malum, & malum existimant bonum: qui pacem appellant miserrimum bellum, qui libenter vivunt in solicitudinibus hujus vitæ in peccatisque, & hoc evenit eis ratione inexperientiæ spiritualis gaudij, & cæcitatis, in qua vivunt. *in Luc.c.8. v.7. & in Ioan. collat.73. & sap.c.14.*

617. *Christus in omnibus suis actibus derisus fuit à Iudæis.*

Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium &c. Nota hæc dicta in persona Christi J.su in passione positi, quem irridebant Judæi in miraculis quasi ignorantem, in consiliis quasi imprudentem, & in passione quasi impotentem. *in Thren.c.3.*

618. *Christus jam à Iudæis fuit consputus, nunc à Christianis inhonoratur.*

Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur. Nota hæc dicta esse in persona Christi: Sed quomodò dicit de præsenti abominatus, & consputus, si jam hæc præterita sunt à Judæis in ipsum facta? sed attende, quod Christus quidem opprobriis fuit saturatus à Judæis, & in facie consputus in passione sua: nunc tamen à multis Christianis est vilipensus, derisus, blasphematus, & vesanis opprobriis fidelium inhonoratus. *in Luc. c.22.v. 66. & c.18.v.31.*

619. *Pedes Animæ à justis custodiri debent à subversione, & inquinatione vitiorum.*

Ad dexteram orientis calamitates meæ illicò surrexerunt. (Ait Job) & quænam sunt istæ calamitates? subdit: *pedes meos subverterunt.* Nota hic per pedes intelligit affectus Animæ, & loquitur in persona eorum, qui à vitiis subjugantur: nam pedes Animæ inquinantur per luxuriam, illaqueantur per avaritiam, & subvertuntur per superbiam: ideò diligenter debent custodiri, & servari per sanctimoniam liberi, & mundi. *Psal. 118.c.7.v.9.*

620. *Fuge à societate malorum, ne janua eis aperta in ruinam te præcipitent.*

Quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti sunt. Quænam est hæc janua impij aperta? Janua hæc est facilitas, & habilitas peccandi, quæ perversis offertur, cum in societatem admittuntur: Isti facillimè in viam errorum inducunt: Unde loquitur hic Job in persona eorum, qui incautè &c. *Psal. 20.*

621. *Fides christiana, & intercessio sanctorum est murus Ecclesiæ: rupto hoc muro tota dissipatur.*

Quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me &c. Nota hic per murum mysticè intelligi fidem catholicam, quæ est munimentum Ecclesiæ: potest etiam intelligi protectio sanctorum: hoc muro rupto, & ablato aperitur janua omnibus erroribus, & calamitatibus. *Psal. 47. & 107.*

622. *Vita hæc temporalis est veluti nubes, quæ evanescit.*

Et veluti nubes pertransiit salus mea &c. Ergo ne Job damnatus est, dicens pertransiit salus mea? minimè hoc: imò salvus, & sanctus est: sed loquitur de salute, & vita corporali, quæ veluti nubes pertransit, quia sicut nubes non appatet post resolutionem, sic hæc vita nostra. *sap. c. 2.*

623. *Diabolus die noctuque totus intentus ad nos devorandum.*

Nocte os meum perforatur &c. Nota, conqueritur Job de doloribus corporis, & de vermibus, qui eum incessanter comedunt, & devorant. Mysticè per hos vermes intelliguntur Dæmones, qui incessanter comedere, & devorare nos tentant medijs tentationibus, & inducere ad peccatum, & præcipuè ad Luxuriam. *Diat.tit.1.c.1. & tit.3.c.5.*

624. *Iusti licèt tribulentur tamen non comminuuntur.*

Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. Quomodò os, & non potius caro dicitur perforari? os meum dicit, non caro mea: quia justi in corpore Ecclesiæ sunt ossa solida, quæ licèt doloribus tribulentur, non tamen comminuuntur, ita quod deficiant, quia roborati sunt virtute Spiritus Sancti. *in Ioan.cap. 19.v.37.*

625. *Deus aliquando videtur surdus petitionibus suorum amicorum.*

Sic dicebat dulciter conquerendo Sanctus Job cum Deo: *Clamo ad te, & non exaudis: sto, & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem &c.* Quid est hoc, quod audio? nonne Deus promittit audientiam semper suorum precibus, dicens per Prophetam. *Cum clamaverit ad me, exaudiam eum?* Sed attende, quod isti sunt effectus amoris Dei in suos fideles, & sibi confidentes, quos, ut experiatur in humilitate, & patientiæ exercitio, & ut se magis faciat desiderare; videtur non attendere ad orationem, & petitionem orantis, vel ei ut iratum se extendere: caveat tamen servus Dei in his casibus, ne se occupari sinat à tædio orandi, à tristitia, & ne Deum injustum esse credat: quia Diabolus libenter piscatur in aqua turbida, sed perseveret in oratione, & fidelitate erga Deum. *op. de perfect. religios. l.2.c.67.& 2. & in Luc.c.15.v.29.*

626. Signum

626. *Signum iræ Dei ſæpè eſt elevari in altum, & diſpoſitio ad exitium extremum.*

Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me valdè. Cur Job conqueritur, quod Deus elevaverit eum in altum prælationis, & felicitatum, & non potius ei gratias reddit? quia ſciebat, quod ex alto loco gravius caditur, & exiſtenti in alto ruina gravior præparatur: ſciebat iſte ſanctus, quod ſæpè feriuntur tonitruis alti montes, quando quietiſſimæ manent Valles: quod arbor quantò magis in altum aſcendit, tantò magis ſe turbinibus, & ventis exponit, & præciſa fortius terram petit, & graviori plurimum caſu ruit, ut habetur exemplum de Lucifero. *ſerm. 1. de S. Marco.*

627. *Peccator eliditur, & cruciatur à Dæmone per peccata varia.*

Eliſiſti me valdè. Nota, quod eliſio hæc ſignum eſt magni doloris, & afflictionis, & proprium eſt Dæmonis obſidentis hominem, quod maximè fit à Dæmone per vitia capitalia: nam qui eliditur, primò per ſuperbiam apprehenditur, per jactantiam clamat, per invidiam torquetur, per iracundiam diſſipatur, per impatientiam dilaniatur in concienctia. *Luc. c.9.v.40.*

628. *Qui elevatur à Deo collatione donorum ſpiritualium, timeat, ne per præſumptionem cadat.*

Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valdè &c. Vide, quod vir juſtus videns ſe à Deo elevatum tot donis gratuitis, timet, & cum clamore clamat ad Deum, ſe deprimendo in profundum: ſciebat enim, quod divinorum donorum multitudo fuit multis occaſio ruinæ; iſtiſque magna gratia eſt non habere gratiam. *in Luc. c. 10. v. 19.*

629. *Quantò quis magis in altum ſe exaltat, tantò facilius evaneſcit.*

Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me valdè. Quomodò ſuper ventum dicitur poſitus? Nota hoc dici in perſona ambitioſi, & ſuperbi, qui ſuper ventum erigit ſuam exaltationem, & ratio eſt, quia quantò magis ſe exaltat, tantò magis ſe ſupra ſe ipſum veluti in aerem erigit, ac per hoc quaſi ventus evaneſcit, & per conſequens tantò magis à veritate recedit, & tantò minus fit, & ſeipſum dejicit. *in Luc. c.14.*

630. *Mundus erigit, & exaltat homines velut carnifex, ut poſtea eos in ſuſpendio opprimat.*

Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti valdè. Nota illud verbum, (*ſuper ventum*) hoc enim proprium eſt mundi, ſcilicet prætendendo altitudinem, & elevando hominem, illum in vanitatem ducit, ut facilius ruat, & evaneſcat. *in Eccleſ. 1.* ſic facit carnifex ducens per ſcalam in altum reum condemnatum: tunc enim ipſum facilius ſuſpendit, & opprimit.

631. *Fletus Chriſti invitat nos ad flendum cum eo.*

Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur Anima mea pauperi. Hæc de ſe ipſo dicebat Job, ſed magis verificantur de Chriſto, qui flevit ſuper miſerias noſtras, & ſuo fletu invitans nos ad flendum cum ipſo pro miſeria corporali, & ſpirituali propria, & proximi. *ſerm. 1. Dom. 9. poſt Pentecoſt. & in Luc. cap. 19. v. 41.*

632. *Compaſſio proximi ſuadetur.*

Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur Anima mea pauperi. Ecce exemplum rarum charitatis ardentis hujus viri ſancti: ſciebat enim, quod ſicut omnia membra corporis noſtri mutuò compatiuntur ſibi ratione unionis, ergo etiam ubi eſt major unio (qualis eſt ſpiritualis ad ſpirituale) ibi major debet eſſe compaſſio, & cum ſimus omnes membra ſpiritualia Chriſti, magis debemus compati proximo. *ſerm. 1. de uno Confeſſ. & Luc. c. 10. v. 33. & c. 11. v. 41.*

633. *Beati qui flent ſuper alienam miſeriam.*

Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat &c. Cur fles ô Princeps? nonne hoc dedecet tuam majeſtatem? minimè: erat Princeps, ſed ſanctus, ſed Dei amator: ſciebat enim, quod qui flet ſuper alienam miſeriam, beatus eſt, & Deo charus. *in Luc. cap. 6. v. 21. & cap. 7. v. 13. & cap. 10. v. 33. & cap. 11. in Ioan. cap 20. v. 15. & op. de grad. virt. c. 16. & op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5. & Diat. ſal. tit. 7. c. 3.*

634. *Invitamur exemplo Iob ad compatiendum Chriſto patienti.*

Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat &c. Nota, quod in ſpiritu videbat Chriſtum in paſſione afflictum ſuper omnes homines, & flens compatiebatur ei: invitamurque ad compatiendum Chriſto pauperi, & afflicto, amabili, & pulcherrimo, affectu piiſſimo. *in Luc. cap. 23. v. 28.*

635. *Opus miſericordiæ eſt unguentum ſanans membra infirma.*

Flebam quondam ſuper eo, qui erat afflictus, & compatiebatur Anima mea pauperi. Cur ad afflictum, & pauperem dirigebat Job ſuam compaſſionem: Ut tali unguento ipſum ſanaret: Tria enim requiruntur, ſcilicet ignis, unguentum, & manuum confricatio ad ſanandum membra infirma: ſcilicet ignis dilectionis, unguentum compaſſionis, & manus ſubventionis. *Diat. tit. 7. cap. 3.*

636. *Impij in ſuis peccatis quærunt felicitatem, & inveniunt adverſitatem.*

Expectabam bona, & venerunt mihi mala. Nota; hæc dicuntur in perſona impiorum, qui viventes

viventes in peccatis, quærunt expectantes prosperitatem, & felicitatem, & inveniunt adversitatem, & omnia mala. *Psal.* 118. *c.* 6. *v.* 15.

637. *Iustis, quod sine Deo advenit, mastitiam affert.*

Mærens incedebam sine fructu, &c. Cur mærens? nonne cor tuum Deo erat unitum? quia quidquid justis in hac peregrinatione advenit, quæcumque felicitas sine Dei visione, vel sine Deo, inopia est. *in Ioan. c.* 14. *v.* 12.

638. *Diabolus frater peccatorum se profitetur, sed tamen Draconem se eis verè ostendit crudelissimum.*

Frater fui Draconum, & socius struthionum, &c. Quomodò dicitur Iob frater Draconum? Litteraliter indicare vult crudelitatem fratrum suorum, & proximorum: mysticè loquitur in persona peccatoris, cui fratrem se exhibet Diabolus, sed verè est iniquissimus, & crudelissimus plusquam Dracones, quærens occidere, & disperdere hominem. *fer.* 4. *Dom.* 5. *post Pentecost.*

639. *Invidus veluti Draco crudelissimus in iudicium temerarium, & detractionem incidens alios suo veneno inficit.*

Frater fui Draconum, &c. Qui sunt isti Dracones? Invidi, qui insidiantur bono alieno judicio gravæ suspensionis, pungunt, & mordent aculeo murmurationis, & inficiunt veneno detractionis. *op. diat. sit.* 1. *c.* 4.

640. *Luxuria arefacit, & denigrat corpus, & Animam.*

Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate. Nota, hæc dici à Beato Iob mysticè in persona eorum, qui subjecti sunt caumati, idest fervori, & igni luxuriæ: hæc enim est ignis arefaciens, & denigrans corpus, & Animam. *in Luc. c.* 6. *v.* 11.

641. *Verus pænitens debet vertere delicias in tristitiam, & fletum.*

Versa in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Nota, hæc dicuntur in persona pœnitentis, qui ea, quibus usus est ad voluptates capessendas, vertit in actus, & voces pœnitentiæ. *sermon.* 4. *Domin.* 2. *post octav. Pascha. & Luc. c.* 6. *v.* 21.

642. *In Passione Christi Maria Virgo tota conversa est in luctum.*

Versa est in luctum cithara mea, &c. Nota, quod hæc verba à pluribus Sanctis DD. pronuntiantur in persona B. Virginis Mariæ in tempore passionis Christi, qui verè mysticè dicitur cithara extensa in cruce. *serm.* 3. *in Parasc.* ideò ipsum Maria mater adspiciens affixum in cruce poterat dicere: versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

CAPVT XXXI.

643. *Oculi tanquam porta sunt custodiendi, ne mors intret in Animam: idem dic de cæteris sensibus.*

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quid dicis ô Beate Iob? Ad quid pepigisti fœdus cum oculis? Vt mens immunis sit à cogitationibus noxiis: Cur non potiùs ad mentem, & partem tuam interiorem te applicas, ut eam diligenter custodias? Sed optimè dicit hic vir à Deo illuminatus: Nam ad hoc, ut in Castrum non intret hostis, portæ sunt diligenter custodiendæ: Portæ autem, per quas intrat & bonum, & malum sunt sensus nostri, & præcipua porta sunt oculi: ideò meritò dicit: *pepigi fœdus cum oculis meis, &c.* Disce, & tu ô homo, maximè Religiose sensus exteriores, & oculos ab illicitis custodire, quia sunt fenestræ, & portæ, per quas mors peccati intrat in eam quasi fur, vel corruptor castitatis nostræ, dum non custodiuntur: O quot viri justi ob talem negligentiam se præcipitarunt in maxima peccata, & damnati sunt. *op. de perfect. religios.* 1. *c.* 39. *& op. de grad. virt. c.* 4. *in Thren. c.* 3. *in Ioan. c.* 10. *v.* 10.

644 *Vitare occasiones, & detestare cogitationes impudicas gradus altissimus castitatis.*

Vt ne cogitarem quidem de Virgine. Nota, quod dicit: *ne cogitarem*: quia iste vir Sanctus ad ultimum gradum castitatis pervenerat, qui est immunitas, imò aversio cujuscumque cogitationis impudicæ, à qua tamquam ab Inferno abhorrebat. *op. de grad. virt. c.* 4. *& op. Comp. Theol. l.* 5. *c.* 21.

645. *Iniqui in fabricando malum contra proximum, primò malum sibi ipsis inferunt.*

Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam? Nota, quod hic loquitur de iniquis contra bonum proximi operantibus; & docet, quod primum malum est sibi ipsis illarum; Sic enim malum faciendo aliis perditionem propriam merentur. *Psal.* 118. *c.* 6. *v.* 5.

646. *Omnes actus, & cogitationes, etiam minima sub examine Dei subjiciuntur.*

Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? Vide quibus rationibus se excitabat Iob ad malum vitandum, & bonum amplexandum: omne considerando, quod omnes ejus viæ, scilicet actiones, & gressus, scilicet motus mentis, & profectus meritorum sub examine Dei subjecta sunt, & indiscussa non remanebunt. *in Ioan. collat.* 22. Et hinc subdit Iob. *Appendat me in statera justa*, quia interior inspector est Deus, ille appendit, ille examinat. *fer.* 2. *Dominica Trinitatis & Psalm.* 94.

647. Declinare à via recta est cum per illicita desideria, gressus scilicet vagantur affectus huc, illucque: Vnde hic Iob dicit: *Si declinavit gressus meus de via, &c. Psal.* 118. *c.* 7. *v.* 6.

648. *Peccatum eſt ignis devorans omnia bona, & naturam inficiens.*

Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina. Nota, quod hic Beatus Iob loquitur de peccato mortali, & dicit,quod ignis eſt, & verè ignis eſt maculans,& Animam deformans, omnia bona devorans, & naturam inficiens. *fer. 1. de Sancto Laurentio.*

649. *Peccatum luxuriæ eſt ignis Græcus omnia devorans.*

Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina. Nota, quod hic luxoriæ peccatum comparatur igni, non tamen cuicumque; cum detur ignis, qui non omnia devorat: noſter enim ignis non devorat aquam,ſed de altero igne loquitur: At quis eſt iſte ignis?Ignis Græcus eſt,qui eſt tantæ activitatis,quod omnia,etiam aquam comburit, & vix poteſt extingui: Talis eſt ignis luxuriæ, & qui etiam devorat, & agit in aquam, ſcilicet in frigidos, & mortificatos, & ubi apponitur, ibi omnia bona conſumit. *op. diat tit. 1. cap. 9.*

650. *Concupiſcentia carnis, & avaritia ignis eſt devorans omnia bona.*

Ignis eſt uſque ad perditionem devorans. Nota, quod hic Iob loquitur de peccatis luxuriæ, præcipuè de concupiſcentia mulieris alienæ, & eam appellat ignem: ſed quia Deus in Decalogo prohibet hanc concupiſcentiam, & concupiſcentiam rerum alienarum, hinc ſequitur, quod utraque verè ignis eſt inflammans Animam per deſiderium iniquum, & inflammando, incinerans eam, & omnia bona conſumens: cui ſi ſupervenit ventus ſuperbiæ, tunc in nihilum redigitur per inſufflationem in hunc cinerem. *op. diat tit. 3. c. 8. & in Luc. cap. 12. v. 49.*

651. *Scortatio ignis devorans bona temporalia, ſpiritualia & corporalia.*

Ignis eſt uſque ad perditionem devorans. Nota, quod hic Iob loquitur de peccatis luxuriæ, præcipuè de peccato adulterij, & fornicationis, & illud appellat ignem devorantem: ſed notandum, quod ſubdit, *& omnia eradicans germina:* Quid eſt germinum eradicantia? eſt diſſipatio omnium bonorum Animæ, & corporis, & facultatum terrenarum, & ob id totius ſubſtantiæ hominis, ut expertus eſt filius prodigus. *in Luc. c. 15. v. 13.*

652. *Vir miſericors feſtinanter exhibet opera miſericordiæ.*

Si negavi, quod volebant, pauperibus: ſi expectare feci oculos viduæ. Nota hæc duo: dicit enim Sanctus Iob, quod eleemoſynam petitam, & expectatam tribuit pauperibus, & quod citò, & feſtinanter: Vt diſcamus, quod feſtinanter debemus miſericordiam pauperibus elargiri, contra illos, qui expectare faciunt cum maxima pœna miſeros ad divites recurrentes, nunquam, vel tardè promiſſum ad effectum perducentes. *op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3. & op. de grad. vit. c. 6.*

653. *Superflua danda pauperibus ex præcepto.*

Si comedi fruſtum meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, &c. Nota, quod exemplo Sancti Iob invitamur ad elargiendum pauperibus, & maximè pupillis ea, quæ nobis neceſſaria non ſunt, & ad communicandum ipſis ea, quæ nobis à Deo abundanter elargita ſunt; & ideò Deus ſpeciale præceptum de hoc fecit,dicens: *quod ſupereſt, date eleemoſynam. in Luc. c. 3. v. 11.*

654. *Vera miſericordia inchoat à cordis compaſſione, & manus extendit ad pauperes externas.*

Ab infantia mea mecum crevit miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. Vide, quod Beatus Iob ſe proteſtatur natum cum miſeratione: ideò non ſolùm corde, ſed & operibus ſubveniebat miſeros: Taliſque eſt vir miſericors, per quod ſit ſimilis Angelis, qui non ſolùm cor dilectione plenum habent ad nos, ſed & opera exhibent in adjutorium noſtrum. *op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3. & in Luc. cap. 7. v. 13.*

655. *Verus contemplativus non ſolùm fertur in Deum actibus ſuis, ſed & in proximum.*

Ab infantia mea mecum crevit miſeratio, &c. Nota, hoc dicitur de viris contemplativis, qui ſuis actibus feruntur quidem in Deum, ſed nunquam deſerunt actus miſericordiæ in miſeros, modò pro eis orando, modò exterius eis ſubveniendo quibuſcumque modis: ſic enim ab utero, ſcilicet ab ipſius Dei cognitione, & amore: & creſcit, eam extendendo à proprio corde ad ipſum proximum. *op. Myſtic. Theol. c. 3. p. 3.*

656. *Miſericordia Mariæ Virginis nata eſt cum ipſa ad noſque extenſa.*

Ab infantia mea mecum crevit miſeratio, & de utero egreſſa, &c. Si hoc dicebat Iob, multò magis verificatur de Virgine Maria,cui datum eſt pro miſeriis noſtris ex officio ſatisfacere Deo: ideò ad ipſam confidenter eſt recurrendum. *op. ſtim. p. 3. c. 12.*

657. *Pauperes ſunt ſubveniendi victu, & veſtitu.*

Si deſpexi pauperem, eo quod non habuerit veſtimentum, &c. Nota: ſemper amplius dignoſcitur pietas in pauperes hujus ſancti viri: Sed adverte, quod in Sacra Scriptura nomine victus,& veſtitus venit quidquid eſt neceſſarium vitæ humanæ, & ideò per hoc edocemur,quod vir juſtus non ſolùm in corde compatitur miſeris,ſed & in opere ſubveniendo eos in omnibus rebus neceſſariis. *in Luc. c. 3. v. 11. & in Eccleſ. c. 3.*

658. *Qui vivit ad præſentiam Dei, vivit ſemper cum timore ejus ſumma majeſtatis.*

Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui, &c. Cur times ô Beate Iob? Nonne Deum tibi præſentem habes, in quo tantùm confidis? Imò quia Deum ſibi

sibi præsentem semper cogitabat, ideò timebat: Præsentia enim Dei meditata incutit timorem, simulque amorem in divinam ejus misericordiam, & hinc à peccatis elongat Animam. *in Luc. c.9. v.34. Ecclesc.8.*

659. *Timor Dei facit contemnere temporalia.*

Semper quasi tumentes fluctus super me timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Quid est, quod timet Iob? quodnam pondus est, quod à se projicit ferre non valens? sed vide Mercatorem navigantem in mari tempore tempestatis projicientem merces, ut evadat periculum submersionis: sic & dicendum de homine navigante in hoc mari, qui videns tot pericula, & timens iram Dei, projicit, & contemnit temporalia hæc, ut evadat æterna: hicque est effectus timoris Dei. *diat. tit.6. c.1.& fer.1.Dom.10.post Pentec.*

660. *Timor Dei infunditur considerantibus eius potestatis immensitatem in puniendo peccata.*

Semper fluctus tumentes, &c. Nota, quod timore Dei incutiebatur cor Iob eo quod ante suos oculos præsentem habebat potestatem Dei, ejusque rigorem in puniendo peccatores rebelles. *in Luc. c.5.v.26.& c.8.v.37.*

661. *Avarorum Sol est aurum, & Luna est argentum: Iustus hæc despicit.*

Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè. Sed quodnam peccatum est hoc, à quo se immunem fatetur Iob? Ergone videre Solem, & Lunam est peccatum? mimmè: loquitur autem metaphoricè: nam apud Alchimistas appellantes nominibus planetarum metalla, vocant aurum Solem, & Lunam argentum, eo quod sunt super omnes res cara, & clara, sicut Sol & Luna excedunt cæteros planetas, & stellas: Nota etiam, quod hic videre stat pro appetere: ideò Iob, quia justus non vidit, idest non appetivit aurum, nec argentum: sicut è contra avaris aurum, & argentum sunt super omnia etiam Deum charissima, & appetibilia. *Psal.118.c.5.v.5.*

662. *Iusti in operibus virtuosis abhorrent vanam gloriam.*

Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè. Nota etiam, quod per Solem fulgentem intelligitur charitas refulgens ex opere bono, & per Lunam fama ex ea procedens: *Psalm. 103.* Dicit igitur, quod hanc claritatem non vidit, idest non est gloriatus de suis operibus bonis, nec famam apud homines quæsivit, sed eam despexit tanquam vanam. *Sic & Glossa,&c.*

663. *Superbus sibi attribuit laudem boni operis: Iustus totum à Deo recognoscit.*

Si osculatus sum manum meam ore meo. Quid est osculari sibi manum? quodnam peccatum est? Nota sibi osculari manum est sibi attribuere, & propriæ virtuti laudem operis, & totum facere ob ostentationem, hocque est proprium superborum: E contra vir justus totum à Deo recognoscit. *op.Comp. Theol.l.2.c.66.Glossa hic.*

664. *Peregrinum suscipiens in hospitio suo, suscipit Christum.*

Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Cur cum tanta liberalitate Iob parabat hospitium peregrinis? quia hoc est opus misericordiæ, quod à Deo consulitur: Sciebat enim, quod qui recipit pauperem peregrinum in domo sua, meretur recipere Deum spiritualiter. *in Luc. cap.10. vers.38. & cap.19. vers.6. & cap.24. v.29.* Et è contra sciebat, quod rejiciens à se pauperem, & peregrinum, rejicit Deum. *in Luc.c.16. v.21. in sap.c.19.*

665. *Deus bona hospitia nobis victoribus præparavit, ut quiescere possimus: Diabolus pessima.*

Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Nota, hæc dicta esse à Deo, nosque esse viatores in hoc mundo, & peregrinos: Sed quænam hospitia sunt hæc à Deo præparata, & aperta? Bona hospitia sunt charitas, pietas, misericordia, patientia, castitas, & cæteræ virtutes: hæc hospitia tibi Deus non negat, si quæris, si petis, si pulsas: Adverte igitur ô homo, qui viator es, si vis lassus in via hujus mundi quiescere, quære hæc hospitia, ut tandem quiescas in æternum. *sermon.2. Domin.3. post octavam Epiphan.* O felix, qui in hæc hospitia meretur introduci! Infelix, qui in hospitia Diaboli introducitur!

666. *Peccata non sunt celanda, sed aperienda in Confessione.*

Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam, &c. Vide hic humilitatem Beati Iob, qui nunquam erubuit revelare peccata sua, & licet homo naturaliter ex corruptione contracta Adæ inclinet abscondere sua delicta, tamen justus amore pœnitentiæ ea revelat: Vnde hoc præceptum præcipuè viget in statu legis evangelicæ, nempe revelandi Iudici spirituali Sacerdoti sua peccata, quia ea abscondens non valebit unquam obtinere remissionem. *lib.4. dist.17. part.1. dub.6.& part.3.art.1. quæst.3. & in Luc. cap.5. vers.16. & capit. 8. vers. 17. & cap.16. vers.22.*

667. *Abscondere peccata in confessione signum lethale.*

Si abscondi quasi homo peccatum meum, &c. Id dicebat Beatus Iob, quia sciebat, quod ægrotans, si non ostendit sua vulnera, & infirmitatem, nunquam medicinam proportionatam recipiet: signumque lethale: ita, & qui recusat revelare peccata sua medico spirituali, sanitatem non recipiet: & hoc est proprium impiorum: Iustus autem in principio est accusator sui. *ferm.1. de Sancto Marco, & fer.4.Dom.Trinit. &c.*

668. *Iustus intrepidè, quæ ad gloriam Dei faciunt, coram omnibus dicit.*

Si expavi ad multitudinem nimiam, &c. Nota,

EEEe 2 quod

quod homo naturaliter formidat loqui coram multis, coram peritis, & magnis: Iuſtus tamen honorem Dei zelans liberè, & intrepidè omnia tractat pro loco, & tempore. *in Luc.c.12.v.11. & cap.23.verſ.9.*

669. *Bona deſideria ſunt clamor cordis, quem libenter Deus audit.*

Quis mihi tribuat auditorem, & deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui iudicat, &c. Notanda ſunt hæc verba, quæ omnia ſunt plena myſteriis: & primò Iob quærit auditorem, vel ut alij legunt, *adjutorem*, ſcilicet mediatorem Chriſtum, quo mediante ſciebat, quod Deus libenter audit preces noſtras: Secundò dicit: *audiat deſiderium:* Cur non potius vocem, & clamorem, qui eſt objectum auditûs, & actus deſiderij? Sed optimè loquitur, quia deſideria ſunt voces, & clamores cordis ad aures Dei penetrantes: Tertiò addit: *& librum ſcribat, &c.* Cur vult, ut liber ſcribatur? nempe quia confidens in meritis mediatoris, ſpetabat poſſe in judicio exponere probationes legitimas ſuorum operum, & ideò confidebat ſe juſtum reperiendum à Deo. *in Ioan. collat.22.& Sap.cap.5. & Gloſſa hic.*

670. *Contra avarum diſpenſatorem terra clamat, & contra iniquum Principem.*

Si adverſum me terra mea clamat, &c. Nota, hic pro terra ſumit homines ſibi ſubjectos: & agricolas ſignificatos nomine ſulci; vultque dicere, quod ſi contra ipſos fuit avarus diſpenſator, & oppreſſor, ipſi contra ipſum clamabunt in judicio. *Pſal.194. & ſer.2. Hexaem.* Attendant hoc Principes oppreſſores ſubditorum.

671. *Anima ſi bona opera producit eſt frumentum electum, ſi degenerat à Deo, rejicitur, ut zizania ad comburendum.*

Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina. Nota, quod Iob præmiſerat plura peccata, à quibus mediante Dei gratia fuerat immunis, poſtea concludit, quod ſi his peccatis irretitus eſſet, pro frumento oriri deberet tribulus, & ſpina: Datque hac metaphora intelligere, quod electi ſunt frumentum electum à Deo reponendum in horreo gloriæ: cavendumque eſſe, ne frumentum hoc degeneret in tribulos, & ſpinas, & zizania peccatorum, alioquin non in horreum Cæli, ſed in cloacam Inferni reponetur. *in Ioann. collat.57.*



CAPUT XXXII.

672. *Sæpè magni Doctores, & ſapientes ſuperbi, & impatientes ſunt.*

Et iratus, indignatuſque Eliu adverſum Iob, & amicos eius, &c. Cur iratus, & indignatus eſt adverſum Iob, & amicos ſuos ſocios? quia non ſunt locuti ſecundùm ſuam mentem, & quia eos malè loquutos eſſe judicavit, exiſtimans ſe omnibus eſſe ſapientiorem? Nec id mirum, quia ſæpè ſapientes, & magni ſunt ſuperbi, & facile indignantur, dum res ſecundum vota ſua non eveniunt, & hæc ſapientia eſt diabolica, quæ affert ſecum dolorem, & laborem, Deoque exoſa: Vera enim ſapientia fundatur in humilitate. *in Eccl. c.1. in fine.*

673. *Intelligentia Sacræ Scripturæ eſt à Spiritu Sancto.*

Spiritus eſt in homine, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Ideſt æquè Anima rationalis eſt in omni homine, ſed intelligentia Sacræ Scripturæ, & myſteriorum Dei eſt à ſolo Spirito Dei. *in ſap.prol, & c.7.& in Ioan. collat.72. & in Luc. c. 12.v.12. & c.21.v.14.& in Ioan.c.3.v.7.*

674 *Senectus venerabilis non in ætate corporis, ſed in vita immaculata conſiſtit.*

Non ſunt longævi ſapientes, nec ſenes intelligunt ſapientiam. Vult dicere, quod ſenectus venerabilis non conſiſtit in longitudine dierum, ſed in vita immaculata. *In Sap.c.4.*

675. *Ebrietas ſpiritus, & magna devotio interior quaſi vinum validiſſimum.*

Venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas diſrumpit. Nota hæc dicta ab Eliu de ſeipſo per jactantiam, & ideò bona protulit, ſed malè, quia ſolùm verificatur de viro ſpirituali, qui ebrietate, & gaudio ſpiritus, & magna devotione interiori repletus eſt; quia ex ipſa quaſi ex vini fortitudine fervor ſpiritus exhilareſcit, quod ſe intra ſe cohibere non valet: Dicit igitur, quod lagunculas novas diſrumpit: novas, inquam, non veteres, vel quia veteribus cordibus non infunditur talis devotio, ſed novis in novitate vitæ ambulantibus: vel novas dicit propter fortitudinem impetus ſpiritus, qui ſi novas diſrumpit, quantò magis veteres? ideſt fragiliora corda, & infirma: vel novas dicit, quia talis fervor ſpiritus novis, & nondum exercitatis mentibus nuper infuſus, minus ſe valet cohibere, quin erumpat per inuſitatos greſſus, vel voces, vel ſingultus, ſicut vinum novum in utres ebullit, quod inveteratum quieſcit: aliquando etiam erumpit in corpus, quod immobile remanet. *op. de perfect. religioſ.2.c.72.*

676. *Dies præſentis vitæ breves, ideò laborandum eſt inceſſanter.*

Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus. Nota illud (*modicum*) ſcilicet tempus vitæ, quæ eſt modicum, & quia eſt incertum, ideò laborandum inceſſanter eſt. *in Ioan. c. 16. verſ.22.*



CAPUT XXXIII.

677. *Generatio Verbi ab æterno, & æterna.*

Deus ſemel loquitur, & ſecundò non repetit illud

idipsum. Quid est, quod Deus semel loquitur?nonne tuties loquutus est in Sacra Scriptura? Sed advertę, quod dicere Dei est verbum mente concipere, hinc dat intelligere, quod generatio Verbi est unica, æterna, & ab æterno, & durationis æternæ. *serm.* 11.*Hexaem. in Luc.c.*20.*v.*43.*Ioan.c.*1.*v.*1.*& collat.*1.

678. *Dei sententia in Iudicio erit irrevocabilis.*

Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Nota in hoc, quod Deus, non solum sibi ipsi loquitur, sed nobis in judicio, nec repetit bis idipsum, quia ejus sententia erit irrevocabilis, ideò timendus est, ut Iudex æquissimus. *serm.*1.*de Evangelistis.*

679. *Contemplativus à sensibus alienatus in somnum contemplationis se reducit.*

Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens nos, instruit disciplina. Quæritur hic quomodò Deus expectat, ut dormiat homo, ut ei ostendat disciplinam? Sed nota, quod loquitur de somno contemplationis: nam Anima, relictis sensibus, se colligit ad intima, & aspectum figit in lumeo æternum, quasi dormiens ab exterioribus actibus, & tunc Deus irruit in Animam eam illuminando, & inflammando.*in Luc. c.*9.*v.*32. *& in Ioan. collat.* 40. *& fer.*3.*Dom.*18. *post Pentec.*

680. *Deus Animam contemplativum instruit, & erudit circa meditanda ab ipsa.*

Erudiens nos instruit disciplina. Nota, hæc eruditio est circa quatuor meditanda, quæ disciplinam ingerunt Animæ,scilicet circa mala commissa, judicia futura, circa mala hujus vitæ, & dilationem bonorum æternæ gloriæ.*in Ioan.collat.*73.

681. *Deus immittit tribulationes in nos; ut nos à peccatis eruat.*

Instruit disciplina, ut avertat hominem ab iis, quæ fecit, &c. Nota hic fieri enumerationem multiplicis tribulationis, quam Deus homini immittit, ut eum liberet à peccatis præcipuè præsumptionis. *opusc. de sex alis Seraph. c.*5. *& Psal.*118.*c.*2. *v.*11. *& Psal.*88.

682 *Nomine gladij sæpè venit pœna æterna Inferni, quia hæc pertransit Animam, & corpus damnati.*

Vnde, ut ab hoc gladio Deus nos liberet, immittit tribulationes in hac vita, ut hic dicitur: *eruens Animam, & vitam, ut non transeat in gladium, &c. Psal.*88.

683. *Deus justo suo judicio permittit, ut jacentes in lecto voluptatis, ab eadem, & in eodem lecto puniantur, & torqueantur.*

Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, &c. Quis est iste, qui in lectulo à Deo increpatur per dolorem? Estne hoc bonorum, vel malorum increpatio?Sed nota,quod in lectulo hæc mala Deus immittit: quis est iste lectulus,nisi status voluptatis, in quo luxuriosi, & voluptuosi jacent:hos Deus eadem voluptate, & in eodem lecto torquet,& punit Deus,permittens, ut per easdem voluptates, quibus Deum offendunt, etiam puniantur doloribus, & in eodem lectulo sæpe marcescant:ô quam tristis est mercatura peccati, quod ipsi peccatori etiam est pœna. *in Ioan. c.*5.*v.*8.*& collat.*25.*diat.tit.*1.*c.*9.

684. *Panis vitæ, bonis est dulcis, malis abominabilis.*

Abominabilis fit ei in vita sua panis, & anima illius cibus ante desiderabilis. Quomodò idem panis prius est desiderabilis,postea fit abominabilis? Et quis est iste panis? Loquitur hic de pane vitæ scilicet de Eucharistia, qui cum sit de se desiderabilis, & dulcissimus bonis: malis, & impiis redditur abominabilis,quia mors est malis,vita bonis.*in Ioan.collat.*33.*& fer.*3.*Dom.*4.*quadrages.*

685. *Christus, & Angeli sunt mediatores nostri apud Deum.*

Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annunciet homini æquitatem. Vide ex his verbis quale munus Angelorum, qui sunt constituti medij, & mediatores inter homines,& Deũ, loquentes,orantes,& intercedentes pro nobis. Sed hoc maximè competit Christo, qui est Angelus missus à Patre:est enim unus pro millibus,idest pro hominibus satisfaciens tanquam mediator, & Redemptor mundi:Iste continue loquitur advocando pro nobis apud Patrem. *op.Eccles. Hier. p.*1.*c.*1. *& in Ioan.c.*8.*v.*9.*& c.*14.*v.*30.

686. *Deus quærit peccatorem,ut ei misereatur, & infundat gratiam suam.*

Inveni, in quo ei propitier. Nota:hæc sunt verba Dei miserentis: Sed cur dicit: *Inveni*?Invenire est aliquid cum studio, & diligentia quærere? nonne Deus omnia novit,nec indiget quærere?Dicit,*Inveni*,quia Deus quodammodò quærit, qui voluntariè se subjicit ejus dispositionibus, ut in ipso gratiam suam infundat: & tunc dicitur invenire, in quem sua desideria expleat,quæ sunt miserendi,& propitiandi peccatoribus. *in Luc.c.*15.*v.*24. Nota etiam, quod dicit, inveni, scilicet cum maximo studio quæsivi: quia valde pauci sunt similes hominesi quos Deus quærit.

687. *In iudicio videbitur Christus à bonis, & malis:Illis ad gaudium; istis ad pœnam.*

*Placabilis ei erit Dominus, & videbit faciem eius in iubilo,& reddet homini iustitiam suam.*Nota,quod hic Sacer Textus loquitur de Iudicio Vniversali, in quo pœnitens videbit faciem Christi in jubilo, scilicet quoad divinitatem,& Humanitatem,& hoc cum jubilo,& gloria ineffabili:mali tamen eum videbunt solùm quoad Humanitatem, sed tamen ad suam pœnam. *in Luc. c.*13. *v.*35. *in Ioan. c.*1.*v.*18. *& c.*14.*v.*12.*& c.*17.*v.*25.*& collat.*78.

688. *Qui in hac vita mortificat vanitatem visus,in altera videbit Deum in iubilo.*

Placabilis ei erit, & videbit eum in iubilo,& reddet homini iustitiam suam. Nota illa verba: *Videbit*

eum in iubilo: Iubilus eſt quædam indicibilis lætitia mentis, quæ non poteſt lingua exprimi, nec ex toto videri: hic autem datur à Deo in præmium mortificationis, quam in hac vita exercent ſancti ad ſenſus ſuos, maximè in vano auditu, & cæteris ſenſualibus vanitatibus. *ſer. 2. de Angelis.*

689. *Contemplativi in hac vita participant aliquid de gloria cæleſti.*

Et videbit eum in iubilo, & reddet homini iuſtitiam ſuam. Notā, quod non ſolùm hæc verificantur in alia vita, ſed & in hac vita in contemplativis, qui contemplatione quadam cæleſtis gloriæ etiam priuſquam ſpolientur carne, hilares ſunt, dum in iubilo faciem Dei conſpiciunt, quod fit cum Anima ſpiritualem oculum in radio æterni ſolis figit: ibi lumen vivens videt, quia jam omni mutabilitatis viciſſitudine, atque obumbratione caleata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo, quē cernit ad ſimilitudinem incommunicabilitatis aſſurgit, atque in ſemetipſam auctoris ſui inconvertibilem ſpeciem, dum recipit, aſſumit. *op. de ſeptem itineri. æternit. Itiner. 6. d. 6.*

690. *Idem confirmatur.*

Videbit eum in jubilo, &c. Nota, quod hæc eſt merces, quæ à Deo in hac vita datur ſuis intimis amicis: eſtque quoddam ſpirituale gaudium cordi repentè ex aliqua decocta cogitione, vel collatione infuſum, quod totum cor concutit ex ſui vehementia, & quodam tremore commovet, & delectabiliter cruciat, quia motus gaudij conſolatur, ſed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur; & aliquando per riſum, aliquando per quoſdam clamores, aliquando per aliquos geſtus, & ſingultus quaſi evaporando erumpit, non volens intra ſe tacitum contineri: ô beatus ille, qui ſcit jubilationem! *op. de perfect. religioſa, l. 2. c. 72. & in Ioan. collat. 78.* Et tale eſt gaudium, quod Simeon accepit, quando inter brachia ſua recepit Ieſum. *in Luc. cap. 2. verſ. 30.*

691. *Exempla Sanctorum excitant ſæpè peccatorem ad pœnitentiam.*

Reſpiciet homines, & dicet: peccavi, & verè deliqui, &c. Nota, quod loquitur hic de peccatore pœnitente, qui reſpiciens ad homines, excitatur ad pœnitentiam: Et quinam ſunt iſti homines tantam vim habentes? Reſpondetur, quod ſunt, qui non ad modum beſtiarum, ſed ductu rationis, & regulæ divinæ vivunt: Sunt Sancti, qui vita exemplari viventes, ſuis exemplis excitant peccatores ad imitationem, & recognitionem ſuæ peſſimæ vitæ, & ad agendam pœnitentiam. *in Ioan. c. 6. v. 21.*



CAPUT XXXIV.

692. *Deus iuſtus iuſtè condemnat impios.*

Vt hic dicitur: *Abſit à Deo impietas, & iniquitas: opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet eis.* Vnde omnes oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, qui bona fecerunt, præmiabuntur, qui verò mala condemnabuntur. *in Eccleſ. c. 3.*

693. Dei judicium non ſubvertetur per aliquam paſſionem, ſed juſtè judicabit, & rectè: ſic autem dicitur, quod: *omnipotens non ſubvertet iudicium. Pſal. 118. c. 10. v. 10.*

694. *Principes ad rectè gubernandum, cum æquitate, & pietate debent dirigere intentionem ad Deum, & ad bonum ſubditorum.*

Si direxerit ad Deum cor ſuum, ſpiritum illum, & flatum ad ſe trahet. Nota: hic loquitur de Principe, & Prælato, dicens, quod ſi in regendo direxerit ad Deum cor ſuum, ſcilicet intentionem, trahet à Deo ſuum ſpiritum, & flatum: quis eſt iſte ſpiritus, & flatus Dei? Hic eſt juſtitia, & miſericordia, cum quibus Deus regit mundum? ſic enim erit Dei perfectus imitator. *in ſap. c. 9.*

695. *Homo invitatur ad conſiderandum ſe cinerem, ut excitetur ad pœnitentiam.*

Deficit omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur. Nota, quod in Sacra Scriptura ſæpè proponitur homini origo ſui ſtatus, ſcilicet cinis, & pulvis, in quam redigendus eſt, ut hac recordatione excitetur ad pœnitentiam. *ſerm. 1. in die Cinerum.*

696. *Iuſtus ad Deum vadit actibus Anima quaſi greſſibus.*

Oculi eius ſuper vias hominis, & omnes greſſus eorum conſiderat. Ergone ſolùm Deus conſiderat greſſus hominis? Sed nota, quod nomine greſſus exprimit omnes actus bonos, & malos, quos Deus videt, & conſiderat vel præmiandos, vel puniendos: Appellat autem meritò iſtos actus greſſus, quia tot greſſibus, mens ad Deum accedit, quot bonis omnibus proficit. *in Ioan. capit. 8. verſ. 11.*

697. *Qui vult effugere iudicium Dei in morte, nunc iudicet ſeipſum in decurſu huius vitæ.*

Neque enim eſt in poteſtate hominis, ut veniat ad Deum in iudicium. Vult dicere, quod Deus independenter ab hominis voluntate veniet ad judicandum opera noſtra, & ideò tacitè monet, ut homo ſeipſum judicet interius præveniendo judicium Dei: Et ſi quæras quomodò homo ſeipſum judicare debet? Reſpondetur, quod in hoc judicio interiori Animæ conſcientia accuſat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat, quod judicium eò certius punit, quo interius ſævit. *in Ioan. c. 10. v. 42.*

698. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam: Vbi de certitudine prædeſtinationis.*

Conteret multos, & innumerabiles, & facit ſtare alios pro eis. Nota, hic locus eſt difficillimus, quia videtur, quod prædeſtinatio nullam habet certitudinem, dum unus ſupponitur pro altero in ſerie prædeſtinationis: ſed ſolvitur illa communi doctrina Theologorum, nēpè, quod poteſt ſumi prædeſtinatio ſecundùm præſentem juſtitiam, vel ſecundùm prædefinitionem præſcientiæ divinæ: Secundùm primam poteſt quis cadere, & de facto multi prædeſtinati cadunt à numero prædeſtinatorum

rum peccando, & præscitus secundùm præsentem justitiam pœnitendo ponitur in loco illius, qui cecidit: Secundo modo potest quidem deleri de libro vitæ, sed non delebitur: Et quia nemo scit, utrum sit finaliter prædestinatus an non, ideò cum metu, & tremore, & timore debemus stare, ne alius accipiat coronam nostram. *l.1.d.40.a.1.q.2.ad 2.*

699. *Principes mali sæpè permittuntur à Deo ad punitionem peccatorum subditorum, vel ad probationem bonorum.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Si Deus regnare facit malum, ergo Deus ad malum cooperetur? ergo præsidentia malorum mala erit à Deo? Sed attende, quod præsidentiæ potestas omnis est à Deo, vel positivè id efficiente, vel permittente: si est bonorum, est primo modo: si est malorum, est secundo modo: & hoc vel ad bonorum probationem, vel malorum punitionem. *l.2.d.44.a.2.q.1.*

700. *Cuinam Prælato iniusto debeamus obedire, hic explicatur.*

Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Si Prælatus malus à Deo ponitur in Prælatura, quomodò postea dicitur *Oseæ cap.8. Ipsi regnaverunt non ex me*; scilicet iniqui non ex Deo? & si non ex Deo, ergo non debemus eis obedire? Sed respondetur, quod Prælatus est sub triplici differentia: quidam enim, licet sit in se injustus, tamen justè ingreditur, & justè exequitur: huic justum est esse subditum: quidam injustè ingreditur, & injustè exequitur, & talis non potest justè præesse, nec ei obtemperari: quidam verò injustus in se, justè ingreditur, & injustè exequitur, & iste debet obtemperari in his, quæ non sunt contra Deum, quia à Deo permittitur ad probationem bonorum, & ad punitionem malorum: ideò sæpè Deus in pœnam peccatorum populi, dat similes Prælatos. *in Eccl.c.10.& Ioan.c.10.v.6.& c.19.v.11.*



CAPUT XXXV.

701. *Christi imitator mysticum Cælum est, sicut fuerunt Apostoli, & Sancti.*

Suspice Cælum, & contemplare æthera, quod altior te sit. Quodnam est hoc Cœlum, ad quod est aspiciendum? Cælum est Christus, qui in altis habitat, cujus virtutes sunt cælestes: præcipimur ergo, ut ad hoc Cælum suspiciamus per imitationem, omnia contemnendo in terris, & Regni nostro similes efficiamur, sicut fuerunt Apostoli, & Sancti. *op.de Eccles.Hier.p.4.cap.2.*

702. *Sacra Theologia est veluti Cælum omnes alias scientias supereminens.*

Suspice Cælum, quod altior te sit, &c. Nota, quod mysticè hoc Cælum est liber, vel materia Sacræ Theologiæ, quæ cæteris scientiis, & omnium intellectibus supereminet. *op.Compend. Princip.*

703. *Quidquid pro Deo facit homo, totum est illi debitum.*

Porro, si iustè egeris, quid ei donabis, aut quid de manu tua accipiet? Nota, quod per hæc verba datur intelligi, quod quidquid facit homo pro Deo, id est debitum, non donum, magis est justitia remunerationis, quam gratia supererogationis, & hoc quia omnia sunt ab ipso, & propter ipsum: Unde de quocumque opere bono non est gloriandum: Si enim hoc verificatur in homine servo respectu Domini sui, multò magis respectu Dei. *In Luc. c.17. v.9. & c.15.v.29.*

704. *Mali bonos affligendo, bonum in iis efficiunt.*

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim tyrannorum. Quid est, quod Deus permittit tot perversos calumniatores, tyrannos, & perversos in mundo, justos affligentes, & eos clamare facientes, & ejulare? Sed nota, quod hic est actus divinæ providentiæ: mali enim in affligendo bonos sunt ministri Dei, ut boni proficiant, & ad Deum recurrant: id igitur ordinatum est à divina bonitate ad bonorum majorem profectum. *in Ioan.c.16.v.33. in fine.*

705. *Mundus plenus est calumniatoribus, & oppressoribus pauperum.*

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim Tyrannorum. Nota, quod dicit propter multitudinem calumniatorum, &c. quia pauperes, & subditi subjecti sunt calumniis, & oppressionibus, quia mundus plenus est calumniatoribus, & oppressoribus, facientibus clamare, plangere, & ejulare miseros. *in Eccles.c.4.*

706. *Pauperes, & miseri debent venerari divina iudicia in suis tribulationibus.*

Et non dixit ubi est Deus, qui fecit me, & carmina dedit in nocte, &c. Nota, quod supra dixerat, malos opprimere pauperes, & bonos, quorum aliqui id non referunt in Deum, & ideò reprehenduntur, quia judicia Dei debent ab ipsis venerari, & à Deo totum libenti animo sumere. *in Thren.c.2.*

707. *Deus ipse est magister docens hominem in via activa, & contemplativa.*

Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres Cæli erudit nos. Nota, jumenta colentia terram significare activos: Volucres Cæli contemplativos: Deus igitur est magister noster principalis nos dirigens in via activa, & contemplativa. *Psalm.118. c.1.v.10.*

708. *Deus radios suæ sapientiæ immittit in dispositos, non in carnales, &c.*

Qui docet nos super iumenta, & volucres Cæli, &c. quæ sunt ista jumenta? mysticè sunt carnales, volucres verò sunt curiosi: hos Deus non illuminat, quia non sunt dispositi ad recipiendum suos radios: Illuminat igitur viros spirituales se disponentes. *in Ioan.collat.4.*

709. Dei

709. *Dei beneficium maximum est nobis factum ex eo quod ad eius imaginem sumus.*

Qui docet nos super iumenta, & volucres Cœli, &c. Quid est, quod nos docet? docet, quod super irrationalia sumus ad ejus imaginem creati, & quod super nos signatum est lumen vultus, quia nos capaces fecit cognitionis, & amoris Dei. *in Ioan.collat.4. & cap.1.verf.9.* Excita, & eleva mentem tuam ô homo quando vides aliquam bestiam, & recognosce quale beneficium à Deo super bestias receperis.

710. In hac vita quæcumque pœna à Deo immissa est nihil respectu pœnarum alterius vitæ, & ideò dicitur: *Nunc non infert furorem suum nec ulciscitur valde: sed modicum corripit vel per se, vel per alios. in sapien.cap.12.* Intende animo quascumque sæculi pœnas, quoscumque tormentorum dolores, quascumque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leve est omne, quod pateris. *opuscul.Phar.lib.3.cap.50.*



CAPUT XXXVI.

711. Deus non est acceptator personarum, sed meritorum, potentesque ad se recipit, & pauperes, dummodò ipsi non contrarientur suis operibus vocationi divinæ: Vnde hic dicitur: *Deus potentes non abijcis, cum sit ipse potens:* & si hoc dicitur de potentibus, idem dicendum de aliis: subditur enim: *iudicium pauperibus tribuit. in Eccles. cap.8.*

712. *Pauperes Evangelici sedebunt in iudicio iudicaturi cum Christo mundum.*

Non salvat Deus impios, & iudicium pauperibus tribuit, &c. Quomodò Deus dicitur judicium tribuere pauperibus, si ipsi sunt, qui ut subditi judicantur? Sed loquitur de jodicio Vniversali, in quo pauperes evangelici, scilicet, qui fastum superbiæ calcarunt, præcipuè Apostoli sedebunt cum Christo judicaturi totum mundum. *in sap.c.5. & ser.20. Hexaem. & in Eccles.c.8.in Luc. c.6.v.38.& c.7.v.22.& c.22.v.30.*

713. *Pauperes voluntarij pro Christo in Tabernaculo cælesti introducent ut Iudices divites.*

Et indicium pauperibus tribuit, &c. Cur pauperibus judicium Deus tribuet in judicio? Cur non potius divitibus justis? Vt verificetur, quod Christus dixerat: *Luc.c.16.* nempe pauperes introducturos in Regnum Cælorum divites, qui in hac vita subsidia eis præbuerunt, ideò eos judices secum vult habere in judicio extremo: Advertant, & mente revolvant diligenter divites hanc doctrinam, & subveniant libenter pro Christo pauperibus, à quibus tantum bonum sunt accepturi. *in Luc. c.16. v.9.*

714. *Superbi in iudicio iudicabuntur, & peribunt: humiles non iudicabuntur, & salvabuntur.*

Non salvat Deus impios, & iudicium pauperibus tribuit. Ecce quomodò in judicio impij judicabuntur, & peribunt: pauperes autem evangelici, oempe, qui pro Christo reliquerunt omnia, & superbiam & vanitatem mundi calcaverunt non judicabuntur, sed cum Christo judicabunt, & salvi erunt. *in Luc.c.22.v.16.in Ioan.c.3.v.18.& c.5.v.27.*

715. *Iusti in Cælo ut Reges in perpetuum sedebunt in solio.*

Non auferet à iusto oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. Ecce quomodò excitat nos Deus ad benè operandum ex propositione præmij immensi, quod suis fidelibus servis præparavit: Nota autem, quod hic omnes viros esse glorificandos in perpetuū docet, & addit, quod ipsos reges collocat in solio in perpetuum: Qui sunt isti Reges, nisi iidem justi? Verè Reges, qui sua corpora regere sciunt, qui præsunt cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frænando, modò æstum avaritiæ temperando, modò gloriam elationis inclinando, modò suggestionem livoris obruendo, modò ignem furoris extinguendo. *in Ioan. collat.24.*

716. *Solùm in gloria Iustus complet dies, & annos suos, & ideò in hac vita semper ambulandum.*

Si audierint, & observaverint, implebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Vide, quod Deus vult, ut justi semper ambulent, & in itinere perfectionis in hac vita incessanter ambulent, quia solùm in gloria in ipso complebunt dies, & annos suos: unde semper de virtute in virtutem ambulandum est. *op.de Eccles.Hier.p.4.c.6.*

717. *Hypocritæ Deo valdè super omnes impios exosi.*

Simulatores, & callidi provocant iram Dei, &c. Cur nō potiùs in medium adducit alia peccata, sed solam hypocrisim, cum etiam aliis malis provocetur ira Dei? Provocatur quidem, sed tamen hypocrisis eorum qui corde à Deo alieni: extorres laudum, quæ Deo debentur, & pecunias simulatione, & hypocrisi captare contendunt super omnes alios sunt exosi, & Dei iram provocant. *in Thren.c.3. in Lucam c.20.v.20.& v.47.*

718. *Liberatio peccatoris à consuetudine peccati magnum Christi miraculum.*

Salvabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamentum subter se, &c. Quodnam est os hoc angustum, à quo promittitur liberatio in homine? Nota, quod os angustum est status hominis in peccati consuetudine existentis, cujus liberatio, licèt non sit impossibilis, est tamen valde difficilis, & requirit Dei potentiam, ob angustias, in quibus vivit consuetudinarius in peccato: Age igitur pœnitentiam, & Deus salvabit ab hoc ore angusto. *in Ioan.c.11.v.41.*

719. *Christo*

719. *Christo datum est à Patre, ut judicet mundum, quia se subjecit judicio impiorum.*

Causa tua quasi impij judicata est: causam, judiciumque recipies. Nota, quod hæc rectè dicuntur de Christo, qui quasi impius judicatus est à Pilato, & Judæis; ideò, quia ut Patri obediret se subjecit judicio impiorum, Deus Pater eum Judicem universorum constituit. *l.4.d.47.q.1.& d.48.q.1.& in Ioan.c.19.v.14.*

720. *Nihil potest satiare Animam nostram præter Deum.*

Nec multitudo donorum inclinet te. Vide, quod cupiditatem à corde conatur facer textus evellere, ex eo, qood Anima nullis terrenis rebus satiari potest, sed tantùm Deo; in quo sunt omnia bona. *in Ioan.c.14.v.12.*

721. *Reponenda sunt superbiæ cornua, ne percutiamur à Deo.*

Repone magnitudinem tuam absque tribulatione. Quid est deponere magnitudinem absque tribulatione? Ergone magnitudo est cum tribulatione, & non potius in consolatione? sed attende mysterium: Vide quando exaltatur lima, tunc extendit cornua, sed quando percutitur ea restringit, & Pavo videns turpitudinem pedum, caudæ gloriam deprimit: sic volt dicere Spiritus Sanctus: Repone magnitudinem tuam absque tribulatione, ideft cave ne eruttis cornibus procedas, alioquio à Domino citius percurieris tempestate, infirmitate, vel alia tribulatione, ut cornua deponas. *serm 1. in Rogationibus.*

722. Declinatio ad iniquitatem vitanda est, ne à Deo separemur: Vnde hic dicitur: *cave, ne declines ad iniquitatem*, nempe ut Deo adhæreas, & inclines ad legem. *Psal. 118.c.4.v.3.*

723. Viarum Domini, & ejus legis divinæ intelligentia à solo Deo illustrante intellectum potest haberi: Unde hic dicitur: *Ecce Deus excelsus in fortitudine, & quis poterit scrutari viai ejus?* quasi diceret, nemo: nam solus Deus potest humanæ mentis humilitatem sublevare ad speculandam divinæ dispositionis sublimitatem. *Psal.118.cap.3.v.2. & cap.4.v.16. & in Eccles.cap. 8. v. 3.*

724. *Omnes homines in judicio videbunt Christum, sed differenti modo, & effectu.*

Omnes homines vident, id est videbunt eum. Quomodò omnes homines videbunt Deum; ergone & damnati? Nota, quod in judicio universali omnes homines videbunt Christum Deum, sed differenti modo: nam electi videbunt eum in humanitate cum Divinitate in copiosiorem eorum lætitiam; Damnati videbunt solum humanitatem ad majorem pœnam. *in Ioan. cap. 19.v.36.*

725. *Christus per Apostolos tamquam per nubes coruscantes miraculis Ecclesiam suam ornavit, & clarificavit.*

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet &c. Nota, quod per nubea mysticè intelliguntur Apostoli, & verbi Dei Concionatores, quos extendit per totum cœlum Ecclesiæ, eos mittendo per universum mondum, ut coruscent miraculis, & protegant Ecclesiam, & homines divini verbi virtute, eos attrahentes ad lucem fidei, & salutis. *serm. de SS. Simeon & Iuda.*

726. *In manibus, scilicet operibus nostris bonis Deus abscondit lucem suam, quia solùm benè operantes illuminantur.*

In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat. Cur in manibus Deus abscondit lucem? intellige in operibus nostris: qui enim per opera bona non conservat lucem divinæ gratiæ, in tenebris remanebit, quia hoc lumen per mala opera extinguitur. *serm.1. Dom.14. post Pentecost.*

727. Deus in manibus tenet absconditum lumen suæ sapientiæ: Ideo ab ejus manibus est expetenda omnis cognitio veritatis: dicitur enim hic, quod in manibus abscondit lucem &c. *Psal. 118.cap.5.v.9.*

728. *Iniquis absconditur lux cœlestis: Iustis manifestatur.*

In manibus abscondit lucem, & rursus præcipitur, ut inveniatur. Nota, quod Glossa hic legit: *in manibus*: ideft crudelibus, & iniquis, quibus Deus abscondit lucem suam, sicut justis manifestatur. *serm.1.Dom.14. post Pentecost.*

729. *Amicis suis Deus revelat sua secreta.*

Annuntiat de ea (idest de luce) amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere. Vide prærogativas amicorum Dei, scilicet habentium charitatem: nam ipsis revelat sua secreta, & tradit in possessionem eorum, & lucem æternam promittit. *in Ioan.coll.69.*



CAPUT XXXVII.

730. *Os Patris æterni est filius, per quem in orbem terrarum mittit sonum.*

Audite sonum de ore illius procedentem. Quodnam est os Dei emittens sonum? hoc est filius Dei, per quem mittit sonum suæ doctrinæ per universum orbem per Apostolos: Unde omnibus dicitur: *audite sonum de ore illius*, ideft accipite ejus doctrinam, & obedite ejus præceptis. *Psal.77. & in Ioan.collat.18. & op. de invisibilitate Dei.*

731. *Solus Deus cognoſcit merita Sanctorum occulta.*

Super omnes Cœlos ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ. Myſticè hæc intelligenda ſunt: ſicut enim ejus cognitio ſuperexcedit omnes Cœlos: ſic & ſolus cognoſcit merita occulta ſanctorom, qoi ſunt myſticè Cœli, eaque vult ſæpe occulta remanere ad ipſorum profectum, aliquando verò manifeſtat ad bonom exemplum noſtrum. *op. de Eccleſ. Hierar. p.4.c.4. in ſap.c.7.*

732. *Illuſtratio divinæ gratiæ, & prædicatio divini verbi ad compunctionem excitat Animam.*

Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inveſtigabitur cum audita fuerit vox ejus. Myſticè per metaphoram tonitrui dat intelligere, quod cum Deus infundit lucem gratiæ ſuæ in Animam, tunc ipſa tonat per gemitus compunctionis, per quam aſſurgit io Deum. *in Ioan. cap.3.v.7.* Idemque effectus provenit, cum Deus tonat per vocem Prædicatoris. *in Luc. c. 3. v.3.*

733. *Deus ſicut viciſſitudine temporum regit hunc mundum: ſic & Eccleſiam diverſitate graduum, & officiorum.*

Qui præcipit nivi, ut deſcendat in terram; & hiemis pluviis, & imbri fortitudinis ſuæ &c. Nota, quod litteraliter oſteoditur maximè potentia, ſapientia, & bonitas divina in regimine mundi hujus inferioris per viciſſitudines temporum, nivis, pluviarum, hiemis, veris, æſtatis, & autumni &c. ſic & in regimine ſpirituali multò magis patefit divina providentia, in qua ſuot varij gradus mioiſtrorum, Prælatorum, & ſubditorum, activorum, & contemplativorom, quæ tameo diverſa officia ad invicem ſunt connexa reddeona mirabilem harmonicam proportionem. *op. de Eccleſ. Hier.p.4.c.4.*

734. *Sigillum amoris imprimitur à Spiritu Sancto in manibus hominum.*

Qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua. Quod ſignum eſt hoc inſculptum in manibus hominum? Nota hic perperam fundare Chiromanticos ſuam inanem facultatem, dicentes, Deum inſculpſiſſe in manus hominum ſigna temporum, quod eſt falſum; ſed per hoc dat intelligere, quod in manu, ideſt in operibus Deus ſignat noſtram prædeſtinationem, vel reprobatiooem, & hoc fecit ſigillo Spiritus Sancti, quod eſt amor ejus. *ſerm. 1. in Pentecoſt. & ſerm. 1. Dom. 17. poſt Pentecoſt.*

735. *Diabolus libenter moratur in immundis.*

Ingreditur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur. Quæ beſtia? quod latibulom? Beſtia, ideſt Diabolus, qui ut beſtia immunda in latibulum intrat, ſcilicet in immundos, qui ſunt locus habitatioois Diaboli, præcipuè avari, & Luxurioſi: in hos ut in latibulum, vel potius in porcos intrat. *in Luc. cap. 8. v. 33. & in Ioan. cap. 13.v.30.*

736. *Qualibet res habet inclinationem naturalem ad conſervationem ſui eſſe.*

Frumentum deſiderat nubes &c. Quodnam eſt hoc deſiderium frumenti? oonne frumentum caret appetitu libero? ſed nota hic, quod pro deſiderio ſumitur naturalis ioclinatio ad bonom ſibi conveniens, quæ ineſt in omnibus rebus à Deo creatis indita à Creatore: Unde frumentum habet inclioationem ad irrorationem cœleſtem. *op. de ſeptem Itiner. æternit. Itin.4.d.2.*

737. Aoima charitate Dei imbuta eſt frumentum electum exoptans irrorationem à Deo gratoitam: ſic dicitur; *frumentum deſiderat nubes*: cave ergo ne degeneres à ratione frumenti, vel loco frumenti oriatur tribulus. *in Ioan. collat. 57. op. de ſeptem Itiner. ater. Itiner.4.d.2.*

738. *Animæ ſanctæ volant ad Cœlum per contemplationem irradiante lumine cœleſti.*

Nubes ſpargunt lumen ſuum, quæ luſtrant per circuitum, quocumque voluntas gubernantis duxerit &c. Myſticè iſtæ oubes ſunt juſti, qui ſicut nubes feruntur in altum vento flante: ſic juſti volant in Cœlum per mentis decurſum, ſive in Cœlom per contemplationem gloriæ, ſive in Deum per exceſſum lætitiæ ſubjecti voluntati gubernanti &c. *ſerm. de SS. Sim. & Iuda.*

739. *Viri amici Dei audiunt verbum Dei, permanent in amicitia, & conſiderant ejus mirabilia.*

Auſculta hæc Iob, ſta, & conſidera mirabilia Dei: Nota hæc tria (*auſculta: ſta, & conſidera*) Job erat verus Dei amicus, cui hæc tria competont, ſcilicet audire vocem ſponſi, ſcilicet obedire voci Dei: ſtare, in gratia ejus perſeverando, & conſiderare mirabilia Dei, ſcilicet in myſteriis Incarnationis divinæ, in Sacræ Scripturæ arcanis, & io cœleſtibus ſecretis. *in Ioan. collat.18. & in Luc.c.7.v.14.*

740. *Solius Dei eſt cognoſcere ſublimitatem ſtatus contemplativorum.*

Numquid noſti ſemitas nubium magnas, & perfectas ſcientias. Nota, qood ſicut ſolus Deus novit ſemitas nubium evolantium vi veotorum per aerem: ſic ſolus Deus novit ſemitas contemplativorum, qui eos ſuſpendit in altum per contemplationem, & in ſe quaſi amoris fuoibus elevare facit. *ſerm. de SS. Simone, & Iuda.*

741. *Veſtes juſtorum ſunt calidæ: Impiorum frigida.*

Nonne veſtimenta tua ſunt calida, cum perflata fuerit terra &c. Quomodò veſtimenta fiuot calida, cum ventus auſter perflat terram? Nota, quod auſter ſignificat Spiritum Sanctum, ſicut Aquilo Diabolum; *Cant. 4.*

Surge

Surge Aquilo, & veni Auster. Vestes sunt charitas Dei, & proximi in justi anima: fiuntque calidæ per fervorem Spiritus Sancti, quo Anima perflatur: E contra vestes impiorum, scilicet opera frigida fiunt vento Aquilonis, nempè Diabolicæ tentationis. *ferm.3.Dom.19.post Pentecost.* Nota etiam, quod dicit cum terra perflata fuerit Austro: quia sicut Auster immittit pluviam terræ: sic Spiritus Sanctus pluviam gratiæ immittit Animæ. *in Luc.c.12.v.55.*

742. *Cælorum soliditas quanta.*

Cœli sunt solidissimi quasi ære fusi. Nota, quod Cœli dicuntur solidissimi, non quod sint duri sicut æs, sed dicuntur tales, ob firmitatem, & incorruptibilitatem, secundùm quod eis competit motus, non sursum, vel deorsum, sed orbicularis. *l.2.d.14.p.1.a.2.q.1.ad 3.& serm.8.Hexaem.*

743. Angeli dicuntur Cœli solidissimi: quantum ad naturæ incorruptæ perpetuitatem, & fixam, & stabilem in Dei voluntatem, nullæ mutabilitatis rubigini subjecti. *op. Eccles. Hier. p.4.cap.1.*

744. Doctores Sanctæ Ecclesiæ sunt Cœli solidissimi: quia sunt fundati in sapientia cœlesti, quæ est firmissima, & invariabilis: E contra sapientes mundi variabiles, quia sunt fundati in vanitatibus scientiarum terrenarum. *op. Eccles. Hier.p.4.c.4.*

745. *Ex peccato originali procedit ignorantia in omnes homines.*

Nos quippe involuimur in tenebris. Scilicet nos omnes ex Adam descendentes, quia contraximus radicem originalem ignorantiæ, ambulamus & vivimus involuti in tenebris. *op. Ternarium peccat. c.3.& sap.c.17.*

746. *Patiens convertit in aurum lutum.*

Ab Aquilone aurum venit. Litteraliter vult dicere, quod ab Aquilonis parte sunt mineræ auri, quod valdè mirum est, cum illæ regiones sint valdè frigidæ, aurum verò generetur ex calore solis, & ideò Deus mirabilis ostenditur in hac auri formatione: mysticè dat nobis intelligere modum, quo id, quod de se erat frigidum, & vilissimum, quales sunt scilicet tribulationes, infirmitates &c. fiant aureæ, mediante virtute patientiæ: hæc enim convertit lutum, & terram frigidissimam in aurum purissimum meriti. *op. Diæt. Tit.7.c.7.*

747. *Peccatorum conversio est effectus divinæ potentiæ mirabilis.*

Ab Aquilone aurum venit &c. Notantur hic mirabilia multa sapientiæ divinæ, inter quæ collocatur, quod ex parte Aquilonis, quæ est pars frigidissima oriatur aurum, ideò significatur in hac parte status Animæ peccatricis, quæ licet sit omnibus bonis destituta, tamen per conversionem fit aurum nempe fidelis, & Deo chara. *Psal. 107. & Glossa hic.*

748. *Deum laudare tenemur, quia nos liberat à tentationibus, & periculis.*

Ab Aquilone venit aurum, & ad Deum formidolosa laudatio. Hic textus ingerit dubium menti nostræ: quomodò ab Aquilone, & non etiam ab oriente? Nascitur quidem in oriente aurum, sed id non est mirum: mirū quidem est, quod ab Aquilone veniat aurum, & quia mysticè significatur in Aquilone tentatio Diaboli: in auro meritum, & laudatio Dei significatur, quod ex hoc, quod cum tentamur, flante Spiritu Sancto victores sumus: tunc nobis aurum advenit, scilicet meriti. *fer.4.Epiph.*

749. *Deus laudandus est à nobis cum timore, & reverentia.*

Ideò timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi credunter sapientes. Cur non audebunt contemplari Deum? quia id dignè non possumus, & ideò cum timore reverentiæ magnificari debet à nobis Creator. *in Luc.c.7.v.16.*



CAPUT XXXVIII.

750. *Luxuria carnis, & cordis elatio debet restringi, & mortificari à servis Dei.*

Accinge sicut vir lumbos tuos. Nota, quod accingere lumbos est carnis Luxuriam per continentiam coarctare: sed cum hæc dicantur, Job, qui erat castissimus, cur dicitur ei, accinge lumbos tuos? quia alia est Luxuria carnis, alia cordis, scilicet per elationem, & superbiam, ab utraque debet se defendere servus Dei cingulo disciplinæ, & virtutis. *in Ioan. c.13.v.5.& c.11. v.9.& in Luc.c.12.v.35.& Glossa.*

751. *Sanctus Pater Franciscus accinctus similis filio hominis.*

Accinge sicut vir lumbos tuos. Quis est iste vir, cui similem se debet præbere Job? sed nota, quod hic vir est Christus filius Dei: potestque dici, quod Sanctus Pater Noster Franciscus sit iste vir, cui hoc dictum sit: quia accinctus cingulo singularis disciplinæ similem se exhibuit filio Dei. *in Ioan. collat.91.*

752. *Christus totius fundamentum Ecclesiæ, & fidelium in unitate fundatum.*

Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras ejus, quis tetendit per eam lineam, quis demisit lapidem angularem. Hæc dixit Deus Job, in quibus multa mysteria panduntur, & præcipuè propherica de Christo: litteraliter fundamenta terræ, sunt primò materia prima, qua Deus concreavit seminarium omnium formarum. Secundò sunt elementa coordinata cum omnibus mixtis in sex diebus creationis: Mysticè autem nomine terræ venit Ecclesia, cujus fundamentum est Christus, à quo, ut à summario proveniunt cætera, scilicet Apostoli, & Sancti,

ſancti, & ideò loquitur de fabrica Eccleſiæ ſub metaphora terræ, cujus fundamentum eſt Chriſtus, qui junxit uttaque unum, ſcilicet Divinitatem, & Humanitatem, & Eccleſiam triumphantem, & militantem, & gentilitatem, & ſynagogam univit in unum : Ad hoc fundamentum, vel lapidem, qui circumferentiæ circuli comparatur tendunt omnes lineæ, in quo uniuntur ut in centro, & faciunt angulum : in quo centro fit oſculum linearum Crucis in medio ſcilicet fnē concurrentium io unum. *in Luc. cap.* 20. *v.* 17.

753. *Lapis angularis Chriſtus.*

Quis demiſit lapidem angularem? Hic eſt Chriſtus miſſus à Patre, quique fecit unam Eccleſiam, & univit in unum gentilitatem, & Synagogam. *In Ioan.c.*10.*v.*16.

754. *Angeli boni ſunt filij Dei, ſicut & homines juſti per adoptionem : Solus Chriſtus per generationem.*

Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei? Aſtra matutina hic dicuntur Angeli : ſicut enim Cœlum decoratum eſt ſtellis, ſic & Empyreum Angelis, quia fuerunt creati in principio, & glorificati : ſuntque filij Dei ſimul cum juſtis hominibus per creationem, & adoptionem, Chriſtus verò eſt per generationem. *l.* 3. *d.* 10. *a.* 2. *q.* 1. *& l.* 2. *d.* 2.*p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 1.

755. *In patria Angelorum laus eſt mentalis : hominum verò poſt reſurrectionem erit etiam vocalis.*

Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei. Quæritur hic quomodò Angeli dicuntur laudare Creatorem, ſi non habent vocem, & laus conſiſtit in voce? ſed reſpondetur quod Angelorum & animarum beatarum laus eſt mentalis, ſcilicet in admiratione contemplationis : Hominum verò laus poſt reſurrectionem corporum eſt etiam vocalis, non per ſpirationem, vel reſpirationem, ſed per aerem quaſi naturaliter complantatum beatis, vel Empyreum deſerviet beatis, ſicut aer corporibus non glorificatis. *l.* 2. *d.* 2.*p.* 2. *dub.* 1. *& ſerm.* 5. *Hexaem. & in Luc. cap.* 2. *& ſerm.* 3. *de Angelis.*

756. *Mirabilis potentia, & providentia Dei elucet in continentia aquarum in Oceano.*

Quis concluſit oſtiis mare &c. Nota, quod inter mirabilia, quibus elucet ejus potentia, & providentia : hoc eſt dignum conſideratione, nempè reſtrictio aquarum in unum locum ſuper terram, quem appellant mare, & dicitur Oceanum. *Eccleſ.c.* 1.

757. *Timoris Dei mirabiles effectus.*

Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Vide ſupra. *cap.*31.*v.*31.

758. *Locus Mariæ Virginis proprius eſt Empyreum ſuper omnes Angelos.*

Nunquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum. Nota, quod hic myſticè loquitur de Beata Virgine Maria, quæ fuit aurora rutilans in Cœlo : Dicit igitur. *Nunquid oſtendiſti auroræ locum ſuum* : quaſi dicat non tu, ſed ego : non ad te, ſed ad me hoc pertinet : Beoè autem dicit locum ſuum, quaſi appropriando, & diſcernendo illum ab aliis omnium Sanctorum : Cæteri enim Sancti habent locum communem, ſed Maria proprium ſuper omnes. *op. ſpecul. B.Virg. lect.*11.

758. *Maria Virgo aurora nobis ſolem æternum exhibens, & rorem gratiarum.*

Nunquid oſtendiſti auroræ locum ſuum. Myſticè hæc aurora eſt Beatiſſima Virgo Maria : Verè aurora, ſcilicet finis tenebrarum peccati, & principium lucis æternæ, & nobis conferens rorem omnium benedictionum. *op. de Eccleſ. Hierar. p.* 4.*c.*9.

759. *Fides profundiſſima myſteria facit credere.*

Nunquid ingreſſus es profunda maris, aut in noviſſimis abyſſi deambulaſti. Nota hæc myſticè intelliguntur de doctrina Chriſti, cujus profunditas, & abyſſus non poteſt penetrari, niſi adjutorio fidei, quæ nos ducit ad credendum profundiſſima. *in Luc.c.*6.*v.*14.

760. *Peccatum hyemem, & frigus cauſat : gratia æſtatem.*

Nunquid ingreſſus es theſauros ignis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Qui ſunt iſti theſauri nivis, & tempeſtatis? litteraliter ſunt exalationes humidæ, quibus generantur nives, & tempeſtates : Myſticè theſaurus ignis, & tempeſtatum eſt culpa, quæ cauſat frigus in Anima, & duritiam ad modum grandinis, quia vita pravorum torpore frigeſcit, & per malitiæ duritiam percutit, & ideò non eſt mirum, ſi infrigidati ad tale frigus,ad ignem concupiſcentiæ ſe calefacere conantur : E contra gratia Dei æſtatem & calorem bonum Animæ infert. *in Ioan.coll* 80. *& c.* 18. *v.* 18.

761. *In via contemplationis invenit contemplativus lucem, & ardorem Spiritus Sancti.*

Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram? Hic ad litteram indicatur mirabilis Dei potentia in diffundendo lucem per mundum, & æſtum, caloremque veluti in inſtanti : Sed myſticè hic eſt ſermo de contemplativis, quibus Deus in hac vita diffundit lucem ſuam, & calorem Spiritus Sancti : Curre ergo ô Anima ab activa ad contemplativam, ſi vis oculos figere, in æternum ſolem, & inflammari amore Dei. *ſer.*4.*Dom.*4.*Adventus.*

761.*Miratu*

762. *Miraculum est grande divinæ potentiæ conversio gentilitatis ad Christi fidem.*

Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonitus tonitrui? Vt plueret super terram in deserto &c. Mysticè loquitur de conversione gentilitatis factâ per prædicationem Apostolorum Christi, quæ erat veluti desertum, & tamen per pluviam prædicationis dedit fructum abundantem, in quo elucet mirabiliter divina potentia, sapientia, & bonitas. *Psal. 95. & Glossa.*

763. *Oratio est mater pluviæ gratiarum Spiritus Sancti.*

Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris &c. Respondetur, quod hæc est oratio, scilicet Pater, & Mater generans, & immittens rorem cœli: Si ergo sicca est terra Animæ, confugiat ad orationem & irrigabitur pluvia. *serm. 4. in Dedicat.*

764. *Iudicia Dei incomprehensibilia apparent in hoc, quod boni, & dilecti aliquando convertuntur in malos, & reprobos.*

De vtero vtero egressa est glacies, & de Cœlo gelu quis genuit. Mirum est videre è Cœlo cadentem nivem, & glaciem, & gelu: de Cœlo, inquam, à quo tantum boni influxus exeunt: Sed Mysticè datur intelligi, quod videre plures, qui exierunt de vtero Dei, scilicet boni, & Sancti conversi sunt in pessimos, & præscitos, id reservatur in arcanis iudiciorum Dei incomprehensibilium, vt patet in Dæmonibus, & Iudæis prius dilectis à Deo, postea reprobis. *op. de Invisibilitate Dei, & Glossa, & Vgo hic.*

765. *Religio est Cœlum reddens homines gelidos, scilicet restrictos, & mortificatos.*

Quis de Cœlo gelu genuit. Ergone gelu generator à Cœlo? generatur quidem ex influxu è Cœlo descendente, & significat homines gelidos, & restrictos à timore Dei in ordine ad fluxum carnalis concupiscentiæ: quod maximè in Cœlo mystico verificatur, nempe in Religionis statu, in quo vivunt homines tamquam Angeli. *in Ioan. collat. 10.*

766. *Christus Salvator virtutes, & dona immutabilia in se habuit, & sine mensura.*

Nunquid coniungere valebit micantes Pleiades. Nota, quod Pleiades sunt septem stellæ coniunctæ, quas vulgo gallinam cum pullis vocant, quæ faciunt gyrum imperturbabilem circa polum: & Mysticè significantur septem virtutes, scilicet tres theologales, & quatuor cardinales: Vel numero septenario significant omnes virtutes, & dona Spiritus Sancti: Sed quomodò dicitur, quod non possunt coniungi simul? Sed attende, quod loquitur de Christo, in quo non virtus hominis, sed Spiritus Sancti coniunxit omnes virtutes cum plenitudine omnium gratiarum sine mensura, dans intelligere, quod istæ in nulla alia creatura possunt coniungi cum ista plenitudine. *in Ioan. collat. 6. & c. 3. v. 34. & lib. 3. d. 36. a. 1. q. 2. & serm. 7. Hexaem.*

767. *Dona Spiritus Sancti, & virtutes Theologicæ, & Cardinales vniunt Animam Christo, & circa ipsum imperturbabiliter faciunt ipsam incedere.*

Numquid coniungere micantes Pleiades &c. Nota hæc mysticè dicuntur de Cœlo Ecclesiæ, in qua sunt septem virtutes, scilicet tres Theologicæ, & quatuor Cardinales: Item & dona Spiritus Sancti, quæ gyrum imperturbabilem causant in Anima circa Christum. *ser. 7. Hexaem. & l. 3. d. 36. a. 1. q. 2.*

768. *Septem Sacramenta Ecclesiæ à passione Christi habent.*

Nunquid coniungere valebis &c. Nota etiam, quod Sacramenta septem Ecclesiæ figurantur in his septem stellis, & sicut istæ volvuntur circa polum, sic ista Sacramenta volvuntur continuè circa Christum polum Ecclesiæ, à cuius passione habent efficaciam: Dicitur autem gyrus verus Sacramentorum, quia & abluendi ad Sacramenta confugiunt, & abluti iterum ad Sacramenta accedunt. *op. Compendiosum principium.*

769. *Vbi est concordia, & vnitas per fidem veram omnis virtus, & bonum.*

Nunquid coniungere valebis micantes Pleiades &c. Nota perpulchrum mysterium: Septem istæ stellæ sunt sibi coniunctæ, & virtuosæ, quæ Aere sereno, & maximè hyemali tempore valdè micant, & apparent, & gyrum circum polum immutabilem faciunt: Mysticè significant Apostolos, & amicos Dei, qui per fidem in voluntate communi vivunt sicut cor vnum, & Anima vna: servantes igitur concordiam virtuosissimæ sunt, & gyrant influendo toti mundo suam virtutem. *serm. 2. de Apostol.*

770. *Ecclesia militans fundata ad similitudinem Triumphantis.*

Numquid nosti ordinem Cœli, & pones rationem eius in terra? Vult dicere, quod Iob non poterat rectè noscere ordinatissimam dispositionem Cœli, & eandem collocare in terra: quia hoc spectabat ad Christum mediatorem, qui Ecclesiam militantem in terra fundavit ad similitudinem Triumphantis: nempe vitam, & officium novem ordinum Angelorum collocando, & instituendo, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolitorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, & Psalmistarum. *op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 1.*

771. *Ordo prædestinationis soli Deo notus.*

Numquid nosti ordinem Cœli, aut poteris ponere rationem eius in terra. Quasi dicat, non: sed quis ordo est iste? Ordo iste est prædestinationis, qui à nobis non potest in terra cognosci: soli enim Deo est cognitus, qui est in prædestinatis

collocatus in ordine ad Christum, vt caput omnium prædestinatorum.*l.3.d.11.a.1.q.2 ad 1.*

772. *Ex ordine Cœlorum debemus addiſcere modum vivendi in terra.*

Nunquid noſti ordinem Cœli aut ponere eius rationem in terra. Nota, quod Spiritus Sanctus hic dat intelligere hominem non ex ſe ſe, ſed tantùm auxilio Dei dirigentis poſſe in terris imitari ordinem Cœli, quoad mores: ſicut enim Cœlum eſt ſitualtum, ordine ornatum: ſic Anima in altum ad cœleſtia debet elevari, & ordinare ſuos motus ad Deum.*Pſal.c.18.c.2.v.9.*

773. *Doctrina divina devotè audita excitat ad compunctionem & lachrymas.*

Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te. Dat per hoc intelligere, quod emiſſio pluviæ à Deo dependet, qui Aerem nubibus replet, & inde extrahit pluviam: myſticè datur intelligi, quod doctrina, & verbum Chriſti devotè auditum ſignificatum in nebula elevata, aquam compunctionis, & lachrymarum excitat, & Animam fœcundat.*in Luc. c.8.v.14.*

774. *Viri perfecti quidquid benè faciunt, totum à Deo, & ad Deum referunt.*

Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi; Adſumus? Litteraliter vult Deus docere, quod iactus fulgurum huc, illucque eſt ſub Dei poteſtate, & non hominum: Myſticè fulgura Chriſtus mittit, quando Doctores, & Prædicatores ab ipſo mittuntur, miraculis, & doctrinis coruſcant, & transfigunt corda audientium: Et revertentia, dicunt Deo, Adſumus, ſcilicet Deo, & Dei virtuti tribuunt, quidquid ſe fortiter egiſſe cognoſcunt: ſic fuerunt Diſcipuli, quando dixerunt Chriſto: *Domine in nomine tuo Dæmonia eiecimus &c.* In quo facto tamen aliquid commendabile fuit, nempe, quia totum à Deo recognoſcebant, quod eſt virorum perfectorum, qui non ſibi, ſed nomini Domini dant gloriam: Aliquid etiam fuit reprehenſibile, quia licet totum à Chriſti virtute recognoſcerent, tamen quia de ſignorum operatione aliqualiter efferebantur, ideò eos Chriſtus reprehendit.*Luc.c.10.v.17.*

775. *Recipiens aliquam gratiam à Deo, & ipſi gratias agens à Deo recipit fulgura, & ad Deum ipſa remittit.*

Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicem tibi, Adſumus? Nota, quod per hoc ſignificatur, quod Deus eſt, qui mittit fulgura, ſcilicet gratias confert ſuis amicis, & cum iſti gratias reddunt Deo de beneficijs receptis, tunc eadem remittunt Deo, ab ipſo totum recognoſcentes: quod proprium eſt virorum perfectorum.*in Luc.c.14.v.20.*

776. *Religioſi poſt actionem & prædicationem debent redire ad contemplationem.*

Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent, adſumus? Nota quod per hoc ſignificatur, quod Prædicatores, qui ſunt fulgura à Chriſto miſſa, vt miraculis, & doctrina coruſcantes transfigant auditores, & convertant, poſtquam ſe exercuerunt in hoc miniſterio, debent redire ad Deum in contemplatione, & ab activa, ad contemplativam reverti.*in Ioan.cap.4. v.17.& c.20.v.21.*

777. *Prælatorum, qui ſunt à Deo electi eſt de virtute in virtutem proficere.*

Nunquid mittes fulgura & ibunt &c. Quomodò fulgura ibunt? habentne pedes? Nota: hæc fulgura à Deo miſſa ſunt Prælati, qui à Deo eliguntur ad regendum populos, quorum munus eſt coruſcare doctrina, & operibus, & ire de virtute in virtutem, ad Deumque omnia ordinare. *in Ioan.c.15.v.19.*

778. *Prædicator eſt Gallus à Deo in Eccleſia poſitus, vt excitet homines ad pœnitentiam.*

Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, aut quis dedit gallo intelligentiam. Quænam proportio eſt inter hominis ſapientiam, & galli intelligentiam? Cur hæc duo ſimul connectit? Nota, quod hic loquitur de Rectoribus: & Prædicatoribus populorum, qui ad modum galli debent ſe gerere: Gallus enim horas noctium diſcernit, in noctibus voces emittit, & eas valentiores in profundo noctis, quàm in matutino: alas excutit, ſeipſum feriens vigilantiorem reddit, cum edere cantus parat: gallus vociferatur contra prælium, & poſt prælium, & victoriam, ſed victus ſilet: ſic Prædicator debet prius in auditoribus qualitatem vitæ conſiderare, & poſtea vocem congruam ad audiendum edere, ſicut gallus horas noctis determinat: debet & dormientes in peccato excitare, & quo profundior eſt ſomnus, eò voces maiores debet emittere: debet mane venturum, ſcilicet gratiam vel Chriſtum nunciare, debet ſe prius excitare ad bona opera, poſtea alios: debet infirmos conſolari: O quàm bonus gallus fuit Beatus Antonius de Padua, qui munus prædicationis tam fideliter exercuit.*ſer.2. de S.Antonio & ſerm.3. Dom.1. poſt oct. Paſcha & in Luc.c.21.v.61.*

779. *Dei mirabilis potentia, & Sapientia elucet in conferendo homini Sapientiam cœleſtem.*

Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam. Quaſi dicat: ego ſolus: quænam eſt hæc ſapientia? niſi cognitio practica æternorum, qua ad cœleſtia homo ſolùm inhians, terrena deſpicit: hoc eſt proprium iuſtorum, qui à Deo ditantur tali ſapientia, eſtque actus mirabilis divinæ potentiæ.*Eccleſ.c.2.*

780. *Operum Dei ratio ab homine non poteſt perfectè comprehendi.*

Quis enarrabit Cœlorum rationem. Quaſi dicat, nemo: quia homo ſuis viribus non poteſt percipere rationem operum Dei, quibus regit mundum: ſunt enim incomprehenſibilia, & mirabilia.*in Eccleſ.c.1.*

781. Con

781. *Concordia scripturarum, Consiliorum, & Doctorum mirabiliter extollit divinam sapientiam, & virtutem nostræ fidei.*

Quis enarrabit Cœlorum rationem, & concentum Cæli &c. Nota hic mysticè indicare profunditatem divinæ fidei, concordantiam mirabilem, quæ elucet in Sacra Scriptura, in Consilijs, & doctrinis Sanctorum Patrum, quæ mirabiliter extollunt veritatem fidei catholicæ: & in quo patet magnitudo divinæ sapientiæ. *serm. 9. Hexaem.*

782. *Prælati sunt Cæli mystici in mundo, quorum operum rationem districtè Deus sumit.*

Quis enarrabit rationem Cœlorum. Quænam est hæc ratio, seu examen Cœlorum enarrandum à Deo? Nota hic esse sermonem mysticè de Prælatis, qui sunt veluti Cœli in Ecclesia, qui debent ordinare, & mensurare, & movere subditos, eos regendo ordinatè: & quia gravissima est ipsorum obligatio, ideò Deus rationem, & examen strictissimum ab ipsis exigit, quod valdè est terribile. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 3.*

783. *Religiosorum bonorum vita est continua harmonia, & concentus cœlestis.*

Quis enarrabit Cælorum rationem, & concentum Cœli, quis dormire facit. Nota, quod ex ordinato Cœlorum motu, & eorum gravi, & acuto, & intereiso processu incredibilis harmonia procreatur: Mysticè datur intelligi, quod Deus vult à Religiosis, qui vita cœlesti debent esse præditi, vt omnia ordinatè facientes, suavem reddant melodiam, scilicet de contemplatione, ad actionem, de lectione ad orationem transeuntes. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 4.*

784. *Prælati rectè gubernantes, & subditi obtemperantes, suavem melodiam reddunt in Ecclesia.*

Quis enarrabit Cælorum rationem &c. Notaetiam, quod sicut Cœli alij sunt superiores, alij inferiores, & quilibet eorum suum motum ordinatè facit: Sic Prælati rectè regentes subditos, & subditi obtemperantes faciunt perfectam harmoniam, & melodiam in Ecclesia: Sed nota, quod subdit sacer textus: *& quis concentum Cœli dormire facit.* Ergone dormit concentus Cœli? quid est dormire in concentu Cœli? dormire in concentu Cœlorum, est quando Prælati tyrannidem exercent in subditos, & subditi se rebelles ostendunt Prælatis: Tunc non harmonia, sed confusio oritur in Ecclesia Dei. *op. Eccles. Hier. p. 4. c. 4.*

785. *Deus communicans suæ bonitatis effectus Animæ in ea affert concentum cœlestem.*

Quis concentum Cœli dormire facit? Nota, quod iste concentus cœlestis est communicatio divinæ bonitatis in Anima, in qua omnia ordinatè fiunt. *Psalm. 118. cap. 6. vers. 9. & in Ioan. cap. 16. vers. 30.*

786. *Providentia Dei nobis exponitur mirabiliter.*

Quis præparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagientes, eo quod non habent cibos. Nota, quod hic mirabilem Dei providentiam exponit sacer textus in corvis: nam corvi non pascunt pullos suos in principio, quia non putant suos esse, donec videant eos factos nigros: cum autem in tali tempore Deus eis provideat cibum, hinc mirabiliter elucet sua providentia in omnes creaturas in confusionem avaritiæ nostræ. *in Luc. c. 12. v. 24.*

CAPVT XXXIX.

787. *Peccator vinculis ligatus tamquam bestia, à Christo solvitur per Ministros.*

Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis solvit. Quid est hoc quod sacer textus loquitur? Ergone sola potentia divina poterit solvere onagrum ligatum? nonne hoc idem potest quilibet homo? Sed attende, quod loquitur de peccatore vinculis peccati, & pondere vitiorum ligato, & onerato: nam solus Deus sua omnipotentia potest illum solvere per ministros suos: in quo elucet mirabiliter eius sapientia, & bonitas. *in Luc. c. 19. v. 31.* Vide quod Sacerdos solvens à peccato minister est Christi Dei.

788. *In domo cœlesti admittuntur tantùm, qui terrena contemnunt, & relinquunt.*

Cui dedi domum in solitudine, & tabernaculum eius in terra salsuginis? Contemnent multitudinem Civitatis, quia vivunt vt pauci. Vide quid Deus præparavit onagro prius alligato, postea soluto, & ad statum pœnitentiæ reducto: Deus enim isti præparavit habitaculum in solitudine, nempe eum vocat ad secretum mentis, vt ibi Deo suum cor exerceat, & sic in terra salsuginis, scilicet sitiendo æterna, vivat, & vlterius contemnat multitudinem, & consortium malorum, omnia terrena relinquendo, vt fecerunt Apostoli, quibus domum cœlestem Deus præparavit: felices ergo, qui in hanc solitudinem intrant, qui propter Christum omnia relinquunt, qui relictis creaturis, cum solo Deo habitant. *serm. 1. in festo Omnium Sanct.*

789. *Contemplatio locus solitudinis, in quo Deus dulcedinem suam communicat.*

Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit. Nota connexionem horum verborum cum antecedentibus: Dicit enim, quod istis onagris solutis Deus præparavit locum in solitudine, & postea, quod eos ducit in locum deliciarum, & pascuæ, & vireotia prata: Si est terra

ra ſalſuginis, ſi eſt deſertum, quomodò dicitur locus paſcuæ,& pratum virens?Sed hæc ſunt mirabilia,quæ operatur Deus cum ſuis amicis : quibus poſtquam reducti ſunt in ſtatum ſolitudinis, relinquentes omnia terrena, Deus præparavit paſcua, & delicias cœleſtes : nam in ſtatu contemplationis delibantur deliciæ divinæ : ô felix ſolitudo.*in Luc.c.9. verſ.18. & in Ioan. collat.* 40. & 48.

790. *Prælati relinquentes oves ſuas ſine cibo doctrinæ ſacræ ſunt ſtruthiones.*

Derelinquit ova ſua in terra. Nota, quod ſicut ſtruthio derelinquit ova ſua in pulvere, & ſæpe à pedibus tranſeuntium conculcantur : Myſticè ſunt Prælati, qui non fovent filios ſuos doctrina divina, eos derelinquunt, & ſinunt conculcari pedibus Dæmonum.*in Thren.c.*4.

791. *Viri perfecti ſunt equi, ſuper quos equitat Chriſtus fortes in bello.*

Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum. Nota, quod hic deſignat proprietates equi, inter quas fortitudine excellit cætera animalia : & Myſticè deſignatur cor iuſtus, qui nomine equi exponitur, qui alias indomitus, ſe ſubijcit imperio Chriſti : qui nunc apparet albus per vitæ munditiam, nunc niger per humilitatem, nunc rubeus per charitatem, nunc varius per multiplicem virtutem : Sed fortis maximè oſtenditur virtute Chriſti in bello contra Diabolum, mundum, & carnem.*op.Eccleſ.Hier.p.3.c.3.& ſer.3.Dom.Palmar.*

792. *Iuſtus totus eſt in mortificando carnem vſque ad intima.*

Qui vngula terram fodit. Nota, quod equus vngula terram fodit : & myſticè ſignificatur iuſtus, qui vngula diſcretæ mortificationis terram carnis ſuæ vſque ad intima fodit, & mortificat. *Pſal.95.*

793. *Chriſtus eſt myſtica Aquila.*

Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. Nota, quod aquilæ nomine venit principaliter Chriſtus : quia ſicut aquila, ne fame pulli moriantur aperit ſibi ſinum, eoſque paſcit proprio ſanguine : ſic Chriſtus ſuum ſanguinem expoſuit in Cruce, & in Eccleſia pro nobis, ne fame pereamus : Secundò, quia ſicut aquila in ſenectute ad petram veterem frangit roſtrum, vt renaſcatur : Sic Chriſtus in reſurrectione ſua vetuſtatem mortalitatis depoſuit, & glorioſus reſurrexit : Tertiò Aquila elevatur in altum, & nidum ſuum in altiſſimis locis ponit : Sic Chriſtus in Aſcenſione ſua elevatus eſt ſuper omnes choros Angelorum, & nidum ſuum poſuit ad Patris dexteram : Quartò Aquila acutum aſpectum habet ; & Chriſtus videt omnia bona, & mala noſtra, quæ ipſius oculis nuda, & aperta ſunt. *ſerm.1.in Aſcenſ. Dom. & in Luc.c.13.v.34.*

794. *Contemplativus, relictis omnibus terrenis ponit nidum ſuum in Cælo.*

Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. Quaſi dicat, non ad præceptum tuum, ſed virtute mea aquila, id eſt Anima contemplativa elevabitur de terrenis, quibus relictis, ponit nidum ſuum in Cœlo, ſcilicet in meditatione, & fruitione bonorum cœleſtium : Vnde potius habitare in Cœlo, quàm in terra dicitur.*ſ.4.Dom.4.Adu.& ſ.3.Dom.24.poſt Pentecoſt.in Luc.c.22.v.12.& in Ioan.collat.*70.

795. *Angeli ſunt aquilæ ad nos volantes, vt deportent Animas ad Cælum.*

Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila &c. Nota etiam, quod nomine aquilæ venit natura Angelica, quæ circa nos volat, vt nos liberet à malis, & deportet in Cœlum. *ſermone 3. Dom.24.poſt Pentecoſt.*

796. *Iuſtus ſicut aquila in altum cum Angelis volat : Impius cum Diabolo ad cadavera deſcendit peccatorum, & tandem in Infernum.*

Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila &c. Nota myſticè aquila poteſt intelligi homo iuſtus, & impius : ille elevatur in Cœlum adiutorio alarum duarum, ſcilicet charitate Dei, & proximi, & deinde cum Angelis in Cœlum volat ad ordines angelicos : E contra impius cum Diabolo ad cadavera peccatorum deſcendit, & tandem ad Infernum.*ſer.3.Dom.24. poſt Pentecoſt. & ſerm.1.in Aſcenſ.Domini.*

797. *Iuſtus ad cibum cœleſtem aſpectum dirigit : Impius ad cibum terreſtrem, & Infernalem.*

Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt. Vide quomodò Anima per gratiam elevata ad ſtatum cœleſtem contemplatur eſcam proportionatam ſibi tamquam aquilæ cœleſti: Eſca hæc eſt verbum Dei, vel veritas interioris pœnitentiæ, vel iuſtitiæ æquitas, vel divinæ contemplationis refectio : E contra impius, ad cibos terreſtres, & Diaboli aſpicit ; ſuntque delectatio carnalis, luxuria, detractio, invidia, aliaque ſimilia, quæ apponit Diabolus in menſa ſua.*Ioan.coll.*31.

798. *Sola viſio erit merces operū noſtrorum.*

Inde contemplatur eſcam. Vide quomodò Anima elevata in Cœlum habebit viſionem Dei cum eius fruitione pro præmio: hæc erit eius refectio æterna.*in Ioan.collat.*75.

799. *Pœnitentia renovat vetuſtatem noſtram.*

In petris manet &c. Nota, quod aquila in ſenectute roſtro ſibi adunco nimis ſumere non valet cibum, vnde langueſcit, & decreſcit, tandem ad petram vncum roſtri deponit, & ſic cibum ſumens reviviſcit : Diſce, ex hoc peccato deponer

deponere; sic enim renovaberis, & ad cibum cœlestem sumendum poteris securè accedere, & maximè ad Eucharistiam. *ferm. 1. in Ascens. & fer. 3. Dom. 24. Pentec.*

800. *Amor vehementissimus Christi patefit in expositione corporis, & sanguinis sui.*

Pulli lambunt sanguinem ejus, &c. Ecce quid fecit Christus Jesus, qui amore accensus in nos, ne pereamus, Latus, & viscera sibi aperuit, ut sanguinem, & carnem suam nobis exponeret in Sacramento Eucharistiæ. *fer. 1. in Ascens.*

801. *Justi ad Christum volant tamquam ad escam.*

Aquila ubicumque cadaver fuerit, statim adest. Nota, quod Aquilæ olfactus est acutissimus, ideo sicut Aquilæ etiam longe volant ad cadaver; sic animæ Sanctæ ad Christum currunt, ut ad propriam escam per ardentissimum desiderium, limpidissimum consuitum, sapidissimum gustum, & per motum amoris excessivum. *In Luc. c. 17. v. 37.*

802 *Christi Sanguis hominem inebriat, & ad pœnam corroborat, &c.*

Pulli lambunt Sanguinem ejus. Jam dictum est, Christum esse aquilam hanc, quæ aperuit Latus, & viscera, ex quibus nobis Sanguinem suum propinavit, ut nos filios suos inebriaret, & ad pugnam invitaret, & corroboraret. *In Luc. c. 22. v. 20.*

803. *Sanctus Ioannes Evangelista fuit Aquila mystica.*

Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? Nota quod inter quatuor Evangelistas, Joannes fuit Aquila mystica, qui non ad præceptum hominis, scilicet per vim naturalem, sed ad præceptum Christi, nempè per gratiam specialem, relictis hisce terrenis, elevatus est ad cognitionem mysteriorum Verbi divini: & ideo hic notantur quatuor prærogativæ sublimes hujus Sancti Evangelistæ: Prima est intellectualis acuminis limpiditas, secunda indepressibilis amoris sublimitas, tertia debilitas naturalis ad hanc sublimitatem elevata: quarta ast divinus concursus, ei communicatus speciali modo. *Ioan. proœm. cap. 1. v. 1.*

804. *Sancti post resurrectionem erunt Aquilæ mysticæ.*

Numquid ad præceptum, &c. Nota, Aquilæ sunt Sancti, qui post resurrectionem renovati ad præceptum Domini congregabuntur, & ad Verbum incarnatum elevabuntur per limpidissimum aspectum, per ardentissimum desiderium, per sapidissimum gustum, & per motum amoris excessivum. *In Luc. c. 17. v. 37.*

805. *Anima nidum suum debet ponere in vulneribus salvatoris.*

Et in arduis ponet nidum suum: in petris manet, &c. Nempe anima debet se elevare ad Christum crucifixum, qui est petra angularis, & in vulneribus corporis ejus ponere nidum suum; sic enim reficietur cibo cœlesti, & se defendet ab omni violentia Diaboli. *fer. 1. in Ascens. Luc. c. 17. & 22. Gloss. hic.*

CAPUT XXXX.

806. *Domini nomen est essentiale tribus Personis Divinis, appropriatur tamen aliquando Personæ in Particulari,* ut hic Patri, de quo dicitur: Respondens autem Dominus Job de turbine. *Psal. 118. c. 5. v. 1.*

807. *Lumbi accingendi sunt, scilicet carnalis affectus cingulo virtutis;* unde cuilibet nostrum dicitur: Accinge sicut vir lumbos tuos. *Luc. c. 12. v. 36. Ioan. c. 21. v. 19.*

808. *Brachium, & potentia Dei demonstratur in dejectione Dæmonum, & superborum:* Unde hic dicitur: Et si habes brachium sicut Deus, disperge superbos in furore, &c. quasi dicat Deus, non ad te, sed ad me pertinet hoc, qui habeo potentiam infinitam. *In Luc. c. 1. v. 51.*

809. *Fideles, & Justi ornant Deum, quia relucere faciunt suam sapientiam, & bonitatem.*

Et speciosis induere vestibus. Sic dicebat Deus Job: quasi diceret: non ad te, sed ad me pertinet apparere indutum speciosis vestibus: sed quænam sunt vestes Dei? Indigetne Deus vestimento? Sed attende, quod sicut speciosæ vestes reddunt ornatum hominem; sic & Justorum societas, fidelium, & Angelorum ornant Deum, in quantum relucet in eis decor suæ sapientiæ, & virtutis. *In Ioan. c. 19. v. 24. & Gloss.*

810. *Christus in Iudicio Iustis dulcis apparebit, & iratus superbis, & impiis, ut eos confundat, & damnet.*

Unde à Patre dictum est ei: Respice superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo: qui vult ergo habere Christum placatum in Judicio, ipsum non spernat in hoc mundo. *In Ioan. c. 12. in fine. In Luc. c. 1. v. 51. & c. 3. v. 5.*

811. *Superbi confunduntur per patientiam, & tolerantiam à Sanctis.*

Confunde superbos, & contere eos in loco suo. Quid est in loco suo? Scilicet in eo, in quo superbiunt, confunde eos patientia tua: Sic Sancti martyres confundebant suos persecutores. *Psalm. 118. cap. 5. v. 14.*

812. *Diabolus à Deo factus est bonus, & Sanctitatis capax, sed sua culpa se fecit malum.*

Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, &c. Nota hic per Behemoth significari Diabolum, qui cum factus fuerit à Deo rationis capax (sic enim sonant illa verba) *quem feci tecum*, scilicet non simultate temporis, sed

ſimultate capacitatis rationis) Unde ſi malus eſt ſeipſo ex ſua culpa talis eſt effectus. *l.2. d. 12. a.1.q.2. ad 3. & d.18. a.2.q.2.ad 1.*

813. *Diabolus dicitur beſtia ex hoc, quod facit per peccatum homines beſtias.*

Ecce Behemoth, quem feci tecum &c. Nota, quod Behemoth interpretatur beſtia; ergone Diabolus eſt beſtia, & non rationis capax? minimè: eſt enim rationis capax ſicut cæteri Angeli, & homines, ſed dicitur beſtia ab effectibus, quia reddit per peccatum homines beſtias. *opuſc.compend.Theol.l.2.c.26.*

814. *Peccator eſt cibus Dæmonum, ac ſi eſſet fœnum.*

Ecce Behemoth fœnum quaſi bos comedet. Si Diabolus eſt iſta beſtia, ergone ejus cibus eſt fœnum? ergone indiget cibo? Nota, quod cibus Dæmonum eſt peccator, quem ipſe devorat: dicitur autem peccator ſicut fœnum, quia in hac vita floret, areſcet in judicio, & in ignem poſt ariditatem mittitur. *ferm. 4. Dom.4. quadrageſ. & ſerm.1.Dom.5.poſt oct. Epiph. & in Ioan.c.6.v.10.*

815. Diabolus in principio tentationis debilis eſt, ſed in fine eſt invincibilis, ſi ei non reſiſtitur: Unde hic dicitur: *fortitudo in lumbis ejus: ſtringit caudam quaſi cedrum &c.* cave igitur à principio tentationis. *in Thren.c.3. & in Ioan. collat.53.*

816. *In Antichriſto Diabolus collocabit omnem ſuam potentiam, & artes, ut decipiat homines.*

Stringet quaſi cedrum caudam ſuam. Quæ nam eſt cauda Diaboli, niſi Antichriſtus, qui in fine mundi veniet, ut decipiat homines: in eoque ſtringet caudam ſuam, ſcilicet collocabit omnem ſuam virtutem, & fraudes, ut his ad malum trahat homines. *ferm.15.Hexaem.*

817. *Lucifer quomodò dicitur principium viarum, & operum Dei.*

Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum &c. Quomodò lucifer dicitur principium viarum Dei? Ergone incepit creationem rerum à lucifero? ſed nota, dicitur principium viarum Dei, id eſt princeps, & nobiliſſimus inter omnes creaturas, ut elidatur error dicentium, Deum condidiſſe Dæmones malos: fecit enim eos bonos, ſed ipſi ſua ſuperbia facti ſunt mali: dicitur autem principium viarum Dei, quia prævidens Deus, ipſum futurum eſſe malum, ordinavit, ut ad exercitium ſanctorum, eorumque victoriæ, & amplificandæ coronæ inſerviret. *l.2.d.3.p.2.dub.1.& d.6.a.1.q.1. in fundam.*

818. Diabolus dicitur principium viarum Dei ut videas, quod cum in principio mundi fuerit creatus, & ex ſua culpa eſt malus, etiam inveteratus ſenex in malitia eſt, & ideò cave à ſuis fraudibus. *in Eccleſ.c.4.*

819. *Diabolus utitur tentatione ut gladio ad transfigendum cor noſtrum.*

Qui fecit eum applicabit in eum gladium. Quiſnam eſt iſte gladius Diaboli, iſte eſt tentatio, qua quærit perimere, & transfigere cor hominis? ſed tamen Deus ejus vim reſtrinxit, ne occidat, quantum volet, ſicque eodem gladio vulneratur. *ferm. 3.Dom. infra oct. Nativitatis.*

820. *Amor nimius terrenorum cauſa omnis peccati.*

Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ei. Ergone Diabolo montes portant herbas pro cibo ejus? quid eſt hoc? ſed nota, quod per montes ſignificantur peccatores nimio amore defixi in his terrenis, ex quorum cordibus herbæ ſpinoſæ vitiorum gignuntur, quibus paſcitur, & delectatur Behemoth, ſcilicet, his Dæmones ludunt, ſcilicet applaudunt pertrahendo ipſos ab amore pœnitentiæ ad dulcedinem mundani gaudij, eos errare faciendo per viam hujus mundi. *ferm.Dom.5. poſt oct.Epiph.*

821. *Diabolus per varios gradus inducit hominem in tentationis lapſum.*

Sub umbra in ſecreto calami, & in locis humentibus &c. Nota, quod in ſupradictis, & in ſequentibus hic deſcribuntur gradus tentationis diabolicæ, quibus inducit hominem in ruinam: nam opprimendo rapit, inſidiando circumvenit, minando terret, ſuadendo blanditur, deſperando frangit, promittendo decipit. *l.2.d.21.dub.3.*

822. Diabolus quietè dormit, dum peccator in peccato maximè luxuriæ, dormit; quia peccatum ei ſummè placet, nec aliud à nobis prætendit. Unde hic dicitur Diabolus in locis humentibus dormit, ſcilicet in aqua nepe luxuriæ, in qua maximè ſedet, & veluti dormit, vel requieſcit hæc eſt aqua, qua dedicatur Anima Diabolo. *ferm. 1. de Dedicat. & op. Comp. Theol. l.3.c.21. op. Diat.tit.5.c.6.* Dicitur autem dormire ſub umbra, quia carnales nihil aliud quærunt, niſi umbram, & luxuriam. *Luc.c.8.v.33.*

823. *Diabolus figit ſuam ſedem in locis humentibus, & immundis animalibus.*

Sub umbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus. Id eſt in locis immundis: Diabolus enim quærit immundos, ut porcos, & caroales, ut ibi habitet. *Luc. cap.8. v.33. & cap.11. v.24. & cap.16.v.14.*

824. *Accidia umbram Diabolo facit, & refrigerium, quia per eam inducit ad omne malum.*

Protegunt umbra umbram ejus, circumdant eum ſalices torrentis. Vide quomodò Diabolus ſub umbra libenter habitat peccatorum: ſed cujuſnam arboris? ſub umbra ſalicum, & quia eſt arbor infructuoſa ſolùm faciens umbram, ſic ſignificat vitium accidiæ, quia hoc vitium nullum fructum facit, ſed ſolùm umbram Diabolo, & refrigerium, quia per hoc inducit ad omne malum. *op.Diat. Tit.1.c.7.*

825. Peccator

825. ***Peccator peccans intrat in os Diaboli, à quo absorbetur.***

Ecce absorbebit fluvium &c. Quomodò ista bestia absorbet fluvium ? Sed attende, quod mysticè loquitur de Diabolo, qui ore aperto stat, vt in se recipiat peccatorem, qui peccando in os eius intrat, & à Diabolo absorbetur, vt fluvius absorbetur à mari. *op. Diat. sit.* t. c. 1.

826. ***Diabolus numquam satiatur peccatis, sed semper inhiat ad alia, & alia, & præcipuè, vt absorbeat iustos.***

Ecce absorbet fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod in os eius influat Iordanis. Cur sub nomine fluvij, quem absorbet exprimitur casus peccatoris? quia Diabolus quantumcumque peccet homo, nunquam satiatur peccatis, donec cadere faciat iustum significatum in Iordane: tunc enim habet, quod desiderat. *diat. sit. t. cap.* 1. *Ioan. c.* 30. *v.* 29.

827. ***Qui ab amore Dei in amorem rerum mundanarum deflectit, à Diabolo absorbetur.***

Absorbebit fluvium, habens fiduciam, quod Iordanis in os intret. Vide, quod Diabolus non est contentus absorbere fluvios, scilicet peccatores, & infideles; sed inhiat ad aquas Iordanis, vt in os eius intrent. Quid est hoc ? per Iordanis aquas intelliguntur aquæ divini amoris à fonte bonitatis divinæ exeuntes, quæ vitam Animæ tribuunt: Diabolus igitur quærit obstruere hos rivulos, & introducere amorem noxium mundanarum cupiditatum, vt hoc iustos absorbeat ? Cave ergo ô serve Dei ab amore terreno, & à cupiditatibus sæculi, ne absorbearis à Diabolo. *op. mystica Theol. c.* 2. *p.* 2.

828. ***Christus muscipula Crucis cœpit Diabolum de ipso triumphando.***

An extrahere poteris leviathan hamo, & fune ligabis linguam eius ? Numquid pones circulum in naribus eius. Quasi dicat : non est tuæ virtutis capere leviathan Diabolum, & de ipso triumphare, quia hoc solùm fuit opus Redemptoris : Venit enim Redemptor, & victus est deceptor, tetendit ei muscipulam Crucem suam, posuit ei quasi escam sanguinem suum : sicque hac arte vicit Diabolum, qui in Paradiso deceperat hominem. *l.* 3. *dist.* 20. *a. q.* 5. *corp.* Vide qua arte vsus est Christus in hac prædą: fecit enim Christus lineam in hoc mari mundi, & hamo illius captus est : Linea est propago Patrum per Evam, ex quibus descendit : ibi erat hamus interior, scilicet Divinitas, & caro exterior : Diabolus ergo carnem Christi momordit, crucifigendo eam per suos ministros, sed hamus Divinitatis maxillam eius perforavit, & cœpit. *Psal.* 103. *& serm.* 4. *in Nativit. & serm.* 3. *in Cœna Dom. & ser.* 1. *Hexaem.*

829. ***Idem confirmatur.***

An extrahere poteris leviathan hamo &c. Nota, quod Christus consurgens in fortem armatum, prædam ab ipso diripuit, quando extractus est leviathan hamo ipsius per Christum perforata maxilla, ut qui nihil juris habebat in capite, qood invasit, illud etiam perderet, quod habere videbatur in corpore. *op. lignum Vitæ : Tit. Iesus triumphans mortuus, & in Ioan. c.* 8. *v.* 37. Et hinc meritò Christus se comparat quasi furi, quia vasa Diaboli diripuit. *in Luc. c.* 23. *v.* 32.

830. Crux est hamus, quo Diabolus captus est : Unde dicitur. *An extrahere poteris Leviathan hamo ? op. Comp. Theol. l.* 4. *cap.* 21. *& l.* 3. *d.* 20. *a.* 1. *q.* 5. *corp.*

831. ***Homo nequior Diabolo.***

An extrahere poteris Leviathan hamo ? Respondetur quod Christus hanc prædam fecit, dum hamo cæpit Diabolum, hamo scilicet mortis, & crucifixionis : sed vide, quàm miserabilior Diabolo, quia Christus potuit capere Diabolum sua morte, & multos homines obstinatos non potest capere. *serm.* 3. *Dom.* 4 *post Pentecost.*

832. ***Christus voluit docere, & convertere mundum per illitteratos, & quare.***

Numquid illudes ei, quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis ? Nota, quod Christus ligavit Diabolum, vicit mundum ancillis suis, scilicet per Animas illitteratas, ut Soli Christi virtuti attribueretur, quod ipsi fecerunt. *in Ioan. c.* 1. *v.* 48.

833. ***Apostolorum, & Prædicatorum ministerio abstulit Christus membra Diabolo.***

Divident eum negotiatores. Qui sunt isti negotiatores, qui dividunt Diabolum ? ergone Diabolus poterit dividi, qui est purus spiritus ? Nota quod hic loquitur de divisione non physica sed morali : Hancque divisionem faciunt ministri, & Christi prædicatores, qui veritate fidei prædicatæ dividunt Diabolum, scilicet membra Diaboli ab ipso distrahunt, & faciunt membra Christi. *in Ioan. c.* 21. *v.* 19. *Glossa &c.*

834. ***Qui judicium Vniversale considerat, non indiget alia concione.***

Memento belli, nec ultra addas loqui. Quodnam bellum est hoc, quod alio sermone non indiget ? quodque omnia verba tollit ? Bellum extremi judicij est hoc, in quo omnes creaturæ pugnabunt adversus peccatorem : Vult ergo Deus, ut in memoriam habeamus hoc bellum, idque sufficit pro quocumque verbo, & concione. *in Sap. cap.* 5. ô felices, qui toto tempore vitæ sensata animi consideratione hoc judicium meditabuntur, quia in morte evadent ejus horribilitatem &c.

835. *Spes Dæmonis, & impiorum quanam.*

Ecce spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Ergone spes est in Diabolo? Nonne semper vivit desperatus? sed nota, quod spes hic sumitur impropriè, scilicet pro dilatione judicij, in quo acrius, quam modò puniendus est, & pro expectatione dilationis judicij constituendi super peccatores, quorum utraque frustrabitur Diabolus in die judicij, & citius, quàm vellet judicabitur: hæc est spes desperatorum, & impiorum. *l.3.d.26.dub.6. & l.4.d.47.a.1.q.4.fund.1.*



CAPUT XXXXI.

836. *Quomodò solus Pater æternus Dominus ante omnes, etiam Filium, & Spiritum Sanctum.*

Quis ante dedit mihi, ut reddam ei. Nota hic est Pater æternus, qui est anterior cæteris, nec ullus est anterior nec tempore, nec dignitate, nec origine. *Psal.118.c.5.v.1.*

837. *In judicio Deus exercebit rigorem suæ justitiæ.*

Non parcam ei, verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Vult dicere, quod in judicio extremo impossibile est se excusare ob rigiditatem judicis, quia verba excusantia advocatorum, & potentum ad nihil deservient. *in Luc. c.13.v.30.*

838. *Portas Inferni aperiunt mali Doctores, & Prædicatores.*

Portas vultus ejus quis aperiet. Quænam sunt portæ Leviathan? Nota, quod istæ portæ sunt mali, & perversi Doctores, qui hominibus viam Inferni ostendunt, & ideò vult Deus, ut eorum fallaciæ suis aperiantur. *Psal.99.*

839. *Peccator quomodò trajicitur in corpus Diaboli: Iustus in corpus Christi.*

Per gyrum dentium ejus formido. Vult dicere, quod Leviathan devorabit, & trajiciet in ventrem homines. Sed quomodò hoc? Nota, quod hic loquitur de Diabolo, cujus gyrus dentium sunt involucra peccatorum, quibus peccator glutitur à Diabolo, & in corpus ejus trajicitur: Vide igitur qualis infelicitas est peccatorum: E contra qualis felicitas justorum, qui in corpus Christi trajiciuntur. *op.compendiosum princip.*

840. *Obduratio peccatoris scutum est Diaboli impediens fructum prædicationis.*

Corpus ejus quasi scuta fusilia. Loquitur hic mysticè de Diabolo, cujus corpus sunt iniqui, qui comparantur scuto fusili, quia scutum est durum, & impedit, ne tela intrent in corpus: sic obduratio iniquorum impedit, ne tela prædicationis, & verbi Dei intrent in cor eorum: Unde prædicatio divini verbi est eis in ruinam, sicut bonis in salutem. *in Thren. c. 5.*

841. *Perversi cum Dæmonibus sunt simul concordes ad patrandum malum.*

Corpus ejus quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: una uni conjungitur &c. Vult dicere, quod cum corpus Leviathan sit indutum squamis veluti scutis, quæ simul conjunguntur, etiam est durissimum, & armatum contra omnes ictus contrarios, & quia figuratur Diabolus, dat intelligere, quod Diabolus est fortis armatus, dum ejus corpus, quod sunt iniqui est bene connexum, scilicet quando ejus sequaces sunt concordes ad malum patrandum, & ideò ei non potest resisti, nisi virtute divina: Væ igitur quando adest concordia hæc diabolica, quia unus alium protrahit ad malum. *Luc. c. 11. v.67.& c.11.v.18. & 21.*

842. *Diabolus opilat oculos suorum sequacium ad prorogandum malitiam.*

Oculi ejus ut palpebra diluculi. Qoid ut palpebræ diluculi? cur non ut palpebræ diei? Palpebræ diluculi, quia participant etiam de somno noctis: Palpebræ diei sunt aptæ ad videndum lucem: Diabolus igitur opil. e oculos suorum sequacium, ne videant suum statum, & ne eos aperiant ad lucem veritatis, ut sic ligati perseverent in impietate: ô quot sic sunt opilati à Diabolo, & ideò non videbunt benedictionem Dei. *Psal.118. c.10.v. 4.*

843. *Domus impiorum igne infernali plena est extinguiturque solùm divina gratiæ aqua.*

Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. Vide statum miserum Animæ existentis in peccato: nam cum facta sit domus Diaboli, ipse in ea conservat ignem vitiorum, quem ardere facit halitu suo, nec extingui potest, nisi aqua ex fonte divinæ misericordiæ derivante, & qui modò ad extinguendum hunc ignem culpæ non vult istum fontem quærere, in Inferno unam guttam non poterit extrahere, ut diviti accidit. *fer. 6. Dom. infra oct. Epiph.in Ioan. c.18.v.18.*

844. *Caveat servus Dei à blanditiis carnalibus in se, & cum aliis tamquam à veneno, & igne Inferni.*

Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. Vide autem Diaboli, qui prunas ardere facit: Dicit autem, *prunas*: igneus enim flatus ex igne gehennali cum duos carbones compositos invenerit etiam semivivos sufflat indefessè, donec eos incendat, nec curat moras, si tandem aliquando proficiat, cum omni tempore ad nihil aliud vacet, nec aliis curis intendat, nisi Animas seducere: Caveant hoc qui cum in se sentiant immunes à vitiis Luxuriæ, non evadunt blanditias, tactus, collocutiones, specta-

cula

cula lasciva, quia prunæ simul compositæ in se, vel in aliis à Diabolo accenduntur. *op. de perfect. relig. l.1.c.38. & 39. & op. legenda S. Francisci c.5.* Unde rectè ille sanctus senex morti vicinus intuens mulierem suæ faciei approximantem, ut videret, si jam obiisset, exclamavit: Recede à me, quia adhuc igniculus est.

845. *Tentatio Diaboli est flatus ardere faciens prunas in carne nostra existentes.*

Halitus ejus prunas ardere facit. Quis est halitus Diaboli, & quæ prunæ? Nota, quod pruna est caro nostra, in qua viget ignis concupiscentiæ, has prunas Diabolus halitu tentationum ardere facit, & nota, quod talis ignis à Diabolo incensus est obscurus; unde est ignis prunarum. *Ioan.coll.80.op.Diet.Tit.2.c.6.*

846. *Diabolus totum conatum adhibet, ut memoria mortis à mente hominis abstrahatur.*

Halitus ejus prunas accendere facit. Cur Diabolus totum conatum suum in sufflando prunas ponit? Ut excutiat cinerem ab ipsis: Quid est excutere cinerem, nisi memoriam nostræ incinerationis, & mortis à mente nostra excutere, & alienare? Hinc dicitur à sanctis, quod mortis memoria est semper habenda tamquam unicum remedium peccatorum. *Vide Solil. c. 3. & op. de perfectione Relig l.1.c.25.*

847. *In corde duro non penetrat verbum Dei.*

Cor ejus indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Nota hic ad litteram de Diabolo sermonem esse, sed etiam aptatur impio, & in peccatis obstinato; eo quod non est capax recipiendi verbum Dei, vel saltem si recipiet, non faciet illud ob defectum humoris divinæ gratiæ. *in Luc.c.8.v.6.*

848. *In judicio pavebunt quodammodò Angeli.*

Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Nota, quod hic loquitur de judicio extremo, cujus erit tantus rigor, quod etiam Angeli, & sancti pavebunt: Sed cur pavebunt? pavebunt, non timore pœnæ, sed timore reverentiæ, & horrore divinæ vindictæ, cum ipsi purgati fuerint ab omni culpa, & si hoc, quid faciet virgula deserti, si timore concutiuntur cedri Libani? *in Luc.c.21.v.26.*

849. *Timor divini judicij purgat activos, & contemplativos.*

Cum sublatus fuerit (idest Behemoth, & peccatum) *timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Quomodò Angeli purgabuntur? Ergo ne in Angelis est culpa indigens purgatione? Loquitur de hominibus vitam angelicam ducentibus in vita activa, & contemplativa: Isti enim indigent purgari à superbia per considerationem judiciorum divinorum. *Luc.c.2.v.24.*

850. *Verbum Dei ejicit Diabolum de corde hominum.*

Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit. Vide quomodò Diabolus ejicitur à gladio, scilicet prædicationis verbi Dei. *in Ioan.c.18.v.31.*

851. *Obstinatus verbum Dei nihil æstimat.*

Reputabit ut paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Loquitur hic de Diabolo, & ejus sequacibus, & quia sub nomine ferri significatur prædicatio, quæ acuitur ut ferrum, ut adversarius feriatur: hinc notatur, quod Diabolus, ejusque sequaces nihil æstimant verbi Dei prædicationem, cum ad ipsam obstinationes fiant. *Psal. 104.*

852. *Solum filij Ecclesiæ valent resistere ictibus.*

In stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Nota, quod hic loquitur metaphoricè de Dæmone pugnante, contra filios Ecclesiæ significatæ per fundam: funda enim in gyrum vertitur, & ex illa lapides exeunt, & hostes percutiuntur: sic Ecclesia vertitur in volubilitate temporum, ex ea filij fortes exeunt, scilicet Doctores, Prælati, & Prædicatores, qui inimicos Ecclesiæ conterunt: dicitur autem, quod in stipulam versi sunt ei, scilicet Dæmonibus, quia ab ipsis pro nihilo reputantur filij Ecclesiæ & vilipenduntur. Unde semper fuit pugna inter ipsos, & Dæmones, ipsorumque sequaces. *Psal. 143.*

853. *Qui scientiis non utitur ad profectum Animæ, vertit aurum in lutum.*

Et sternit sibi aurum quasi lutum. Nota, quod Diabolus sibi sternit, & vertit aurum quasi lutum: Dæmon enim interpretatur sciens, & quia malè usus est scientia, ideò ipsam in lutum sibi convertit: sic faciunt qui scientiis incumbunt curiositatis, & vanitatis causa, non dirigendo eas ad profectum Animæ. *serm. 19. Hexaem.*

854. *Qui amorem Creatoris in amorem creaturæ vertit, aurum in lutum convertit.*

Et sternet sibi aurum quasi lutum. Sic fecit Diabolus, qui amorem debitum Creatori in proprium ordinavit: sic & qui amorem Deo debitum, à quo lux, & aurum, & omne pretiosum venit, vertit in amorem creaturarum, & sui, convertit aurum in lutum, quia amor creaturæ fordidat Animam. *op. Mystic Theol. c.2.p.2. & Ioan. cap. 9. v. 7.*

855. *Religiosus se implicans in nimia cura rerum terrenarum aurum convertit in lutum.*

Et sternit sibi aurum quasi lutum. Nota: iste est ille Religiosus, qui cùm Deo toto corde servit, tunc auro divinæ gratiæ, & amoris cœlestis abundat: si verò omnis se immergit in curis, & folici

solicitudinibus terrenatum rerum, tunc hoc aorum in lutum convertit. *Ioan. c.9.v.7.* Idemque facie, qui contineotiam servat in corpore, sed cor repletum servat puttedine cogitationum malarum. *serm.3. in Epiph.*

856. *Dæmones, & mali homines potestate à Deo data abutuntur contra Deum: ubi de potestate Dæmonum per Christum confracta.*

Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret; ipse est rex super universos filios superbiæ. In his verbis sacer textus loquitur de Dæmonibus, & eorum sequacibus, daturque intelligi, quod eorum potestas naturalis adhuc servatur, & ideò inter eos sunt gradus ministeriales, per quos aliquis supecat tamquam fortior, & magis sapiens, cæteri obediunt: sed tamen hoc totum adhibent, quod à Deo receperunt contra Deum, & contra homines: Idemque faciunt homines perversi, qui conjuncti sunt in malo, libetèque ad patrandum malum subjiciuntur aliis. *l. 2. d. 6. a. 3. q. 2. in Ecclesia.9.v.10. sap.c.10.* Adverte tamen, quod licet Diabolus sit tam fortis, & potens, à Deo tamen non permittitur, ut secundùm suam perversam voluntatem totam potestatem adhibeat in homines, sed à Deo, & ab Angelis reprimitur ejus potentia, & astutia. *l.2.d.21. a.2. q. 3. ad 1.* Hinc infertur, quod Deus neminem permittit tentari supra vires. *l.2. d.23. a.3. q. 3. ad 3.* Nec aliquem vincit Diabolus, nisi volentem. *l.2.d.23. ibid. & d.25.p.2.a.1.q.4. & op. de modo confitendi cap.5.*

857. *Christus Iesus per Crucem, & passionem subjugavit potestatem Diaboli.*

Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Si ergo tanta est potestas Diaboli, quomodò effugiemus ejus furorem? sed audi, & attende ad pietatem Domini nostri Jesu Christi, qui per Crucem, & passionem suam potestatem tanti hostis abstulit, ut facile victores evaderemus in pugna cum Diabolo. *op.stim.div.am.p.1.c.12.* Unde licet tanta sit potestas Diaboli, tamen homo adjutus efficacia divini auxilij, potest triumphare de ipso, nec umquam deerit hoc auxilium, nisi concurrente nostra incredulitate. *in Luc.c.9.v.40. & cap.11.v.21.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT XXXXII.

858. *Diabolus caput, & Rex superborum.*

Ipse est Rex super universos filios superbiæ. Nota, quod specialiter dicitur Diabolus Rex super filios superbiæ: Qui sunt isti filij superbiæ? Ergone generare potest superbia? Respondetur quod cum filiæ superbiæ ad septem capita reducantur, suntque præsumptio, ambitio, inobedientia, irreverentia, erubescentia boni, irrisio bonorum, vana gloria & hypocrisis: illi, qui se in his vitiis exercent, vel qui copulantur talibus filiabus, & filij superbiæ evadunt? quia fiunt duo in carne una: super hos specialiter Diabolus regnat. *opusc. Diet. Tit. 2. cap. 3.*

859. *Diabolus regnat super omnes iniquos: non Christus.*

Ipse est Rex super omnes filios superbiæ: Id est super iniquos, quia super istos regnat, non Christus. *serm.4.Dom.4.quadrages.& serm.3.fer.2. Pascha & serm.3.Dom.2. post Pentecost.*

860. *Diabolus regnat super superbos: Christus super humiles.*

Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Cur super filios superbiæ, & non avaritiæ potius, vel iræ? quia primum ejus peccatum fuit superbia, ex qua processerunt omnia alia vitia: Ideò regnat super superbos tamquam subditos, imò tamquam filios, non per creationem, sed per imitationem: Et quia Christus venit, ut dissolveret opera Diaboli per suam humilitatem, ideò dicitur regnare super humiles. *serm.4.Dom.3. post Pentecost. & serm.2.Dom.11.post Pentecost. & serm. 2. Dom. 23. post Pentec. & serm. 2. de S.Barthol. in Ioan.collat.81. & in Luc.c.1.v.51. & c.4.v.3.& c.9.v.40. & c.14.v.18.& 31. & c.16.v.14. in Psal. 118.c.3.v.5. in Eccles.cap.4.& cap.9.*

861. Deus justissimus Judex, quia nihil eum latet: Unde hic dixit Job. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. sap.c.1.*

862. *Audire Deum debet homo loquentem, & quomodò id fiat.*

Auditu auris audivi te. Quid est audire Deum? hoc est sono aliunde venienti aurem accommodare, nempe claudendo aliis, & Soli Deo loquenti attendere, & in cor ipsum suscipere. *in Ioan. collat. 41.*

863. *Quomodò audiendo verbum Dei, Deus videri possit.*

Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Ergone Job Deum vidit? sed nonne est scriptum: *non videbit me homo, & vivet?* Sed attende ordinem: prius audivit: postea vidit: Audivit verbum Dei, ipsum in corde recondendo, vidit intelligendo. *in Luc. c.2.v.20. & 24. & c.8.v.9.& c.14.v.35.& op septem Itiner.æltern.Itiner. 3. d.7.* Vide ex hoc qualis virtus sit in verbo Dei devotè audito, quod ad videndum Deum conducit animam.

864. *Vbi est major Dei cognitio, ibi major contritio & pœnitentia.*

Nunc autem oculus meus videt te, idcirco reprehendo me, & ago pœnitentiam. Vide quomodò hæc sint consequentia: ex visione, & cognitione, consequenter pœnitentia: quia ubi est major de Deo sapientia, ibi major pœnitentia, & detestatio vitiorum. *in Eccles.c.1. in fine.*

865. *Ad purgandum peccata requiritur lixivium spirituale.*

Idcirco ago pœnitentiam in favilla, & cinere. Quomodò in favilla, & cinere? Nota, quod

ad

ad veram peccatorum purgationem requiritur lixivium, & ideo cinis humilitatis debet supponi, & super eum aqua calida contritionis superimponi, sicque lavantur sordes peccatorum. *Op. Diat. tit.* 2. *c.* 4. Vel cinis est memoria mortis, quæ cum aqua lachrymarum facit bonum lixivium. *fer. 4. cin.*

866. *Conversio perfecta quanam exigat.*

Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. Vide ordinem hujus pœnitentiæ: Dicit enim primò, *me reprehendo*, scilicet corde toto: secundò *ago pœnitentiam*, quia debet esse afflictiva: Tertiò *in favilla, & cinere*, quia debet esse lachrymosa, & dolorosa. *ferm.* 1. *de S. Matthæo.*

867. *Perfectio potior Iustorum est non solùm benè operari, sed malum in bonum superare.*

Suscepit Dominus faciem Iob. Quid est hoc suscipere Dei? suscipere Dei est sibi gratum hominem, & acceptum facere: hoc autem facit Deus, non solùm cum benè operantibus, sed magis cum iis qui malum patienter tolerant, reddentes pro malo bonum; hæc enim est perfectior sanctitas, qualis fuit in Job, qui oravit pro iis, qui ipsum malè tractaverant. *Psalm.* 118. *s.* 8. *v.* 10.

868. *Deus plus dat, quàm petat homo.*

Cum oraret Iob, addidit Dominus ipsi Iob dupliciter, &c. Vide bonitatem Dei, & efficaciam orationis: Cum enim oraret Dominum ipse Job majora, & plura accepit, quàm petivit. *ferm.* 4. *in dieb. Rogat.*

869. *Pœnitentia non solùm recuperat perdita, sed multo plura impetrat.*

Addidit Dominus quæcumque fuerunt Iob, duplicia. Vide quanta sit vis pœnitentiæ: nam sicut Iob non solùm recuperavit perdita, sed & duplicia accepit: sic per pœnitentiam recuperatur, quod perditum fuit, scilicet quoad merita mortificata, sed multo plura impetrantur à pietate divina. *In Luc. c.* 15. *v.* 10. Semina ergo homo semen hoc pœnitentiæ, & bonorum operum, & maximam retributionem recipies in hoc, & in futuro sæculo: quod nobis concedat Deus omnipotens, qui ad hoc nos invitat in Evangelio. *Luc. cap.* 8. quod legitur in Dominica hac sexagesimæ, in qua explicit hæc expositio seraphica super librum Job.

FINIS.



